Symbolum

Gaude Anima Restant Perpetua

Anno quo cantabam

ADhVC MeVs salVator VIVIt atqVe Viget. (

R. P. MATTHIÆ FABRI CONCIONUM OPUS TRIPARTITUM.

MATTHIÆ FABRI

SS. Theologiæ Licentiati, Parochi Neoforensis, & Superioris Palatinatus per Diœcesin Aichstadianam Visitatoris:

Dein SOCIETATIS JESU Presbyteri

CONCIONUM

OPUS TRIPARTITUM,

PLURIBUS ET EXQUISITIS ARGUMENTIS IN Singula Evangelia Festorum, Dominicarum Hyemalium & Æstivalium instructum.

OMNIBUS VERBI DEI ECCLESIASTIS UTILISSIMUM.

PARS PRIMA.

DE FESTIS SANCTORUM TOTIUS ANNI.

Editio sexta, juxta primam correctior aliis, & auctior quadruplici Indice: Concionum, rerum memorabilium, Materiarum, Controversiarum & Cæremoniarum.

Permissu Superiorum, & Privilegio S. Cæsar. Majest. Generali & Speciali.

Georgius Abrahamowicz, Rosinski Prutg. Past. Marggrab. Anno 1688.

Post fata subscripti Parochi Eremus Vigrensis Eremitarum Camaldulensium anno 1752. a matre eius comparavit, hanc Partem Concionum in Festa, unâ cum Parte Hyemali, et Æstivali in Dominicas totius anni, nec non et quartum Librum Eiusdem Authoris intitulatum: Concionum Sylva nova, seu Auctarium in Dominicas et totius anni festa ab Opere Tripartito diversis. Pretio duorum aureorum. Hæc Pars inscripta Cathalogo Eremi cum cæteris partibus, et Operibus Ejusdem Authoris.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Viduæ JOANNIS WIDENFELDT.

Anno M DC LXXII.

)(†)(

AUTHORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

VT has meas Conciones, Lector benevolè, tibi communicarem, fecere inprimis viri boni & docti, qui eas vel legerunt vel audierunt. Fecit deinde plurimorum Concionatorum, maxime Tyronum, qui nec dicendi usu, nec librorum copia satis instructi sunt, votum & expectatio, qua SS. Conciones eo stylo & forma præscribi exoptabant, qui & Germano populo quadreret & materiam suppeditaret dicendi in multos annos de quovis argumento. Arduum quidem votum, cui me fecisse satis, non audeo asserere. Quis enim unus omnibus perplaceat, delicatis præsertim auribus? Verum ego non tam iis qui vel abundant libris vel altioribus disciplinis exculti sunt; quam aliis numero pluribus, quibus vel libri vel tempus vel excitatio vel cultiores disciplinæ desunt, subsidiariam manum præbere, quandoq; etiam viam tantum ad dicendum monstrare volui: quodque ingenue fateor, nullo verborum ornatu, neglectiore stylo; tum quod non aliis, sed mihi propriæque memoriæ juvandæ: (primis præsertim annis) scripserim; tum quod existimarim neminem facile latinè ad populum declamare; tum denique ut facilius & à pluribus intelligerer.

Materias Concionum, quàm aptè potui, ex Evangelio desumpsi eidemque applicavi: ita denique in Dominicas & Festa digessi ut easdem non repeterem; & si quæ sæpius recurrunt (ut fit in Documentis Evangelicis) vel obiter tantum insinuarem vel novis conceptibus illustrarem. Historias prolixiores paucis & compendiosè ut plurimum tractavi, ne in molem opus cresceret, remitto in his Lectorem ad CATECHISMUM HISTORICUM D. DAUROVITII *Coloniæ apud Viduam Joannis VVidenfeldt impressum, S. Scripturæ sentias, cum potui, SS. Patrum sententiis illustrare volui, ut non animi mei sensa, sed veterum PP. explanationem tibi exhiberem.*

Mallent forsan aliqui vernaculam dictionem, ut apud Germanos germanicè loquerer, sed non desunt altera ex parte, qui Latinam præoptarunt, tum ut apud plures intelligerer: tum ut eruditis brevior & jucundior foret lectio: tum ut Concio nervosior, cum non ex memoria sola velut vinum è vinaria cella, sed præterea ex consideratione prævioque studio velut dapes è culina, depromitur: tum ut Concionator securius è suggestu diceret, quod nemo Auditorum facilè prægustasset: tum denique ne Operis moles & pretium æquo plus excresceret.

Ad extremum, Optime Lector, duo te rogata volui. Primum, ut ignoscas eos, qui subinde in typum irrepserunt lapsus, quos omnes evitare Typographis impossibile, Censori typi difficillimum est, tametsi Argus ille Centoculatus foret. Quare rem tibi utilem, mihi gratam feceris, si mox comparato libro, ex Indice erratorum emendes emendanda. Horum enim quædam dubium vel perplexum reddunt sensum, quædam etiam pervertunt. Liberabis te hoc pacto multis dubiis & fastidiis. Minores lapsus & interpunctionum defectus quia facile patent, facile per te corriges & condonabis iis, quorum oculos fugerunt. Et quia crebro observatum non est, ut verba S. Scripturæ aliorumque Auctorum distincto charactere imprimerentur, poteris pro tua eruditione non difficulter ea discernere.

Alterum est, ut si quid in his Concionibus minus à me expensum vel intellectum, minusve appositè dictum est, ignoscere & excusare velis: Nemo omnibus horis sapuit: & mihi præter Concionatoris munus, Pastoris etiam incubuit. Quare si quid boni in hoc Opere repereris, Deo, si quid erroris, mihi adscribe, qui homo sum: paratus ad S. Rom. Ecclesiæ aliorumque Doctorum arbitrium corrigi & corrigere, si quid à veritate præsertim Catholica alienum à me scriptum foret.

PRIVILEGIUM
REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

GOSWINUS NICKEL Societ. Jesu Præpositus Generalis.

OMnibus, in quorum manus hæ litteræ venerint, salutem in Domino sempiternam. Cum ex privilegio S. Cæsareæ Majestatis, & aliorum Principum nostræ Societati concesso Bibliopolis omnibus interdicatur, ne libros à nostris Religiosis conscriptos absque superioris ejusdem Societatis licentia typis mandare audeant: & aliquando contingere possit, quod cum quispiam noster Provincialis hujusmodi facultatem D. Joanni Kinchio Civi & Bibliopolæ Coloniensi, vel successori suo fecerit imprimendi aliquem ex dictis libris, alter Provincialis alteri Bibliopolæ similem licentiam circa eundem ipsum librum concedat, in non leve ipsius D. JOANNIS KINCHII vel successoris damnum, & detrimentum. Nos viri hujus alioqui Societatis nostræ Studiosissimi ac bene de ea plurimis modis meriti, indemnitati (ne hujusmodi impressione aliquod dispendium patiatur) consulere volentes, hisce nostris omnibus significamus, mentis nostræ esse, quod si quando eveniat, aliquem nostrum Provincialem illi, vel successori suo dedisse licentiam imprimendi, quodpiam nostrorum hominum volumen, nulli alii Provinciali, cujuslibet Provinciæ licitum sit circa idem ipsum volumen typis mandandum, aliis Bibliopolis facultatem facere.

Atque adeo cunctis nostræ Societatis tam mediate, quam immediate superioribus harum serie prohibemus & interdicimus, ne postquam à præfato D. Joanne Kinchio, vel successore suo certiores facti fuerint, sibi ab aliquo nostro Provinciali fuisse concessum licentiam imprimendi aliquem ex dictis nostrorum libris, ulli alteri Bibliopolæ similem facultatem eundem ipsum Librum imprimendi faciant, nec impertiantur. Dat. Romæ die 9. Martii 1654.

(L.S.)

GOSWINUS NICKEL.

PRIVILEGIUM
R. P. PROVINCIALIS RHENI INFERIORIS.

CUm sacræ Cæsareæ Majestatis Rescripto omnibus, & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcumque librariam negotiationem exercentibus serio, firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros à Soc. Jesu Patribus hactenus editos vel in posterum edendos; intra S. R. Imperii Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma sive in toto, sive in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere clam, seu palam, circa consensum ac testimonium supra dictorum Patrum audeat, vel præsumat, & vigore illius Rescripti Cæsarei Joanni Kinchio Senatori, & Bib. Colon. & successori prædecessores mei dederint facultates diversos libros impri-

imprimendi & recudendi, interque eos *Pædagogum Christianum*, cui nunc accedit secundus Tomus, præterea Concionum R. P. Matthiæ Fabri 3. Tomos cum nova sylva Auctario eorundem atque P.P. Nicolai Caussini Symbolis, & de eloquentia, aliisque, denique R. P. Nicolai Cusani Christliche Zuchtschul/ ex quibus aliqui sine licentia Societ. Jesu in grave prædicti Joannis Kinchii præjudicium atque detrimentum recudere præsumpserunt. Idcirco ego Joannes Zvvenbruggen Societatis JEsu ad Rhenum inferiorem præpositus Provincialis, juxta potestatem mihi ab Adm. Rev. P N. GOSWINO NICKEL ejusdem Societatis JEsu Præposito Generali factam eidem Joanni Kinchio senatori & Bibliopolæ Coloniensi de damnis illatis quærenti confirmo facultates à prædecessoribus concessas, *super libros prædictos aliosque cum facultate Soc. nostræ ab ipso impressos*, ut iisdem omni meliori modo utatur, & indemnitati suæ consulat, in librorum antè immemoratorum aliorumque cum Soc. Jesu consensu impressurum, distractione. In quorum omnium fidem & testimonium has manu mea subscripsi & sigillo mei Officii communivi. Coloniæ 24. Febr. *1656*.

(L.S.)

JOANNES ZWENBRUGGEN.

APPROBATIO

FACULTATIS THEOLOGICÆ INGOLSTADIENSIS.

Opus hoc Concionum de Sanctis magna diligentia elaboratum varia solidaque eruditione refertum, ad docendum simul, & movendum auditorem factum, est ita consonum Catholicæ fidei, bonisque moribus, ut eis promovendis imprimis utile sit futurum: meritoque haberi possit velut succedaneum plurimis scriptoribus Ecclesiasticis. Quare luce publica dignissimum, & Ecclesiasticarum cathedrarum usibus aptissimum visum est.

OSWALDUS COSCANUS
Soc. Jesu, S. Theologiæ Professor,
& pro tempore Decanus.

APPROBATIO.

Conciones *R. P. Matthiæ Fabri* alias sub approbatione D. Decani Facultatis Theologicæ, & Censoris Academiæ Ingolstadiensis, impressas, denuo typis Coloniensibus, magno Reipubl. Christianæ bono, & Concionatorum Verbi Dei commodo, publicari posse censeo. Dabam die 20. Augusti, 1642.

HENRICUS FRANCKEN
Sistorffius, SS. Theol. Doctor.
Regens Laurentianus.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirttembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quod cum Nobis relicta Vidua quondam Joannis Widenfeldt Bibliopolæ Coloniensis, cui Nos Anno adhuc millesimo sexcentesimo sexagessimo primo privilegium Nostrum Cæsareum super P. Matthiæ Fabri, opere Concionum Tripartito & ejusdem Auctario nec non P. Philippi d' Outremanni Pædagogi Christiani tomo primo & secundo, ad decennium benigne concesserimus, nunc dicti Privilegii tempore penè elapso Nobis humillimè supplicari curarit, ut id ad aliud decennium in se prorogare atque extendere clementer dignaremur, Nos ejusdem indemnitati authoritate Cæsarea porro benignè consulere cupientes, precibus iisce annuerimus & petitam dicti Privilegii prorogationem atque extentionem indulserimus, quemadmodum vigore præsentium annuimus & indulgemus. Mandamus proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac Bibliopegis, aliisque rem & negotiationem litterariam quovis modo exercentibus districtè atq; sub pœna decem marcharum auri amissionisque exemplarium seriò inhibentes, ne quisquam eorum præfatos authores proximo decennio à prima recusione & editione memoratorum librorum numerando, intra Sacri Imperii Regnorumq; ac Provinciarum Nostrarum hæreditariarum eodem aut alio typo integrè aut pro parte recudere, invehere, & clam vel palam vendere atque distrahere præsumat: quatenus supra comminatam pœnam decem marcharum auri ex semisse Cameræ Nostræ Imperiali, ex altero verò semisse parti læsæ irremissibiliter pendendam incurrere, & omnibus exemplaribus ubicunque locorum repertis, quorum sibi vel propriâ authoritate, vel Magistratus ubi eadem reperta fuerint, auxilio vindicandorum quondam Joannis Widenfeldt Viduæ ejusdemque hæredibus vigore præsentium facultatem & potestatem Nostram Cæsaream concedimus, privari noluerint. Dummodo tamen nihil honestis moribus contrarium uspiam contineant, & præfata Vidua singulorum Authorum quaterna exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam destinato Taxatori transmittat, Privilegiumque hoc Nostrum Cæsareum in Capite dictorum librorum (ne quis ignorantiæ prætextu ob locorum intervalla sese excusare possit) imprimi curet. Mandantes porrò universis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumq; ac Provinciarum Nostrarum hæreditariarum Magistratibus, Ecclesiasticis & Sæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis & gradus fuerint, ne quenquam huic Nostro Cæsareo privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur, quia ejusdem transgressores, supradictis pœnis aliisque licitis modis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu nostrâ subscriptarum & Sigillo Nostro Cæsareo munitarum. Datum in Civitate Nostra Viennæ die vigesimâ tertiâ mensis Septem. Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo septimo, Bohemici verò decimo sexto.

LEOPOLDUS,

(L.S.)

Ut Leopoldus Guilielmus Comes ab Königseck.

Ad Mandatum Sacræ Cæs. Majestatis proprium

Christoph. Brüer.

R. P.
MATTHIÆ FABRI, SOCIETATIS JESU, CONCIONES, DE FESTIS SANCTORUM TOTIUS ANNI.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ.

Evangelium Matthæi. 4.

IN illo tempore, Ambulans JESUS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres: Simonem, qui vocatur Petrus & Andream, fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem, statim relictis retibus & Patre, secuti sunt eum.

CONCIONES.

I. *Variæ Conscientiæ.*
II. *Homines comparantur piscibus.*
III. *Cur elegerit Christus homines simplices, abjectos, pauperes in Apostolos.*
IV. *Hæresiarchæ nostri temporis eorumque sectatores, cujusmodi sint piscatores.*
V. *Qua ratione omnes Christiani sequi possint ac debeant Christum.*
VI. *Quomodo S. Andreas Christum secutus sit.*
VII. *Documenta Evangelii.*
VIII. *Mysteria Evangelii seu Catechesis.*

CONCIO I.
VARIÆ CONSCIENTIÆ.

I. *Perturbata.*
II. *Lacerata.*
III. *Minus Ampla.*
IV. *Stricta nimis.*
V. *Nimis fragilis.*
VI. *Sibi mitis, aliis severa.*
VII. *Bona.*

THEMA.

Vidit alios duos fratres reficientes retia sua, Matth. 4.

A.

VEterum scriptis proditum est [Plutarchi & Valerii M. l. 9. c. 12.] Homerum Poëtam, quia ænigma à piscatoribus sibi propositum, solvere nō poterat, stomacho & irâ absumptum periisse. Ænigma erat hoc: *Quæcunque cepimus, relinquimus, & quæ non cepimus, gerimus.* Nimirum vermiculos cuti adhærentes illi venabantur, & captos abjiciebant, non captos secum gerebant. Sed possumus utilius dissolvere hoc ænigma, si dicamus, bestiolas esse peccata animam rodentia, retia verò conscientias. Qui enim in conscientia sua peccatorum venationem & examen instituit, peccata deprehendit, & deprehensa abjicit per contritionem & confessionem: qui non instituit, peccata secum gerit, magno suo damno. Hujusmodi venatores seu piscatores utinam nos simus, & utinam hoc rete non in anno semel, sed quotidie expandamus in corde nostro, ad deprehendenda & mactanda infesta hæc animalcula. Et forsitan propterea naturæ author DEus circa viscera nostra rete quoddam texuit, ut inde moneremur, rete conscientiæ circa animas nostras gerere expansum. Sed vereor ne quam plurimi, ad instar piscatorum hujus Evangelii lacera & aliis defectibus obnoxia habeant retia, quæ nisi emendentur & illorum exemplo reficiātur, parum aut nihil proderunt. Hoc itaque nunc agamus.

B. I. *Conscientia perturbata.*

Primo, Retia aliqua sunt implexa & perturbata, ad captum inutilia. Et talis est conscientia, de qua Sap. 17. dicitur: *semper præsumit sæva, perturbata cōscientia.* Invenire enim est homines, qui cæco quodā furore horribilia aggrediuntur, quæ necessariò eis exitium aut ingens damnum famæ, pecuniæ vel vitæ allatura sunt. Talis fuit Pharao, qui intra liquidissimos maris rubri muros, certissimam ei mortem intentantes ingredi non timuit, ideoque ab illis obrutus est, Exod. 14. Tales & Hebræi, quibus licet Moyses ex Dei mandato præciperet, ne ascēderēt ad Chananæos impugnandos, quod res periculosissima esset [dum scil. facillime deturbari à superioribus inferiores ascendentes poterant] ipsi nihilominus *contenebrati*, id est, excæcati contumacia suâ, ascēdere conati sunt in verticem montis, factūque ut ab Amalecitis & Chananæis deturbarentur, & conciderentur, Num. 14. Multi hos sequuntur, qui in verticem gravissimorum scelerum velut insani contendunt, & inde in maximam perniciē corporis & animæ deturbantur. Multi qui cum Pharaone in præsentissima æternæ & quandoque temporalis etiam mortis pericula cæca mente ruunt. Inveniuntur qui se inebriant, & conscientiam suam exoculant, quo audacius horribilia perpetrent, fornicentur, vulnerent, occidant, vel etiam occidantur de quibus dicit Dominus, Matth. 6. *Exterminant* [Græcè, *demoliuntur*: Syriacè, *deturpāt*] *facies suas*, Hoc enim faciunt, qui faciem conscientiæ obnubunt vel à se ablegant, dum nolunt considerare, quid acturi sint & quid inde illis evēturum, similes Elephantibus, qui, uti scribit Pierius l. 2. hierogl. suammet speciem utpote turpem veriti, perturbant aquas, antequam inde bibant, ne suam intueantur in iis turpitudinem. Eadem in illis meticulositas facit ut pontem angustum transituri, aversi transeant ne vertigine involuti decidant, quemadmodum se vidisse Puteolis scribit Mutianus apud Plinium l. 8. c. 3. Tales vero quinam sunt, nisi qui retrorsum, id est, absque cōsilio prævio in peccata ruunt? quibus dicit Dæmon: *Mitte te deorsum*, quasi diceret: ne considera peccati turpitudinem, pœnas inferni, &c.

C. II. *Conscientia lacerata.*

Secundò, Alia sunt lacerata, quæ nullum piscem retinent, & talia erant retia Apostolorum, quæ in hodierno Evangelio reficiebant. Ejusmodi est Conscientia vitiorum ulceribus plena adeoque, peccatis omnibus pervia, quam Apostolus, 1. Tim. 4. *Cauteriatam* vocat conscientiam, id est, *eam, quæ sensum peccati amisit instar partis cauterio inustæ*, inquit Franciscus Turrianus in can. 44. Apostolorum. *Locus enim cauterio inustus priorem sensum amittit*, ait ibi Theodoretus. Tales ergo sunt infames, impudentes, stupidi & immutabiles, qui ob quævis peccata nullum in conscientia remorsum sentiunt, quia illis pleni sunt: Quemadmodum enim vesica piscis tota repleta nullum edit sonum, secus si tria vel quatuor tantum grana in turgidam immiseris: ita cor peccatis plenum non objurgat peccatorem, secus si pauca tantum deliquerit. Habent isti conscientiam peccatis æstuantem, qualem struthio-camelus stomachum, qui ob ejus calorem etiam ferrum absumit & concoquit, authore Bartholomæo Anglico lib. 12. c. 33. Pari enim modo inveterati malorum omnia scelera concoquunt: nulli ructus ex ciborum cruditate hoc est, nulli remorsus peccatorum enormitate cor eorum reverberant. Queritur de hujusmodi Deus Thren. 4. cum ait: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio.* Crudelis in Deum, proximum, seipsam, quia omni vitiorum genere semetipsum dirè cruentat. Et qui talis est, cauterio Dæmonis notatus est ad damnationem, quasi ovis ad macellum.

D. III. *Conscientia nimis ampla.*

Tertiò, Alia justo ampliora sunt, qualia sunt cervorum retia, per quæ lepores & vulpes inoffenso pede transeunt. Tales conscientiæ sunt, quæ majora tantum peccata observant, minora nihili æstimant, istis ergo transitum liberaliter indulgent, solis illis negant. Ita affecti sunt qui mandacia non vitant, nisi cum in alterius damnum cedunt, quemadmodum Darius Hystaspis ajebat: *ubi expedit mendacium dicere, dicatur*, Item juramenta nisi solemnitate vestita. Tales item qui furari divitibus pro nihilo habēt: qui se ebrios non reputant, nisi cum vomuerint instar canum, aut è convivio asportentur instar vitulorum, &c. Emendanda est talis consciētia quia pertinet

tinet ad spaciosam viam & latam portam, quæ ducit ad perditionẽ, Matt. 7. sicut enim in inferiore parte domus, ubi stabulantur equi, boves, canes, lata porta est: in superiore verò, qua hominum habitatio est angusta: ita & sensuales homines latam sequuntur Conscientiam: spirituales verò strictam. In cujus rei typum templum Salomonis, quà ingressus omnibus patuit, ostia habebat: Oraculum verò, qua Pontifici tantùm ingredi licuit, ostiola, 3. Reg. 6. Per hæc ostiola & angustam portam ingrediebatur S. August. qui l. 1. & 2. confessionis suæ, minima & pueritiæ suæ delicta deplorat, ut quòd cum coævis poma ex alienis hortis diripuerit, quòd ob ludum pilæ parentum monita neglexerit, quòd fabulas sectatus fuerit, spectacula adierit, &c.

E. IV. *Conscientia stricta nimis.*

QVARTO, Alia nimis stricta seu angusta sunt, quibus capiuntur Gobii aliique minimi pisciculi: hujusmodi cõscientiam habent, qui minima quæq; rimantur, & pro magnis habent, quique peccatorũ umbras timent, ut qui primos motus & indeliberatas cogitationes de re mala, qui involuntarias in oratione distractiones, qui fœda somnia pro peccatis habent. Talis Gedeon Iud. 6. & Manue cum uxore, Iud. 13. qui ex vulgi vana opinione moriendum sibi timuerunt, quod Angelum vidissent: non distinguentes inter Aspectum curiosum, qualis fuit in Bethsamidis, 1. Reg. 6. & pium, qualis in Iacob, Gen. 32. Non male istos dixeris similes esse capræ, quæ, ut ferunt, si alligetur ei pannus rubeus, ut videri ab ipsa posit, statum incipit claudicare, velut sauciam se reputet. Hac enim ratione quidam, ubi malam cogitationem primo intuitu aspexerint, jam se vulneratos, mortisq; filios putant; fitque ipsorũ culpa sæpe, ut revera vulneretur, adeoq; peccata fiant, quæ alioqui nulla sunt. Talis erat servus ille timidus Luc. 19. qui persuaserat sibi, Dominum suum [Deum] severum esse, & rigidum lucri exactorem, metere ubi non seminavit, &c. & interim talento sibi tradito lucrum non faciebat. Vnde audiit à Domino: *De ore tuo te judico serve nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollẽs quod non posui, & metẽs quod non seminavi: & quare non dedisti pecuniam meã ad usurã*

F. V. *Conscientia nimis fragilis.*

QVINTO, Alia sunt fragilia & humilia, quæ capiũt lepores & vulpes: sed à cervis transiliuntur, ab apris perrumpuntur: tales conscientiæ sunt, quæ parva peccata mactant, magna verò vivere sinunt; quo nomine taxantur à Christo Pharisæi, Matth. 23. quòd decimarent mentham & anethum & cyminum, & relinquerent, quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam & fidem. *Duces cœci*, inquit, *excolantes culicem* [è scypho videlicet] *camelum autem glutientes*; adhæc conscientiæ sibi ducebant intrare in prætorium ne contaminarentur, & interim non verebantur Christum iniquè occidere, Ioan. 18. scil. uti Leo Gallũ gallinaceum & ilicis folia timet, qui tamẽ alioquin *ad nullius occursum pavet*, Prov. 30. ita illi levia timebãt peccata, in gravia irruebãt quibus adhuc multos similes reperias, velut, qui mendacia summo studio fugiunt. blasphemare vero & detrahere non dubitant, item qui nec obulum volunt accipere, qui ipsis non debeatur, interim tamẽ usuras exercent; rursum qui in vigiliis jejunant religiosè, at in festis se inebriant. Quorum Conscientia similis est aranearum telis, quæ parvulas muscas retinent, sed à magnis lacerantur.

G. VI. *Conscientia sibi mitis aliis severa.*

SEXTO. Retia alia sunt eaque piscatorum, quæ in extremitatibus, qua parte attrahentibus vicina sunt laxa; in medio verò qua remotiora sunt, & in mare sese porrigunt, stricta sunt. Hujusmodi conscientias dico eas, quæ laxæ erga semet, strictæ erga alios sunt; sibi plurima indulgent, aliis interdicunt: in aliis reprehendunt, quæ in se non culpant, similes leoni, qui externum ignem metuit, eum tamen, quem in ossibus gerit, nec videt, nec metuit. Pier. l. 1. Hierogl. An non talis fuisse tibi videtur Alexander Magnus, qui Dionidem pyratam cum cepisset, & interrogasset cur maria infestaret & prædas ageret? hoc responsi tulit: *Ego quoniam id unica navicula facio, pyrata vocor, cum tu Alexander idem facias magna classe, Rex appellaris.* Plut. in Alexandro. An non talis ille magistratus, qui cum unius phialæ furem duceret, Diogenes id videns dicebat: *Ecce magni fures parvum ducunt*, Laërt. l. 6. An non talis illè consul, qui armentario vaccam perditam facilè condonavit, putans esse alienam: at ubi intellexit esse suam, rigide exegit? An non & herus ille, qui cum se inebriavit & vomuit, omniaque in domo evertit, rixis & clamoribus implevit, postero die rem salvam esse existimat, nec à quopiam veniam postulat: at si hoc idem famulus egit, eum domo sua exturbat, aut vehementius objurgat? Quamdiu Moyses virgam suam tenuit in manu, virgam credidit neque horruit: sed ubi eam abjecit, Draconem existimavit, horruit & fugit, Exod. 4. Ad eundem modum homines multi, quæ suis agunt manibus, non existimant peccata: quæ verò ab aliis geri vident, dracones esse putant, horrent & reprehendunt. Verùm hi, in quo alios judicant, se ipsos etiam condemnant. Tu ergò, Christiane, sartorem imitare, qui sibi aptaturus vestem prius eã alteri induit. quod facere Davidem docuit Nathan propheta, cùm Davidis crimen alteri impegit, quem cùm David exclamaret filium mortis esse, suggessit illi propheta, *Tu es ille vir*, 2. *Reg.* 12.

Omnes hæ conscientiæ reficiendæ & emendandæ sunt, si volumus in iis deprehendere vitia nostra. Prima quidem, quia ducit ad præcipitia animæ & corporis. Secunda, quia ducit ad impœnitentiam, Tertia, quia ducit ad præsumptionem; Quarta quia ducit ad desperationem; Quinta, quia levia vulnera sanat, lethalia relinquit; Sexta, quia sanat aliena, propria non sanat.

H. VII. *Conscientia bona.*

SVPEREST rete integrum, & suâ constans perfectione conscientia, inquam, bona, quæ sola deprehendit & enecat peccata, cõservat & tuetur à perditione animam, eiq; perpetuam affert tranquilitatẽ,

 ut vel

ut vel ipsi Gentiles agnoverunt. Bias enim interrogatus, quæ nam res in vitâ metu careret? respondit: *Bona cōscientia*; apud Max. Ser. 24. Socrates rogatus, qui nam tranquillè viverent? *Illi*, inquit, *qui nullius absurditatis sibi conscii*, Apud Antonium in Melissa p. 2. ser. 77. Periander requisitus, quid in minimo esset maximum? *Bona mens*, ait, *in corpore humano*, Hoc igitur rete, Auditores, sartum tectum semper studeamus conservare, quemadmodum fecit, & docuit nos S. Paulus, qui Act. 24. coram Præside Felice ait: *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper*, q.d. Totus sum in eo, ut inculpatè Deo serviam. Hoc ergò & nostrum, si non unicum, præcipuum saltem studium sit, ut rete conscientiæ sanum & integrum habeamus semper, ac si fortè casu aliquo laceretur, mox resarciamus cum Discipulis hodiernis, ut tandem etiam cum iis comprehendere vitam æternam possimus, Amen.

CONCIO II.

HOMINES COMPARANTUR Piscibus.

I. Pisces aquis immersi sunt.
II. Majores devorant minores.
III. Capiuntur variis astibus.
IV. A capite primum fœtent.
V. In Aqua fortes, in terra debiles sunt.
VI. Cauda natatum regunt.
VII. Norunt suas commoditates.

THEMA.

Faciam vos fieri Piscatores hominum, Matt. 4.

QVod olim DEO dixit Habacuc Proph. cap. 1. *Facies homines quasi pisces maris*, id in hodierno Evangelio confirmat Christus Dominus. Si enim suos Apostolos vocat piscatores hominum, utique non obscure homines vocat pisces. Et quidem rectè ac sapienter. Piscibus enim similes sumus, sive nostram spectemus generationem, quæ ex aquis est baptismi, sicut piscium generatio ex aquis elementaribus, sive calamitates & tentationes, quibus in hoc mundo nunquam non jactamur: sicuti pisces in mari agitantur tempestatibus, sive multitudinem & varietatem ordinum, graduum complexionum, linguarum, familiarum, cujusmodi varietas cernitur etiam in piscibus, sive denique mores & vivendi rationem, quæ in multis convenit cum ea, quam observant pisces, uti mox videbimus quoniam ad nostram instructionem non parum facere videtur.

B. I. *Pisces à quis immersi sunt*

Primò, pisces aquis toti immersi sunt, vagantur & oberrant, ludunt & discurrunt celerrime, quasi maximis negotiis expediendis occupentur, interim tamen nihil agunt aut efficiunt: Ita plerique homines mūdi curis & voluptatibus immersi sunt, vagantur & discurrunt, lucris, honoribus, divitiis inhiant, interim nihil efficiunt & vacuas referunt manus, uti sentient in morte, à qua sæpè obruuntur insperatò. Audi Senecam l. 1. Epist. 1. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Domitianus Imperat. teste Suetonio in ejus vita, molem Imperii Romani sustinens, cū negotia maxima tractare deberet, quotidie horas aliquot impendit muscis capiendis, & stylo configendis. Vnde natum scomma in ipsum: *Ne musca quidem*, [videlicet cum Imperatore est] quare vicissim ab Oeconomo suo occisus est. Heliogabalus Imperator jussit totâ Româ araneas earumq; telas conquiri & ponderari, ut sciret quantum, omnium pondus esset, & quantus Romanorum populus, inde colligeret. Ita plurimi mortalium tempus, quod æternitati impendere deberent & negotio salutis, utique plusquam imperiali, vanissime consumunt, ludentes & exultantes, negotia vertunt in otio, feria in nugas. Muscam enim captant, cùm gloriam & dignitatem ambiunt. Araneam venantur, cùm gulæ & Veneri inhiant. Aranearum telas quærunt, cùm vestes pretiosas ambiunt.

Cæterùm pisces aliqui quandoque saltus dant super aquas, nec semper iis inhærent, videlicet qui squamas habent & pinnulas, & hi mundi declarantur, Levit. 11. Alii immundi. Ejusmodi pisces mundi sunt, qui squamis, id est, gravitate & morum, & pinnulis, id est, sensibus superna cogitantibus præditi sunt, *qui subinde secretum contemplationis petunt, & undis sæcularium curarum supernatant, quique mentis saltibus ad superna conscendere sciunt, ut eos amoris summi quasi liberi aëris aura contingat*, ut ait Sanct. Gregor. lib. quinto Moral. cap. sexto. Sic Magdalena septies in die ab Angelis elevata in altum. Sic monentur Sacerdotes in septem horarum penso septies in die cor suum elevare. Et David licet regiis negotiis occupatus, ait: *Septies in die laudem dixi tibi*, Psalm. 118.

C. II. *Majores devorant minores.*

Secundò pisces majores juxta Polybii proverbium lib. 15. histor. *glutiunt minores*, tametsi ejusdem speciei, quod non faciunt alia animalia, ut S. Basil. homilia septima Hexameron, ait: *Major pars piscium liguriunt alter alterum, & minor apud illos esca majoris est, & si evenerit ut is, qui minorem superaverat, alterius præda fiat, ambo tum simul deglutiuntur, & una ultimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferimus inferioribus?* Hinc in proverbium abiit: *Vita pisciū*, cum scil. alter alterum suæ speciei cōficit & vorat. Atque hoc est, quod queritur Habacuc cap. supra cit. *Quare taces*, inquit, *devorante impio justiorem se, & facies homines quasi pisces maris?* Et quoties hoc contingit? quot divites & potentes suis usuris, exactionibus, litibus protractis opprimunt, exsugunt, & fatigant pauperes, ut tandem bona sua

illis divendere & litem deserere cogantur? Verùm si pisces minorum voratores tandem & ipsi vorantur à majoribus, cujusmodi balænam vidimus non ita pridem, vasti corporis exossatam, quæ præter alios pisces, aliquot delphinos tenuerat in alvo, quando capta fuit: Quid mirum si idem contingat hominum prædonibus? Hinc illud Isaiæ, cap. 33. *Væ qui prædaris: nonne & prædaberis?* Assyriorum regnum & opes exhauserunt Babylonii, hoc voraverunt Persæ & Medi, hos rapuerunt Græci, Græcos Romani, Romanos Barbari, Gothi, VVandali, Alani, Longobardi. *Quis optat hæreditatem,* ait S. Augustinus in Psalmum sexagesimum quartum, *nisi morte alterius? quis optat lucrum nisi damno alterius? quàm multi aliorum defectione cupiunt sublimari? quàm multi ut emant, optant alios vendere res suas? quomodo se invicem opprimunt, & qui possunt devorant? Et cum devoraverit unus piscis major minorem, devoratur & ipse à majore.* Et in Psalmum trigesimum octavum, *Vide ne fortè cùm vis esse præda minoris, sis Præda majoris.* Certe tandem mors devorabit omnes, & suo ventre sepelicet.

D. III. *Capiuntur variis astibus.*

Tertiò, *sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo*, ait Sapiens Ecclesi. 9. Capiuntur autem pisces Primò curiositate. Solent Euboici piscatores de prorâ piscibus fallẽdis laternas quasdam suspendere, quæ etsi intra se ignem habent, sic tamen lucem transmittunt, ut ignis quidem obtegatur, lumen verò transluceat. Cum ergò pisces splendorem timeant, & mirentur, propius accedunt cognituri quidnam sit quod vident: eò animadverso magis adhuc timent, unde simul conglobantur frequentes ad saxum aliquod, ibique hærent stupefacti, aut ad littus impulsi exiliunt, ubi facilè est eos configere tridente. Anton. de Ballingh. in Zoop. Similes his curiosi homines, quia omnia indagare volunt, fiunt præda Dæmonis. Hinc enim lapsus primorum parentum: hinc pleræque hæreses, hinc quotidiani lapsus juvenum & juvencularum, veluti illius Dinæ, ob suam curiositatem raptæ & oppressæ, Gen. 34. Secundò, capiuntur escâ modicâ, sub qua latet hamus, similiter & homines, dum ad voluptatem tantum, licet modicam, attendunt, hamum vero latentem non vident, capiuntur à Diabolo. Vnde Plato voluptatem vocabat *Escam malorum.* Ambulat Diabolus juxta mare hujus mundi, & capit heu innumeros, quia Escam porrigit gustui placentem, sed quæ mox hamum remorsus infigat, & ad extremum mortem inferat. Ambulat juxta mare Christus, neque hamo aculeato, sed reti Evangelii sui piscatur, nec ut mactet, sed ut vitam det: & quatuor tantum pisces capit. Ita plures nimirum carnificem sequuntur dæmonem, quam salvatorem Christum.

E. IV *A Capite primum fœtens.*

Quartò, piscis primum à capite incipit putere juxta Græcorum proverbium, ita & respublica à rectoribus ferè incipit everti, qui si ignavi & remissi sunt ad pietatem & virtutem, inde vitiorum putredo derivatur in totum ejus corpus. Deplorat & reprehendit hoc in populo Israelitico Isaias c. 1. *Omnes caput languidum,* inquit, *& omne cor mœrẽs. à plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Loquitur de illo populo quasi esset corpus, per caput intelligit regem, per cor Sacerdotem. Volens ergò ostendere causam corruptionis populi, præmittit corruptionem capitis & cordis, quasi diceret, quia caput & cor languet, inde totum corpus. Propterea prima cura adhiberi capiti debet. Hinc cum Fridericus Trajectensis Episcopus inter epulas à Ludovico Pio Imperatore admoneretur, ut absque ullo personarum respectu jus diceret: *Rectè mones*, inquit, *sed & illud à te scire cupio, utrum piscem hic appositum, à capite an à cauda aggredi deceat?* Cum Imperator à capite tanquam præstantiore parte inchoandum respondisset, subintulit ille: *Ergò & tu imperator renuncia prius incesto conjugio quod contraxisti.* Sic aliqui apud Baron. Anno 838. Tymp. in spec. magistr. fig. 62. Ita sanè fecit Moyses: quando enim eo absente populus peccarat adorando vitulum, Exod. 32. corripuit Aaronem eorum Sacerdotem & rectorem his verbis: *Quid tibi fecit populus hic: ut induceres super eum peccatum maximum?* En excusat populum & arguit rectorem. Quid tibi fecit populus? quomodo te offendit &c. Par ratio est in Republicâ. Carolus Quintus Imperator dum urbes lustraret ad tria potissimum solebat respiceret, ad horologium, templum & plateas, colligens ex his rectorum diligentiam. Horologium urbis est magistratus, qui nisi rectè ambulet, necesse est urbs tota pessum eat. Vnde idem Imperator tria P. quærere solebat Ecquis in urbe esset Prætor, Pastor, Præceptor, Corn. à Lapide in Isaiam. c. 3.

F. V. *In aquâ fortes in terrâ debiles sunt.*

Quintò pisces in aqua fortes, fugaces, indomiti & rebelles sunt [omnium enim minimè cicurari possunt pisces] sed si in terram extrahantur, viribus pene omnibus destituuntur, palpitant & citò extinguuntur: ita mũdi sectatores dum vivunt, audaces, præsumptuosi, exleges, & indomiti sunt, ast ubi lethali aliquo morbo capti, è mundo ejusque voluptatibus extrahi se sentiunt, tum hæret illis aqua, tum concidere animo, horrere & tremere legesque acceptare incipiunt. Mementote illius piscis qui in Tigri adhuc natans, aperto ore quasi devoraturus Tobiam invadebat; Tob. 6. quem fugiens Tobias ad comitem suum: *Domine,* inquit, *invadit me.* Verum postquam piscis ille comitis hortatu branchiis apprehensus & in siccum tractus est à Tobia, cœpit palpitare ante pedes ejus. Tales sunt in mundo plurimi, qui dum bene valent omnibus infesti sunt, omnes devorare volunt nullasque leges curant. Verum ubi mortis angustiis occupati extrahuntur ex hac vita in alteram, tum incipiunt palpitare ante pedes DEI, inducias postulare, veniam rogare, preces aliorum implorare &c. Hoc videtur

C. II. *Majores devorant minores.*

videtur voluisse David cum Psal. 9. ait *Constitue Domine legis latorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt*, quasi diceret: nesciunt isti homines tumidi & feroces, esse se homines ab humo scilicet dictos, & natos, [Hebraice habetur Enos, id est, ærum nosos & infirmos] itaq; constitute super eos legis latorem [Chaldaice habetur, incute eis terrorem] quasi diceret; Doma eos timore mortis veluti gravi infirmitate. Sic domuit DEus Antiochum, qui *sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia elatus & montium altitudines in statera appendens &c.* Huic feroci pisci incussit DEus terrorem, grandem scilicet infirmitatem, tantum viscerum dolorem, ut de corpore ejus vermes prodirent carnibus diffluentibus fœtorque intolerabilis, & tum demum agnovit se mortalem, dicens: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem Deo non paria assentire*; Cœpitque implorare Dei & Iudæorum opem, quos antea afflixerat, lamentari sortem suam &c. 2. Machab. 9. Ita Alexander M. orbis vastator credens se immortalem, ad extremum, *decidit in lectum & cognovit, quia moreretur.* 1. Machab. 1. Ita Nantius comes Engolismensis, ut refert S. Greg. Turon. lib. 5. Hist. Franc. c. 36. qui cum in sancta loca Deiq; ministros mala multa patrasset, à morbo correptus & nimiâ exustus febre, clamavit dicens: *Heu heu ab Heraclio antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor, Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse pontifici, mortem deprecor ne diutius cruciet hoc tormento.* Hæc clamans infelicem animam fudit & corpus exanime nigerrimum, quasi ustulatum fuisset, reliquit. Hæc fere Greg.

G. VI. *Caudâ natatum regunt.*

Sextò, pisces caudâ suâ, quasi clavo & temone regunt natatum, indeque didicerũt homines naves gubernare. Sic homines vitæ suæ cursum dirigere deberent meditatione mortis & novissimorum: quo pacto non facilè impingerent, aut à viâ salutis aberrarent. Quare non frustra DEus Exod. 29. jussit sibi unà cum adipe arietis adoleri caudam ejus. Voluit enim per hoc monere, ut omnes nostras delicias, cupedias, delectationes & actiones moderemur & temperemus meditatione mortis. Nec frustra præcepit Moysi Exod. 4. ut serpentem caudâ apprehenderet, hoc enim facto, serpens mutatus est in virgam, qua deinde Moyses mirabilia patravit, & Pharaonem domuit. Serpens hic peccatum denotat, caput ejus suggestio est, caudâ vero mors. Serpentem caudâ arripimus, cùm mortis meditationi incumbimus, quæ nobis meditatio plurima commoda afferet & diabolum expugnabit.

H. VII. *Nôrunt suas commoditates.*

Septimò, pisces nôrunt sua loca & tempora ad excludendos fœtus aliasq; suas functiones idonea. Nam æstate ex variis maris finibus confluunt ad mare Aquilonare, Pontum scilicet Euxinum, quòd aqua ejus dulcis sit pariendæ & nutriendæ proli apta: mox tamen hieme adventante rursum agmine facto domum se recipiunt eò quòd pontus ille hieme frigidior sit, quàm ut ferri ab ipsis queat, S. Basilius hom. 7. in Hexam. scribit se hoc vidisse. Rursum Aristotele authore, lib. 2. de animalib. c. 12. *Pisces per hiemem ex alto in littore tepotis gratiâ veniunt: Contrà æstate ex littore in altum, vitantes æstum discedunt.* Nôrunt ergò pisces fugere frigus & æstum, & eligere sibi loca commoda; & nesciat aut nolit fare hoc homo? Profectò horrendum stagnum minatur DEUS improbis Apocal. 21. *Timidis*, inquit Ioannes, *& incredulis & execratis*, [id est execranda patrantibus] *& homicidis & fornicatoribus & veneficis & Idolololatris & omnibus mẽdacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure.* Et rursum c. 20. dicitur: *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* In illo igitur stagno, quod ex sulphure undique eo confluente incenditur, & ardebit velut liquidum metallum, natabunt miseri illi pisces, & alii quidem toti immersi erunt, ut nec clamare queant, velut graviores peccatores: alii capite extabunt, veluti minores, qui clamare poterunt, sed quorum tamen clamores erunt lamentabiles. Maledicent enim & execrabuntur. Primò seipsos, quod sibi causa fuerint tantorum suppliciorum; Deinde DEum quoque quòd ab ipso conditi; postea parentes, quòd ab ipsis geniti: tum malignos spiritus, quod ab ipsis seducti; post hæc socios suos, quòd ab ipsis allecti: denique creaturas omnes, quòd ab ipsis quoquo modo ad peccandum adjuti sint. Et erit igitur aliquis qui non fugiat hoc stagnum? Quis quæso non fugit incendium cum domus incipit cremari? Audite exẽplum. *In Arles (Provinciæ civitatem hoc nomine appellant) quendam Ioannem Berle fuisse acepimus* [scribit P. Lud. Richeomus in valedictione animæ coll. 5.) *qui cùm admodum lõgo tempore à medicis deploratus, lecto affixus, ex paralysi jacuisset, quadam die in domo suâ ignem conspicatus fuit. Qui cum jam jam tabulatum cubiculi sui lamberet ac popularetur, repente ille horrore perfusus, & jam mortem sibi instantem animo imprimens, ita spiritus animales perculit, nervorumq; contractorum modos abrupit, confestim ut lecto exilierit, & fenestra fortè fortuna prehensà animose per eam saltu se ejecerit, & velut metu ac terrore persequente & ignem & paralysin diuturnam effugerit,* Quid faciat igitur unusquisque ut gehennam effugiat? Quis non vincula peccatorum, pravorum suorum habituum omniumque impedimentorum fortiter abrumpat? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* inquit Isaias cap. 33.

CONCIO III.

CUR ELEGERIT CHRISTUS homines simplices, abjectos & pauperes in Apostolos.

I. Vt appareret mundi conversionem à Deo venire.
II. Vt mundi fastus confunderetur.
III. Vt persuaderetur mundo doctrina Evangelica.
IV. Vt pateret neminem à Deo repudiari.
V. Vt Apostoli & sequaces in humilitate contine-rentur.
VI. Ne in electionibus haberetur ratio fortunæ, sanguinis &c.
VII. Vt ostenderet munus Apostolicũ esse laboriosum.

THEMA.

Erant enim piscatores, Matth. 4.

MIrum multis videtur quamobrem elegerit Christus piscatores & horum similes, abjectos, rudes, Pauperes, in Apostolos suos. Cum enim mundus tria illa potissimum mirari & colere soleat, sapientiam, potentiam, nobilitatem: aversetur autem simplicitatem, impotentiam, ignobilitatem; quid est, quòd non elegit tales, qui mundo placituri essent? Blasphemus ille Iulianus Imperator more suo etiam in hoc carpere Christum ausus est, cum dixit, Christum ideò rudes & imperitos elegisse piscatores, ut facilius eis imponeret. Quàm tamen execrandam blasphemiam uti & alias quam plurimas in Christum vibratas satis superque revocavit, cum vibratâ in se desuper lanceâ exclamavit contra illum: *Vicisti Galilæe.* Quare nunc indagemus, quo consilio id fecerit Christus.

B. I. *Vt appareret mundi Conversionem à Deo venire.*

Primò, Vt appareret opus conversionis mundi non humanum, sed divinum esse; & sic DEI gloria amplificaretur. Sic 1. Cor. 1. dicitur: *Ignobilia mundi & contemptibilia elegit DEus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Itaq; nova bella elegit Dominus, ut dicitur Iudic. 5. Emisit enim oves in lupos, ad capiendum illos; lepores in canes, pauperes in divites, impotentes in potentes, ignobiles in nobiles, rudes in doctos. In hujus rei figuram, Iudic. 7. trecentos viros ignavissimos [si Theodoreto credimus q. 15. super 16. Iudic.] qui canis instar è Nilo, aquam lamberant; elegit DEus ad expugnandos Madianitas: *Ne glorietur contra me Israel, ait Dominus & dicat, Meis viribus liberatus sum.* Qui etiam pro armis non nisi tubis vacuis, & lagenis testeis usi sunt. Tanto magis excellentia artificis laudatur, quanto ineptioribus instrumentis res fabricat præclarissimas: velut qui calamo rudi & fracto scribit, quam qui integro & idoneo: qui ex sclopeto curvo bene jaculatur, quàm qui ex recto. Ita tanto magis claret DEI gloria in mundi conversione quanto rudioribus Apostolis ea facta est. Dixissent alioquin homines: non mirum, si hoc effectum est, fuerunt enim legati sapientes, potentes, nobiles ad opus hoc adhibiti. Iam verò quis non miretur & prædicet Christi virtutem, qui per piscatores cepit Oratores? Hac de causa S. Paulus 2. Cor. 8. Apostolos vocat *gloriam Christi.*

C. II. *Vt mundi fastus confunderetur.*

Secundò, Vt mundi fastum & inflatam sapientiam confunderet. Hæc etiam ratio affirmatur, 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapiẽtes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Quemadmodum enim inflato alicui discipulo, qui nihil non scire sibi videtur, opponit Ludimagister aliquem multo juniorem, qui nuper primum scholam ingressus est, ut illius superbiam retundat: sic per piscatores cõfundit DEus Philosophos & Oratores. Inflabant isti tubas suas: & vix paucos pertraxêre ad sectas & scholas suas. Inflabant Apostoli tibias suas pastorales, & orbem ad se traxêre. Illi cum tanta eloquentia, & argumentandi peritiâ res tam plausibiles vix paucis persuasêre; hi verò res difficillimas non difficilè. Et hoc est, quod figuratè indicabatur per maxillam asini, quâ fortissimus ille Samson interfecit mille viros, Iudic. 15. teste D. Greg. lib. 13. moral. cap. 6. qui ait: *Samson maxillam asini tenuit & hostes peremit: quia redemptor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitijs sus carnales interfecit.* Præscripserat jam olim Deus hominibus tabellam omni sapientiâ plenam, mundi scilicet stupendam fabricam & gubernationem, quia verò ex hac non cognoverant Deum: idcirco per homines rudes, & stultos coram mundo erudire eos voluit: Hoc est quod Apostolus ait, 1. Cor. 1. *Quia in Dei sapientiâ, non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Refert Sextus Iulius, lib. 4. stratag. Bellicosum quendam Ducem, cum nullâ armorum vi Iresenses suo subjugare imperio posset, pactis cum hoste induciis, milites aliquot suos laceris induisse vestibus & intra vestes illas gladiis armasse, sicque ab hoste petiisse, ut ægros saltem miltes recipere in urbem vellet. Quo impetrato, misit pannosos illos milites, qui urbem ingressi prolatis armis in cives grassabantur, & ita suppetias ferentibus, qui urbem obsidebant, civitate sint potiti. Simili fere stratagemate usus etiam Christus est in expugnatione mundi: submisit enim viles, rudes, & imbelles Apostolos: qui tamen gladium verbi DEI sub laceris suis palliolis reconditum gerebant, eoque prolato tantam edidere stragem, ut tandem mundus Christo cedere coactus sit.

D. III.

Tertiò, Vt facilius persuaderet mundo doctrinam Evangelicam, quæ inprimis docet & commendat

dat

Vt persuaderetur mundo doctrina Evangelica.

dat paupertatem, humilitatem, simplicitatem, & vitæ asperitatem. Quomodo autem divites persuaderent aliis paupertatem, nobiles & delicati humilitatem & vivendi asperitatem? astuti simplicitatẽ? Et enim *homines plus oculis quàm auribus credunt: & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla*, inquit Seneca ad Lucilium. Patet id vel ex fabulâ illa de lupo & hædo. Cũ enim capra pastum itura hædum domi conclusisset, monens nemini aperiret, donec ipsa rediret, lupus qui id procul audierat, post matris discessum, pulsabat fores, voce caprisans & aperiri jubens. Hædus dolum præsentiens: *non aperio* inquit: *Nam etsi vox caprisat, tamen ego per rimulam lupum video*, Ad eundem modum, non aperuisset mundus pulsantibus Apostolis, si voce tantum caprisantes audisset, interim tamen lupos vidisset, quod etiam cæteris facit. Prædicatoribus, quorum mores à doctrinâ dissonant. Hæc etiã causa indicatur 1. Cor. 1. cum enim dixisset Apostolus, prædicare se crucem Christi, Iudæis quidem scãdalum, gentibus autem stultitiam; subdidit: *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, &c, sed quæ stulta sunt mundi elegit DEus*, quasi diceret, quia Deo placuit per stultitiam crucis superare & subdere sibi mundi sapientiam, idcircò, etiam consimiles elegit prædicatores, quia nimirum ob suam simplicitatem, paupertatem & vilitatem stulti coram mundo erant, & ab his mementote vos ad fidem conversos esse. Quis nescit plus valere testimonium duorum eandem veritatem contestantium, quàm si unus affirmet & alter neget? At si temulentus sobrietatem prædicet fastuosus humilitatem suadeat, litigiosus pacem, &c. nonne unum testem adfert affirmantem, alterum negantem? Asserit enim labiis, & negat factis.

E.
IV.
Vt pateret neminem à Deo repudiari.

Quartò, ut ostenderet se neminem mortalium repudiare quantumvis rudem & vilem, quia non tam considerat quales simus, quàm quales ipse nos efformare possit: *Sicut artifex*, ait S. Chrysost. hom. 7. oper. imperf. *Si viderit gemmas pretiosas & non dolatas, eligit illas, non quòd sint, sed quòd fieri possint, habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit: Sic Dominus videns Apostolos, non opera eorum elegit, sed corda, nec quasi Apostolos elegit eos, sed quia Apostoli poterant fieri.* Transit aliquis hodie juxta ædes sculptoris, & videt ibi jacentes truncos, rudes & nodosos: transit fortè post mensem, & videt eos formatos in statuas elegantes. Trunci prius erant Apostoli, sed manu artificis supremi, brevi in statuas pulcherrimas sunt effecti, Proverb. 26. dicitur, *sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij*, hoc est: qui ponit lapidem pretiosum in statuam Mercurii, quæ ostendent viam iter agentibus: *ita quia tribuit insipienti honorem*: quasi diceret, male utrumque collocatur, quia dignitas aut honor non reddit quem sapientem aut idoneum: Sed Christus poterat id facere; unde rudes & ineptos potuit eligere in Apostolos & de facto elegit, qui aliis errantibus viam salutis ostenderent.

F.
V.
Vt Apostoli & sequaces in humilitate continerentur.

Quintò, Vt partim Apostolos, partim eorum successores, Episcopos & prædicatores in humilitate contineret. Cum enim periculosissimum sit munus Episcoporum & concionatorum, tunc præsertim, quando bene & cum laude exercetur (semper enim adsunt, qui occinant illud: *Euge, Euge*) ideò elegit tales in Apostolos, qui præsentissimum haberent remedium humilitatis contra venenum vanæ gloriæ. Quando enim cogitabant quales olim fuerint, & quòd non suis meritis, aut industria, sed Dei munere dignitatem illam consecuti sint, quomodo non dimittere flabellum cum pavone debebant? Vnde Aug. serm. 59. de Verbis Domini ait: *Magna artificis misericordia. Sciebat enim quòd si eligeret senatorem, diceret senator. Dignitas mea electa est, si eligeret divitem, diceret dives, opulẽtia mea electa est, si regem, diceret rex: Potestas mea; si oratorem, Eloquentia mea, si Philosophum, sapientia mea electa est, &c. Da mihi tu prius istum Piscatorem, veni tu pauper: nihil habes, nihil nosti, sequere me*, sic ille. Idem præservativum servit omnibus Pontificibus & Prælatis, qualescunque enim sint, piscatorum successores sunt, uti bene agnoscunt Romani Pontifices, qui annulum suum signatorium, annulum piscatoris vocant in omnibus rescriptis, & pro symbolo sigilli Petrum piscantem gerunt. Notissimus etiam est hoc nomine Viligisus Archiepiscopus Moguntinus, qui idcirco rotam in suis ædibus pungi cum hac inscriptione voluit: *Viligise memento qui sis & qui fueris*: eandemque in insignibus suis prætulit quod patre Rhedario natus esset, teste Nauclero. Ad hunc modum intueri possunt Clerici in dignitate constituti Patriarchæ sui retia juxta Apostolicum monitum: *Videte vocationem vestram, quia non multi nobiles &c. sed quæ stulta mundi elegit Deus.*

G.
VI.
Ne in electionibus habeatur ratio fortunæ, sanguinis &c.

Sexto, Vt doceret in electionibus præsertim Ecclesiasticis non habendam rationem generis, opum, formæ, sanguinis: ideoque Petrum etiam ad apicem summi Pontificatus extulit, non Iacobum aut Ioannem qui tamen ejus propinqui erant. Quod hodie sæpè non observatur. Vnde fertur Rex Ludovicus, uti refert Holcot in lib. sapientiæ lect. 120. quendam interrogasse, cur non fierent modò miracula per Episcopos & Prælatos, sicuti olim fiebant in Ecclesia Primitiva? Cui respondit alter causam esse, quod olim electiones Episcoporum & Prælatorum per Spiritum Sanctum, cujus est facere miracula, fieri solerent, modò autem fierent per reges & principes, qui facere miracula nequeunt. Sanctus Vdalricus, ut quietius sibi & DEO vacare posset, eò adlaboravit ut Adalberonem nepotem ex sorore ad Episcopatum suum promoveret. Qui tamen ingratus avunculo insolenter se gerebat. Propter quod factum S. Vdalricus pœnitens, quadam vice veluti de somno evigilans dicebat

cebat coram aliis: Heu, Heu, quòd illum Adalberonem nepotem meum unquam vidi, quia pro eo, quòd ei consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Berno Abb. Augiensis in vitâ.

H. VII. *Vt ostenderetur munus Apostolicum esse laboriosum.*

Septimo, Ut ostenderet munus Apostolicum & Pastorum esse laboriosum, forti indigere dorso ac multo labore, quemadmodum & munus piscatorum; nec ad quietem, sed potius ad laborem vocatos esse Sacerdotes: magnamque illis habendam esse patientiam. Quis autem nescit quantum laboris sustineant piscatores, quantam habeant patientiam cum piscantur? Nonne totos dies & noctes laborant & patienter expectant, donec aliquid capiant. Nonne ipsi aliis sedentibus & dormientibus, in navi vigilant & remos trahunt? Idem etiam Clericis, Pastoribus præsertim incumbit onus; & qui se ab eo expedire machinantur, vocationi suæ adversantur. Hinc Timotheo Episcopo scribit Apostolus, *Tu verò vigila, in omnibus labora*, (græcè, mala sustine & obdura) quasi diceret; esto, alii dormiant, vel fabulas tractent; tu verò vigila, 2.Tim.4. Beato Petro Damiani quod Cardinalatu & Episcopatu Ostiensi relicto ad monasterii quietem se reciperet, exprobrabat Hildebrandus Cardinalis, qui posteà Pontifex Gregorius Septimus creatus & dictus est. Ecce Petrus, inquit, latibulum quærit, & sub colore pœnitentiæ Romæ subterfugere quærit accessum: lucrari machinatur de inobedientia otium, & cæteris in bella ruentibus hic sibi degeneris umbræ quærit opacum. Cui respondit Petrus, sibi pro refutato Episcopatu injunctam à Pontifice fuisse centum annorum pœnitentiam, ita ut quotidie recitando psalmum Miserere, faceret interim disciplinam, idque per annos centum, si tot viveret: quam pœnitentiam ipse uno anno redemit, faciendo nimirum quotidie centies dictam disciplinam. Uti scribit ipse in Ep. sua 10. ad Alexandrum pontificem, & Hildebrandum Card. & alibi. Expendant parumper Clerici, quid laborum pertulerint Apostoli in disseminando per orbem Evangelio: quantũ item successores eorum sancti patres, Athanasius in Alexandriâ, Chrysostomus Constantinopoli, Basilius Cæsareæ, Ambrosius Mediolani, Augustinus in totâ Africâ, Gregorius Romæ, &c. Hi illorum prodromi & præcessores quid aliud eis occinunt, nisi aut strenuè laborandum, aut deponendum, quod gerunt officium? Meminerint Sacerdotibus in veteri lege decretum fuisse à Deo pectusculum & armum, Exod. 29. ut scirent se Deo debere reddere pectus suum & armum, id est, brachium dextrum; fortissimè sustinendo omnia adversa, & labores adeundo pro creditis sibi ovibus. Talis piscator fuit S. Sylverius Papa & Martyr, qui ab Augustâ Eutychianâ per Belisarium ejectus in Pontiam Insulam, ita scribit ad Amatorem Episcopum: *sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.* Talis S. Ioann. Chrysost. qui in exilium ejectus, quòd vitia liberè carpsisset, cùm Isaurorum incursus, febrem validam, nocturni itineris pericula sustineret, scripsit epist. 130. *Nec obsidione, nec latronum incursibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turbâ dejicior aut conturbor.* Talis S. Carolus Borromæus, qui ab Archiepiscopo Valentino monitus ut sibi parceret, nec laboribus nimiis vitam abbreviaret, rescripsit. *Nimis delicati hominis nedum Episcopi est, à muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est, administratione & cura, aut valetudinis studio retardari, aut mortis formidine deterreri*, ut in ejus vita lib. 8. cap. 21. Omnes verò hoc in genere excellit S. Andreas, qui in ipsa cruce biduo pendens non destitit prædicare populo, quamdiu Spiritum habuit, &c.

CONCIO IV.

HÆRESIARCHÆ NOSTRI temporis eorumque sectatores cujusmodi sint piscatores.

I. *Piscati sunt in cœlo.*
II. *Piscati sunt in SS. Bibliis.*
III. *Piscati sunt in Ecclesia.*
IV. *Piscati sunt in templis.*
V. *Piscati in monasteriis.*
VI. *Piscati in imperio & Republica.*
VII. *Piscati in Purgatorio.*
VIII. *Piscati in inferno.*

THEMA.

Faciam vos fieri piscatores hominum, Matth. 4.

A.

Videtur Auditores, Germaniæ nostræ contigisse, quòd olim tempore Habacuc contigit Iudæis, Habacuc 1. qui cùm adeò depravati essent, ut nullus penè inter ipsos juri & rationi locus esset, decrevit Deus immittere eis gentem Chaldæorum velocissimam, quæ veluti piscator eos caperet & puniret. De eâ enim vel ejus Rege Nabuchodonosore dicitur Habac. 1. *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua & congregavit in rete suum*, q. d. cepit omnes vicinas gentes, indeque mire exultans *immolavit reti suo*, id est, armis & industriæ suæ, hoc acceptum tulit. Quibus minis territus Habacuc Deum precari cœpit, ut suum populum quasi filium virgâ corriperet, non gladio interimeret, eò quod minora essent peccata Iudæorum sceleribus Chaldæorum; idque non solum obtinuit, sed præterea intellexit exterminandos esse Chaldæos, postquam ab illorum tyrannide Iudæi puniti fuerint, Habac. 2. Quid aliud evenit Patriæ nostræ, quando ad exortum Lutheri pietatem & Iustitiam susque deque habuit? Tunc enim immisit Deus in eam, gentem

velocem & piſcatores improbos, Lutherum,Calvinum, & ſimiles, qui brevi ſanè tempore totam penè Germaniam cum vicinis terris hamo ſuo levarunt, & in rete ſuum traxarunt. De quo & mirum in modum exultarunt olim & exultant hodie eorum ſectatores, jactantes pro miraculo, quòd tam brevi tempore maxima pars Germaniæ ab ipſis ineſcata & capta ſit; quòd ſanè aliud non eſt, quàm immolare ſagenæ & reti ſuo: At verò nunc videmus deprimi paulatim hanc illorum ſuperbiam, & flagellum à dorſis filiorum transferri in dorſa hoſtium. Supereſt nunc ut videamus quales hi piſcatores fuerint.

B. I. *Piſcati ſunt in cœlo.* 1.

Primò, Miſerunt hamum ſuum in cœlum & inde abſtraxerunt primò Deo Myſterium SS. Trinitatis. Etenim Lutherus ex epiſtola Ioannis ſuſtulit illud: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Et ex Litaniis illud eraſit: *Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.* Diſplicet etiam Calvino nomen Trinitatis, nec alio vult invocandum eſſe Deum, quàm Patris nomine. Unde ſequitur Filium & Spiritum ſanctum non eſſe Deum, quandoquidem invocari non debent.

2. Secundò Chriſto ademit Calvinus Divinitatem & gloriam, dum aſſeruit ejus verba, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me,* fuiſſe verba deſperationis, ſenſiſſe cum dolores inferni, &c.

3. Tertiò, Sanctis abſtrahunt cultum, invocationem & feſtivitates: Calviniſtæ Angli natalem Deiparæ ſuſtulerunt, econtra natalem Eliſabethæ Reginæ ſuæ ſolenni apparatu celebrarunt; in ſuis etiam Synodis egerunt, ne Chriſti etiam Nativitas eſſet feſtiva, ut ex eâ patet, quam anno 1574. habuerunt Dordraci, can. 53.

C. II. *Piſcati ſunt in SS. Bibliis.*

Secundò, Miſerunt hamum in S. Biblia de cœlo nobis tradita, & inde expiſcati ſunt primò integros aliquot libros, qui ſcilicet contra ipſos faciunt. Lutherus rejecit libros Machabæorum, ut purgatorium & orationes pro defunctis, quæ in libris illis adſtruuntur, exſibilaret. Epiſtolam item Iacobi, quam *ſtramineam* vocat; quia nimirum illa fidem ſolam reſpuit, opera cum fide requirit. Epiſtolam Iudæ, quæ ſimiliter rejicit ſolam fidem & damnat eos, qui nullum niſi infidelitatis peccatum agnoſcunt. Epiſtolam item ad Hebræos. Apocalypſin quoque; quam & Calvinus rejecit; poſteriores tamen Calviniſtæ receperunt: ut inde probarent Romam eſſe Babylonem, & Papam Antichriſtum; ſed perperam & ridiculè. Taceo alios quoſdam libros, quibus vel modicam vel nullam tribuunt fidem, ut liber Tobiæ, Iudith, Eſter, Eccleſ. quos Iudæorum figmenta, Comœdias & Tragœdias appellat Lutherus.

2. Secundò, Expiſcantur inde ſententias & voces, quæ ipſis adverſantur, vel addunt pro ſuo libitu, vel depravant: v.g. ad Roman. 3. addidit vocem, *ſolam: Arbitramur hominem juſtificari per fidem.* Contrà 2. Petr. 1. eraſit bona opera, ubi dicitur: *Satagite ut per bona opera certam veſtram, &c.* Ex ſymbolo Apoſtolico ſuſtulit vocem, *Catholicam Eccleſiam*; & repoſuit, *Chriſtianam.*

3. Tertiò, adimunt eis verum ſenſum & affingunt alium; v.g. quod dicitur 1. Cor. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata eſt*; traxit Lutherus ad ſuam cupiditatem, quando mulierculæ alicui perſuadere tentavit, dormiente marito, poſſe eam ſibi copulari. Plena ſunt hæreticorum Biblia hujuſmodi depravationibus, ut à multis eis oſtenſum, imò à ſibi ipſis, dum toties mutarunt verſiones & gloſſas ſuas. Non curarunt illi, quid dixerit Deus Ier. 23. *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea.* Hoc enim faciunt qui verba Salvatoris ad ſuas hæreſes torquent, ait S. Hieron. ibid.

D. III. *Piſcati in Eccleſia.* 1.

Tertiò, Miſerunt hamum in Eccleſiam, & inde eripuerunt, primò bona Eccleſiaſtica, Epiſcopatus, Abbatias, monaſteria, canonicatus, parochias, una cum fundis, reditibus & juribus ſuis. Hanc enim poteſtatem Lutherus Principibus dedit; qui librum de fiſco edidit, in quo univerſum mundum hortatur, ut omnibus machinis non monaſteria tantùm, ſed univerſam Eccleſiam evertant. Illos in libro, quem ſcripſit contra ſtatum Eccleſiaſticum, veros Dei appellat filios, qui omnes ſuas vires ad Epiſcoporum ſubvertendum imperium conferunt. Quanquam poſteà lamentatus eſt hac de re ipſemet Lutherus (ut videre eſt in ſympos. Aurifabrici 4.f.596.) videns ex reditibus illis ad ſe & ſymmyſtas ſuos parum aut nihil accedere; ſed nimirum ignem, quem accendit, tarde nimis extinguere voluit. Lamentatus eſt & Lutheri filius, qui cum in familiâ alicujus principis, qui à Catholicâ fide defecerat, verſaretur, & tanquam non degener parentis filius ad Cantharos ſæpiùs, quàm ad libros vigilaret, reprehenſus ob eam bibacitatem à principe, id graviter tulit, ſuiſque compotoribus ſæpe queſtus eſt: ſuum parentem (Martinum Lutherum) illi principi tot ſpolia Clericorum, tot aureos argenteoſq; calices, tam ampla terrarum latifundia per ſuam doctrinam comparaſſe, & ſibi non permitti, ut nonnunquam bono hauſtu ſuum animum exhilaret. Refert P. Laur. Forer. in Luthero Thaumaturgo. arg. 6.

2. Secundò, Innumeras animas, Civitates, Ducatus, nationes & regna. His enim tot capiendis piſcibus ſuam cuique placitam propoſuerunt eſcam, Principibus bona Eccleſiaſtica, Religioſis nuptias; Populo libertatem Epicuream à legibus Eccleſiaſticis, rigore pœnitentiæ, &c. Et quo modo non arriperent hamum tam opiparum, piſces præſertim ſtulti? Sic falco vinciendum ſe aucupi præbet, ut cibum conſequatur, & beſtiæ etiam maximè feræ facilè cicurantur ab iis, qui partem prædæ in venatione captæ iis faciunt. Promoverunt interim etiam egregiè res Turcarum, ut Tranſylvaniam & Hungariam pene totam amitteremus, dum ſuis ſeditionibus Imperium turbarunt, & Imperatori contra Turcam auxilium negarunt, imò ipſimet arma intulerunt, & titulum imperialem detraxerunt. Notus eo nomine

Saxo,

Saxo, qui laudatissimum Imp. Carolum V. non nisi Carolum Grandaniensem vocabat: *Carle* von Gendt.

3. Tertiò Pietatem & Virtutum exercitia, bona opera, Sanctiones Ecclesiasticas, Sacramentorũ usum, Consilia Evangelica & vota omnia, &c. Pudet quidem nunc hæreticos hujus suæ doctrinæ, ideoque admittunt & commendant bona opera; interim tamen asserunt non esse meritoria apud Deum, sed esse peccata mortalia, & ex suâ naturâ digna æternis flammis; quod aliud non est, quam si Circumforaneus palam proclamaret suum unguentum nihil prodesse, magnos dolores excitare, dignum rogo & patibulo esse, nihilominus tamen hortaretur ut omnes illud emerent. Quis hunc impostorẽ non diceret?

E. IV. *Piscati in templis.*

Quartò, Miserunt hamum in ædes sacras, & inde expiscati sunt: 1. Primò Sacramenta pleraque. Ut enim Holofernes incidit aquæ ductum & fontes Bethuliæ, ut siti interirent cives, Iudith. 7. ita Dæmon per hæreticos eripuit Ecclesiæ aquæ ductum divinorum Sacramentorum; Calvino Eucharistia veram Christi Domini carnem & sanguinem non continet, sed cisterna vacua est, fons aridus. Luthero, ante sumptionem similiter sacri nihil habet, puteus tantum inanis est. In ipsa vero sumptione adesse debet inobedientia, Ecclesiæque Christi unam laico speciem porrigentis contemptus, ut omnis illicò è fonte isto humor evanescat, sitiq; pereant natu etiam majores viri & fœminæ, juvenes & senes. Quid cætera memorem? Nulli cœlestis aquæ à Confirmatione, Pœnitentiâ, Ordine, Matrimonio, Extremâ unctione ductus sunt, ut omne hominum genus, parvos & magnos, nocentes & innocentes, Ecclesiasticos & Laicos, cælibes & maritos, valentes & ægrotantes aridissima sitis premat, conficiat & exanimet.

2. Secundò Sacramentalia, è quibus velut fonticulis devotionem suam hauriebãt Christiani: sustulerunt enim non modò Missæ sacrificium, sed & omnes S. cæremonias, S. vasa & vestes, reliquias, indulgentias, ex parte etiam imagines (uti Calvinistæ) rerum benedicendarum usum, &c. Quanquam aliqui Lutherani, quos Intermistas vocant, horum aliqua retinuerunt, sed nullo fructu: putamina & corticem servarunt, nucleum abjecerunt.

3. Tertiò Templorum ornatum, & monumenta pietatis omnia: Ea enim vel omninò despoliarunt, uti Calvinistæ: vel obsolescere sinunt, uti Lutherani.

F. V. *Piscati in Monasteriis.*

Quintò, Miserunt hamum in monasteria & inde extraxerunt Monachos & Moniales, uti inprimis Lutherus pellicem suam Catharinam de Boren, una cum aliis octo nobili familia natis puellis à monasterio Nimicensi. De quâ re quantum orbis totus Catholicus erubuit, tantum Lutherus gloriatus est, impudẽter jactans virginẽ illam è mediis Sathanæ faucibus à se ereptã. Sane de hoc scribens ad Lutherum Angliæ Rex Henricus VIII. inter cætera ait: *Quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa* (Catharina) *terram viva subiisset, & tu ad mortem usq; verberibus esses mulctatus.* Et mox: *Denique quod omnium maximè detestandum, te cum deberent tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentiæ loco præ te fers miser impudentem gloriam, tam longè fugiens implorationem veniæ, ut etiam in sceleris tui exemplum passim pseudo-religiosos alios literis ac libris provoces.* Hæc Henricus, cum adhuc defensor fidei appellari meruit. Ubi Classicum hoc cecinit Lutherus, scalæ monasteriis admotæ sunt, eaque complura vacuata, nisi quod ex consilio Lutheri, vetulæ tantùm sexagenariæ inibi relictæ sunt: En tibi pisces, en piscatorem: Bene S. Bernardus dixit: *Monasteria sunt vinaria, in quæ conjicit Christus pisces, quos traxit ex mari mundi.* Ut ergò pisces ad aquam, ita Monachi ad monasteria spectant. Et sicut pisci in terram extracto bene esse non potest, palpitat, saltat, tabescit: Ita neque illis, qui de monasteriis profugerunt. Testis Lutheri pellex, quæ in suo nefando conjugio sæpè multis horis continuò ploravit. Testis ipse Lutherus, qui ad opprimendam conscientiæ objurgationem assiduus erat in popinis: sed postea ab eadem acrius objurgabatur.

G. III. *Piscati in Imperio & Rep.*

Sextò, Miserunt hamum in Imperium, Rempublicam, indeque expiscati sunt, 1. Primò pacem & prosperitatem. Lutherus suis scriptis & concionibus seditiones excitavit, & populum in Principes armavit, evangelizans eis omnimodam libertatem & exemptionem ab omnibus legibus & magistratibus. In colloquio Wormatiensi præsente Imperatore in hæc verba erupit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*; longè alio sensu, quàm hoc idem Christus dixerit; hic enim suos non accinxit gladio, ut eo Ecclesiam propagarent; sed patientiâ, ut Tyrannorum glodios fortiter exciperent. Deinde notissimam illam rusticorum seditionem in Principes accendit: videns verò incendium id latissimè grassari, & Principes viribus auctos rusticis prævalituros, veritus ne in caput suum belli eventus recideret, stylum vertit, & ad eos trucidandos hortatus est Principes; Nimirum rumores tantum & bellum optabat, victoriam neutri parti; quò suum interim venenum commodius propagaret: Unde libello in rusticos ait: *utrumq; sane timui, si prævalerent rustici, diabolus foret Abbas, si vero prævalerent ejusmodi Tyranni, mater ejus foret Abbatissa.* Vetuit idem Turcis resistere, satius inquiens Turcis subesse, quam Catholicis, quòd illi religionem cuique liberam facerent, hi nequaquam. Unde Solymannus non parum se debere Luthero sæpe agnovit. Quid turbarum in Galliâ Calvini doctrina concitarit, nemo est qui nesciat. Anno siquidem 1562. intium sæviendi in Aquitania cœpit, late vagatus furor. Parisiis in obvios quosque gladiis sævitum, Sacerdotes passim ad ipsas aras mactabantur, templa sanguine fluebant, statuæ Sanctorum confractæ, ossa Francisci regis II. exusta, imò & S. Hilarii, Irenæi, & Martini sanctissimorum Præsulum ossa tumulis eruta, & flammis data viderunt Lugdunenses & Turonenses. Aurelia cum Ducatu suo quid non pertulit? non ætati, non sexui parcitum,

 senes

senes cum ludibrio & tormentis enecti, tenera ætas cum turribus, quas præsidio quærebant, incensa, ad martyrum ossa prodenda homines tormentis adacti, mutatæ in bombardas campanæ, baptisteria in cloacas versa, putei de Catholicis repleti, ventres excisi. Quâ tragœdiâ peractâ, cum Hugenottæ à Catholicis tandem repressi & dignis pœnis mulctati essent, inde martyres apud suos audire cœperunt, crudelissimi nebulones. P. Ad. Conzen libro 9. Polit. cap. 21.

2. Secundò libertatem animorum ac religionis, quâ tamen ipsi maximè asserere conati sunt, in Galliâ, Belgio, Anglia, &c. ejusque gratiâ contra orthodoxos arma sumpserunt, titulum belli præferentes, libertatem conscientiæ. At ubi rerum potiti sunt, eandem, pro qua tot annis pugnarunt tantumque sanguinis fuderunt, everterunt, quin & se ipsos eâ privarunt. Nec enim permittunt sibi vel aliis libertatem religionis & fidei, sed omnes cogunt esse Protestantes vel Calvinistas. Hæccine est libertas quæsita & jurata?

3. Tertiò scientias & studia literarum. Has enim è medio sublaturus Lutherus, debacchatus est in Academias, easque abolendas scripsit ad nobilitatem Germaniæ anno 1520. nec alium librum legi præter Biblia voluit. Quod arripuerunt inprimis Professores duo, Philippus Melanchthon, ad pistrinū abiens, & Carlstadius ad stivam pergens, qui nec aliter, quàm Magister Andres vocari voluit. Secuti multi Scholarium Wittebergensium libros suos Vulcano consecrarunt.

H. VII. *Piscati in purgatorio.* Septimò, Immiserunt hamum etiam in purgatorium, & inde suffurati sunt fidelibus animabus subsidia & suffragia, pro iis ab Ecclesia fieri consueta, quia sustulerunt & purgatorium, tanto veterum & totius Ecclesiæ consensu stabilitum. Eliminarunt ergò missas pro & à fidelibus tantis impendiis fundatas, tricesimos, anniversarios, eleemosynas huic fini in perpetuum destinatas, preces pro iisdem fundi solitas. Desinat igitur S. Cyprianus sacrificia offerre pro Celerina, Laurentio & Ignatio, quæ pro iis alioquin semper annuatim offerre consueverat, ut testatur ipse lib. 4. epist. 5. Desinat S. Augustinus supplicationes generales facere, & commendare Ecclesiæ faciendas pro defunctis illis, quibus desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, solaque communis mater Ecclesia superest, l. de cura pro mortuis, cap. 4. Desinat S. Monica mater Augustini, è vivis excessura dicere filiis suis: *Ponite hoc corpus ubicunque, tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis,* Confess. l. 9. c. 11. Cesset Augustinus pro eadem matre sua prolixius orare & fidelium implorare preces verbis illis: *Inspira Domine Deus meus inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce & corde & literis servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam ejus cōjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam,* ibidem c. ult. Desinat idem Sanctus scribere, piorum animas defunctorum separatas non esse ab Ecclesia Christi militante, siquidem pro iis ad altare Dei memoria fieri soleat, lib. 20. de civit. c. 9. Ite nunc ò animæ & in piaculari vestro igne debitas vobis pœnas ad novissimum quadrantem exsolvite. Nullum vobis amplius ab Ecclesia subsidium, nullum è vestra liberalitate in pauperes & servos Christi effusa emolumentum vobis sperandum. Piscatores enim isti totum hoc in hamo sublevarunt, totum in rete suum traxerunt & vobis abstraxerunt.

I. VIII. *Piscati in inferno.* Octavo, Miserunt denique hamum in ipsum etiam infernum. Et quid inde extraxerunt? Primò dogmata jam olim ab Ecclesia damnata & ad Orcum ablegata. Nimirum sicut obsessa civitas ad extremas famis angustias redacta, omnes cibos tam malos quàm bonos absumit; Sic Lutherus & Calvinus maluerunt quasvis hæreses potius in se admittere, quam Ecclesiæ se submittere. Nec verò hujus temeritatis puduit Lutherum; sed scripsit insuper, si quis ipsius hæreses refutare aggressus fuerit, se novam interea procusurum, in l. de captiv. Babylon. edito Wittebergæ anno 1551. Nimirū velut alter Constantinus Copronymus sordibus perlini, sordes olere gaudebat. Pauca dicamus. Cum Simone hæreticorum Principe, liberum arbitrium negat Calvinus & Lutherus. Cum Petro Abailardo dicunt omnia absoluta necessitate fieri, adeoque Deum peccati auctorem esse. Cum Ioviniano jejunium nihil valere, ciborum differentiam non faciendam, conjugio non præstare virginitatem. Cum Vigilantio, Sanctorum invocationem vanam esse. Cum Manichæis aquam baptismi non prodesse. Cum Wiclefistis Missam abrogandam. Cum Berengario transubstantiationem in Eucharistia nullam esse. Cum Græcis hæreticis & schismaticis utramque Eucharistiæ speciem requirunt, Pontificem non agnoscunt &c.

Secundò, Ipsas inferni pœnas & gehennæ ignem. Docet enim Calvinus infernum ejusque cruciatus non esse aliud, quàm apprehensionem, quâ reprobi sibi imaginantur, Deum esse sibi iratum. Scilic. hoc valdè cruciat damnatos; qui nisi pœnas alias sentirent, hanc sane nihili facerent. Multi etiam Lutheranorum veros & locales inferos negant. Itaque etiam Lucifero regnum suum adimunt. Sed nimirum hæc est fraus diaboli, quâ obtinet ut homines fine metu peccent & securiùs damnentur.

Vidimus Chaldæos, vidimus piscatores, undique piscantes, imò rapientes, sed & vidimus insuper immolantes sagenæ suæ, audimus gloriantes, quòd tantam piscium prædam tam brevi tempore ceperint. Sed vanissima est hæc gloriatio. Quid enim mirum fuit pisces ventri deditos ab amaris pœnitentiæ aquis ad dulces voluptatis trahi, talibus præsertim illecebris ad cujusque gustum paratis, & illo tempore deplorato? Sanè hic verificatum est illud Sapientis: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines*

nes in tempore malo, Eccles. 9. Quis enim neget tempus malum fuisse tempus emergentis Lutheri, quando pauci boni & vigiles Prælati, pauci docti viri erant? Quid mirum fraudibus & armis subigere stultam plebem? Taceo rationes alias, quæ miraculum hoc enervant. Superest nunc ut cum Habacuc Deum serio precemur, ut tandem aliquando piscatores istos noxios jubeat facessere, & quando quidem ipsorum scelera multis partibus superant Catholicorum vitia; flagella sua à dorso nostro in ipsorum dorsa transferat, quod ita tamen optamus, ut inde emendati sapiant nobiscum & uno ore honorificent Deum, &c.

I. VIII. *Piscati in infernum.*

CONCIO V.

QVA RATIONE OMNES Christiani sequi possint ac debeant Christum.

I. *Sequendus intellectu.*
II. *Sequendus voluntate.*
III. *Moribus & conversatione.*

THEMA.

Venite post me, Matth. 4.

A. COgitabitis forsitan Auditores, hodiernum Evangelium nihil ad nos spectare, siquidem Apostolos tantum, & qui perfectioni studere volunt, concernere videtur illa Domini vocatio: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Nos autem neque Religiosi, neque piscatores hominum fieri contendimus: proinde ad Christi sequelam nequaquam obligabimur. Sed cauto gradiamur pede, ne fortè impingamus. Dicit enim Dominus alibi Matth. 10. universim: *Qui non accipit Crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Non obligamur quidem, nec ita vocamur à Domino, ut sequamur eum per ardua, quemadmodum Apostoli & Religiosi per voluntariã castitatem, paupertatem & obedientiam, obligamur tamen ad aliam quandam sequelam, quasi planã viã, omnibus Christianis necessariam, eandemque triplicem, nimirum ut sequamur eum intellectu, sequamur voluntate, sequamur moribus, & conversatione. Primum fit per fidem, alterum per obedientiam, tertium per vivendi rationem Christianam. Hæc sunt tria vota nostra, ad quæ servanda vocati omnes sumus, quæque in baptismo omnes nos emisimus, quotquot Christiani sumus. Videamus igitur nunc, quã ratione Christum nos ad hæc vocantem sequamur.

B. I. *Sequendus intellectu.* Sequendus nobis Christus primo in judicii & intellectus nostri submissione, videlicet, ut quæ Deus revelavit & Ecclesia nobis proponit credenda, credamus, tametsi non intelligimus, vel etiam difficilia creditu videmus, sic enim intellectu nostro sequimur Dei scientiam, eique nos conformamus humiliter per donum fidei, sicut econtra præcedere volunt Deum, qui proprium suum judicium præponunt Dei revelationi, dum credunt quæ volunt, & quæ intelligere non possunt, credere nolunt. Horum typum videtur expressisse Petrus, cùm prædicentem Christum passionem suam, Matth. 16. increpavit, dicens: *Absit à te Domine: non erit tibi hoc.* Sed audiit à Domino: *Vade post me sathana, non sapis ea quæ Dei sunt.* S. Hieronymus exponit: Vade post me, sequere meam sententiam. Faciunt hoc omnes hæretici, qui dum aliquos fidei articulos capere & penetrare nequeunt, non credunt, & scripturam sacram ad alienum sensum detorquent, sicque Deo præire volunt, quasi ad illorum intellectum Deus se accommodare debeat. Qui Deo ingentem faciunt injuriam, quòd ejus verba examinant & suis rationibus metiuntur, velut si noctuæ radios Solis vellent examinare. Injuriã se affectum crederet Cato inter homines, si quis ejus asseveratione non contentus, quæreret aliud testimonium, quanto magis Deus? Et si Pythagoricis satis erat, dixisse aliquid Magistrum suum, dicentibus: *Ipse dixit*, teste Cic. lib. 1. de naturâ Deorum: Quanto magis Dei dicentis authoritas sufficiat nobis? quem si credimus veracissimum & omnipotentem, quid nõ credamus ipsi? Deinde, qui non sequuntur Dei revelationem & Ecclesiæ ductum, undique velut cœci oberrabunt, & ubique fluctuabunt, solidum nihil invenientes, in quo pedem figant, non secus ac viæ ignarus, qui si ductorem suum præcurrere & suopte ductu sylvam anfractuosam velit transire, citò aberrabit, & de errore in errorem ductus, tandem in locis prorsus sibi ignotis constitutum se inveniet. Mens enim humana in dies horasque singulas nova deprehendit & veteribus repudiatis amplectitur velut saniora, unde semper est instabilis: nisi Dei ductum sequatur. Hinc tanta Pseudo-prophetarum in dogmatibus suis inconstantia, & editarum à se confessionum disparitas, & animi fluctuantis perplexitas, quam dissimulare ne in scriptis quidem suis valuerunt. Nam Lutheri verba in Symposiacis sunt: *In animum inducere non possum, quæ doceo*, Zvvinglius lib. de verâ & falsâ religione ait: *Nondum satis liquet, quid sibi velit: Hoc est corpus meum.* Carolstadius in Epist. ad Lutherum scribit: *Nihil à me editum est de Eucharistiæ Sacramento, nisi per modum disputationis.* Melanchthon in Epist. ad Ioan. Bartholomæum scribit: *Optarem excidissent mihi digiti omnes, cum primum illos admovi scribendis tractatibus.* Tandem Calvinus spondet in admonit. ad Westphal. retractaturum se, quæ scripsit omnia, si Melanchthoni videretur. En quam vacillabat in suis dogmatibus, qui ea pendere volebat ab unius hominibus arbitrio. Non ita nos Catholici, qui Dei revelantis authoritatem sequimur, in eaque pedem figimus; ac licet Ecclesiæ etiam judicio stemus, sive id sit de scripturis, sive de interpretatione scripturarum, non dubitamus

tamen id esse infallibile, quoniam à Spiritu sancto dirigitur, ob idque evadit certissima fidei regula, quâ se firmabat S. Hieronymus adhuc juvenis, sicut in ejus vita scribit Marianus, cum ab Arrianorum vexillariis, Meletio, Paulino & Vitale, viris Antiochenis interrogaretur, quid sentiret de divinis hypostasib⁹, essentne tres an unica. Resp. enim, *Credere se id omne, quod Sancta credit Romana Ecclesia, extra quam sciret salutem nemini repositam.* Idem ergò nos faciamus & judicio ejus nostrum humiliter, si tuti esse velimus, submittamus; credamus quod illa credit, damnemus quod illa damnat, & per eam loqui primam illam & divinam veritatem non dubitemus. Hæc sit nobis quasi filum Ariadnes Theseo datum, ad extricandum nos è Labyrintho, & securè ambulandum: revelatio scilicet Dei velut ratio credendi: Ecclesiæ propositio, tanquam regula, illa ut via, hæc ut viæ Dux. Atque eo spectant verba Apostolorum Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c.* Quoties itaque subit alicui dubitatio circa aliquem fidei articulum, & libido eum examinandi; mox cogitationem reprimat dicatque: *Vade retro Sathana, non sapis ea quæ Dei sunt*, ego credo quod Sancta credit Ecclesia Catholica. Vade retrò Ecclesiam, fidei Magistram, ita Christum sequetur. Multò magis adhuc seducit sensus, ut ex Optica patet, v.g. cum baculum in aqua fixum, fractum aspicimus: cum stellæ scintillare velut flammæ nobis videntur. Quare multò major adhuc injuria fieret Deo, si juxta sensus nostros judicare divina vellemus. Etenim illi de objectis tantum corporeis judicant & minus se extendunt ad divina, quam visus se extendat ad objectum sonus. Tertiò per hanc sequelam acquirimus nobis meritum vitæ æternæ: alioquin vero si proprium sequamur judicium & rationem, vel si fidei mysteria ad oculum pateant, nullum. Heroicam rem agimus, cum præstantissimam nostri partem, intellectum, in obsequium fidei captivamus, & magis Deo credimus, quam nostro sensui & judicio, licet hi nobis contrarium suadeant. Propterea Christus beatos dicit eos, qui non viderunt & crediderunt. Denique hoc à nobis exigit professio nostra, nam Christianus non est, qui Christo fidem non habet, teste S. Cypriano serm. de eleemosyna. *Quid*, inquit, *qui Christo omnino non credit, appellatur & dicitur Christianus?*

C. II. *Sequendus voluntate.*

Secundò, in voluntatis nostræ abnegatione, cum Dei & superiorum voluntati eam subjicimus, quod est Christum sequi (*qui enim obedit, sequitur alterius voluntatem*, inquit S. Thomas 2. secundæ q. 186. art. 8.) Hanc sequelam à nobis exegit Dominus Luc. 9. Cum dicebat ad omnes (ut ait Lucas) *si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Est autem abnegare se ipsum, frangere & adimere quoddammodo sibi arbitrii sui libertatem Christoque subjicere, ita ut ei dicamus: Domine non mea, sed tua voluntas fiat. Meritò autem hanc sequelam exigit à nobis Christus, primò,

1. quia ipse est Dominus noster, *Si Dominus est Deus, sequimini eum*, dicebat Elias ad populum Hebræorum, 3. Reg. 18. Est autem Dominus noster, quia Conditor & Redemptor. Ratione primi, *Sicut decet*, inquit Procopius in Levit: *ut jumenta nobis obsequantur, ita rationem nostram oportet obtemperare Deo.* Et S. Iustinus in Exposit. fidei de recta confess. ait: *Cedendum est voluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo.* Imò longè magis subjecti sumus Deo, quam vel bestiæ nobis, vel lutum figulo. Ratione secundi servi emptitii & oves Christi sumus: quomodo ergo non obligatissimi ad obendiendum ei? Oves enim pastorem sequuntur, & vocem ejus audiunt. Et cur putamus S. Iobo ovem unam cum inaure oblatam fuisse ab amicis? Id exponit nobis S. Gregorius l. 34. moral. c. 34. *Quoniam*, inquit, *innocuis mentibus ornamentum obedientiæ jungitur: quare Iobo nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit, quia redemptori suo non obedit, qui innocens non est, & innocens esse non potest, qui obedire contemnit.*

2. Secundò, Quia nisi hunc ducem sequamur, errabimus ut cœci. *Sicut sine Duce*, inquit S. Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ, c. 3. *non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non pervenitur ad portum: ita & absque obedientia impossibile est in vitæ hujus pelago non periclitari.* Vicissim per obedientiam etiam hominibus nobis præpositis exhibitam, securè navigamus; & si fortè seducemur, non id nobis, sed ductoribus imputabit Christus: quemadmodum & Princeps Oeconomo adscribet, non servo, si servus ad imperium Oeconomi, non agendum aliquid egerit. Quare cum quid imperant nobis Ecclesia & Superiores, audire nos existimemus loquentem filio Rebeccam, quæ objicienti illi: *Si attrectaverit me pater meus & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione*; respondit: *In me sit ista maledictio fili mi: tantum audi vocem meam*, Gen. 27. Idem vobis dicit Ecclesia, idem vestri superiores; *ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, inquit Apostolus ad Heb. 13.

3. Tertiò. Quia hæc obedientia non Deo, sed nobis utilis est & necessaria. Si enim Deo serviamus, Deo quidem nihil acquirimus, nobis autem plurimum. Per hanc enim meremur vitam æternam, quia per eandem nos ipsos Deo offerimus. Unde Samuel ad Saulem dixit 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quàm victimæ.* Quia, ut ait S. Gregorius l. 35. moral. per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Et propterea tantopere ursit Christus Petrum, ut lavandos sibi pedes porrigeret: & Ioannem Baptistam ut baptismum sibi administraret: quia hoc ipsis profuit ad meritum obedientiæ. Taceo alios obedientiæ fructus, velut quòd obedientes fiant fratres & sorores & matres Christi, Matth. 12. quasi dicat, ipsi Christo similes. Nam, ut ait Clemens

Alexandrinus lib.7.stromat. *Quemadmodum si quis Demostheni operam dederit, eum faciet oratorem: si Platoni, Philosophum: ita qui paret Domino, efficitur ad magistri similitudinem Deus, qui in carne versatur.*

Denique non video quomodo mereatur dici Christianus, qui Christo non obedit: Quemadmodum non meretur appellari Franciscanus vel Benedictinus, qui S. Francisci, vel Benedicti Regulam non observat.

D. III. *Sequendus moribus.* Tertiò, In moribus & conversatione, si Christum imitemur & vestigia ejus sequamur, ut monet S. Petrus 1.Petr.2. Et Ioannes: *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare,* 1.Ioan.2. Et Dominus ipse, Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis*, inquit, *ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et hoc est quod toties monet S. Paulus ut exuentes veterem hominem, induamus novum, Dominum scilicet Iesum. Sed cur hoc? primo, quia S. Augustinus ait lib. de vita Christiana,

1\. *Christiani nomen ille frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur.* Redditque rationem: *Quid enim tibi prodest*, inquit, *vocari quod non es, & nomen tibi usurpare alienum?* Utique nihilo plus prodest, quàm quòd quis rusticus aut mendicus vocetur cognomine Comes, Dux aut Rex. Imò ad majorem confusionem & damnationem erit illi in judicio Christianismus, cùm larva ei detrahetur. Franciscus Borgias Dux Gandensis, postea Societatis Iesu, cum accepisset impostorem quendam triremibus addictum, quod se Franciscum Borgiam simulasset, jactassetque: *Si*, ait, *triremibus addicitur, qui meum nomen sibi vendicat; quid de me fieri par est, qui non inane nomen porto peccatoris?* Hæc ille pro sua humilitate, ut in ejus vita lib.4.cap.1. Viderit jam, quid mereatur, qui inane Christi, seu Christiani nomen jactat & circumfert, cum sit interim peccator, impostor & hostis Christi.

2\. Altera ratio est, quia quivis salutis suæ cupidus quærere & eligere sibi debet peritissimum aliquem, qui salutis iter ei demonstret. Agnovit hoc & Seneca, qui in lib. de vita beata, cap.1.ait: *Quamdiu quidem passim vagamur, non Ducem secuti, sed fremitum & clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores, &c.* Et mox: *Decernatur itaque & quò tendamus, & quà non sine perito aliquo, cui explorata sint ea in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quæ in cæteris peregrinationibus conditio est. In illis comprehensus aliquis limes, & interrogati incolæ non patiuntur errare. At hic tritissima quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præstandum est quàm ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed quà itur.* Sic ille. Neminem autem securiorem & peritiorem viæ cœlestis Ducem habere possumus, quàm Christum Dei filium, qui ad hoc è cœlo venit, ut viam illam, quam habet exploratissimam, non verbo tantum, sed & conversatione demonstraret ac præiret. *In vita*, ait Clemens Alexandr.l.1.pædag.c.3. *tanquam in profundis errantes tenebris optimo Duce opus habemus. Optimus autem Dux est, non cœcus cœcos in foveam ducens, sed verbum, cui est visus perspicacissimus &c.* Itaque in negotio omnium maximo, quod est salus æterna, ducem sequi debemus omnium peritissimum, qui solus & unicus est Christus: proinde quomodo ipse ambulavit, sic & nos ambulare decet.

Tertia ratio, quia, qui dominis suis placere volunt, eorum gestus & mores imitantur; uti Clisophus Philippi Macedonis assentator, qui claudum se fingebat, quòd Philippus fractum crus haberet; os & oculos eodem modo contorquebat, quo Dominus. Charisophus Dionysium Tyrannum cum cerneret ridere fabulantem cum amicis, risit & ipse de procul; rogatus cur rideret: *quòd*, inquit, *ea putem risu digna quæ dicitis.* Idem Dionysius cum cœcutiret, assentatores alii ut eodem se vitio laborare fingerēt, pocula patinasq; in mensa velut cœci subvertebant. Alter quidam ut refert Heresbachius I. C. uxorem repudiat, in ejus gratiam, & ipse parum gratam habebat uxorem. Paulò ante citatus Clisophus cum Philippo exoculato prodiit, eodem oculo fasciis obligato, quasi & ipse simili malo affectus esset. Si quem cibum acrem ori Philippus admoveret, vultum Clisophus contrahebat, quasi & ipse sentiret acrimoniam. Hæc igitur fecerint vanissimæ istæ simiæ mensæ & nummorum gratia mortalibus sui similibus: Deo hæc non faciamus? Vanus est hominum favor, maximè si fictè quæratur. Sed Deo ut placeamus, omnes omnimodo adlaborare debemus, non fingendo tamen. De Heliotropio scribit Plinius l.22.cap.21. quòd cum sole se circumagat & noctu velut præ desiderio contrahat florem, tantum ei inesse solis amorem. Quod si flos imitatur solem, à quo gignitur & fovetur: nos non imitabimur Deum, & regem nostrum Christum, à quo toti dependemus? Porrò non petit is à nobis, ut in iis, quæ potentiæ & majestatis ipsius sunt, ipsum imitemur, sed in iis, quæ hic in terris propter nos accepit. Quid autem propter nos accepit, nisi dolores, paupertatem, contemptum, & confusionem? Nusquam dixit Christus: Qui non ambulat super mare; vel non suscitat mortuos, non est me dignus; Nec unquam dixit: Beati, qui futura prædicunt, morbos sanant &c. Sed, *Discite à me non mundum fabricare*, dicit S. Augustin.serm.10. de verbis Domini, *non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere & mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde. Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Beati mites, beati qui lugent.* In talibus igitur eum imitari debemus ac possumus.

Denique hoc pacto Christum qui non sequitur, Christianus appellari non debet. Unde supradictus author libri de duodecim abusionibus sæculi (qui Cypriano tribuitur sed male) *Christianus*, inquit, *nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus prout va-*

let

ut coæquatur. Possumus etiam mysticè, totam penè Christi vitam omnes imitari. Nam si magno studio & desiderio templa & conciones frequentemus, cum duodenni Christo in templo residemus. Si solitudini & quieti studeamus, colligendo sæpe animum nostrum; cum eo desertum intramus. Si jejuniis vacemus, & corpus castigemus, cum eo jejunamus; si vitiis & tentationibus fortiter resistamus, cum eo tentamur & triumphamus contra diabolum. Si dicamus proximo verbum aliquod salutis, cum Christo prædicamus regnum Dei. Si pro ægro & tentato fideliter oremus, visitamus cum Christo Lazarum. Si oremus pro defunctis, cum eodem ad monumentum Lazari imus. Si discrete & amanter corrigamus delinquentem, resuscitamus Lazarum & lucramur fratrem nostrum. Si digne communicemus, cum Christo cœnamus. Si ad humilia obsequia aliorum nos dejiciamus, cum eo pedes aliis lavamus. Si obediamus in re difficili promptè & humiliter, cum Christo ad Olivetum imus. Si in conflictu tentationum aliisque adversitatibus viriliter certemus, cum eo agonizamus. Si abnegemus nosmetipsos per obedientiam Christianam, & impositum nobis jugum æquanimiter geramus, cum eo crucem ferimus ad Calvariæ montem. Si non pro amicis tantum, sed etiam pro inimicis Deum deprecemur, imitamur eum orantem pro suis persecutoribus. Si mundo huic renunciemus, & iis, quæ in mundo sunt, totoque corde ad cœlestia feramur & festinemus: morimur cum Christo quodammodo in cruce & migramus ad Paradisum. Si perseveremus in Dei obsequio usque ad finem, dormimus & quiescimus cum Christo in sepulchro. Si post Contritionem & Confessionem vitam emendemus, resurgimus cum Christo. Si fugimus tepiditatem & novum concipiamus ardorem serviendi Deo, celebramus cum eo pascha. Si parvi faciamus transitoria mundi bona, & sanctis meditationibus inflammemur ad morem cœlestium, in cœlum cum eo ascendimus. Si denique nos ipsos judicemus, Christum Iudicem imitamur. His & similibus modis si Christum imitemur, non possumus non ei maximè placere: & ita tandem in cœlo quoque similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

CONCIO VI.

QVA RATIONE SANCTUS Andreas Christum secutus sit.

I. Secutus est omnium primus.
II. Prompte.
III. Tempore incommodo.
IV. Simpliciter.
V. Cum profectu.
VI. Cum fœnore.
VII. Perseveranter.

THEMA.

Continuo relictis retibus secuti sunt eum, Matth. 4.

A

PRo magno inter septem sapientum Veterum dicta celebratur: *Sequere Deum*, ut ait S. Ambrosius l.1. de Abraham.c.2. sed non minus magnum est, scire qua ratione sequi Deum possimus. Certè in veteri lege videbatur hominibus Deus nimis celeriter ambulare, nimis alta petere, & nimis magnos passus facere, non quia aliquid præscripserit, quod impossibile factu esset, sed quia non adhibebant homines modum, quo sequi facilè possent, dum sarcinis terrenarum rerum se ipsos onerabant adeoque retardabant, quò minùs expeditè sequerentur. Audi Cantica, c. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Arduum iter, magni passus. Quomodo hunc sequeretur, qui mundi retibus implicatus est? Idcircò ut doceret Deus modum hoc præstandi, descendit de cœlo, & præivit nobis exemplo suo, paupertatem sectando, honores fugiendo, humilitatem amplexando, Castitatem, Temperantiam, Misericordiam, &c. quasi diceret; sic est ambulandum: Primò abjicienda sæcularia desideria & terrenæ substantiæ pondus, deinde virtutes amplectendæ. Nimis difficile est esse castum inter choreas, humilem inter honores, amare Deum inter divitias, audire vocem ejus inter mundi tumultus, ipsi servire inter dignitates, mandata ejus custodire inter mundi laqueos, ipsi adhærere inter epulas, ipsum timere inter prosperitates. Abjicienda sunt hæc onera, si Deum sequi vultis. Id quod hodierno in Evangelio docere incipit, dicens: *Venite post me*: relinquite retia curarum sæcularium, navim divitiarvm, parentes, &c. sicut me videtis ambulare sine his omnibus. Et videte qualem mox discipulum acquisierit S. Andream scilicet: quàm expeditum, quam accuratum Magistri sectatorem.

B.
I.
Secutus est omnium primus.

Primò, sanctus Andreas omnium primus Christum est secutus; Unde meritò à quibusdam primus Christianorum vocatur. Patet hoc ex Ioan. 1. ubi audiens à Magistro suo Ioanne Bapt. Christum esse Agnum Dei, secutus est eum & invenit primum fratrem suum, Petrum scilicet (græcè habetur, *Invenit primus fratrem suum*) Unde meritò primus piscis dici potest, quem in hoc mundo cœpit Christus. Quamobrem magnam promeretur laudem, ut qui exemplo suo animos aliis addidit Christum similiter sequendi. Hebræorum traditio est tribum Iudæ ejusque Ducem Aminadab non modò magnam promeruisse laudem, sed etiam ut penes ipsam postea sceptrum & regia potestas esset, quòd ipsa trepidantibus omnibus aliis prima descenderit post Moysem & Aaronem in mare rubrum, ut notat Titelmanus in Psalm.113. & indicari videtur Oseæ 11. ubi dicitur: *Iudas autem testis descendit cum Deo & Sanctis fidelis.* Non minus certè laudis promeruit Andreas, qui primus omnium Christum pauperem & humilem secu-

secutus est per iter arduum, & antè inusitatum adeoque ad ipsam crucem. Docuit autem hoc ipso non modò nos alacriter sequi Christum, sed etiam aliis virtutum exemplo esse. Inprimis enim quis dubitet sequi Christum, si piscatorem videat primum ejus sectatorem? quid rudius, quid pauperius, quid abjectius piscatore? Et tu ergò non poteris quod piscator potuit? Luctabatur cum carne ante conversionem suam S. Augustinus, & continentiam impossibilem sibi putabat, tandem respiciens exempla Sanctorum dicebat: *Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & graves viduæ, Virgines, anus: Tu non poteris quod isti & istæ?* lib. 8. Confess. cap. 11. Simili modo multi sibi persuadent quasi impossibile eis sit jejunare, per horam flexis orare genibus, sobriè & continenter vivere, paupertatem, humilitatem & crucem amplecti, peccata commissa in mentem revocare, & lachrymis eluere, injurias tolerare & oblivisci, pati se contemni, instrui &c. O imbelles animi, an non prævivit nobis Andreas ad paupertatem, obedientiam, contemptum, ipsamq; adeo Crucem? Piscator ista posit, & non positis vos? Deinde quis non ambiet primatum Andreæ, per quem ille ad maximā dignitatem erectus, & senior in Collegio Christi factus est? Artium primi auctores & inventores magnopere celebrantur; quanto magis virtutum primi sectatores? Plurima sæpe bona fierent, si essent, qui præirent: sed nemo vult esse Andreas, nemo Aminadab, nemo esse primus: quasi ignominia esset primum esse bonorum. Auditur forte inter aliquos pulsus ad orationem Angelicam, vel cum sacrum Viaticum ad ægros defertur, nemo invenitur, qui primus abrumpere colloquium, surgere de mensa, aperire caput & flectere genua audeat. Quid timidi estis modicæ fidei? Cum de primo discubitu agitur, de præcedentiā ad Offertorium, omnes seniores, omnes esse primi volunt, & cum Iuda antecedere cohortem, ad tradendum Christum: Ad virtutem vero & præcedentiam in regno cœlorum omnes sumus novitii.

C. II. *Promptè.*

Secundò, Promptè & expeditè secutus est. Ad unam enim vocationem, *venite post me*. Imo ad ostensionem tantum Christi, Ioan. 1. Cum Ioannes Baptista monstrasset ipsi (qui tunc discipulus Ioannis erat) Christum ambulantem, dicens: *Ecce Agnus Dei*, statim secutus est Iesum, quærens ex eo: *Rabbi ubi habitas?* Iesu autem dicente: *Venite & videte*; mansit apud eum die illo. Qua de re audiamus S. Gregorium super hoc Evangelium prædicantem, hom. 5. in Evangelium: *Audistis fratres Charissimi, inquit, quod ad unius vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur? & tamen vocantem sequi contemnimus!* hæc Gregorius. Non desunt etiam nobis Dei flagella & Christi hortamenta. Quoties invitamur ut non solum festis, sed etiam aliis diebus missam audiamus? Quoties nobis dicitur: *Ecce Agnus Dei*, in altari scil. expositus? Quoties audimus. Ecce ibi habitat: Venite & videte? Et quam parvus eorum numerus, qui Andreæ Exemplo Christum sequantur, quærant, adorent & vel per horam cum eo manere velint? Quid? an trahi ad tantum bonum debemus? An non sufficit eum nobis ostendi? certe si vobis extra hanc urbem non procul ostenderetur mons auro ditissimus: an non satis foret eum vobis ostendi? num per lictores cogendi essetis ad exeundum & aurum colligendum? Certe non: Atqui Christus in Eucharistia ecce plus quam aureus mons. Quod si importunus videor, qui eandem rem toties inculco, rogo, ne quis miretur. Nam & Ioannes Baptista videns Iesum aliquando, dixit: *Ecce Agnus Dei.* Sed cum id Discipuli non adverterent: altera die, iterum dixit. *Ecce Agnus Dei.* Et tunc secutus primum est Andreas. Quo loco observat Cyrillus, concionatorem posse & debere eandem adhortationem sæpius repetere, cum videt eam non observari.

D. III. *Tempore incommodo.*

Tertiò Tempore, ut videtur maximè sibi incommodo, secutus est; nimirum, cum piscandum esset & victus manu quærendus; mittebat enim eo momento rete in mare. Et tamen eo dimisso, statim secutus est. Poterat sane dicere Andreas, Domine nonne vides me in pane lucrando occupari & jamjam expectare magnam piscium capturam; quomodo te sequar? Vel certè: sine me hunc jactum facere & retia extrahere. Nihil horum Andreas, sed *continuo relictis retibus*, inquit Evangelista, *secutus est eum.* Nimirum Andreas jam intus illuminatus cernebat, quanti res sit momenti vocatio divina, quantò præstantior omnibus mundi bonis: siquidem ad regnum & vitam æternam dirigit. Unde nullum negotium magnum aut necessarium æstimari debet; si cum negotio vocationis divinæ comparetur. Quis piscatorum non illicò dimitteret retia & opus suum, si ei pro piscibus monstrares alium fluvium plenum unionibus & margaritis? quis non mallet has piscari, quam pisciculos? Regnum cœlorum margarita illa pretiosa est, Domino teste, omnibus mundi bonis præstantior, quam omnibus monstrat Deus. Quid omnia temporalia respectu illius sunt? quid mundus nisi navicula lacera, inconstans, fragilis? quid terrena omnia nisi retia, quæ innumeris curis & solicitudinibus implicant & involvunt suos amatores, usque dum à piscatore dæmone mactentur? Et tamen ò quam levi de causa patiuntur se retineri homines ne post Christum eant & margaritam cœlestem sibi acqui-

acquirant : Alius retinetur ab hominum judiciis, quibus vult placere, alius à societate, alius à vilissimo lucro , alius à propriæ carnis teneritudine, &c.

Unde fit ut nullo tempore eis commodum sit sequi Christum. Et fit illis quod Dionysius Tyrannus Siciliæ Rex dixerat ; cum Iovi Olympico tunicam auro & gemmis gravem abstulisset ; eam ipsi incommodam esse , siquidem in Æstate nimium gravaret, hyeme vero nihil calefaceret : ita cum vocantur ad sacram missam, hyeme frigus , æstate calorem causantur. Cum ad pœnitentiam: juventuti indulgendum dicunt, senectuti conniven-dum. Cum ad confessionem : sanus sum respondes, adhuc sat esse temporis : æger verò nimis tarde te moneri, &c. O quam dolebunt in Iudicio vani illi piscatores , qui omne suum tempus & operam inani divitiarum , honorum , scientiarum, favorum, voluptatum piscationi impenderunt, & nihil emolumenti inde invenient in suis retibus? Audi Isaiam cap. 19. *Mœrebunt piscatores & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.* Illis nimirum verbis Sap. 5. *Quid nobis profuit superbia,* inquiunt, *aut divitiarum jactantia , quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, &c.* Mœrebunt etiam propter fluminum siccitatem, ait Hector Pintus in eum locum. Quia videlicet, cum in tempore vocarentur ad piscandam cœli margaritam, piscari noluerunt: Unde cum piscari aliquando volent, non poterunt; quando scil. flumina siccabuntur & tempus non erit amplius.

E. IV. *Simpliciter.*

Quartò, simpliciter secutus est , non discutiendo quorsum , vel quâ ratione sequi deberet , vel unde imposterum victurus esset. Potuisset Andreas dicere : Domine , tu cùm sis pauperrimus , unde mihi victum dabis ? deinde , qualem tu ex me facies piscatorem hominum ? num Prædicatorem, Oratorem, gentium Doctorem ex rudi piscatore? Nihil horum cogitavit Andreas, sed totum id commisit Christo : & instar Abrahæ secutus est Dei vocem nesciens quo iret. Nimirum uti ægrotus non solet inquirere quare hoc , vel illud pharmacum ei præscribat Medicus , sed quicquid tandem præscribat, libenter & confidenter accipit , non dubitans quin melius rem intelliget Medicus quàm ipse , ita fecit Andreas. Multa sunt præcepta , quæ non est facilè cuivis indagare , cur præcepta sint , à Christo , vel Ecclesiâ , vel aliis superioribus. Veluti quare communio , confessio , dilectio inimicorum, &c. præcepta sunt à Christo , cur ab Ecclesia, communio sub unâ tantum specie , tot jejunia & festa , Confessio annua & similia instituta? &c. Cur à Magistratu hæc , vel illa jubeantur. In quibus si errare nolis , claude oculos & recipe pharmaca , tanquam à prudenti Medico tibi præscripta. Sic enim Deo magis placebis & securus eris ? Magis placebis, quia ejus consilia tuis præfers. Ita enim & Esther non quæsivit sibi mundum muliebrem, *sed quæcunque voluit Egeus Eunuchus custos virginum , hæc ei ad ornatum dedit* , ut dicitur Esther 2. factumque ut Esther superaret pulchritudine omnes alias virgines , quæ sibi ipsis ornatum , quem voluissent, elegerant. Sic etiam Deo magis placet cœca obedientia , quàm videns & curiosa , quia mavult credere Deo , quam sibi. Deinde securus eris , quia referre te ad ductorem & legislatorem poteris. Et quàm facilè possemus à nobis transferre onus reddendæ coram Deo rationis in dorsum superiorum & confessariorum nostrorum , si eis vias nostras revelaremus, vel eorum consiliis staremus ? Quis enim vidit unquam cœcum vituperari aut cædi , qui à ductore in locum vetitum inductus est? ductor cæditur, non cœcus. Inde cum Diogenes aliquando puerum indecorè se gerentem vidisset , Pædagogum ejus baculo percussit , dicens *Cur sic instituis ?* Priscianus. Sic Deus puniet magistros , non Discipulos ; si eorum ductu errent.

F. V. *Cum profectu.*

Quintò, cum profectu secutus est. Erat enim primò discipulus Ioannis , postea Christum secutus est , sed quasi ad familiaritatem tantum & colloquium. Deinde post vocationem in hodierno Evangelio, quasi ad discipulatum; Denique post copiosam illam piscium capturam , quasi ad Apostolatum & perfectam sequelam. Ita paulatim Andreas de gradu in gradum, de perfectione in perfectionem ascendebat.

Primò audiens Christum concionantem familiaris ei factus est ; Secundò audiens se vocantem, Discipulus ; Tertiò, videns miraculum, Apostolus; denique videns crucifixum , martyr factus est , & ipse crucem ascendit. Ubi docemur ejus exemplo, ut quotidie conemur fieri meliores ; singulis annis saltem vitium aliquot eradicare & virtutem aliquam novam addiscere. Quemadmodum & cervus singulis annis , ramum unum cornibus suis adjicit, ut scribit Pierius lib. 7. Hierogl. Et olor, quò senescit magis , tanto suavius canit , & tandem in morte suavissimè , ibid. lib. 23. Turpe est homini, qui ætatem adjiciens, virtuti nihil adjicit: qui semper eandem occinit cantilenam. Certè si parentes habeant filium studiosum , qui in eadem semper classe desideat, nec ascendat de scholâ in scholam, eum à studiis removent , & manuum labore occupant. Similiter neque Deo placere possunt , qui nihil pensi habent , utrum in virtutibus gradum faciant: *Pueri centum annorum* , ut ait Isaias, c. 25. &, ut dicimus nos, Ioannes in eodem. S. Hieronym. ad Virgines sacras ait : *Omne tempus , in quo te non meliorem senseris , hoc æstima perdidisse.* At quam multi sunt, qui sufficere sibi putant, si singulis annis semel confiteantur, per Quadragesimam semel in hebdomade jejunent, festo die missam audiant,

diant, semel in anno eleemosynam faciant, & de profectu nihil cogitant? Similes hi sycomoris, qui ficus nunquam maturescentes gignunt. Sed quid dico de profectu? utinam non saltem magis & magis indies deficeremus! sanè in ea devenimus tempora, de quibus ait Dominus Matth. 24. *Refrigescet multorum charitas.* Apparet hoc in sanctissimorum Sacramentorum perceptione, concionum & missarum auditione: circa quæ indies magis magisque refrigescimus. Imitamur non Andream, non cervum, non olorem, sed potius milvum, qui in juventute quidem prædatur aves alias instar accipitrum: sed quò profectior fit, eo segnior. Postmodum enim muscas capit & vermiculos, ac demum omninò fame perit, ut refert Gemin. de Exempl. & simil. lib. 4. cap. 38. Ita initio plurimi ferventes se ostendunt in fide & pietate, cum vel ad fidem conversi sunt, vel novos concionatores nacti, eorumque exhortationes sedulò audiunt, postmodum muscas tantùm inde capiunt: Ad extremum conciones omninò fastidiunt, & verbi Dei fame pereunt: simillimi Hebræis, qui manna cœlo lapsum primò valde suspiciebant, dicentes: *Manhu?* quid est hoc! tandem verò ejus nauseam ceperunt. Num. 11.

G. VI. *Cum fœnore.*

Sextò, cum fœnore secutus est; adduxit enim quam primum etiam fratrem suum Petrum, ut habetur Ioan. 1. idque magna cum festinatione & gaudio. *Invenimus Messiam*, inquit, & adduxit eum ad Iesum. Ad ejus exemplum etiam facilius haud dubie secuti sunt Iacobus & Ioannes. Nimirum uti columbæ aliæ alias ad columbarium suum attrahunt, quemadmodum scribit Plinius lib. 10. cap. 37. dicens: *Est ars inter se blandiri & corrumpere alias furtoque comitatiores reverti.* Et sicut Annulus à magnete tractus, eandem vim trahendi participat, & vicinos alios ad se trahit annulos, quod vidisse se scribit S. Augustinus lib. 2. de civit. cap. 4. sic faciebat & Andreas, & faciunt cæteri justi laudabili sanè furto; Non enim putant satis esse, si ipsi invenerint Messiam & viam cœli, quin imo toti elaborant, ut eandem in viam alios quoque ducant. Iusti autem columbæ sunt, id est, Spiritus Sancti alumni, unde gaudent alios quoque salubriter inescare; ut secum ad columbarium suum, id est Christi gremium, accedant. Hinc Isaiæ 60. de Apostolis dicitur: *Qui sunt isti quasi Columbæ ad fenestras suas?* propterea scilicet, quod adducturi erant filios de longe ad Christi columbarium, ut patet ex sequentibus. Hinc quamprimum adductus ad Christum Petrus ab Andrea fuit, statim dixit eum Dominus filium columbæ: *Tu es Simon filius Jona*, id est, columbæ: Quia scilicet Andreas prima columba adduxerat secundam, Ioan. 1. Sunt item annuli in manu Dei, juxta id Ierem. 22. *Si fuerit Jechonias annulus in manu mea &c.* laborant igitur, ut alios quoque attrahant, adeoque catenam quandam & torquem in collo Christi faciant. Iam sicuti Apostoli columbæ & annuli Christi erant, ita debent esse Christiani, & præsertim superiores, qui sint columbæ ad fenestras, id est, pietatis & virtutum publica exempla præbeant & subditis præeant, qui statim advolarent, si viderent ad fenestras esse columbas illas, id est, superiores suos. Propterea Iulius Cæsar tot tamque strenuos milites semper habuit, quia nunquam dixit militibus: *Ite*, sed, *Venite*, nec eos milites vocabat, sed commilitones, ut refert Holcot in Sap. lect. 129. similiter & Christus in hod. Evangelio: *Venite post me*, inquit. Eodem modo Magistratus dicere deberet: Venite ad rem divinam, &c. alioqui si ipsi non sedeant in templo ad fenestras sedium suarum, non mirum si etiam populus non advolet. Sed etiam frater fratrem, annulus annulum trahere post Christum debet, maxime qui alteri socius fuit ad peccatum, sit etiam socius ad pœnitentiam: Cujus rei illustre exemplum scribit Iosephus Ballardinus lib. 2. cap. 72. in prato florum de duobus Histrionibus, qui jocis & facetiis hominum plausum & crumenas captabant; quorum alter tandem infelicis vitæ pertæsus, à socio se subduxit & specum sibi delegit, in quo prioris vitæ licentiam puniret. Alter amissum socium impigre requirens, tandem aliquorum indicio reperit in ea, quam dixi, specu. Ergo illum ad priorem vitam sedulo prolectare cœpit, nihil non attentans, sed frustra. Tandem inclusus, cum socii importunitatem diutius ferre non posset, pia excogitata fraude: fingit se in vota ejus concessurum & specui valedicturum. Fune igitur extractus (nam alia emergendi via non erat) & cum collusore suo aliquantulum progressus: Hem, inquit, infelix ego Zonam nummis plenam à piis collectam reliqui in caverna, si placet redeamus & nobiscum auferamus. Lætus hoc nuntio alter ad speluncam revolat & hortatu socii in specum descendit. Capta & inclusa hac avicula, ille qui prius se incluserat funem, quo demiserat socium, attrahit & os speluncæ saxo claudit.

Alter se inclusum videns, ad socium vociferari & extrema omnia minari, quin & Deum blasphemare: Sed eum consolatus iste, jubet bono animo esse; peccata sua deflere quemadmodum & ipse fecisset, ut qui socii erant scelerum, forent & pœnitentiæ; interim Deum pro illo precibus fatigat: nec frustrà, nam sensim illustratus alter, cœpit in se descendere, peccata sua agnoscere, & accersito confessario expiare, & jam non invitus, sed ultro una cum socio speluncæ adhærere, reliquumque vitæ tempus in summa austeritate inibi traducere, magno accolarum stupore & ædificatione.

H. VII.

Septimò, Perseveranter adeoque ad crucem usque; quam ita amanter amplexus est, tam blande salu-

Perseveranter. salutavit, quàm nemo unquam sponsam suam. Et tamen crux erat & martyrium. Unde S.Bernard. serm. 2. de S. Andrea stupens ait: *Obsecro fratres, homo est qui loquitur hæc; an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? Homo planè similis nobis passibilis.*

Sed nimirum Andreas aspexit crucem, non ut supplicium, sed ut penicillum quo ipse illustrari & Magistri sui imago fieri deberet: hinc illa exultatio. O quantum ab hoc Apostolo distamus, qui Christiani dici quidem volumus, Christum tamen minime sequimur ad Crucem? Sequuntur eum aliqui, sed cum Iuda ad cœnam usque; & sunt qui ob lucrum temporale serviunt. Item qui ideò tantùm fidem Catholicam amplectuntur, quia pinguem conditionem, vel opulentam conjugem nacti sunt: qui filios vel se ipsos, vel religioni aut Sacerdotio addicunt, ut inde emolumentum vel promotiones capiant. Item universim qui volunt in regno cœlorum epulari cum Christo in ejus mensa, sed hic nolunt eum imitari, aut aliquid pro ipso pati. Alii sequuntur usque ad hortum ubi Christus captus est, non usque ad passionem: quemadmodum juvenis ille sequens Christum ductum à militibus, qui ubi ab iisdem apprehendi cœpit, relicta sindone fugit, Marc. 14. Et tales sunt, qui tamdiu Christum sequuntur, quamdiu non offenduntur. Ubi enim cœperis defectus & vitia eorum carpere, ibi terga vertunt; laudant quæ dicuntur in concionibus, modò ipsi non tangantur, ubi maximè saucii sunt. Sicut canis qui patitur se undique attrectari, sed ubi vulnus ejus tetigeris, ibi ejulare & oblatrare incipit. Quod expertus est in Herode Baptista, qui in cæteris libenter auditus, incestum ejus ubi tetigit, odiosus factus est. Item qui seipsos quidem humiliare non dubitant, sed ab aliis humiliari ac vel uno asperiori verbo reprehendi non sustinent. Alii sequuntur Christum cum Petro usque in atrium Principis Sacerdotum, sed cum à turba objurgantur, eum negant, pernegant & ter negant: Uti sunt qui inter hæreticos dum versantur, ab iis objurgati propter religionem à proposito dijciuntur, cum ipsis carnes vorant vetitis diebus, detrahunt Catholicis, &c. Item qui in sociorum gratiam vino sese obruunt, aut in alia scelera præcipitant, vel à bonis propositis resiliunt.

Alii sequuntur usque ad crucem cum Cyrenæo, sed non usque ad crucifixionem; conspecta enim cruce horrent & recedunt, nec in crucum figi volunt: Tales qui proponunt nullum negligere sacrum festis diebus, nulli pauperi eleemosynam negare, nullum jejunium infringere, nunquam execrari: sed ubi tentatio occurrit, resiliunt uti cancri obstaculo quopiam impingentes: negligunt sacrum ob vilissimum lucrum: violant Festa: execrantur & mentiuntur ob res nihili. Non ita S. Andreas, qui conspecta cruce magnopere lætatus sibique gratulatus est. Alii denique ad crucifixionem usque, sed in eâ non perseverant. Tales qui pœnitentiam, afflictiones, paupertatem, contemptum, morbos, injurias, &c. libenter quidem acceptant: sed tandem crucis pertæsi descendunt ad impatientiam, contra Deum murmurant, sicut populus Hebræorum, cum in deserto cepit tædium itineris ac laboris, ideoque murmurans contra Deum & Moysen regredi in Ægyptum voluit. Non ita S. Andreas, qui deponi de cruce noluit, & Deum precatus est, ne deponeretur, cum biduo pependisset. Alii denique sequuntur usque ad crucem, & in ea permanent. Et his solis dicitur, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

CONCIO VII.

DOCUMENTA Evangelii.

I. A Christo. 1. Indefessum laborem benefaciendi. 2. Propensionem ad salvandos omnes. 3. Paternam solicitudinem.

II. A Discipulis, Zebedæo. 1. Honeste occupari. 2. Concordiam fraternam. 3. Promptitudinem sequendi Christum.

THEMA.

Faciam vos fieri piscatores hominum, Matth. 4.

NOn unius generis reperire est piscatores hominum; sed alii fugiendi sunt, alii admittendi. Fugiendus est Diabolus, primarius piscator, fugiendi ejus asseclæ & socii, hæretici, necromantici, & seductores universi. Admittendus & amandus est ex alterâ parte Christus, primarius item piscator: admittendi ejus servi, quos ad piscandum misit. Prior ille piscator hamo utitur, quia dum escam vilem & exiguam fluxi alicujus boni porrigit, interim unco lædit, & conscientiam capti lacerat, ac demum perdit & mactat. Christus ejusque Prædicatores non hamum, sed rete adhibent, quo non sauciantur pisces, sed incolumes capiuntur, & demum in piscinam cœlestem inferuntur. *Ego veni ut vitam habeant*, inquit, *& abundantius habeant.* Ergò qui in piscinam illam vult immitti, fugiat piscatorem primum, adeat secundum, cujus imperio & nomine ego quoque rete meum expandam, & paucula documenta tradam. A.

Tripli-

B. Triplices personæ reperiuntur in hoc Evangelio: Christus, Zebedæus, Discipuli, & singuli aliquid docent.

I. *A Christo.* 1. *Indefessum laborem benefaciendi.* A Christo disce Primò Christi indefessum laborandi & benefaciendi studium. Perpetuo ambulat, & circuit mare & aridam ut lucretur animas. Rarò sedisse legitur, nisi fortè cum doceret, vel fatigatus ex itinere esset. Et nunc ambulat circa mare, ut doceat nos vitam hanc viam esse ad patriam, nec unquam nobis standum, semper verò ambulandum, & in virtute progrediendum. Avis quamdiu volat, in tuto est; sed cum sedet in periculo. Ita otiantibus potissimum nocere potest Dæmon, non progredientibus in viâ Dei. Advertendum etiam hoc mare Tiberiadis seu Genesareth effici à fluvio Iordane, qui à duobus gignitur fontibus, Ior & Dan, *amnis amœnus & quantum locorum situs patitur, ambitiosus, accolisq; se præbens, velut invitus Asphaltiten lacum, dirum natura, petit, à quo postremò ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas,* ut scribit Plinius l.5.c.15. Fluvius iste typus est vitæ humanæ; nam primò Iordan, fluvius vel descensio judicii exponitur, deinde in planitie se dilatans, efficit lacum seu mare Tiberiadis amœnissimum & multis civitatibus cinctum, demum inde rursum effluens, *invitus*, ut ait Plinius, absorbetur à mari mortuo diro & pestilenti, ibique perdit optimas & dulcissimas suas aquas: Ita omninò vita humana fluvius seu descensio est ad judicium & mortem, *omnes morimur*, ait illa Thecuitis, *& quasi aquæ delabimur in terram, quæ non revertuntur*, 2.Reg.14. ac licet aliquamdiu se ambitiosè dilatet, diligatur & colatur, tandem tamen absorbetur invita à mari mortis, ubi perdit optimas suas delitiarum aquas, & bibit heu amaras. Iuxta hunc ergo fluvium & lacum ambulat Christus in hodierno Evangelio, docens nos juxta eundem sæpe ambulare per contemplationem, ut intelligamus quò continuò labamur. *Tu dormis*, ait S. Ambrosius in psalm. 1. *& tempus tuum ambulat, & vide ne dum dormis, tempus prætereat: ideò & si dormis, cor tuum vigilet.* Cum ergo vita tua semper ambulet cum Iordane, vide ut tu quoque ambules juxta eum: ne dormiens & imparatus, abripiaris in mare mortuum.

2. *Propensionem ad salvandũ omnes.* Secundò, Parem animi propensionem ad vocandum & salvandum omnes sine acceptione personarum. Ambulans enim circa mare vocat ad se, quos primo offendit, piscatores, Petrum & Andream; deinde progressus pusillum vocat, quos secundo loco offendit, affines suos, Iacobum & Ioannem, nullâ prorsus factâ propinquitatis mentione; ut intelligas eum non attendisse ad carnem & sanguinem: alioquin hos primò vocasset, nec veluti casu offendisset, sed ultrò quæsivisset & affines appellasset; neque solum mare sed etiam circumjacentes maritimas civitates, hoc eodem fine crebro perambulabat. Neminem ergò despicit Christus: sed perambulat mare hujus mundi, ut obvium quemque vocet ad salutem; non aliter ac Sol omnes cupit illuminare, quotquot ejus lumini aditum non præcludunt. Denique etiam ubi se novit frustra laboraturum, expandit rete suum ad capturam, modò per exempla bona, modo per inspirationes occultas, modo per libros pios, modò per beneficia, modò per tribulationes & clades publicas. Hinc per Isaiam c. 65. ait Dominus: *Dixi ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum incredulum, &c.* Et Prov.1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua dicens: usquequo parvuli diligitis infantiam & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient & imprudentes odibunt scientiam? convertimini ad correptionem meam, &c.* Nullus ergo in mundo locus quem non perambulet Deus suâ vocatione: imò ubi maxima Dei oblivio, in foro, in plateis, inter turbas & judicia, ibi maximè se insinuat & monet de imminente periculo.

3. *Paternam sollicitudinem.* Tertio, Paternam sollicitudinem pro laborantibus fratribus. Vidit enim eos occupatos partim in mittendis retibus ad capturam, partim in reficiendis; vidit eos duro & tamen inutili opificio distentos, ideoque satagebat, quomodo eos ab hoc gravi liberaret jugo, & subderet suo leviori & salubriori; quasi diceret: Quousque ô miseri in hac vestra servitute diu noctuque desudatis nullo pene fructu: Quid enim ex hoc vestro labore & sudore amplius reportare potestis quam exiguum lucrum? Ego verò ostendam vobis meliorem piscaturam, minus laboriosam & magis fructuosam; Venite post me, ut non jam pisces sed homines capiatis. Quibus verbis videtur ad se vocare quotquot mundo serviunt & gravi dæmonis premuntur jugo, qui diu noctuque innumeris laboribus, curis & cogitationibus implicantur, quasi dicat: Quorsum sic vos ipsos implicatis & occupatis in mundi hujus gurgite? quorsum retia toties tenditis pro inutili capturâ dignitatis, honoris, lucri, voluptatis exiguæ? cur in hæc inania studia omnes vestras cogitationes impenditis, quasi ad altiora creati non essetis? *Quare appenditis Argentum* (laborem, industriam, studia, &c.) *non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* id est, in ea, quæ vos saturare possunt? inquit Isaias c. 55. Quid nisi defatigatos artus & exiguum lucrum inde reportabitis? *Venite igitur ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos; jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, Matth 11. sic pater videns filium absumere peculium suum in pueriles nugas, ait filio: da mihi nummos tuos, ego quid melius iis comparabo, & emit ei vestem vel fundum. Quod evenit his discipulis, cum totâ

nocte laborantes nihil ceperunt; idem evenit mundi amatoribus, qui fluxa & inania sectantur ac piscantur bona; nam etiam cum delicijs fruuntur, defatigantur & lassantur, eoque labore nihil capiunt. Quod si tunc lassitudinem non sentiunt, sentient aliquando cum illis qui dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis*, Sap. 5. Audiant igitur paternum Christi consilium mundi sectatores, ut abjecto mundi jugo, gravi & inutili, suscipiant jugum Christi suave & salutare: ac jam non pisces, sed animas; jam non terrena, sed cœlestia captent bona, studio bonorum operum.

C. II. *A Zebedæo.*

A Zebedæo etiam disce aliquid. Quidnam verò illud? Heroica magnanimitas. Non enim obstitit filijs, quo minus Christum sequerentur, non conquestus est auferri sibi chara pignora, questum & nutritores suos; non cucurrit post abeuntes, non crines laceravit, quod sane plurimi faciunt parentes, cum eorum filii ad religionem evocantur; nimirum cogitabat prudens iste pater, aut certe cogitare debuit: Primo, si Deus ipse conditor ac dominus misit in obsequium nostrum filium suum, ut nostri causâ pauper fieret, magnum non esse, si ipse vicissim filios suos Dei obsequio donaret. Secundo cogitabat nihil melius in hac vitâ posse filiis obtingere, quàm si vestigijs Christi insistant, nullam meliorem hæreditatem illis relinqui à se posse, quàm si eos fieri sinat Apostolos Christi. Si enim rex quispiam eos adoptasset in filios, vel creasset principes, quomodo parens obstitisset, licet nunquam eos visurus esset amplius? Tertiò cogitabat filios suos magis esse DEI, quàm suos, adeòque Christum repetere id quod suum est. Quartò si morte præmaturâ sibi eriperentur, ferendum fore: quanto magis, cum non periere, sed vivere cœperunt Christo? Quintò cogitabat periculosum fore repugnare tanto viro, qui Messias putaretur. Sexto forsitan recolebat animo Abrahamum, Annam Samuelis matrem, Machabæorum matrem, qui & ipsi filios suos obtulerunt Domino. Atque hæc eadem si revolvant animo parentes, non admodum obsistent, sed potius optabunt, vocari liberos suos ad obsequium Christi & statum perfectionis.

D. III. *A Discipulis.* 1. *Honestè occupari.*

A discipulis disce primo labori & honestæ occupationi pro status tui convenientiâ vacare. Illi enim non in navi stertentes aut ludentes deprehensi sunt, sed mittentes rete in mare, vel id sarcientes. Quod opus etsi vile fuit, placuit tamen Christo, quia statum ipsorum decuit; Unde subjecit Evangelista: *Erant enim piscatores.* Placent igitur divinis oculis, qui suæ vocationi intendunt. *Vnicuique*, inquit Apostolus, 1. Corinth. 7. *Sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet.* Et mox: *Vnusquisque, in quâ vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Hinc voluit Ioseph ut pater & fratres coram Pharaone libere confiterentur se pastores esse, licet nosset Ægyptiis exosos esse pastores, quia noluit fratres suos ad status aulicos evehi, sed in arte pastorali, quam à majoribus suis acceperant, permanere, & in hunc finem ab aulâ excludi, remitti verò in Gessen, ubi pastoritiam exercerent, Genes. 46. Ergo pastores pastoralia, piscatores piscatoria, clerici clericalia, opifices sua quique opificia & singuli denique, quæ suo competunt statui tractare studeant: quæ supra se sunt, non ambiant aut affectent, nisi Deo displicere & navim suam evertere velint. *In quo vocatus est opere*, ait S. Ephrem adhort. 4. tom. 2. *firma anchoras ac funes, ne in pelagus tua navis impellatur.* Cæterum quia facile evenit, ut dum quisque statui suo intendit, & retia sua mittit in capturam rerum honestarum, interim retia illa rumpat, id est, conscientiam suam offendat: ex quo illud damnum oritur, ut nihil meritorum de bonis operibus capiatur, idcircò subinde videndum unicuique, ut retia sua reficiat, si qua refectione indigent per examen conscientiæ & pœnitentiam.

2. *Concordiam fraternam.*

Disce secundò concordiam fraternam. Ecce enim duo fratrum paria in eodem lacu, per omnia sibi consentientium. Primi duo simul mittunt retia in capturam. Posteriores duo simul reficiunt retia. Denique à Christo vocati, omnes unanimi consensu sequuntur, nullus excusat, nullus tergiversatur, & verò ideo forte vocati sunt ad tantam dignitatem, quia tam unanimes. Ait enim Ecclesiasticus cap. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, &c.* Primum hoc, quod præ cæteris Deo placet; ideoque libenter adest, ubi ejusmodi concordia est. Quod cuique maximè placet, id libentius aspicit, tractat, quærit, &c. Ingrediuntur plures in celebrem civitatem, qui ædificiis afficitur, ædificia spectat; qui hortis, hortos; qui templis, templa, &c. Christo præ cæteris placet charitas fraterna; ideo dixit Matth. 18. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ideo eandem in ultimo suo sermone post cœnam habito, adeo commendavit discipulis suis, & postremo omnibus Christianis. *Non pro eis* (Discipulis) *rogo tantum*, inquit Ioan. 17. *sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint.* In quæ verba S. Cyprianus lib. de orat. Dom. ait: *Rogantis desiderium videte quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater & filius, sic & nos in ipsa unitate maneamus, ut hinc quoque possit intelligi quantum delinquat, qui unitatem scindit & pacem, &c.* Deus pater semper audivit filium suum & tu illum non audies.

Disce

3. *Promptitudinem sequendi Christum*

Disce Tertiò promptissimam voluntatem & obedientiam ad sequendum Christum, mundumque deserendum. Nam inprimis videbant Christum ambulantem juxta mare, pauperem, desolatum: nec ulla ab eo miracula fieri adhuc viderant; & tamen ad unicam ejus vocationem sequuntur, continuo relinqunt, patrem, navem, retia: sequuntur cùm jam in opere piscatorio sunt, & capturam sperant: non interrogant, quorsum eos applicaturus sit, vel quid sit fieri piscatorem hominum: non paciscuntur nec inquirunt de mercede. Hæc sanè jure miratur S. Gregorius in homil. super hoc Evangel. nostramque contumaciam taxat, cum ait: *Nulla hunc facere miracula viderant; nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant: & tamen ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus? quot flagellis affligimur? quantis minarum asperitatibus deterremur, & tamen vocantem sequi contemnimus. In cœlo jam sedet, qui de conversione nos admonet, jam jugo fidei colla gentium subdidit, jam mundi gloriam stravit, jam ruinis ejus crebrescentibus districti sui judicij diem propinquantem denunciat, & tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit invita. Quid ergo fratres charissimi, quid in eius judicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur?* Hæc Greg. sed objiciet aliquis. Uterque iste piscator, quid aut quantum dimisit qui pene nihil habuit? Respondet mox idem S. Pater: *Hac in re fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam Censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantum libet parum, totum deseruit. Certe nos & habita cum amore possidemus, & ea, quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergò Petrus & Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi reliquit. Multum dimisit qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt; quanta à non sequentibus concupisci potuerunt.* Hæc ille. Respondeo deinde nihilo plus relinquere, etiam qui plurimas passiones relinquit, si res attente consideretur. Reliquerunt enim discipuli patrem vetulum, naviculam & retia lacerata. Et quid est mundus, quid amici, nisi pater vetulus brevi moriturus, imo quotidie moriens? Quid caro ejusque voluptates, nisi parva cymba, quâ expatiamur in hoc mari magno periculo, brevi delectatione: quam quo magis implemus & oneramus piscibus, id est, voluptatibus, tanto citius mergimus? Quid sunt curæ & occupationes hujus mundi, quid opes, honores & dignitates, splendor vestium & pompa, nisi retia, quibus implicamur & capimur ipsimet, simusque præda Dæmoni? Non sit ergo nobis difficile sperre hæc & relinquere, saltem quo ad noxium & inordinatum istorum usum. *Quia ergo fratres charissimi* (Concludo cum S. Gregorio in hom. hujus festi) *beati Andreæ Apostoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Ostendat nostræ obsequium devotionis immutatæ solemnitas mentis, despiciamus quæ terrena sunt: relictis temporalibus, mercemur æterna. Si autem nec dum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena. Si nec dum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frænum timoris: ut profectus sui passibus vegetata, dum ab alienorum appetitu compescitur, quandoque ad propria contemnenda perducatur adjuvante Domino nostro IESV Christo.*

2. *Concordiam fraternam.*

CONCIO VII.

MYSTERIA.

I. Cur Christus adscivit discipulos.
II. Cur eligit Piscatores.
III. Cur vocavit binos fratres.
IV. Quomodo tam cito attracti discipuli.
V. Quomodo valedixerunt piscatoria.
VI. Quid est spiritualiter relinquere retia.

THEMA.

Ambulans Iesus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Matth. 4.

A.

EVangelium, Auditores, mare quoddam est inexhaustum & plenum cœlestibus doctrinis, quasi gemmis & margaritis; profundissimum quoque & reconditis mysteriis refertum. Quare ad exemplum Christi ambulemus juxta hoc mare, quæremus ejus margaritas, scrutemur profunditatem. Vidit & invenit Christus juxta mare piscatores: nos videbimus arcana, quæ in mari Evangelico latent.

B. I. *Cur Christus adscivit Discipulos.*

Quæst. I. Cur Christus adjunxit sibi discipulos? Respons. 1. Ut haberet testes dictorum & factorum suorum, qui ea toti nunciarent & testarentur orbi.

2. Secundò. Ut haberent homines ansam bene merendi de se invicem, dum quidam alios instruunt, uti Apostoli: alii istos audiunt eisque parent. Decuit ut inter homines assent magistri, alii discipuli, alii velut lapides & ligna, quæ se dedolari & perpoliri ab illis paterentur.

Tertiò

3. Tertiò, Ut Dei gloria magis amplificaretur, si aliqui pisces ab eo capti fierent piscatores aliorum hominum. Mirum hujusmodi spectaculum ac pene miraculum in piscium natura refert Ovetanus. hist. lib. 13. cap. 10. aliique. Iuxta enim Hispaniolæ Insulæ littora compertus est pisciculus non multò longior hominis ulnâ; hunc à parvulo domi in vase marinis aquis oppleto alunt, fitque adeò cicur, ut tractari & palpari gaudeat. Porrò audax animal est adeoque excelso animo, ut in eo vigere putes aliquod rationis vestigium. Fit egregius piscium in mari ad Domini sui commodum venator; funiculis enim retis modo obvolvitur, ne in mare missus dispereat, deinde prælongo alligatus fune, perinde ac canis per mare hac illac vagatur, & obvium quemque etiam majorem se piscem testudinemve aggressus, latera primum morsu vulnerat, neque priùs prædam mordicus tentam deserit, quàm fune uterque in littus trahatur aut in navigium. Non minus admirabilem piscationem instituit Christus, quando paucos discipulos rudes domi suæ educavit, & ita tractabiles atque ad omnia idoneos fecit, ut amore sibi devinctos dimitteret longo quasi fune in orbem universum, ad capiendos homines alios etiam doctiores, nobiliores & ditiores longè quam ipsi essent; qui & miro prorsus successu toto orbe plurimas gentes brevi tempore ceperunt, & Christo adduxerunt.

C. II. *Cur elegit Piscatores*

Quæst. 2. Quare piscatores primum eligit? Resp. ut ostenderet munus Apostolicum simile esse piscaturæ. Christiani enim piscibus similes sunt, quia ex aquis baptismi spiritualitet nascuntur; quare eadem pene industria ad Christum inducendi sunt, quia solent capi pisces, per rete scil. quod verbi Dei prædicationem denotat. Rete enim nec sericum esse, nec variis picturis aut coloribus ornari debet; sed planum fit, simplex, non magno atque elaborato artificio contextum, forte tamen & solidum. Ad hæc instructum sit unà ex parte plumbo, quo ad ima trahatur; ex alterâ verò subere, cujus adminiculo supernè aquis innatet; alioquin vel totum mergeretur, vel totum supernataret, sicque nihil omnino piscium comprehenderet. Pari modo Evangelii prædicatio non figuratarum elocutionum picturis, non eloquentiæ splendore, non mundanæ sapientiæ auro indiget; sed potius debet Concionatoris sermo sale esse conditus, ut luceat in eo Christiana quædam simplicitas & cœlestis sapientia, & gravis compositio cum quadam moderatione conjuncta. Deinde habere debet plumbum divini judicii & infernalium pœnarum, quo peccatores terreat, & leve suber misericordiæ divinæ & cœlestium promissionum, quibus eos ad spem erigat; nec solo nitatur timore, ne fortè ad ima desperationis suo secum pondere pisces rapiat; nec solâ misericordiæ recordatione blandiatur, ne fortè nimium fidentes scelestorum animi in elationem efferantur.

D. III. *Cur vocavit binos fratres.*

Quæst. 3. Cur binos vocavit fratres? Resp. 1. Ut intelligamus eos, qui Ecclesiam gubernant, vinculo charitatis & unionis inter se devinctos esse debere, ne in schismata dividantur magno ovicularum damno. Hoc enim tam seriò orat Apostolus 1. Cor. 1. illis verbis: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, &c.* Ita Num. 11. fecit Deus 70. viros cum Moyse rempubl. administraturos ejusdem Spiritus participes. *Auferam de Spiritu tuo*, ait Moysi, *tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Quare merito ab Ecclesia eliminantur & excommunicatione feriuntur hæretici & schismatici, pacis & charitatis turbatores.

2. Ut doceret velle se Christianos omnes ex fraterno amore conjunctos esse, idem sapere & in idem tendere. Hinc mox in primæva Ecclesia usus obtinuit, ut Christiani se mutuò vocarent fratres & sorores: ita ut communis de Christianis gentilium esset vox: *Vide ut se diligant? ut alter pro altero mori sunt parati.* Tertull. in Apol. 39. Hinc Pacominus adhuc gentilis & militans in exercitu Constantini Magni, videns Christianorum erga milites egenos charitatem & munificentiam, inde ad fidem conversus & Monachus, imo Monachorum pater & Princeps factus est; ut in ejus vitâ. Quàm vero grata sit Deo hæc unanimitas, ex hoc Dei oraculo discite: B. Machario celebri Anachoretæ revelatum fuit, duas mulieres, quæ erant uxores duorum fratrum, ipso esse sanctiores, eo quod in eadem domo per annos 15. ita concorditer vixissent, ut nunquam litem aliquam habuerint, vel verbum asperius sibi invicem dixerint, uti refert Ruffinus in vitis Patrum, lib. 3. n. 97. Porrò *melior est*, inquit S. August. ser. 25. de verb. Apost. *Fraternitate sanguinis, Christi fraternitas, quoniam illa interdum sibi inimica est: Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit: hæc etiam cum gratulatione communicat.*

E. IV. *Cur Zebedæus nō vocatus?*

Quæst. 4. Cur Zebedæus non est vocatus? Resp. 1. quia ob senilem ætatem ad munus prædicationis parum utilis fuisset. Ad longinqua enim itinera, ad omnis generis labores & afflictiones sufferendas mittendi erant Apostoli.

2. Quia senes minus tractabiles parumque ad disciplinas capiendas idonei sunt; suæ enim opinionis communiter tenaces, & pravis habitibus imbuti sunt, à quibus revocari difficulter possunt. Unde in his verificatur id Ambrosii, *Facilius reperi, qui servaverint innocentiam, quam qui veram egerint pœnitentiam.*

Quæst.

F. V. *Quomodo tam citò attracti discipuli?*

Quæst. 5. Quomodo tam cito attracti discipuli? Resp. 1. internâ illustratione & motione; dum vidit eos Christus. Si enim Sol radiis suis quasi aspectu terram disponit ad generationem, quanto magis aspectu suo Christus hominum corda ad sui sequelam disponere potuit. *Oculi enim Domini multo plus lucidiores super Solem, &c.* Eccl. 23. Respexit Petrum Christus post negationem ejus, & statim liquefecit cor ejus ut in lachrymas solutus agnosceret, & defleret peccatum suum. Vidit eundem Petrum cum Andrea in hod. Evangelio, uti expressit Evangelista; quid mirum, si hoc aspectu corda illorum moverit, ut ipsum sequerentur? Deinde Petrus & Andreas jam ante Christo familiares erant, & ad colloquium ejus admissi, ut patet Ioan. 1. ex quo colloquio statim didicit Andreas Christum esse Messiam, quod mox indicavit Petro, dicens: *Invenimus Messiam.* Idem fructus conversionis sperari posset ab Hæreticis, si adirent Catholicos, si eorum sacra viderent, Conciones audirent, mores & pietatem observarent, de rebus fidei cum iisdem conferrent. Verum quia hanc lucem fugiunt, in tenebris relinquuntur. Neque enim decet ut miracula illis fiant, dum humano modo ad fidei cognitionem venire possunt. Habent Moysen & Prophetas, id est, Ecclesiam & Doctores ejus, audiant illos. Sed quia lucem veritatis fugiunt, idcirco & ipsi fugiendi tanquam veri hæretici sunt. Hinc Sanctus Agathon Abbas, ut refert Evagrius, lib. 2. de Vitis Patrum, cætera humilimus, quævis opprobria libentissime perferebat, addens se mortalium omnium pessimum esse. Cum vero obtrectatores ei dicerent: *Audivimus præterea te hæreticum esse*; mox rupto silentio; *Absit*, inquit, *à me, ut sim hæreticus*; Causamque subdit: *Cætera peccata infirmitatis & fragilitatis sunt, hominemque Deo adhuc per fidem unitum relinquunt: hæresis vero pertinaciæ est notæque malitiæ, quæ hominem à Deo prorsus avellit, quia arboris radicem, fidem exscindit.*

G. VI. *Quomodo valedixerunt piscatoriæ?*

Quæst. 6. Quomodo reliquerunt piscatoriam; si quidem & postea Ioan. 21. eam exercuerunt? Resp. reliquisse retia & navim suam quoad proprietatem seu dominium, & quantum ad officium piscandi, non quantum ad usum aliquem necessitatis causa. Aliud est ergò dominium, aliud usus rei, hic conceditur religiosis, non illud. Quin etiam Apostolus hoc ipsum suadet omnibus, ut scil. rerum suarum se non Dominos, sed usufructuarios tantum existiment, 1. Corinth. 7. *Qui emunt*, inquit *tanquam non possidentes* [sint] *& qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Hoc ipsum ut Iudæos doceret DEVS, instituit annum Iubilæi quinquagesimum, sanxitque ut illo anno omnes agri & prædia coëmpta ab emptore redirent sine pretio ad venditorem. Causam dat Levit. 25. dicens: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & Coloni estis.* Vt nimirum sciatis, inquit Philo. lib. de Cherubim, solum DEum proprie rerum omnium esse Dominum & possessorem: homines vero earum tantum habere usum fructum ad vitam, non verò dominium.

H. VII.

Quæst. 7. Quid est spiritualiter relinquere retia, navim, Zebedæum? Resp. ex Chrysostomo, esse relinquere carnales actus, substantiam mundi & parentes. Quid enim mundi negotia, amor, curæ, solicitudines, nisi retia, quæ mille modis & nodis hominem implicant & capiunt? Quid mundi opes, honores, deliciæ, nisi navicula fragilis & fluctuans, navigantem citò evertens? Quid parentum amor; nisi seniculus quidam Zebedæus, brevi moriturus?

Superest nunc ut has, quas ex Evang. collegimus gemmulas in auribus & annulis nostris inseramus, hoc est, & memoriæ commendemus & opere exerceamus, quod didicimus &c.

***

IN FESTO SANCTI NICOLAI.

Evangelium Matthæi. 25.

IN illo tempore, dixit JEsus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem. Et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat: abiens, fodit in terram, & abscon-

abſcondit pecuniam Domini ſui. Poſt multum vero temporis venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus ejus: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi: ecce alia duo ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus ejus: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es: metis ubi non ſeminaſti & congregas ubi non ſparſiſti; & timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum eſt. Reſpondens autem Dominus ejus dixit ei: Serve male & piger, ſciebas, quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit & fletus & ſtridor dentium.

CONCIONES.

I. *Quinque talenta ad meritum exercenda & in Eccleſia diſpenſanda, diſpenſata à Sancto Nicolao, quinam defodiant.*

II. *Cur inſtituendũ aliquando Iudicium univerſale.*

III. *Vnumquemque ſuis talentis contentum eſſe debere.*

IV. *Quid debeant parentes Liberis.*

V. *Quid debeant Liberi parentibus.*

VI. *Vſura damnatur.*

VII. *Documenta Evangelica.*

VIII. *Myſteria Evangelii.*

CONCIO I.

QUINQUE TALENTA AD MEritum exercenda & in Eccleſia diſpenſanda, diſpenſata à S. Nicolao, quinam defodiant.

I. Gratia.
II. Scientia.
III. Poteſtas Iurisdictionis.
IV. Ingenium & ratio.
V. Divitiæ.

THEMA.

Abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam Domini ſui, Matth. 25.

A. Pingi ſolet Chriſti judicantis imago, cum viridi ramo à dexteris, & nudato gladio à ſiniſtris. Cujus picturæ ratio ex hodierno Evangelio deſumi poteſt. Venit enim Dominus, qui talenta ſervis ſuis ad negotiandum diſtribuerat, Primò quidem ad ſervos bonos; cum viridi ramo præſtantisſimæ laudis: *Euge ſerve bone & fidelis, &c.* Quid ſuavius hac voce? Venit deinde ad ſervum pigrum cum gladio condemnationis: *ſerve male & piger,* inquit: *Tollite ab eo talentum, & inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores.* Quid durius hac increpatione? Itaque duplici hac voce invitat nos Dominus ad negotiandum cum talentis nobis creditis: promiſſione gloriæ & comminatione pœnæ; & videtur nobis dicere id Apoſtoli 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Quia verò neminem ita inſanire, arbitror, qui virgam Dei experiri malit in adventu ejus, quam charitatem, quique audire malit: *Serve male & piger,* quam *Euge ſerve bone & fidelis?* idcircò ad hoc totis viribus conemur, ne talenta nobis credita in terrâ defodiamus.

B. Quinque diverſa talenta reperiuntur in ſacris literis, per quæ quinque potisſima dona hominibus à Deo data ad meritum & diſpenſationem, poſſunt intelligi; Talentum auri argenti, ferri, æris, plumbi: hoc Zach. 5. Reliqua quatuor. 1. Par. ult.

I. *Gratia.* Primùm talentum Auri, gratiam ſignificat, quæ animâ ditat, & cætera dona ſuperat, uti tantum alia metalla. De hac Apoſt. 2. Corinth. 6. ait: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum autem recipiunt gratiam, qui eâ non utuntur ad id, ad quod data eſt illis. Datur autem nobis non tantum ut veſtis inſtar animam ornet, & DEO gratam faciat, ſed etiam ut gladius & ſcutum ad vitanda inpoſterum peccata & peccandi occaſiones evadendas: velut inſtrumentum artis ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos, quibus redimamus pœnas peccatis noſtris debitas, ut aurum vel pecunia ad comparanda merita gloriæ & dignificanda opera noſtra quò DEO placeant & gloriam mereantur, licet minima ſint, velut equus ad promptè & ſuaviter conficiendam viam mandatorum: velut ignis

ignis ad calefaciendos & accendendos etiam proximos. Quare meritò de ea Sapiens dixit, Sap. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Hunc verò thesaurum in terram defodiunt & abscondunt omnes, qui ad prædictos fines gratiâ non utuntur. Idcircò enim in Baptismo, Confirmatione, aliisque Sacramentis gratiam accipimus, ut cum eâ negotiemur & lucrum faciamus, ut discimus ex Apostolo 2. Corinth. 1. ubi ait: *Unxit nos DEus, qui & signavit* [græcè sigillavit] *nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Constat ungi consuevisse milites & luctatores, signari verò cursores [quemadmodum & hodie Iudæi ad certamen cursus electi, sigillari in fronte solent.] Ergò ad hoc uncti sumus gratia Dei, ut pugnemus: ad hoc signati ut curramus pro bravio. Cum ad Saulem dixisset Samuel 1. Reg. 15. *Me misit Dominus ut ungerem te in Regem*; statim subjecit 2. *Nunc ergò audi vocem Domini: Vade & percute Amalec:* idem multò magis nobis dici existimemus. Saulem enim unxit Samuel tantùm, nos autem DEus, ut audivimus ex Apostolo. Ergò si uncti sumus, & à DEO quidem: audiamus ergò vocem Domini & percutiamus Amalec, hoc est Diabolum, Mundum, Carnem, vitia nostra. *Idcircò*, inquit S. Chrysostomus hom. 13. in Matth. *arma accepisti, non ut otieris, sed ut pugnes.* Fecit hoc Apostolus, qui 1. Corinth. 15. ait: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravit, non ego autem sed gratia Dei mecum.* Similiter S. Nicolaus, qui nequaquam otiari cum gratiâ Dei, sed à puero, statim negotiari voluit, dum adhuc infans, singulis quartis & sextis feriis semel tantum ubera matris suxit. Puer deinde factus & Iuvenis, aliorum juvenum devitans lascivias, Ecclesiarum potius trivit limina. Adhæc ingenti studio salutem animarum quæsivit.

C. II. *Scientia.*

Secundum, talentum Argenti scientiam significat scripturæ & verbi Dei, quod sonorè est prædicandum, quomodo & argentum quoque sonorum est. Hoc enim mandavit Dominus Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris*, inquit, *dicite in lumine & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Cum enim verbum Dei res sit omnibus hominibus apprimè necessaria, ideò quibuscunque indigentibus debet communicari. Si quis abundaret panibus, & parvulis esurientibus eos communicare nollet, sed recluderet in cista, an non graviter peccaret, præsertim si sciret panes inde non minuendos? Sanè quatuor illi leprosi 4. Reg. 7. cùm viderent castra Syrorum deserta & victualibus redundantia, Samariam verò civitatem obsessam & fame afflictam, *si tacuerimus*, inquiunt, *& noluerimus nunciare usque manè, sceleris arguemur.* Quomodo igitur non arguentur, qui cùm aliis communicare verbum Dei possint, pro occasione oblatâ non faciunt? His enim dicitur Prov. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis.* Hoc verò talentum abscondunt, non solum qui docti cum sint, alios docere nolunt, sed etiam qui verbum Dei auditum, aliis cùm possint ac debent, non communicant: Veluti Parentes, qui non docent liberos. Multò magis peccant, qui idem memoria non retinent, sed mox oblivione sepeliunt. Item qui multa bona sciunt & audierunt, non tamen secundum ea vivunt. Adhæc, *Veritatem tacere, est aurum abscondere*, inquit Evagrius. Videtur etiam qui cùm legere & scribere didicerint, nihil unquam spirituale legunt: nec peccata sua literis adnotant pro facienda confessione, quando inde fit, ut multa obliviscantur & confiteri negligant. Similiter qui de animæ periculis cavendis alios præmonere cùm possint, nolunt. Scimus enim quid evenerit Ionæ, quando jussus à DEO prædicare Ninivitis instans illis periculum subvertendæ urbis, renuit & fugit à facie Dei. Non ita S. Nicolaus, qui à juventute sedulò Dei verbum audire studuit, & quicquid in concionibus de sacra scripturâ intelligere poterat memoriæ commendabat, ut habetur in ejus vitâ. Idem in Palæstinam profectus horribilem tempestatem nautis sereno cœlo prædixit, coortamque precibus sedavit. Idem contra edictum Maximiani fidem liberrimè prædicavit, & cum longe abductus esset in carcerem, in quo positus prædicare non destitit, captivos ad martyrium accendit.

D. III. *Potestatem iurisdictionis.*

Tertium talentum Ferri, potestatem Iuridictionis denotat, quia ferrum omnia domat. Hâc probè exerceri & nequaquam abscondi præcipit DEUS Ierem. 48. cum ait: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*, id est, qui secandum aliquod vulnus cernit, & tamen secare recusat, ut ait S. Gregorius 3. p. pastoral. admon. 26. quod utique de Iudice & Magistratu intelligendum. De hoc enim ait Apostolus ad Rom. 13. *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est.* Atqui frustra gereret, si in sontes non educeret. Tales etiam Magistratus, Idola vocat DEUS Zach. 11. O *Pastor & Idolum*, inquit, *derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus*, quasi dicat. Quia non tam Iudex quam Iudicis simulachrum ligneum est, educere gladium nolens, ideò dignus ut gladius divinæ ultionis in eum animadvertat. Quod Regi Achab prædictum fuit 2. Reg. 20. cum dimisisset Benadab regem Syriæ: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua, pro anima ejus*; quòd paulo post ei contigit, cùm in prælio à Syris occisus est, 3. Reg. ult. Sapiens quidam Atheniensis, uti refert Tympius in specul. Magist. p. 2. Sig. 51. Missus erat à senatu Lacedæmonum, ut observaret quibusnam legibus ac institutis civitas regeretur. Reversus in patriam, vocatus à senatu est ut sui itineris rationem redderet, tandemque rogatus, quomodo Lacedæmonii rempublicam administrarent; fune, furca, gladio, aliisque exquisitis tormentorum instrumentis in Senatu depositis: *Hæc*, inquit, *sunt Leges Lacedæmoniorum, in his civitatis*

vitatis salus & administratio ponitur; quasi diceret, non in legibus condendis, sed in observandis urbis administratio consistit. Vt enim opes in arca positæ non prosunt hominibus, si non expendantur: ut pharmaca in pharmacapolio, si non adhibeantur, ita leges quoque tabulis inscriptæ mortuæ sunt, nec prosunt civitati, si non rigidè observentur. Quare optime Seneca dixit, *Pinguiorem mactari victimam non posse quam hominem sceleratum.* Et M. Cato dicebat, eos magistratus, qui maleficos pœnis non coërcent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus Reipublicæ labefieret, inquit Plutarchus in ejus vitâ. Nocet enim bonis, qui parcit malis. Porro quanto justitiæ zelo arserit S. Nicolaus, ex eo patet, quòd tres cives Myrenses nequitia judicis iniq; condemnatos & jam gladio carnificis subjectos mirabili animositate eripuerit, excutiendo gladium carnifici & arguendo judicem, comminandoque accusationem apud Imperatorem. Item, quod tres tribunos legatos Constantini Magni fraude malorum neci destinatos itidem liberarit, arguendo per visum Imperatorem, & cominando illi prælium atq; interitum totius familiæ, ut in ejus vita.

E. IV. *Ingenium & Ratio.*

Quartum talentum Æris, naturæ bonum est, Ingenium, & Ratio: Quia ut æs ex se aptum est in alia converti, & in quamvis figuram facile transfundi: sic ratio, ingenium & indoles naturæ, quæ bene & malè efformari possunt, pro ratione disciplinæ, aptaque sunt ad bonas & malas, utiles & inutiles artes addiscendas. Talentum hoc sepeliunt, qui rationem & ingenium ad noxias & inutilia perdiscenda, vel tractanda applicant: veluti qui fabulis & jocis se & alios pascũt; qui omnis generis ludos exactissimè perdiscunt, conanturque alios in his vincere. Qui novas adinveniũt vestes & vestiendi rationes, qui moriones agunt: qui relictus utilibus & sanctis libris, ludicros evolvunt & amatorios. Testatur hoc D. Gregorius hom. 9. in Evang. *Talentum in terra abscondere*, inquit, *est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam levare.* Sic ille. Idem agunt, qui secundum rationem non vivunt: sed velut bestiæ sensualitatem tãtum sequuntur. S. Augustinus Epist. 39. ad quendam discipulum suum, Licentium nomine, ingeniosissimum & literis excultissimum scribit: *Si calicẽ aureum invenisses in terra, donares illũ Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo sathanæ propinas te ipsum?* Omnes isti cum Domitiano Imp. dum regia & utilissima negotia tractare possent deberent, ac muscas aucupantur; siquidem ipse certum quotidie pensum horarum muscis capiendis, & acuto stilo configendis dabat, ita ut propterea vulgi fabulâ fieret. Refert S. Hieronymus in reg. Monach. cap. 15. se moribundum aliquando raptum ad judiciũ, & à judice interrogatum de conditione, Christianum se respõdisse. Ad quod Iudex: *Metiris: Ciceronianus es, non Christianus. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* [oblectare enim se solebat gentilium potius authorum lectione quàm Sãctarum literarum] Itaq; ex judicis sententia dirè flagellis cædi, adstantiumque precibus ad corpus redire jussus est, dolorem adhuc sentiens & plagas in scapulis gerens. Si hoc actum cum Hieronymo, quòd gentilium librorum lectionem adamasset: quale, putamus, judicium illos expectat, qui profanis & noxiis studiis toti addicti sunt? Huc etiam pertinent qui cum patriæ & Reipublicæ prodesse possent, ob naturæ & ingenii præstantiam, malunt tamen otiosi desidere quam aliquid peragere ad communem Reipublicæ salutem. Cum pars sit propter totum, æquum est, ut toti serviat etiam cum damno proprio, & magis ad publicum, quam ad privatum bonum respiciat. *Turpis est omnis pars*, inquit S. Augustinus l. 3. confess. cap. 8. *toti suo non conveniens & congruens.* Carthaginenses mulieres neglecto cultu proprio raserunt capita sua, & capillos contulerunt in usum funium militarium, quorum penuriâ laborabat civitas, teste Plut. in lib. de usura. Pudeat ergò viros, qui cum possint, ad bonum Reipublicæ nihil conferunt. Non abscondit hoc talentum S. Nicolaus, qui propriam quietem vitæ contemplativæ, quam sibi elegerat in Eremo terræ sanctæ, & postea in monasterio, ad Dei monitionem deseruit, & ad oves suas rediit, quo aliis etiam prodesset. Idem totum se aliis impendit, omnibus semper ad se accessum faciendo & consulendo.

F. V. *Divitiæ.*

Quintum talentum plumbi, significat Divitias, quia viliores cæteris bonis. De harum dispensatione dicit Ecclesiasticus c. 29. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Et Prov. 11. *Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Porro non illi tantum abscondunt & defodiunt pecuniam, qui ex avaritiâ non communicant: sed etiam prodigi, qui male & inutiliter expendent in vestium & conviviorum luxum, qui morionibus, histrionibus, assentatoribus, ac comessatoribus erogant, qui in tabernis subtus dolia defodiunt, qui aleis absumunt, qui in res inutiles, sclopeta, facetias, canes, &c. expendunt, cum possent eâ pecuniâ maxima lucra facere, tam in suum, quàm aliorum commodum, si nimirum inde pauperes familias recrearent, templum aliquod ornarent, dotarent inopes puellas, sustentarent pauperes studiosos, liberales essent in bene meritos mutuum darent indigentibus, emerent pios libros & sanctorum vitas ad pascendum subinde Spiritum, eorundem lectione &c. His inquam & similibus modis, daretur pecunia nummulariis ad ingentia lucra paranda. Vnde gravissima sane ratio reddenda erit aliquando Deo propter ista bona, quibus tot in cœlo coronæ parari poterant; nihil verò paratum est. Quis enim Dominus non

durè

durè exciperet servum, qui missus cum pecuniâ plurimâ ad comparandas merces pretiosas, nihil aliud emisset secumque ferret, præter nugas & puppas infantiles? An nescimus quomodo hoc talentum expenderit S. Nicolaus? Postquam paternam hæreditatem accepit, non cogitabat quomodo eam conservaret vel augeret, sed quomodo utiliter expenderet, succurebat viduis & pupillis pecunia & consilio. Inprimis vero tres illas pauperes filias civis Patarensis jam jam prostituendas, in pudicitiâ servavit, ut nuptui traderentur, atque ita non corpus tantum, sed & animas earum ab interitu liberavit. Item famis tempore suæ civitati providit de navi plena frumento. Ipse etiam sibi omnem superfluitatem interdixit, & vix necessaria concessit, tam in vestitu, quàm in victu. Denique quia omnia talenta sua non in terram fodit sed optime impendit: tandem meruit etiam animam suam in manus Dei tradere. Moriturus enim cum oraret psalmum: *In te Domine speravi:* in eo versiculo. *In manus tuas commendo spiritum meum*, reddidit Deo spiritum. Idem sperare possumus, si sequamur ipsum.

CONCIO II.

CUR INSTITUENDUM SIT ALIquando judicium universale.

I. *Ex parte DEI.* 1. Ut appareat ejus justitia privata. 2. Ut appareat ejus justitia publica & universim.

II. *Ex parte Christi.* 1 Ut honor ei ablatus restituatur. 2. Ut appareat ejus judicium æquisimum.

III. *Ex parte judicandorum.* 1. Ut unusquisque perfectam accipiat mercedem. 2. Ut corpus simul cum anima capiat suam mercedem. 3. Ut etiam operum fructus & effectus remunerentur.

THEMA.

Post multum vero temporis, venit Dominus servorum illorum & posuit rationem cum eis, Matth. 25.

A.

SAtis, ut opinor, advertimus, quis sit iste homo, qui peregrè proficiscitur & post multum temporis revertitur, ut ponat rationes cum servis suis. Et si nos nesciamus, dicit id nobis S. Gregorius homil. 9. in Evang. *Quis itaq; iste homo est*, inquit, *qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abiit in cœlum?* Itaque hic etiam est, qui revertetur aliquando in judicio universali positurus rationes cum omnibus servis suis, adeoque nobiscum etiam. Sed fortè non satis scimus quamobrem DEus velit rationes has exigere in judicio illo? Nam inprimis indignum videtur Deo, si contendere velit cum homine, Rex cum suo mancipio, Gigas cum infante vel potius formicâ, Doctor cum rustico. Hinc enim illæ Iobi querelæ: *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris*, c. 13. Et c. 14. *Quasi flos egreditur (homo) & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet; & dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecũ in judicium?* Deinde nonne mox post mortem statutum est omnibus judicium, testante hoc Apostolo? Ad quid ergò iteratum illud & universale judicium in fine mundi? Audiamus.

B. I. *Ex parte Dei.* 1. Ut appareat ejus justitia privata.

Prima Ratio est ex parte Dei, ut justitia ejus appareat, & primò quidem illa, quâ unicuique suum reddit prout quisque gessit in corpore suo. Hæc enim DEI justitia parum & obscurè hic apparet, dum non solum sæpissimè ad longum & quandoq; ad totum vitæ tempus peccatoribus connivet, & vicissim pios nullo afficit præmio: sed præterea multoties reprobis multam prosperitatem & abundantiam largitur, pios contra calamitatibus & miseriis premit. Hinc enim aliqui mortales, illorum felicitatem, horum miseriam considerantes existimare possent, non rectè mundum administrari & omnia casu fieri. Sanè hæc res vel ipsi David fuit intellectu difficilis, ut testatur psalm. 72. *Existimabam ut cognoscerem hoc*, inquit, *labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei & intelligam in novissimis eorum.* Itaque in die illo, quando recludet DEus Sanctuarium justitiæ suæ & novissima omnium considerabit, tunc demum apparebit DEum vidisse omnia, & notasse in suo libro, tam malorum scelera & prosperitates, quàm bonorum merita & calamitates, & hæc omnia bene fecisse, vel fieri permisisse, malos videlicet hic præmiasse bonis temporalibus, propter aliqua eorum opera bona moralia, quæ in cœlo nil merebantur: bonos hic ad tẽpus afflixisse ob leves eorũ culpas vel ad exercitium patientiæ. Quemadmodum qui texit tapetem figuris varium: inconsideratè videtur agere, dummodo manum texit, modo pedem sine ordine. Sed ubi finita est textura, & tapes explicatus, tum cernitur appositè fecisse omnia. Qui captivos videt triduo ante mortem opiparè tractari, variis nimirum escis & vino pretioso: poterit is primo forte cogitare iniquissimum hoc esse, ut nimirum fures vel latrones, tam laute excipiantur; sed si postea videat illos educi ad patibulum & necari, jam desinet mirari, & invidere illis missa apophoreta; similiter etiam in judicio universali omnibus patebit, quam æquè & bene factum sit, quod modo sæpe reprobi optimè habentur, boni vero pessimè; patebit enim omnia cum DEI justitia pulcherrime cohærere. Hujus rei typus fuit David Rex, qui in vita sua fuit mansuetissimus & injurias sibi illatas

facile toleravit, nec ulciſci voluit; adeo ut Ioab aliquando illi diceret: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te*, 2. Reg. 19. at verò quandò moriens regnum filio ſuo Salomoni tradidit tunc eidem mandavit ut pro meritis eos tractaret, à quibus bene vel male habitus erat. *Noſti*, inquit, *quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus, quos occidit &c. facies ergo juxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos. Sed & filiis Bercellai Gaaladitis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua: Occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſolon fratris tui &c.* Idem fiet in judicio, in quo Deus filium ſuum conſtituet mundi judicem. *Itaque nolite*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 1. *ante tempus judicare, quo ad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, &c.* In hoc mundo, quaſi in nocte verſamur, quando, ut nos loquimur, Vaccæ omnes nigræ ſunt, nec ab invicem diſcerni facilè poſſumus. At ibi orietur Chriſtus ut ſol, qui unicuique ſuum verum ac genuinum referet vultum ac colorem.

2. Ut appareat ejus Juſtitia publica & univerſa.

Secundò, ut appareat aliquando ex inſtituto juſtitia Dei univerſim tempore & occaſione convenienti. Nam quatuor ſunt præcipua Dei attributa, quæ hominibus manifeſtari & ad illos dirigi debuerunt: Potentia, Sapientia, Bonitas, Iuſtitia; quæ deſignabantur per quatuor illa animalia Ezechielis, currum divinæ œconomiæ trahentia; Potentia per bovem, Sapientia per Aquilam, Bonitas per hominem, Iuſtitia per Leonem. Iam verò Deus potentiam ſuam maxime oſtendit, quando mundi machinam ex nihilo creavit; terram ſuper ſtabilitatem ſuam, id eſt ſuper nihilo fundavit, nubes in aëre ſuſpendit, cœlum expandit ſicut pellem, &c. ita ut firmiſſimè omnia & ſuapte vi conſiſtant. Sapientiam oſtendit in diſpoſitione, conſervatione & gubernatione: velut in diverſis cœlorum motibus, naturalibus, violentis, celerioribus, tardioribus, quorum interventu fruges & alia progignuntur & conſervantur: item in elementorum diſpoſitione, in regnorum gubernatione, translatione, ortu, interitu: in viventium omnium mirabili ſuſtentatione, &c. Bonitatem oſtendit in mundi recreatione, quando miſit nobis filium ſuum & tradidit ad mortem, ut pro nobis ille ſatisfaceret, noſque cùm inimici Dei eſſemus reconciliaret. Reſtat igitur ut aliquando ex inſtituto & univerſim oſtendat ſuam Iuſtitiam: ut ita qui agnoſcere noluerunt Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem, experiantur tandem juſtitiam punientem: qui verò agnoverunt, juſtitiam præmiantem. At licèt ſparſim aliqui peccatores puniti ſunt à Deo in hoc mundo, viciſſim etiam præmiati aliqui juſti: nequaquam tamen omnes, ſed pauci tantùm. Dei autem juſtitia talis eſſe debet, quæ unicuique reddat id quod ſuum eſt: alioquin Deo deeſſet ſumma hæc perfectio. Hoc eſt, quod promiſit ſe facturum ſuo tempore Deus, Pſ. 74. *Cum accepero tempus*, inquit, *ego juſtitias judicabo*, id eſt, juſtiſſimè. Quemadmodum enim Iudex aliquis cauſas litigantium differt ad certum aliquem diem, in quo omnibus jus reddat licet interim neceſſitate exigente, quandoque cauſas aliquas obiter expediat, aliquos carceribus conſtringat, &c. Sic Deus quaſdam cauſas obiter hic expedit, ſed ibi ex inſtituto omnium expediet.

C. II. Ex parte Chriſti. 2. Ut honor ei ablatus reſtituatur.

Secunda Ratio eſt ex parte Chriſti, primo ut ſic honor ei ablatus publicè reſtituatur & compenſetur judiciaria poteſtate ac gloria, ſicque impleatur quod dicitur Iob. 36. *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt; cauſam judiciumque recipies.* Nemo unquam tantâ infamiâ, ignominiâ & injuriâ affectus eſt in mundo ac Chriſtus; cum enim eſſet Dei Filius & propter vitæ ſanctitatem, doctrinam & miracula undique celebratiſſimus maximique nominis tandem pro mercede viliſſima venditus & à Iudæis emptus, tanquam Latro captus, ligatus & falſo accuſatus eſt: deindè ad tribunalia hinc inde raptus, tam à Iudicibus quam eorum miniſtris indigniſſimè & ſcurriliter tanquam rex fictitius vexatus & illuſus, deinde inaudita inſania Barabbæ homicidæ poſthabitus, demum inter latrones crucis morte turpiſſima condemnatus eſt. Et quid tandem pro tot injuriis & contumeliis honoris ac præmii conſecutus eſt? parum ſanè, aut nihil; Etenim Reſurrectionis & Aſcenſionis ejus gloriam pauci admodum viderunt diſcipuli tantum ejus. Inimici autem illius nullam ei prorſus honoris & injuriarum compenſationem fecerunt. Decet igitur omninò ut Mardochæus iſte tandem exaltetur & equo regio impoſitus, id eſt, judiciaria poteſtate præditus coram toto mundo, recipiat jus & honorem, quo prius iniquiſſimè fuit ſpoliatus. Decet ut hic Ioſephus, qui innocens cum eſſet, venditus tamen & in lacum ſepulchri miſſus eſt, tandem eruatur & in nubibus cœli veniat, velut in curru regio, & tribunali Dei impoſitus, mundo præponatur tanquam Iudex, Rex & Dominus univerſorum, ut ſic ante ipſum & in nomine ejus flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum, juxta illud Iſa. 45. *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu*; quod Apoſtolus ad Rom. 14. de Chriſto judicaturo intelligit: Et propterea judicii hujus locus erit Vallis Ioſaphat prope Ieruſalem & montem Olivarum [Ioel. 1.] ut quo loco ipſe inique captus, judicatus & damnatus, nec non genu flexo ludicrè adoratus erat, in eodem videant omnes eum ſummo cum honore judicem vivorum & mortuorum & non jam ludicrè, ſed ſerio & cum tremore venerentur & adorent. Tunc adimplebitur, quod dixit Dominus Luc. 19. de civibus illis, qui oderant Dominum ſuum & dicebant: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Rediens enim accepto regno dicet illis: *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & interficite ante me.* Ante ſe jugulari præcipiet, quia hoc ſpectaculo paſcet oculos ſuos & recuperabit honorem ſuum, illis

verò

verò reddet ignominiam. Nimirum sicut olim triumphantes, postquam captos hostes duxerunt in triumphum ante currum mandarunt eos vel mox interfici, vel abduci per lictores in carcerem perpetuum. Cic. in Verrina 7. Tunc adimplebitur etiam quod dixit de se ipso Luc. 20. L*apidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet eum.* Reprobatus fuit hic lapis à Iudæis & peccatoribus, ibi constituetur loco honoratissimo, omnibus conspicuus: Impingunt hic in eum, velut humi jacentem peccatores & conquassantur in anima; sed ibi conterentur, cum de cœlo in eos decidet.

2. Ut appareat judicium ejus æquissimum.

Deinde ut appareat hoc ipsum ejus judicium esse justissimum, nullique in hoc processu fieri injuriam [novit enim homines esse amatores sui, & seipsos etiam reos facile absolvere aut excusare] Reis publico supplicio afficiendis, publicum prius instituitur judicium, ut sic omnibus pateat omniumque calculo approbetur justa eorum condemnatio. At longe gravius est condemnari in perpetuum, ideo testem & approbatorem illius judicii totum mundum vult esse DEus, juxta id Sapient. 5. *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Reperire est aliquos judices, qui nolunt rationem reddere processuum suorum ideoq; sæpe inique alios condemnant, quod aliquo modo cedit in solatium miserorum, quia sciunt se innocuos, & Iudicem Deum pro se expectant. Sed non ita aget Christus; Palam enim ostendet judicii sui rationem, ideoque nullum hinc solatium reprobis adveniet, quia palam se reos cernent, nec alium pro se judicem deinceps expectabunt. Exemplum hujus rei intuemur illum, qui sine veste nuptiali reprehensus est in nuptiis, & mox coram omnibus condemnatus ad tenebras exteriores. Cum enim interrogaretur à rege: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* illicò obmutuit; quia nimirum & ipsi & Regi & spectatoribus omnibus patuit ad oculum id de quo arguebatur, ideoque non potuit non approbare latum in se judicium.

D. III. **Ex parte Iudicandorum.** 1. Ut unusquisque perfectam accipiat mercedẽ.

Tertia Ratio ex parte judicandorum, primò, ut unusquisque perfectam accipiat retributionem & mercedem operum suorum, tam reprobi quam electi. Ad perfectam autem virtutis mercedem pertinet stipendium & honor: ad peccati verò mercedem tormentum & infamia. Sic studiosis, qui aliis excelluerint, præmia distribui solent in publicis spectaculis & comœdiis, sic Romani victoribus suis ducibus non solum præmia dabant, sed etiam triumphum adornabant. Vicissim insignes malefici condemnari & supplicio affici solent in nundinis, quando frequentissimus adest populus. Modo autem in hoc mundo justi debitum sibi honorem perraro, aut nunquam acceperunt, præsertim ab iis, à quibus afflicti fuerunt, similiter & reprobi debitam sibi ignominiam non semper aut saltem non pro merito receperunt; sed sæpè illi ignominiose tractati sunt, ut Sancti Martyres: hi verò gloriose exultarunt, ut Tyranni, qui martyres occiderunt. Opus igitur est ut aliquando plena merces omnibus tribuatur. Moris olim apud Romanos erat, ut quotannis certo die solemni in pompâ gestaretur canis in crucem actus; & anser splendidè admodũ in lecticâ & veste stragula pretiosa sedens; ob eam causam, quod anseres in obsidione Capitolii Gallis irruptionem in arcem tentantibus, Romanos clangore & strepitu excitassent, canibus interim somno indulgentibus, Rosin. in antiquitat. Rom. l. 7. Eadem ratione publicum Christus instituet spectaculum in judicio ad gloriam Electorum, qui strenue vigilarunt contra hostes animæ suæ, ad confusionem vero reproborum, quod somno indulgentes hostibus aditum fecerint. Cogitemus nunc fratres quanta erit Beatorum gloria cum publice extollentur à Christo, & juxta sedem ejus collocabuntur tanquam amici ejus: qui hic à mundo spreti & conculcati sunt? Scimus sane Susannam innocentem, primo quidem de adulterio turpiter accusatam & inique condemnatam, jamque ad necem ductam, sed postea majori gloria reductam & in alio judicio absolutam tanquam innocentem maxima sua gloria: si quidem Daniel interveniens aliud instituit judicium, in quo innocentem deprehendit & absolvit; falsos verò accusatores reos deprehendit & condemnavit, Dan. 13. Maximus inde honor advenit Susannæ, *quod non esset inventa in ea res turpis.* Idem etiam eveniet Electis, præsertim iis, qui multa inique passi sunt, vel se ipsos hic humiliarunt, majori enim gloria restituetur illis honor, quam si nunquam eum perdidissent. Hoc est quod dicit Dominus Luc. 14. de eo, qui in mensa convivali, ultimo se posuit loco, & postea evectus est ad digniorem: *tunc erit tibi gloria,* inquit, *coram simul discumbentibus.* Similiter ergò quisquis in hac mundi mensa vel se ipsum ex humilitate ultimo ponit loco, vel à potentioribus præter jus & fas deprimitur: ibi exaltabitur tantò magis; *& tunc erit illi gloria coram* toto mundo: ut Apostolus 1. Cor. 4. ait: *tunc laus erit unicuique à Deo.*

Vicissim verò reprobi, ô quantum confundentur, qui hic primi esse contenderunt, & cæteros cubito truserunt? cum ibi deponentur & audient. *Amice da huic locum?* Ob hanc puto confusionem dicunt montibus: *Cadite super nos: & collibus: Operite nos,* Luc. 23. Inter alios etiam merito pudefient Hypocritæ, qui cum opinione sanctitatis moriuntur, cum vere sint impii, quales sunt Anabaptistæ, & multi Calvinistæ, erantque olim martyres diaboli, quos Cyprianus in l. de unitate Ecclesiæ scribit, pro hæresi mortem variè passos esse. His omnibus larva detrahetur, & ovina pellis, quâ lupi cum essent, tecti incedebant. Hoc enim eis comminatur Deus, Nahum. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignomi-*

ignominiam tuam. Iustum enim & æquum est, ut quando homo Deum inhonoravit, & hominum potius quam Dei oculos offendere timuit; ab eo confundatur, quemadmodum per Nathan exprobratur adulteriũ Davidi, quod occultare ab hominibus maximopere studebat, non item coram Deo, *Tu enim fecisti abscondite*, inquit, *ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis*, 2. Reg. 12.

2. Ut corpus simul cum anima capiat suam mercedẽ.

Secundò, ut non solum anima, sed simul etiam corpus, adeoque homo integer sententiam suam à Iudice accipiat, quod non fit in particulari cujusque judicio, ubi animæ tantum judicantur. Hanc causam indicat Apost. 2. Cor. 5. cùm ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.* Quia enim simul cum corporibus animæ vel malè, vel bene egerunt, ideò oportet ut aliquando simul judicentur & præmium accipiant, aut pœnam. Contingit etiam sæpius, ut anima in judicio condemnetur, corpus verò ejus compars magno honore deferatur ad sepulturam, & splendido condatur Mausoleo. Vicissim multorum Sanctorum corpora jacent insepulta, vel avibus objecta fuere, quorundam Electorum pendent in patibulis. Denique pascunt hic reprobi corpus suum delitiis ac voluptatibus, tenerrimè vestiunt, plus quam Deum amant, omnia aspera ab illo longe removent: justi contra in corpore multa tolerant, ipsumque insuper affligunt operibus pœnitentiæ. Non patietur ergò Dei justitia, ut corpus injudicatum maneat, quod ex eodem calice bibit cum animâ conjuge, vel amaritudinem afflictionis, vel dulcedinem voluptatis. Hoc significat ex parte condemnandorum, gladius ille bisacutus, de ore Iudicis Christi prodiens, quem vidisse se scribit S. Ioannes Apoc. 1. Gladius enim hominum, corpus tantum ferire potest, non animam. Gladius verò Dei, & corpus & animam feriet, domine testante, Matth. 10. *Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

3. Ut etiam operum fructus & effectus remunerentur.

Tertiò ut non solùm bona vel mala quæ gessimus in vitâ, sed etiam illorum proles seu fructus, qui ex illis prodeunt, & in posteros propagantur usque ad mundi consummationem, in mundi fine laudem aut vituperationem publice sortiantur. Hoc sensu exponit S. Basilius lib. de S. Virgin. quod Apostolus 1. Tim. 5. ait: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judiciũ, quorundam autem & subsequuntur.* Nam, exempli gratia, multi homines pii extruxerunt xenodochia, monasteria, vel gymnasia, in quibus plurimi vel convalescunt, vel instituuntur ad pietatem, vel erudiuntur in disciplinis: alii scribunt libros utiles ad sapientiam & alias artes, vel ad pietatem propagandam, quibus multis singulis ætatibus proficiunt, & adiuvant proximos suos. Vicissim multi improbi libris suis lascivis, vel hæreticis, malis institutionibus & exemplis alios pervertunt in longum tempus post obitum suum. Quia ergò in fine mundi, omnium merita ac demerita consummabuntur, æquum est, ut tunc in omnes justissima, & integra pronuncietur sententia: Crescit in hodiernum gloria S. Augustini, exempli gratiâ, qui doctissimis suis libris Ecclesiam illustravit, crescit similiter damnatio Lutheri, qui pessimis suis dogmatibus Germaniam pervertit. De his itaque dicit Dominus Matth. 13. *Sinite utraque crescere usque in messem, in tempore autem messis, dicam messoribus: Colligite primum Zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

Quoniam itaque certò scimus Dominum venturum ad judicium universale, & quamobrem sit venturus consulamus rebus nostris & sequamur consilium Ecclesiæ, quod hoc adventus tempore toties nobis inculcat: *Regem venturum Dominum, Venite adoremus: Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Componamus cum Confessario rationes nostras, ut ne judicem illum vereri habeamus; in aurem unius hominis confiteamur nostra delicta, ne aliquando confiteri toti mundo cogamur. Denique ita vivamus, ut in die illa apparere audeamus. De Iulio Druso tribuno plebis scribit Plutarchus, quod, cum ædes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, & quidam opifex diceret se incommodum id aversurum mercede quinque talentorum, Responderit opifici: *Decem daba, si feceris domum meam ita patulam, ut omnes cives videant, quid domi meæ agam.* Erat enim hic vir moderatæ vitæ. Dic tu hoc Christiane & ita vivere stude, ut non modò non verearis, verum etiam optes in omnibus tuis actibus videri à Deo, Angelis, hominibus & Dæmonibus.

CONCIO III.

UNUMQUEMQUE SUIS TALENTIS CONTENTUM ESSE DEBERE.

I. Contentus sit bonis corporis.
II. Bonis externis hæreditariis.
III. Bonis externis industria partis.
IV. Bonis animi naturalibus.
V. Bonis animi supernaturalibus.

THEMA.

Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum, Matth. 25.

A.

SOlent hodiernâ nocte parentes liberis suis diversa imponere munera ferè pro cujusque indole & propensione, si enim pater velit destinare filium ad Canonicatum, imponit ei librum spiritualem; si ad militiam, imponit ei cingulum militare, cristam

cristam vel pugionem; si ad aulam, equitem; si ad familiam administrandam, pecunias & similia; Quo nimirum his quasi illecebris excitetur ad suum quisque statum amplectendum. Similiter agit nobiscum Deus, qui cum ad varios diversosque status eligat destinetque homines, singulis distribuit talenta statui eorum convenientia; ita ut nemo de ipso conqueri posit, quamvis pauciora, vel viliora acceperit. Ipse enim Dominus est, & quis audet illi dicere: quare hoc ita facis? Ipse suavissimus gubernator est, omnia ad suos fines per media convenientissima dirigens. Et hoc satis esse nobis debet, ut quibuscunque tandem talentis contentissimi simus. Sed quoniam in particulari multi nolunt intelligere, cur hoc vel illud talentum eis non sit datum: ostendemus neminem posse jure de hoc conqueri.

B. I. *Contentus sit Bonis corporis.*

Inter hominis bona sunt. Primò bona corporis, robur, forma, integritas, complexio: ex quibus variæ oriuntur dispositiones & inclinationes, ut alius ad certa munia aptus sit, alius ineptus; cum alius sit robustus, alius valetudinarius; alius staturæ & formæ elegantis, alius deformis; alius integris membris, alius defectuosis; alius complexionis sanguineæ, alius cholericæ, &c. Porrò licet nos hujus varietatis causas non intelligamus, intelligit tamen Deus, qui omnibus corporibus humanis præsertim suas convenientes tribuit mensuras, sicuti Organotectus omnibus Organi fistulis, quarum alias fecit de ligno, ut sonum obtusiorem edant, alias de stanno, ut clariorem, alias majores, ut profundiorem; alias minores ut altiorem: alias inaurat quæ frontem organi condecorent, reliquas non item. Adhæc cuivis fistulæ suum competentem tribuit ventum, majori majorem, minori minorem. Ad eundem modum fecit nos Deus, ut quasi fistulæ in hoc mundi organo, unanimes uno ore honorificemus Deum. Et ut tonorum esset varietas, alterum fecit infirmum, alterum robustum: alium speciosum, alium deformem: alium longioris, alterum brevioris staturæ, suam cuique mensuram; ita ut *nullus adjicere possit ad staturam suam cubitum unum, &c.* Matth. 5. & adhoc attribuit convenientem unicuique ventum, id est, gratiam Spiritus sancti, ut alius magis vel minùs Deo servire queat; hic in frontispicio publicorum officiorum ad regendos alios, ille retrò stare & in humilitate se continere queat; & ita demũ omnes simul pulcherrimum Deo concentum faciant. Quòd si igitur non habeas eas, quas optas corporis dotes; cogita

1. primò Deum esse, qui te ita fecit, non te. Refertur in spec. exempl. l. 26. c. 12. tempore Henrici Imp. II. fuisse propè Coloniam presbyterum vultu admodum deformi: ad quem cum fortè in venatione devenisset Imperator specie militis, petens fieri sibi missæ officium: sub missa cogitabat secum, quam ob causam Deus homini tam invenusto commisisset sacra sua. Interea verò Sacerdos legebat versum illum psalm. *scitote quoniam Dominus ipse est Deus*; & ad ministrum conversus clarâ & concitatâ voce, quasi cogitanti Imperatori respondens, subjunxit: *Ipse fecit nos & non ipsi nos*: Quod velut sibi dictum accepit Imperator, & virum illum sanctum ratus, Episcopũ Coloniensem fecit. Cogita secundò, formæ elegantiam multis laqueum fuisse, quemadmodum Absoloni proprii capilli, quibus velut laqueo suspensus est in quercu; aliis periculum creasse, uti Iosepho & Susannæ. Propterea multi sancti formæ venustatem variè occultarunt, ne periculum subirent omittendæ pulchritudinis internæ. Alexander egregius juvenis, carbonariam exercuit, ut speciem suam tegeret, posteà factus Episcopus Comanus apud Nyssenum in vitâ Gregorii Thaumat. S. Brigitta Virgo alterius oculi deformitatem impetravit à Deo, ne præter voluntatem nubere cogeretur & à religionis ingressu impediretur. Sur. 1. Febr.

3. Cogita tertiò pulchritudinem animæ potiùs, quæ totius mundi superat decorem, nec unquam evanescit, quæq; Deo & Angelis facit amabilem, tibi comparandam; solam horrere debes peccati deformitatem, quæ animam Deo exosam & Dæmonibus reddit similem. Sufficit fistulæ organicæ, si suavem & congruum edat sonum, sive ea sit lignea, sive stannea; parva seu magna, picta seu non picta. *Omnis pulchritudo filiæ regis ab intus.* Neq; de filiis Isai elegit Deus natu majorem & statura digniorẽ, ut esset rex in Israel, sed omnium minimum David ad pastoritiam abjectum, 1. Reg. 16. quia ut ibi dicitur, *homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

C. II. *Bonis externis hæreditariis.*

Secundò, Bona externa, quæ hæreditate parta sunt uti genus & Nobilitas. Alius nascitur servus, alius liber, alius nobilis, alius ignobilis: alius vas ad honorem, alius in contumeliam. Quod si non eo generis es splendore, quo sunt alii: Cogita primò

1. parùm referre, qualem in comœdia personam agas, dummodò bene agas, Rustici an Regis. Sæpe enim accidit, ut qui rusticum agit, magis recreet Auditores & majorem obtineat laudem, quàm qui Regem. Difficilius est hominem natura ad alta natum & gloriæ cupidum agere personam humilem, quam sublimem; unde & majoris laudis. An non maxima S. Isidori laus, qui inter Sanctos nuper canonizatos fuit agricola? quàm multos reges confundet hic Rusticus in judicio? quàm multos superabit in cœlo?

2. Cogita secundò generis obscuritatem & humilitatem securiorem esse, nobilitatem verò sæpe ducere ad præcipitium. Quis nescit esse securius incedere in terra quam super tectum volvere & revolvere se in planitie, quam super altam mensam? Quo examine instruxit quidam Eremita Nepotem suum, & absterruit ab Episcopali infula, cui post mortem apparens gratias egit & dixit: *Scito quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Hieron. in reg. sanctimon. cap. 15. Cogita tertiò te præstantiori quadam nobilitate omnes alios, quantumcunque sublimes, superare vel æquare posse, si velis, si quidem apud Deum justi tantum nobiles sunt. Sic enim vidit S. Franciscus paupe-

pauperem Angelis circamdatum: nobilem verò, qui famulitio stipatus erat, solum incedentem: pauperi igitur reverentiam exhibuit, nobili non exhibuit. Idem sanctus dixit: *Quantus es in oculis Dei, tantus es & non amplius*: ut in ejus vita.

D. III. *Bonis externis in duſtriâ partis.*

Tertiò, Bona Externa, quæ industria parantur, sunt divitiæ, quarum dispar admodum est fortuna inter homines. Quod si igitur exigua accepisti talenta hujusmodi; Cogita primo gloriosam rem esse paupertatem, postquam Dei filius eam nobilitavit. Non est major ratio, cur modo crux ita honoretur, ut ornet tiaras Pontificum & coronas Imperatorum; quæ prius horror & maledictum erat; quàm paupertas, quæ & ipsa prius abjecta, per Christum tamen exaltata est. Certè S. Antonius solam vestem S. Pauli Eremitæ ex foliis palmarum ab eo contextam sibi ex cellâ demortui sumpsit, quam adeo splendidam reputavit, ut in festis Paschæ & Pentecostes tantum induerit. Eandem S. Hieronymus prætulit regum purpuris in vitâ S. Pauli. Ergo pauperculi Eremitæ sagum pretiosius fit purpura: ipsa vero paupertas, Christi ore laudata & opere sanctificata, tibi exosa erit?

2. Cogita secundò, Auream mediocritatem esse optimam & tutissimam, quam petebat à Deo Salomon, dum dixit: *Duo rogo te, ne deneges mihi antequam moriar, divitias & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*, Prov. 30. paupertas enim fere cupida est & solicita, indeque impatiens & proclivis ad rapiendum. Divitiæ verò periculosæ sunt & spinæ.

3. Cogita tertiò. Si rem bene expendas, nequaquam te esse pauperem: Habes enim ditissimum patrem, qui tui curam habet. Quod si haberes amicum ditissimum, v. g. Episcopum, non arbitror, te multum affligeret paupertas, quia certo sperares tibi amicum illum in necessitate subventurum. Deum tibi amicum, imo patrem habes, cujus sunt omnes mundi opes, quique sine dubio prospiciet tibi de necessariis, quando tibi expediet. Unde Tobias, *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computari possent.* Deinde dives est, non qui multa habet, sed qui parvo contentus est. *Est enim dives cum nihil habeat*, inquit Sap. Prov. 13. quia ita est contentus ac si plurima haberet. Denique *Affatim dives est*, inquit S. Hieronymus, in reg. mon. c. de paupertate, *qui cum Christo pauper est*. Solatium, quod habuit in paupertate sua Lazarus, superavit omnes divitias ac delitias epulonis.

E. IV. *Bonis animi naturalibus.*

Quartò, Bona animi naturalia, ut ingenium & scientia: non minore varietate, quam cætera dona hominibus distributa. Sicut enim Deus dedit elementis contrarias qualitates, quibus mundo ingentia afferunt emolumenta, sic etiam ad Ecclesiæ universalis commodum varia distribuit ingenia & scientias, quibus alter alterum excitaret, vel reprimeret, &c. Quod si igitur ingenio & eruditione careas; Cogita primò scientiam non justificare sed gratiam, quam tu æque tibi comparare potes ac doctissimus quisque. Non qui doctior, ille Deo gratior: sed qui probior est. Unde in hodierno Evangelio non dixit Christus: Euge serve sapiens & erudite, qui tam bene scivisti modos acquirendi & industrias lucrandi; sed: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.* Unde & David ante scientiam poscit bonitatem & disciplinam, Psal. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Non interrogabit Deus in judicio quid didiceris, sed quid feceris. Idcirco & Ordo Seraphynorum, qui ab amore denominatur, superior est ordine Cherubinorum, qui à scientiâ nomen habet. *Amor enim*, ait Hugo de S. Victore, *ascendit super scientiam & major est quam intelligentia, & ingreditur ad occulta Dei, scientia exterius remanente.* Ex annalibus habemus fratrum Minorum dixisse aliquando fratrem Ægidium, S. Bonaventuræ, Ordinis tunc generali; *vobis doctioribus, multa & grandia dona largitus est Deus, quibus ei possitis deservire, nobis contra simplicibus & indoctis, vix aliquid, quo ei valeamus placere.* Cui Bonaventura; *si Deus aliam nullam gratiam fecisset homini, quam ut eum possit amare, sufficeret profecto hæc unica, ad majora ipsi præstanda obsequia, quam pro aliis omnibus.* Urget Ægidius, *potestne igitur tantum amare idiota aliquis rudisque homo Deum, quantum aliquis eruditus? multo plus, inquit Pater sanctus, potest vel minima ac lacera vetula, amare Deum Dominum nostrum quam summus aliquis Theologiæ Doctor.* Quibus vix dictis, mirifice exhilaratus sanctus ille Fr. Ægidius, sublatis in cœlum oculis manibusque magna cum festinatione currens ad partem illam horti, quæ civitatem respiciebat, contentissima voce inclamat: *Vetula paupercula & simplex ama Dominum tuum Iesum Christum, & poteris major esse in regno cœlorũ, quam frater Bonaventura.* Vix sermonem hunc finiit, quando raptus in Ecstasin eodẽ in loco (quod ipsi solenne erat) ternis admodum horis im̃obilis constitit.

2. Cogita secundò, scientiam magis obnoxiam esse periculis (tametsi alia ex parte plurimum confert ad salutem) quàm inscitiam: siquidem *Scientia inflat, charitas autem ædificat*, ut ait Apostolus, 1. Cor. 8. Imminet etiam literatis severius judicium, si non utantur talentis suis. Inde Apostolus 1. Corinth. 9. dixit: *Væ mihi est, si non evangelizavero.* Et Dominus: *Servus sciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit multis*, Luc. 12. Hinc ille qui abscondit talentum suum, cum dixisset: *Domine scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti &c.* hoc responsi tulit. *Serve male & piger, sciebas quia meto, ubi non semino, &c. oportuit ergo te commitere pecuniam meam nummulariis, &c.* Eruditi melius agnoscunt Deum, præmii magnitudinem, judicis severitatem. Gravius igitur punientur, si ipsorum scientiæ facta non responderint.

3. Cogita Tertiò satis multum te scire, si quæ ad salutem necessaria sunt, scias; quâ scientiâ non modo æquabis

Do-

doctos, sed etiam superabis. *Multi multa sciunt, & se ipsos nesciunt*, ait S. Bernardus. Plurimum contra scit, qui scit Deum esse omnia & se nihil. Gloriabatur vulpes plurimas sibi technas esse ad evadendos hostes suos, cum contra Echinus & felis dicerent sibi esse tantum unam, ut is se in globum convolvat, hic in arbores subsiliat. Repente igitur accurrentibus canibus Echinus & felis artificio suo sospites fuere: Vulpes verò deficientibus technis ejus canibus præda facta est. Sic justi analphabeti norunt in angustiis & tribulationibus sibi consulere, per patientiam convolvendo se in globum, & per orationem confugiendo ad Deum: quod sæpè doctissimi nesciunt. David qui se ipso teste literaturam non cognoverat, & è pastore in regem electus erat, super omnes docentes se & super senes intellexit, quid agere in adversitatibus deberet; dum enim patientiam exercebat, & per orationem ad Deum confugiebat, omnes hostes suos mirabiliter effugiebat. S. Antonius dicebat cuidam Philosopho se in unico tantum studere libro, creaturarum sc. Unde omnē suam hauriret cognitionem: In quo & doctissimus evasit.

Quintò, Bona animi supernaturalia, ut gratiæ gratis datæ. Alii enim datur sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii spiritus prophetiæ, &c. Quod si hæc dona non accepimus; Cogitemus primo ea non justificare, quia & Iudas, cum esset malus, miracula faciebat, & Cayphas prophetabat, & illi, qui dicebant: *Nonne in nomine tuo prophetavimus & virtutes multas fecimus?* audient: *Non novi vos.* Charitas omnia illa superat: Unde Apostolus 1. Cor. 12. cum ea dona recensuisset, subjunxit: *Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro:* Charitatem scilicet ut mox ostendit. Secundò etiam ista dona non carere suis periculis. Exemplum de Eremita Herone, qui cum annis quinquaginta vixisset in eremo in summa abstinentia, continentia & silentio, tamen postea illusus à Diabolo, credidit se ob sanctitatem suam nulli discrimini posse subjacere, unde & se in altissimum puteum præcipitavit, quasi ab Angelis se suscipiendum & custodiendum certo sciret, inde tamen semimortuus extractus, nec sic quidem resipiscere voluit, & in sua obstinatione vitam finiit, ut testatur Cassianus Collat. 2. quæ est de discretione; quam rem suo tempore gestam & plurimis notam fuisse affirmat.

F. V. *Bonis animi super naturalibus.*

2.

Tertio, quia potes etiam mira patrare. Nonne mirum est, incedere hominem in luto & non collutulari? sic hominem versari in mundi laqueis innumeris, & non illaqueari, in fæcibus non fœdari. Iob in terra Hus inter gentiles sanctissimè habitans, nonne tibi miraculum videtur? & Dominicus ille (non fundator sed sectator ordinis) obscœnorum igniū domitor, cui dixit dæmon: *vicisti quia in igne fuisti & non arsisti?* Et senior ille apud Cassianum, qui à plebe Alexandrina exagitatus, & jussus ostendere miraculum aliquod Christi sui, illud solū ostendit, quod eorum injuriis minimè moveretur? Quocirca *ne quæras*, inquit S. Chrysostomus hom. 33. in Matth. *quod miracula facias, aut mortuos suscites: nam si vita nostra talis esset, qualem postulat Evangelium; potius admirarentur gentiles nostros; quàm eos qui miracula edunt.*

3.

Quæ cum ita sint, nemo alterius invideat statui, bonis, conditioni, sed suis quisq; talentis negotietur, quantum potest. *Tu supplex ora* (clerice) *tu protege*, (miles) *tuque labora* (Agricola.)

CONCIO IV.

QUID DEBEANT PARENTES LIBERIS.

I. Fuga peccati.
II. Morum honestas.
III Studium litterarum.
IV. Labor & exercitatio.
V. Exempla bona.
VI. Suavitas moderata.
VII. Disciplina.

THEMA.

Vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alij verò unum, Matth. 25.

Consuetudo, qua parentes hodie varia munuscula liberis suis clanculum imponunt sub nomine S. Nicolai, ab hoc ipso Sancto cœpit, qui tribus filiabus, quæ ob egestatem jamjam prostituendæ erant, tantum injecit clam pecuniarum, ut matrimonio jungi possent. Ejusmodi Nicolaus & primus quidem ac maximus Dominus Deus est; qui vobis, ô parentes, plura imposuit munera seu talenta, uni quidem quinque; alii duo; alii unum; totidem videlicet liberos, hi enim sunt dona Dei; unde Genes. 33. ait Iacob, *Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus.* Et Genes. 4. Eva: *Possedi hominem per Deum.* Scire tamen debetis, hæc talenta vobis ea lege data esse, ut in eis negotiemini & lucrum faciatis, eaque suo tempore Deo restituatis: Et vos igitur parentes, Nicolai esse debetis, liberisque vestris talia dare munuscula, quibus ipsi in virtute crescant, & vos inde lucrum ac laudem reportetis. Sed quænam illa munuscula? Non aleæ & chartæ: non Canthari & pocula: non gladii & pugiones; quæ non pauci parentes suis insinuant liberis; sed quæ hic perentibus vænum exponemus, pro more patriæ nostræ, ut his sibi comparatis liberos suos recreent.

Primum est Agnus Dei, id est, Antidotum contra peccata, ut ea discant liberi velut pestem fugere. Sic enim & aquila nidum suum lapide Ætite contra colubros munit, ut Hieronym. super Isaiam scribit l. ult. Solent parentes filiis suis res noxias, ut gladios acutos, ignem, equos &c. terribili schemate depingere, ut eos hæc cavere doceant. Nihil adeò noxium homini, ac peccatum; unde à puero ejus horror imbibendus est, & filiis inculcandus, exemplo Ecclesiastici cap. 21. *Fili*, inquit, *quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa, suscipient,* te.

B. I. *Fuga peccati.*

te. *Dentes Leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta, omnis iniquitas*, hæc ille. Præstitit hoc Tobias, qui filium suum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato, Tob. 1. Blanca S. Ludovici Francorum Regis mater peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet leprâ infici, quàm unico peccato, teste Ion. vil. in ejus vita, c. 94. Dicebat enim mater. *Malim ô fili, te vita privatum, quàm unum lethale peccatum perpetrantem.* Idem c. 3. Sed nimirum solliciti valde sunt parentes, ne inficiantur & moriantur filii, non curant verò, an peccent. Respha uxor Saulis filios suos cruci affixos custodivit, ne aves eos interdiu, aut bestiæ noctu lacerarent, donec depositi sepulturæ traditi sunt, 2. Reg. 21. utinam parentes tantum curæ impenderent liberis viventibus, quantum hæc impendit mortuis.

C. II. *Morum honestas.*

Secundum. Vestis nova & decens; id est, morum honestas. In cujus rei typum Anna Samuelis mater statutis diebus faciebat filio tunicam parvam, & afferebat ei in templum, ubi educabatur; sed eum vestivit multò meliùs, dum in templo educari fecit, 1. Reg. 2. Ejusmodi tunicam facient parentes filiis, si optimis eos informabunt moribus. Macrobius primo Saturn. scribit, olim parentes filiis vestem prætextatam facere solitos, & in ea ante pectus bullam auream cordis figura; quò eos hortarentur, ut corde præstarent, quæ ore & gestu præ se ferrent. Ursa catulos suos, quos informes parit, lambit & lingua fingit, donec formam acquirant debitam, oculos, nares, &c. ut refert Plutarch. de amore prolis, & Amb. lib. 6. hexam. cap. 4. cur non itidem parentes efforment filios suos optimis doctrinis? *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva à pueritia*, ait Ecclesiasticus c. 7. pulchrè S. Augustinus in psal. 50. ait, parentes, concionatores domesticos esse debere: ut ea scilicet domi doceant filios, quæ in templo audierint à concionatore. Et S. Chrys. hom. 9. in 1. Epist. ad Tim. ait. has esse divitias veras, filiis à parentibus relinquendas. Dedecus est parentum, si liberi eorum incedant sordidi, laceri, nudi; quantò magis si malè morati: sed heu quàm præposterè agunt parentes? Vestibus quidem ac supra quàm decet ornant filios, animis eorum prorsus neglectis. Hos S. Chrysost. hom. 6. in Matth. similes asserit iis, qui quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes contexunt. Conqueruntur sæpè Laici Clericos, Monachos, Moniales non facere officium suum, dare mala exempla, &c. Sed quis in causa est? Vos ô parentes, qui quos malè aducastis, nihilominus ad status illos promovistis. Neq; enim habitus clericalis inolita vitia pellere & dealbare Æthiopem potest. Certè Aristoteles lib. 2. Ethic. cap. 1. ait: *Non parum refert, sed permultum, utrum sic an sic à pueris assuescamus, imò verò totum in eo positum est.* hæc ille.

D. III.

Tertium, Liber, id est studium literarum, quo filii adhoc idonei, excolendi sunt. Hoc videntur petere verba illa Christi: *Oportuit ergò te pecuniam meam committere nummulariis, & veniens ego recipissem utique quod meum est cum usura.* Mensa Nummulariorum, ubi pecunia plures parit pecunias schola litterarū est, ubi docti alios doctrina sua imbuunt, & Christo lucrantur. Servi igitur mali & pigri sunt ejusmodi parentes, qui talenta ista fodiunt in terra, vel abscondunt in sudorio, uti Lucas ait; dum optima sæpe ingenia, quæ poterant mittere ad scholas in lucrum animarum, terrenis obruunt negotiis, vel domi suæ, quasi in sudario involutos retinent. Ne fundum suū quivis incultum relinquat, cogi à Magistratu potest, cùm spes est fertilitatis: & filios ergo ad studia idoneos avertere, & ad alia applicare, an non magis in detrimentum communitatis cedit? Sed objiciunt isti, nihilo meliores fore filios si studuerint; quibus respondeo, quod Aristippus cuidā similiter percontanti de filio Aristippi respondit. Nimirum: *Vt nihil aliud*, inquit, *certè in theatro non sedebit lapis super lapidem*, Laert. l. 2. c. 8. Ut enim aliis parum prosint, sibi saltem non oberunt facilè. Prudens agricola non exscindit arbores horti fructiferas ad extruendas ædes, sed tantùm sylvestres & infrugiferas: Sic parentes non debent liberos bonæ indolis, & liberalis ingenii applicare ad rusticana & servilia officia: sed ad studia, religionem, &c. ut Deo serviant & Reipublicæ prosint. Ideò Deut. 20. præcipit Deus, ne arbores pomiferæ excinderentur ad extruendas belli machinas, sed ligna tantùm non pomifera & agrestia.

Studium literarum.

E. IV. *Labor & exercitatio.*

Quartum. Ligo, id est labor & exercitatio. Munus hoc subministrat Æsopicus ille, agricola, qui moriens ut excitaret ad laborem filios, vocatis ad se ajebat: *Amantissimi filii, quo in loco res meæ sint videtis. Feci quod bonum parentem oportuit facere, & quicquid potui mea industria vobis comparsi: idque totum in vinea nostra quærere ac reperire licebit.* Mortuo igitur patre filii ligonibus armati solum omne evertunt & thesaurum quidem invenere nullum, sed terra interim perculsa fructum attulit uberem. Certè potentissimi etiam Impp. filios suos labori assuescere à puero fecerunt. Severus Imp. filios ab urbe abductos in castris militari disciplinæ assuefecit, apud. Mail. to. 3. can. coll. 3. Octavianus Imp. suos ad saltum, cursum, militiam: filias in lanificio, ad colum, acupicturis exerceri fecit, Cic. 6. polit. c. 4. Ligur filios suos esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando attrivit, id. l. 4. Tusculan. Spartani ablegatos à se pueros, non prius domum redire permittebant, quàm parentibus honori, & patriæ utilitati esse possent. Apud Gymnosophistas pueri impransi abibant, qui nullum diurnæ operæ fructum afferebant. Ægyptiæ juventuti ex legis sanctione non prius dabatur vesci, quam centum & octoginta stadia (faciunt quatuor milliaria germanica & medium) percurrissent. Lacedæmonii liberis suis escam non concedebant, nisi quam sagittâ dejecissent. Textor in offic. p. 2. in præfat. Taceo bruta ani-

ea animalia ; nam & hirundines pullos nidificare docent. Pier. lib. 22. Et aquila suos ad prædam tardos rostro percutit & expellit: Anglicus lib. 12. cap. 1. Viderint ergò parentes, qui otio perdunt liberos, ex quo fit ut non solum ad omnia munia inepti fiant (seynd weder zu werffen noch zu schicken) & partam multo labore hæreditatem brevi abliguriant, tandemque egere incipiant. Verum etiam ut vitiis toti obsordescant, fiantque velut ager hominis pigri, & vinea viri stulti, quam totam repleverunt urticæ, Prov. 24.

F. V. *Exempla bona.*

Quintum, Imagines, id est, exempla bona, bonorum ut ea imitentur, malorum, ut ea fugiant. Ita faciebat Sara, quæ Ismaëlem ejecit è domo, quia ut advertit S. Hieronymus in tradit. Hebr. in Genes. effingendo luteas imagines Isaaco scandalum præbebat & occasionem idololatrandi, Genes. 21. Certè Romani mittebant pueros nobiles, de manè ad arcus triumphales suorum majorum; ut eorum armis conspectis ac trophæis accenderentur ad virtutem, ut refert Holcot. in Sap. l. 54. Similiter S. Ludovicus Franciæ Rex, priusquam se ad quietem componeret, vocatis filiis facta dictaque Principum proponebat, tam eorum qui laudabilem vitam duxerant, quàm qui nefariam: monebatque: *Illorum exempla animis vestris inculcate, ut & meliores evadere & ab omni flagitio abstinere valaetis.* Ioanvil. in ejus vita. c. 87. Lacedæmonii quandoque servos suos inebriabant ut vomerent, & vacillarent, saltarent, insanirent coram suis liberis, ut sic fœditate spectaculi absterriti, ebrietatem & similes turpitudines caverent. Refert Matth. Tympius inspec. Princ. signo 59. Ante omnia autem parentes ipsi bono sint exemplo liberis, (dann wie die Alten sungen / also pipitzen die Jungen.) Et cancer ille Æsopicus non frustra matri dicit, *I præ, sequar.* Certè ordinariè filii priùs noscunt chartas lusorias, quam sacras imagines; jurare, quàm orare. Unde hoc nisi à malo exemplo? Plus observant pueri quæ parentes agunt, quam quis existimet. Burdegalæ certè Anno 1528. ex his duo, sexennis & septennis interrogati à Magistratu, quomodo eorum mater in puteum cecidisset, responderunt; Cùm ivisset haustum aquam, veniens à tergo pater sublevavit eam & præcipitavit. Refert Chau. l. 2. de prud. c. 12. §. 3.

G. VI. *Suavitas moderata.*

Sextum, Libum, quod dulcedinem acrimoniâ mixtam habet, id est, amorem; de quo Anselmus: *Cupitis*, inquit, *pueros optimis ornari moribus? necesse est ut cum severitate disciplinæ paternæ pietatis, & mansuetudinis levamen eis impendatis.* Sutius in ejus vita. Ita faciebat Carolus Magnus Imp. qui Academiam Parisiensem fundavit, & Seminarium duplex, quod erexerat nobiliorum unum, alterum plebejorum. Hic scholas suorum alumnorum adiens, eos examinavit, ac videns quidem primò optimè proficere tenuiores, laudavit & animavit eos, spondens se ex eis facturum Cancellarios, Præfectos aulæ, Consiliarios, Præsides; illorum fore Episcopatus, Præposituras, optimas parochias, &c. Contrà veniens ad nobiles, qui parum proficiebant, eisdem minabatur, se non modò eos non promoturum, sed & impediturum; sicque omnibus calcar addidit. Aventin. l. 4. annal. Bojor. apud Beyrlinck in apopht. Christ. Multa sunt præclara filiorum ingenia, quæ si ritè & liberaliter tractarentur, plurimum patriæ profutura essent. Multoties tantum à parentum sævitia destruuntur. Accidit iis, quod Bucephalo Alexand. Magni equo: videns enim Alexander adhuc puer equum ferocire, quia immitius tractabatur: *Qualem*, inquit, *isti equum perdunt, dum eo per imperitiam ac mollitiem uti nesciunt?* Itaque mira arte et blandiendo, sine verberibus tractavit equum, & facilè conscendit, ac quo voluit, ad cursum adhibuit. Curtius l. 1. Unde Themistocles adolescens feroci animo in optimum virum mutatus, ajebat, asperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam rectamque institutionem. Plutarchus in ejus vita.

H. VII. *Disciplina.*

Septimum, Adhuc unum desideratur, & quid? Virga, id est, castigatio moderata; Sic enim Sapiens monet Prov. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur; tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Ecce quàm pretiosa herba est virga! Quid non deberet facere mater, si filium damnatum ad furcam, eripere posset? Atquì ex inferno potest. Præclaram hominibus monstrarunt herbam cervi, Diptamnum videlicet extrahendis è corpore sagittis factam, teste Plin. l. 8. c. 27. Ea enim depasta sagittas facile extrahunt. Sed multò pretiosiorem ostendit ibi Sapiens, quia sanat vulnera animæ & sagittam, id est, pœnam peccato debitam, extrahit, imò & animas ex inferno. Unde idem Sapiens Prov. 22. ait: *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Labuntur ferè ex ignorantia pueri, eaque innata & alligata quodammodo illis est, sed vinculo tamen fragili, non ferreo; ideò non requiritur virga ferrea aut virga iræ, sed sufficit virga disciplinæ, id est, moderata castigatio: Nisi adhibuerint parentes virgam disciplinæ filiis, Deus *reget eos in virga ferrea.* Ita enim virga Moysis, quamdiu eam manu tenuit, virga fuit, ubi abjecit, serpens erat, Exod. 4. Ita si virgam super filio tenueris, virga tantum erit, nec filius morietur. Sed si abjeceris eam, serpens erit, & mors filio. Vultis igitur, ô parentes, liberare filios vestros à virga ferrea & serpente, mature dum curvari possunt, eos curvate; ut sic audire mereamini hodiernam Domini vocem: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca*, id est, super paucos liberos, *fuisti fidelis, super multa te constituam: Intra in gaudium Domini tui.*

CONCIO V.
QUID DEBEANT FILII parentibus.

I. Honorem & reverentiam. 1. Ponè incedendo. 2. De eorum tenuitate non erubescendum. 3. Eorum vitia occultando.

II. Obedientiam. 1. Parendo. 2. Cedendo eorum sensui. 3. In rebus gravibus eos consulendo.

III. Obsequium & servitium. 1. Suppeditando victum indigentibus. 2. Non cogendo ad bonorum traditionem. 3. Eorum defectus æquo animo ferendo.

THEMA.

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum, Matth. 25.

A. Hilaris hæc dies est pueris & puellis gratissimo adventu S. Nicolai: quoniam ab eo munuscula acceperunt. Vidistis, ô liberi, & lætati estis. Sed velim tamen sciatis, S. Nicolaum sua etiam munera à vobis expectare. Quid enim, si tot bonorum largitor, indonatus abeat, & post annum ad vos non redeat ob vestram ingratitudinem? Meo igitur consilio fovendus est hic benefactor, & pro modulo vestro reciprocis munusculis demulcendus, ut se imposterum largiorem erga vos exhibeat. Frumentum pro sale dicimus (Korn umb Saltz.) Et in hodierno Evangelio, quot talenta quisque accepit, totidem & retulit ei, à quo accepit. Quid igitur vos muneris afferetis S.Nicolao? Sanè ipse prædives est, nec indiget vestris donis; istud tamen requirit, ut ipsius nomine vestris vos parentibus munuscula afferatis ipsis placitura. Quod si feceritis, certi estote propitium vobis S.Nicolaum fore& in vos deinceps multò munificentiorem. Quæ autem sint ista, audite.

Nostis filii & filiæ tres auri massas appingi S. Nicolao: totidem munuscula parentibus vestris offerri vult à vobis S. Nicolaus. Primùm est reverentia, secundum obedientia, tertium obsequium.

B. I. *Honorem & reverentiam.*

Primum, Honor & reverentia. Præcipitur Deut. 5. *Honora Patrem & Matrem.* Primum & summum honorem Deo debetis, quia primarius vester genitor est, secundùm debetis parentibus, quia secundarii vestri genitores sunt, eisque post Deum, vitam vestram debetis, uti monet Ecclesiasticus c.7. *Memento*, inquit, *quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Unde apparet hoc præceptum, quod est primum secundæ tabulæ, fluere ex primo primæ tabulæ. Et propterea rectè agere filios, cùm parentes vocant Dominos: uti faciunt nobiliores. Ita enim & Rachel ait ad patrem: *Ne irascatur Dominus meus, quòd coram te assurgere nequeo*, Gen. 31. Porrò hanc reverentiam ostendere debent, primò, ponè incedendo, inferius sedendo, salutando etiam non resalutantes, caput aperiendo, cum alloquuntur, &c. Ita Salomon honoravit matrem obviando, adorando, & thronum ei ad dexteram suam ponendo, 3.Reg.2. Ita Alphonsus Aragonum Rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, ac pedibus eum comitabatur. Monenti autem patri, ut aliorum procerum more equo conscenso adequitaret, respondit: *Aliis liberum sit agere quod voluerint, Ego nunquam adducar quin patrem, quin regem & eum ægrotum pedibus sequar.* Panorm. lib.2. de gest. Alphon. Ita B. Thomas Morus Angliæ Cancellarius à patre suo flexis genibus benedictionem petebat. Staplet. in vita.

1. Ponè incedendo, &c.

Secundò, De eorum tenuitate, si pauperes & plebei sunt, non erubescendo. Non enim decet fortunam anteponere naturæ. Deinde *etsi pauper est*, (Pater) inquit S. Ambros. lib. de benedictionibus Patriarch. *& non habet divitiarum copias, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quas sanctificationum opes successoribus largiatur. Et multò plus est beatum, quàm divitem fieri. Ideoque & Ioseph festinabat à patre sumere benedictionem.* hæc Ambros. Qui Ioseph, Gen. 48. *adoravit pronus in terram*; patri videlicet humiliter se incurvando, licet pater plebejus & infirmus esset, Ioseph verò princeps in Ægypto. Quam indignum sit parentes humiles erubescere, patet exemplo illius ingratissimi filii apud Lutetiam, qui cum esset Rustici filius, patrem inclusit eo die, quo solemniter inibat conjugium, vocatis sponsæ cognatis, apud quos vilem generis sui conditionem dissimulaverat. Eductus post triduum è cubiculo, velut è carcere pater, approbante mox senatu illum exhæreditavit & de portione substantiæ, quæ manebat ipsum, missam fundavit, quæ quotidie celebrari dicitur Parisiis in templo S. Genovefæ, ut refert Chavas. de Prudent. lib.1. cap.10. Idque rectissimè factum ad æternam filii ignominiam & justissimam punitionem, haud dubiè ex Dei dispensatione.

2. De eorum tenuitate non erubescendo.

Tertiò, Eorum vitia occultando; *nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam*, inquit Apostol. ad Ephes. 5. Atqui filius caro ex carne patris est, & os ex ossibus ejus, quemadmodum Adam de Evâ dixit. Quis autem prudens se ipsum infamat? Contra hoc debitum cum peccasset Chanaan filius Cham, nuntiando patri ebrietatem, & denudationem Avi Noë (ut tradunt Hebræi & Theodoretus) similiter & Cham nuntiando idipsum duobus fratribus suis, meritò à patre maledictus est, & in maledictione perpetuaque servitute cum suâ posteritate vixit, Gen.9. At verò Sem & Iaphet, quia accedentes retrorsum pallio operuerunt nuditatem patris, à patre benedicti fuerunt, & in benedictione vixerunt. Hoc ergò decet bonos filios, parentum vitia tegere. Quod si Constantinus M. dixit, si Episcopi alicu-

3. Eorum vitia occultando.

alicujus stuprum videret, facinus illud suo se paludamento obtecturum, uti refert Theodoret. lib. 1. hist. dum in concilio Nicæno libellos quorundam Episcoporum litigiosos combussisset; quantò magis decet id facere filium Patri? Quid verò parentum illusoribus, Chami imitatoribus competat, id Sapiens Prov. 30. edicit. *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ*; quasi dicat, dignus est qui in patibulo corvos pascat & aquilas. Nominat autem longævas has aves, ut significetur talem meriri vitæ succisionem, quam alioqui longævam sperare posset, si Parentes honoraret.

C. II. *Obedientiam.*

Secundum. Est obedientia, juxta id Apostoli ad Eph. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Sunt enim parentes filiorum Præceptores, quos non tantùm gignere, sed & moribus, & disciplinis bonis efformare debent. Et si hoc faciendum est parentibus, obediendum ergò est filiis. Deut. 25. dicuntur Patres ædificare domum, cum liberos gignunt, & relinquunt suæ familiæ. Filii igitur lapides sunt, parentes fabri liberûm (sic enim à Plauto vocantur in Mostellaria) ergò sicut lapis lapicidæ & murario in omnibus paret, sive trudatur pedibus, sive tundatur malleis, & quocunque loco ponatur, ibi jacet: sic debent esse filii in manibus parentum. Et propterea fortasse protervus & contumax filius accusatus hoc nomine à parentibus, præcipitur lapidibus obrui, Deut. 21. quia scil. lapidibus, qui in omnem figuram efformari possunt, pervicacior fuit. Hanc autem inobedientiam ostendere debent, primò parendo in omnibus, quæ Dei voluntati non contrariantur. Vultin' ejusmodi filios? Isaacum intuemini, qui lignorum fasciculo loco asini se onerari & ligari super struem ad immolandum passus est à patre. Iacob ejus filius consilio matris acquievit, licet patris indignationem non temere metueret. Hujus filius Ioseph missus ad visendos fratres, sibi licèt infensos, illicò cucurrit. Philippus Rom. Principum primus Christianæ fidei sectator filium suum ejusdem nominis adeo sui reverentem sensit, ut in imperium se consentiente provectus filius gloriaretur se patrem habere, cui posset obedire non tantum ut filius, sed etiam ut Imperator. Quin & horum immediati successoris, Decii scil. Imperatoris, filius, cum pater eum Regem nominare & diademate insignire vellet, renuit dicens: *Vereor ne si Imperator fiam, dediscam esse filius. Malo non esse Imperator, sed humilis filius, quam Imperator & filius indevotus.* Petr. Bless. Epist. 47.

1. *Parendo.*

2. *Cedendo eorum sensui.*

Secundò, cedendo eorum sensui, dato etiam quòd filii rem meliùs intelligant, vel, si fortè graviter errarent, modestè admonendo, exemplo Ionathæ, qui videns patrem moliri necem innocenti Davidi, dicebat: *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valdè*, 1. Reg. 19. Exemplo item Philippi paulò ante dicti, qui patrem suum itidem Philippum in ludis publicis petulantibus cachinnantem vultu averso notavit, ac tacitè redarguit, ob risus abstinentiam dictus ἀγέλαστος: sic fortasse à Severa matre Augusta Christiana fœmina moribus informatus, Aurelius Victor in Philip. apud Baron. anno 249. In dubiis & indifferentibus rebus cedat filius patri, minor majori, juvenis veterano. Sic ignis seu lampas accensa noctu quidem splendet, interdiu non splendet; quia soli cedit, tanquam majori lumini. Docuit hoc Christus, quando Ierosolymis deseruit domum patris sui, & descendit cum illis in Nazareth, Luc. 2.

3. *In rebus gravibus eos consulendo.*

Tertiò in rebus gravibus eos consulendo, ut cum ducenda est uxor, quam sibi eligere de parentib. malè meritam pravi est filii, uti fecit Esau, Genes. 26. qui duxit contra voluntatem parentum uxores alienigenas duas, quæ ambæ offenderant ejus parentes. Unde postea quando Iacob fratri ejus quęrenda erat uxor, dixit mater ejus Rebecca: *Si acceperit Iacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Gen. 27. Rarò felicia sunt conjugia quę coierunt clanculum & sine parentum arbitrio, quia tunc plerumq; juvenes respiciunt vel voluptatem, vel pulchritudinem, vel sequuntur inordinatum amorem suum; quo nomine Deo displicent, sicut illi qui paulò ante diluvium acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, id est, præexcellentes pulchritudine. Parentes autem ad mores obtutum dirigunt, atque ita longè melius discernunt, quænam magis conveniant filiis.

D. III. *Obsequium & servitium.*

Tertium. Est obsequium, quo liberi parentibus inservire & necessitates eorum sublevare debent ex lege ipsius naturæ. Nam ut docet S. Thom. opusc. 7. Filii à parentibus accipiunt vitam, sicut milites accipiunt à Rege feudum, ut si ei sint fideles, ejus conservationem; si infideles, ejus privationem mereantur. Accedit Ecclesiasticus, c. 3. *Qui timet Dominum*, inquit, *honorat parentes & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Servire autem debent, primò suppeditando victum infirmis & egentibus. Si enim à parentibus ipsi enutriti & educati sunt, cum essent adhuc ætate tenerâ & imbecillâ: eccur eandem vicem parentibus suis repuerascentibus non rependant? An non Apostolus 1. Tim. 5. jubet mutuam vicem rependerę parentibus? An non solo naturæ instinctu faciunt hoc bruta? Meropem avem statim ac volare potest, parentibus inservire scribit Pierius. lib. 17. hierogl. Vultin' exempla hominum? Celebratur apud Plin. lib. 7. c. 38. Filia, quæ matrem carceri mancipatam diu sustentavit suis uberibus, qui locus postea Deæ Pietati consecratus est. Et illa altera, quæ similiter Cimonem Patrem apud Valer. Max. l. 5. Nec non Cornelius, qui patrem luminibus orbatum scipionis instar regebat; unde Scipionis cognomentum sibi & toti familiæ suæ acquisivit. Chav. de prud. l. 1. cap. 10. Item filius aurifabri Toletani, qui patre ob falsas suspiciones à Petro I. Rege Castulonis ad mortem damnato precibus & lachrymis impetravit, ut pro patre occideretur, apud Fulgos. l. 5. c. 4. nec non Cardinalis Grimanus, qui

1. *Suppeditando victum indigentibus.*

qui pro patre Antonio, carceri se obtulit: apud Egnatium lib. 5. c. 4. Item Quinti Ciceronis [Marci fratris] filius, qui patrem ad necem quæsitum occuluit; & cum ipse in quæstionem duceretur, & omnibus tormentis interrogaretur, prodere noluit, Dio lib. 47. Rursum quædam filia, quæ Calvinistis in Gallia grassantibus, & ingentem stragem edentibus per media cadavera irruit, & patrem quæsitum ivit, inventumque adhuc spirantem humeris extulit & curavit, uti ejus tragœdiæ scriptores literis prodiderunt.

2. *Non cogendo ad bonorum traditionem.*

Secundò non cogendo, ut sibi bona sua cedant, nec mortem eorum optando, instar vulturis, qui moribundæ pecudi assidet & cadaver expectat: vel corvi, qui parentes seniculos expellit de sua statione. Si enim parentes tam dolenter ferunt mortem filiorum præmaturam, cur non item filii mortem parentum: Sane perquam raro fortunant filii, qui parentes compellunt tradere sibi bona sua, justo Dei judicio. Narrat Belleforetius in Clothario, Chramnum Clotharii Francorum Regis filium patri rebellasse [eò quod nolebat eum pater ante tempus Regem creare Aquitaniæ] & varia contra eum bella gessisse. Tandem verò in Britanniam profectus pater cum suis copiis, imploravit supplex divinam opem contra incorrigibilem natum; inito autem certamine, non illum fudit fugavitque solum, sed etiam comprehendit, totusque irâ percitus inclusit cum uxore & filiabus in rusticano tuguriolo, scamnoque alligatum igne undique circumposito incendit & consumpsit. Similem fere exitum habuit Absolon, simile ob peccatum. Aliter se gessit Hermes Anathoclæi regis filius, cùm patre in extremis agente postularetur ad regnum, renuit, donec quicquam spiritus patri superesset, Pet. Bles. ep. 47.

3. *Eorum defectus æquo animo ferendo.*

Tertiò horum defectus & senectutem æquo animo ferendo, juxta id Eccles. 3. *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius & si defecerit sensu, veniam da.* Senes bis pueri sunt. Tolera ergo bis puerum, qui te toleravit semel puerum. Docent hoc Ciconiæ teste S. Ambros. 5. Exam. cap. 16. quæ parentes, cum senuerint & pennarum defluvio laborant, suis pennis confovent, & alis utrinque advolantes ad volandum juvant & sustentant. Inde à ciconiis natum illud Proverbium ἀντιπελαργεῖν, id est, mutuam officii & præsertim nutricationis vicem reddere parentibus. Longe verò ab hac pietate distabat Filius ille, qui ut refert S. Bonavent. l. de decem præceptis, serm. 5. de 4. præcepto, quotidie splendide cum uxore suâ epulabatur, pauperculum interim patrem fabis victitare sinebat. Hic pater cum die quadam filii domum adiisset, tempore quo ille mensæ accumbebat, & caponem sibi paratum habebat: ubi advertit filius patrem adventare, caponem armario includi fecit, solitum tantum cibum patri præbens. Patre itaque abeunte, caponem educere dum vult, in bufonem ingentem conversum videt, quem in faciem, & oculos insilientem avellere nulla ratione potuit, donec ejus veneno infectus expiraret tandem. Quanquam ut scribit Cantiprat. l. 2. ap. c. 7. prius aliquot annos vixit & ex præcepto Episcopi Diœcesani per Normaniam & Galliam circuivit, ut suo exemplo omnes filios admoneret.

Atque hæc tria sunt, quæ docet D. Thomas. in opusc. deberi parentibus à filiis. Quia enim parentes præbent filiis esse & vitam: merentur recipere ab illis honorem & reverentiam. Quia dant disciplinam & institutionem, merentur recipere obedientiam. Quia dant victum & amictum, merentur in egestate & senio præsertim recipere sustentationem. Hæc si parentibus tuis, fili, munera imposueris, audies à Domino: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui,* Amen.

CONCIO VI.
USURA DAMNATUR.

I. Damnatur à vocabulo suo.
II. A legibus. 1. A Divina veteri. 2. A divina nova. 3. A SS. Canonibus. 4. A legibus Civilibus.
III. A ratione.

THEMA.

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum, Matth. 25.

A.

NUlli hominum generi, meo quidem judicio, adeò viam cœli obstruit Christus in Evangelio, atque avaris & raptoribus. Hinc enim ut alia taceam, terribilis illa sententia, Matth. 19. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Sed videbitur fortè alicui in hodierno Evangelio aperire illis portam & latam quidem in regnum cœlorum. Laudat enim eos, qui traditis sibi talentis multa alia sunt lucrati. Quis autem plus lucratur quam usurarii & raptores? Deinde post finem hujus Evangelii servo illi pigro, qui nihil fuit lucratus; ait Dominus ejus: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Ergò dicet aliquis, jubet Dominus usuras facere, easque à nobis exigit. Ergò iniquitas apud Deum? absit. Si enim de Iove dixit Musonius: *Jupiter non fœneratur, multò minus fœnerat,* id est, non accipit ad usuram, multò minus dat: quantò magis hoc de Deo vero dicendum? Quare alia longè usura est, quam à nobis Deus exigit, alia talenta, merita salutis, opera virtutum. Quare obstruamus huic crimini denuò januam Regni Dei.

Damnan-

B. I. *Damnatur à vocabulo.*

Damnatur primo ab ipso suo vocabulo, Hebræo, Græco, Latino adeoque ab omni hominum genere, quia hæ sunt tres linguarum fontes. Vocatur enim hebraicè Nesech, i. e. morsus, quoniam instar canis mordet & rodit ossa pauperum. Sic habetur Exod. 22. *Non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*; (Hebraicè: *Non eris ei ut exactor, vel fœnerator & non pones super eum morsum.*) Quia vero nemo haberi volebat canis famelicus aut rabiosus, qui se aliorum morsibus pascat, idcirco ad probri effugium usuram vocarunt Hebræi Tarbith, id est, incrementum. Sed ut occurrat Deus huic fraudi, utrumque nomen ibi conjungit & damnat. Unde Rabbi Salomon dixti: [Incrementum usuræ vocatur nesech, (quasi nachas, id est, serpens) quia se habet instar morsus serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ita ut non sentiat; mox autem serpit & diffundit se venenum, donec perveniat ad verticem ejus: sic quoque incrementum usuræ se habet. Non enim sentitur neque cognoscitur, donec ita augeatur quoad totam substantiã alicujus exhauriat.] Consonat huic S. Chrysostomus in c.5. Matth. *Pecunia*, inquit, *usurarii similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide, quasi delectatus vadit in somnum, & per suavitatem soporis moritur; quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit, sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit & totum convertit in debitum, id est, hominem devorat.* Itaque juxta sententiam Iob c.20. *Caput aspidum suget*, quisquis ad usuram accipiet; sed multo magis, qui dabit. Hic enim perdet animam suam, ille opes tantum. Recte & à Chaldæis usura vocatur chabulia, id est, perditio, quia perdit opes. Græce vocatur τόκος, id est, fœtus seu partus; seu quia partus est pecuniæ mutuo datæ, spurius tamen & adulterinus: seu quia ipsa semper & continuo parit. Unde recte eam lepori compares; nam, ut ait Plutarchus: Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat. Ita fœneratoris æs & usuram parit, & hæc sublata rursumque ad usuram data, rursum parit, ita & divitum avaritiã usura statim usuram parere ipsis debet. Cujusmodi usura usurarum speciatim est prohibita ab Imp. Iustiniano C. de usuris l. fin. Ambrosius l. de Tobia cap.12. ait: τόκους *Græci appellaverunt usuras, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur.* Quare ibi revera dolores ut parturientis sunt, ubi usuræ solvendæ.

Latine vocatur fœnus & usura. Fœnus quasi funus. Audi Ambr. l. cit. c.10. *Nihil interest*, inquit, *inter funus & fœnus, nihil inter mortem distat & sortem.* Ergo tam ad usuram dans, quam accipiens funus est & ad sepulchrum effertur; sed ille ad sepulchrum gehennæ, hic ad sepulchrum inopiæ tantum. Usura dicitur, quod ipso suo usu omnia consumat.

C. II. *à Legibus.*

Secundo, Damnatur à legibus, primo à lege Divina veteri, Exod. c.22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Et Deut.23.

1. *A divina veteri.*

Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem; sed alieno, i.e. alienigenæ. Dices Ergò pauperibus tantum & fratribus prohibetur dari ad usuram? Respondeo, aliis locis scripturæ universim prohiberi, ut Ezech.18. Prov.28. Psal. 14. & 54. Paulatim ergo perfectior facta est hæc lex, sicut in matrimonio, sacrificio, confessione. Unde S. Hieron. in c.18. Ezech. ait: *Vide profectum. In principio legis à fratribus tantum fœnus tollitur. In Prophetis ab omnibus usura prohibetur.* Deinde Respondetur Iudæis permissam fuisse usuram erga extraneos tanquam minus malum, ut arcerentur à majori, fœnerandi fratribus. Nec male S. Ambrosius l. de Tobia cap.15. per alienos intelligit hostes Iudæorum (quales erant fere omnes gentes, maxime vicinæ) illos autem poterant ex Dei confessione spoliare & occidere, ergo & usuris premere: Ubi enim est jus belli, ibi est jus usuræ; præsertim cum hoc idem jus usurpaturæ essent gentes in Iudæos. Pari jure Christiani possent accipere usuras à Turcis, ad recuperanda bona, quæ Christianis abstulerunt.

2. *A divina nova.*

Secundo, A lege divina nova Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, inquit Dominus, *& erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Ubi nota primo, primam ejus sententiæ partem, quæ suadet dare mutuum, pertinere ad consilium: alteram, quæ jubet nihil inde sperare, pertinere ad præceptum, ut scil. nihil amplius exigatur, quam quod mutuatum est; (hoc enim repetere non vetat ibi Christus, quia alias non mutuum, sed donatum foret.) Secundo, Usuram mutui, ex præcepto Domini, temporalem non esse quinque pro centum, nec tria, nec unum, sed *Nihil*; *Nihil inde sperantes*, inquit. Unde non solum pecunia, sed quidquid pretio æstimabile est, prohibetur accipi pro usurâ, & proinde omnis etiam obligatio præstandi aliquid, quod alioqui pretio æstimabile non est, v.g. honorem vel laudem, & commendationem apud alios impertiendi: quia obligatio & onus illud pretio æstimabile est: Usuram ergo spiritualem tantum Dominus concedit, mercedem in cœlo & dignitatem filii Altissimi (qui & ipse dat omnia gratis) qua quid pretiosius dari aut obtineri potest? Tertio, quod ait nihil inde sperandum, intellige ex justitia debitum. Nam si speres vel etiam roges mutuatarium, ut memor præstiti beneficii, ex spontanea gratitudine rependere munus velit; vel etiam ejusmodi gratuitum donum accipias, non eris usurarius, ut docet S. Thom. 2.2. q.78. art.1.

3. *A SS. Canonibus.*

Tertiò, A SS. Canonibus, & quidem pluribus in locis, additis etiam his censuris: primo excommunicantur, Extrav. de Usuris l.6. C. Usurarum. Secundò. Excluduntur à sepultura sacra, C. Quia in omnibus, eodem titulo.

Tertiò, Non debent nec possunt absolvi, nisi facta restitutione, vel præstita cautione, C. Quanquam, eod. tit.

Quartò. Non debet recipi eorum oblatio, juxta id Eccl.19. *Qui offert de rapina pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Quinto Testamentum & quævis alia voluntas usurarii manifesti ipso jure irrita est, nisi ante mortem restituerit, C. Quanquam de Usuris in 6.

4. *A legibus civilibus.* Quartò, A legibus civilibus nationum penè omnium. Tametsi verò leges civiles non nihil hac in re connivent, non inde tamen sequitur, licitas esse usuras, quæ vulgò tolerantur. Multa tolerantur propter majus evitandum malum, quæ tamen non approbantur, uti libellus repudii veteri in lege. Adhæc Cæsareæ leges si quæ usuras statuunt, correctæ sunt à jure Canonico, Clem. unic. de usuris. Præter Cæsareas leges Christianorum Impp. usuram inhibentes. Agis Spartanorum Rex adeò fœnus exosum habuit, ut omnium fœneratorum tabulas igne supposito in foro concremarit: quo igne nullum se luculentiorem vidisse unquam asseruit, Alex. ab Alex. l.1. c.7. Laudati sunt Lucullus, quòd Asiam; Cato quòd Siciliam fœnore liberassent; Lycurgus quòd Spartam. Indis & Germanis fœnus omne ignotum fuisse olim scribit Alexand. ab Alex. loco cit. Romani lege 12. tabularum caverunt, ne quis plus unciario fœnore fœneraret: mox tribunitiâ rogatione, ad semiunciam fœnus est redactum, tum ad semissem, postea ad triennium: Demum à L. Gemutio tribuno plebis omninò sublatum est: paulatim iterum succrescens à Cæsare succisum, & deinceps ab aliis eorum successoribus. Signum ergò manifestum est pessimam feram esse usuram, quæ à tot nationibus tot baculis impetita, & expulsa est. Fera inquam illa de qua dicitur Ps.13. *Devorant plebem meam sicut escam panis.* Sunt enim usurarii in civitatibus, quod Lucii pisces in piscinis, qui devorant pisces alios.

D. III. *A ratione.* Tertiò, Damnantur ab ipsa ratione & lumine naturali. Iustitia enim non admittit ut idem bis solvatur, sed plus reddatur quam acceptum est, at verò per usuram, plus exigitur, quam datum est, ergò iniqua est. Declaratur & confirmatur, quia in rebus, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, non potest seorsum computari usus à reipsa: sed ex eo quod conceditur res, cōceditur ejus usus. Unde vendere vinum, & seorsum vendere ejus usum, idem esset bis vendere, aut vendere quod non est. Pecunia autem ejusmodi res est, sterilis inquam & infructifera, cujus usus est ipsa ejus consumptio, sicut usus vini aut frumenti est ipsa ejus consumptio. Ergò pro pecuniæ usu nihil jure exigi potest. Alia ratio est rerum fructiferarum, uti domus, Equi, Vaccæ, Agri, &c. Ex quibus permanentibus usus & commoditas vel fructus percipi ac separari potest, uti ex domo hospitiū, ex agro frumentum, ex vacca lac, caseus, vitulus.

1. *Advertendum.* Advertendum verò hic primò aliam esse usuram lucratoriam, id est, quæ merum lucrum continet, aliam compensatoriam, per quam damnum emergens, vel lucrum cessans mutuatori compensatur. Illa prohibetur: non hæc, nam ratione damni emergentis, etiam cum probabile periculum est damni emersuri, ut cum jure timetur de restitutione, vel lucri cessantis, exigi & accipi potest, quanti lucrum id vel damnum æstimatur.

Secundò, Aliud esse censum & aliud mutuum, nam in mutuo datur pecunia ad certum tempus, quo elapso potest repeti; sed in censu datur in æternum, quantum est ex parte dantis (licet in pactum deduci possit, ut dans eam aliquando repetat, & accipiens pro libito suo refundat) & ita Censualista censetur suâ pecuniâ emere sibi pensionem annuam ex fructibus certæ rei vel personæ. Deinde si pereat res vel fructus ejus, super quibus constitutus est census, pereunt emptori ex communi sententiâ. Quod non fit in mutuo.

Hinc igitur usura apud prudentes viros nihilo melior habita, quàm furtum aut homicidium. Uti Gregor. Nyssen. apud Dion. Chartus. in Luc.6. *Malignam fœneratorum excogitationem*, inquit, *si quis appellet furtum & homicidium, non peccabit. Nam quid refert suffosso pariete quenquam erepta possidere; ac fœnorum necessitate possidere illicita?* S. Ambros. l. de Tob. c.14. Usuram petere suffocare est. Et Cato senex gentilis apud Cicer. l.3. offic. rogatus, quid esset fœnerari? respondit: *quid est hominem occidere?* Nec mirum, quia fœneratores inopum sanguinem hauriunt. Quin etiam M. Catone teste l. de re rustica c.1. Olim apud Rom. fures condemnabantur in duplū, fœneratores verò in quadruplum restituendum. Nec injuriâ. Fures enim privati non furantur continuò, sed quibusdam tantum temporibus & noctu ferè, idque cum timore, & ferè ex necessitate faciunt, interim ob id pudore suffusi incedunt. Verùm publici illi usurarum fures diu noctuque rapiunt, idq; fine pudore, gestantq; aureos torques (juxta id Catonis: *Privati fures in nervo, & compedibus vitam agunt: publici in auro & purpura visuntur*, Gell. l.11. c.28.) & quandoque fures alios parvulos suspendant. Unde Demochares furem ab undecim viris abduci videns: *Vah miser*, inquit, *cur tantula furatus es, & non potius magna, ut tute etiam abduxisses alios?* Stob. Serm.11. Et quid ergò mirum, si hoc tam iniquum & cōmune malum Deus variis cladib. puniat? modò bello, modò annonâ, modò peste? Quia enim ferrea nunc sunt Christianorum pectora, ideò fit nobis cœlum & terra ferrea, juxta id Dei minantis Lev.26. *Dabo vobis cœlum desuper sicut ferrum & terram æneam.* Et quid mirum, si terra ex se fertilis neget nobis fructum, qui cogimus ea nobis fructificare, quæ ex se sunt sterilia, scil. pecuniam? *Sed ais*, inquit S. Basilius apud Dion. Chartus. loco cit. *qualiter ergò victum acquiram, videlicet si à fœneratore non debeo mutuum accipere? certè labora, servi, mendica, unumquodque tolerabilius est fœnoris mutuo.*

2. Denique qui utilissimè cupit fœnerari, fœneretur Deo miserendo pauperis, Prov. 19. juxta sententiam S. Bernardini Senensis, dicentis, fœnus ita demum sine peccato exerceri posse, si pecunia iis crederetur, qui

qui nec capitalem ſummam reddere poſſent. Æn. Sylv. de dictis Sigiſmundi & Friderici Impp. ſic omnium fructuoſiſsimè negotiabimur cum talentis nobis à Deo creditis: ſi ſcil. ea demus ad menſam eſurientium. Iſti ſunt nummularii, quibus ſi committas pecuniam tuam, lucraberis regnum cœlorum. Ita negotiatus fuit S. Nicolaus, tribus auri maſsis tres lucrando puellas, ut à turpi quæſtu præſervatæ honeſto collocarentur matrimonio. Et quis ambigat, quantam ſibi hoc facto meruerit coronam coram Domino Deo? Hujus igitur exemplo & hujus adjuti precibus ita noſtras opes, & facultates collocemus uti juſtis titulis quæramus victum noſtrum, & ne ob pecuniam perdamus vitam æternam.

CONCIO VII.

DOCUMENTA Evangelii.

I. *Monemur Chriſto gratias agere.* 1. Quia tradidit nobis bona ſua. 2. Quia ad negotiationem utiliſſimam nos vocavit.

II. *Non extolli de noſtris talentis.* 1. Quia ex Dei liberalitate veniunt. 2. Quia de iis ratio reddenda.

III. *Non invidere aliis plura talenta.*

IV. *Sedulo negotiari.*

V. *Sperare coronam Juſtitiæ.*

VI. *Timere Deum Judicem.*

THEMA.

Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua, Matth. 25.

A. SOlent hodie communiter pueri & puellæ ſurgere diluculò & magnâ aviditate involare in munuſcula, ut vocant S. Nicolai, eaque ſedulò rimari, oſtentare & ſervare. Quid verò nos, Auditores? nunquid non omnes filii & filiæ Chriſti ſumus? Nunquid igitur hoc die optimus & ditiſsimus pater noſter munere nos deſtituet? Minimè verò: ſi enim noſtis vos parentes bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis (Chriſtus) dabit vobis Spiritum bonum? Sed quorſum oculos cõvertemus, ut munuſcula reperiamus? Intueamur Evangelium & videbimus in parabolâ, à Chriſto nobis traditâ, non unum ſed plura munuſcula eaque ſaluberrima.

B. I. *Monemur Chriſto gratias agere.* Reperimus Primò armillas aureas, hoc eſt, merita Chriſti, quibus manus noſtras ornare, ſeu opera noſtra inaurare, & Deo grata ac meritoria facere poſſumus. Et inde monemur gratias agere Chriſto.

1. *Quia tradidit nobis bona ſua.* Primò quia tradidit nobis bona ſua, quæ comparavit nobis morte & paſsione ſuâ. Sunt autem merita ipſius Sacramenta, doctrina, exempla, merita deniq; noſtra, quæ ex ipſius meritis valorem vitæ æternæ obtinent. Opera noſtra ex ſe nihil poſſunt ad vitam æternam promerendam. Chriſtus ea in tantum extulit, ut ſi in gratiâ fiant, mereantur vitam illam. Itaque in quantum meritoria ſunt vitæ æternæ, dona, & talenta Chriſti ſunt. Quemadmodum ergo Iſaac Gen. 24. miſit Rebeccæ ſponſæ ſuæ inaures & armillas, quibus ipſa ſe adornavit, ut placeret ſponſo ſuo: ita miſit & dedit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ verba divina & merita vitæ æternæ; & ſicut Rebecca caruiſſet ornamentis illis, niſi ea tranſmiſiſſet Iſaac: ita & Eccleſia caruiſſet verbo Dei in auribus & merito in manibus, niſi per Chriſtum ea obtinuiſſet. Opera noſtra ex ſe cuprea tantum erant, per merita & gratiam Chriſti aurea facta ſunt. *Ut annulus cupreus*, inquit, Hector Pintus in Ezech. 37. *pretioſiſſimo adamante ornatus ſummi valoris eſt, non ob cuprum, ſed ob gemmam inæſtimabilem cupro ipſi incluſam: Sic bona opera noſtra in gratia, vitam æternam merentur, non quod noſtra ſint, quia ſic ut cuprum ſunt parvi pretii, ſed quia fiunt in gratia, & inſignita ſunt tanquam inæſtimabili adamante, merito mortis & paſſionis Chriſti, cui per gratiam adhæremus.* Vultin' aliam declarationem? ſit Rex opulentiſsimus, qui ex merâ gratiâ, deſponſet ſibi puellam pauperem, (quemadmodum Aſſuerus deſponſavit ſibi pauperem Eſther, utroque parente orbatam, ex captivorum numero, Eſth. 2.) & gignat ex ea liberos. Hi ſanè filii regis erunt & de jure regni hæredes, quod tamen non à matre, ſed à patre obtinent. Anima noſtra pauperrima eſt, quæ ex ſe non niſi paupercula opera gignere poteſt; deſponſata tamen Chriſto per fidem, & fœcundata per ipſius gratiam gignit opera meritoria vitæ æternæ, quaſi filios cœli hæredes. Et hæc eſt illa hæreditas Chriſti ad nos delata per ipſius mortem, de quâ agricolæ illi ſeu vinitores, cùm vidiſſent venientem Domini ſui filium, dicebant, in parabolâ de vinea Matth. 21. *Hic eſt hæres, venite occidamus eum & habebimus hæreditatem ejus.* Veriſsimè enim obtinuimus hæreditatem Chriſti per mortẽ ejus, tametſi Iudæi hæreditatem illam minimè quæſierunt. Hinc ergò intelligimus quantum obligemur Chriſto, à quo accepimus talenta, quibus regnum cœlorũ mercari ſeu lucrari poſſumus. Taceant igitur hæretici nihil nobis à Chriſto collatum eſſe, ſi adhuc bona opera à nobis requirantur. Quomodo enim non ſat ſuperque nobis datum eſt, quando datum eſt nobis aurum, quo comparare cœlum poſſumus? Et quomodo vita æterna non eſt donum Chriſti, quam ipſius pecunia nobis emimus? Hoc eſt, quod Iſaias dixit c. 55. *Venite, emite abſque argento & abſque ulla commutatione vinum & lac*, i. e. delicias vitæ æternæ. Quomodo emuntur abſque argento? Reſponſ. S. Ambroſ. l. de Ioſeph. Patr. 7. emi argento non noſtro, ſed Chriſti, ſcil. pretio ſanguinis ejus, & vitam æternam partim ex dono accipimus, partim ex juſtitia obtinemus.

Dedit nobis bona ſua.

2. *Quia ad* Secundò, Quia ad hanc negotiationem omnium lucroſiſsimam ſpecialiter nos vocavit & elegit ab ipſo

negotiationem utilissimam nos vocavit.

ipso nostro baptismo, in quo posuit nos ut eamus & fructum afferamus (Ioan. 15.) quod multis Regibus & populis non contigit, qui scil. ad Ecclesiam Christi vel vocati non sunt, vel tenuiter tantùm & quasi per Echonem à longè & inefficaciter. Hæc est vera illa sapientia (ars inquam lucrandi cœlum omnium quæstuosissima) de quâ Iob. 28. ait : *Perditio & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.* Etenim Iudæi, Gentiles, Turcæ, Hæretici, quasi per famam tantùm audiunt Christianismum & Ecclesiam Christi.

C. II. *Non extolli de nostris talentis.* 1. *Quia ex Dei liberalitate veniunt.*

Reperimus 2. securim, quæ scindit quidem & secat, sed non nisi elevata à secante. Et inde monemur non extolli de nostris talentis, primò, quia ea non à nobis, sed ex Dei dono & liberalitate habemus, sive ea naturalia sint sive supernaturalia. Quod si verò nostra industria naturalia bona auximus & perfecimus, Dei benedictioni hoc debemus. Supernaturalia verò, uti merita & virtutes, si auximus & perfecimus, Christi gratiæ debemus, quæ ad bene operandum nos excitat, operantes comitatur & adjuvat. Unde Isai. cap. 10. ait: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?* Securis quidem scindit, sed non nisi per manum hominis elevata: ita homo quidem agit & meretur libero suo arbitrio, sed non nisi elevatus per Dei gratiam, cui proinde potius, quàm homini opus adscribendum: sicut sectio artifici potius, quàm securi: Hinc rursum Isaias cap. 26. dixit; *Domine omnia opera nostra operatus es nobis.* (Chald. vertit: *operatus es nobiscum.*) Quomodo sunt opera nostra, si Deus ea nobis operatur? nostra sunt, quia cooperante nostro libero arbitrio fiunt: Dei opera sunt, quia gratia Dei excitante & cooperante fiunt, quemadmodum Apost. 1. Cor. 15. exposuit, cum ait: *Non ego, sed gratia Dei mecum,* (scil. laboravit) Laboravit ergo Apostolus, & cum eo gratia Dei, sed huic quodammodo primas & digniores partes tribuit, nec immeritò, quia gratia nos excitat ad operandum & adjuvat operantes; nos tantum cooperamur liberè, *Ut cum navis,* inquit Hector Pintus in Isai. c. 26. *Expanso velo, prospero vento agitatur, parum videtur agere Nauclerus, licet aliquid agat, quoniam ipsum velum flatibus expansum tenet, quod si contraxerit, non agitur navis: sic homo, qui agitur spiritu & gratia Dei, quamvis parum agere existimetur, agit tamen, quoniam pandit divinæ gratiæ arbitrii libertatem, & Spiritus sancti flatui velum bonæ voluntatis extendit.* Ut ergò demum etiam Navarchus, cum salvus appellit onusta mercibus nave, non sibi, nec navi, sed Deo ductori gratias agit, & salutem suam adscribit: Ita faciendum nobis. Accepimus à Deo gratiam excitantem, gratiam cooperantem, insuper valorem supernaturalem operum nostrorum. Unde ergò extolli possumus? *Quid habes, quod non accepisti?* ait Apost. 1. Cor. 4. *Si autem accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quod enim opus sit supernaturale & meritorium, hoc Dei gratiæ debet: Quod verò sit liberum, hoc à libero arbitrio habet, illique tribuere debet. Verum de hac sua libera cooperatione, non magis homo gloriari potest, quam pauper cui offeruntur centum aurei, gloriari potest se acceptasse, vel Navarchus, quod velum vento expanderit. Quare in simili parabola apud Luc. c. 19. dicunt negotiatores: *Domine mna tua fecit decem mnas,* ubi lucrum tribuitur gratiæ sicut in hac parabola tribuitur libero arbitrio. Utrique enim tribuendum, sed gratiæ magis.

2. *Quia de iis ratio reddenda.*

Secundò. Quia quanta quisque accepit, tanta & refundere Deoque de iis rationem reddere debet. Audi S. Greg. super hodiernum Evang. hom. 9. *Dum augentur dona,* inquit, *rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergò esse humilior atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Propterea inducit Dominus servos tantum lucri refundentes, quantum acceperant talentorum, quasi repetens id quod Luc. 12. dixerat: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.*

D. III. *Non invidere aliis plura talenta.*

Reperimus 3. libram seu bilancem, in qua sua cuique talenta ponderavit Dominus. Et inde monemur non invidere aliis ob plura vel meliora talenta. Primò, quia audimus ea distributa esse secundum propriam uniuscujusque virtutem, hoc est, secundum vires & dispositionem, quam prius à Deo quisque accepit: ita ut nemini prorsus impositum sit onus, seu gravius, seu levius, quam vires ejus admitterent. Si enim Agaso unicuique suorum asellorum tantum imponit onus, quantum est ferendo & non plus: cur non idem faciet Deus? & si Deus *fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura,* Iob 28. quanto magis id fecit hominibus? Itaque qui pauca vel exigua talenta possidet, cogitet se pluribus ferendis imparem fuisse, adeoque futurum fuisse, ut succumberet, si pluribus onustus fuisset; quemadmodum apud S. Hieron. in Reg. sanctim. c. 15. testatus est juvenis quidam, qui ex consilio senis patrui sui repudiato Episcopatu ei apparuit, gratiasque egit, dicens: *Scito quoniam nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Hoc est quod dixit Dominus Luc. 5. Neminem prudentem mittere vinum in utres veteres, ne rumpantur, vini efficaciam sustinere non valentes, sed vinum novum in utres novos & vetus in veteres, ut conserventur utraque. 2. Quia audimus utrumque, & qui quinque & qui duo talenta accepit & super lucratus est, pari laude & gratulatione à Domino exceptum esse. Utrique enim dicitur: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui,* nec dubium, iisdem verbis & encomiis excipiendum fuisse servum ultimum, si unico suo talento unicum lucratus fuisset. Voluit ergo docere Dominus posse unumquemque quibuscunque suis talentis summum in cœlo fieri & alios transcendere, etiam pluribus dotatos, siquidem industriam & laborem Deus

præ-

præmiat, non officium nec talenta. Quare si vel unicum talentum habeas, quod possis Deum amare, sufficit tibi & potes inde major fieri in regno cœlorum; quam sanctus Bonaventura, vel quis alius sanctus, uti ex S. Bonaventura diximus alias in hoc ipso festo.

E. IV. *Sedulò negotiari.*

Reperimus 4. Argenteam naviculam advehendis mercibus idoneam. Et inde monemur maria sulcare & strenuè negotiari cum talentis nobis traditis. 1. Quia Deus non tam remunerat fructum laborum nostrorum, quam laborem ipsum & industriam nostram, quod inde ostendit S. Chrysost. homil. 41. super Gen. quod simili applausu uterque servus exceptus est, tametsi alter quinque, alter duo tantum talenta lucratus est. *Quoad diligentiam*, inquit, *ambo pares fuerunt, proinde & eandem dignitatem nacti sunt.* Et S. Hieronymus in Matth. c. 25. *Et illum*, inquit, *qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili recipit gaudio, non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem.* Breviter S. Gregorius, *Deus*, inquit, *non respicit quantum, sed ex quanto.* Quare pro labore tuo accipies mercedem, & licet parum exquisitè obeas munus tuum, eodem tamen labore tantum lucraberis, quantum alter, qui pari labore suum exquisitissimè obiit: plus lucraberis si majorem amorem vel laborem operi impendas. Hinc vidua illa, quæ minimum reposuit in gazophylacio, plus omnibus lucrata est, Domino teste, Luc. 21. Nec dubium, laborem S. Iacobi Apostoli, quem subiit in adeunda & docenda Hispania, licet ibi vix ultra octo animas converterit, non minus præmium meruisse, quàm si plurimas convertisset.

2. Quia incertum, quando Dominus noster venturus sit & lucrum negotiationis à nobis requisiturus. Sanè in hodierno Evangelio reversioni suæ terminum nullum præfixit, ut moneret servos suos instanter operari, & occasionem nundinandi non præterire. Apud Lucam abiens dixit eis: *Negotiamini dum venio.* Veniet autem in judicio cujuscunque particulari. Interim dies vitæ nostræ quasi nundinæ sunt, in quibus possumus reperire & emere merces qualescunque, quæ sanè peractis nundinis non reperientur amplius. Quare sicut mercatores seduli sunt in obeundis nundinis & coemendis mercibus, ne lucrandi occasiones negligant: ita multò magis in salutis negotio nobis attendendum, &c.

F. V. *Sperare coronam Justitiæ.*

Reperimus quintò. Saccum auro plenum, & inde monemur sperare coronam justitiæ & mercedem operum nostrorum magnificentissimam, 1. Quia quicquid hac negotiatione lucramur, non Deo, sed nobis lucramur: tametsi enim Dominus à servis lucrum exegit, id tamen non sibi, sed servis attribuit, ut ex eo patet, quod à servo pigro jussit auferri talentum, & dari ei qui decem obtulit. Quanto putatis gaudio perfusum fuisse agasonem illum; cui Alexander Magnus saccum auro plenum (quem is à mulo defesso in humeros suos sustulerat Alexandro deferendum) videns ejus industriam donavit, dicens: *Vt tibi hic labor minus gravis sit, hoc aurum fer in domum tuam, quia tuum esse jubeo.* Fulgos. l. 4. Et quantum nobis gaudium erit in articulo mortis similem vocem à Christo audire? *Dicite justo*, inquit Isaias cap. 3. *quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet*, quasi dicat: bono animo sit, quia de lucro & industria sua vivet; Uti S. Nicolaus, qui eleemosynarum suarum miram industriam & fructum percepit in morte.

2. Quia pro lucro meritorum dabit nobis cumulum præmiorum & primò laudum & commendationem publicam, cum ait: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis:* Secundo potestatem maximam: *super multa te constituam.* Tertiò gaudium immensum: *Intra in gaudium Domini tui.* Quanta putatis est laus illa, quantus honor, qui ab ipso rege cœlorum homini tribuitur? quantum illud Imperium, respectu cujus omnia terrena pauca ab ipso dicuntur? nam si Imperator fueris & bene Imperium administraris, dicet tibi ille, *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Nihil ergò vel parum est imperium terrenum respectu imperii cœlestis, quod dabitur servo fideli. Quantum denique est illud gaudium Domini, quod intrare in hominem nequit, sed in quod intrare homo debet? Quid enim hic loquendi modus aliud significat, quam locum Beatorum undique plenum esse gaudiorum, quemadmodum in oceano navigans, nil nisi maria undique & undique circum videt? Gaudium habent supra se visionem Dei beatificam. Gaudium infra se, dejectionem inimicorum suorum ad infernum. Gaudium intra se in anima & corpore glorificatis, gaudium extra se in societate Sanctorum, &c.

G. VI. *Timere Deum judicem.*

Reperimus sextò. Virgam etiam seu baculum de quibus Ps. 22. dicitur: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Siquidem monemur timere Dominum nostrum, venturum suo tempore, & à nobis exacturum rationem talentorum. Quàm enim blandè & honorificè accepti sunt servi boni à Domino, tam durè & ignominiosè acceptus est servus piger, qui talentum suum abscondit: Commendati fuerunt servi boni: iste vituperatus est: serve male & piger. Opibus & imperio aucti sunt servi boni: iste spoliatus est etiam eo, quod habuit. In gaudium Domini, boni itroducti sunt: iste ejectus est in tenebras exteriores. Hic verò velim consideretis Auditores: si tam graviter mulctatus est, qui unum tantum abscondit talentum, quid fiet, qui plura sibi tradita, negligit, & abscondit: Deinde *si sic damnatur, qui non erogavit: quid debent expectare qui perdunt?* inquit S. Aug. ser. 51. de Sanct. Denique si talis pœna ei infertur, qui ex pigritia non usus est talento, quid debet fieri eo qui accepto talento utitur ad injuriam sui Domini & Dei, à quo id

accepit? Et si in tenebras exteriores abjicitur servus inutilis; quorsum abjiciendus erit servus noxius, pestifer, impius?

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. *Quis est homo peregrè abiens?*
II. *Quænam illa talenta?*
III. *Quinam servi.*
IV. *Quid cum servo malo actum.*

THEMA A.

Homo quidam peregrè proficiscens vocavit servos suos & tradidit illis bona sua, Matth. 25.

A. QUando hodiernam parabolam expendo, Auditores, compellor dicere cum Apostolo 1. Cor. 9. *Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi est, si non evangelizavero.* Etenim hodierna parabola clarè mihi ostendit, quàm severè punitus sit qui talentum suum abscondit. Sed & vos Auditores, si parabolam hanc ponderetis, dicere potestis, si verbum Dei audiero serio & sedulò, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi, si non audiero. Nam si vobis non incumberet necessitas audiendi, mihi non incumberet necessitas prædicandi, & nisi Auditoribus necessarium fuisset talentum, quod abscondit servus malus, non utique punitus & in tenebras ejectus fuisset. Utraque igitur ex parte meritò timemus, ne idem judicium experiamur, & dicere debemus: *si fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, servi inutiles sumus*, Luc. 17. Itaque pro virili meum ego officium faciam, & hodiernum Evangelium velut panem parvulis frangam. Facite vos vestrum, & accipite benevoli.

B. *Quis est homo peregrè abiẽs.* Quæritur primò, Quis est iste homo peregrè proficiscens &c.? Respondetur, Christus Dominus, qui primò peregrè profectus est, cum abiit in cœlum, *carnis enim locus proprius terra est*, inquit S. Greg. hom. 9. in Evang. *quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per redemptorem nostrum in cœlo collocatur.* Unde ascendente Domino mirabantur Angeli, Isa. 63. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus?*

Secundò vocavit servos suos, id est, Christianos & præsertim pastores ac prælatos. Primò ex nihilo in naturam humanam juxta id Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Secundo ad fidem & Ecclesiam (de Christianis enim hic sermo est) Tertiò propriissimè ad regimen populi & dignitates, uti pastores, prælatos & magistratus. Qua re indicat, neminem nisi legitimè vocatum ejusmodi munera acceptare debere, neque etiam nisi vocatis à Deo tribui gratiam, ut idoneè & cum fructu possint munus suum obire.

Tertiò, Tradidit illis bona sua, non quidem ita ut cum iis agere veluti Domini juxta libitum possent; sed ut cum eis negotiarentur & lucrum facerent. Unde in simili parabola Luc. 19. ait servis: *Negotiamini dum venio.* Ut enim arbores non plantantur, ut otiosæ maneant & hortum solum impleant, sed ut fructum uberem proferant, sic etjam conferuntur nobis Dei dona, ut majores indies progressus tum in nobis, tum in aliis faciamus. Cum enim Deus cæteras creaturas ab initio statim creations perfectas condidit: Soli homini dedit, ut per liberum arbitrium se ipsum proficeret, juxta id Apoc. 22. *Qui justus est justificatur adhuc.* Et id circò etiam pro solo homine conditum est cœlum, quia solus id promereri potest.

4. Quartò, Uni dedit quinque talenta: alii duo, alii unum. Inæqualiter distribuit. Primò ob Ecclesiæ pulchritudinem, quæ ex variis gradibus resultat. Prælatis & Episcopis quinque talenta dantur. Parochis & similibus duo: cæteris fidelibus unum, juxta ad Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam verò Prophetas, alios verò Evangelistas, alios verò Pastores & Doctores.* Secundò ob majorem vel minorem uniuscujusque capacitatem, unumquemque enim Deus implet pro sua mensura & capacitate seu naturæ, seu fidei, seu humilitatis, quæ vas est ad omnia Dei dona recipienda disponens. Et hoc est, quod dicitur, unicuique secundum propriam virtutem datum esse. (Non enim rustico confert Episcopatus officium) Hanc tamen virtutem & capacitatem prius donat etiam Deus.

5. Quintò, profectus est statim, profectus quidem, quatenus relinquit servis suis liberum arbitrium & facultatem negotiandi, lucrandi, & perdendi, bene vel malè operandi. Ita enim agit cum illis, ac si non adesset illis, ut sic probetur servorum industria, & fidelitas. Nam quamdiu adstat illis Dominus, omnes servi laborant usque ad sudorem, sed pigri coguntur quasi ad opus impigri; non item. Unde absente Domino hi nihilominus sedulò laborant, illi verò remissè agunt, & otio se dedunt. Audi servum talem, Luc. 12. *Moram facit Dominus meus venire.* Audi ejusmodi ancillam, Prov. 7. *Veni inebriemur uberibus & fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies, non est enim vir in domo sua, abiit via longissima, &c.* Sed advertere isti debent, Dominum, licet abierit, prope tamen esse & servos contemplari. Unde perinde ac si Dominum præsentem semper cerneremus, laborare nos oportet.

Statim autem profectus est, quia paucis diebus post resurrectionem moratus est in terra & tunc in cœlum abiit. Item quia vult nos statim negotiari cum talentis traditis. Sic Apostoli post acceptum Spiri-

Spiritum sanctum prædicare inceperunt, Actor. 2. & Marc. ult. Sic Paulus post conversionem & baptismum continuò ingressus est Synagogam, & prædicabat Iesum, Actor. 9.

6. Sextò post multum temporis reversus Dominus posuit rationem cum servis, primò post mundi interitum vel post mortem cujuscunque. Usque ad illa multum temporis est, quia sic videtur hominibus, quod tamen Deo est brevissimum & novissima hora vocatur. Secundò, quia diu connivet malis servis & patienter illos expectat ad pœnitentiam; illud autem tempus, licet in se exiguum sit, longum tamen videtur expectanti propter dolorem & tædium, quod interim sustinet. Ita Marc. 9. ait Dominus: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?*

C. II. *Quænam illa talenta?* Quæritur secundò, Quæ sunt illa talenta: Respondetur, esse dona partim corporalia, partim spiritualia, & 1. S. Greg. hom. 9. in Evan. per quinque talenta donum quinque sensuum intelligit, istos verò defodiunt in terra, qui eos ad voluptates tantum adhibent: qui visum quem ad discendas bonas artes, sacras literas, bonos mores adhibere possent, ad vana & illicita vertunt. Similiter aures quibus verbum Dei audire debebant, ad ludicra, scurrilia, turpia audienda applicant, &c. O quàm sapiens est, qui his talentis uti novit? Secundò idem S. Greg. ibi. Talentum asserit esse bonum ingenium. *Talentum in terra abscondere*, inquit, *est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam levare.* Sunt namq; nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, sed tamen sola, quæ carnis sunt, sapiunt, de quibus per Prophetam Ier. 40. dicitur: *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt.*

3. Tertio, D. Hilarius talentum dicit esse verbum Dei acceptum à prædicatore. Similiter author imperfecti: *Hoc est*, inquit, *talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare.* Unde qui verbum Dei sine fructu audiunt: item qui aliis id non communicant, cum possint ac debeant, illud talentum defodiunt. S. Aug. serm. 51. de Sanctis, qui est super hoc Evang. ait: *Sed etiam ad vos nolite existimare non pertinere erogationem. Non potestis erogare de isto loco superiore, sed potestis ubicunque estis. Vbi reprehenditur Christus, defendite: murmuratoribus respondete: blasphematores corripite: ab eorum vos societate alienate. Sic erogatis, si alios lucramini. Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia intendendo curat. Vnusquisque ergò in domo sua si caput est domui, debet ad eum pertinere Episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresin incurrant.* Hoc sensu Constantinus Magnus dicere solebat Ecclesiæ præsulibus: *Vos intra Ecclesiam Episcopi, ego extra Ecclesiam Episcopus sum constitutus.* Euseb. l. 4. de vita Constant. c. 24.

4. Quartò, Author imperfecti, talentum esse fidem asserit. *Non propter hoc solum*, inquit, *unusquisq; fit Christianus, ut sit Christianus servans talentum fidei suæ, sed ut operetur justitiam Christo, &c.* Quemadmodum enim non est satis, si pater docuerit filium suum opificium & artis instrumenta contulerit eidem, nisi filius artem illam exerceat, indeque se sustentet: ita nequaquam sufficit accepisse fidem & ejus instrumenta: sed fides exercenda est.

5. Quintò, S. Chrysostomus talentum ait significare docendi gratiam, & omnem facultatem, ac dona ad benefaciendum proximo. *Sive authoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quapiam re proximis prodesse queas*, inquit. Quisquis igitur hoc facere negligit, sciat se talentum suũ abscondere in terra, & cum servo malo damnandũ.

Porrò hæc dona idcirco talenta vocata sunt, quia Deus ea maximi æstimat, uti talentum Hebraicum aureum, maximam pecuniæ summam, (nempe duodecim millia coronatorum Franciorum) continet. Hinc enim Dominus etiam de uno talento rationem expetiit, & ne id periret, tolli à servo pigro, & dare alii jussit.

D. III. *Quinam servi?* Quæritur tertio. Qui sunt servi, quibus talenta tradita? Respondetur esse eos, qui qualiacunque dona ad dispensandum in Ecclesiæ & proximorum utilitatem acceperunt, uti inprimis & potissimum Episcopi & Prælati, deinde Christiani alii. Omnibus enim hominibus commissa sunt bona Dei, cum omnes teneantur ad rationem aliquam Deo reddendam. Horum ergo primò duo seduli & boni erant, qui totidem lucrati sunt: unus malus & piger qui talentum defodit. Boni talenta sua duplicarunt, partim dum aliis bona sua communicarunt, partim quia gratiæ & virtutum augmentum in se ipsis meruerunt. Malus servus abscondit talentum in terrã, dum id otiosum habuit, vel ad res inanes & sæculares inutiliter adhibuit. Ita qui communicat aliis doctrinã, gratiam, pecuniã, cibum, vestem, &c. duplicat talentũ, qui verò non comunicat, defodit & perdit.

Secundò illi, qui plura acceperunt, inducuntur tanquam seduli & bene operati, qui verò unum tantum accepit talentũ, solus describitur id decoxisse, & propterea condemnatus esse: primò ut qui plura acceperunt talenta & aliis præpositi sunt, non diffidãt, sed animentur ad strenuè negotiandum: qui verò pauciora acceperunt, & sibi tantum vivere habent, non præsumunt, quandoquidẽ etiã paucis malè uti possunt.

2. Secundò, ut intelligamus justum & æquum esse, ut qui plura acceperunt dona, plus etiam laborent & plura lucra faciant: idque æquitatis & gratitudinis ergò: qui verò pauca acceperunt, minus mirum esse si otio torpescant. Hinc paucos novimus Sanctos è plebe, plurimos ex Episcopis & Prælatis.

3. Tertiò, ut intelligant majores, si adeò dura ratio posita est cum eo, qui non duplicavit unicum

quod

quod accepit talentum: Quanto severius agetur cum illis, qui non duplicarunt quinque? Rursum intelligant minores: si fieri potest, ut quinque duplicentur, quanta erit culpa non duplicasse unum.

Tertiò, accedunt & exponunt singuli Domino negotiationem suam, dicentes: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, &c.* Malus item servulus talentum se abscondidisse fatetur. Non quòd coram Deo jactent, sancti opera sua, sed quod uniuscujusq; conscientia monstrabit quæ egerit, & quam fidelis servus Domino suo fuerit. Itaque nulla ibi tortura, nullis testibus opus erit: omnes omnia sua opera ultro demonstrabunt, quia tegere non possunt, velut si remoto velo imago vel abstracta larva seipsum prodat & manifestet homo. Unde benè Seneca in libro de moribus ait: *Nullum conscium tuorum peccatorum magis timueris, quàm temetipsum: alienum enim potes fugere, te nunquam.*

Quartò, dicunt servi boni se alia talenta superlucratos, cum tamen in simili parabola Luc. 19. non dicant se lucratos, sed: *Domine mna tua fecit decem mnas*, quia nimirum in hac parabola judicatur vis liberi arbitrii, in illa verò vis gratiæ cooperantis, ut intelligas lucrum quod accessit tum ex nobis tum ex gratia Dei proficisci, juxta id 1. Cor. 15. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

E. IV. *Quid cũ servo malo actum.*

Quintò. Eandem hic accipiunt remunerationem is, qui quinque, & is, qui duo talenta superlucratus est, cum tamen in alterâ illâ parabolâ, Luc. 19. Qui decem mnas lucratus est, constituatur super decem civitates: qui quinque, super quinque. Nimirum in hac parabola indicatur æqualitas præmii essentialis, in illa verò disparitas præmii accidentalis.

Quæritur Quartò, Quid cum servo malo actum? Primò accedens ille dixit: *Domine scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii & abscondi talentum tuum in terra: Ecce habes quod tuum est.* Et quid sibi volunt ista? Numquid servi pigri ita Christo Domino loquentur in judicio? Non sanè, sed refellitur hic objectio, quam aliqui facere possent, dicentes; Deum iniquè agere, quòd exigat à nobis bonum usum talentorum, seu bona opera ac merita, quæ ipse non seminavit aut sparsit: quodque non habentes ejusmodi merita, severissimè castiget & puniat æternum; itaque hæc exigere ab hominibus, duri & iniqui domini esse. Neque enim dubium inveniri aliquos homines inimicos crucis Christi, & ad bene operandum pertæsos, qui dum cogitant bene operandi difficultatem, peccandi proclivitatem, districtum Dei judicium & infernum paratum esse ignavis, optant, ut vel nunquam nati, vel pecora facti essent, ne tantum subire periculum & Deum experiri Iudicem cogerentur. A quibus parum absunt nostri hæretici cum bona opera excludunt, eo quòd Deus æquo durior esset, si post Christi merita & satisfactionem nostram exigeret. Ita enim mandatorum divinorum observationem impossibilem esse dicunt. Hanc itaque objectionem seu murmurationem refellit Dominus dicens: *Serve male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi, oportuit ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Quibus verbis ostendit Dominus se non durè aut iniquè agere, si exigat à nobis merita & lucrum ex talentis, quia jure id, quod suum est, repetit cum usura. Adhæc si scivit servus piger severum esse Deum in exigendis rationibus, tanto magis eum timere debuisset, & commissa sibi talenta fideliter expendere. Itaque talenta sua conferre in nummularios debuisset, hoc est, doctrinam suam auditoribus, pecuniam suam egentibus, &c. communicare, ubi fœnus spirituale acquirere potuisset. Unde Prov. 19. dicitur: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Subdit Dominus: *Tollite itaque ab eo talentum & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo: Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Primò aufertur servo malo talentum, quod non habet, sed videtur habere: quia nimirum non utitur eo: sicut avarus non utens pecuniâ, non habet eam, sed videtur habere tantùm, quia habet sine fructu. Auferetur id in morte, quando nihil ei proderit, hoc talentum habuisse.

Secundò, talentum servi mali datur servo bono. Servi boni industria tantò amplius clarescit in judicio, cum ignaviæ servi mali opponetur & quando dicetur: Ecce hic ignavus unicum talentum suum noluit duplicare, cum tamen ille sedulus duplicarit quinque.

Tertiò jubetur mitti in tenebras exteriores, *ubi erit fletus & stridor dentium.* Tremenda prorsus sententia. Si enim sic damnatur, qui omisit bene agere & lucrum sibi parare: quid fiet illis, qui mala commiserunt, & bonis malè usi sunt? Itaque sæpissimè cum Davide dicere & orare deberemus: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Istiusmodi enim delicta, quæ per negligentiam & omissionem committuntur, maxima pars hominum non intelligit, non videt: ideoq; occulta sunt, quia peccata non reputantur & multorum oculos fugiunt. Aliena etiam sunt, quia per nostram negligentiam, dum alios pro officio nostro non docemus, non monemus, non corrigimus, ab aliis committuntur.

IN

IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. V.

Evangelium Matth. 1.

Liber generationis JESU Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex, genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

CONCIONES.

I. *Multiplex Liber homini propositus.*

II. *Quomodo sine injuria peccatum Originale ad posteros Adæ traducatur.*

III. *Privilegia Deiparæ seu stellæ 12. quibus à Filio coronata est.*

IV. *Obsequia seu Gemmæ 12. quibus Deipara coronavit Filium.*

V. *Quàm similis Filio Deipara.*

VI. *Qua ratione Maria contriverit Caput serpentis.*

VII. *Christi ortus cur ad ultimam mundi ætatem dilatus.*

VIII. *Mysteria Evangelica.*

CONCIO I.

MULTIPLEX LIBER HOMINI propositus.

I. Mundus.
II. Lex scripta.
III. Christus.
IV. Deipara
V. Conscientia.
VI. Liber vitæ.

THEMA.

Liber Generationis Iesu Christi, Matth. 1.

A.

Scitis Auditores, pueros in Scholis non uno tantum libro uti, sed pro ratione profectus accipere à Magistris suis libros: Primò inferioris deinde altioris disciplinæ. Incipiunt ab Alphabeto, deinde addiscunt nomenclaturam, tum pergunt ad Principia, &c. Ita etiam Deus, quo instrueret mortales in sui cognitione, & rectè vivendi ratione, plures illis providit libros, quibus eos ad disciplinam magis magisque perfectam gradatim perduceret. Primò mundum istum: veluti alphabetum, deinde legem scriptam, post hæc filium suum, qui vivâ voce doceret, &c. Hujusmodi libros aliquot nunc lustrabimus.

B. I. *Mundus.*

Liber primus est mundus. Sic enim eum appellavit Mercurius Trismegistus, gentilium, veluti Moyses, cujus hæc de mundo est sententia: *universum*, inquit, *est liber divinitatis, sæculumque hoc sublustre est speculum divinorum.* S. Ioannes etiam Apocal. 6. Cœlum insinuat modò esse velut librum explicatum, (juxta id Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*) qui tempore adventantis judicii claudetur & involvetur. Ergò cœli velut tabulæ sunt, elementa folia, creaturæ aliæ voces, aliæ dictiones & sententiæ, tempora numerus paginarum, &c. quibus non solùm divinæ institutionis doctrina: sed etiam, ut Apostolus ad Roman. 1. ait: *invisibilia Dei, per ea quæ*

quæ facta sunt intellecta conspiciuntur , sempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Sicut enim palatium summa arte extructum & imago optimis coloribus & magna industria perfecta ostendit excellentiam artificum: ita mundus iste & res omnes, quæ sub sensum cadunt, ostendunt apertè excellentiam sui opificis. Nam ejus de nihilo creatio Dei potentiam; mira ejus dispositio, ordo & concordia tam disparium naturarum, subtilitas item & artificium, quod in omnibus rebus præsertim animantium structurâ cernitur , Dei sapientiam ; copiosa necessariorum provisio Dei bonitatem : regimen & moderatio, ratissimus ordo cœlorum & motus Dei providentiam : Magnitudo terræ, maris, montium & cœlorum, Dei magnitudinem & immensitatem; Motuũ temporumq; fluxus ac cœlorum revolutio Dei æternitatem; pulchritudo Solis; Lunæ, stellarum, florum & aliarum rerum omnium ejus pulchritudinem, summa cujusq; rei in suâ specie perfectio, ejus perfectionem indicant. Si verò simul omnia considerentur, tanquam integrum opus ejus, manifestè ostendunt ipsum esse bonum quoddam infinitum, in quo omne genus bonorum excellentissime continetur ; ac proinde ipsum esse super omnia amandum & colendum. Quam ob causam omnes creaturæ dicuntur laudare, & benedicere creatorem , quia quantum in ipsis est, totam naturam rationalem ad hoc excitant. Propterea etiam Deus hominem erectum fecit , & in medio mundi posuit, ut omnia in suo conspectu habere, adeoque omnia hujus libri folia volvere & perlustrare posset, vultumque suum cum toto corpore undique circumferre, labentia ab ortu in occasum sydera spectare , &c. In hoc libro assiduus versabatur magnus ille Antonius, qui interrogatus, quo in libro studeret? respondit: *Quem libro lego, universus hic mundus est.* Athanasius in vita & Socrates lib. 4. hist. c. 18. Similiter S. Bernardus, qui profectum suum sylvis & agris adscribebat, adjiciens alios se magistros non habuisse nisi fagos & quercus, l. 1. vitæ, cap. 4. Ejusdem libri sedulus inspector & lector fuit S. Franciscus; imo & philosophi ipsi Aristoteles, Plato, Socrates & alii. Verùm enim verò licèt mundus iste pulcherrimus liber sit , multis tamen partibus imperfectus est, & umbratica tantum Dei lineamenta monstrat, colores vivos non repræsentat, necdum ea, quæ naturæ terminos transcendunt, & quibus ad bonum perenne possumus pervenire. Adhæc plerique mortales , puerorum instar figunt solum obtutum in aureis quibusdam hujus libri literis, sensum & intelligentiam minimè penetrantes.

C. II. *Lex scripta.*

Secundus Liber. Idcircò alterum eumque accuratiorem librum providit homini Deus, legem scil. scriptam, quâ distinctis & expressis verbis ac veluti vivis coloribus seipsum, & quidquid ad bene beateque vivendum spectat, proposuit, scripsit, dictavit mediante Spiritu sancto; qui liber quanto priore illo clarior, accuratior & ad movendum efficatior, tanto & præstantior est, de quo Baruch. 4. dicitur: *Hic liber mandatorum Dei , & lex quæ est in æternum.* Coluit hunc sanctus Carolus Borromæus dum S. Scripturam quasi Dei oracula, non nisi nudo capite & flexis genibus venerabundus lectitabat. Idcircò olim in templis erant duo sacraria, in quorum dextro S. Eucharistia , in sinistro verò asservabatur S. Scriptura, ut videre est apud sanctum Paulinum Nolanum Episcopum, ep. 12. ad Severum. Ea propter etjam S. Gregorius lib. 4. ep. 84. Theodorum (licèt non Theologum , sed Medicum) reprehendit, quod S. Scripturam legeret negligentiùs: *Imperator, inquit, cœli, Dominus Angelorum & hominum pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis : quid est enim S. Scriptura , nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam ?* Certè Iudæi miris modis venerantur Biblia sua : cavent ne illotis ea contrectent manibus : osculantur ea, quoties claudunt vel aperiunt: non in eo, quo jacent Biblia, scamno sedent : & si in terram ea ceciderint, integrum diem jejunant. Quid faciant Christiani præsertim Evangelio , quod ex ore ipsiusmet filii Dei proprio hauserunt ? Hic liber est quem comedere jussus est Ezechiel à Domino, Ezech. cap. 3. *factusq; est in ore ejus primò sicut mel dulcis,* v. 3. paulò tamen post *in ventre amarus,* v. 14. ad instar videlicet pilularum, quæ foris auro & saccharo obductæ degluttiuntur cum suavitate, sed paulò post ventrem lacerant & torquent, quanquam ad sanitatem, non ad ægritudinem. Ita omnino liber S. Scripturæ (*dulcis est rationi , amarus sensualitati ,* ut ait D. Thomas in Apoc. 10.) Item aureus & dulcis est legentibus , interim tamen mentem eorum salubriter amaricat & torquet, ita ut abeant amari cum Ezechiele, quocunque eunt, donec ad sanitatem redeant. Sic amaricarunt ventrem Antonii verba illa : *Si vis perfectus esse : Vade, Vende omnia, &c.* Sic Ventrem S. Francisci verba illa: *Nolite portare sacculum aut peram.* Sic ventrem Angustini verba illa: *Non in comessationibus & ebrietatibus, &c.* Sic illa ventrem Simeonis Stylitæ: *Beati pauperes Spiritu, &c.* Siquidem his auditis sæculo renuntiarunt, & Deo ferventer & generoso animo militare cœperunt.

D. III. *Christus*

Tertius Liber. Cæterum , quia etiam iste liber scriptæ videlicet legis , non adeo multos movet; quia scilicet viam tantum monstrat , non præit , idcircò Deus providit humano generi alium insuper librum, eumque vivum & omnibus virtutum coloribus illustratum, Christum inquam; quem designatum volunt aliqui per librum illum Apocal. 5. *Scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Dictatus & scriptus est hic liber, cùm Deus ab æterno eructavit verbum bonum ; ligatus est in utero materno vinculo unionis hypostaticæ, quando verbum caro factum. Præcisus in circumcisione; concussus in passione fustibus & colaphis; compressus in bajulatione crucis; colore tinctus , quando sanguine respersus; in pulpitum positus & explicatus, quando in crucem nudus elevatus. Ibi scriptus fuit intùs & foris, id est,

est, internis & externis doloribus, vel intus per amorem, foris per dolorẽ & vulnera. Septem ejus sigilla, septem sunt mysteria, ut vult S. Hilarius Præfat. in Psal. incarnatio, Nativitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus sancti, Adventus ad judicium. In hoc ergò libro, non ampliùs mortuo, sed vivo; proposuit nobis Deus non regulam tantùm, sed exemplar etiam omnis generis virtutum, præcipuè in monte Calvariæ. Unde nos compellare meritò potest verbis Exod. 25. *Aspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Aspice superbe, humilitatem & contemptũ Magistri tui pendentis inter latrones, & fac secundùm exemplar ejus. Aspice avare nuditatem Domini tui: aspice libidinose dolores. Aspice invide charitatem, quâ pro inimicis oravit & mortuus est: Aspice iracunde mansuetudinem, quâ sicut agnus coram tondente se obtumuit: aspice gulose, sitim, fel & acetum; Aspice piger perseverantiam in cruce & fac secundum exemplar.

E. IV. *Deipara.*

Quartus Liber. Verùm quia etiam adhuc dicere aliquis possit librum illum (Christum) difficiliorem esse, nec pro omnium captu; siquidem vita Christi non puri hominis: sed Dei hominis vita fuit; idcircò scripsit & proposuit nobis Deus quartum insuper librum, Deiparam videlicet, quæ homo tantùm fuit. De hac intelligunt aliqui locum Isaiæ 8. ubi ait Deus Prophetæ: *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: Velociter, spolia detrahe, citò prædare.* Hoc autem nomen jussus est Propheta ibidem dare Emmanueli, Ergò Maria liber ille est, in cujus virgineo utero inscripsit Spiritus sanctus Emmanuelem, uti exponit S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 5. §. 1. Unde jure vocari potest liber generationis Iesu Christi, quia Christus in & ex illa genitus est. Porrò quatuor sunt potissimum, quæ faciunt & ornant librum. Operimentum, clausura, candor papyri, calami vel typi elegantia: quæ omnia in Maria videre est. Ligatura seu operimentum eam cohonestans & defendens à calumniis fuit status conjugalis. Clausura duplex fuit votum & studium virginitatis, ita eam obserans, ut ne sponso quidem facultas eam legendi esset. Candor papyri est ejusdem puritas ab omni peccati labe aliena. Scripturæ elegantia est primò Dei & divinorum attributorum repræsentatio, quæ cernitur in Maria. Secundo virtutum ejus copia ac præstantia. Eas vidit & prælegit nobis S. Amb. l. de virginibus, cum ait: *Sit vobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ. Habetis in ea probitatis exempla, ut sciatis, quid eligere, quid debeatis vitare. Virgo erat, non corpore scilicet tantum, sed mente, quæ nullo doli ambitu syncerum violaret affectum. Corde humilis, verbo gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, non hominem, sed Deum quærens, &c.* Summa, si qua virtus est, eo in libro scriptam esse nullatenus dubitemus, quia sicut Princeps librum precatorium pulcherrimo charactere describi curat: ita decuit, ut liber iste Christo tam eleganti scriberetur calamo, quanto tantum Dominum decuit. Ideoque bene Prophetæ dicitur: *Sume tibi librum grandem,* quia nulla virtus est, quæ in Deipara non fuerit, & quidem eleganter scripta. Unde subditur: *Scribe in eo stylo hominis*, id est, eleganter & benè, non ut ungue gallinæ scribunt. Audi quid scripserit Spiritus sanctus per Davidem veluti per calamum Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: speciosus forma præ filiis hominum.* Deinde describit Deiparam. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, &c.*

D. III. *Christus*

Quintus liber. Præter hos alius interim liber seu Enchiridion potius est homini Christiano crebrò inspiciendum & sedulò legendum, Conscientia videlicet, quæ quidem nunc non nisi sibi patet, in ultimo verò judicio patebit toti mundo, quomodo sole oriente patescunt omnia, quæ prius sub noctem latebant. Ita enim de ea loquitur Daniel, cap. 7. *Iudicium sedit & libri aperti sunt.* Et Ioannes Apoc. 20. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt*; hoc est, ut ait S. Hieron. in dictum Danielis locum: *Conscientiæ & opera singulorum in utramq; partem, vel bona vel mala omnibus revelabuntur.* Et S. Basilius lib. de vera virginit. *Quæ prius corpore*, inquit, *quasi veste contecti minimè habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent, nullusq; jam vel negationi vel defensioni erit locus, quin ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua.* Sic Basilius, *Quid tunc nobis miseris fiet*, ait S. Chrysost. hom. 5. in ep. ad Rom. *cum omnia orbi universo palam facta in tam aperto, tamq; illustri theatro denudata, hominũ partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subjicientur?* Et Ambrosius in apologia David: *Væ mihi quia latere cupio & latere non possum: quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum judicia peccatorum?* Viderit ergo unusquisq; ut hunc librum suum velut Enchiridion semper manibus tractet, juxta id Davidis Ps. 118. *Anima mea in manibus meis semper*; deinde crebrò inspiciat & accuratè corrigat, ac ne se ipsum quis decipiat, spirituali suo patri seu confessario aperiat, & syncerè perlegendum exhibeat.

F. VI. *Liber vitæ.*

Liber Sextus. Superest ultimus liber, qui soli Deo patet, estq; liber vitę seu memoria divina, in qua veluti in libro continentur nomina & opera eorum, qui vitam obtinebunt æternam. De hoc Daniel 12. legimus. *Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* Et Apoc. 20. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Et Luc. 10. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Itẽ Exod. 32. *Aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et Psal. 68. *Deleantur de libro viventiũ.* Deniq; ad Philip. 4. *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Ex quibus locis colligimus alios in eo libro scriptos esse inchoate, qui in gratia quidem sunt, non tamen perseveraturi: alios verò completè, qui in gratia scilicet morituri sunt. Modo clausus est hic liber, aperietur verò eo ipso, quo omnes salvandi resurgent in gloriosis corporibus & rapientur Christo ob-

sto ob viam in aëra, ibique Iudici ad dexteram adstabunt; hinc enim manifesti erunt electi. Atque hic est liber involutus. *Scriptus intus & foris* (seu *ante & retro*, ut Syrus: *sive in dorso & ventre*, ut Arabicus vertit) *in quo scriptæ erant lamentationes, Carmen & væ*. Ezech. 2. Involutus est, quia usque ad diem Iudicii occultus: Scriptus intus seu ante & in ventre, nominibus electorum: foris seu retrò & in dorso nominibus reproborum. Scriptæ sunt in eodem lamentationes, id est, pœnitentia peccatorum; carmen, id est, gaudium electorum, væ, id est, damnatio reproborum, ut exponunt ibi S. Hieronymus, & S. Gregorius hom. 9. qui piè concludens subdit: *Quid igitur fratres quid agendum est miseris, nisi ut evigelemus ad hujus verba voluminis, & mala; quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus; ut per lamenta pœnitentiæ, perveniamus ad carmen vitæ? Ne si affligi modo pœnitendo nolumus, Væ postmodum sine fine sentiamus.* Hæc ille.

CONCIO II.

QUOMODO SINE INJURIA ORIGINALE PECCATUM AD POSTEROS Adæ traducatur.

I. *Quia Adam omnium caput naturale.*
II. *Quia Adam omnium caput morale.*
III. *Quia pactum intercessit æquum.*
IV. *Quia noverat Deus remedium.*
V. *Quia inde nos instituimur.*

THEMA.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, Psalm. 50.

A. Valdè diversimodè loquitur de conceptione Virginis Mariæ Ecclesia in hodierno officio: Et de suâ S. Iob. in cap. 3. libri sui. De conceptione Virginis Mariæ, canit hodie Ecclesia: *Conceptio tua Dei genetrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo.* Item, *Cum jucunditate Conceptionem B. Mariæ celebremus, &c.* At verò Sanctus Iob de conceptione sua imò omnium nostra ait: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: conceptus est homo. Sit nox illa solitaria nec laude digna*; quasi diceret, sit obscura & lugubris, in quâ non luceat stella, non cantet gallus, non latrent canes; nec audiatur sonus campanæ, aut ullius symphoniæ. Profefectò istæ voces valde sunt dissonantes: Quis illas concordabit? Celebrat hodie Ecclesia cum jucunditate & lætitia Conceptionem Beatæ Virginis, quia ea non solum velut aurora hodie prodit, solem mox venturum mundo prænuncians, sed etiam quia ipsa caret tenebris & maculâ peccati originalis, uti habet jam ferè communis Ecclesiæ consensus. Deplorat verò & detestatur suam conceptionem S. Iob, quia in originali peccato conceptus erat, quomodò & nos omnes (dicit enim Apostolus ad Roman. 5. *per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*) Idcircò subjungit: *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me.* Hac enim ratione fuissent etiam conclusa ostia peccato. Præstaret autem non nasci, quàm Deum offendi, vel peccato originali tantùm. Quod si igitur nos habemus, cur hodierno die de conceptione Virginis gaudeamus, altera tamen ex parte habemus, cur de conceptione nostra ploremus, quoniam ea nos præcipitavit in peccatum originale, & in miserias plurimas inde consequentes. Sed ut nunc relinquamus conceptionem immaculatam Virginis: quomodo, dicet aliquis, nos rei sumus peccati originalis? Numquid non injuria fit nobis, si peccatum illud à primis nostris parentibus in nos eorum posteros derivetur? absit ut injuriam faciat nobis Deus. Quomodo autem non faciat, audiamus.

B. I. *Quia Adam omnium Caput naturale.*

Primò, Quia Adam omnium nostrum fuit parens, & caput naturale, in quo, ut in parente, & sub quo ut sub capite omnes eramus. Constat autẽ tam in naturalibus, quàm in politicis vitiũ radicis in surculos, & capitis in membra traduci posse. Sic communi lege gentium filius sequitur conditionem parentum; filius viri nobilis est nobilis; Plebei, plebejus; Filius parentum servorum servus, ingenuorum ingenuus; infamium infamis. Historici naturales affirmant, ut refert Granat. lib. 3. Introd. in symb. c. 3. Si quis vitem plantare volens, radici inserat aliquid scammonii, omnes uvas, quæ ex ea nascentur, tam noxias fore & venenosas, quàm ipsum scammonium. Ad eundem modum possumus imaginari scammonium peccati, quod in primum hominem (qui radix erat & principium omnium aliorum) incidit, vitium & toxicum suum in omnes ejus filios derivasse. Unde Sanctus Augustinus ait: *Tunc periit humanum genus, cùm unus homo, in quo omnes erant, seipsum perdidit. Qualis enim ille per peccatum factus est, tales & nos omnes genuit.*

In Politicis etiam multoties contingit ut rei sint debitorum, quæ parentes contraxerunt: ut cum parentes æs alienum contraxerunt, filii solvere cogantur. Et ob id S. Basilius vocat baptismum æris alieni dissolutionem: quia scilicet per ejus susceptionẽ solvere debemus debitum, quod parentes nostri primi contraxerunt. Sic fit sæpe, ut prodigus pater domum & fundos omnes liberis suis abliguriat, ut propterea posteri ejus mendicare perpetuò debeant. Ad eundẽ modum parentes nostri prodegerunt non sibi tantùm, sed & omnibus suis posteris justitiam originalem. Cum nobilis quispiam regiæ arcis Præfectus proditionem aliquam molitus est adversus regem suum, amittit non modò arcem, sed & nobilitatem & splendorem familiæ suæ, quàm anteà habebat,

nec

nec sibi tantum, sed omnibus suis posteris: ita primus homo committens proditionis & rebellionis crimen contra Dominum ac Deum suum, magnam illam dignitatem, quâ donatus fuerat, justitiam scil. originalem & præfecturam paradisi, & ipse amisit & nos omnes per illum.

C. II. *Quia Adam omnium Caput morale.*

Secundò, Quia Adam fuit etiam omnium nostrum caput morale, ita ut quod ipse faceret, omnes nos facere censeremur, quantum attinet ad præcepti divini de ligno scientiæ boni & mali observationem, vel transgressionem. Fuit autem Adam caput nostrum morale, sive ex pacto, quod Deus cum natura humana constituit, ut indicari videtur Ose. 6. Ubi dicitur: *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Ubi S. Hieronymus ostendit pactum illud factum esse cum natura humana. Et S. Fulgentius libro de Incarnat. verbi cap. 13. ait, pepigisse hoc fœdus Deum cum natura humana, ut peccantibus primis parentibus omnes peccarent. Idque explicant Scholastici exemplo Regis, qui alicui tradidit arcem custodiendam ea lege, ut si ipse peccaret, omnes posteri priventur ea arce: sive ex natura rei, quia enim Adam erat primus noster parens, à quo omnes dependamus & accepturi eramus vitam; erat sapientissimus & præditus omni scientia; erat in gratia constitutus & perfectus; habebat omnes potentias suas subditas rationi; erat etiam observatio illius legis facillima, & denique Deus Optimus Maximus erat author illius præcepti. Idcircò si ab unoquoque nostrum quæsitum fuisset, utrum in & cum Adamo aleam subire in præcepti observatione, sive ad stabiliendum sive ad perdendum statum innocentiæ; aut pactum id inire vellemus: omnes sine hæsitatione consensissemus, & ita omnium nostrum voluntates in voluntate Adami constituimus, ac proinde interpretativè cum Adamo peccavimus, & rei prævaricationis sumus. Quam rem duplici exemplo declarat S. Thomas 1.2.q.81.art.1. Primum est membrorum, quæ in uno corpore moventur alienâ voluntate, siquidem voluntas animæ est voluntas etiam membrorum, & ita actus homicidii imputatur manui, ut est membrum corporis, motum ab anima ut instrumentum, &c. Alterum est civium, qui id omnes facere censentur, quod ipsorum capita faciunt; hæc si rebellent contra Dominum suum, omnes rebellasse censentur: si se ad aliquid præstandum in futura sæcula obligent: omnes eorum posteri censentur obligati.

Quoniam igitur nos omnes vel pactum id cum Deo inivimus, vel sine pacto ex ipsa rei natura fortunam nostram in voluntate Adami constituimus, ut esset caput nostrum: inde nulla nobis fit injuria, nec Deo imputari debet, sed nobis, quòd rei prævaricationis nascamur, & nisi per baptismum expiemus culpam, ut rei talis peccati plectamur. Ex quo etiam patet quod Adami alia peccata sequentia ejusque pœnitentia, non possint similiter in nos derivari: quia lapso non ita essemus ampliùs confisi: ejus verò pœnitentia fuit ut privatæ tantum personæ, quia non fuit amplius capitis: item ex mera Dei misericordia.

D. III. *Quia pactum intercessit æquum.*

Tertiò, Quia Deus, pactum hoc, sive expressum sive tacitum constituendo cum genere humano, nequaquam inique nobiscum egit, licèt propria voluntate non assenserimus, quia id non vergebat nobis in pœnam damnationis, quæ appellatur pœna sensus, sed tantùm in pœnam damni & privationem magnorum bonorum, gloriæ scil. justitiæ originalis & paradisi, &c. Et rursum non vergebat nobis in privationem boni nobis debiti, sed gratuiti tantum & prorsus indebiti; siquidem gloria, justitia originalis, paradisus, &c. erant bona merè gratuita. Quare licet Adamus omnes nos perdiderit, non conjecit tamen in infernum, paratum Diabolo & angelis ejus, iisque qui personale peccatum mortiferum habent: sed tantum in limbum puerorum, ubi sola pœna damni est. Quis autem diceret, posteris illius præfecti regii, qui, ut supra dictum, ob delictum perdidit præfecturam sibi & illis, injuriam à rege fieri? non sunt addicti ulli supplicio positivo, nec ablatum est illis bonum debitum, sed gratuitum; licet postea mendicare cogantur: Nulla igitur eis facta à Rege injuria. Imò verò decebat ut sub aliqua tali conditione tam grande bonum promerendum & conservandum nobis Deus proponeret; ut nisi statutæ ejus legi obediret parens noster, & fidelitatem ei servaret, eo privaretur cum omnibus suis posteris. Universale enim hoc Dei decretum est, ut gloriam & bona non conferet nisi dignis & bene meritis. Sic etiam apud homines, aureum vellus, præclara insignia, privilegia, honorum tituli, &c. cum alicui ejusque familiæ conferuntur à Summo Pontifice, Imperatore vel Rege, sub tali conditione conferuntur, ut ipsi Pontifici, Imperatori vel Regi perpetuò sit fidelis ipse & ejus posteri, nihil unquã contra eos hostile moliatur, &c. alioqui ipsum ejusque familiam talibus gratiis certò spoliandã. Cùm ergò parentes nostri primi hanc Deo fidelitatem & subjectionem non præstiterint, nulla humano generi facta est injuria, si aureum vellus, ei non debitum, justitia scilicet originalis ablata est.

E. IV. *Quia noverat Deus remedium.*

Quartò, Quia sciebat Deus vulneri huic, licet universali, facilè remedium adhibere, & lapsam naturam humanam iterum erigere; quodque amplius est, saniorem reddere & feliciorem, quam ante lapsum fuerit: id quod etiam fecit per filium suum, qui alioqui incarnatus, vel saltem passus non fuisset. Hinc appositè in baptismo, qui in remedium adhibetur originalis peccati, baptizandus mergitur in aquam (juxta antiquum ritum) & mox iterum emergitur, ut indicetur, humanam naturam mersam quidem esse per peccatum, sed Dei misericordiã & incarnatione mox iterum extractam de perditione. In hunc modum nobilissimæ aliquæ familiæ & antiquissimæ in Feria quinta cœnæ domini excommunicantur, à summo Pontifice, quia earum progenitores

tores hostile aliquid in Ecclesiam, vel pontifices machinati sunt. Sed post unam horam statim iterum absolvuntur & Ecclesiæ restituuntur, ut ita justitia simul & misericordia Ecclesiæ appareat. Miserat aliquando Deus Ieremiam in domum figuli, ut sibi audiret verba ejus, Ieremiæ 18. Cùm igitur descendisset in domum figuli Ieremias, faciebat figulus opus super rotam. Et dissipatum est vas quod ipse faciebat è luto: fecit igitur mox aliud vas sicut placuerat ei, firmius ac pulchrius. Tum Dominus: *nunquid sicut figulus iste*, inquit, *non potero vobis facere, domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Mystico sensu quis non videt Adamum & in ipso naturam humanam vas primum illud fuisse, quod statim ac factum est è luto divinis manibus, dissipatum est? sed quàm citò & facilè reparavit hoc damnum figulus, cùm ex eodem luto fecit aliud vas pulchrius & firmius, tam citò & tam facilè reparavit Deus humanam naturam, dum ex ea vas melius, Christum scilicet fecit, & in ipso illud ipsum lutum quod in primo vase dissipatum erat, ita exaltavit & ornavit, ut prius vas splendore & soliditate longè superaret.

Christi & Adami Antitheses.

Primò, Adam omnes perdidit, Christus omnes reparavit. Secundò, Adam unicum peccatum ad posteros transmisit; Christus ab omnibus peccatis actualibus eosdem liberavit. Tertiò, Adam unum malum, quod nullo modo intendi potest scil. peccatum originale, propagavit; Christus abundantiam gratiarum effudit. His adde uberiorem & potentiorem esse gratiam Christi, quàm fuerit peccatum Adæ. Quartò, Quia Adæ peccatum tantum pœnam damni in nos induxit, Christus & à pœnâ damni & à pœna sensus, quæ actualibus peccatis debetur, nos liberat. Rursus ex Adamo trahimus concupiscentiam, sed per Christum illa facta est materia magnæ; tam luctæ quàm victoriæ & triumphi: eamque per gloriam in cœlo Christus extirpabit. Quintò, Per Adam amissa est gratia, quâ homo perseverare posset; per Christum datur gratia crebrior & uberior, ut in tantâ infirmitate, inter tot hostes fortior stet, & actu perseveret. Ita S. Augustinus toto libro de bono perseverantiæ. Sextò, Per Adam omnes morimur temporaliter; per Christum resurgemus ad vitam tum animæ, tum etiam corporis immortalem & gloriosam. Septimò, Non peccatum Adæ, sed gratia Christi se extendit ad B. Virginem, quæ est mare gratiarum, & plus habet gratiæ, quàm omnes homines simul. Addit Pererius, Suarez & alii, etiam ad Angelos Christi gratiam se extendisse, eosque per merita Christi justificatos esse, ad quos peccatum Adæ pertingere non potuit. Octavò, Licet Adam actu plures inficiat, quàm ex Christo renascantur, Christi tamen gratia quoad sufficientiam & oblationem se extendit ad omnes, non tantum ex Adamo genitos, sed quoquo modo producibiles; Verbi gratiâ, si Deus eos de novo crearet. Nonò, Per Adamum reducti sumus quasi ad statum puræ naturæ; per Christum elevati sumus ad statum magis spiritualem & sublimiorem, quam in quo Adam fuit conditus, & ad vitam planè cœlestem. Decimò, Per Adam facti sumus similes bestiis, per Christum Angelis; imò natura nostra in Christo & B. Virgine exaltata est super omnes Angelorum choros. Undecimò, Adam privavit nos ligno vitæ; Christus dat panem, qui de cœlo descendit, & dat vitam æternam, puta, se ipsum totum Deum scil. & hominem in cibum dat nobis in Eucharistiâ. Duodecimò, Adam privavit nos gratiâ justitiæ originalis, Christus dat copiam gratiarum & virtutum. Primò, quia dat virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiæ, scil. Patientiam, Pœnitentiam, Martyrium, Virginitatem, Apostolatum, virtutes religiosas. Secundò harum & aliarum omnium majorem quam fuisset in statu innocentiæ, dat copiam, intensionem & continuum augmentum. Atque ita Deus magnam quidem ostendit justitiam, cum permisit humanum genus labi in Adamo: sed majorem ostendit misericordiam, cùm idem tam feliciter & tam gloriosè erexit per Christum. Quæ causa est, quod in benedictione cerei canere non dubitet Ecclesia: *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!

Denique si aliena culpa (Adami) perditi sumus: aliena etiam gratiâ (Christi) liberati sumus, & liberamur adhuc in baptismo cum patrini pro nobis fidem profitentur: Unde Apostolus ad Rom. 5. ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Idemque prædixit Isaias cap. 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.*

F. V. *Quia inde nos instruimur.*

Quintò, Quia faciebat hic lapsus noster ad instructionem nostram. Primò cùm enim agnoscimus fragilitatem humanam; siquidem primus homo, parens noster tam sapiens, tam munitus spiritualibus præsidiis, tam facile præceptum, tam cito transgressus est, & nos, qui ei virtualiter voluntates nostras tradidimus, una secum perdidit. Quis imposterum non caveat salutem suam in alio homine constituere, & velut in baculo arundineo confidere, si tam fortis baculus nos non sustentavit? Temerè igitur agunt, qui salutem suam non ipsi operantur, sed in aliorum precibus & operibus bonis ponunt. *Maledictus homo qui confidit in homine*, ait Ierem. c. 17. *& ponit carnem brachium suum.*

1.

Interim verò etiam nobis timere debemus, & cum timore ac tremore salutem nostram operari: Si enim Adam tam sapiens tam perfectus & passionum suarum Dominus, tam facile præceptum, tam cito est transgressus: quantò facilius id nos in propria persona fecissemus? & quàm facilè fieri potest ut etiamnum seducamur, licet modò perfecti simus?

2.

Secundò, Habemus perpetuum humilitatis nostræ monumentum, quorum primus parens per superbiam

perbiam cecidit & non solum se, sed etiam omnes nos, velut ingens quercus plurima arbusta casu suo prostravit? qui nisi à Christo misericorditer erecti essemus, semper jaceremus & quidem meritò, nulla nostra injuria. Cujus rei monet nos Ecclesia, cum in die Cienerum cinere nos aspergit, dicens: *Memento homo quia pulvis es*, Gen. 3. Sicut, si diceret aliquis puero, qui ob delictum parentum in servitutem redactus, & postmodum gratia Principis iterum libertate donatus est; cum cum inciperet superbire: Memento quis fueris, & cujus gratia à servo ingenuus factus sis. Habet homo ex una parte unde extolli possit, imaginem Dei in se; Ne tamen hinc superbiret, appensa est ei humilitatis nota, & quasi servitutis stigma, quod videlicet de statu suo lapsus sit in foveam servitutis.

3. Tertiò, Cognoscimus peccati gravitatem, quod non tantùm hospitem suum, sed etiam totam ejus sobolem inficit, nec dum existentem, *Per unum hominem*, inquit Apostolus, ad Rom. 5. *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* O mortiferum venenum, quod etiam minutissimas corporis venulas tam facilè pertransiit? Hæc nimirum est illa maledictio, quam induit Adam sicut vestimentum, *& intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus*, Psalm. 108. Hæc illa uva acerbissima, de quâ Proverbium illud ferebatur, apud Ezech. cap. 18. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Hæc illa planta mala, quæ, quia à patre cœlesti plantata non fuit, de paradiso transplantari debuit, ita ut ne surculus quidem illius in horto Dei toleratus & relictus sit. Siquidem Dominus Dixit Ioan. 15. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, transplantabitur.* Transplantata verò in silvestrem agrum, de ficu degeneravit in sycomorum, cujus fructus uti non maturescunt nisi radantur cultro: sic & fœtus Adæ, utpote sylvestres, Deo non placebant nisi rasi cultro Circumcisionis: nec placent etiamnum nisi abluti aqua baptismali. Denique hinc monemur ut grati simus Deo, qui non solum creavit nos, ut essemus incolæ paradisi & cives cœli: sed etiam inde culpa nostra lapsos reparavit & restituit per filium suum. Quàm ergò non vult Deus mortem nostram, qui ad vitam nos creavit & extinctos recreavit? speciatim verò Dei filio, qui tam difficili medio deperditam nobis restituit rem?

Denique ipsi etiam Dei Matri, quæ facta est nobis quasi navis institoris de longè portans panem, famelico scilicet & obsesso mundo. Navis hæc hodierna die compacta fuit; In festo Nativitatis Mariæ primùm in mare jacta fuit. In festo Annunciationis, pane cœlesti onerata fuit. In festo Nativitatis Christi, panem, illum in domo panis, scilicet Bethlehem, exoneravit & nobis præbuit. Quare nunc aliter loquendum ac Iob locutus est, dicendumque: O felix dies, ô optata dies, ô desiderata dies, ô nox beata; Nulla sit stella quæ hodie non luceat: nulla avis quæ hodie non cantet, nullum animal quod hodie non sit vocale, nulla campana, quæ hodie non sonet, nullum instrumentum musicum, quod non suavissimum edat melos, &c. Ipsam nunc rogemus ut etiam in cœlo possimus hoc pane frui.

CONCIO III.

PRIVILEGIA DEIPARAE SEU stellæ duodecim, quibus à filio coronata.

I. Sanctificatio in utero.
II. Extinctio fomitis.
III. Usus rationis in utero matris.
IV. Immunitas à Peccato actuali.
V. Impeccabilitas.
VI. Splendor virtutum in conceptione.
VII. Conceptus prodigiosus.
VIII. Uterus absque onere.
IX. Partus sine dolore.
X. Virginitas cum fœcunditate.
XI. Incorruptio post mortem.
XII. Resuscitatio post triduum.

THEMA.

In capite ejus corona stellarum duodecim, Apocal. 12.

A. MIrum aliquibus videtur, Hæreticis verò & stultum, quòd Festum Conceptionis Deiparæ solenni ritu & gaudio celebremus in Ecclesia. Cum enim mortales omnes concipiantur in peccato originali, adeoque sub maledictione divina, & præterea ad innumeras miserias, quæ inde consequuntur; quo gaudio celebrari potest hominis conceptio? Audimus S. Davidem Psalm 50. dicentem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Audimus S. Iob suæ Conceptioni irascentem cap. 3. *Pereat*, inquit, *dies, in qua natus sum; & nox in qua dictum est: Conceptus est homo:* Nec defuerunt populi, (uti Thraces, Causiani, Getæ) qui puerperia luxerunt, funera plausu prosecuti. Edito enim infante, propinqui circumsedentes cum ploratu commemorabant, quantum calamitatum illi foret perferendum, vitam ingresso. Contra defunctum hominem cum lusu lætitiaque efferebant, recensentes quàm multis malis subductus esset. Verum utcunque se ista habeant, ne miremur, Auditores, diem hunc Conceptioni matris Dei sacrum & nobis jucundum ac festivum esse: magna siquidem differentia est inter hujus Virginis conceptum & mortalium cæterorum, qui ad plurimas miserias concipiuntur & nascuntur, à quibus illa exem-

exempta fuit. Ille tenebræ, hic lux: ille nox, hic dies jure vocari possunt. Certè S.Ioannes Apoc.12. Deiparam non tenebris, sed luce circumfusam vidit, cum ait: *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quæ duodenæ stellæ totidem privilegia denotant, quibus à communi generis humani maledicto, majori ex parte exempta fuit; quasi duodecim gemmæ coronam Virgini facientes, quas nunc exponemus.

B. I. *Sanctificatio in utero.*

Prima est Sanctificatio in utero; & quidem juxta communiorem nostræ ætatis sententiam, in Primo Conceptionis instanti, ita ut à peccato originali prorsus exempta & præservata fuerit. Cæteri mortales omnes (paucissimis exceptis) nati sunt & nascuntur in peccatò originali, destituti veste gratiæ Dei, quemadmodum Iob de se & omnium nomine testatur cap.1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ.* Nudus scil.corpore & anima: corpus absque veste venit, anima absque gratia. Et verò de priore nuditate non erubuerunt primi nostri parentes, nisi postquam accessit altera, tunc enim se texerunt & abdiderunt. Itaque peccatum & animæ despoliatio confusionem illis attulit. Non decuit ergò Deiparam cum hac nuditate nasci, unde coram Deo confunderetur, cujus mater esse debebat: non decuit cœli Regem palatium macula fœdatum. Et si Ieremias Propheta in utero matris sanctificatus est, ut habetur Ier.1.similiter & Ioannes Baptista, ex communi Patrum sententia, unde à S.Gregorio in Iob 2. dicitur *renatus antequam esset natus:* Cur hoc privilegium Deiparæ negabimus? Imò hinc colligitur majus privilegium fuisse datum Mariæ, quandoquidem & ipsa major longè fuit Ioanne & Ieremia. Quare nostri ævi Doctores sentiunt communiter peccatum originale nunquam ei adhæsisse, idque jure merito, non enim decuit, ut pontifex impollutus & segregatus à peccatoribus matrem haberet pollutam & peccatricem, etiam quæ aliquando talis fuerit; non decuit ut Deus fieret ejus filius, quæ aliquando subjecta fuit Dæmoni; non decuit ut Virgo præservata ab actualibus peccatis, subjaceret originali, quod gravius actuali non immeritò videtur. Quare sicut Rebecca, conspecto Isaac sponso suo pallio se operuit, ne minùs reverenter cooperta ei obviaret, Gen. 24. Ita decuit ut Deipara, filio Dei ab æterno præparata ab eoque conspecta priusquam conciperetur, nequaquam nuda, sed gratia Dei vestita eidem obviaret. Et licet pro omnibus lata sit lex moriendi, per peccatum originale, non tamen pro Esthere nostra Maria, Esther.15.

C. II. *Extinctio fomitis.*

Secunda. Extinctio fomitis seu concupiscentiæ, quæ aliud non est nisi rebellio carnis adversus spiritum. Ita sentiunt omnes Theologi. Pulchre Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele cap.29. in hunc sensum explicat id Psal. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Quæ est,* inquit, *terra ista de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa, de qua idem Propheta: Veritas de terra orta est? de hac terra omnis pugna tollitur, pax plena reparatur.* Adam certè & Eva post peccatum senserunt mox rebellionem istam, ideoq; de ea confusi absconderunt se & texerunt foliis ficuum. Inde ad nos omnis languor & lis illa propagata est; Unde boni & pudici omnes gemunt & erubescunt. At non decuit Dei Matrem labe hac aspergi adeoque in tali confusione coram filio suo apparere. Et sanè si originale peccatum ab illa excludimus, cur non ejus fœtum, concupiscentiam: Sara videns Ismaëlem filium Agar ludentem, (id est rixantem & pugnantem, ut explicat Apostolus ad Gal.4.) cum Isaac filio suo, dicebat marito: *Ejice ancillam cum filio ejus*, Gen.21. Quando igitur Deus ejecit è domo interna Virginis ancillam, originale peccatum; cur non filium ejus, fomitem, qui sequentes lites & rixas contra spiritum excitare solet? decuit sanè ut in matre Dei talis esset harmonia corporis & animæ, ut dignum, quietum & jucundum fieret Dei habitaculum: si enim Principes sæculares non patiuntur in suis penetralibus, strepitus, rixas, immunditiem aut indecoram structuram: cur in suo conclavi animato non idem faciat Deus: *Decebat sanè*, inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 12. *ut purissimus puritatis Doctor ex thalamis puris prodiret.*

D. III. *Usus rationis in utero matris.*

Tertia. Lumen intellectus perfectum etiam in ipso adhuc matris utero; ita ut caruerit ignorantia decipiente seu pravæ dispositionis; non tamen ignorantia puræ negationis; cujusmodi fuit illa, qua existimabat Christum in triduo perditum, esse in comitatu, (prudenter enim & probabiliter hoc existimabat sine assensu firmo; quod non est decipi) Nos reliqui mortales & nascimur ignorantes, & tardè admodum sapimus, & postquam adolevimus, sæpissimè decipimur & cœcutimus sæpe in meridie. Procul fuit à Deipara talis ignorantia, etiam in matris utero, ex communi Doctorum sententia. Si enim Ioanni Baptistæ datus fuit usus rationis adhuc clauso in matris utero, ut Christum præsentem agnosceret & salutaret; quanto magis Deiparæ? uti argumentatur D.Ambros.lib.2. in Luc. & S.Bernardus epist.174.Dionys.Chartus.lib.de laud. Virg.a.12.tom. op.min.

E. IV. *Immunitas à peccato actuali.*

Quarta. Immunitas ab omni peccato actuali etiam veniali. De qua enim alia quæso, dicit sponsus Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea?* Et Cant.4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te*; si non de hac sponsa sua Deipara? Quæ enim alia fœmina talis aliquando fuisse monstratur? & si aliqua talis fuit: cur non & Maria? Deinde Ecclesiam id de ipsa tenere affirmat Concilium Trident. sess. 6. Can. 23. Adstipulantur sancti Patres. S. Augustin. qui in libro de natura & gratia, cap.36.nullam prorsus quæstionem habere se velle ait de S. Virgine Maria, cùm de peccatis agitur. Similiter S.Bernardus, S.Bonaventura, S.Ambrosius, S.Ephrem, & alii. Denique

nique id confirmare videtur Angelus, qui eam gratia plenam appellavit. Nos quidem cæteri mortales dum in luto hujus mundi ambulamus, sine inquinamento non transimus; sed in multis offendimus omnes. Quemadmodum enim Cithara plurimarum chordarum, diu retinere nequit suam temperaturam, quin una alterave chorda laxetur & discordet: ita etiam nos ob perpetuos concupiscentiæ motus ad peccatum illicientes diu vivere nequimus, quin subinde impingamus. Deiparam verò ab hac miseria exemptam esse decuit, quia si aliquando peccasset, non fuisset Dei, qui omne peccatum extirpaturus venit, idonea mater; & ab hac in filium redundasset ex parte ignominia.

F. V. *Impeccabilitas.*

Quinta, Impeccabilitas seu confirmatio talis in gratia, ut ne venialiter quidem peccare posset. Ita consentiunt Doctores & Ecclesia, quæ Deiparæ Conceptionem & Nativitatem celebrat, arbitrans eam tunc habuisse sanctitatem, quæ non poterat amitti. Hanc Virginis impeccabilitatem ligna Setim ob imputribilitatem tantoperè celebrata significabant, ex quibus constabant arca fœderis & mensa panis, Exod. 25. quæ virginem adumbrabant. Longè absumus nos ab hac imputribilitate & firmitate. Confitemur, proponimus, constituimus & pene vovemus: Vix tamen locum deseruimus & contrarium sentimus, loquimur, facimus. Quandoq; lachrymis uberrimis deflemus peccata nostra, quasi nunquam ad ea rediturі; sed duramus brevi tempore *Dixi*, inquit David Ps. 29. *in abundantia mea: Non movebor in æternum.* Sed quid? *Avertisti faciem tuam*, subdit, *& factus sum conturbatus.* Exemplo sit Petrus, qui tam firmiter proposuit non negare Christum, paulò tamen post negavit. Non decuit Deiparam tali febre laborare. Et quid mirum? Deum intra se tenere habebat, & quomodo ab eo non undique vallaretur, ne quo pede labi posset? Unde quod de civitate Dei ait David Psalm 45. *Deus in medio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam Deus manè diluculò.* De hac mystica ejus civitate rectè intelligitur, quod videlicet initio statim conceptionis suæ adjuta sit à Deo, ut peccare non posset, adeoque in ipsa Deus ejusq; gratia ne commoveri quidem seu nutare.

G. VI. *Splendor virtutum in conceptione.*

Sexta splendor omnium virtutum in ipsa conceptione ei collatus, ex communi DD. sententia. Nos & concipimur & nascimur nudi & destituti omnibus virtutibus, quin & multo tempore indigemus, donec excolamur & virtutes acquiramus, quod pauci multo licet labore ante adultam ætatem obtinent. Hinc ad vitia proni, ad virtutes ignavi & difficiles sumus, & ferè minis & verberibus compelli debemus. Non decuit ut in Maria, quæ Dei nutrix & ministra futura esset, hoc tam grave vulnus esset. Sed potius ut dotaretur omnibus virtutibus, quemadmodum domus Regia omnibus ornamentis instructa esse debet: uti & ipsa sponsa Regis. Prioris exemplum videre est in tabernaculo illo, quod cum Deus sibi fieri præcipisset, ut in eo habitaret, jussit in ejus structuram & ornamentum comportari aurum, argentum, coccum, byssum, aromata, gemmas, &c. Exod. 25. factoque opere reposita est ibi arca fœderis. Fuit autem sanctuarium illud typus Virginis, in qua arca fœderis inter Deum & homines, Christus, sedem suam positurus erat. Posterioris exemplum habemus in Esther, quæ cum ad Regem Assverum adducenda esset, præcepit Rex Eunucho ut acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis, Esth. 2. En tibi & hic figuram Deiparæ, cujus ornatum accelerari præcepit Deus in ipsa ejus Conceptione. Erat autem ornatus omnis generis virtutum & septem donorum Spiritus sancti.

H. VII. *Conceptus prodigiosus.*

Septima. Conceptus prodigiosus, quo Spiritus sancti obumbratione, sine viri opera concepit Salvatorem, id quod nulli unquam fœminæ concessum. Præter expressum scripturæ testimonium, vaticinia & figuras, indicatur hoc Cantic. 2. ubi Christus sponsus ait: *Ego flos campi & lilium convallium*, (hæc enim verba sponso tribuenda, communior est sententia Theord. Greg. Bern. Bedæ) Dicitur autem flos campi, quia nulla viri opera, sed cœlestis tantum virtus & influxus Spiritus sancti florem hunc è terra Virginea produxit. Audi sanctum Bernardum serm. 47. in Cantic. *Hortus*, inquit, *ut floreat, hominum manu & arte excollitur; Campus vero ex se ipso producit flores absque omni humanæ diligentiæ adjutorio. Putasne tibi jam videris advertere, quisnam ille sit campus, nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec manu hominis seminatus, venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requievisse Spiritum Domini?* Hæc Bernardus: Itaque cæteri mortales sunt velut flores hortorum, qui proveniunt ex cultura humana. Christus flos campi. Cæteri parentes hortuli sunt, Maria campus est. Cæteræ fœminæ concipiunt cum pudore quasi hortus clausus: Maria velut campus apertus concepit sine pudore.

I. VIII. *Uterus absque onere.*

Octava, uterus sine tædio & onere gestatus; quod certè non contingit aliis mulieribus. Testantur id de Virgine, S. Bern. serm. super *Signum magnum.* Fulgentius in serm. de laudibus Deiparæ. Colligitq; id Ludolphus in vita Christi ex eo, quod partui vicina cum Iosepho perrexit in Bethlehem. Indicatum id ab Isaia c. 19. ubi ait: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Significant, quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi hujus veniret per Virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat levem, quia Virgo erat nullis oneribus gravata conjugii*, inquit S. Ambrosius in exhortat. ad Virgines. Et similiter ferè S. Hieronymus in illum Isai. locum. *Ut ergo nubes in aëre volans sine onere gestat pluviam suo tempore effundendam: ita gestavit Christum & Deipara.* Causam reddit S. Bern. serm. in Assumpt. Virginis, super *Signum magnum*, cum ait: *Iure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulie-*

mulieres laborare nascuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde etiam in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit ut Elisabetæ ministraret. Sed & ascendit Bethlehem imminenti jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve à quo portabatur: Sic Bernardus.

K. IX. *Partus sine dolore.*

Nona, Partus sine dolore & sordibus, ut pro certo tenet Ecclesia, & colligitur ex eo contra Calvinistas, quod statim ac peperit filium suum, ipsa eum pannis involvit & reclinavit in præsepio: quod sanè matres aliæ nec faciunt, nec facere possunt. Accedit quod non vulgari modo, sed clauso matris utero natus esse constanter ab Ecclesia creditur, ut mox dicemus: Et quod mirum? à dolore exemptam fuisse in partu, quæ voluptate & libidine caruit in conceptu? Cæteris quidem matribus compensatur mel conceptus felle partus. At hic nullum ejusmòdi mel præcessit; cur ergo fel sequatur?

L. X. *Virginitas cum fœcunditate.*

Decima, Virginitas illibata cum fœcunditate conservata, quod de fide est in Ecclesia; & satis indicatur ab Archangelo, Mariam videlicet sine virginitatis damno Christum parituram. Quod ut maxime mirandum, ita jure merito factum scribit D. Gregorius Nyssenus orat. in natalem Domini: *O rem mirandam*, inquit, *Virgo mater efficitur & permanet Virgo. Cernis novum naturæ ordinem? in aliis mulieribus, quamdiu aliqua est Virgo, non est mater; hic autem utrumque nomen in idem concurrit eadem enim & mater & virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim ut qui in vitam humanam introibat, homines inte ros incorruptosque servaret, & ab incorrupta sibi serviente integritate initium duceret.* Clauso igitur matris utero Christum egressum esse, qui clausis ingressus est januis, sentit & credit Ecclesia. Modum requiris? Indicat Isaias cap. 62. cum ait: *Donec egrediatur ut splendor, justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Ut enim splendor prodit ex sole, absque ulla solaris corporis corruptione, & lampas ex admoto igne etiam absque ulla luminis, quod in igne est, jactura detrimentoque accenditur: ita Christus ex Virgine instar splendoris conservata Virginis integritate exortus est, & instar lampadis, absq; ullo Virginei splendoris detrimento, virtute altissimi accensus apparuit.

M. XI. *Incorruptio post mortem*

Undecima, Incorruptio post mortem. Cæteris omnibus dictum est: *Pulvis es & in pulverem reverteris*: Sed ab hac etiam maledictione exempta fuit Deipara, juxta totius Ecclesiæ sententiam. Cujus rationem affert author serm. de Assumpt. apud Augustinum tom. 9. *Si Christus*, inquit, *voluit integram matrem à Virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis servare fœtore? Item sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit & divinam naturam humanæ univit, escam vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus pulverem, quia sentire non valeo, dicere pertimesco.* Scimus Arcam fœderis fuisse typum Virginis. Arca verò illa statuta in templo Dagon mansit integra, sed Dagon coram illa concidit: quid mirum si & corpus Virginis illatum in sepulchrum, mortem ipsam domuit & longè à se arcuit? Arca ex lignis imputribilibus facta erat, ut habent 70. Interpretes Exod. 25. Eccur non & matrem suam Christus à putredine servâsset?

N XII. *Resuscitatio post triduum.*

Duodecima, Resuscitatio & glorificatio ante communem resurrectionem; quemadmodū alibi ostendimus. Quod etiam privilegiū merito ei impensum est; siquidem Augustus solet Augustæ suæ concedere ea privilegia quibus ipse gaudet. Ulpian. lege Princeps ff. de legibus: Christus autem tertio die à mortuis surrexit. Congruenter ergò & matri idem hoc impendit, quemadmodū contigisse tradit historia, quæ corpus ejus tertio die, reserato sepulchro non esse inventum scribit, ut alibi videmus. Itaq; impletū est illud Psal. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Arca diviso Iordane transiit in terram promissam. Similiter mortis impetus omnia secum in mare mortuum abripiens inhibitus est, cùm arca ista transiit in terram viventium.

Super est nunc, ut Reginam nostram tot stellis & gemmis coronatam debitis officiis veneremur, & arcam hanc tot privilegiis dotatam, in nostra peregrinatione comitem nobis adjungamus & nunquam deseramus. Sanè quando arca illa Iordanem ingrediens divisit, quamdiu in alveo Iordanis stetit, tamdiu cohibitis aquis Hebræi sicco pede transierunt. Similiter & nos per mortis & judicij vadum (significat Iordan fluvium Iudicij) sine metu ac damno transibimus, si præsidium Deiparæ habeamus. Monebat ibi Præco, ut præcedentem arcam omnes sequerentur: *Ite post eam*, dicebat (ut habet Hæbr. Chald. & Græcus textus) *sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duûm millium: ut procul videre possitis, & nosse per quàm viam ingrediamini, quia prius non ambulastis per eam; & cavete ne appropinquetis ad arcam*, Iof. 3. Idem hoc vobis Auditores, dictum existimate. Ite post Deiparam, cultu, obsequio & vitæ conversatione. Et sit inter vos & illam spatium magnum, comparatione vestræ humilitatis cum tanta Virginis gloria: nolite appropinquare ei, seu illam offendendo, seu vobis comparando, ut possitis ejus præsidio & ductu securè transire mortis viam, per quam prius nunquam ambulastis.

CONCIO IV.

GEMMAE DUODECIM QUIBUS Deipara coronavit Filium.

I. *Religio.*
II. *Votum virginitatis.*

III. Obe-

III. Obedientia.
IV. Humilitas.
V. Paupertas.
VI. Amor.
VII. Compassio.
VIII. Studium verbi divini.
IX. Obsequium.
X. Patientia.
XI. Fortitudo.
XII. Perseverantia.

THEMA.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in Diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis, Cant. 3.

A. SOlent Principes personæ mutuis muneribus se invicem honorare; ut videre est in Regina Saba, quæ veniens ad Salomonem obtulit ei aurum, aromata & gemmas pretiosas: & vicissim à Salomone munus regium accepit, 3. Reg. 10. Plusquam regiæ personæ sunt Christus & Deipara, Filius & Mater. Illum per Salomonem, hanc per Reginam Saba fuisse præfiguratam, facilè intelligimus. Ergone sine muneribus mutuò conveniant in die desponsationis suæ, tantus filius & tanta Mater? Non sanè. Vidimus alibi coronatam à filio matrem duodecim privilegiorum stellis: mater ut vicem filio rependeret, totidem ei gemmas obtulit in coronam, duodecim videlicet specialia obsequia, quæ filio exhibuit; ut ita impleretur, quod Cantic. 3. dicitur: *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in Diademate, quo coronavit illum mater sua.* Adstipulatur huic rei Ioannes, Apoc. 12. vidit coronatam matrem stellis duodecim, & cap. 14. vidit coronatum filium. Hujus igitur coronam nunc intueamur.

B. I. *Religio.* Prima, est religio, qua se in tenera ætate, triennis videlicet Deo adeoque Christo etiam obtulit, cùm in templum præsentata fuit, in obsequium perpetuum. Plurimum per hoc contulit ad gloriam Christi Domini. Decuit enim Ipsum talem habere matrem, quæ mundi illecebras nesciret, & Dei cultui ab infantia addicta esset. Decuit in templo educari eam, quæ templum Dei viventis esse debebat. Decuit vas illud, quod Deum excepturum erat, Deo statim sacrari, nunquam profanari. Per hanc itaque oblationem conseravit se in templum filio Dei & suo. Nunquid hæc non gemma est coronando Christo?

C. II. *Votum Virginitatis.* Secunda, Votum Virginitatis, quod edidit in templo cum se Deo consecravit, ex communiori sententia; ut habent D. Hieronymus, de ortu Virginis, D. Gregorius Nyssenus orat. de Nativitate, Et Nicephorus libro 1. cap. 7. Cùm enim non ignoraret Virginitatem Voto constabilitam, gratiorem esse Deo, adeoque majus donum, quàm sit Virginitas voti expers (quemadmodum majus & præstantius donum est, si quis arborem una cum fructibus, quam si solos fructus donet) non dubium quin Virgo, ut cœlesti sponso gratior & dignior esset, voto se obstrinxerit. Multum etiam hoc faciebat ad Christi gloriam; si videlicet matrem haberet Virginem, qui Virgo erat futurus: & si talem quidem Virginem, quæ virum omnino nesciret, nullique viro misceri posset, haberet is, qui nullam omnino impuritatem in se admittere poterat. Deum *enim*, inquit S. Bernardus homil. 2 supermissus est, *hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Et sicut de altera Maria dictum est*, inquit S. Idelfonsus serm. 5. de Assumptione, *ista optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum Deo Virginitatem obtulit, & idcirco promeruit ut Dei filius angelo annunciante ex ea corpus nostræ redemptionis susciperet.*

D. III. *Obedientia.* Tertia, Obedientia seu confirmatio cum Dei & Christi filii sui voluntate: quam ostendit imprimis, cum se ex parentum & sapientum consilio desponsari passa est viro, tametsi votum castitatis haberet, idque tam firmum, ut ne angelo quidem filium, & talem ac tantum filium promittente, propositum mutaret. Quanquam verò sciebat S. Iosephum virginitatem secum pariter servaturum: nihilominus tamen ex vi conjugii viro, quo erat longè sanctior & sapientior, se submittere & regendam tradere omniaque ex ejus arbitrio facere debebat: quod in aliis mulieribus, quæ sobolis suscipiendæ gratia matrimonium ineunt, mirandum non est. Cùm ergò hæc Desponsatio ad honorem Christi tenderet, ut ne infami loco natus putaretur, & ut ortus ejus celaretur diabolo: Sanctissima Virgo præclaram Christi capiti gemmam inseruit; dum se in hoc ejus voluntati conformavit; quemadmodum & in aliis omnibus suis actionibus; veluti, cùm assensit filio Dei ut mater ejus fieret. Quantum enim hoc placuisse putamus filio? Rursum cum in nuptiis Canæ filii voluntati statim acquievit, &c.

E. IV. *Humilitas.* Quarta, Humilitas & abjectio, qua se in ancillam obtulit filio Dei, cujus mater eligebatur. Hinc enim supra modũ illustravit Christi gloriam; veluti si regina opulentissima ad pedes Imperatoris se abjiceret, cupiens ancilla ejus fieri. Hinc enim diceremus nos: Quantus esse is Imperator debet? Prædicabatur Virgo ab angelo gratia plena, benedicta inter mulieres, Deique futura mater; & inter hæc tamen ipsa ait: *Ecce Ancilla Domini.* Quantus ille Dominus, qui talẽ habet ancillã, cui mater & regina tanta tam profundã exhibuit submissionem? Assveri majestas patuit, cùm Esther regina, gloria & majestate ejus territa, coram eo corruit: sic innotescit gloria Christi, cùm Regina cœli coram eo quasi corruens, ancillam ejus se vocat.

F. V. *Paupertas.* Quinta, Paupertas, quam cum Christo & propter Christum æquissimo animo tulit in patrio & peregrino solo. Hanc enim colligere licet ex sor-

denti stabulo, in quo filium est enixa: & ex vili præsepio, in quo eum pannis involutum, quia non erat ei locus in diversorio, reclinare coacta est: *& hoc ipsum præsepium*(inquit S. Bernardus in speculo Evangelici sermonis)*à brutis animalibus mutuò accepit*. In eodem deinceps stabulo ad præscriptum usque purificationis tempus per dies 40. est commorata; cujus rei argumento est, quòd post dies tredecim teste Hieron. Epist. 17. & 27. & aliis in eadem spelunca à Magis fuerit inventa cum filio. Porrò hanc paupertatem, per Christum filium, quem nutrire debuit, accrevisse, facilè intelligitur. Quando igitur eam pro filio, & cum filio æquissimo animo tulit, quomodo non eum præclara gemma insignivit? Quanti æstimaret virum suum Thuringiæ Ducem S. Elisabetha, ea ratione ostendit cum dixit se paratam fore cum ipso extremam paupertatem ferre & (si ita contigeret) stipem etiam colligere. Rader. in Bau. S. part. 1. *Hinc nos colligamus quanti æstimarit filium suum Deipara, quæ ipsius gratia paupertatem maximam perlibenter toleravit.*

G.
VI.
Amor.

Sexta, Amor, quo complexa est filium; inprimis quando in Ægyptum fugiens eum à furore Herodis abscondit. Quis enim explicare poterit modos & rationes, quas excogitavit & adhibuit ad occultandum filium, donec Herodis ditione excederet? si enim aviculæ tanta industria componunt & tuentur nidos suos contra aucupes, aliosque insidiatores: quid fecisse putamus in periculo illo Deiparam, quæ nonsolum naturali, sed & acquisito & supernaturali amore filium diligebat? Quid verò gratius amantissimo filio potuit mater rependere, quàm reciprocum amorem.

H.
VII.
Compassio

Septima, compassio & dolores, quos cum filio & filii gratia sustinuit; imprimis quando eum perditum triduo requisivit: *Pater tuus & ego*, inquit, *dolentes quærebamus te*, Luc. 2. Rursum quando et crucifixo adstitit. Qui dolores acerbissimi quomodo non maximum apud Christum habere momentum potuerunt? si enim summa miseria est afflicto nō habere qui compatiatur, quemadmodum in passione sua Christus conqueritur Ps. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, & non inveni*; summa vicissim consolatio & sublevatio est afflicto, habere compatientem.

I.
VIII.
Studium verbi divini.

Octava, Studium verbi divini, quod ex filii ore avidissime hauriebat, & studiosissimè conservabat, ut suo tempore Apostolis aliisque recenseret, literis commendandum. Hoc autem tam est gratum Christo, ut Lucæ 8. dixerit: *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Duplici igitur titulo Mater Christi dici potest, quia scilicet eum in utero suo corporaliter genuit, & spiritualiter in animis audientium, quod ipsa, quia Christo jugiter adhæsit, & aures loquenti præbuit, præ cæteris Sanctis copiosius præstitit. *Hinc in ejus laudibus*, inquit S. Bernard. tom. 2. in serm. de B. Virgine, *legitur: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, &c.* Insignem igitur gemmam diademati Christi inseruit, quæ omnia ejus verba conservabat conferens in corde suo, ut suo tempore pareret.

K.
IX.
Obsequiū

Nona, obsequium & servitus continua, quam filio exhibuit, gestando eum in utero, lactando, infasciando, enutriendo, vestiendo, tuendo, &c. *Absque dubio*, inquit Sanct. August. lib. de assumptione, *omni opere ministratrix extitit, quæ hunc in utero gessit, partúq; profusum aluit & fovit, in præsepio reclinavit, & à facie Herodis in Ægyptum fugiens abscondit, & omnem infantiam ejus matris affectu ita prosecuta est, ut usq; ad crucem, in qua filium jam, virum perfectū vidit pendentem, ab ejus indubitanter ministerio non recesserit: consecuta non solum gressibus pedum tanquam pro amore filii, verum etiam imitatione morum, tanquam pro reverentia Dei.* Hæc Augustinus. Quod si parentum obsequia in liberos tanta sunt, Aristotele autore, ut nullis horum officiis compensari possint: pensate Auditores, an hæc obsequia matris non instar gemmæ fuerint filio?

L.
X.
Patientia.

Decima, Patientia. Quidquid enim contumeliarum, quidquid irrisionum ac tormentorum integro Dominicæ prædicationis triennio, toto passionis ejusdem tempore à Iudæis, ab Herodis, Pilatiq; militibus, tum verbis tum factis, ea præsertim vivente ac vidente, Christo ejus filio est irrogatum, id omne non tantùm Virginis matris animum acerrimè sauciavit; verum in ejus quoque maximum contemptum cessit. Illa enim in Christi faciem jactata convitia & blasphemiæ: illa in sanctissimum vultum conjecta sputa, impacti colaphi: illa exprobrantium opprobria ac diversa illusionum genera in domo Cayphæ, Herodis, Pilati obita; quòd Barrabæ postpositus, quod communi totius populi insanoq; clamore ad crucis patibulum postulatus, quòd flagris atrocissimè toto corpore proscissus, quod in affectati regni speciem regiis insignibus per deridiculum ab universa cohorte illusus ac spinea corona capite redimitus; quòd crucem suis ipse humeris bajulaverit; quod in medio latronum, veluti eorum Princeps in ipsa cruce per summam ignominiam suffixus obierit, id omne, ut diximus in maximum Virginis etiam matris, quæ stabat juxta crucem, opprobrium & humiliationem recidebat. Præsertim quia interdum eam perstringebant, Christo familiæ paupertatem objicientes, & quasi per contemptum dicentes illud Marci 6. *Vnde huic hæc omnia; nonne hic est faber, & filius Mariæ?* Et mox: *Et scandalizabantur in eo*: quæ tamen omnia ipsa non minùs humiliter, quàm patienter æquo animo ferebat. Sciebant sane Iudæi, ipsam ex regia David progenie oriundam; si quidem & cœci Christum filium David proclamabant: nihilominus ob ejus paupertatem, tam abjectè de ea loquebantur & sentiebant. Dum ergò hæc tam amara (ut taceam ejus labores, itinera, solicitudines) filii causa libenter devoravit, an non filii gloriam magnoperè illustravit?

Undeci-

M. X. *Fortitudo.* Undecima, Fortitudo; quæ enituit potissimum, quando Virgo juxta crucem stetit; Tunc enim acutissimum illum doloris gladium à Simeone Luc. 2. sibi prædictum, pectore suo excepit, & ita fortiter, ut nihil egerit dignitati suæ personæ indecorum aut rationi dissonum: neque sensuum defectum aut perturbationem, nec, quem vocant, spasmum passa est, (hæc enim inordinata commotio & tristitia derogaret excellentiæ Virginis) sed cum oris gravitate & animi moderatione dolorem illum miscuit, ut satis indicat Ioannes, testis oculatus, cum refert eam juxta crucem filii, non jacentem aut sedentem, sed stantem, quasi omnibus angustiis, animi magnitudine superiorem; *stantem illam lego, flentem non lego*, inquit S. Ambrosius in orat. in obitu Valentiniani. Et de institut. Virg. cap. 7. *stabat ante crucem Mater & fugientibus viris stabat intrepida.* Neque enim erubuit crucem & ignominiam Christi, neque timuit Iudæos & alios Christo insultantes, etiamsi mater esset ejus, quem tam hostili & pertinaci odio prosequebantur; quin publico ac conspicuo loco absque ulla animi dejectione juxta ejus crucem stetit parata, quidquid opis posset filio præstare; Cum qui supplicio ultimo afficiuntur, ipsorum parentes imò omnes propinqui impossibile sibi existiment, spectare illorum supplicium; Unde plerumque alio discedunt: quemadmodum & Agar illa filium jam moriturum abjecit, & abiit dicens: *Non videbo morientem puerum*, Gen. 21. At non ita Deipara; quæ proinde eximiam gemmam coronæ filii inseruit, dum ita ei adstitit, & sanè gratum fuisse filio hoc matris obsequium, illud argumento est, quod Christus in tanta dolorum acerbitate curam ejus gessit, eamque discipulo commendavit: *Mulier ecce filius tuus*, suppresso matris nomine, ne ei dolorem augeret.

N. XI. *Perseverantia.* Duodecima, Perseverantia: quæ est coronis omnium virtutum: perseveravit autem cum Christo, usque dum is in cruce moreretur & sepeliretur. Perseveravit deinde cum Discipulis in oratione usque ad missionem Spiritus sancti ut habetur Act. 1. imò discipuli cum ipsa perseverabant (ut ibi legitur) tanquam cum Magistra orationis & perseverantiæ. Perseveravit denique cum Ecclesia per annos 15. post ascensionem Christi velut Abbatissa totius Ecclesiæ, usque tum à Christo evocaretur ad Ecclesiam triumphantem. Iam si hanc virtutem commendavit Christus in Discipulis suis, qui tamen nondum usque ad crucem perstiterant cum ipso: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. 22. quomodo non multò magis commendare debuit in matre?

Vidimus ergò non immeritò coronatam esse à filio matrem stellis prærogativarum duodecim: siquidem & ipso coronavit filium gemmis obsequiorum duodecim. Superest nunc uti nos quoque, si coronari velimus à Christo, coronas contexamus pro modulo saltem nostro, ad coronandum Christum. *Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*, inquit Apostolus 2. ad Tim. 2. Hæc igitur obsequia Virginis imitari studeamus, &c.

CONCIO V.

QUAM SIMILIS FILIO Deipara.

I. In vultu & fortuna.
II. In mutuo consensu.
III. In conversatione. 1. In humilitate. 2. In obedientia. 3. In charitate. 4. In silentio.
IV. In tribulatione & passione.
V. In prærogativis multis.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, Prov. 8.

A. Cum expendo mecum hodiernam Genealogiam, in mentem mihi venit, quod Gen. cap. 2. legimus, Deum dixisse de Adamo: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quapropter adduxit Deus universa animantia ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Adæ verò non inveniebatur simile. Solus erat Adam, nec poterat habere communionem cum creaturis, quòd sibi non essent similes. Itaque creavit Deus Evam, quâ conspectâ dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quasi diceret, Apage à me animantia prius adducta, quia mihi non sunt similia, atque ideò non placent. Hæc mulier mihi simillima est, ideoque perplacet, & hanc ego mihi quærebam. Hunc in modum Christus, tametsi coram se vidit omnis generis animalia, id est, sanctos veteris testamenti, nullum tamen ex iis similem sibi invenit, donec ad Mariam venit, quæ velut altera Eva, simillima illi fuit. Hanc igitur elegit in matrem velut os ex ossibus suis, id est, sibi similem. Quam ob causam vocari eam voluit, *mulierem amictam sole*, quòd videlicet Christum ipsum in vitæ conversatione repræsentarit. Et propterea Ecclesia in hodierna Epistola applicat huic Matri vestes filii ejus, id est, laudes & encomia, quæ ad literam de sapientia æterna, id est, filio Dei tantùm scripta sunt à Salomone, Prov. 8. Videamus ergò nunc quibus potissimum in rebus, & quàm similis fuerit filio mater.

B. I. *In vultu & fortuna.* Primo, In vultu & fortuna seu bonis corporis & fortunæ. Quod attinet ad speciem & complexionem corporis, erat Christo simillima; ut inprimis testatur Nicephorus libro 1. hist. Eccles. cap. 40. Qui cum descripsisset speciem Christi, subdit. *Persimilis denique per omnia fuit divinæ & immaculatæ suæ Genetrici*: Deinde Albertus Magnus in lib. de

 Beata

Beata Virgine apud Dionyſ. Chart. lib. 1. de Laud. Virg. art. 3. *Quemadmodum*, inquit, *corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per seipsum formavit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum viæ: sic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum secundum statum viæ, quod natura per se operans facere potest: ideò dicimus, quod si Christus fuit speciosus forma præ filiis hominum, sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum.* Confirmatur etiam hinc, quia inter genitum & generantem similitudo intercedit, nisi ex aliquo impediatur accidente: cujusmodi nullum intervenisse patet non solum ex optima virginis complexione, sed etiam ex sapientissimi Architecti, Spiritus sancti operatione. Et verò convenientissimum erat, ut filius hic assimularetur matri, quò sciretur ejus filius, & futuræ redarguerentur hæreses. Iosepho assimulari non debuit, quia ejus filius non erat. Adhæc sicut in Christi facie radiabat fulgor quidam & majestas Divinitatis, quâ ad sui amorem pertrahebat animos hominum, ut scribit sanctus Hieronymus super cap. 9. Matth. sic etiam in Deiparæ vultu supernaturalem quendam splendorem radiasse, scribit Dionyſ. Chart. lib. 1. de Laud. Virg. c. 39. si enim Moyses ex consortio Dei radiantem accepit vultum, quid mirum, si & mater Christi ex tot annorum conversatione? Quod attinet ad fortunam, nō parva etiā similitudo cernitur. In primis enim facultates fuerūt omnino pares; Mater erat paupercula, pauper & filius. Conditio non omnino impar; Mater fuit sponsa fabri: filius patrem habuit fabrum, magnum, inquam, architectum universi. Adhæc quemadmodum Christus à summo cœlo egressus, per omnes Angelorum choros descendit in terram, etiam infra homines; & factus est ex maximo minimus: Ita suo modo Deipara ex Regio Davidis stemmate paulatim per familias descendit ad statum humilem & pauperculum, ita ut ipsa fieret sponsa fabri, uti Christus filius fabri: Rursum sicut Christus è summo gloriæ apice ad infimum descendit, & propterea ad summum elevatus est: ita proportione servata, mater ejus à summa Regum dignitate ad humillimam conditionem devenit, & hinc iterum ad summam, post Christum, cœli dignitatem ascendit.

C. II. *In mutuo consensu.*

Secundo, In mutuo consensu & voluntatis conformitate. Etenim Deipara tam erat addicta filio, tam conformis & consentiens, ut non posset magis. Quid enim sibi volunt illa ejus verba, *Ecce ancilla Domini!* nonne illud ipsum, quod verba Abigaelis (ad quæ videtur allusisse) postulatæ in uxorem à Davide 1. Reg. 25. *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei?* obtulit ergò se his verbis in ancillam, non solum Deo Patri, sed & Filio ejus, suo mox futuro ad serviendum ei per omnia. Quis autem dubitare potest oculos ancillæ hujus oculatissimæ, & quæ optimè noverat Filii sui Divinitatem, semper fuisse in manibus filii velut Domini sui; Ad Evam dixit Deus Gen. 3. *Ad virum conversio tua erit*, (juxta Chaldæum) id est, observent oculi tui viri propensionem, oculos & nutum. O quàm accuratè præstitit hoc Filio Deipara, quæ sciebat illum non solùm esse filium, sed & patrem ac creatorem suum? Verum igitur Heliotropium exhibuit se Deipara, in omnibus actionibus conversa ad filium suum, veluti ad Solem. Vultin' hoc videre? Audite loquentem filio post triduum reperto, & alio tempore assidenti in nuptiis. Ibi enim percepto filii responso: *Nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* statim acquievit, licet, hoc verbum non intellexerit, uti scribit Lucas cap. 2. sed & Christus se conformavit voluntati matris: *Descendit enim cum illis, & erat subditus illis.* Hic verò audiens à filio nondum venisse horam ejus ad miraculum patrandum, mox iterum acquievit, & mandavit famulis: *Quodcunque dixerit vobis, facite*, Ioan. 2. quasi certa de miraculo, tempus tantùm opportunum jubeat expectari, donec filio placeat vinum providere. Nullæ hic audiuntur replicæ vel triplicæ, ut solet fieri in curiis: acquiescit mater filio, & filius matri. Descendit enim cum ea in Nazareth, & procurat vinum per miraculum. Dices, aliquid dissentionis videri intervenisse; siquidem duriusculè respondit filius Matri: *Quid mihi & tibi est mulier?* sed nulla in hoc verbo dissensio, ubi factum filii matris approbavit votum: fecit enim mox, quod illa modestissimè non tam postularat, quam insinuarat. Quemadmodum Sol & Luna rectissimo semper obtutu sese contuentur (licet enim nobis Luna videatur crebrò sinistrè tantum & ex latere solem intueri adeoque non esse tunc plena, ea tamen parte, qua soli obversa est, semper plena est, & rectâ Solem aspicit) ita sanctissima illa mater filium optime intellexit, suamque voluntatem ei per omnia conformavit: similiter & filius mentem & voluntatem matris optimè intellexit & suæ conformem vidit, tametsi quis ex verbis ruditer intellectis aliud conjectet. Idem videre est in Passione Christi, ubi absque dubio optabat, mœsta mater aut filium non amittere, aut cum ipso mori; nequaquam verò ipsum cum alio permutare. Assensit tamen libenter & in mortem filii, & in suam derelictionem & in permutationem, quâ discipulum pro magistro, cognatum accepit pro filio. Totam ergò ibi voluntatem suam in filium effudit, dicens intra se: *Non quod ego volo, sed quod tu.* *Stabat*, inquit S. Antonius, 4. part. tit. 15. c. 41. §. 1. *firma, voluntati Dei conformans se. Sciebat sancta Virgo, quod Dei voluntas erat Filium suum pati, & propter hoc in mundum venerat, & scripturæ, quæ sibi satis notæ erant, hoc pronunciabant, quæ falli non poterant, & cum in omnibus requiem quæreret, ut de ipsa canitur, quæ non aliter ferè quæritur & possidetur nisi conformando se divinæ voluntati secundum rationem; ideò stabat, non murmurabat, quod Filius innocentissimus pateretur; non blasphemabat Iudæos, quod ab eis, quibus tot fece-*

rat beneficia, tam crudeliter tractaretur; non vindictam à Deo petebat, ut illi à terra vivi absorberentur, uti merebantur: non capillos, vel vultum scindebat, quia vidua & sine filio consolatore remanebat, sed stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa. Anselmus: *O Domina quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem carne de tua crudeliter dissecari? & tamen ita divinæ voluntati conformis fuisti, ut salutis humani generis avidissima esses; ut dicere audeam, quòd si nullus fuisset repertus, qui filium crucifigeret, adhoc ut sequeretur salus hominum & adimpleretur voluntas Dei secundum rationem, si oportuisset, ipsa posuisset in crucem, &c.* Hæc Antoninus. Multi etiam piè ac rectè meditantur, Deiparam, quando sub cruce stans audiit filium orare pro suis crucifixoribus, & ipsam in genua tunc provolutam orasse pro iisdem & quantum erat ex parte sua, eis ignovisse. Apud Salmeron. in primum Christi verbum.

D. III. *In conversatione.*

Tertiò, In conversatione & virtutum exercitio. Atque ut pauca delibemus; similis ei fuit; primò in humilitate. Christus se hominum Ministrum vocat: Maria se Ancillam Domini. Christus laudes & miracula sua prædicari vetuit: Maria ad laudes suas ab Angelo prædicatas turbata est, & secretum dignitatis suæ, quâ in Dei matrem electa erat, occultavit proprio sponso. Christus gloriam suam patri tribuebat: Maria simili modo cum audiret ab Elisabetha beatam se vocari, erupit in laudem Dei, totum illi adscribens, quicquid accepisset: *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Christus de cœlo venit hominibus ministrare, dominus serviis, creator creaturis suis; Maria abiit in montana ministrare Elisabethæ, utique major minori. Invitata ad nuptias consanguineorum, eò se contulit diem præveniens (ut existimat Toletus, non improbabiliter) nuptiarum, quasi præstitura auxilium in ministerio, vitam omnino communem traducens, quam viderat elegisse filium, ut sic omne genus hominum facilius ad se traheret.

1. *In humilitate.*

2. *In obedientia.*

Secundò, In obedientia, quia ut Christus se subjecit legibus, quibus non subjacebat, ita & mater. Ascendit puer Iesus tempore Paschali ad templum in Ierusalem, cùm ad hoc non obligaretur: Ascendit etiam mater ejus, nec ipsa ad hoc obligata, ut patet Exod. 23. & 34. Ubi id viris tantùm præcipitur, non mulieribus. Christus circumcidi & præsentari in templo voluit, cum tamen supra omnem legem esset, utpote Legislator. Similiter Maria legi purificationis liberè se submisit, cum ei non subesset. Christus subditus erat subditis suis, parentibus videlicet, quorum Deus erat: Maria subdita erat viro suo, sancto quidem illi, se tamen multò inferiori.

3. *In charitate.*

Tertiò, in charitate & misericordia. Christus in deserto videns hominum multitudinem cibo destitutam: *Misereor super turbam, inquit, quia jam triduo sustinent me, nec habent quòd manducent,* Ioan. 6. Similiter & mater ejus in nuptiis Canæ videns deesse vinum pauperibus ex commiseratione: *Vinum non habent*, ait.

4. *In silentio.*

Quartò, In silentio & patientia. *Stabant Summi Pontifices Jesum constanter accusantes, Jesus autem tacebat.* Objiciebant illi crimina; *Jesus autem tacebat.* Instabant illi clamoribus & Iesum ad crucem poscebant: *Jesus autem tacebat.* In cruce jam pendentem cachinnis subsannabant, *Jesus autem tacebat.* Nec aliter ejus mater. Observabat eam sponsus utero intumescere, ideoque cogitabat discessionem ab ea facere. Et quid egit sponsa? Maria autem tacebat, & grande hoc discrimen Deo committebat. Audiebat illa filium seniorum calumniis appeti: interim verò tacebat. Videbat eum cruce graviter onustum & sub onere corruentem: illa verò tacebat. Videbat morientem reclamante cœlo & omnibus elementis, ipsa verò tacebat.

Taceo paupertatem, fortitudinem, prudentiam, & virtutes alias, quarum optimum magistrum semper habuit, filium videlicet.

E. IV. *In tributatione & passione.*

Quartò, In tribulatione & passione. Nihil enim pertulit Christus, cujus particeps etiam non fuerit mater. Una enim cum filio suo tametsi nondum nato abiit in montana, & servivit Elisabethæ: Abiit in Bethlehem: & exclusa ab ejus incolis perstitit in stabulo, vel spelunca extra urbem. Exclusa è terra Israel, fugit cum eo in Ægyptum, & ibi per septenium cum filio exul fuit, ubi in summa rerum inopia cum eo vitam toleravit. Circumcisi dolores sensit in corde suo. Filium Ierosolymis perditum, quæsivit cum dolore, dum interim fortè filius fame premeretur. Et quis neget passionem filii, passionem fuisse matris? Quotquot ictus filius pertulit in corpore, quotquot dolores & contumelias: tot sensit in corde mater; *siquidem amor*, ut ajunt, *magis est ubi amat, quam ubi animat.* Ergò una cum filio mater flagellata fuit, cum eodem coronata fuit, cum eo crucem tulit; cum eo crucifixa, cum eo denique mortua est, si animam ejus spectes seu internos ejus dolores. Sanè Albertus Magnus super Missus est, asserit morituram præ dolore fuisse, nisi id divinitus impeditum esset; Quod etiam sensit Anselmus l. de excellentia B. Virginis cap. 5. Exemplum affert Ludovicus Granatensis in Introd. lib. 3. cap. 6. *Ante paucos annos*, inquit, *in hac urbe per ministros justitiæ juvenis quidam capite truncatus est, ipsumque caput hastæ suffixum publico loco expositum. Habebat hic Iuvenis matrem, quæ doloris victa impatientia, visum filii caput exiit, lacrymans cœlumque gemitibus, suspiriis & querimoniis implens. Cùm vidisset, domum rediit, moxque tanto dolore correpta oppressaque est, ut eo ipso die Spiritum doloris magnitudine præfocatum exhalaverit. Tanta vis est amoris matris in filium reum etiam & flagitiosum*, inquit Granat. Quanto igitur justior fuit dolor Mariæ, quam illius matris, tanto etiam major.

Quin-

F. V. *In prærogativis multis.*

Quintò, In prærogativis multis, quæ servata proportione matri debebantur & congruebant. Primò enim de receptissima nunc sententia, concepta est sine originali culpa. Secundò, In ipso adhuc utero matris prædita fuit rationis usu. Tertiò, ab omni culpa immunis fuit, etim veniali. Quartò post triduū resuscitata fuit & corpore assumpta juxta illud Psa. *Surge in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Hæc & his plura privilegia contulit matri filius, quæ habuit & ipse, sed modo eminentiore. Dicere etiam possem, similem ei potestatem, cum ea quam habet filius, in cœlo esse traditam ab eodem filio; similem ajo, non parem. Quemadmodum enim in cœlo duo sunt luminaria magna, Sol, qui præest diei, Luna, quæ præest nocti, tametsi lumen suum à Sole mutuetur: Ita in cœlo divisit quodammodo Christus potestatem regni sui, quæ justitia continetur & misericordia, juxta id Psalm 61. *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est & tibi Domine misericordia*; & potestate quidam seu justitia sibi retenta, misericordiam cessit matri. Ita enim scribit Gerson tract. 4. super Magnificat, ordinis Cælestini Monachus doctus & pius Cancellarius Paris. addens in Maria impletum esse, quod Assuerus dixit Estheri: *Etsi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi*, Esther. 5. Neque per hoc aliquid demitur Christo: Quemadmodum enim sol, dum tribuit lumen suum lunæ & ipse illuminat noctem: ita etiam Christus, dum dat matri potestatem recipiendi peccatores, & ipse eos recipit. Confirmat hanc sententiam communis Ecclesiæ vox, quæ Deiparam appellat *matrem misericordiæ.* Confirmant beneficia, quibus innumeri peccatores gratiam inveniunt per Virginem apud Deum. Confirmat & S. Anselmus lib. de excellentia Virg. cap. 6. qui ait: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Virginis, quam invocato nomine Domini Jesu.* Quia videlicet Christus cum sit omnium Dominus & Iudex, discernit, & considerat uniuscujusque merita, antequam postulata concedat. Deipara verò non attendit ad merita petentis, sed filii tantùm sui merita considerat, & implorat misericordiam. Exemplū accipe de S. Philippo Nereo. Anno à Virginis partu millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, in ejus vita authore Antonio Gallonio. Anno dicto, Martio ineunte, Cæsar Baronius periculosè ex febri laborare cœperat, ea febris vis fuit, ut die undecimo desperata à peritissimis medicis salute, ad exitum sine ulla humani spe remedii properaret. Id ubi Philippus animadverterit, sese ad orandum pro ejus valetudine dat, nec irritus; preces enim suas auditas esse sensit: idipsum & Baronius certo hoc indicio didicit. Eo ipso tempore quo Philippus divinam precabatur clementiam, jucundissimo confestim somno corripitur: in somnis sibi videre videbatur eundem B. virum propè Christum stantem, ad Christi dexteram sanctissimam virginem candenti amictu, posteaque Philippum obnixe Dominum rogantem audire: serva Cæsarem: Cæsarem pristinæ restitue valetudini: Cæsarem incolumem volo, supplicanti mihi Cæsarem redde. Et hæc quidem verba, qua erat in Deum fiducia, identidem alternis Moysis instar repetebat. interea cum sic diutius cum Domino, ut novus Iacob luctaretur, nec quicquam impetraret, videbatur sibi illum ipsum cernere, qui ad sanctissimam Dei matrem versus, cum ea suppliciter ageret, ut quod ex se consequi non posset, per eam omnino assequeretur, ejusque petitioni Virginem annuere, rogareque illico impensè filium, ut quod ille peteret, concedere non gravaretur, eumque tamdiu exorare, quoad Philippus voti compos afficeretur. Hæc itaque dum fierent, moribundus somno experrectus, & cœlesti indicio lætus melius habere cœpit, eoque ipso die suam in tuto vitam medicis admirantibus, idq; miracula dantibus collocavit, brevique post omni penitus ægrotatione corporis liberatur: Quibus profectò rebus haud vanum fuisse visum, ostensum est.

Ergò Auditores bono animo simus, habemus enim solem in die, Christum: & lunam in nocte, Mariam. Quòd si coram sole comparere non audemus ob peccatorum nostrorum fœditatem: ad lunam nos conferamus, quæ fœditatem illam non adeò considerat. Etiam luna quidam sol est, quia ex sole nos illuminat. Ita qui Mariam habet, habet etiam Christum. Cùm Darii uxor capta ab Alexandro Magno producta coram Rege, errore decepta salutasset Hephæstionē pro Alexandro, honorem ei exhibens, & mox errorem agnoscens pudefacta esset, consolatus eam Alexander: *Non errasti Regina*, inquit, *& ipse Alexander est*, (Quia videlicet Hephæstio charissimus Alexandro fuit) Plutarch. in Alex. similiter ô peccator, si metuens peccatis tuis confugias ad Virginem potius, quàm ad Iesum: non errasti, & ipsa Iesus est.

CONCIO VI.

QUA RATIONE BEATA VIRGO contriverit caput serpentis.

I. *Quia Christum genuit Dæmonis victorem.*
II. *Quia Hæreses peremit.* 1. Quia credidit nihil esse Deo impossibile. 2. Quia Apostolorum doctrix. 3. Quia Auxiliatrix contra hæreticos.
III. *Quia immunis ab omni peccato.* 1. Ab actuali. 2. Ab Originali.
IV. *Quia Tyrannidem Dæmonis premit.*

THEMA.

Luna sub pedibus ejus, Apoc. 12.

A.

Sanctus Bernardus in sermon. super id Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo*, exponens quomodo

quomodo dicatur Luna sub pedibus Mariæ ait: *Unicus iste stultus & totius stultitiæ Princeps, qui verè mutatus ut Luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus & contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura.* Hæc Bernardus; cui adstipulantur alii Patres, qui sententiam illam divinam Genes. 3. *Inimicitas ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: tu insidiaberis calcaneo ejus & ipsa conteret caput tuum*; De beata Virgine cujus solius, & non etiam viri, semen est Christus, isque solus, communiter intelligunt. At verò jam quærat aliquis qua ratione Maria contriverit caput serpentis. Audiamus.

B. I. *Quia Christum genuit dæmonis victorem.*

Primò, Quia Christum nobis genuit, qui dæmonis caput, id est, superbiam, quâ in nos dominabatur, contrivit, & aperto marte vicit ac triumphavit, dum virtute propria in cruce diabolo regnũ & spolia ademit. Iudicum cap. 9. legimus, unam mulierem è turri, in qua confugerant cives Thebes, quamq; incendio cingere conabatur Abimelech, lapidem seu fragmen molæ devolvisse super Abimelech, & confregisse cerebrum ejus, atque ita ab insidiis hostilibus liberasse turrim ac civitatem. Hoc idem & reipsa fecit Beata Virgo. Cum enim Diabolicus Abimelech persequeretur civitatem Dei, id est, Ecclesiam ante Christum natum, confugere cives ejus ad turrim illam unicam, quæ erat spes redemptionis Israël, cumque dæmon omnes adhiberet vires & machinas ad Ecclesiam Christi prorsus exscindendam, utpote jam translato scripto à Iuda ad alienigenas: tunc mulier Hebræa, Virgo scilicet Maria lapidem illum angularem devolvit in caput diaboli & contrivit illud. Sola hoc Maria præstitit sine alterius hominis auxilio, quia sine viri semine Deum genuit, suaq; virginitate de cœlo in terram traxit. Porrò Christus dæmonẽ trifariàm contrivit. Primò præpotentissima mortis suæ vi & efficacia. Secundò admirabili sanctissimæ vitæ suæ exemplo, dum omnium cupiditatum lenocinia ita fugit, ut cœlebs & castissimus semper manserit, honores & ambitionem omnem declinarit, ad regnum quæsitus fugerit: laudes alioqui sibi suisque miraculis debitas aversatus sit: ab ipsis incunabulis paupertatem & abjectionem sectatus sit, & ad idem faciendum mundum invitarit. Tertiò doctrina & cohortatione ad omnem statum & fortunam utili contra omnia inimici tela & machinamenta. Detexit enim nobis dæmonis insidias & omnis generis arma contra eas suppeditavit: nimirũ fidem, Sacramentorum usum, exorcismum Ecclesiasticum, opera satisfactoria, invocationem nominis sui, Iesu & Mariæ Matris suæ, signaculum sanctæ crucis, res alias ab Ecclesia benedictas, &c.

C. II. *Quia hæreses peremit.*

Secundò, Quia, ut Ecclesia canit, cunctas hæreses in universo mundo sola interemit. Designatur autem hæresis per serpentis caput, quia per eam suas exserit fraudes & insidias occultas. Ex libro Iudith novimus, Halofernem obsedisse Bethuliam civitatem, & incidisse canales ejus, ut aquæ penuria oppressam redigeret in suam potestatem. Sed Heroissa illa Juditha caput ei præcidit atque ita suam civitatem liberavit. Diaboli typus est Holofernes, (Holofernes enim fortis dux exponitur, & dæmon fortis armatus dicitur à Domino.) Is per servos suos Hæresiarchas obsidet Bethuliam, id est, Ecclesiam, Virginem Dei (hoc enim significat Bethulia) ad eam expugnandam incidit ejus canales, id est, Sacramenta & sacras scripturas, per quas cœlestis gratiæ humor ad eam defluit, illa partim exterminat, partim enervat & exsucca facit, has verò depravat. Sed Maria Virgo præcidit illi superbissimum caput, convincendo & confundendo hæreses, earumque fraudes, pertinaciam & inscitias, atque ita sicuti Iudith, una ipsa confusionem facit in domo Nabuchodonosor, id est, luciferi. Quâ ratione, inquis? Primò, quia ipsa credidit angelo dicenti non esse impossibile apud Deum omne verbum, adeoq; Deum fieri hominem & filium hominis, & quæ hinc mira & stupenda consequuntur. Convincit ergò & confundit hæreticos, qui multa fidei dogmata superbissimo suo capiti persuadere nequeunt, veluti Deum revera hominem factum: quod Manichæus & alii negarunt: reverâ ex virgine natum, quod negavit Corinthus: Mariam vere Deiparam esse, quod negavit Nestorius: filium esse patri consubstantialem, quod negavit Arius: Christum contineri totum in Eucharistia posse, quod negavit Calvinus: Panem & Vinum in Christi corpus posse converti, quod negat Lutherus, &c. Hos inquam & reliquos convincit & confundit Maria, quæ credidit & credere nos docuit, non esse impossibile apud Deum omne verbum; ac proinde fieri Dei virtute posse, ut Deus homo fiat, à Virgine nascatur, &c.

1. *Quia credidit nihil esse Deo impossibile.*

2. *Quia Apostolorũ doctrix.*

Secundò, Quia Apostolorum doctrix fuit, præcipuè S. Ioannis, cujus curæ commendata erat, qui & suo Evangelio contrivit hæreticos sui temporis, Divinitatem Christi impugnantes. Et unde habuissent Evangelistæ, quæ de Christi conceptione, nativitate, infantia, pueritia, scripserunt, si non à Maria; Eadem illa Catholicę fidei formulam pręscripsit S. Gregorio Thaumaturgo, mediante S. Ioanne Evangelista, ut in ejus vita apud Surium. Illa manum abscissam restituit S. Ioanni Damasceno, quò hæresin Iconomachorum scriptis suis præclarissimis exagitaret & confutaret.

3. *Quia auxiliatrix contra hæreticos.*

Tertiò, Quia fidissima auxiliatrix adstitit Catholicis contra hæreticos. Uti Narseti, Iustiniani Imp. Duci, cui præclaras & miras victorias contra Arianos, Totilam & Gottos concessit: monebat enim illum quando pugnandum esset. Evag. lib. 4. cap. 23. Ob eandem offensam Nestorius hæreticus, juratus virginis hostis, à toto Ephesino Concilio anathemate perpetuo percussus, ab Imper. in exilium pulsus, miserrimè periit, lingua ejus blasphema, quâ Mariam θεοτόκον pronuntiare & fateri noluit, à vermibus

bus exesa, & toto putrescente corpore. Niceph.l.4. cap. 26.ob eandem Canstantinus Copronymus Iconomachus vivens adhuc igni inextinguibili traditum se clamavit. Ut alibi dictum. Eadem patrocinante Pragensem illam victoriam contra hæreticos nuper obtentam non immeritò credimus, in ultionem patrati sceleris in ejusdem imaginem ligneam,cui hæretici oculos effoderant, cujusque sacrum nomen in pugna tessera nostrorum erat.

D. III. *Quia immunis ab omni peccato.* 1. *Ab actuali.*

Tertiò, Quia immunis ab omni peccato fuit & primo ab actuali. Ita serpentis caput, id est, peccatum (quia quo peccatum ingreditur, eò ipse sequitur) contrivit. Unde sanctus Bernardus sermon.2. super Missus est ait: *Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum.* Et Sanctus Fulbertus Carnotensis: *Contrivit*, inquit, *Maria serpentis caput, servando Virginitatem & humilitatem, quia & hac extinxit mentis superbiam, & illa carnis concupiscentiam.* Cæterorum hominum nemo paucissimis exceptis, tam perpetuas, tamque capitales cum eo gessit inimicitas, ut non aliquando admitteret ejus blanditias. Nam is primò capite blanditur, deinde ventre oblectat, tandemque cauda ligat; quia omnis tentatio perficitur suggestione delectatione, consensu. Si quem ergò non prorsus ligavit, saltem aliquando delectavit. At beata Virgo nulla in re collusit ei unquam, sed caput,id est,suggestionis ejus initium illicò contrivit.Quemadmodum ergò Mardochæus solus ex omnibus servis Assveri, non flexit genua coram Aman: ita sola Maria non curvavit unquam genu Tyranno illi. Rectè igitur Cantic.7.comparatur ejus statura palmæ, quæ rectissima & procerissima est,nec cedit ponderi superposito, sed resistit & contra nititur.

2. *Ab originali.*

Secundò, juxta communem hodiernæ Ecclesiæ consensum, immunis etiam fuit ab originali peccato,quod caput est serpentis, quia per id intravit in mundum, obtinuit vires suas in homines,tanquam à radice,& dejecit eos in alia peccata. Quæ sententia confirmari potest, primo ex scriptura, in qua ab Angelo salutatur gratia plena.

1. Non potest autem intelligi plena intensivè, ita ut non potuerit habere majorem gratiam, ergò intelligendum est, fuisse plenam extensive, seu quoad durationem à primo instanti usque ad ultimum.

2. Secundò, quia in Ecclesia Græca ante annos 1000. celebrabatur festum Conceptionis ejus, ut refert Petr. Galat. lib.7.cap.8. tom. 4. Biblioth. sanct. die 9. Decemb. In latina,ante 500.ferè annos, ut patet ex epist. 174. S. Bernard. Et Anselmo Ep. ad Episcopos Angliæ. Quæ consuetudo paulatim magis invaluit, ac nostro ævo communis facta est, quia & hæc sententia paulatim confirmata est,& nunc victoriam obtinuisse creditur.Nec mirum,quia Ecclesia dicitur aurora consurgens, quòd successu temporis crescat;in cognitione scripturarum & mysteriorum fidei; sicut olim Ecclesia sub lege naturali & scripta crevit paulatim in cognitione & observatione legis. Crevit igitur & in hac sententia quæ habetur in revelatione sanctæ Brigit. lib. 6. cap. 49.

3. Tertiò, quia non est deneganda B. Virgini dignitas, cui non contradicit scriptura,nec fides, nec pontifices, nec universalis Ecclesiæ consensus. Hæc autem talis est.Nam primò,quòd ait scriptura, omnes peccasse in Adamo, intelligi potest de priori natura, in quo contrahere debebat peccatum, nisi fuisset præventa & præservata à Deo; similiter omnes homines redempti sunt à Christo, intellige, vel à peccato, in quod incidere debebant, nisi fuissent præventi, uti B. Virgo: vel à peccato in quod reipsa inciderunt, ut cæteri mortales. Exempli causa: servus potest redimere filios suos à servitute,alios quidem postquam concepti sunt:alios antequam concipiantur, ita ut in instanti conceptionis concipiantur liberi, qui debebant concipi servi: & ita hi redimentur à servitute,non in qua erant, sed in qua esse debebant.Hoc posteriore modo concepta est B. Virgo, priori cæteri mortales. Secundò non est contra fidem,quia Sixtus IV. lib.3. Extrav. cap. grave nimis, damnat eos qui dicunt hanc sententiam pertinere ad hæresin.Et Pius V.in constit.super hac re edita similiter. Tertiò non est contra Pontificum decreta, nam licet Pius V. qui voluit omnia revocare ad antiquum ritum, sustulerit officium de conceptione Virginis,id tamen Gregorius XIII. restituit.Denique nunquam contradictum est huic sententiæ,communi Ecclesiæ consensu,ut ex dictis colligi potest.

Verè igitur hac ex parte dici de Maria potest, quod olim de Marcello Romanorum Duce fortissimo dictum legimus, quod Annibalem tot Romanorum cladibus insolescentem ac vinci propemodum nescium docuerit posse vinci;quando ipsa Diabolum, cujus imperium nullus unquam mortalium effugit propter originale peccatum, docuit posse vinci.

E. IV. *Quia Tyrannidem dæmonis premit.*

Quartò, quia caput, id est, superbam dæmonis tyrannidem, qua teste Iob cap. 41. velut Rex *dominatur super universos filios superbiæ*, id est, peccatores, sub potestate sua habet ac premit, ita ut quoscunque peccatores, qui ad ipsam confugerint, eripere ab ejus potestate queat. Quis enim dubitet matrem habere etiam potestatem in ea quæ sunt filii? Reginam posse etiam gratias concedere miseris ad se confugientibus, nec non ad regiam secum adducere quos vult? Consideranti mihi contentiosum funem,quem pro peccatoribus lucrandis jam inde ab exordio mundi trahebant, Deus & diabolus, Deus ut salvaret illos,Dæmon ut perderet; videtur mihi illorum contentio similis esse ludo scacci, in quo communes lapilli(rusticos aut milites aliqui vocant) deprædari hostes possunt, quos à facie offendunt, qui verò reges seu reginæ progressu facti sunt omnes omninò hostes, sive à facie occurrant,sive à tergo, seu à latere, rapere & spoliare possunt. Mi-

sit

sit igitur initio Deus & paulatim promovit sua gratia suos Patriarchas & Prophetas, qui multos quidem Dæmoni abripiebant milites, quos ad veri Dei cognitionem & præsentiam tractos Deo transcribebant. Rapuit enim Dæmon plurimos Deo servos, & detractos in Idololatriam aliaque scelera, perdidit, ut propterea conqueratur Deus de populo suo in captivitatem Nabuchodonosor, id est, Dæmonis abducto, Isa. 52. cum ait: *Quoniam ablatus est populus meus gratis, dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa* (quod videlicet sim IESUS, id est, Salvator) *quia ego ipse qui loquebar* (per Prophetas) *ecce adsum.* Itaque novo adhibito conatu Deus homo fieri & matrem suam Reginam facere constituit; Quare promovit eam paulatim per plures domunculas, id est, gratias ei collatas in conceptione, nativitate, præsentatione, desponsatione, præservatione à peccato, conservatione in virginitate, & tandem elegit eam in matrem, in qua velut ultima domo fecit eam Reginam, quæ undequaque rapere posset Dæmoni quascunq; animas, quæ virgini obviarint & supplices acciderint. Hinc vocatur ab Ecclesia *Refugium peccatorum, consolatrix afflictorem, auxilium Christianorum, Regina Sanctorum omnium.* Hujus rei figuram habemus in Raab, Iosu. 2. quæ divertentes ad se exploratores servos Iosue, abscondit à furore Regis Iericho, & in fune coccineo demisit per fenestram, jussitque ad montana pergere & ibi latitare tribus diebus. Raab latitudinem significat. Et quid longiùs & latiùs patet, quàm Mariæ nomen, virtus & gloria, quam beatam dicunt omnes generationes? Hæc igitur exploratores Iosue, id est, peccatores, Christianos tamen, ad se confugientes abscondit à furore Dæmonis (qui per Regem Iericho designatur, quia Iericho lunam, hæc dæmonem significat, ut supra ex Bern. diximus) & per funem coccineum, id est, merita Christi filii sui demittit, jubetque fugere ad montem, id est, Ecclesiam, latitare ibi per triduum pœnitentiæ. Ex quo intelligimus superbi illius Regis caput contundi à Maria, dum ea peccatores ad se humiliter divertentes recipit, ab ira Dæmonis dimittit, & ad Christum remittit, licet ipsi Dæmoni totos se devoverint. Quod si tempus ferret, plurimis exemplis demonstrari posset, quæ videri possunt apud Cæsar. lib. 6. cap. 26. & 27. Horat. Turcellin. hist. Lauret. lib. 4. cap. 33. Histor. miraculorum Beat. Virg. in monte Serrato, ubi multi traduntur, qui dæmoni se devoverant, ab ejus Tyrannide liberati, sola invocatione nominis Mariæ, vel voto peregrinationis ad ejus ædem facto, vel tactu, aut aspectu tantum candelæ benedictæ & Mariæ imagine insignitæ.

E. IV. *Quia Tyrannidem dæmonis premit.*

Præ cæteris illustre est illud & multis clarissimorum scriptorum testimoniis celebratum, quod Deipara in Theophilum Adanensis Ecclesiæ œconomum contulit beneficium; cui historiæ ne Centuriatores quidem pessimi nostræ tempestatis hæretici fidem abrogare ausi sunt, ut testatur P. Canisius l. 5. de B. Virg. c. 20. Ea verò, quia prolixior est, legi potest apud P. Anton. Spinellum de Deip. c. 20. num. 49. apud Surium tom. 2. die 4. Fabr.

Quare ad Mariam securè & confidenter accedamus; tenet illa premitque pedibus tortuosum illum serpentem, &c.

CONCIO VII.

CHRISTI ORTUS CUR tam diu, ad ultimam mundi ætatem dilatus sit.

I. *Ut Christi majestas agnosceretur.*
II. *Ut Deus glorificaretur, mundus humiliaretur.*
III. *Ut Patres eum desiderarent.*
IV. *Ut peccati gravitas agnosceretur.*
V. *Ut consuleretur senescenti mundo.*
VI. *Ut mundi recreatio perficeretur ultima ætate.*

THEMA.

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, Gal. 4.

A.

Legimus 3. Reg. cap. 18. Eliam, postquam ingens siccitas terram ob peccatum Achab fame affixisset, & non pluisset annis tribus & mensibus sex, tandem in verticem Carmeli se contulisse Deumque pro pluvia orasse: interea puerum suum septem misisse vicibus, ut prospiceret versus mare, num fortè appareret nubes, quæ pluviam afferret. Sed cum primis sex ex cursionibus nihil cerneret puer, tandem septima & postrema, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari: id quod puer statim annunciavit Regi Achab, ac mox inde secuta est pluvia grandis. Allegoricè significat hæc sterilitas & fames penuriam verbi Dei, Gratiæ, Virtutum, Meritorum, defectum fidei, &c. qua quidem sterilitate ob defectum pluviæ Incarnationis Dei affligebatur terra per annos 4000. Unde veteres illi Patres maximis votis & precibus pluviam illam desiderabant: velut Isaias: *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum, &c. Isa. 45.* Et in omnibus ætatibus prospexerunt ad cœlum, num fortè se ostenderet, tamdiu & tot desiderata suspiriis, pluvia illa Incarnationis. Prospexit in prima ætate Adam: in secunda Noë, in tertia Abraham, in quarta Moyses, in quinta David, in sexta Prophetæ. Sed hi omnes frustra prospexerunt & pluviam non viderunt, tandem septima vice, seu ætate cucurrit Ioannes Præcursor Domini versus mare, id est, Mariam, & clausus licet adhuc in utero matris vidit, ex illo gratiarum mari prodire nubeculam parvam humanitatis Christi jam incarnati. Unde exultans.

lætisſimum hoc nuncium annunciavit mundo. Et inde brevi orta eſt ſaluberrima gratiarum pluvia, quæ mundũ vivificavit & fœcundavit. Verè nubes Chriſtus eſt, quoniam mediator Dei & hominũ, ſicut nubes media inter cœlum & terram. Item, uti nubes Solis ardorem temperat: ita Chriſtus Dei ſeveritatem; Uti nubes fœcundat & inebriat terram: ita Chriſtus aqua verbi Dei mundum; Uti ñobis beneficio ſolem intueri poſſumus: ſic Chriſti beneficio lucem Divinitatis aſpicimus. Veſtigium verò hominis repræſentat iſta nubes, quia fuit opprobrium hominum & abjectio plebis. Sed quæ tandem cauſa eſt, quòd ad ultimam primum mundi ætatem & poſt annos 4000. ab orbe condito prodiit hæc nubes? Audiamus.

B. I. *Vt Chriſti majeſtas agnoſceretur.*

Primò, Ut Regis adventantis majeſtas tantò meliùs agnoſceretur & crederetur: ſolent enim Regem præcedere multi nobiles & principes, deinde ſequi ejus conſiliarii, officiales, milites, &c. Ipſe medius incedere. Item cùm aliquò peregrinatur; præmittit aliquos præfectos, qui venturo præparent neceſſaria; Ultimò ipſe cum reliquis advenit. Sic Chriſtus in mundum venturus præmiſit longa ſerie per annos ferè 4000. Patriarchas, Prophetas, Summos Pontifices, Reges, &c. quos ſecutus ipſe cum agmine innumerabili Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, &c. S. Auguſt. tract. 31. in Ioan. ait: *Quanto major Iudex veniebat: tanto præconum longior ſeries præcedebat.* Nimirum per hos præcones diſponi mundus debebat ad percipiendam adventuri Regis majeſtatem. Præmitti debebant variæ figuræ, varia Prophetarum oracula, unanimi conſenſu Dei incarnationem prænunciantia, quibus mundus capax redderetur ad credendum tantum myſterium. Unde Auguſt. ibid. ait: *Per multam ſeriem temporum & annorum prædicendus fuit Chriſtus; non enim aliquid parvum venturum erat, &c.* Quòd ſi etiam poſt tot prædictiones & figuras plerique Iudæi Chriſtum Dei filium cognoſcere noluerunt: quomodo agnoviſſent, ſi tot Prophetiæ per tot ſæcula non præceſsiſſent? Nuntiabant illis Magi natum eſſe Regem Chriſtum, cujus ſtellam vidiſſent, ſed locum ab eis quærebant. Tum ecce principes ſacerdotum & ſcribæ ex Michææ prophetiâ deſignant eis locum, Bethlehem videlicet. Et tamen illum necdum agnoſcere voluerunt; quomodo agnoviſſent ſi Magi nil nunciaſſent, Michæas nil prædixiſſet?

C. VII. *Vt Deus glorificaretur. mundus humiliaretur.*

Secundò, Ut Deus medelam mundo non niſi extremè laboranti & deſperato adhiberet, tantoque inde magis glorificaretur ac laudaretur; mundus contra humiliaretur, ut qui ex ſuperbia peccarat; & in hanc miſeriam ſe conjecerat. Solent enim Medici leviori adhuc morbo leviora obiter præſcribere medicamenta, ſed cum morbus invaluit, & res ad deſperationem abijt, tunc potentisſima adhibent remedia, velut aquam ex gemmis deſtillatam, &c. accurata adhibent conſilia, faciuntque quantum poſſunt; ſic Deus mundum eo uſque ſcelerum ulceribus oppleri & contabeſcere permiſit, donec ad miſerrimum & deſperatisſimum ſtatum veniret, implereturque id Iſ. 1. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*; ut ſic dignam haberet occaſionem & cauſam rationabilem adhibendi remedium illud Incarnationis præſtantisſimum: Et ſic mundus clariùs agnoſceret ſuam necesſitatem & indigentiam, cœcitatem videlicet intellectus & debilitatem voluntatis, denique beneficium ſuccurrentis extremè laboranti. Erat enim mundus tunc in *maligno poſitus*, ut in cap. 1. ad Rom. teſtatur Apoſtolus. Et Sanctus Bernhardus ſerm. 1. de adventu, ſententiam illam Apoſtoli ad Gal. 4. (*quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum*) de plenitudine peccatorum intelligit. *Nimirum*, inquit, *plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem & inopiam fecerat æternorum. Oportunè ergò tunc advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat.* Et paulò antè: *Verè ſapienter diſpoſuit ſapientia, ut cùm magis eſſet neceſſarium, tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans. Verè enim adveſperaſcebat & inclinata erat jam dies, receſſerat paulo minus ſol juſtitiæ: ita ut exiguus nimis ſplendor ejus aut calor eſſet in terris: Nam & lux divinæ notitiæ parva admodum erat & abundante iniquitate, fervor refrixerat charitatis. Iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, ceſſabant velut deſperatione victi, præ nimia utique duritia hominum & obſtinatione, at ego (ait filius) tunc dixi; Ecce venio.* Hæc ille Hanc ob cauſam dicitur Chriſtus à Patriarcha Iacob *expectatio gentium*, Geneſ. 49. Et ab Aggæo Propheta, *deſideratis cunctis gentibus*, cap. 2. non quòd gentes propriè expectarint vel deſiderarint Chriſtum, ſed quòd ejus adventu maximopere indiguerint: quomodo terra ſicca & ſitibunda pluviam deſiderat, uti tempore Eliæ 3. Reg. 17. Et terra promisſionis pluviam expectare de cœlo dicitur, Deut. 11. Unde diſcimus tunc maximè Deum ſuccurrere laborantibus & tribulatis, cum maximè eo indigent, ut tanto magis agnoſcatur ejus beneficiũ. Sic Ioan. 11. ægrotanti Lazaro non ſuccurrit, licet monitus per literas ab ejus ſororibus, ſed mortuo. Sic Ioan. 2. deficiente vino in Cana, licet rogatus à matre, non illicò vinum ex aqua fecit: ſed nondum venit hora mea, inquit: Tardavit enim id facere, ut manifeſtior fieret tam necesſitas, quàm ſubventio.

D. III. *Vt Patres eam deſiderarent.*

Tertiò, Ut ſic per crebra incarnationis deſideria & vota mererentur ſibi veteres patres gloriam, nec non accelerarationem incarnationis, ſicque aptiores & digniores fierent ejus ſuſceptione, ſicut canonizatio alicujus Sancti fit ſemper ed inſtantiam principum, vel alicujus populi, ut tanto majori fructu eorum fiat. Nam ut ait D. Thomas 1. part. quæſtione 12. articulo 6. *Deſiderium quoddammodo facit deſiderantem aptum & paratum ad ſuſceptionem deſiderati.* Et Auguſtinus in Pſalm. 83. *Deſiderium*, inquit,

inquit, *differtur ut crescat, crescit ut capiat*. Non decebat ut sine ardenti piorum desiderio tantum bonum mundo conferretur, quia alioquin parvi id æstimassent, & exiguo fructu suscepissent. Hinc antequam Christus aliquem sanaret, prius interrogavit, *Vis sanus fieri?* Vel, *Quid vis ut faciam tibi?* Sic distulit audire Chananæam. Sic licet Deus promisisset Abrahæ sobolem copiosam ex filio ejus Isaac, quando dixit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genes. 22. Non tamen concesit Isaaco prolem, nisi post annos viginti conjugii ejus: nec nisi post instantem orationem pro ea obtinenda fusam, uti Genes. 25. dicitur: *Deprecatus est Dominum pro uxore sua, eo quòd esset sterilis, &c.* Hebraicè habetur: *multum & instanter precatus est.* Unde S. Chrysostomus censet Isaacum per annos viginti institisse huic orationi, & vigesimo demum anno id impetrasse. Ex quo manifestè colligitur, Deum idcircò sæpe negare parentibus fœcunditatem, aliis alia necessaria, quia vult ab iis priùs instanter rogari, ut sic cum merito nostro, adeoque majori fructu, dare nobis possit, quod petimus, datumque beneficium tantò pluris æstimemus.

E. IV. *Ut peccati gravitas agnosceretur.*

Quartò, Ut peccati gravitas ex hoc cognosceretur, Deique justissimus furor & indignatio contra illud: eò quòd unico mortali delicto ita irritatus sit, ut ad quatuor annorum myriades iram suam extenderit, generi humano nolens reconciliari. Hoc videtur indicari Psalm 88. ubi dicitur: *Tu autem repulisti & despexisti: distulisti Christum tuum*, eum videlicet, qui æternum regnaturus est, ut exponit S. Augustinus, quasi diceret: Repulisti & despexisti nos propter peccatum, ideoque distulisti tamdiu Christum. Tantum enim inimicitiæ parietem fecit peccatum inter Deum & hominem, ut accedere quodammodo ad hominem Deus non potuerit, instante justitia ejus. Sic Isa. 59. dicitur: *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum.* Sic Ioseph diu afflixit fratres, cùm se illis manifestare distulit, quòd hoc commeruerant peccando in ipsum graviter. De filio prodigo dixit Dominus Luc. 15. quòd derelinquens paternam domum abierit in regionem longinquam, ubi dissipavit substantiam suam. Et quid aliud fecit Adam & cum illo humanum genus, postquam à Deo recesit? Tam longe enim recesit, ut non nisi post annorum quatuor millia redierit ad patrem, interim verò dissiparit omnem substantiam suam, gratiam, virtutes, lumen rationis, conscientiam, &c. Hæc illa ovis perdita & tam longè aberrans, ut non nisi post annorum centurias fuerit reducta. Quam grave ergò facinus peccatum esse debet, cujus gratiâ tot hominum myriades per tot sæcula permissi sunt errare in densissimis Idololatriæ aliorumque scelerum tenebris & perire in suis sordibus? Heu quantum se decipiunt, qui de Dei misericordia præsumentes, liberè delinquunt, vel in peccatis dormiunt? Quid enim putatis miseri? Qui tanto tempore non misertus est nationum & regnorum; sed omnes præter Iudæos reliquit in tenebris suis, ut morerentur in peccatis suis: itane ad arbitrium vestrum statim vobis succurret?

Itaque hinc docemur quàm longè à Deo recedat peccator & quam periculosè, siquidem nisi magna adhibeatur vis, & magna affulgeat Dei misericordia, tardè & difficulter à peccatis se expediet, & ad Deum redibit. Hebræi penuria pressi descenderunt in Ægyptum ut ibidem manerent, quamdiu fames duraret, sed longè diutiùs ibi manere in miserrima demum servitute coacti sunt, per annos ferè quadringentos. Similiter in deserto per annos 40. circumducti sunt & detenti propter sua peccata, qui alioquin intra totidem ferè dies devenire ad terram promissionis potuissent. Nemo itaque cogitet, se quidem voluptatibus nunc indulgere velle, postea verò mox rediturum ad Deum, cursurum ad confessarium, &c. Quia res periculi plena est. Angeli mali à Deo recesserunt, & nunquam redierunt, nec redibunt in æternum. Pharisæis etiam dixit Dominus Ioan. 8. *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* In peccato, inquit, non in peccatorum ingenti cumulo, vel in peccato millies repetito: Sed in peccato: ut indicet, etiam qui unicum peccatum admisit, quandoque in eo relinqui & perire.

F. V. *Ut consuleretur senescenti mundo.*

Quintò, ut consuleretur senescenti mundo. Quemadmodum enim senes majori indigent fomento & calore externo, ob virium & caloris nativi imminutionem, ita & mundus senescens, sibi relictus semper fit debilior, ad virtutem languidior & in charitate frigidior, ideoque majori egebat fomento gratiæ: unde debebat vicinior esse fornaci, id est, igni illi, qui ad accendendam terram missus est in mundum. In hujus rei figura, cum David senuisset, nec posset calefieri, quantumvis operiretur vestibus, dixerunt ei servi ejus: *Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam Virginem, & stet coram Rege & foveat eum dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum Regem*, 3. Reg. 1. Itaque mundo inveterato, quoniam in fide & amore Dei admodum frigescebat, quæsita adolescentula fuit & pulcherrima quidem ac talis, quæ ignem, imò solem in sinu gereret, Christum videlicet ad calefaciendum mundum. Quòd si nunc adeò frigescimus, cùm non plures quã 1600. annos absimus ab illius solis ortu: quid fieret, si circa mundi initium ante annos 4000. vel amplius Christus ortus fuisset? Sanè extremis temporibus fidei fervor adeò tepescet, ut Dominus ipse Luc. 18. dixerit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quam ergo nunc vel imposterum inveniret, si circa mundi initium Christus ortus fuisset? Itaque melius quam Iudæi antiqui dicere nos possumus: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*; quia nobis vicinior & senescenti mundo datus.

Ob hoc itaque gratias Deo agamus, & tanto accuratius ei serviamus, ne in die Iudicii à veteribus patribus condemnemur.

G. VI. *Vt mundi recreatio perficeretur ultima ætate.*

Sextò, Ut mundi recreatio perficeretur ultimâ ætate, quemadmodum mundi creatio in homine perfecta est ultima die. Sic enim natura ab imperfectioribus progreditur ad perfectiora. Imperfecta fuit & rudis Lex naturæ, qua sola vivebant homines initio. Perfectior deinde secuta est Lex scripta sub Moyse. Perfectissima omnium est lex gratiæ per Christum nobis data. Itaque ex hoc capite obligantur Christiani ad majorem perfectionem præ antiquis patribus, quemadmodum à viro plus requiritur prudentiæ, laboris, industriæ, civilitatis quàm à puero. Isaias cap. 65. prædixit Christianis, vel præcepit: *Non erit ibi amplius infans dierum & senex, qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* quasi diceret: Erunt Christiani, vel saltem esse debent omnes quasi viri, morum gravitate, honestate, puritate, & virtutibus perfecti, & quò diutius vixerint, eò perfectiores erunt; alioquin si quis adhuc puer sit morum levitate, insipientiâ, & vanitate; is non perseverabit in Ecclesia, ut ex militante eat ad triumphantem, sed punietur morte æterna, & gravius quàm alii non Christiani, adeoque maledicetur à Deo, & Dæmonibus sociabitur. Quare viderit unusquisque ne in mundi senecta puer sit, & rudis sub lege perfectissima, ne audiat aliquando. *Ito maledicte.*

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA.

I. Cur series Progenitorum descripta.
II. Cur à Matthæo ante nativitatem, à Luca post baptismum.
III. Cur sit mentio Davidis & Abrahæ specialis.
IV. Cur genealogia Iosephi & non Mariæ describitur?
V. Quomodo consonat utraque genealogia. 1. Primus modus. 2. Secundus modus. 3. Tertius modus.
VI. Cur omissi tres Reges?
VII. Cur divisa stirps in tres tessera-decadas.

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi, Matth. 1.

A. Videri posset alicui, S. Matth. attentasse aliquid impossibile, dum seriem generationis Christi ordine descripsit; siquidem de Christo ait Isaias; is, inquam, Propheta, qui de Christo ita prophetavit, ut non videretur de futuris vaticinari, sed de præteritis historiam texere, adeoque non tam Propheta quam Evangelista esse, ut scribit de eo S. Hieronymus. Is ergò cap. 53. de Christo ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed optimè respondet huic dubio S. Augustinus, homil. 36. inter. 50. *Quam generationem?* inquit, *Ante Luciferum genui te: ecce una generatio: ante Luciferum, ante omnia quæ facta sunt, ante omnes Angelos, ante omnem creaturam. Quare? quia per ipsum omnia facta sunt. Sed fortè secunda ejus generatio narratur? Quis illam narrat? Fide concipitur: masculus non accedit: uterus Virginis tumet: procedit tanquam sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio. Mirabilis ista humana, quia sine Patre: mirabilis illa, quia sine Matre.* Sic Augustinus. Ex quo intelligimus, Nativitatem Christi divinam & humanam explicari impossibile esse: non verò seriem progenitorum ejus, quod solum facit Matthæus. In qua tamen ipsa enarratione non pauca, nec facilia occurrunt dubia.

B. I. *Cur series progenitorum descripta.*

Quæritur primò. Quam ob causam series progenitorum Christi descripta sit? Respond. id factum, ut veritas assumptæ carnis in Christo clarius appareret. Permagni enim referebat ut vera Christi Nativitas hominibus innotesceret: quia qui venerat mori, nasci in primis debuit; & si verè natus non esset, nec mori potuisset. Unde corruerent omnia, quæ de Christo credimus, mors, resurrectio, ascensio: & sic inanis esset fides nostra. *Si mendax esse caro deprehenditur,* ait Tertullianus lib. 9. contra Marcion. *Sequitur, ut & omnia quæ per Christi carnem gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, convictus, ipsæ quoque virtutes.* Quòd si Pharisæi adhuc dixerunt de Christo Ioan. 9. Hunc autem nescimus unde sit; quantò magis id dixissent eumque repulissent, si obscuro loco natus fuisset, nihilque de ejus stirpe exstitisset?

C. II. *Cur à Matthæo ante nativitatem à Luca post baptismum.*

Quæritur secundò. Cur S. Matth. Christi genealogiam initio Evang. & ante Christi nativitatem, Lucas verò post baptismum ejus descripsit? Resp. Matth. id fecisse, quia primū quod in historia requiritur, genus est ejus, de quo agitur, Principis; Lucam verò ut insinuaret in Baptismate renasci hominem novumq; ac cœleste genus acquirere. Unde benè Matth. eam describit descendendo ab Abraham usq; ad Christum: Lucas verò ascendendo à Christo usque ad Deum, quia nimirum per corporalem nativitatem descendimus à majoribus nostris in lachrymarum vallem, à paradiso in exitium; per baptismum verò & spiritualem renascentiam ascendimus usque ad Deum, vel Matthæus adventum Christi ad nos ostendit; At Lucas commodum & utilitatem adventus voluit declarare. Nam Deus ad nos descendit, ut nos ascenderemus ad Deum. Matthæus ostendit hominem factum: Lucas quomodo Christus faciat nos filios Dei. Quòd si igitur gratias Deo agere debemus, quòd nati sumus; magis adhuc debemus, quòd renati. Et si gaudent parentes cum filius eis nascitur, gaudeant multò magis cum renascitur in baptismo.

Quæ-

D. III. *Cur fit mentio Davidis & Abrahæ specialis.*

Quæritur tertiò. Cur initio Genealogiæ Christus speciatim filius David, & David (verisimilius juxta morem Hebræorum, non Christus) filius Abrahæ vocatur? Resp. Christum ideò specialiter & sigillatim dictum filium Davidis, ut ostenderetur eum esse Messiam à mundo tamdiu expectatum, is autem expectabatur ex familia David. Etenim David specialius, & honorificentius ac recentius promissus erat Christus Psalmo 88. *Juravi David sancto meo, usque in æternum præparabo semen tuum, &c.* Et Psalmo 131. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, &c.* In remunerationem scilicet boni desiderii, quod habuit David ædificandi templum arcæ fœderis, itidem cum juramento, ut ibidem præmittitur: *Juravit Domino: Votum vovit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, &c. donec inveniam locum Domino, &c.* Quod accuratius patet ex 2. Reg. 7. Unde communiter Christus filius David dicebatur, etiam à turbis, Matth. 21. à Pharisæis, Matth. 22. à Cœco, Luc. 18. Regnum porrò Davidis typus erat regni Christi, quia uti David, postquam unctus est in Regem, per multa bella comparare sibi regnum debuit, multis exagitatus laboribus & infestatus hostibus, quibus tandem devictis quite regnare cœpit: Sic Christus à nativitate quidem unctus in Regem à Patre, regnum tamen suum nonnisi post ingentes labores & passiones, in cœlo occupavit. Colligamus hinc quam fidelis & magnus remunerator sit Deus, qui Davidi, quòd is decreverit templum ædificare Deo, promisit Messiam ex semine ejus nasciturum.

Fit autem & mentio specialis Abrahæ, dum David vocatur Abrahæ filius, & dum ab Abraham initium datur genealogiæ: quia etiam Abrahæ specialis facta est promissio Messiæ de ejus semine. Unde canit Zacharias: *Jusjurandum, quod juravit Dominus ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, &c.* Rursum quia Abraham fons & origo totius Israeliticæ gentis erat, & petra ac fundamentum, unde ipsa excisa est Isai. 51. idcircò ab eo meritò Matthæus exorsus est Genealogiam.

E. IV. *Cur Genealogia Iosephi & non Mariæ describitur?*

Quæritur quartò. Cur Matthæus genealogiam Ioseph, & non potius Mariæ descripserit, siquidem Ioseph pater Christi non est; quomodo ergò ostendit Christum progenitum ex Davide? &c. Respondeo satis ostendere, quia volunt nos colligere necessariâ consuetudine, ex eo, quòd Ioseph, cui nupserat D. Maria vera Christi Mater ad familiam Davidis pertinebat, pertinuisse etiam in eandem familiam Beatam Virginem conjugem ejus. Mandaverat enim Moses Domino præcipiente, Num. ult. ut omnes viri ducerent uxores de tribu & cognatione suâ: & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos acciperent, ut hæreditas permaneret in familiis, quæ alioquin possessionibus suis exurerentur & in plura incommoda inciderent. Quæ lex primò non universaliter intelligenda est de omnibus fœminis, sed de iis, ad quas hæreditas parentum devolvebatur, ut patet ex quæstione ibi proposita de filiabus Salphaad: item ex subjuncta ratione, quam lex affert, denique ex Hebræo, qui sic habet: *Omnis fœmina hæreditans hæreditatem, nubet uni ex tribu sua.* Ut taceam exempla Davidis & aliorum, qui cum aliis tribubus contraxerunt. Unde & factum ut Maria Deipara cognatam haberet Elisabeth, quæ alioquin erat de tribu Levi ex filiabus Aaron. Secundò, intelligenda est non solùm de eadem tribu, sed etiam de eadem familia: ut patet ex ratione à lege adducta: nimirum ut hæreditas permaneat in familiis: & ex Hebr. ibidem vers. 8. *Omnis filia hæreditans hæreditatem, &c.* uni de familia tribus patris sui erit in uxorem. Unde ibidem filiæ Salphaad nupserunt consobrinis suis, seu filiis patruorum suorum. Iam verò Maria Virgo vel unica matris suæ filia erat, uti docet Barrad. tom. 1. lib. 6. cap. 15. vel saltē primogenita & hæres paternæ possessionis: unde ex lege nubere debuit uni de familia & tribu. Ostensa igitur Iosephi tribu & familia, ostenditur etiam tribus & familia Mariæ, licet proximi Mariæ parentes à Matthæo non describantur, porrò D. Matthæus idcircò per generationem Iosephi, originem Mariæ significavit, & ad illum potius, quàm ad istam, deduxit genealogiam, quia Hebræorum consuetudo est, teste S. Hieronym. Matth. 1. virorum genealogias texere per viros non per mulieres. Ne igitur à communi Hebræorum usu & consuetudine recederet, noluit eam deducere ad Mariam, sed ad Ioseph ejus Maritum.

F. V. *Quomodo consonat utraque Genealogia.*

Quæritur quintò. Quomodo conveniant Genealogia Christi descripta à Matthæo & Luca: Nam Matthæus asserit, Iosephum Deiparæ sponsum, filium fuisse Iacob: Lucas verò filium Heli: (si tamen relativum, qui ad Ioseph, & non ad Christum referendum videatur) Deinceps etiam usque ad David alii numerantur progenitores à Matthæo, & alii à Luca & plures apud istum.

1. *Primus modus.*

Respondeo plures esse modos conciliandi Evangelistas. Primò si dicamus ejusdem filii duos fuisse patres, unum naturalem, alterum legalem. Nam ex lege Deut. 25. quando quis Maritus absque liberis decessisset, tenebatur frater defuncti uxorem ejus accipere, & suscitare semen fratri suo, ne deleretur nomen ejus in Israël. Tunc ergò liberi ex hoc suscepti, patrem habebant naturalem, qui ipsos genuit: legalem verò, defunctum. Sic igitur Ioseph potuit habere patrem naturalem, Iacob, juxta Matthæum: Legalem vero Heli, juxta Lucam (nam Matthæus, quia utitur verbo genuit, naturales tantum patres: Lucas verò, qui utitur verbo, fuit, quandoque etiam legales patres denotare videtur.) Nec refert quod Iacob & Heli non dicantur habere eundem patrem & avos: sed Iacob habere patrem Matthan: Heli verò patrem Matthat, quia Iacob & Heli potuerunt esse fratres uterini ex matre tantum,

quæ


quæ duobus viris nupſerit, & ex Matthan genuerit Iacob, ex Matthat verò Heli. Sic communiter patres veteres.

2. *Secundus modus.*

Secundò, ſi dicamus à Matthæo deſcribi Genealogiam Ioſeph, à Luca verò Genealogiam Mariæ, ut tam Virginis, quam Ioſephi, qui pater Chriſti exiſtimabatur, genus ex familia Davidis conſtaret: ut multi recentiores docent. Et tunc dicendum eſt, Matthæum quidem aſſerere, Iacob fuiſſe patrem Ioſephi, Matthan patrem Iacobi, &c. Lucam verò dicere Heli fuiſſe avum Chriſti, quia patrem Chriſti, quem inſereret, non habebat, ideoque ad avum tranſiiſſe. Nominavit igitur Ioſeph, tanquam per parentheſin, ac particulam, *qui*, retulit ad Chriſtum, non ad Ioſeph, hoc modo: *Jeſus erat incipiens, quaſi annorum 30. (ut putabatur filius Joſeph) qui*, id eſt, Ieſus fuit Heli, ſcilicet nepos ex filia Maria. Deinceps verò nomen filii ſubſtituendum; videlicet qui (nimirum Heli) fuit (filius) Matthat, &c. Vel (quod eodem recidit) ſi particula, *qui*, referenda ſit ad Ioſeph; dicendum eſt: qui ſcilicet Ioſeph, fuit gener, ſeu etiam lege uxoria filius Heli. (Solent enim & Generi vocari filii ſocerorum, quod hic faciendum erat, ne per fœminam texeretur Chriſti Genealogia contra conſuetudinem.) Itaque pro Maria nominavit Ioſeph maritum. Dices patrem Deiparæ vocari Ioachim. Reſpondeo, Ioachim idem eſſe quod Heliachim &, per Aphæreſin, Heli. Utriuſque enim nominis eadem eſt ſignificatio, nimirum Deus ſuſcitabit. Unde Summus Sacerdos qui Iudith cap.4. vocatur Heliachim, idem cap.15. vocatur Ioachim. Et 2. Par. 36. Eliacim vocatur Ioachim. Quâ ex ſolutione intelligi poteſt, quomodo Ioſeph à Davide, per Salomonem, quod ait Matthæus, originem traxerit: Virgo verò ab eodem Davide, per Nathan ejus filium, quod ſcribit Lucas. Sic multi recentiores, Galatinus, Lucidus, Annius, Canus, Sotus, Ianſenius, Genebrardus, Caniſius.

3. *Tertius modus.*

Tertiò, Si dicamus Matthæum deſcribere genealogiam Mariæ Virginis, per lineam paternam, ſive per parentes Ioachim, à quibus tamen in Matthan diverterit ad Ioſeph & Patrem ejus Iacob: Lucam verò deſcribere ejuſdem Virginis originem, per lineam maternam, ſcilicet per parentes Annæ, matris ejus, ut ſic oſtendatur ex Matthæo Chriſtum & Mariam per lineam paternam: ex Luca verò per lineam maternam eſſe de domo & familia David. Tunc dicendum, quòd Ioſeph fuerit conſobrinus Beatæ Virginis, & Iacob pater Ioſephi, fuerit frater Heli ſeu Ioachim patris Deiparæ: Iacob verò & Heli fuerint filii Matthan. Vidimus autem ſupra non ſolum ex lege licitum fuiſſe, nubere conſobrino, ſed etiam præceptum, quando filia eſt hæres, uti de filiabus Salphaad diximus. Porrò S.Lucas tunc ita exponendus eſt, ut cum ait: *qui fuit Heli*, nominet Chriſti avum, velut primum progenitorem maſculum, omiſsâ B. Virgine & Anna, quod mulieres non ſolerent ingredi genealogiarum ſeries. Rurſum cum Lucas ait de Heli; *qui fuit Matthat*, intellige, non filius naturalis, ſed gener vel filius impropriè, lege uxoria, ut ſupra diximus. Matthat enim fuit pater S.Annæ, adeoque Socer Ioachimi. Cùm verò ulterius pergit: *qui fuit Levi, qui fuit Melchi, &c.* intellige ſemper, filius. Ita Franciſcus Lucas, Cornel. à Lapide, &c.



Si quæras, cur his obſcuritatum involucris traditæ ſint Chriſti genealogiæ. Reſpondeo, ſervata Hebræorum conſuetudine, vix clarius tradi potuiſſe, quòd Chriſti ortus præter naturam ſit & ſine patre. Deinde ut Doctores occaſionem haberent ſcrutandi ſcripturas; indocti verò cauſam haberent non per ſemetipſos eas explicandi & tractandi, ſed requirendi ex ore Sacerdotum.

G. VI. *Cur omiſſi tres Reges.*

Quæritur ſextò. Cur Matthæus omiſit tres Reges, nimirum Oziam, Ioan, & Amaſiam, qui tamen inter Ioram, & Ochoziam, qui idem eſt cum Azaria, ut patet 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. vixerunt & regnarunt? Reſpon. id factum propter ſanctum quoddam odium in ſceleratam Achabi domum, & impiam Iezabelem ejus uxorem: quia nimirum Ioram immiſcuit ſe domui Achab, & duxit ejus filiam Athaliam, in uxorem, crudelem item fœminam, ex qua natus eſt Ochozias; & ex hoc deinceps Reges alii. Cùm enim Matthæus propoſuiſſet tres Teſſera-decadas progenitorum conſtituere: & in ſecunda numerus excreſceret, voluit è ſanctæ nativitatis ordine eliminare tres illos reges ex ſemine Achab proximè natos, ut ſic ad tertiam uſque generationem memoria ejus tolleretur; maximè quia comminatus erat Deus Achabo ſe demeſſurum poſteriora ejus, 3. Reg. 21. Quare meritò ſibi timere habent, qui injuſtè affligunt & opprimunt pauperes, ne & ipſi deleantur de libro viventium: quemadmodum domus Achab expuncta eſt è libro generationis Chriſti, quòd conſilio & inſtigatione Iezabelis ſuæ, ſpoliaverit Nabothum vinea & vita.

H. VII. *Cur diviſa ſtirps in tres Teſſera-decadas.*

Quæritur ſeptimò. Cur Matthæus Chriſti ſtirpem in tres diviſit Teſſera-decadas? Reſponſ. id feciſſe ut indicaret triplicem populi Hebræorum ſtatum & gubernationem, ſub Iudicibus ab Abraham uſque ad David; ſub Regibus à Davide uſque ad

ad transmigrationem Babylonis: sub Sacerdotibus à transmigratione usque ad Christum, quo veniente cessaverunt dictæ politiæ, & ea lege, regno populoque veteri, ad legem, regnum populumque novum transitus factus est. S. Chrysostomus homil. 4. in Matth. ait, voluisse Matthæum declarare Deum, antequam filium suum mitteret, omnes attentasse vias, ut populum suum gubernaret & in officio contineret per diversos servos suos, per Iudices, Reges, Duces & Sacerdotes; cumque nihil profecisset, ad extremum misisse filium suum. Atque eo pertinet parabola illa Matth. 21. ubi ter mittuntur servi ad vocandum invitandos ad nuptias, & Luc. 20. ubi triplices mittuntur servi ad repetendum fructum vineæ: qui tamen cùm omnes malè acciperentur; Dominus vineæ dicit: *Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur.* Et benè ultimus status à captivitate in Christum terminatur, quia Christus est, qui nos à captivitate peccati in libertatem Evangelicam transtulit. Adhæc omnes generationes in 42. digestæ sunt, ut responderent 42. mansionibus, quibus filii Israel ex Ægypto ad terram usque promissionis pervenerunt: totidem namque generationibus quasi gradibus filii Abraham usque ad Christum promissum pervenerunt, ut habet Hieronym. in Epist. ad Fab. Lucas verò usque ad Deum numeravit generationes 77. quibus, ut vult D. August. 2. de cons. Evang. cap. 4. omnium peccatorum abolitio significatur. Hoc enim numero peccatorum universalitatem significavit Deus Matth. 18. cùm dixit Petro, remittendum esse offendenti septuagies septies, Deus etiam pœnarum universitatem eodem numero indicavit, Gen. 4. cùm dixit: *De Cain septuplum ultio dabitur: de Lamech verò septuagies septies.* Denique Matthæus singulas politias numero 14. complexus est: ad litteram, quia prima saltem & ultima tot continebant. Mysticè, numerus 14. criticus est, & Medicorum judicio in morbis periculosissimus. Videtur igitur Deus congruenter naturæ, 14. quaque generatione statum mutare, & rempublicam voluisse: ut una quodammodo languente & emortua, alia nasceretur melior. Faxit Deus, ut respublica nostra ita constituta sit, ut nunquam indigeat reformatione, vel prorsus exterminio.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Evangelium Joannis 20.

CUm serò esset die illo una sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus: Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerint ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus! Dicit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus, ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

CONCIONES.

CONCIO I.

MULTIPLEX FIDES imperfecta.

I. Fides modica.
II. Fides inanis.
III. Fides mortua.
IV. Fides ficta. 1. Catholicorum. 2. Politicorum.

THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis, Ioan. 20.

A. TAm multa & tam gravia habemus fidei nostræ testimonia præ omnibus Christianis, qui nos præcesserunt, ut verear vehementer, ne si adhuc in aliquâ incredulitate deprehendamur, vel non credamus sicut oportet, ab authore mundi gravius inde judicemur. Ut hoc dicam, moveor à sacris literis primò, quia si Apostolus ad Rom. 1. gentes dicit inexcusabiles, eò quòd Deum, quem in creaturis agnoscere poterant, vel non agnoverint, vel agnitum non coluerint, quis excusabit nos incredulos, qui in fidei die tam claro ambulamus? Secundò, Num. 14. Postquam per exploratores suos Israelitæ lustrassent terram promissionis lacte & melle manantem, ejusque aliqua indicia vidissent, nihilominus tamen in suâ permansissent incredulitate, & regredi in Ægyptum cogitassent; tam acriter à Deo reprehensi & castigati sunt, quantum antea nunquam. Dicebat enim Dominus. *Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentiâ atque consumam.* Sed exoratus à Moyse, remisit pœnam, juravit tamen se neminem introducturum in terram illam, præter Iosuen & Caleb, qui soli non diffidebant. Denique Marci ult. paulò antequam ad cœlos abiret, Dominus exprobravit incredulitatem discipulis, eo, quòd his, qui viderant eum resurrexisse, Petro, Magdalenæ, discipulis euntibus in Emaus, cæteris item congregatis non crediderant. Iam verò quis est qui nesciat, quanta nos habeamus fidei etiam nostræ & quàm invincibilia argumenta? Nonne habemus Apostolos exploratores terræ illius sanctæ, id est, Christi: Et inter illos præcipuè S. Thomam, qui digitis suis palpavit ejus sacram & gloriosam resuscitati carnem? Nonne illi duodecim rudes & inermes velut modicum fermentum totum mundum fermentarunt, perditissimum inquam mundum? Nonne innumeros habemus Martyres, qui sanguine suo fidei nostræ subscripserunt? nonne infinita penè miracula quæ negare non nisi insanus potest? nonne continuam Summorum Pontificum successionem? nonne invictam Ecclesiæ Rom. consistentiam? nonne fidei per totum orbem dilatationem, & totius orbis per annos 1600. consensum, *cui quisquis se opponit*, inquit August. l. 22. de civit. cap. 5. *Monstrum est?* ut alia plurima taceam. Quæ si rectè perpenderemus, nullus omninò inter nos Thomas, nemo incredulus, nemo dubitans esse deberet. Omnes exclamare deberemus cum Thoma jam fideli: *Dominus meus, & meus Deus!* Et cum S. August. *Firmissimè credo & nullatenus dubito, quicquid credit & credendum proponit Romana & Catholica Ecclesia.* Sed heu nihilominus adhuc multi reperiuntur Thomæ, imò longè magis increduli, ne dicam Ethnici, Iudæi, hæretici, sed etiam Catholici, qui tametsi fideles haberi volunt, veram tamen fidem, vel non habent, vel certè imperfectam & inutilem habent. Quibus absque dubio timendum est, ne gravius damnentur, quàm quicunque infideles, nisi resipiscant. Hoc igitur ne nobis eveniat, videamus, ne inutiliter credamus.

B. I. *Fides modica.* Primò. Reperitur fides modica, Matth. 8. & hæc duplex, prior aliqua tantum, non omnia, & ferè sola faciliora credit. Talis erat in discipulis navigio periclitantibus, quando Dominum excitarunt, ut sedaret tempestatem; quasi dormiens eam vel nescisset, vel sedare non potuisset. Talis etiam in Regulo illo, qui credebat Dominum præsentem posse sanare ejus filium, non vero absentem, ideoque rogabat ut descenderet, &c. Talis & in Martha secundum Chrysost. Euthym. & alios, quæ putabat fœtentem & quatriduanum Lazarum excitari jam non posse. Talis denique in Thoma, qui de Christo cætera credebat, solam ejus resurrectionem non credebat. Fidem illorum discipulorum habent, qui dum vident tam multa mala in mundo impunè fieri, justos tribulari, injustos prosperari, &c. putant Deum vel dormire eaque non videre, vel omnino Deum non esse. Fidem Reguli, qui putant abbreviatam esse manum Dei, nec ita nobis mederi posse, quam cum coram aderat in terris. Fidem Iudæ, qui putant majorem esse iniquitatem suam, quam ut veniam mereantur. Qui omnes Dei gloriæ detrahunt. Proinde nec mirum si illis eveniat, quod credunt; adeoque illis dicat Christus, quod duobus illis cœcis dixit, Matth. 9. *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Qui si non credidissent posse se sanari ab eo, sanati utique non essent. Fidem Thomæ habent, qui aliquos tantum fidei articulos sibi persuadere nequeunt, cætera verò omnia se credere affirmant, idque sibi sufficere putant. Quibus tamen dicendum, eos fidem, quæ est donum Dei & ad salutem necessaria, omninò non habere; quam si haberent; omnes fidei articulos crederent. Sicut enim visus pro objecto habet omnes colores, ita fides omnem veritatem revelatam. Unde qui dicit se credere fide divina omnes articulos fidei, præter unum aut alterum; perinde est ac si dicat, se videre posse omnes colores præter

ter viridem & cœruleum. Uti enim diceremus talem omninò cœcum esse: sic & illum dico, Fide prorsus carere. Certè S. Thomas unicum tantum articulum resurrectionis non credebat, & tamen à Christo audiit, *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Ergò quamdiu illum unicum articulum non credidit, incredulus fuit, fidelis non fuit: & si in illa incredulitate mansisset, haud dubiè periisset. Nemo igitur se decipiat, quasi satis ei sit futurum, si pleraque & non omnia credat, quæ credenda sunt. Ratio verò ulterior est, quia qui credit, primæ veritati revelanti credere debet, ergò omne id quod revelavit prima veritas. Alioqui non crederet primæ veritati, sed proprio sensui tantum & judicio. Unde hæretici fidem non habent, quia ratio cur credant, non est divina revelatio, sed eorum sensus & persuasio; credunt enim quæ volunt.

B. I. *Fides modica.*

Altera est fides infirma & nutans, quæ modicâ tentatione expugnatur, qualis erat in Petro super undas vacillante & mergi incipiente, nec non in eodem Christum negante, & in discipulis, cum Domino patiente scandalum passi sunt. Similes Petro vacillanti sunt, qui ob levem tentationis ventum à fide vel virtute resiliunt, similes neganti sunt, qui ob timorem alicujus probri vel irrisionis non audent inter hæreticos, se Catholicos profiteri. Similes discipulis scandalizatis, qui propter vitia Ecclesiasticorum scandalizati, vel levem ob persecutionem, fidem abnegant. Contra fideles veri fidem magnam habent, uti Chananæa cui Dominus: *O mulier magna est fides tua*; quia credidit Dominum gentibus etiam porrecturum manum, licet ipse Iudæus esset. Centurio, qui etiam absentem Dominum sanare posse credidit, cui proinde Dominus: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Atque hæc est fides illa, quam grano sinapis similem ait, & commendat Dominus Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi hinc illuc, & transibit.*

C. II. *Fides inanis.*

Secundò, reperitur fides inanis, 1. Corinth. 15. & hæc item duplex est, alia dormiens quodammodo, quæ hominem à vitiis non revocat, sed contra fidei præscripta vivere sinit, velut si Dominus lascivire famulos, vel ludimagister tumultuari sinat discipulos. De hujusmodi Domino vel Magistro dici potest id Apost. 1. ad Tim. 5. *Si quis servorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.* Si enim Christianus dormiat, tumultuantibus in se passionibus convivendo, infideli est deterior, quia infidelis non habet ejusmodi legislatorem, fidem, quæ rectam ei vivendi normam præscribat; fidelis habet. Sic & Medicus qui contra artis suæ præscripta vivit, & se quotidie inebriat, atque ita sibi vitam præscindit, magis est culpabilis, quàm qui præscripta Medicorum nescit. Talis verò est Christianus, qui aliter vivit, ac fides eum docet; igitur parum vel nihil valet, sed neque fidelis appellandus esse videtur. Nam si dicam tibi, ne bibas ex hac aqua, quia infecta sit: tu interim nihilominùs bibas; nonne convinceris fidem mihi dicenti non habere? jam verò fides tibi dissuadet peccata, eaque asserit venenata esse, necemque afferre perpetranti: tu nihilominus perpetras; ergò non videris credere, quod credendum esse fides dictat. Unde S. Bernard. sermon. 2. de octava Paschæ ait: *Putas ne illum Christum credere, quisquis ille est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? nonne is, etsi fateatur se Deum nosse, factis negat?* hæc ille. Contra veri fideles fidem vigilantem habent, qui fide stant, juxta id Apostoli 1. Cor. 1. *Fide statis.* Et 1. Cor. 16. *Vigilate, state in fide*; videlicet instar vigilum perpetuò advigilantes, ne quid contra fidei præscripta committant, sed ex præscriptio ejus operentur, sicuti ad Rom. 1. dicitur: *Justus ex fide vivit*; quomodo scilicet ex præscripto medicinæ suæ vivit prudens Medicus.

Alia est otiosa & merè habitualis, quæ nunquam aut rarissimè in actum prodit, estque in illis, qui tametsi multa laudabilia & justa opera perficiunt, non operantur tamen ex motivo fidei, sed vel ex motivo temporali, utilitatis pervenientis, laudis, honoris, amoris, &c. & proinde nullos veræ fidei actus exercent. Habent ergò fidem habitualem tantùm, sicut infantes baptizati, fatui, vel dormientes, quibus etsi habitualis illa fides à Deo infusa sufficit: non tamen sufficit homini adulto, rationis compoti & vigilanti. Cum enim fides sit donum Dei, eo debemus uti, ne eveniat nobis quod servo illi, qui talentum suum abscondit in terra, vel sudario, nulloque lucro auxit: Quid enim diceres de illo artifice, qui instrumenta artis suæ semper domi reclusa habet, & nunquam iis operatur? *Justus ex fide vivit*, inquit Apostolus, id est, ex fidei exercitio, sicut artifex ex artificio, & usu artis suæ. Quid diceres de illo milite, qui gladium semper in vaginâ conditum gerit, & nunquam contra hostem exerit? Certè Cant. 3. dicitur: sexaginta fortes circumstetisse lectulum Salomonis, omnes tenentes gladios, propterea unumquemque habuisse gladium super fœmur suum; in vagina reconditum. Quâ re indicatur Christianum non solum debere fidei gladium gerere in vagina per habitum, sed etiam in manu per actum & fidei exercitium. David non tantùm habuit quinque lapides in pera, sed propterea misit manum in peram, & tulit ac jaculatus est, 1. Reg. 17. Itaque semper vel sæpisimè saltem in manu etiam gestandus est fidei gladius: Mittenda subinde manus in peram fidei, indeque jaculandum contra hostes. Pictor semper intuetur ideam ejus rei, quam depingit: ita semper ex motivo fidei operari deberemus. Sic enim Apostolus ad Hebr. 11. ait: veteres patres mirabilia patrasse per fidem, dum semper in Dei promissa intenderent. Similiter ergò cùm opus pietatis peragimus, cum peccatum aliquod fugimus,

ſemper ad fidei præſcripta nos referamus ; veluti ad Dei omni præſentiam , quem omnia cernere fides docet: ad Dei juſtitiam, quæ bona remunerabitur , mala puniet æternum : ad Chriſti merita, ad fidei regulas, ad Eccleſiæ directionem, &c. In ſpecie v. g. cùm oramus , cogitamus Deum præſentem & inſpectorem , & quod promiſerit ſe orationes noſtras exauditurum : In adverſis cogitemus magnam fore patientiæ mercedem : cum damus eleemoſynam, Deum id tanquam ſibi datum, acceptum habiturum: cùm jejunamus, nos id facare velle ad exemplum Chriſti , & ut Eccleſiæ debitam præſtemus obedientiam , velut boni ejus filii. Incitaris ad peccatum ? cogita ſi id fecero, perdam Dei amicitiam, debebo reddere rationem, faciam me gehennæ filium per breviſſimam voluptatem &c. Sed ô quam pauci ad hoc attendunt! Teſtis vita noſtra , quæ longè alia eſſet , ſi à fidei norma dirigeretur. Teſtes item , ſtudium rerum humanarum, amor divitiarum, honorum conſequendorum cura inſatiabilis , neglectus divinorum, faſtidium virtutis & ſalutis capeſcendæ, conſilia & colloquia de rebus inanibus & ſceleratis. Patet res exemplis. Confiteris , communicas ex conſuetudine, vel pudore, ne parum Chriſtianus videaris. Abſtines à carne & labore diebus interdictis, cur? ne contra faciens puniaris. Eleemoſynam præbes, ob petentis importunitatem : mutuum das ob lucrum tuum ſolummodò, ægritudinem aliamve crucem toleras , quia excutere non potes: filium religioni offers, non ut perfectionem aſſequatur, ſed ut ab eo libereris, vel emolumentum capias: Ius alteri dicis & reddis, mutuum ſolvis non amore juſtitiæ Chriſtianæ , ſed quemadmodum Iudex ille qui viduæ jus invocanti jus dixit , non quia Deum aut homines timeret , ſed ne tandem ab illa ſugillaretur & confunderetur , Luc. 18. Unde ib. ſubjungit Chriſtus: *Cum filius hominis venerit, putas inveniet fidem in terra?* Veri igitur fideles fidem habent operantem & opera virtutum imperantem. Quemadmodum Hercules nunquam de manu depoſuit clavam, ſic veri Chriſtiani fidem ſemper in manu gerunt omniaque ex ejus præſcripto agunt.

D. III. *Fides mortua.*

Tertiò , Reperitur fides mortua in Epiſt. Iacobi 2. Et hæc item duplex eſt; una quæ operibus caret , altera quæ charitate. Utraque ſignificatur per lampades fatuarum Virginum : eæ enim carebant oleo, bonorum ſcil. operum: Et præterea lumine, charitatis ſcil. & gratiæ, juxta expoſitionem S. Hier. Habent igitur alii vas fidei, ſed non habent ignem charitatis: lampadem extinctam habent, ſi fideles quidem ſint , in peccato tamen mortali conſtituti, quales ſunt inter fideles , uſurarii, fures, ſcorta, & quicunque in ſtatu peccati mortiferi. Vita enim fidei eſt charitas, qua deficiente mortua eſt, cadaver eſt, nec poteſt ſalvare hominem, ſicut nec equi cadaver portare aliquem poteſt Romam. Unde quod S. Iacob c. 2. de fide ſine operibus dicit, mortuam ſcil. eſſe , idipſum etiam de fide ſine charitate dicendum. Quid enim ait Apoſtolus? 2. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem* (ait) *ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Sed etiam ſi opera cum fide habeas, gratiam autem non habeas, adhuc inutilis tibi erit fides. Sequitur enim ſtatim. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Irridendi proinde ſunt illi Chriſtiani, qui fide mortua contenti , gratiam Dei non curant vel acquirere differunt: ſicut qui toto die ſederet ſuper equum ligneum vel mortuum, Romam equitare cupiens. Rectè enim ait S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 18. *Fides juxta Apoſtolum ſine charitate eſſe poteſt, prodeſſe non poteſt.*

Habent alii vas fidei , habent & ignem gratiæ, quem vel in confeſſione , vel alio Sacramento accenderunt in cordibus ſuis; ſed num id ſatis? fideles ſunt, in gratiâ ſunt: an non hoc ſatis? Nec dum ſatis ; oleum ſubinde affundi , oleum accedere debet bonorum ſcil. operum , ut ignis gratiæ foveri & conſervari poſſit; quod alias ſi diutius abſit, ignis citò extinguetur. Unde Chryſoſt. hom. 18. operis imperf. ait: *Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, ſed per oleum nutritur: Sic fides, non quidem ex opere naſcitur, ſed per opera nutritur.* Item ut omnimodam ſuam perfectionem conſequatur quæ conſiſtit in operando. Unde idem Chryſoſt. hom. 25. ait: *Sicut quam diu radix eſt viva, neceſſe eſt, ut aut ramos producat aut folia: ſi autem non produxerit, ſine dubio intelligis, quòd radix ejus in terra ſiccata eſt: ſic quamdiu fides cordis intra eſt, ſemper germinat.* Similiter ferè Theodoret. ſerm. 12. de Græc. affect. cur in princ. ait: *Sicut arbores ſuis radicibus innituntur, & ab eis alimentum percipiunt: & iterum rami, folia, fructus ornant radicem: & radix inutilis eſſet niſi hæc adeſſent : ita fides ſemper ornanda eſt operibus.* Hæc ille. Itaque ex horum ſententia veriſſima, ſicut arbor producere debet folia, flores, fructus, alioquin mortua reputabitur: ita fidelis quiſque, niſi fructus bonorum operum proferat , quando ſaltem præceptum aliquod urget , fidem ſi non mortuam, ſaltem brevi morituram habet. Quid autem ejuſmodi arbori infructuoſæ competat , Dominus dixit , cum eam ſuccidi , & in ignem mitti juſſit. Quidquid igitur garriant Hæretici: *Filioli mei nemo vos ſeducat*, inquit Ioann. 1. Ioan. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & Chriſtus juſtus eſt.* Et Apoſt. Iacob. c. 2. *Sicut corpus*, inquit, *ſine ſpiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Non quòd fides ſine operibus fidei naturam deperdat, & fides non ſit, ſed quòd ſine operibus viva non ſit. Propterea corpori mortuo , non homini mortuo fidem mortuam comparat. Corpus enim mortuum, manet corpus : Sed homo mortuus non eſt amplius homo. Aqua viva dicitur, quæ fluit & movetur:

mortua verò, quæ in paludibus stagnat. Fides viva aqua viva est saliens per bona opera in vitam æternam. Fides mortua palus est. Accedit S. Gregor. in hod. homil. quæ est 26. in Evang. ubi ait. Nos signatos esse per eos qui non viderunt & crediderunt; *Sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim verè credit, qui exercet operando quod credit.* Hæc ille.

E. IV. *Fides ficta.* 1. *Catholicorum.*

Quartò, Fides ficta reperitur 1. Tim. 1. & hæc etiam bifariam dividi potest: Primò, Alia est eorum qui cum Catholici habere velint, quia eorum legibus & ritibus vivunt, externè tamen quando fert occasio, quando extra periculum & inter hæreticos sunt, cum lupis ululant, jejuniorum dieb. carnes vorant, hæreticos laudant, Catholicos Doctores præsertim & Clericos vituperant, hæreticorum conciones audiunt, hæreticos libros domi pertinacitèr retinent & legunt. Et quid de istorum fide tenendum est? Ego sanè fictitiam arbitror & stramineam. *Vox quidem vox Iacob, manus autem Esau.* Quid enim sentimus de illo Duce, qui dum à Cæsareanis copiis premitur & in angustias redigitur. Cæsarianum se profitetur: mox verò ubi dimissus & elapsus est ad suos, rursum in Cæsarem arma sumit, ejusque hostibus se conjungit? Annon Cæsaris hostem dicemus? Atque hoc idem faciunt in aperto quidem, qui dum inter Catholicos sunt, more Catholicorum vivunt, clanculum tamen, & cùm ad hæreticos diverterint more illorum degunt, Catholicos ergo dicemus? imo hæreticis leviores sunt. Isti enim ne religioni suæ adversentur, ritibus nostris non facile communicant. Tametsi enim templa nostra ingrediuntur aliquando, non videntur tamen cruce se signare, genua flectere, levare manus &c. (licet hæc omnia laudabilia opera sint) idcircò tantùm ne videantur communicare nobiscum in fide. Illi verò etiam in rebus sibi tam strictè prohibitis, communicare cum hæreticis non verentur. Dicite quæso, unde apud Hebræos tam contempti & abominabiles erant Samaritani? Eam sanè ob causam; quod modò se Iudæos, modò verò Assyrios & gentiles profitebantur, prout occasio ferebat. Quando enim cum Iudæis egebatur feliciter, Iudæos se dicebant esse, ut sub Alexandro Magno, amico Iudæorum teste Iosepho lib. 11. Antiq. c. ult. Assyrios autem: quando secus, ut Antiocho Epiphane Iudæos insectante, ut scribit idem l. 12. Et nos igitur quomodò pro fidelibus & fratribus agnoscamus, imò quomodo non velut Samaritanos abominemur, qui quacunque oblata occasione, hæreticorum mores induunt? faciebant illud Samaritani, ut per hoc sibi consulerent, & rebus suis; nec tamen ideò excusati erant. Et quomodo excusentur, qui sine ulla causa, mera ex perversitate & libidine cum hæreticis (quantumvis pauperes sint, & qui fortè diebus dominicis careant carnibus) carnes devorant interdicto tempore, libros eorum terunt, eos defendunt &c. nonne bene dicimus, quia Samaritani sunt isti & dæmonium habent?

2. *Politicorū*

Secundo, alia est Politicorum, qui simulant se fideles, reverà tamen fidem omninò nullam habent, sed magis Athei sunt. Religionem colunt ideò tantùm, quia sine religione politia conservari nequit, nec vulgus coerceri (utpote quæ timorem Dei inculcat, judicii minas & supplicij intentat peccantibus, bene merentes præmiat) cæterum religionis hostes sunt, & cum nullam respuant, nullam verè colunt. De Deo & virtutibus optimè disputant: In templis ut in aulis, primi haberi volunt: Conciones libenter avideque audiunt: interim insensibiles sunt, & in animi sui secretis per confessionem aperiendis prorsus muti, in propriam conscientiam omninò cœci, liber eorum spiritualis & quasi Thomas de Kempis, est Machiavellus: Fidem Christianam non nisi pro re quadam civili & Politica habent: miraculis non moventur, quia ea vel non credunt, vel præstigiis & imposturis adscribunt: Deum non timent, & ideò legibus non retinentur; quicquid per improbas enim artes, per vim & fraudem acquirere possunt, id pro lege & justitiâ habent. Quorum politicorum princeps, & nisi fallor, parens dici potest Herodes ille, qui ut hominibus placeret, & interim sibi consuleret, omnibus se accommodabat, nam & in honorem Cæsaris templum extruxit, & templum Iudæorum novis structuris ampliavit, ut testatur Iosephus l. 15. Antiquit. c. 13. & 14. simulabat item religionem erga Christum; *ut & ego veniens adorem eum.* Sed venit occidere, non adorare: quia regnum suum cupiebat stabilitum; Christi verò deletum. Hunc igitur principem suum sequuntur politici, qui licet ad speciem Catholicissimos sese ostendant, templa visitent, sequantur divinissimam Eucharistiam ac suscipiant (atque utinam non in hisce feriis visitent & suscipiant instar Herodis) omnibus se accommodent, id totum tamen faciunt ob frustulum panis, quemadmodum canes Dominos suos sequuntur. Quid enim temporalia omnia (quæ sola isti quærunt) nisi frustum panis? Quid de hac fide censendum? Minor est quam Dæmonum: hi enim aliquam habent, illi verò nullam, vel si adhuc aliquos fidei motus habent, eos comprimunt & extinguunt. Pejor etiam est eorum perfidia, Ethnicorum & Iudæorum, quia vident tot & tanta Christianæ fiei signa, habent tot incitamenta, exempla, adjumenta: quæ si Ethnici haberent, nullo negotio, promptissimè fidem amplecterentur. Unde & illis remissius erit in inferno. *Væ tibi Corazim, Væ tibi Bethsaida. Et tu Capharnaum, &c,* in qua Christus tot miracula patrarat, toties docuerat.

Veri igitur fideles fidem veram habent & synceram, qualem & inter alios S. Thomas habuit insignem, qui fidem ad extremas usque terrarum oras tulit, eamque Christo sanguine proprio consigna-

signavit. Quòd si is aliquando incredulus fuit, postea tamen constantior fidei preco; nam ex omnibus Apostolis remotissimis ac plurimis nationibus prædicavit, Parthis, Medis, Persis, Bactris, Hircanis. Quòd si igitur secutus es errantem, sequere pœnitentem.

CONCIO II.

QUI ET QUANDO POTISSIMUM fides profitenda sit.

I. Quoties exigit Dei gloria.
II. Cum exigit salus proximi.
III. Cum quis in Ecclesiam recipitur.

THEMA.

Dominus meus, & Deus meus, Ioan. 20.

A. PEr Moysen prædixit Deus populum Israëliticum in terra promissionis adeò prosperandum, *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, Deut. 32. quod ad literam significat fore ibi etiam inter petras abundantiam mellis & olei. Mystico sensu impletum hoc videmus in Ecclesia, in qua fideles de multis obstinatissimis, veluti de saxis hauriunt fidei doctrinam & exemplar virtutum. Qualis enim petra, quàm durum saxum fuit Thomas, cùm adhuc in incredulitate persistens dixit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam?* Quis ab isto saxo expectaret vel guttam fidei? & tamen ab illo manavit nobis liquor saluberrimus mellis & olei, hoc est, Confessio expressa & publica humanitatis & Divinitatis Christi: *Dominus meus, & Deus meus*: qualem nemo ante ipsum edidit. Utinam igitur nos omnes sugeremus hoc mel & oleum de saxo hoc durissimo, & ad exemplum Thomæ, fidem quomodo, & quando oportet, publicè profiteremur.

Præceptum, Confessionis fidei duplex est. Positivum, ut confiteamur eam pro loco & tempore. Negativum ut non negemus. Contra Primum peccatur, cùm fidei professio voce & actu, quando oportet, non fit. Scriptum enim est ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam? Ore autem confessio fit ad salutem.* Decet enim ut Deum omni, quo possumus modo, prædicemus, & aliorum notitiæ insinuemus, ut ita in omnibus, quantum fieri potest, honorificetur: Item ut de ejus confessione, non modò non confundamur, sed etiam gloriemur. Aliòquin enim ipse dixit Luc. 9: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ & patris & sanctorum angelorum.* In quem locum Chrysostomus homil. 25. in Matth. ait: *Si sufficit Christo, qui cognoscit, etsi non confessus fuerit coram hominibus: & tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, etsi non fuerit te confessus coram patre suo. Si autem tibi non sufficit cognitio ejus, non sufficit fides tua.* Multò magis obligamur & subjicimur Deo, quàm creaturæ inferiores nobis. Hæ autem nobis servire debent etiam cum suo interitu, quando postulat necessitas, multò igitur magis tenemur nos servire DEO, eumque confiteri.

B. I. *Quoties exigit Dei gloria.*

Primò. Quoties exigit Dei gloria. Ut cùm videt quis indignè tractari, quæ sunt fidei, v. g. Eucharistiam aut Sanctos, vel eorum reliquias inhonorari, fidem calumniis opprimi & contemni; &c. Æquissimum enim est ut servus, qui videt de honore Domini sui agi; in medium prosiliat & Dominum defendat, obtrectatoribus se opponat. Et certè si terrenorum Dominorum honorem ita defendunt servi, ut vitæ discrimini se exponere non dubitent: quantò magis id fieri debet Deo! Gloriosissimum hujus rei exemplum præbuit Beatus ille Latro, qui adversus socii sacrilegas voces tuendum sibi palam suscepit Christum, cum dixit: *Neque tu times Deum, qui in eàdem damnatione es? Et nos quidem digna factis recipimus: hic autem nihil mali fecit*, Lucæ 23. Similiter fortes illæ mulieres Constantinopolitanæ, quæ (ut est in actis S. Stephani Iunioris apud Damascenum) cùm Leo Iconomachus Imp. Salvatoris imaginem super portam æneam publicè expositam è loco eminenti dejiciendam præcepisset? Iamque impositâ scalâ missus Satelles ascenderet, divino zelo incensæ scalam dejecerunt, ex quo ille casu extinctus est, ipsæ verò postmodum glorioso martyrio coronatæ sunt. Item Christiani illi Principes, qui cùm à suis legatis, quos apud Imp. habebant, intellexissent Leonem sic insanisse in sanctam Christi imaginem, mox omnes conversi adversus imagines Imperatoris, eas omnis generis ludibrio & ignominiâ affecerunt, & contra ipsum insurrexerunt, ut tradit Gregorius Papa in Epist. ad Leonem Imp. apud Baron. Anno 726.

Item cum quis interrogatur non ab aliquo de trivio, sed à magistratu, quam profiteatur religionem; tunc namque dare gloriam Deo debet & fidem profiteri. Si enim hoc in sæculo faciunt milites & alii, sæpè ut nullis minis aut tormentis adigi possint ad negandos Dominos suos, amicos, patriam, &c. Sed fortissimè pro ijs stant eorumque causam tuentur, & si secus agerent, reos se perfidiæ agnoscerent mortique obnoxios: non erit hoc præstandum DEO? Scribit Valerius Maximus lib. 3. cap. 8. Mævium centurionem Augusti militiâ celebrem, improvisis hostium insidiis circumventum & ad Antonium, contra quem militabat, Alexandriam perductum interrogatumque, quidnam de eo statui deberet: Respondisse: *Jugulari me jube: quia non salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum,*

possum, ut aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam. Cæterum ob hanc constantiam Antoninus in columitatem ei tribuit. Cur ergò non faciant hoc DEO & divinis legibus Christiani? Itaque sancti Martyres interrogati de fide à præsidibus, imperterriti eam profitebantur. S. Diaconus de genere, domo, patria, fide percontanti tyranno in mediis tormentis nihil aliud respondit, *Christianus sum, hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina? aliud nihil sum.* Eusebius in historia Eccl. l. 5. c. 1. Et Patianus Episcopus ad Sempronium scribens, ita loquitur: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit: hoc probor, illo significor.* Beyerlinck in Apopth. Christ. S. Blandina, quæ Lugduni teste Eusebio l. 5. hist. c. 1. quantò acerbioribus urgebatur suppliciis, ut Christianam se esse abnueret, tantò magis clamabat: *Christiana sum, Christiana sum.* Cumque talia proferret, novas sibi ad tolerantiam vires sentiebat, & dicebat accedere.

B. I. *Quoties exigit Dei gloria.*

Item cum aliquis articulus fidei impugnatur ab hæreticis, Catholici, maximè qui propè vel inter hæreticos versantur, tantò apertius, & animosius eum tueri ac profiteri debent. Ut sic hæretici videant fervorem fidei in illis, adeoque constantem in tuendis dogmatibus animum, suamque ab Ecclesia dissensionem & confutationem. Alioquin enim videremur frivolè credere, quod tàm frivolè tuemur ab hostibus tam acriter oppugnatu m. Itaque imitari Davidem oportet; qui cum despiceretur ab uxore sua Michol ludens & saltans coram arcâ: ille non modo nihil inde motus aut revocatus est, sed potius alacriùs perrexit: *Et ludam* inquit, *coram Domino & vilior fiam, plusquam factus sum &c.* 2. Reg. 6. Sic in comitiis Augustanis anno 1530. Cùm Saxo, & quidam alii Principes Lutheri sectæ addicti processioni solemni in festo corporis Christi, interesse nollent, tanquam res idolatrica foret, Carolus V. Imperator & cæteri principes imperii tantò potentius & solemnius eam festivitatem celebrârunt: quando sex principes mutatis subinde gestabant vicibus umbellam, Rex Ferdinandus & Ioachimus Brandeburgicus comitabantur Cardinalem, qui gestabat Eucharistiam, Imperator nudo semper capite subsequabatur.

D. III. *Cùm exigit salus proximi.*

Secundò, cùm exigit salus proximi, velut cùm alii præsumpturi essent, à te negatam esse fidem? tunc enim ostendere debes palam, te id non fecisse, cujus rei illustre exemplum præbuerunt milites Christiani apostatæ Iuliani. Cùm enim is decepturus milites, statueret illis imperialia dona conferre, jussit ante se poni thus & aram, & milites juxta antiquam Paganorum consuetudinem, antequam ad se accederent, incensum offerre. Hoc cùm alii, tanquam idolatricum forti animo respuerent, alii fraudem non advertentes, vel donativo Imperiali pellecti, aut etiam repentinâ jussione permoti fecerunt. Posteà cum inter cibos & pocula invocarent Christum, quidam eis insultans: *Quid patimini*, inquit, *invocantes Christum, quem antè paululum denegastis, dum donum ab imperatore percipientes thus in ignem mitteretis?* Cumque hoc milites audissent, & quod gesserant, agnovissent, statim exilientes publicè currebant, atque impetu facto clamabant, DEUMque suum & cunctos homines testabantur se Christianos esse, & in eo nomine permanere atque per ignorantiam se fecisse: Et si dici posset, solam manum paganam esse; conscientia verò nihil simul egisse. Cumque venissent ad Principem, projecerunt aurum quod acceperant, & forti voce poscebant, ut reciperet, quod dedisset, & illos occideret, se enim pœnitentiam agere fatebantur, eò quod improvidè eorum dextera peccasset: & studere propter Christum totum corpus pœnæ tradere. Ita fere histor. tripart. lib. 6. càp. 30. Ita etiam egit Marcellinus Papa, qui timore correptus sacrificaverat: postea facti pœnitens condemnari à Consilio Sinuesano petiit cilitio indutus: quo renuente & dicente, primam sedem à nemine judicari: proinde suo se ore judicaret & peccatum defleret sicut Petrus fecerat; Ipse Romam reversus Imperatorem adijt, graviter eum accusans, quòd se ad tantam impietatem impulisset, sicque sequenti confessione priorem negationem compensavit & martyrij coronam accepit.

Item cùm vides alios ad fidem non convertendos, vel in eadem stabiliendos, qui alioqui converterentur & stabilirentur, si tua confessione provocarentur. Exigit enim à te charitas, ut spiritualem proximorum salutem procures tua confessione etiam cum periculo vitæ tuæ corporalis, ne illos mors æterna absorbeat. Hoc enim sensu scriptum est, 1. Ioan. 2. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Cujus exemplum præbuit S. Cyprianus, qui cùm esset maximæ authoritatis, & omnium quasi oculi in ipsum converterentur, velut in eum, qui libris & scriptis plurimos alios fecisset ac confirmasset Martyres per multos annos: consideravit demum quantum posset exitus ejus in utramque partem: quantum animi Christianis omnibus adderet, sic ingenuè & constanter fidei daret testimonium: quot econtra perturbaret, si secus faceret. Interroganti itaque Galerio consuli: *Tune es Cyprianus*; intrepidè respondit: *Ego sum*, jubenti autem ut ejurato Christo Idolis incensum adoleret, adjecit: *Non facio.* Monenti denique ut magis sibi caveret, seque imminenti alias periculo eriperet, dixit: *Fac quod tibi constitutum est, in re tam justa nulla est consultatio* Sic tortori est traditus, cui postquam numerari rogasset ab amicis 25. nummos aureos, exposita cervice martyrij palmam consecutus est, & nutantes mirifice confirmavit, Pontius in vitâ S. Cypriani.

Item cum vides per alicujus lapsum & negationem

nem periculum oriri ne alii ejus exemplo pervertantur, aut in fide nutare incipiant. Teneris enim tunc velut fidus miles aciei partem collapsam reparare, & cadente vexillifero, vexillum arripere, ne cæteri milites animis deficiant. Si enim hoc in præliis faciunt milites: cur non etiam Christiani? Illustre hujus charitatis exemplum præbuit S. Nicephorus martyr, qui cùm Sapritium Presbyterum, ob supplicij, quod jamjam imminebat, horrorem à fidei constantia deficientem videret; in lachrymas solutus, ut persisteret rogavit; quo renuente, *Ego igitur*, ait, *pro ipso feriar, Christianus sum.* Et lubens cervicem Tyranni gladio submisit, Sur. tom. 1. in vita 9. Feb.

E. IV. *Cum quis in Ecclesiã recipitur.*

Tertiò, Cùm quis in Ecclesiam ad fidei communionem recipitur, decet ut (præsertim si lex aut consuetudo fidelium id obtineat) publicam fidei professionem faciat: aut saltem externâ conversione talem se in fidei fervore exhibeat, ut nemo de ejus vera & syncera conversione dubitare queat. Alioquin enim suspecti erunt fidelibus, quasi non ex animo vel integrè conversi. Sic cum Paulus Apostolus nuperrimè conversus, venisset Damasco in Ierusalem, & tentasset se jungere discipulis: *Omnes timebant eum, non credentes quòd esset Discipulus*; quia nimirum sciebant eum paulò ante fuisse lupum. Idcircò Barnabas duxit eum ad Apostolos, ut illis rationem conversionis suæ exponeret, Actor. 9. Prioris exemplum dedit Thomas, qui post incredulitatem, publicam edidit fidei professionem. Idipsum in templo facere non erubuit Victorinus Romanus orator, doctissimus senex, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari Magisterij statuam in foro Romano meruerat accipere, ut scribit S. Augustinus lib. 8. confessionis cap. 2.

Posterioris exemplum dedit Naaman ille Syrus, qui ab Elisæo recedens & de vero DEO edoctus, terræ sanctæ massam secum abstulit, ut poneret in templo Idolorum, ac super eam consistens adoraret imposterum DEUM verum, quod facturum se spopondit, & nunquam Dijs immolaturum, 4. Reg. 5.

Expedit etiam & consultum est fidei professionem edere, cum mors vicina est. Nam sic inprimis robur tuæ intendes fidei, sicut de S. Blandinâ suprà vidimus. Erit deinde hæc astantibus optimi res odoris & exempli, maximè si adjungas indictum te velle, si quod posteà minus tibi præsens forte protuleris, fidei contrarium. Sic Eutychius Constantinopolitanæ Urbis Episcopus, cùm à S. Gregorio Magno, postea Pontifice, convictus esset de verâ mortuorum resurrectione, moriens in quorumcunque ad se adventantium oculis pellem manus tenebat dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.* Ioan. Diac. in vita Gregorij Magn. l. 1. cap. 30. Cardinalis etiam Bellarmin. quoniam fidei celeberrimus defensor semper erat, & Controversiarum scriptor moriens symbolum fidei pronuntiare voluit rogavitque socium, ut literis testaretur, quòd in Catholica religione, quam scriptis semper propugnarat, decesserit; quo nimirum toti mundo palam faceret, se in ea fide, quam calamo & lingua semper acerrimè defenderat, usque ad extremum halitum immotum permansisse. Ut est in ejus testamento.

F. *Fides nunquam ab neganda.*

Alterum Præceptum Negativum est, ut non abnegemus fidem, & hoc semper obligat: contra quod proinde graviùs longe peccatur. Primò cum fides simulatoriè seu externè tantum voce vel actu abnegatur. De talibus enim dixit Dominus Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est.* Hujus fortè verba recordatus erat Petrus, quando post negatum Christum; *egressus foras flevit amarè.* Et forsan ideò foras egressus est ex atrio, quia se jam indignum aspectu & comitatu Christi judicabat. Certè olim acerrimè disputatum est, essentne, qui ita negarant, ad Ecclesiæ communionem recipiendi. Et vicit quidem sententia affirmans, protulit tamen negans gravissima argumenta, quibus permoti SS. Martyres maluerunt quidvis tormentorum perpeti, quàm unico verbo, aut gestu fidem abnegare aut cum gentilibus communicare. Eleazarus ille nonagenarius, cùm juberetur ab Antiocho contra legis suæ præscriptum carnes suillas edere, mortem prælegit. Cumque aliqui propter veterem viri amicitiam vellent ei supponere carnes alias, quibus vesci ei licebat, monerentque ut simularet saltem esum suillarum. Renuit dicens, non esse ætati suæ dignum fingere, ut multi adolescentes decipiantur, arbitrantes ipsum transisse ad vitam alienigenarum, 2. Mach. 6. Sic Barlaham martyr, qui dextram suam, cui quasi altari thus & ignis imposita erant, ut ignis vi prunas excutiens thus in altare, quasi sacrificans mitteret; igne comburi passus est, ne excutiendo prunas & thus in aram, sacrificâsse videretur, Baron. anno 304. ex S. Basil. Episc. Cæsar. Idem Basilius de Gordio Martyre scribit, suadentibus ei quibusdam, ut lingua tantum negaret fidem, quam corde retineret, respondisse: *Negem ego Deum meum in cujus cultu sum educatus: nonne cœlum, Sol & Luna lumen mihi clauderent suum? Credo profectò humum, quam pedibus tero, mihi ruituram.* Item: *Lingua, quam Christi beneficio retineo, adduci non potest, ut auctorem suum neget.* Viderint itaque qui externa conversatione cum hæreticis communicant; qui ex professo Conciones hæreticorum audiunt, libros eorundem legunt, inter illos, vel cum illis diebus jejuniorum carnes ad illorum imitationem comedunt, ab hæreticis copulari nuptias suas vel baptizari infantes curant, qui illis audientibus illorum dogmata laudare, Catholicorũ verò ritus & leges contemnunt, qui Dominis suis fidei parum benevolis blandiendo approbant, quæ illi in fide carpunt.

G. *Periculũ negantiũ.*

Qui sic negant, audient aliquando id Domini: *Nun-*

Nunquam novi vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Quia enim in tenebris tantum Christiani sunt, non mirum si ab ipso non agnoscantur. Nimirum quia immodicè res suas amant vel ventri serviunt, ideò timent dissimilitudine potentiores offendere, ne si offendant, detrimentum aliquod ab iis patiantur, gratiam eorum perdant, &c. similes Iudæis illis qui Christum clam solummodò confitebantur, publicè negabant, vel certè supprimebant, ne ejicerentur è synagogis, de quibus Ioannes c. 12. ait: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Sed quid de illis dicemus, qui fidem corde & ore abnegant? Theodoricus Africæ Rex domesticum habebat, quo familiariter utebatur, magnum fidei cultorem, qui cum Regi gratificari se posse confideret, si ejusdem cum eo religionis normam acciperet, ad Arianos defecit. Quo cognito Rex illum ultimo supplicio affici jussit, dicens: *Si Deo tuo fidem servare recusas, quomodo mihi, qui homo sum, eam servabis?* Theod. lib. 2. collectan. Cedrenus in Anastasio. Fugiamus igitur hunc; sequamur Thomam, &c.

CONCIO III.

INCREDULITAS S. THOMÆ quamobrem in Ecclesia proponatur.

I. Ad Dei gloriam.
II. Ad sancti commendationem.
III. Ad nostram instructionem.

THEMA.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, Joan. 20.

A. SOlet Ecclesia mater nostra Sanctorum solemnitates præcipuo cultu celebrare. Nam & templa eorum Thyrsis, aulæis, imaginibus, luminibus adornat: musica instrumenta adhibet: sanctorum laudes publica concione deprædicat, & quæcunque tandem ad eorum honorem faciunt, pia ambitione promit. Et quidem jure merito. De sanctis enim scribit Ecclesiasticus c. 39. *Laudes eorum nuntiet Ecclesia.* Quid ergò est Auditores, quòd eadem mater nostra in hac S. Thomæ festivitate, non tam ejus laudes, quàm multiplices defectus proponit filiis suis? Narrat enim singularitatem ejus & absentiam à Discipulis, narrat ejus incredulitatem de Christi resurrectione; narrat ejus pertinaciam, quâ tot & tantis testibus oculatis fidem habere noluit: narrat ejus præsumptionem, qua modum Deo præscribere voluit, si credere deberet. *Nisi mittam manum meam &c.* Narrat postremò ejus obstinationem & perseverantiam in malo (per octiduum videlicet, quamvis intra illud pluribus & sæpius Christus apparuerit.) Quibus accedit odiosum nomen Didymi, quod Græcis notat non geminum tantum sed & dubium, quasi propter hanc alteram significationem appositam sit ab Evangelista. Quæ hujus rei causa? Triplex potissimum, Dei gloria, sancti commendatio, nostra instructio.

B. I. *Ad Dei gloriam.* Primò, Dei gloria, quia illustratur hinc primò Dei potentia, qui cor discipuli prius tam obstinatum flexit. Majus enim hoc est, quàm cum paralyticum erexit, aut mortuum suscitavit; quia nullam ibi resistentiam invenit, hic verò multo maximam; Meritoque dicere possumus, ex lapide excitatum esse filium Abrahæ, & ex vase contumeliæ, vas honoris factum esse. Imò Apostol. ad Ephes. 1. hanc Dei potentiam, qua resuscitat peccatorem ad fidem & gratiam, comparat illi potentiæ, qua suscitavit Christum à mortuis & evexit in cœlum ad suam dexteram. Et meritò, nam idem facit Deus cum justificat peccatorem. Nemo igitur diffidat, quantumvis durum cor esse sibi sentiat: quia potens est Deus ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Quantumvis quis capitosus sit, potest illi Deus aliud caput imponere, dempto priore, quod inaniter ostentant præstigiatores, novit verò facere Deus. Ait enim per Ezechielem cap. 11. *Auferam* (septuaginta vertunt, *extraham*) *cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*

Secundò, Dei misericordia, qui oviculam unam perditam, & à grege aberrantem per octiduum toleravit, deinde quæsivit & reduxit tanta bonitate. Primò ut ejus causâ quinque vulnerum cicatrices retinuerit; deinde ut ejus gratiâ iterum apparuerit discipulis congregatis; denique ut se ei videndum & palpandum offerret, sicut petierat Thomas, adeoque ejus se nutui & voluntati accommodaret. Dixerat enim Thomas: *Nisi videro & tetigero, non credam.* Ecce æger præscribit Medico; & tamen Dominus ei condescendens utrumque facit, videndum se & tangendum offert. Si diceret æger Medico: Nolo aliter à te curari, nisi tu ipse præpares mihi pharmaca, & descendas in domum meam manuque propriâ tangas plagas, terges, purges &c. Medicus verò per omnia ei pareret: quanta hæc foret misericordia & humanitas? Vel si quis in æstuante furno sedens diceret: Nolo hinc exire, nisi manum mihi porrigat Rex meus & me extrahat, Rex verò istud faceret: quanta hæc clementia foret? atqui hoc Thomæ Christus fecit, Rex omnium sæculorum. Nunquid non æger Thomas fuit? Et *nunquid non iste torris est erutus de igne?* ait Zachar. cap. 3. De igne inquam infidelitatis adeoque damnationis. Quis ergò de bonitate & misericordia Dei dubitet? Tertiò Dei sapientia primò, dum Christus ipsi Thomæ vulnus suum monstrat adeoque ipsum salutari erubescentia confundit, & cogit

git errorem suum agnoscere ; quando eum solum ex omnibus compellat : *Infer digitum tuum huc, & noli esse incredulus &c.* Quid enim hic faceret Thomas: negaret se incredulum fuisse? at hic arguitur verbis Christi, qui ut Deus adfuit loquenti. Renueret palpare? atqui dixerat, se crediturum, si palpare posset. Captus ergò hic piscis est.

Secundò, dum Thomæ vulnera suis vulneribus curat. Supra diximus quinque fuisse Thomæ vulnera: nunc totidem vulneribus suis sanat ea Christus. Ergò Christi vulnera per ejus resurrectionem facta sunt quasi theriacæ & antidota vulnerum nostrorum; si tamen ea tangamus per fidem & pœnitentiam; facta sunt velut tubus perspectivus, quo intuemur & perspicimus magnitudinem peccatorum nostrorum.

C. II. *Ad sancti commendationem.*

Secundò, sancti commendatio, quia licet culpa vituperet Apostolum, emendatio tamen culpæ eundem magis commendat. Lapsus est quidem Thomas, sed fortior surrexit. Ut enim cicatrices vulnerum Christo gloriam attulerunt, non ignominiam: ita vulnera Thomæ sanata potius eum commendant quam vituperant. Discussum vestimentum pulchrius apparet: si è scissuris ejus traluceat pannus alius præstantior & alterius coloris; quod videre est in S. Thoma; nam suam incredulitatem strenuè emendavit, & quodammodo triplici colore suffulsit. Primò, fide subsequente, ut testatur Dominus. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Vidit quidem Christum viventem; sed quod idem Christus sit Deus & mundi Dominus, quodque seipsum, ut Deus, à mortuis suscitarit, hoc non vidit, sed credidit.

Secundò, præclara fidei confessione: *Dominus meus, & Deus meus.* Hac enim voce humanam & divinam in Christo naturam manifestè confitetur, seque servum & creaturam ejus luce clarius appellat. Cujusmodi professionem ante ipsum nemo adhuc ediderat. Unde S. Bernardus serm. 2. super Missus est, ait: *Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor Resurrectionis.*

Tertiò, labore pro Christo ejusque fide disseminanda suscepto: siquidem remotissimas orbis partes peragravit, videlicet Parthiam, Mediam, Persiam, Hyrcaniam, Bactriam, postremò ad Indos se conferens, eos in Christiana religione erudivit. Unde in Breviario lect. 4. Item Æthiopiam authore Chrysostom. homil. in 12. Apost. Nec non Taprobanam insulam, authore Niceph. lib. 2. histor. cap. 50. Unde in primis præ cæteris Apostolis maxima confecit itinera, deinde gentes omnium ferocissimas & rudissimas erudivit. Quis hic explicare queat labores & sudores, pericula & persecutiones ejus? Unde possumus dicere, impletum esse in S. Thomâ Prophetiam Aggæi dicentis, cap. 2. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ*; quia major factus est Thomas post lapsum, quàm fuerit ante lapsum. *Ecce fit plerumque*, ait S. Greg. l. 3. pastor. admon. 29. *Deo gratior amore ardens vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia.* Narrat Palladius in Lausiaca, c. 40. de quadam virgine lapsa, quæ pœnitens per triginta annos mancipavit se obsequio ægrorum, mancorum ac mutilatorum, atque ita placuit Deo magis in sua pœnitentia, quam in sua Virginitate, ut cuidam S. Presbytero revelatum est.

Et verò si peccatum Thomæ rectè ponderemus, non adeo grave reperiemus. Probabile enim est quod Cyrillus opinatur lib. 12. in Ioan. c. 57. Thomam fidem adhibere narrantibus noluisse, partim ex mœrore, partim ex lætitia. Ex mœrore, quòd ipse Dominum non viderit, ideoque credere nolebat, quòd alii vidissent. Præ gaudio quòd nuncium hoc reputaret omni majus expectatione? quo modo alii Discipuli præ gaudio non credebant esse, quem videbant suscitatum & loqui secum audiebant, Luc. 24. Cùm ergò D. Thomas exiguum hoc delictum tam strenuè resarciverit, in laudem ejus cedit ipsum ejus peccatum.

D. III. *Ad nostram instructionem.*

Tertiò, nostra instructio primò, quia Thomæ dubitatio, nostræ fidei confirmatio est. Unde S. Gregor. hom. 26. in Evang. ait: *Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namq; miro modo superna clementia, ut Discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides discipulorum credentium profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.* Sic Gregorius.

Secundò, quia tanti viri lapsus cautiores nos esse jubet, & primò ne à bonorum societate facilè nos separemus, quod quia fecit Thomas, ideo velut columba seducta, & à grege separata penè in prædam cessit pessimo accipitri. *Væ soli*, ait Eccl. c. 4. *quia non habet sublevantem se.* Si mansisset Thomas cum suis condiscipulis, citò contigisset, ut videret Christum una scilicet cum illis. Sed quia se subduxit, Christum tardius vidit.

Deinde ne in rebus fidei quæramus experimenta sensuum: quia fides id est, quod non vides. Palpare & videre velle, hæreticorum est, non credentium. Denique ne proprio judicio temerè innitamur. Sufficiat nobis credere & sentire, quod Catholica sentit Ecclesia. Tot tantisque testibus fidem non habere, capitosi & insani hominis est, cujusmodi sunt hæretici, quibus nulla scriptura, nulli patres, nulla concilia, nulla historię, nulla miracula caput frangere possunt.

Tertiò, ut sequamur pœnitentem, si secuti sumus errantem, quemadmodum dixit S. Ambrosius Theodosio Imp. sese excusanti, quod David quoque peccasset. Boum illorum, qui mare æneum portabant, facies tantum prominebant, terga introrsum latebant, 3. Reg. 7. quia, ut Rupertus explicat, *Non debemus aspicere, quid aliquando fuerint Apostoli* (vel alii

San-

Sancti) *sed quid per Dei gratiam effecti sint.* Non attendendus Petrus negans, sed flens: non Saulus persequens, sed Paulus obsequens: non Matthæus telonarius, sed omnia relinquens: non Thomas dubitans, sed confidens.

Ergò si prius cum Thomâ fuisti capitosus & incredulus, nunc esto obsequens & fidelis: si prius confiteri noluisti, confitere nunc. Si prius malè egisti, nunc operibus pœnitentiæ compensa maleacta. Inprimis verò fidem firmam & devotionem synceram exhibe, cum in sanctâ communione tangis corpus Christi; dicque cum Apostolo maximâ humilitate, charitate, fide, reverentiâ: *Dominus meus, & Deus meus.*

CONCIO IV.

MOTIVA CONTRITIONIS DEsumpta ex gravitate peccati, quatenus est contemptus Dei.

I. Quia contemnit Deum ut summum bonum.
II. Quia contemnit ut finem ultimum.
III. Quia contemnit ut Deum verum.
IV. Quia contemnit ut Legislatorem.
V. Quia contemnit ut conditorem suum.
VI. Quia contemnit ut Redemptorem.
VII. Quia contemnit ut Judicem.
VIII. Quia contemnit ut amicum.
IX. Quia contemnit ejus æternitatem.
X. Quia contemnit ejus unitatem.
XI. Quia contemnit ejus immensitatem.
XII. Quia contemnit ejus benignitatem.
XIII. Quia contemnit ejus clementiam.
XIV. Quia contemnit ejus sapientiam.
XV. Quia contemnit ejus potentiam.
XVI. Quia contemnit ejus bonitatem.

THEMA.

Dominus meus, & Deus meus, Joan. 20.

A. COnsuetudo est nobis eum, qui credere aliquid pertinaciter renuit, vocare incredulum Thomam: Dicimus enim: **Er ist der ungläubig Thomas: was er nicht siht oder greifft/ das glaubt er nicht.** Iam verò si nostrum quilibet manum in sinum suum poneret, forsitan in se quisque deprehenderet talem Thomam; si enim verè crederemus, in quolibet peccato mortali, tam graviter offendi & contemni Deum, quàm reverâ offenditur & contemnitur? paucissimi, ni fallor, peccatum tale committerent. Sed quoniam hoc non creditur, inde parum curatur, num Deus offendatur. Certè S. Thomas videtur suum errorem tum demum agnovisse, quando Christi vulnera tetigit & vidit: tum enim exclamavit, magno utique doloris sensu: *Dominus meus & Deus meus.* Accedamus igitur & nos paulò propius ad Deum, & oculis videamus, & manibus palpemus, quem tandem & quàm graviter contempserimus: ut ita serio pœnitere & ad futura festa præparare nos valeamus.

B. I. *Quia contemnit Deum ut summum bonum.*

Peccatum est crimen læsæ majestatis divinæ. Primò quia lædit & contemnit Deum, ut est summum & incommutabile bonum, objectum beatitudinis, ad quod tendere debebat, quasi pro nihilo ducens bonum id admittere, ut bonum temporale consequatur; atque ita ab eo se avertit & ad creaturam, bonum commutabile imò vilissimum, se convertit. Quotiescunque enim peccat, practicum istud judicium in illo exercetur, licet id subinde ab eo non sentiatur. Proponitur illi ab una parte, commoditas peccati, hoc est, delectatio aut utilitas aliqua modica & fluxa: ab alterâ parte Deus, incommutabile & infinitum bonum: ita ut in unam lancem mittatur Deus, in alteram temporale aliquod lucrum, vel momentanea voluptas. Peccator ergò in medio stans, eligit potius Dei ejusque bonorum omnium jacturam, quàm exiguâ utilitate aut voluptate carere. An non hoc est tergum Deo vertere, eique renunciare & creaturam ei præponere? Nemo inficiabitur turpissimum & omni sæculo inauditum errorem atque insaniam commisisse Iudæos, quando optione datâ petierunt Barrabam homicidam dari sibi, authorem verò vitæ perdiderunt. At hoc ipsum suo modo facit quilibet peccator, cum majoris æstimat sibique potius eligit modicam voluptatem, modicam pecuniam, lutum, inquam, & fæcem quàm Deum: siquidem hoc relicto, ad creaturas illas accurrit. Dicit enim quodammodo verbis aut factis illud fatui avari apud Gregor. Nazianzen. tract. de fortunâ & prudentiâ: *Gutta bonæ sortis mihi potior est mentis cado.* Dum enim glebam terræ toti cœlo, creaturam creatori, momentum æternitati præfert, nonne dicit: Gutta modici lucri potior mihi est inexhausto illo bonorum omnium mari?

C. II. *Quia contemnit ut finem ultimum.*

Secundò. Quia contemnit illum, ut finem ultimum, ad cujus gloriam omnem suam vitam & actiones referre debeat, atque ita titulum finis ultimi Deo adimit, eumque transfert in creaturam? siquidem ad illam ultimate tendit & intendit velut ad scopum omnem suam industriam & laborem. Certum est Deum, uti est suprema causa efficiens omnium, ita etiam esse omnium finem ultimum. Unde Apoc. 1. ait: *Ego sum α. & ω. principium & finis.* Est autem duplex finis: finis qui, seu bonum quod appetitur; & finis cui, vel cujus gratiâ, seu persona cui, vel cujus gratiâ aliquid appetitur. Iuxta primam acceptionem Deus est finis ultimus rationalis naturæ tantum, quatenus nimirum est objectum beatitudinis illius, & de hoc p. 1. diximus. Iuxta secundam est finis omnium creaturarum, quia propter ipsum

sum & ipsius gloriam omnia creata sunt, ipsique omnia serviunt, uti dicit David. Quid agit itaque peccator? solus ille titulum hunc & jus ad istam gloriam Deo surripit & vilissimæ creaturæ tribuit. O temerarium facinus! Quid enim dicit Deus per Isa. cap.48. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo*, q. d. non patiar eam alteri dari. Et tu hoc facere ausus es? Quid diceres de illo, qui legitimo suo regi coronam regni detrahere & servo imponere auderet? An non ingens foret hic contemptus & contumelia? Certè cum Deus Salomonem, postquam totus perversus erat, gravissimè punire decrevisset, dixit: *Disrupens scindam regnum tuum & dabo illud servo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum*, 3.Reg.11. Potuisset optimo jure plectere Salomonem ipsum, & toto suo regno exuere: mitigavit tamen hoc supplicium Deus, & satis esse putavit, si vel partem regni filio ejus abstraheret & daret servo ejus. Vide nunc peccator, quid attentaris tu: Deo enim tuo gloriæ coronam de capite abstulisti, & dedisti servo ejus: dedisti auro: dedisti ventri: dedisti meretrici: hi erant fines tui, hæc tua ω. huc huc omnem contulisti tuam operam & studium! huc omne impendisti servitium.

D. III. *Quia contemnit ut Deum verum.*

Tertiò. Quia contemnit ut Deum verum, cui soli cultum & obsequium debet juxta id Salvatoris: *Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Peccator autem relicto vero Deo, alium sibi Deum seu Idolum potius constituit, cui totum se impendit. Id enim cuique Deus est, quod semper in mente habet, animoque versat, in quo totum suum cor & amorem defigit, ad quod omnia sua studia, cogitationes & actiones refert, cui curas omnes, labores vitamque ipsam immolat. Itaque idolum avari est aurum, prout etiam testatur Apostolus ad Ephes. 5. gulosi venter, obscœni amasia, superbi honor: his enim isti impendunt se & omnia sua, cogitationes, colloquia, actiones, industriam, ingenium, pecunias, labores, somnum, corpus vitamque adeò ipsam. Atqui *ridiculum videtur*, inquit S.Hieronymus ad Rust. Mon. *quòd aliquis judicetur Idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre, & ille non judicetur Idololatra, qui totum servitium vitæ, quod Deo debuit offerre, offert creaturæ.* Ante hæc Idola incurvat & humiliat se homo, eisque sacrificat se & sua. At verò ô miser! quid de Idololatra dicit Isaias? cap.2. *Repleta est terra Idolis*, inquit: *opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo & humiliatus est vir: ne ergò dimittas eis.* Itane verò dimitti non debet hoc peccatum? Vide tu peccator, num similem Idololatriam non etiam commiseris, quando pecuniam, vinum, meretricem, hominē & similia idola coluisti, & ad ea te incurvasti; cujusmodi idolis heu! repleta est terra.

E. IV. *Quia contemnit ut Legislatorem,*

Quartò. Quia contemnit ut legislatorem, quatenus non curat ejus leges, imò lacerat quodammodo & violat Deo inspectante? Hoc ipso enim, quo legem contemnit, censetur etiam contemnere legislatorem, totamque ejus authoritatem. Unde S. Iacob.c.2.ait: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Affertque rationem. *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit & : Non occides &c.* q. d. omnes leges ejusdem sunt legislatoris? Unde qui unam contemnit, legislatorem contemnit, ac proinde omnes alias. Dic mihi, si Imperator sub pœna mortis prohiberet furtum vel adulterium, & ego in ejus præsentia ipsoque inspectante ista peccata committerem, an non omnium judicio censeres contemnere Imperatorem ejusque authoritatem? Atqui hoc peccator Deo facit. Audi hac de re conquerentem Deum, Ierem.2. *Confregisti jugum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam: In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso prosternaberis meretrix.* Item Psal. 11. *Dixerunt* (impii) *linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt? quis noster Dominus est?* Et Iob 11. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri liberum se natum putat.* At quanta obsecro est hæc iniquitas? Nonne misit Deus in mundum filium suum factum sub lege, ad Galat. 4. Et tu jugum id excuties & dices: *Non serviam*; Quæ uspiam creatura, quæ non pareat Deo ad nutum? Indomito mari dixit Deus: *Usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, Iob 38. Et mare ei paret usque in hodiernum diem. Rursum ei dicit: *Tace, obmutesce, & facta est tranquillitas magna*, adeoque ecce mare & venti obedierunt ei. Tu solus non obedis? *Erubesce Sidon ait mare*, Isa.6. Si sapis, dic cum magno illo pœnitente: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*, Ps.118.

F. V. *Quia contemnit ut conditorem suum*

Quintò. Quia contemnit ut conditorem suum cum omnibus beneficiis, quæ in creatione nobis contulit: Non enim curat majestatem infinitam conditoris, nec quòd ab illo ex nihilo ad ejus imaginem creatus, & capax divinitatis effectus, & tot bonis, tum animæ, tum corporis, cumulatus, nec quòd mundus iste corporeus & omnia, quæ in eo sunt, ipsius causa ad ejus usum & obsequium sunt condita. Hæc omnia nihil curat ut animo suo obsequatur. Id quod exprobrat ei Moyses Deut.32. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* q. d. Nonne consideratio tantæ benignitatis, quâ te condidit & tot beneficiis affecit, à peccato revocare debuit? Adhæc optimo patri & ad benefaciendum propensissimo affigit quodammodo manus, ne possit ei & aliis benefacere. Et parum hoc arbitramur: Quid ait Deus Malach. 3. *Si affiget homo Deum*; q. d. æquumnē est hoc, ut affigat, seu (ut alii legunt) affligat homo Deum? Subditque: *Quia vos configitis me &c.* Itaque cogit quasi Deum, vim naturæ suæ inferre ad continendum gratiarum flumen, quod effundere alioquin gestit.

Sextò.

G. VI. *Quia contemnit ut Redemptorem.*

Sextò, Quia contemnit ut redemptorem cum omnibus beneficiis redemptionis, nihili faciendo quòd ipse pro nobis homo factus sit, & tot tantosque labores, dolores, acerbitates, denique crucem & mortem sustinuerit, ut nos ab æterna morte liberaret & regni cœlestis compotes faceret. Propter hæc omnia nihil movetur, ut aliquid suis cupiditatibus detractum velit: imò quantum est in ipso, omnia illa inefficacia reddit & irrita, juxta id Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.* Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit & sanguinem Christi pollutum duxerit, (id est nihil differentē à sanguine hircorum &c.) in quo sanctificatus est; Hoc enim eatenus facit peccator, quatenus pro re nullius momenti omnia ista perdit. Et cujus gratia hos omnes labores suscepit Christus? nonne tuâ; *Ipse autem vulneratus est*, inquit Isaias cap. 53. *propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra.* Tua ô gulose gula Christum felle & aceto potavit: Tua ô superbe, ambitio Christum inter latrones suspendit: Tuus ô comptule, vestium luxus Christum spineo serto coronavit: Tua, ô luxuriose, libido Christum clavis transfixit, flagellis concidit & toto corpore cruentavit: Tua ô maledice, maledicta & blasphemiæ, Christi faciem, in quam desiderant angeli prospicere, sputis onerarunt. Hæccine ergò omnia irrita nunc fecisti & pedibus conculcasti? Mirum ni cœlum in te fulminet, aut terra tibi dehiscat. Nonne interdum soles dicere: Ego ne canem quidem propter me occidi vellem? At quomodo tu facis, ut propter tua peccata Christus occidatur?

H. VII. *Quia contemnit ut Iudicem.*

Septimò, quia contemnit ut Iudicem cum omnibus suis minis & suppliciis, quæ ipse potest irrogare: hoc ipso enim, quod nihil horum curat, vel non monetur omnium horum consideratione, ut à peccato abstineat, meritò censetur hæc omnia contemnere, ut voluntati suæ satisfaciat. Quoties vidisti, ô peccator, quàm facilè & quàm miris ac multis modis torquere te posfit Deus, quoties te afflixit, modò in dentibus, modò in capite, modò in aliis membris, varijs doloribus? Et quam sæpe tibi minatur cruciatus longe majores nunquam finiendos: Et nihilominus adhuc lusisti, & hæc omnia illusisti? Non recordaris stultum illum Nabal, cum audijt Davidem, quem graviter offenderat, cum militibus suis se accinxisse ad perdendum illum, factum esse ut lapidem præ metu & tremore? 1. Reg. 25. Atqui contra te quoque accinxerat se Deus, & acuerat gladium suum ut fulgur, sagittas suas ardentibus effecerat. Non ergò emoriatur & cor tuū quemadmodum & Nabalis præ metu & horrore. Quæ enim est hæc insania, non timere eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Hinc bonus latro corripuit socium, quòd inter horrenda prodigia non timeret Christo obtrectare præsenti: *Neque tu times Deum?* inquit.

I. VIII. *Quia contemnit ut amicum.*

Octavò, Quia contemnit ut amicum, non curando perdere ejus amicitiam, benevolentiam & favorem, incurrere ejus inimicitiam, & indignationem. Quid autem stultiùs, quàm spernere ejus amicitiam, qui potest dare regnum æternum. Adhæc quanta est hæc injuria, confidere plus in creatura, quàm in creatore: Audi Samuelem 1. Reg. 15. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare* (Deo videlicet) Eccur hoc? Sicut enim ariolus relicto Deo ejusque amicitia convertit se ad rem creatam, eam illi præferens, & spes suas omnes in eum transferens. Quid hoc aliud, quàm relicto vero Deo consulere Beelzebub cum Ochozia rege: & Pythonissam cum Saule; Hæccine non deflenda sunt; Recesfisti ab optimo Domino, patre, amico: Quorsum nunc abibis. *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes*, Ioan. 6.

K. IX. *Quia contemnit ejus æternitatem.*

Nonò, Quia contemnit Dei æternitatem, ponit enim aliquid, quod divinæ bonitati necessariò & intrinsecè repugnat, adeoque conatur quodam modo Deum, quantum in ipso est, perdere & occidere. Adhæc vellet Deum peccata ipsius aut vindicare non posse aut nolle, aut ea nescire: vult ergò eum non esse Deum, quia vult esse impotentem aut injustum, aut insipientem.

L. X. *Quia contemnit ejus unitatem.*

Decimò, Quia contemnit ejus unitatem: siquidem plures introducit Deos, hostes veri Dei, tanquam proditor regni ejus. Tot enim sibi Deos statuit, quot creaturas contra ipsius voluntatem diligit. Unde nihilo minùs delinquit, quàm Philisthæi, cum arcam fœderis juxta Dagon collocarunt, 1. Reg. 5. An non meritò de te quæratur Deus, quo modo de similibus olim questus est, Isai. 46. *Cui assimilâstis me & adæquastis & comparastis me & fecistis similem?* Tentavit olim Tyberius Imperat. apud Senatum Rom. referre Christum in numerum Deorum suorum, ut scribit Tertull. in apol. cap. 5. & 21. sed impeditum est hoc negotium, quia noluit Christus coli cum falsis Diis; *Quæ enim conventio Christi ad Belial?* Et tu peccator ausus es statuere juxta Deum verum & unum, fictos alios Deos.

M. XI. *Quia contemnit ejus immēsitatem.*

Undecimò, Quia contemnit ejus immensitatem, expellendo eum à se, indirectè saltem & demeritoriè, quatenus hospitium ejus (animum suum) maculis peccatorum fœdat, & hostem ejus dæmonem in id introducit: Unde fit ut Deus, qui cum dæmone & peccato simul stare nequit, inde expellatur, nec per gratiam suam, & jucundam illam familiaritatem & amicitiam persistere ibi queat. Quemadmodum enim Laban eo ipso exegit generum suum Iacob à domo suâ, quo vultum suum immutavit erga ipsum, nec respexit eum amplius placidè & benignè, Genes. 31. ita si peccator vultum & amorem suum à Deo quidem avertat & creaturæ impertiat: hoc ipso Deum suum discedere à se jubet. Is enim cùm zelator sit animarum, alienum admittere amatorem nec vult nec potest. Itaque quod in te est, ô peccator, vis Deum non ubique esse, quia non vis esse in te. Cumq; is suâ immensitate por-

tet te in se, quasi fœtum in utero suo, ut testatur Isaias cap. 46. tu velut progenies viperina perrumpis ejus uterum, ut extra illum vitam in laxitate & libidine ducas, & hæc tu parva æstimas?

N. XII. *Quia contemnit ejus benignitatem.*

Duodecimò, Quia contemnit ejus benignitatem & longanimitatem, quâ ad pœnitentiam expectatur sæpe multo tempore; quo pertinet id Apostoli ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas iram in die iræ, &c.* Quia nimirum eâ longanimitate, dum vidisti eum connivere, temerè es abusus, atque adeò unde emendari & dolore debebas, inde pejor & petulantior factus es.

O. XIII. *Quia contemnit ejus clementiam.*

Decimotertiò, Quia contemnit ejus clementiam & misericordiam ei maximè connaturalem & ingenitam, dum ad iram & ultionem provocat eum, qui magis optat parcere & sua bona communicare. Idcircò enim vindicta Dei vocatur *alienum opus ejus, & peregrinum opus ab eo*, Isai. 28. quia videlicet non nisi coactus ab impiis id facit. Unde Genes. 6. Cùm diluvio perdendus esset mundus, *Heu consolabor*, inquit, *de hostibus meis*. Tu itaque peccator perpetuis clamoribus tribunal ejus objurgasti, & in te exacerbasti, testante Davide: *Exacerbavit Dominum peccator.* Perinde igitur fecisti, ac si offerente tibi Deo sceptrum benevolentiæ suæ, tu potius gladium de latere ejus extraxisses eiq; ad te jugulandum præbuisses. Nondùmne miser tuam agnoscis stultitiam.

P. IV. *Quia contemnit ejus sapientiam.*

Decimoquartò, Quia contemnit ejus sapientiam, quâ res omnes etiam abditissimas clarissimè videt eumque peccantem aspicit. Peccator enim tam liberè & tam impudenter in oculis Dei peccat, quasi eum cœcum aut ligneum reputet, atque ita nihilo modestius cum Deo agit, quam pessimi illi milites, qui faciem Christo velabant, ut tanto liberius illudere possent & verbera infligere. Itane miser cœcum putas Deum, qui hæc talia ausus es? Itana coram Deo facere non erubuisti, quod homine præsente facere non auderes? *Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Quam meritò tu dices Deo: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci?* Siquidem nullius conspectum minùs, quàm Dei timuisti, adeoque nullum magis & crebriùs, quàm ipsum offendisti.

Q. XV. *Quia contemnit ejus potentiam.*

Decimoquintò, Quia contemnit ejus potentiam, dum eum qui appendit omnia tribus digitis & quovis momento peccatorem perdere potest, provocat ad pugnam, & currit adversus eum erecto collo, expuit in cœlum, & tela in altissimum ejaculatur, quodque ampliùs est, creaturis ipsius contra eum pugnat, & instar illius pessimi Sennacherib Deo quodammodo exprobrat impotentiam, dum audet contra eum insurgere. Itaque sibi etiam dictum existimet illud Isaiæ 4 Reg. 19. *Cui exprobrasti? contra quem exaltasti vocem tuam & elevasti in excelsum oculos tuos?*

R. XVI. *Quia contemnit ejus bonitatem.*

Decimosextò, Quia contemnit Dei bonitatem & charitatem, dum perpetuò fruitur ejus bonis, pro quibus tamen reddit ei mala. Nullum est momentum, quo Deus non recordetur peccatoris, quo non cumulet eum variis beneficiis; omnes etiam creaturas ad servitium ejus condidit & impendit quotidie, idque facere non cessat, etiam postquam graviter & pertinaciter offensus ab illo. Quid verò peccator agit? Non tantum his non movetur ad redamandum Deum, sed etiam movetur ad persequendum odio & offendendum. *Posuerunt adversum me mala pro bonis*, ait Dominus per Psalmistam Psalm. 108. *& odium pro dilectione meâ.* Adhæc utitur creaturarum opera & ipso Dei concursu ad peccandum. Unde quæritur idem Dominus Isai. 43. de peccatore: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quia nimirum meo concursu natura, donis, & Creaturis abusus es, &c. Quæ cùm ita sint: videat nunc quisque, an non sat causarum habeat, cur cum S. Thoma gemebundus & stupore ac dolore plenus exclamet: *Dominus meus, & Deus meus.* Et rursum cum Ieremia c. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ; & plorabo die ac nocte.*

Dicamus igitur nunc cum Iuda Machabæo: *Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta*, scilicet per Confessionem.

CONCIO V.

CÔMMEMDATUR FREQUENS communio.

I. *Invitat Christi institutio* 1. Ex parte materiæ, 2. Ex parte finis.

II. *Necessitas & indigentia.* 1. Ob continuum animæ decrementum. 2. Ob continuos conflictus.

III. *Utilitas & fructus.* 1. Hominem sensim perficit. 2. Signum est electionis.

IV. *Exemplum antiquorum Christianorum.*

THEMA.

***Affer manum tuam & mitte in latus meum,* Ioan. 20.**

A. Magna gratia contigit Thomæ, dum præ cæteris Apostolis solus cicatrices vulnerum Christi tetigit. Sanè illius digitus, qui clavorum loca contigit, propterea adhuc Romæ summa veneratione colitur. At nihil minor gratia videtur mihi illa, quæ confertur nobis à Christo, cùm ad ejus contactum imò esum in S. Communione admittimur. *Quot nunc dicunt*: ait Chrysost. hom. 83. in Matth.

Matth. *Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.* Verum videor mihi videre in hodierno Evangelio duplicem modum tangendi Christum, digito scil. & manu. Ait enim Dominus: *Infer digitum tuum huc.* Et quasi hoc non contentus, addit, *Et affer manum tuam & mitte in latus meum.* Qui sunt, qui Christum digito tangunt? ij meo judicio, qui parcè admodum & trepidè quasi, veluti ignoti, semel in anno tantùm communicant. Qui sunt, qui manu tangunt? Illi, qui liberaliter, confidenter & familiariter, quasi amici sæpius in anno communicant. Quando ergò præter digitum requirit Christus & manum, nonne insinuat nobis parum se contentum fore, si semel in anno, quasi alieni ad eum accedamus, sed velle prætereà, ut sæpiùs & confidenter veluti familiares ejus ad ipsum accedamus? Hoc est Auditores, quod hodie cordibus vestris cupio insculptum, frequentem scilicet communionem, non tamen qualemcunque, sed dignam. Quæ verò nos invitent ad hujus mensæ frequentationem, audiamus.

B. I. *Invitat. Christi institutio. 1. Ex parte materiæ.*

Ad frequentem communionem nos invitat Primò Christi institutio, & primò ex parte materiæ, quia in specie panis & vini Eucharistiam instituit. Est autem panis & vinum (præsertim panis) ordinarium & quotidianum hominis alimentum. Vescitur enim & alijs cibis, carnibus, herbis, piscibus: sed panis interim semper ad mensam adest, velut maximè usitatus & quotidianus ejus cibus: ita ut sine pane (licet alia suppetant) difficulter vivat. Pari ratione habet anima plures alios cibos suos, uti verbum Dei, lachrymas, virtutum opera, &c. Voluit tamen Christus instituere Eucharistiam in specie panis, ut intelligeremus hoc animæ alimentum debere illi esse ordinarium, utpote maximè proportionatum. Quocirca panem istum primariò nobis peti quotidie in oratione dominica indicat textus Græcus, qui legit: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* (talis autem reverà est Eucharistia, ubi substantia corporis Christi pellit substantiam panis à speciebus ejusdem) & volunt SS. Patres uti S. Cyprianus in expos. orat. Dom. ubi ait, panem hunc Eucharistiæ quotidiè à nobis peti; ne dum diutiùs abstinemus, non communicantes propter grave aliquod peccatum; à Christi corpore separemur. Et S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4. ubi ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* possumus autem quotidie sumere panem hunc saltem spiritualiter, assistendo Missæ cum ardenti desiderio communicandi, v.g. dicendo cum Davide: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisternâ, quæ est in Bethlehem!* 2. Reg. 23.

2. *Ex parte finis.*

Secundò, Ex parte finis. Instituit enim Eucharistiam Christus ut esset memoriale passionis ejus aliarumq; gratiarum, quas contulit nobis. Cùm ergò æquissimum sit, quotidie nos memores esse cruciatuum, quos nostra causâ protulit; & quotidie gratias agere pro beneficiis ejus, æquissimum etiam erit S. Eucharistiæ, si non quotidie, sæpius saltem participes nos facere; siquidem nulla ratione melius, quam hac ipsa hoc præstare & ingrati animi notam possumus effugere. Quid enim Eucharistia, quam gratiarum actionem sonat? Et si in veteri lege præcepit Deus immolari sibi quotidie agnum unum vespertino tempore, & alium matutino (illum in memoriâ Christi morituri, hunc verò in memoriam resurrecturi) Exod. 29. quanto magis decet ut nos istorum beneficiorum memoriam frequentius celebremus, qui illa beneficia abundantius participamus? Possumus autem hoc quotidie facere in communione spirituali, dum assistimus missæ, vel saltem dum audimus pulsari campanam ad elevationem, more in Ecclesia recepto, erige cor tuum ad Christum, cum eum sonum audis, & memento Passionis ejus.

Deinde instituit hoc Sacramentum, ut in eo & per id nobiscũ habitare, conversari, & delitiari posset. Idem enim amor, qui impulit eum, ut ad nos de cœlo in carne nostrâ veniret, & nobiscum tam familiariter, tam dulciter, tam humiliter versaretur: idem etiam impulit eum ut post discessionem suam ad cœlos, eadem familiaritate, dulcedine & humilitate nobiscum permaneret in Eucharistia, si quidem delitiæ ejus sunt esse cum filiis hominum, teste Sapiente. Quis ergo non libenter & assiduo cum Christo se delectare velit, quando ipse se nobiscum delectare tantopere desiderat? quomodo si ipsius præsentiam & familiaritatem fugiamus, non meritò nobis dicere potest id Dalilæ ad Samsonem. *Quomodo dicis quod amas me, cùm animus tuus non sit mecum?* Iud. 16.

Possumus hoc quotidie spirituali saltem communione præstare, desiderando toto corde esse cum Christo. Vel ingemisce, quòd indignus sis tantũ hospitẽ introducere in domũ: & spiritualiter recepisti.

C. II. *Necessitas & indigentia nostra 1. Ob continuum animæ decrementũ.*

Invitat Secundò, Necessitas & indigentia nostra, Primò ob continuum animæ nostræ decrementum. Quemadmodum enim in corpore calor naturalis continuò quasi arrodit & absumit humidum radicale, quòd nisi à nutrimento continuo reparetur, tandem omninò consumptum, homini necessariam mortem affert: ita anima nostra intra se ipsam habet, quod continuò virtutem ejus consumit, amorẽ scilicet proprium. Unde perpetuâ indiget virium restauratione, quam omnium potentissimè præstat ei panis hic cœlestis. Est enim velut arbor vitæ constituta in paradiso, quæ præ omnibus aliis arboribus potentissimam vim habuit ad conservandam hominis vitam; ita tamen ut homo non semel tantum, sed sæpiùs eam gustaret, per modum medicinæ ad occurrendum defectibus naturæ & reficiendũ caloris naturalis vigorem; quòd si ab illius esu omninò abstinuisset (quod sine gravi scelere facere non poterat) utique mortuus tandem esset. Quare sicut homo infirmus vel debilis complexionis frequenter uti medicinis & consilio medici debet, ideoque si sapit, desiderat frequentem medici accessum: ita & anima

anima nostra per lapsum primorum parentum admodum debilitata, quomodo non indiget frequenti medicinâ & cœlesti medico? & si indiget, quomodo non gaudet frequentia ejusdem? quomodo denique non arescet, si longo tempore obliviscatur comedere panem suum? Psalm. 101. Hinc S. Ignatius Martyr scribens ad Ephesios hortatur Christianos: *Date operam ut crebrius congregamini ad Eucharistiam, &c. frangentes panem unum; quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Iesum Christum, &c.*

2. Ob continuos conflictus.

Secundò, Ob continuos conflictus, quibus à dæmone, mundo & carne urgemur, & continua pericula, in quibus versamur, in gravia incidendi peccata. Etenim anima nostra velut obsessa quædam civitas est, quæ undique impugnatur, ac nisi aliunde commeatum & subsidium subinde obtineat, brevi tempore adeò constringitur & premitur, ut se hosti dedere compellatur. Oppugnatur ex una parte à Dæmone, ex altera à mundo, ex alia à concupiscentia & carne sua, & ita quidem acriter, ut quotidie ei pugnandum & continuò vigilandum sit. Quis in tanta obsidione non succumbat tandem? Quid igitur faciunt obsessi? mittunt, qua possunt industria, literas ad Regem suum rogantes, ut cum manu forti veniat ad eos, inferat commeatum, instauret obsessorum vires, &c. quo facto adjuti cives tutos se existimant. Quoniam ergò nos in ejusmodi discrimine continuo versamur, quod melius erit consilium, quàm sæpiùs evocare ad nos è cœlo potentissimum Regem nostrum, ut vires animæ continuo bello debilitatas cœlesti pane reficiat, adeoque contra hostes roboret? Videtur hoc in spiritu prævidisse David cum ait Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.* In quem locum S. Chrysostomus ait: *Qui sunt, qui vos tribulant? suggestiones inimici, cupiditates, delectationes, sæculi honores: sed cùm venimus ad mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes, & ex mensa præparata proficimus adversus eos, qui tribulant nos.* Sciens istud Dæmon conatur omni studio homines avertere à S. Communione, maximè frequenti; eo ferè astu, quo Christiani in recuperanda terra sancta occupati, Ptolemaidem obsidentes, auxilium ei ferendum interceperunt. Cum enim Sultanus per columbam civitati literas misisset (ad hoc enim columbæ Syriæ admodum idoneæ & doctæ feruntur) quibus se brevi in auxilium ejus venturum & obsidionem soluturum significabat; Christiani columbam intercipientes, contrarias fictasque nomine Sultani scriptas, per eandem in urbem miserunt, quibus significabatur Sultanum aliis districtum negotiis, urbi succurrere non posse: ergò cives cum hoste optimis conditionibus componerent. Ita obsessi urbem Christianis dederunt, uti narrat Egnatius & ex eo Aldrovandus prolegom. in ornith. Quod hic Christiani optimo astu fecerunt, facit multis Diabolus astu tamen pessimo. Novit enim se facilè superandum, si per dignam Eucharistiæ susceptionem, præsertim crebram, homo adjuvetur; ideo sedulò curat subsidium id impedire, objiciendo impedimenta, ingerendo timores & scrupulos, aliis occupando, &c. Mittit quidem Deus sæpè ad hominē literas bonæ inspirationis per Spiritū Sanctum, quibus ei auxilium hoc & promittit & adhibendum inspirat. Verùm sæpe etiam literæ hæ intercipiuntur à Cacodæmone, qui homini persuadet, nullum esse in Eucharistia præsidium: vel non esse otium ad crebrò communicandum, &c.

D. III. Vtilitas & fructus.

Tertiò, Invitat nos utilitas & fructus. Præterquā enim quòd frequens & devota communio, fructum suum ordinarium toties replicat, quoties fit (quod quidem satis esse posset, sicut arbor quæ duodecies in anno fructum fert, utique est utilior, quàm quæ semel tantum) habet etiam fructum extraordinarium & specialem.

1. Hominem sensim perficit.

Primò enim hominem sensim perficit in virtutibus & in ipsum quasi Christum immutat, qui est primarius sanctæ communionis finis, ut scilicet nos in Christo, & Christus in nobis maneat ac vivat; adeoque nos Christophori & Christi-formes fiamus. Ut enim oves in ijs regionibus, ubi pascua nobiliora sunt, nobiliorē gignunt lanam (quod tamen non fieret, si semel tantùm in anno gustarent delicata illa pascua) rursum ut oves, quas pascebat Iacob de virgis variegatis potū sumentes, variegatos gignebant fœtus, quibus Iacob, quoniā ipsi cedebat ultra modum ditatus est; Gen. 30. ita qui S. communioni assueti sunt, generosum & sanctum animum induunt, adeoq; ipsum Christum omni virtutū genere variegatū. Quomodo enim fieri potest, ut qui crebrò Christum contemplantur, & devotā aviditate sumunt, in se imaginem ejus non exprimant & perficiantur ad sanctitatem? Oves Iacob bibentes ex aquis communibus, communes & sibi similes gignebant agnos: bibentes verò ex diversicoloribus, virgarum artificio factis, gignebant agnos diversicolores. Similiter soleat unus semel in anno communicare tantùm, alter singulis mensibus ex mera electione (non ex officio ut Sacerdotes & religiosi) & utrumque contemplemur; videbimus certè eum, qui frequentat hoc Sacramentum, plus timere Deum, magis cavere peccata, magis esse illuminatum, majore cum gustu & devotione accedere ad communionem, quàm illum, qui semel tantum in anno accedit. Inprimis enim S. communio, si non semper perficit & ædificat suscipientem, præservat tamen à multis lapsibus & defectibus, & saltem facit eum cautiorem, ut ob reverentiam S. Eucharist. studeat magis innocenter vivere & graviora peccata vitare. Deinde quemadmodum vir dives & liberalis vix unquam divertet ad domum alicujus pauperis ruinosam vel malè instructam, quin ibi relinquat donum aliquod pro beneficio hospitii: ita sine munere vix veniet Christus ad hominem sibi amicum. Tametsi verò id munus & profectum illum in ipsa communione sæpe non sentimus aut cogno-

cognoscimus ; sentiemus tamen post aliquod tempus, siquidem gratia ferè semper naturam imitatur & pedetentim leniterque operatur, uti experimur in plantis, quas crescere quidem non videmus, tandem tamen crevisse cernimus: & in nobis ipsis, quos augeri statura non deprehendimus, auctos tamen esse deprehendimus in adulta ætate.

2. *Signum est electionis.*

Secundò signum est electionis ad gloriam; ut indicat Zachar. c. 9. ubi S. Eucharistiam vocat frumentum Electorum. *Quid enim bonum ejus*, inquit, *& quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines?* Quæ verba ad Eucharistiam ad literam exponit S. Hieronymus & alii communiter.

D. III. *Vtilitas & fructus.*

1. *Hominem sensim perficit.*

Mithridates Ponti Rex mediante theriaca, quam ab ipso inventam Mithridaticum appellant, quotidie sumpta adeò naturam suam contra venenum armavit, ut tandem id sine noxa sumeret, ac cum in potestatem Romanorum venisset, veneno sibi necem afferre cùm vellet, non posset. Plin. l. 25. c. 2. similem theriacam, sed spiritualem adinvenit cœli & terræ Rex, qua contra peccati venenum vitam nostram tueremur, uti ipsemet sæpius indicat, veluti cum ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Ioan. 6. Quod tamen ij potissimum obtinent, qui theriacam istam frequenter & debitè sumunt. Hoc enim qui faciunt, ita vitam animæ suæ roborant ac muniunt, ut veneno peccatorum vix infici, minùs perimi & interire possint. Sanè Concilium Trid. sess. 13. c. asserit: Sacramentum hoc institutum tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservemur.

E. IV. *Exemplum antiquorum Christianorum.*

Quartò, Invitat exemplum antiquorum Christianorum & maximè primorum sub tempore Apostolorum, qui utique mentem & voluntatem Christi optimè noverunt, ideoque ut scribit S. Luc. Act. 2. *erant perseverantes in communicatione fractionis panis*; non utique communis (hoc enim Epicureum potiùs, quàm laude dignum foret) sed Eucharistici, ut clarè vertit Syrus, qui vocem Eucharistiæ, græcam licet, retinuit. Eam autem perseverantiam de quotidianâ communione intelligunt SS. Patres, eaque consuetudo quotidie communicandi diu in Ecclesia, præsertim Latina viguit, ut testatur S. Anacletus Papa de consecr. d. 2. c. *peracta*. Et S. Hieron. in Apol. contra Iovin. Et in Ep. ad Lucium idem asserit de Hispanorum Ecclesiis. Commendatur præterea à multis SS. Patribus. S. Basil. in Ep. ad Cæsariam patriam apud Canisium de Eucharistia quæst. 9. scribit fideles suo tempore quater in hebdomade communicasse, in Dominica videlicet feria quarta, sexta & Sabbatho & reliquis Sanctorum festivis diebus. S. Epiphan. in comp. doctr. meminit consuetudinis ter in hebdomade communicandi, die solis sc. Mercurii & Veneris. S. Iustinus martyr. apol. pro Christianis ad Antoninum Pium Imp. scribit, sui temporis fideles quovis die solis convenisse ad Synaxin. S. August. in ep. 18. ad Ian. scribit, suo tempore alios quotidie, alios certis diebus, alios Dominico tantum celebrasse. Post hunc S. Chrysost. hom. 17. in ep. ad Hebr. *Multi*, inquit, *hujus sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii verò sæpè, &c.* Et ultimos commendat super omnes, primos verò reprehendit variis in locis, uti hom. 61. ad pop. hom. 5. in 1. ad Tim. Ita videmus hoc tam laudabile pietatis studium, crescente fidelium numero paulatim elanguisse, & tandem nostro sæculo penitus refrixisse. Hinc infirmitas & miseriæ nostræ. Quare sicut statua, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, habuit caput aureum, pectus & brachium argentea, ventrem & fœmora ærea, tibias ferreas, pedum partem unam ferream, alteram fictilem, Dan. 2. Ita ferè Ecclesia defecit paulatim in hoc exercitio. Aurea & ferventissima fuit in quotidiana communione tempore Apostolorum; argentea tempore S. Basilii, Hieronymi & Augustini; ærea tempore S. Chrysostomi; ferrea posterioribus sæculis: nostro verò ævo partim ferrea in iis, qui singulis mensibus saltem adhuc communicant, partim lutea in iis, qui in anno semel tantum.

Sed quod nobis, dicit aliquis, hac in re consilium? Respond. S. Bonav. l. de processu relig. c. 21. & cum eo alii D. D. vix posse in hac re certam regulam statui, sed standum ferè judicio pii, & prudentis confessarii. Statuemus tamen regulas aliquot.

Communionis frequentandæ Regulæ.

Prima. A cœpta semel consuetudine sæpius communicandi, si quis sentiat inde se proficere, vel certè à peccatis præservari, non est credendum. Ut enim arbores irrigationi assuetæ, si deficiat cultura, damnum capiunt, & corpora languida medicinis assuefacta, si illæ subtrahantur in graviores languores incidunt: ita qui S. communionis frequentiæ assuefactus est, si desinat, paulatim decidet.

Secunda: Sæculares certis oneribus vel occupationibus, quibuscum stare nequit illa devotio, obstricti satisfaciant potius debito suo, quia melior est obedientia, quàm victima; & justitia potior, quam devotio non necessaria.

Tertia. Cæteris paribus Sacerdotes decet frequenter celebrare, & expediret, meo judicio, quotidie (nisi gravibus oneribus distrahantur) sic enim spiritum & fervorem facilius conservarent, sicut cum hypocaustum hyemali tempore quotidie calefit, facilius calorem concipit retinetque, quàm si die uno altero ve calefieri desinat. Cæterùm si ex humilitate se quandoque abstrahant, non malè agunt: sed ob hoc laudantur à S. Bonavent. loco indicato. Et ita pertinent Sacerdotes ad caput aureum, quibus ratione status sui supplere sæpe Deum defectum credendum est. Religiosi verò, non Sacerdotes & aliæ quædam personæ continentes & ferventes in obsequio divino, nullis oneribus obstrictæ, possunt semel in hebdomade communicare, & ita in pectus argenteum reponi. Aliæ personæ seculares Deum timentes & devotæ, rectè facient, si semel aut bis in mense id faciant, uti viduæ, & qui non ita magnis familiæ oneribus gravantur, ut sic cum menstruis novi luniis renovent spiritum suum, & sint sicut ligna

vitæ in utraque parte fluminis paradiſi,quæ afferunt fructus duodecim, & per menſes ſingulos reddunt fructum ſuum, Apoc. 22. Ii porrò qui conjugii vel ſervitii oneribus premuntur, ſatisfacient Deo, ſi in feſtis ſaltem præcipuis ſe diſponant ad communionem, & ita ad tibias ferreas pertinebunt. Cæterum ad pedes luteos, quos alios referam, niſi eos qui toto anno in luto incedunt, periculoſis negotiationibus intricati, ideoque fœdè inquinati communiter eſſe ſolent? Quos tamen cuperem paulatim proficere & ſæpius in anno ſordes ſuas excutere, ne videantur in paſchate, ſolâ præcepti neceſsitate compulſi communicare. Et quid iſti reſpondebunt Chriſto,ſi ab eo increpentur aliquando, quòd ſibimet intulerint mortem animæ ſuæ, quandoquidem jam facili & prompto remedio ſuæ perditioni occurrere potuiſſent? O miſeri & cœci, dicet, quare voluiſtis mori, qui fructum ligni vitæ in horto & poteſtate veſtra habuiſtis? Iacob Patriarcha cum famis tempore audiſſet vendi in Ægypto alimenta, increpavit filios ſuos,quòd non pergerent eò, frumentum coempturi: *Quare negligitis?* inquit, *audivi, quòd triticum venundetur in Ægypto, deſcendite & emite nobis neceſſaria ut poſſimus vivere*, Gen. 42. Alimenta illa (Hebr. ſceber, id eſt, frangenda) typus Euchariſtiæ ſunt, quæ fractio panis appellatur. Quare igitur negligitis emere vobis, ô tepidi vitam & ſalutem? &c.

CONCIO VI.

DISPOSITIO REQUISITA AD ſanctam Communionem.

I. Mundities corporis.
II. Puritas conſcientiæ.
III. Præparatio animæ.
IV. Intentio recta.
V. Fiducia.

THEMA.

Affer manum tuam & mitte in latus meum, Ioan. 20.

A. NEgari non poteſt, magnam fuiſſe Chriſti Domini dignationem, quâ ſe poſt reſurrectionem ſuam incredulo Diſcipulo præbuit palpandum, imò ut palparet eum invitavit. Hoc enim ipſum paulò ante negarat Magdalenæ dicens: *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad patrem meum*, Ioan. 20. ſed nec hoc negari poteſt, non eſſe minorem, ſed potius majorem Domini dignationem,quâ nos non ad contactum tantùm glorioſi corporis, ſed ad ipſam etiam ſumptionem, non tam admittit, quàm humaniſsimè invitat. In hac enim non quemadmodum Thomas tangimus ſolummodò latus ejus, ſed ipſe potius totus deſcendit in latus noſtrum, ibi ſedem ſibi deligit, ibi cubat & requieſcit, ut verè exclamare poſsimus Moſaicis illis verbis Deut. 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Nec enim ita aderat vel ipſi Moyſi & Iſraelitis, quoniam illis per angelum ſolum; nobis autem per ſemetipſum corporaliter eſt præſens. Porrò ad hunc ſui admirandum contactum invitat nos Dominus noſter ſpecialiter hoc tempore & quodammodò ad nos dicit: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Sed quoniam hæc vocatio maximæ, ut dixi, dignationis eſt, videndum nobis prius, ut debito modo tangamus. Atque utinam vidiſſemus, vel cogitare ſaltem poſſemus, quantâ cum reverentia, humilitate & timore miſerit ſanctus Thomas manum in latus Domini: ut vel ab illo diſceremus, quomodo ad Euchariſtiam præparare nos deberemus. Solebant olim communicaturi manu in volam exporrecta, recipere corpus Chriſti. Cùm ergò Dominus requirat manum, quæ mittatur in latus ejus: docebit nos manus iſta 5. ſuis digitis præparationem debitam.

B. I. *Mundities corporis.* Primus digitus auricularis, quòd aurem eo purgemus, eſt mundities corporis. Ac primò requiritur ut vaſa communicantium ab omni pollutione, etiã involuntaria (niſi gravis obſtet cauſa) & ab opere conjugali ſancta ſint. Si enim S. Hieronymus ſcribit in epiſtola quadam, ſe Baſilicas martyrum ingredi non auſum, ſi quando nocturnum phantaſma eum deluſerit: quantò minus audendum, ut poſt talem deluſionem accedatur ad puriſsimum virginis filium? Conjugibus præcipit Concilium Elibertinum Cap. omnes de conſecr. d. 2. ut ſaltem tribus aut quatuor diebus ſe contineant. Ac propter hanc cauſam Abulenſis aſſerit ex doctiſsimis Hebræorum,percuſſum fuiſſe Ozam ob contactum arcæ, quòd ſcilicet præcedente nocte ſe non continuiſſet, 2. Reg. 6. Achimelech antequam Davidi ejuſque commilitonibus porrigeret panem ſanctum ex menſa propoſitionis, interrogavit; *ſi mundi ſunt pueri?* 1. Reg. 21. quòd ſi panis ille, qui Euchariſtiæ figura tantum erat, non debebat dari iis, qui ſe non per dies aliquot continuiſſent, quanto minus Euchariſtia ipſa vinum germinans virgines, debebit dari niſi puris, id eſt, continentibus? ſi arca noluit tangi niſi à continentibus, quanto magis Chriſtus? Quin etiam Cyprianus ait: *Placendum eſt divinis oculis etiam in habitu.* Sic enim cum ad nuptias, vel convivium virorum honoratorum imus, decorè nos veſtimus; & indecens arbitramur apparere in veſte ſordidâ: cur non eandem ſaltem decentiam exhibeamus convivio Chriſti? Refert Ammianus de Pericle Philoſopho, quòd cum aliquando is præter morem ornatius ſe veſtiſſet, iturus ad nuptias adoleſcentis formâ præſtantis, & rogatus eſſet, cur adeò ſe nunc ornaſſet? reſpondit, *ut pulcher ad pulchrum vadam.* Pulcherrimus eſt noſter ſponſus, ſpecio-

speciosus formâ præ filiis hominum, ad cujus convivium itamus: idcircò omninò decet ut pulchri ad pulchrum eamus. Sed requirit ille in nobis principaliter animæ tantum pulchritudinem: Decet verò ut addamus etiam pulchritudinem corporalem, quæ tamen non consistit in superbo & pretioso vestitu, qui potius abominatio & fœtor est coram Deo (siquidem & ipse venit ad nos in humili & exiguâ panis specie) sed in vestitu honesto ac decenti; & hoc ad honorem tanti sacramenti. Debet etiam corpus præparari per jejunium præcedens, ita ut eo die ante communionem nihil omninò sumatur: id quod semper in Ecclesia diligentissimè observatum fuit. *Placuit Spiritui sancto*, ait S. Aug. in ep. ad Ian. *ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.* S. Chrysostomus accusatus aliquando, quod non jejunos admitteret ad communionem, respondet ep. 3. ad Cyriac. *Si hoc feci expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & ex libro Orthodoxæ fidei, & abjiciat me Christus à regno suo.* Decet verò hoc, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ut per hoc moneamur desiderare cibum præstantiorem: quo modo Christus cum Samaritana loquens & res spirituales tractans, respuit cibum sibi à Discipulis allatum; dicebat enim: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*, Ioan. 4.

B. I. *Mundities corporis.*

C. II. *Puritas conscientiæ.*

Secundus digitus annularis, annulo deputatus, est gloria & puritas conscientiæ: quam ut necessariam ostenderet Dominus ad communionem, voluit prius lavare pedes discipulorum suorum, quàm eosdem communicaret. Non dissimiliter David, qui Psal. 23. dixit: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Quid enim hæc lotio significet, docet usus Ecclesiæ perpetuus, & nuper Concilium Tridentinum declaravit, cùm præcepit, ut S. Communioni confessio præmitteretur, & nemo ullius peccati lethalis conscius accedere præsumeret. Siquidem Apost. dicit 1. ad Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit: & reus erit corporis & sanguinis Domini.* Nihil in mundo ostendi potest quod oderit Deus præter peccatum, licet enim tibi fœteat os, licet sis leprosus, deformis, male vestitus, nihil horum horret Deus, quia nihil odit eorum, quæ fecit, cùm sint omnia bona & opera ejus. Solum peccatum ille non fecit, ideoque malum est & abominatio coram Deo: hoc igitur à divinis oculis & præsentia longissimè removeri debet. Scribit Clem. Alexandr. in protreptico ad Græcos, captivos quosdam à Barbaris alligatos fuisse cadaveribus hominum, ut horum fœtore vexarentur & perirent. Viderit peccator an non eodem supplicio Regem gloriæ afficiat, cum eum corpori suo subdito peccatis, mortuo & fœtido per S. communionem alligat. Et quid quæso ex conjunctione rerum inter se adeo pugnantium, ut sunt Christus & peccator, speres, nisi debilioris corruptionem? quomodo enim ignis aquæ jungetur? quomodo bonum malo? quomodo pulchrum deformi? sanctum peccatori? benignum iracundo? humile superbo? Non recordaris Dagonis Idolum cum arca stare nòn potuisse, sed iteratò corruisse, & propterea plurimos Philisthæos percussos esse? 1. Reg. 5. Quid verò aliud est peccatum, quam Idolum coram Deo? Scribit S. Dionys. de hierarch. Ecclesiastica, & Chrys. hom. 5. in 1. Epist. ad Tim. in primitiva Ecclesia divinitus factū, ut qui indignè communicarent, aut morte mulctarentur, aut à dæmone correpti vexarentur, aut aliis calamitatibus afficerentur. Refert Evagrius in vitis Patrum p. 2. B. Macharium Alexandrinum in Ecclesia, cum sui Monachi sacram perciperent synaxin, vidisse nonnullos illius loco à diabolo ignitos carbones accipere, ipsumque Christi corpus ad presbyteri manus remeare: Cum verò boni Religiosi id dignè acciperent, longè isthinc fugisse dæmones, & SS. Angelos junctis cum Sacerdote manibus eos communicasse. Simile exemplum refert Cranzius l. 1. c. 9. Annal. Saxon. VVedekindum Saxonum principem adhuc Gentilem vidisse in castris Caroli Magni sub communione pulchellum puerum in os quorundam hilariter descendere, ab aliis verò abhorrentem avertisse vultum. Profectò illi dignè, hi indignè communicabant.

D. III. *Præparatio animæ.*

Tertius, Dictus medius, digitorum princeps, est præparatio animæ, ut dignum fiat corporis Christi receptaculum. Propter quod cum Eucharistiam institueret Dominus, delegit sibi cœnaculum grande stratum, paratum (ut est apud Marcium in Græco textu.) Quomodo autem parare debeamus cœnaculum Christo, docet nos Sunamitis illa 4. Reg. 4. quæ de Eliseo dicebat ad virum suum: *Animadverto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergò ei cœnaculum parvulum & ponamus ei in eo lectulum, & mensam & sellam & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.* Transibit per nos Christus sanctus sanctorum. Paremus ergò illi candelabrum, lectulum, sellam, & mensam. Candelabrum designat fidem, quam ante communionem concipere debemus firmissimam. Audimus enim Christi verba in hodierno Evangelio: *Beati qui non viderunt & crediderunt*, q. d. beatiores, quā qui viderunt & crediderunt. Idcircò S. Ludovic. Rex Franciæ, cum quidam ejus proceres in palatii Parisiensis sacello, sub elevatione Christum visibiliter in specie elegantissimi pueri cernerent, & Regem ad idem spectaculum invitarent, renuit ire dicens: *Qui non credit, vadat & videat. Ego credo & fidei meritum libens conservo.* Refert Viguerius in Instit. Christ. Theol. c. de Eucharistiæ Sacramento, & alii.

Lectulus designat quietem à laboribus, curis & negotiis sæcularibus, & cor pacatum; quemadmodum enim qui è balneo medicarum aquarum exit; paulisper in lectulo quiescit, de consilio medicorum; sic post Confessionem, tempore intermedio usque ad communionem, quiescere oportet à curis extraneis, ut ne iterum ad sæcularia distrahamur & gustum S. communionis perdamus. Ideoque debent patres &

matres familias subditis suis tempus illud liberum concedere, quo sibi vacare queant. Non enim statim à Confessione currendum ad communionem. Si enim filii Israel jussi à Deo triduo se præparare ad legis susceptionem per continentiam & lotionem vestium, Exod.19. si virgines Assuero adducendæ, prius tamdiu & tanto studio se comebant, Esth. 2. si pueri in conspectu Regis Babylonis statuendi prius tribus annis enutriebantur cibis Regiis, ut forma elegantes fierent, Dan.1. Cur non etiam aliquid temporis detur præparationi ad communionem? Moyses relicto populo solus ascendere in montem Sina ad Dominum jussus, ibique præterea à nebula circumdatus est, ut sic omnia creata ex aspectu ejus auferrentur, & ipse tantò attentius vacare divino colloquio posset, Exod.24. Pari modo decet ut ad Christum accessuri: imò eum sumpturi segregemus nos à mundo & sæcularibus negotiis.

Sella præmeditationem futuri convivii designat. Qui enim vult occurrere alicui Regi, *sedens prius cogitat, quomodo ei occurrat*, ut salvator dixit, Luc. 14. Atqui RegumRegi obviamus in comunione: quanta igitur solicitudine præmeditari deberemus quò ituri & quid facturi simus? Hebræi, cum de cœlo pluit eis manna, antequam id gustarent, dicebant; *Manhu? quid est hoc?* Exod.16. similiter ergò antequam cœleste hoc Eucharistiæ manna degustemus, sedeamus & dicamus: Quid est hoc? Panis iste Deus est, ante quem cœli contremiscunt & angeli velant facies suas; quid ergò me facere convenit? Dicamus cum S.Thoma: *Dominus meus, & Deus meus.* Et cum S.Francisco: *Deus meus & omnia: quis es tu? & quis sum ego?* Qui sine omni præmeditatione panem hunc accipiunt, judicium sibi manducant; teste Apost. 1.Cor.11. quia *non dijudicant corpus Domini*, h. e. non discernunt à mensa communi mensam hanc cœlestem.

Mensa designat famem quandam & appetentiam spiritualem Eucharistiæ, quam excitare in nobis debemus, antequam accedamus, ut ita cum majori gustu & fructu cibum illum capiamus; quod non difficilè poterimus, si consideremus hujus cibi præstantiam& nostram indigentiam. Indigentia nostra tanta est, ut nisi hoc cœlesti pane identidem reparemus animæ vires, paulatim deficiamus in via mandatorũ Dei, & in multa ac gravia vitia tandem collabamur. Hoc nobis insinuavit Dominus, cum Marc.8. dixit in deserto: *Misereor super turbam, quia non habēt, quod manducent, & si dimisero eos jejunos, deficient in viâ, quidam enim ex eis de longè venerunt.* Experientia enim docet, quod cum nulla est hujus Sacramenti frequentatio, ibi corruit disciplina & virtus, crescunt verò vitia, quæ instar zizaniorum suffocant sementem bonam. Sicut è contrario, ibi floret disciplina, virtus ac pietas, ubi floret frequentatio hujus Sacramenti. Præstantia verò cibi tanta est, ut omnibus nostris necessitatibus vel semel dignè sumptus mederi posset: est ipse fons omnis medicinæ: quem vel à longè aspicientes & salutantes patres adeò desiderabant. *Abraham exultavit ut videret diem ejus: vidit* (etsi in spiritu tantum & figura) *& gavisus est*, Ioan.8. Iacob moriturus dicebat: *Salutare tuum expectabo Domine*, Gen. 49. David item in spiritu ajebat: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem?* 2.Reg.23. Quid si isti patres reipsa potuissent Salvatorem in Eucharistia sibi intimè unire? Hæc ergò illorum desideria pudefacere nos debent, si sine fame spirituali ad communionem accedamus. Cogitate: si nunc appareret Abraham, Iacob, David, cæterique Patres & inter nos accederent ad S. Eucharistiam, quanto illi desiderio, quanta lætitia, quanta humilitate & reverentia hoc agerent?

E. IV. *Intentio recta.*

Quartus, Index dictus ab indicando, est intentio, quæ dirigit actiones nostras, estque oculus animæ: qui *si simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit*, teste Domino nostro. Nequam est hic oculus in proposito primo. Si quis principaliter moveatur ad communicandum pro temporali commodo aut lucro: veluti pauperes aliqui, ut à ditioribus largiores accipiant eleemosynas & cibos, &c. nec non Sacerdotes nonnulli, qui principaliter celebrant ob speratum lucrum aut commodum suum: qui nihilo meliores sunt duobus illis filiis Aaron, Nadab & Abiu, qui obtulerunt Deo sacrificium ex igne alieno, id est, profano, qui adhibebatur ad coquendas carnes, cum debuissent accipere ignem sacrum, qui fovebatur ad sacrificia & thymiamata: & propterea ab igne de altari egrediente devorati & combusti sunt, Levit. 10. Ignis sacer charitas est, quæ movere debet ad sacrificandum & communicandum. Ignis alienus & profanus cupiditas est, cùm anima movetur ex avaritia similique causa; quem ignem non Deus, sed caro vel Dæmon suppeditat. Caveant sibi qui cum tali igne communicant.

Oculus nequam est, si quis communicet ex hypocrisi, ut videatur hominibus pius & sanctus. Talis enim Herodi similis est, qui simulabat se quoq; venturum adChristumRegem natum, ut adoraret eum: sed venit cum gladio & ira, non cum devotione & humilitate, quia cupiebat regnum suum stabilire, Christi verò delere. Similiter qui ob vanam gloriam communicat, venit ad Christum ut hostis, quia non quærit Christi gloriam, sed suam. Unde nec fit particeps virtutis sacramenti: quia *Spiritus sanctus effugiet fictum*, ait sapiens, Sap. 1. Et sicut in vero flore confident apes, in ficto verò muscæ, ut alibi diximus ostendisse Salomonem: ita in tali communicante, non requiescit gratia & virtus sacramenti, sed musca vanitatis & Diabolus.

In Dom. 2. post Pascha, Them. de signis prædest.

Oculus nequam est, si quis communicet ex metu solum & coactione, ut quia Ecclesia præcipit & in obedientes punit &c. Talis enim contemptui habet & injuriâ afficit divinum hoc convivium, quasi non ad epulas, sed ad plagas invitaretur. Propterea Deo displicet, nec gratiam ejus accipiet. Sicut enim licitum

citum

citum non erat sacco vel habitu servili indutum ingredi ad Regem Assverum, Esth. 4. & si quis talis accessisset, nequaquam ad eum extendisset Rex virgam auream (quod erat benevolentiæ signum ib. c. 4.) sic multò minus licitum est ad cœlestem Regem ejusque communionem accedere cum servili timore; nec talis accipiet gratiam ac favorem Dei in sacramento: siquidem Christus ex amore illud instituit. *Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos*; ait Ioan. narraturus institutionem Eucharistiæ cap. 13. Quòd ergò ex amore institutum est, ex amore accipi debet: ne alioquin dicatur nobis: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* nuptialis vestis amor est: timor verò servilis.

Oculus nequam est, si quis communicet solum ex consuetudine, vel ob societatem, quia videt hoc ipsum facere alios. Tametsi enim consuetudo communicandi societas bona sit, non debet tamen hæc esse ratio vel causa communionis; quæ ob præcellentem finem instituta est, quem nisi quæramus & assequamur, non tantum frustra, sed etiam irreverenter communicamus. Cum enim præcisè propter societatem aut consuetudinem aliquid agimus, eo ipso demonstramus negotium id non magni esse momẽti, sive fiat sive non fiat: ut cum circa horam undecimam prandemus, quia ita moris est. Malus etiam oculus foret, si quis præcise ob sensibilem aliquam delectationem & consolationem spiritualem perciperet Eucharistiam, eam sibi tanquam ultimum finem præstituens. Quod enim talis delectatio imperfectionem contineat, demonstrare voluit Dominus, cum post resurrectionem suam Magdalenæ conanti tangere ei pedes, dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum*, Ioan. 20. Et cum discipulis dixit: Ioan. 16. *Expedit vobis ut ego vadam*; ad cœlum scilicet, quia volebat Christus, ut desiderium suum à terrâ ad cœlum transferrent, nec carni & terræ inhærerent. Qui ob spiritualem tantum dulcedinem & delectationem suam communicat, Christum adhuc carnaliter amat, quomodo Apostoli Christum in carne præsentem: & non tam amore amicitiæ, quam concupiscentiæ, qui est amor proprius. Omnes istæ intentiones per foramen ingrediuntur ut fures, quia furantur nobis fructum & virtutem Eucharistiæ.

Simplex igitur & bonus oculus est Primò communicare ex amore, ut jungamur sponso animarum nostrarum charissimo. Secundò ut à morbis & infirmitatibus animi sanemur per Medicum animarum nostrarum optimum, quem in communione ad nos vocemus. Tertiò, ut per Christum, tanquam per hostiam placationis peccata nostra expiemus & Deum patrem perfectè nobis reconciliemus. Quartò ut à certa tribulatione & adversitate citius liberemur per præsentissimum liberatorem. Quintò ut certam gratiam aut beneficia impetremus, per mediatorem, cui pater nihil negare potest. Sextò ut pro acceptis donis Deo gratias agamus, cum nihil habeamus præstantius aut Deo gratius, quàm ejus filium, quemadmodum dixit David Psalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Septimò, ut Deum & Sanctos honoremus: quid enim honorificentius fieri etiam Sanctis potest, quam si in ipsorum festis & sacris ædibus hostia præstantissima Deo immoletur & hominibus communicetur? Octavo ut opitulemur & defunctis, cum nihil efficacius pro illis interpellet apud Deum patrem, nihil melius clamet, quàm sanguis Christi. Optimus verò & primarius finis communionis est is, propter quem Christus Eucharistiam primariò instituit, ut scil. convertamur & transformemur in ipsum, vivamusque quomodo ille vixit, & virtutes ejus quasi vestes induamus, quomodo Iacob induit vestes fratris sui primogeniti Esau pretiosas & fragrantes; ut in illis Deo patri placeamus & benedictionem ejus obtineamus.

F. V. *Fiducia.*

Quintus denique, digitus est pollex, à potentiâ dictus, fiducia, quam concipere debemus priusquam accedamus ad mensam Domini. Si enim cum magnâ trepidatione & perplexitate accederemus devotionem impediremus, & amorem Dei suffocaremus, ac deinde parum rectè de Christo sentiremus, qui in Eucharistia venit ad nos ut pater, ut Medicus & Samaritanus, liberator, adjutor, &c. Tametsi verò in perceptione Eucharistiæ utimur verbis Centurionis dicendo: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, &c.* Sciendum tamen triplicem considerari posse dignitatem. Primò ut sit tanta, quanta est dignitas suscipiendi, sicut filius Regis dignus est filia Regis: & sic nemo est dignus Christi susceptione. Secunda, ut servetur proportio ad vires suscipientis, ut faciat quis quantum potest: sicut rusticus Regem venientem suscipere quidem pro dignitate Regis non potest: si tamen faciat quantum potest & quantum ab ullo præstari rustico potest, censebitur digne suscepisse Regem. Et hac quidem ratione pauci dignè suscipiunt Christum. Tertia itaque dignitas est, quæ Domino sufficit, cum quis saltem accedit sine peccato mortali, cum bono fine & cum attenta consideratione beneficii cœlestis, majestatis Christi, suæ autem parvitatis &c. Ad quod si accedat fervens oratio, facilè suppeditabit Deus gratiam, ut sufficienter dispositi simus: Sicut enim videmus Regem cùm ad aliquem pagum divertit, non expectare donec rustici hospitium & commeatum illi præparent, cùm sciat ad hoc insufficientes esse: sed præmittere cubicularios, œconomos, coquos & similes cum præparamentis & commeatu, ut ipsi omnia pro majestate præparent. Sic absque dubio faciet Deus, si tamen bonam voluntatem habuerimus, & pro viribus faciamus quod in nobis est, ejusque opem imploraverimus. Atque ita demum ipso effectu videbimus & gustabimus, quam suavis sit Dominus, adeoque cùm D. Thoma exclamabimus: *Dominus meus, & Deus meus*, q. d. Ex hac hora me tibi offero in servum, & te recipio in Dominum, sit

sit hoc inter nos gluten, ut ne unquam ab invicem divellamur, &c.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. *A Thoma, quàm malum ab Ecclesia separatum esse.*

II. *Naturam & malitiam hæresis.*

III. *Credere sensu & voluntate nostra.* 1. A Christo lapsis condescendere. 2. De nullo desperare. 3. Non satis esse credere quomodolibet in Christum. 4. Quam bonæ conditionis simus nos.

THEMA.

Noli esse incredulus, sed fidelis, Ioan. 20.

A.

IN scholis non solùm discunt pueri, cùm Magistrum audiunt benè & ornatè loquentem, verùm etiam cum discipulum audiunt errantem & à Magistro correctum. In hodierno Evangelio audimus in primis Magistrum Christum optimè & suavissimè loquentem: *Pax vobis.* Item: *noli esse incredulus, sed fidelis.* Rursum: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Audimus deinde discipulum Thomam, sed errantem & malè loquentem: *Nisi videro, &c. & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Verùm dum à Domino corrigitur discipulus, discimus non solum à Magistro verum etiam à discipulo. Quidnam vero illud?

B. I. *A Thoma quàm malum ab Ecclesia*

A Thoma discimus primò, quàm malum & periculosum sit ab Ecclesia separatum esse. Thomas enim quamdiu à cœtu discipulorũ abfuit, tamdiu incredulus mansit, & Christi aspectu atque alloquio caruit; ubi verò ad communionem discipulorum domum accessit, Christum vidit & agnovit. Hanc ob causam sine dubio Ioannes Evangelista solius Thomæ nomen græca exponit voce, vocans eum Didymum, id est geminum. Cum enim vox gemini, quandam separationem significet, indicat, quòd qui à cœtu Ecclesiæ divisus est, non invisitur à Christo. Quisquis autem extra Ecclesiam est, frustra expectat à Christo visitationem, consolationem, gratiam, salutem. In domo suâ vera scil. Ecclesiâ, collectis apparet Christus & mittit Spiritum S. non in aliena, nec extrà vagantibus in plateis, id est, schismatibus & hæresibus aliisque sectis. Unde S. Bern. ser. 6. de Ascens. Dom. ait: *Falleris Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum Collegio segregatus: Non amat veritas angulos, non ei diversoria placent, &c.* Credibile est Thomam alibi discurrisse & quæsivisse Christum, modò apud sepulchrum, modò in viâ Emauntica, sed non invenit Christum, nisi in domo Apostolicâ.

C. II. *Naturam & malitiam hæresis.*

Secundò, Naturam & malitiam hæreseos. Hæc enim duo illa gravissima supplicia, excœcationem & indurationem homini adfert; quia intellectum excœcat & errorum tenebris involvit: voluntatem verò pertinacia indurat. Ecce vobis Thomam adeò de mente dejectum, ut alia quidem non visa de Christo condiscipulis crederet, alia non crederet. Nam cum cruci non adfuerit, de vulnere lateris Christi, uti S. Chrysost. Hom. 86. in Hierem. notat, nihil scivit nisi ex aliorum relatione, & tamẽ eisdem Christi resurrectionem asserentibus non credit. Vulneratum ergò in latere credidit: resuscitatum esse noluit credere. Idem faciunt Hæretici, alia enim quæ sibi placent, seligunt è scripturis & credunt, alia quæ displicent, non credunt. Pertinaciam ex eo agnoscimus, quòd duobus discipulis ex Emaus redeuntibus, Petro & decem Apostolis Christi resurrectionem asserentibus non crediderit. Ita nimirum convincendis hæreticis nullum testimonium sufficit: quia fides est donum Dei, quod ipsi tamen contemnunt & suâ pertinaciâ repellunt. Theodoricus de Appoldia l. 1. de vita S. Dominici c. 9. scribit: *Per idem tempus Dominus Simon Montis fortis illustris Princeps ferro persequabatur hæreticos, quos Christi Confessor Dominicus gladio verbi Dei. Ita multa inter eos amicitia & familiaritas contracta fuit. Ut enim in ejus Principis gestis legitur, cùm Catholici die quodam cum hæreticis disputassent, S. Dominicus quædam fidei documenta scripsit chartula, tradiditq́ eam hæretico, ut de objectis deliberaret. Ea nocte hæretici consederunt ad ignem: prolata est chartula Viri Dei, dictum est ab hæreticis: Mittatur in ignem, schedula, ut veritas comprobetur. Mox projecta in ignem, post aliquam moram inde nihil læsa prosiliit. Tum unus obstinatior: Mittatur, inquit, secundò & patebit veritas. Obtemporatum est illi, sed iterum charta resiliit, strepentibus illis, obduratus hæreticus etiam tertiò id vult fieri; sed nihil chartulæ officit. Tanto autem viso miraculo, non sunt compuncti miseri illi, sed inter se gravissimè prohibuere, ne quisquam id Catholicis indicaret. Attamen miles quidam, qui rei coram interfuit, fidei ex parte consentiens, insigne miraculum ad Catholicorum notitiam perduxit.* En hæreticorum pertinaciam.

D. III. *Cedere sensu & voluntate nostra.*

Tertiò, Cedere sensu & voluntate nostrâ, adeòque caput nostrum frangere in rebus fidei aliisque à Deo præscriptis; nec non moram & pertinaciam, si qua præcessit, sequente fervore compensare: & per bona opera passionem Christi nobis applicare. Totum hoc Thomas fecit. Cessit enim tandem & credidit surrexisse Dominum suum, nec erubuit ab errore ad regiam viam redire; deinde fidei solenni & clara professione perfidiam suam compensavit. Merito hæc confessio jungitur ipsi fidei, sicut malleus horam sonans jungi debet horologio, ut sit perfectum. Quod si aliter sonet, aliter indicet, nihil valet; par ratio est de fide, nisi externæ confessionis consonantiam habeat. Deniq; Christum ardenti amore

more complexus, totum se illi tradidit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Peculiariter quidem Christus Deus noster & Dominus noster est, quia in carne nostra Doctor, Dux & Redemptor noster; sed non proinde omnes faciunt eum suum Dominum & Deum, quia nec obediunt ejus præceptis, nec imitantur ejus exempla, nec applicant sibi ejus merita per sacramentorum usum, &c. Quid autem prodest fontem in publico & ante foras tuas esse, si nunquã inde haurias? Habebis aquam sed non tuam. Haurietis, inquit Isaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*

E. I. *A Christo lapsis condescendere*

A Christo discimus, primò lapsis condescendere eosque erigere pro viribus. Ecce enim Christus ob unam ovem exerrantem, post dies octo iterum redit januis clausis ad cœtum discipulorum, iterum stat in medio, iterum ait: *Pax vobis*; sicut ante octiduum, ut ostendat se nunc propter unum Thomam venisse, id omne faciens uni Thomæ, quod prius fecerat omnibus discipulis. Hujus igitur exemplo conemur unusquisque, maximè qui ex officio obligamur, lapsis subvenire, & in gratiam ipsorum nihil non moliri, hortari, obsecrare, increpare, opportunè importunè cum omni patientia. Ne simus instar Cain, qui de fratre interrogatus dicebat: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Gen. 4. Neque instar Sacerdotum, qui Iudæ pœnitentiâ ducto dicebant: *Quid ad nos? tu videris*, Matth. 27.

F. II. *De nullo desperare.*

Secundò. De nullo desperare quantumvis obstinato: Ecce enim Thomam caute duriorẽ, tactu vulnerum suorum adeo emollivit Dominus, ut nivis instar ad solis radios colliquescentis, cesserit & Christo se tradiderit. Nimirum vulnus lateris Christi foramen illius petræ est, per quod olim Moyses vidit gloriam Dei, Exod. 33. & per quod nunc Thomas vidit & agnovit Christum Deum; Caminus ardens, Apocal. 1. in quo Thomas quasi ustulatus exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Quisquis ergò induratus est & vitiis assuetus, saltem in hunc caminum mittat manum suam; videat & tangat, quid pro ipsius salute Christus passus sit: quot ostia salutis peccatori in passione aperuerit.

G. III. *Non satis esse credere quomodolibet in Christum*

Tertiò. Non sufficere ad salutem credere in Christum eumque pro peccatis nostris mortuum esse, etiamsi multa alia nolimus credere; quod tamen hoc tempore plurimi præsertim de plebe existimant, cæteraque omnia maximè quæ in symbolo Apostolorum non continentur, putant esse antiphora, unde statuunt quemlibet, qui in Christum credit, sive sit Lutherista, sive Calvinista, sive Anabaptista, sive Papista, in sua fide salvari posse, eo quod omnes unum habeant Deum & caput, Christum. Verum hi redarguuntur.

1. Primò à Christo qui à Thoma cæteroqui fideli unicum resurrectionis articulum requirit. Unde patet illum Thomæ ad salutem necessarium fuisse. Eadem ratio est de cæteris articulis. Cur enim credere oporteat Christum surrexisse: non oporteat autem credere Christum contineri in Eucharistiâ, &c. Nonne & hoc scriptura testatur?

2. Secundò, ab Apostolo, qui ad Titum 3. hæreticum hominem devitari jubet, eò quod subversus & proprio judicio condemnatus sit. Neque dicas hæreticum censeri ab Apostolo eum tantum, qui Christum rejicit aut aliquid pertinens ad Symbolum; sic enim non esset hæreticus, qui rejiceret totam scripturam & omnia Sacramenta; item qui damnaret nuptias & cibos: qui duplicem in Christo personam poneret: qui tamen 1. Tom. 4. & 1. Ioan. 4. inter hæreticos censentur.

3. Tertiò, à totâ antiquitate, quæ semper existimavit hæreticum non posse salvari; ideoq; se hæreticis tam acriter semper opposuit eosq; confutavit. Cur enim tot Concilia tanto labore & sumptu, convocatis ex toto orbe Episcopis adversus hæreses celebrata sunt? Cur toties anathemate damnatæ? Cur hæreticorum commercia Catholici tantopere vitarunt? Cur plurimi exilia, mortem, & omnia tormentorũ genera perferre maluerunt, quàm hæreticis subscribere? Nonne hæc omnia frustra, stultè & injuriosè facta essent, si in illis sectis salus obtineri poterat.

4. Quartò, ab ipsis hæreticis, qui inter se non solum dissentiunt, sed etiam mutuò se hæreseos damnant, uti Calvinistæ Lutheranos, Lutherani Calvinistas, Anabaptistæ reliquos omnes.

5. Quintò, ab ipsa ratione. Nam primò sequeretur veram & orthodoxam fidem nihilo meliorem esse hæresibus, Arianismo, Pelagianismo, Nestorianismo, &c. siquidem per has salutem æquè acquiri posse statuit ac per illam: sequeretur omnes penè antiquos hæreticos, quia plerique tenuerunt symbolum Apostolicum, salvatos esse.

Ratio. 1.

2. Secundò. Sequeretur fidem falsam (si quis nimirum, non rectè intelligeret symbolum) sufficere ad salutem; imò etiamsi multos articulos absolutè non credas. Non enim magis ad salutem prodest fides falsa, quam fides nulla. Plurimos autem symboli articulos alii sic, alii aliter intelligunt.

3. Tertiò. Cur symbolum potius fide tenendum, quàm scriptura divina? An hæc minoris est authoritatis, quam symbolum?

4. Quartò. Fundamentum fidei, id est, ratio credendi in hæreticis fallax est, ergo etiam fides, quæ ei innititur. Credunt enim sua dogmata, vel quia ipsorum Apostoli (Lutherus, Calvinus, &c.) sic docuerunt; & hi falli potuerunt. Vel quia ea in scripturis proprio judicio contineri putant; & hoc fallax est, & unus eandem scripturam pro hac, alter pro alia secta allegat, quia eam non intelligunt. Vel quia spiritu privato interius edocentur, quis scripturæ sit intellectus; & hoc idem fallit, quia plerique omnes gloriantur de hoc spiritu, & tamen inter se contraria docent: quod sane spiritus bonus nequit facere.

5. Quintò. Sicut qui in uno præcepto delinquit, omnium reus est, ita scilicet, ut si verbi gratia adulter

ulter sit, æque damnetur, ac si in omnibus delinquisset: pari modo, qui unum abjicit fidei articulum, jam à salute excidit, non minus, quam si omnes abjecisset.

Quare frustrà optant vel expectant aliqui, ut Ecclesia de articulis fidei aliquid remittat, quò cum recentoribus sectis in unum coalescat. Fides additamentum nescit & incisionem. Concilium Nicænum ne literæ quidem unius incrementum admisit, ut Filius Patri ὁμοούσιος diceretur ὁμοιούσιος; ne concedendo similem negaret esse cum Patre eundem. Fides instar horologii est; ejus articuli quasi dentes rotularum sunt. Unum si tollas dentem, machina tota fallit.

H. IV. *Quam bonæ conditionis simus nos.*

Quartò, Quàm bonæ conditionis simus, qui credimus, tametsi non videmus. Ad nos enim spectat id, quod ait Dominus: *Beati qui non viderunt & crediderunt*, intellige fide viva, vel crediderunt sicut oportet servando præcepta fidei (sic enim dicitur: *Beati pauperes Spiritu*, *&c.* non excludendo alias virtutes) Beati sunt cœli incolæ, quia Deum vident: beati sunt terræ incolæ, quia Deum non vident; per hoc enim eò perveniunt, ubi Deum videbunt facie ad faciem, & *ubi*, ut ait S. Aug. Psalm. 91. *jam non dicetur nobis: Crede quod non vides; sed gaude quia vides.*

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I. *Cur solus abfuit Thomas.*
II. *Cur noluit credere discipulis.*
III. *Cur post octiduum, non mox apparuit Christus.*
IV. *Cur Thomam non asperius reprehendit.*
V. *Quomodo credidit Thomas, si vidit.*
VI. *Quomodo beatiores qui non viderunt & crediderunt.*
VII. *Quid illud:* Dominus meus, & Deus meus.
VIII. *Cur labi permissus Thomas.*
IX. *Fides in Christum an necessaria ad salutem.*

THEMA.

Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, Ioan. 20.

A.

PRæclarum nobis exemplum dant hodie Apostoli, qui in die Dominica rursum congregantur in domum, ubi cœnam celebraverant, undique clausam, præstolantes adventum & conspectū Christi. Hinc enim monemur nos primò convenire in domum Dei, ubi cœna Domini celebratur, diebus præsertim Dominicis. Deinde ibidem considere magnâ collectione, ita ut sensus omnes, velut januas claudamus, rebus ijs, quæ forinsecus aguntur: solius verò Christi Domini nostri adventum & aspectum in S. Missa præstolemur; nec non arrectis auribus sermonem ejus audiamus. Id quod nunc faciemus.

B. I. *Cur solus abfuit Thomas.*

Quæst. 1. Cur aliis Apostolis congregatis abfuit solus Thomas? Respondet S. Chrysost. homil. 86. in Ioan. & post illum Theophyl. & Euthymius probabile esse, quòd tunc ex fugâ nondum redierit. Tametsi enim Luc. 24. dicuntur fœminæ undecim discipulis nunciasse Christi resurrectionem: non tamen inde sequitur Thomam interfuisse; numerus enim undenarius tunc erat numerus discipulorum, licet non omnes simul essent; quomodo etiam in hodierno Evangelio dicitur Thomas unus ex duodecim. Ex hac ergò sententia sequitur, Thomam longius profugisse, vel saltem diutius latuisse, quam cæteros discipulos: illum, inquam, Thomam qui paulò ante cæteris cordatior dicebat; *Eamus & nos, & moriamur cum eo*, Ioan. 11. Unde discimus non præsumere nimium de nostris viribus. Duo illi discipuli Petrus & Thomas quò fortiores sese existimabant, eò gravius lapsi sunt & imbecilliores sese deprehenderunt. *Filii Ephraim intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli*, Psalm. 77. Ergo nobis ipsis diffidere & in Deo solo confidere debemus, si vinci à tentatione nolumus.

C. II. *Cur noluit credere discipulis.*

Quæst. 2. Quare Thomas noluit credere discipulis Christi resurrectionem asserentibus? Respondetur Thomam nequaquam existimasse discipulos mentiri, cum dicebant se vidisse Christum; sed formidasse ne fortè decepti essent, & spectrum tantùm seu Christi defuncti animam, non ipsum Christum resuscitatum vidissent; quomodo & reliqui discipuli primo existimabant se spiritum videre, cum viderunt Christum, Luc. 24. Atque hoc probabiliter existimat Cyrillus fecisse Thomam partim præ mœrore, quòd abfuerit & oculis suis Dominum non viderit: ex quo perturbatus forsitan existimabat se eum in vita nunquam visurum; partim præ gaudio, ob lætissimum nuncium, quod summo desiderio expectabat; quo modo & alii discipuli non credebant & mirabantur præ gaudio, Luc. 24. Ita etiam nos rem miram & insolitam, præsertim valde desideratam, non credimus sub initium, donec videamus. Probabile igitur etiam est gravem culpam à Thoma abfuisse. Et tamen ut ab eo labem illam qualemcunque abstergeret Deus, in ejus gratiam rursus apparuit. Unde discimus etiam leviores maculas cavere & contractas cito emendare. Communior interim sententia est, fuisse in Thoma peccatum mortiferum infidelitatis, quam & supra supposui.

D. III. *Cur post octiduum non mox apparuit Christus.*

Quæst. 3. Cur non statim, sed post octiduum primum apparuit Christus Thomæ? Respondetur Primo. Ut dum ille diu dubitare permissus est, fides resurrectionis Domini in nobis magis solidaretur. Quis enim jam non credat, cum audit diuturnam Thomæ incredulitatem pervictam esse?

Secun-

Secundo, Ut coram discipulis congregatus profiteretur Thomas fidem resurrectionis; fieri autem poterat ut non nisi pòst octo dies discipuli in eadem domo congregati essent. Unde discimus eos, qui publice delinquunt & alios scandalizant publice pœnitere & publica resipiscentiæ exempla dare debere.

Tertio; Ad honorem diei Dominicæ, quam prævidit Dominus resurrectioni suæ dicandam, apparitionem hanc distulisse.

E. IV. *Cur Thomam non asperius reprehenderit.*

Quæst. 4. Quare Christus Thomam non asperius reprehendit? Resp. Primo quia, ut supra vidimus, probabiliter culpa ejus gravis non fuit, sed ex mentis perturbatione, mœrore vel gaudio profecta.

Secundò, Ut servaret decorum personæ Apostolicæ, præsertim in loco publico. Duos illos discipulos itinere Emauntico asperius reprehendit, sed illi non erant Apostoli; & privata erat reprehensio. Ergò publicæ personæ in dignitatibus constitutæ blandius arguendæ sunt; quemadmodum & illi qui publicè arguuntur. Novimus Aaron Sacerdotem æq; ac sororem Mariam murmurasse cõtra Moysen, hanc tamen propterea leprâ punitam esse, non illum; ob reverentiam sacerdotalis dignitatis scil. Levit. 12.

F. V. *Quomodo credidit Thomas si vidit*

Quæst. 5. Quomodo credidit Thomas, si vidit? Respond. credidisse duplici sensu. Primo juxta vulgarem loquendi modum; quia scilicet resurrectioni Christi, quem oculis vidit assensum dedit eamque confessus est. Secundò propriè & fide divina; quia scilicet *hominem vidit*, ut inquit S. Gregorius hom. 26. in Evang. & *Deum confessus est*, credidit eundem propria virtute & potentia [quam non vidit] surrexisse.

G. VI. *Quomodo beatiores, qui non viderunt & crediderunt.*

Quæst. 6. Quomodo beatiores Thoma ii, qui non viderunt & crediderunt, si & ipse credidit? Respondetur, quia reliqui Christiani credunt Christum esse Deum, eundemque à mortuis resurexisse, tametsi eum non viderunt resuscitatum: Thomas vero credidit, quia redivivum vidit.

Alio vero ex capite fides nostra superatur à fide Apostolorum; tum quia fides illorum ferventior erat, quam nostra: tum quia nos habemus aliud majus fidei argumentum, videmus enim consensum totius orbis per annos 1600.

H. VII. *Quid illud! Dominus meus & Deus meus.*

Quæst. 7. Quid illa verba: *Dominus meus, & Deus meus?* Respondetur. Thomam concisâ hac ratione exprimere voluisse, partim magnitudinem gaudii sui, quod percepit ex aspectu Christi redivivi: partim potentiam Divinitatis ejus, qua se ipsum à morte suscitavit. Solemus enim res magnas & inexplicabiles vel silentio, vel concisâ oratione explicare. Voluit ergo dicere: Vere tu es Dominus meus, charissimus, desideratissimus, sed & DEUS meus, qui potentia Divinitatis tuæ mortem superasti. De primò concepit summum gaudium; de secundo summâ admirationem. Gaudium illud haud dubiè non permutasset Thomas cum totius mundi delitiis; quid ergo erit videre Christum cœlesti gloria? quid erit videre glorificatum semetipsum? Demonstrat nobis etiam his verbis Thomas fundamentum fidei nostræ, humanitatem scilicet & divinitatem Christi, quasi duos polos firmamenti & religionis nostræ, quibus ipsa innititur. Horum prior in hoc sæculo, quasi in nostro hemisphærio nobis manifestus est: alter verò occultus, utpote solis beatis in altero sæculo patens.

I. VIII. *Cur labi permissus Thomas*

Quæst. 8. quare permissus Thomas labi in incredulitatem? Respondetur 1. In bonum ipsius Thomæ 1. ut metiretur vires suas & agnosceret fragilitatem suam. David ante lapsum impeccabilem se existimabat: *Dixi, in excessu mentis meæ*, inquit: *Non movebor in æternum.* Post lapsum verò ait: *Avertisti faciem tuam à me & factus sum conturbatus.* Et alibi: *Bonum mihi quia humiliasti me.* Similiter & Thomas ante passionem Christi. Capitaneum se monstrabat cum diceret: *Eamus & nos & moriamur cum eo.* Nunc verò post fugam suam nihil aliud novit dicere, nisi *Dominus meus, & DEus meus.* Sic Petrum, sic Moysen, summa capita DEus in aliquo labi passus est, ut homines se agnoscerent, non Angelos, non DEum esse. *Nam in nullo penitus errarre, divinitatis potius, quam mortalitatis est*, ait Iustinianus Imperator. 2. Ut fortior resurgeret, lapsumque majore industria compensaret; quo modo equus cespitans colligit se se & passum accelerat.

Secundò, in bonum aliorum pœnitentium, ut in hos misericordem se exhiberet Thomas velut qui & ipse olim lapsus esset. Simili casu eruditus Petrus, qui ante lapsum difficile putabat remittere septies in die: posteà tam benignus erga lapsos factus est, ut excuset aliquo modo peccatum crucifixionis, quod in Christum admiserunt Iudæi, quasi ex ignorantia profectum, Actor. 3.

Tertiò, In bonum nostrum, ut inde primo in fide magis solidaremur. Qua de causa ait S. Gregorius, magis profuisse nobis Thomæ infidelitatem, quam fidem credentium Apostolorum hom. 26. in Evangelia. Secundo cautiores fieremus & cum timore & tremore salutem nostram operaremur.

K. IX: *Fides in Christum an necessaria ad salutem*

Quæst. 9. Estne fides in Christum omnino ad salutem necessaria? vel sufficitne credere in unum Deum & simul honeste vivere? Respondetur hoc non sufficere, fidem in Christum etiam requiri. Primo quia si quilibet Turca vel Iudæus in sua fide salvari posset, frustra Apostoli & Patres in fide Christi asserẽda laborasset, frustra ei Martyres sanguine suo subscripsissent, immo Christus frustra fuisset: suffecisset mitti à DEO aliquos, qui cognitionem unius Dei prædicarent; ut argumentatur Apostolus ad Gal. 2, *Si per legem justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Deinde falsa & vana esset S. Scriptura, quæ Christum asserit nostrum redemptorem & Mediatorem, cujus sanguine ablui, cujus fide justificari, in cujus nomine salvari debemus. Tertio si quili-

bet in sua fide salvari potest, ergo sufficit ad salutem quævis humana fides & persuasio tantum. Turcæ enim, etsi credunt unum DEUM omnium conditorem & remuneratorem, non id tamen fide divina credunt, sed quia sic Mahometus in suo Alcorano tradidit, in quo tamen plurima falsa docuit, uti Mahometum esse DEI prophetam &c. similiter Iudæi quæ credunt, ideo credunt, quia illorum Rabbini ita scripturas exponunt. Fundamentum ergò illorum vanum est, quia ratio credendi seu regula fallax. Denique hac sententia posita, nullum erit discrimen inter Turcismum, Iudaismum & Christianismum, nisi in quibusdam adiaphoris ad salutem non pertinentibus, & perinde erit sequi hanc vel illam sectam. Mirum igitur est inveniri aliquos hoc tempore, qui sentiunt quemlibet in sua fide salvari posse. Ratio qua moventur est; quia incredibile existimant, omnes Iudæos & Turcas, quorum plurimi DEUM pie colunt & innoxiè vivunt in æternum perire, solum eo nomine, quod in Christum non crediderint, cum tamen in hoc videantur excusandi, siquidem, à teneris non sunt aliter instituti, & pro captu suo faciebant id, quod poterant. Non ergo tam angustam cœli portam faciendam, uti hi omnes excludantur tanto numero. Verum hæc ratio nihil urget. Nam primo si non est incredibile Deum per aliquot annorum millia reliquisse mundum penè totum [exceptâ nimirum plebe judaica] in tenebris idololatriæ, in quibus certò perierunt, facile etiam sibi persuadere quisque potest, idem contingere nunc Iudæis & Turcis. Secundo Turcæ & Iudæi hoc tempore multo minus excusari possunt, quòd in Christum non credant, quàm olim Ethnici: siquidem illi fidem Christi facile indagare & addiscere possunt à Christianis, qui inter ipsos degunt, hi verò non itē poterant, utpote tenebris undique obsessi & communis consuetudinis æstu ad patrios ritus abrepti. Denique si sunt aliqui, qui de Christi religione nihil audierunt, nullumque ad eam quærendam & amplectendam stimulum senserunt: ii non damnabuntur ob infidelitatem, sed ob alia peccata, quæ contra legem naturæ commiserunt; si talia non commiserunt, vel à Deo illustrabuntur ut veniant ad cognitionem fidei, vel si moriantur in naturali illa innocentia pœnam damni tantum incurrent, non sensus in altero sæculo.

IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 2.

IN illo tempore: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis: Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eò quòd de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum. Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium DEUM, & dicentium: Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Evan-

Evangelium Luc. 2.

IN illo tempore, Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt: & de iis, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus; quæ audierant & viderant; sicut dictum est ad illos.

Evangelium Ioan. I.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEus erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEnm. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum nõ cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt. Et verbum caro factum est: & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus: gloriam quasi unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.

CONCIONES.

CONCIO I.
QUANTUM HODIE MUNDO Gaudium Allatum.

I. Salvator.
II. Christus.
III. Dominus.
IV. Natus.
V. Vobis.
VI. Hodie.

THEMA.

Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, Luc. 2.

HOdierna festivitate plus quam aliis omnibus incipiunt sancti Patres suas conciones à gaudio & jubilo. Ita S. Augustinus: *Gaudeamus fratres* [ita orditur] *lætentur & exultent gentes.* S. Leo Papa I. si incipit: *Salvator noster dilectissimi, hodie natus est, gandeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ, &c.* Et rursum alium sermonem hunc in modum inchoat: *Exultemus in Domino dilectissimi & spirituali jucunditate lætemur, quia illuxit dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, fœlicitatis æternæ.* S. Maximus Episc. ita intonat: *Justissime fratres, festivitate præsentis diei in omne se gaudiũ totus ubiq; suscitat mundus, quia hodie promissus à seculis, universo orbi Judex natus est & Redemptor.* Nec immeritò sanè gaudent & gaudere jubentur omnes hodie Christiani per universum orbem. Sic enim monet vox de cœlo ad nos allata & per Angelum pronunciata. *Evangelizo vobis gaudiũ magnum.* Sic monet etiam exemplum ipsorum Angelorum, qui non tam in suo, quam nostro festo hodie canebant: *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus. Vident enim,* ait S. Leo serm. prædicto, *cœlestem Jerusalem ex omnibus gentibus fabricari; de quo inenarrabili divinæ pietatis opere, quantum lætari debet humilitas hominum, cum tantum gaudeat sublimitas Angelorum?* Neque dicat aliquis,

gaudium hoc dudum elapsum esse, aut solis pastoribus annunciatum; subdidit enim Angelus: *Quod erit omni populo.* Quod si omni populo, ergo & nobis, & omnibus retro sæculis: gaudium universale & publicum, gaudium perpetuum. Et propterea Ecclesia, in hac solemnitate, eaque sola permittit esum carnium, si incidat in diem abstinentiæ, quia scilicet, ut ait S. Leo. *Non est fas locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ.* Sed quæ ratio & causa gaudii hodierni? Audiamus. Gaudii hujus publici causæ & rationes sex indicantur ab Angelo verbis pene totidem. *Natus est, Vobis, hodie, Salvator, qui est Christus Dominus.*

B. I. *Salvator.* Prima, Quia Salvator est, qui hodie natus est non qualiscunque sed perfectus, quia non à quibuscunque sed à veris & summis malis liberat. Plures alioqui vocati sunt Salvatores ab hominibus, veluti apud Hebræos, qui Israeliticum populum à Tyranni jugo liberarunt, uti 4. Reg. 13. Iudicum 3. iidem apud Romanos vocabantur patres patriæ, qui rempublicam ab imminente hoste vel periculo liberarunt. Apud Græcos ἀλεξίκακοι, qui mala, morbos & monstra propulsabant ab hominibus, ut Æsculapius & Hercules. Sed isti à privatis tantum & exiguis malis Vrbes vel nationes aliquas liberarunt, nihilominus tanto in honore habiti fuere à gentilibus, ut communiter in DEOS ab ipsis referrentur. Iudæi vero ardentissimis votis pro ejusmodi Salvatoribus ad DEVM clamaverunt, Iudicum 3. Atqui Salvator noster, non unam tantum nationem, nec à temporali tantum malo liberaturus erat, sed mundum universum & à malis æternis, quæ sola proprie & vere mala sunt. Itaque si gens aliqua vel civitas tota gaudio perfunditur, cum sortita est strenuum Ducem, qui eam liberavit à servitute & Tyrannide, uti videre erat in Græcis, qui postquam à Philippi Maced. Regis jugo erepti & libertate donati sunt beneficio & opera Quinti Flaminii, præ gaudio cœlum clamoribus impleverunt, ut aves superne volantes deciderint. Valerius Maximus lib. 4. cap. ult. Similiter Hebræi, cum beneficio Iudithæ ab obsidione Holofernis fuere liberati, ubi, *erat populus jucundus secundum faciem Sanctorum* [ait textus c. 16. lib. Iudith.] & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est; quantò magis nos gaudemus Christiani, cum nacti sumus ejusmodi Salvatorem, qui non à servitute aut obsidione Tyranni mortalis, sed ipsius dæmonis nos erepturus erat & libertati pristinæ, puta, primævæ nostri integritati, spei, saluti & patriæ restituturus? Nec vero tribus mensibus tantum durat hoc nostrum gaudium, sed usque ad finem mundi, quia eo usque durat nostra libertas.

C. II. *Christus.* Secundo. Christus, hoc est, Messias ille dudum desideratus & tot votis expetitus, Rex omnium potentissimus, à quo Iudæi sperabant omnem felicitatem, & reductionem in terram lacte & melle manantem, nos verò Christiani speramus introductionem in regnum cœleste omnibus bonis abundans, quod prius clausum nobis aperuit. Hæc est illa terra promissa olim Iudæis, lacte & melle manans, multò verius, quam Palæstina, quia abundat & redundat omni voluptate. Magnum nobis gaudium foret, si sciremus adesse aliquem, qui in paradisum nos vellet ac posset introducere: Adest modò Christus, qui in paradisum non terrestrem, sed cœlestem potest ac vult nos introducere. Nam & viam nobis aperuit, prius obseratam, qua itur ad paradisum, pœnitentiam. Vnde Christus ejusque præcursor ita inceperunt prædicare: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum,* q.d. Adest nunc, qui claves ejus regni habet, & brevi id aperiet, interim ad illud ambulate per pœnitentiam, quam velut auream portam aperui. Et hic est annus ille placabilis seu Iubilæum continuum, quod venit nobis prædicare Christus, uti ipse de se testatur Luc. 4. & Isaias de ipso cap. 61. Quanto gaudio perfusum arbitramini Maximilianum Austriacum, postea Imperatorem ejus nominis Primum, quando in prærupta & inaccessa specu desperatus hærens vidit adrepentem sibi juvenem & audivit sibi dicentem: *Macte animo virtuteque tua princeps: Vivit & adest, qui te servare potest:* Vt enim Sol per densas nubes clarior emergit: ita rediit Principi animi serenitas; ut Stephanus Pigius in Hercule Prodicio scribit. Atqui & nos aliquando eramus tali loco, nec via nobis patuit ad patriam cœlestem. En vivit & adest hodie, qui nos servare potest & patriæ restituere; ille nos præibit, ille viam pandet & saxa amolietur, quemadmodum & juvenis ille fecit Maximiliano. Quis ergò in hoc die non reviviscat & totus in gaudium vertatur? Accepimus enim Redemptorem, Iustificatorem, glorificatorem. Vnde dixit S. Leo sup. *Exultemus in Domino, dilectissimi, & spirituali jucunditate lætemur, quia illuxit dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, fœlicitatis æternæ.*

D. III. *Dominus.* Tertiò, Dominus id est DEus, qui est absolutè Dominus. Magnum etiam hinc affertur nobis gaudium. Monemur enim reconciliatum nobis esse Deum, qui hodie ingressus est nostram civitatem, non armatus, sed pacificus.

Quando Rex Assuerus extendit virgam auream alicui deosculandam, signum erat clementiæ, Esther 4. uti fecit Estheri cap. 5. & 15. Idipsum hodie fecit DEus, cum virgam illam auream; filium videlicet suum, de cœlo ad nos extendit; ut eam deosculatemur, in signum clementiæ & pacis nobis impertitæ. Vnde Ps. 2. ait: *Osculamini filium & adorate filium,* [uti ex Hebræo vertunt aliqui] *nequando irascatur Dominus.* Hujus virgæ summitatem à longe aspiciens Iacob, adoravit Gen. 47. ad Hebr. 11. Nos vero in præsenti osculamur & adoramus in S. Eucharistia. Quantum hoc nobis gaudium afferre debet?

Deinde

Deinde oſtendit humanum genus ſumma gratia & honore affectum eſſe à DEO ſuo, utpote qui non tantum ingredi in ejus civitatem, ſed etiam in ea cum illo habitare & domicilium ſuum ponere voluit. Sane ſi quis Princeps arcem ſuam, ſedemque ordinariam deſereret & in civitatem aliquam ſuam immigraret, non dubium, quin cives magno eum applauſu & jubilo exciperent. Omnes ſibi gratularentur, omnibus in plateis publicæ lætitiæ ſigna ederent. Ingreſſus eſt hoc die Princeps noſter Deus in noſtram civitatem, ut in medio noſtrum habitaret. Hinc orbis pene totus hodie commotus eſt & in gaudium ſolutus. Angeli canebant Deo laudes, cœlum miſit novam ſtellam inſoliti ſplendoris Sapientibus, eoſque ex Oriente evocavit ad præſepe, nec non & alia oſtenta, quæ alibi recenſuimus. Terra pacem undique habuit, fontem olei Romæ produxit, vineam Engaddi floribus induit. Omnes creaturæ hodie recreatæ ſunt, quia in adventu Creatoris ſui reſtauratæ & quodammodo Deificatæ ſunt: & ſimul torpentia hominum corda excitare voluerunt ad hanc Chriſti dignationem digno amore & gratitudine excipienda.

E. IV. *Natus.*

Quartò, Natus eſt, homo ſcilicet, nobis ſimilis & quidem infans; id quod humanum genus olim tam ardenter petierat per os Salomonis Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat?* Quæ omnia obtinuimus hodierno die. Primo Deum fratrem, ejusdem ſcilicet naturæ & parentis Adæ, cujus & nos ſumus; Vnde etiam nos ipſius patrem & univerſam hæreditatem nacti ſumus. Si enim fratres Dei ſumus, ergo inter nos communio bonorum & diviſio hæreditatis. Nos ei communicabimus, quæ ex patre noſtro Adamo habemus, miſerias, inquam, noſtras: ille nobis communicabit, quæ ex patre ſuo æterno habet, divitias gloriæ ſuæ. Quo gaudio impleretur mendicus, ſi quis ei nuntiaret fratrem ejus factum eſſe Regem, aut Pontificem? Iam ſe divitem, jam ſe magnum & beatum reputaret. Diceret enim: Ibo ego ad fratrem meum & offeram illi centones meos, famem meam, contemptum meum: & ille me honorifice veſtiet, largiter paſcet, dignitate aliqua exaltabit. Idem nos ex illo die promittere nobis de Chriſto potuimus & poſſumus etiamnum.

Secundò, Sugentem ubera matris noſtræ, Deiparæ, videlicet quæ ob ſingularem amorem, protectionem & electionem ſuam omnium noſtrum mater eſt. Ergò obtinuimus Deum, non modo fratrem, ſed etiam infantem, hoc eſt, placidum, mitem, humilem, manſuetum, gratioſum, qui etiam læſus inſtar infantis porrecto pomo facillime placatur, omnibus donat & condonat, omnibus arridet, &c. In hominibus honores ſæpè mutant mores, ut etiam frater fratrem agnoſcere nolit. Non ita in fratre noſtro, qui nequaquam inflatus venit aut ſeverus tantave majeſtate, ut præ timore aut reverentia, nemo eum alloqui, nemo ad eum auderet accedere. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, inquit Iſaias cap. 9. & iterum cap. 42. *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet* (tametſi videlicet ſuper hoc ambularet & pedem figeret) quia omnibus etiam deſperatis parcere, cedere & ſalutem impendere ſatagebat.

Tertiò, Invenimus eum foris, id eſt, habitu viſibili; non jam abſconditum in ſinu Patris & cœli penetralibus, nec amplius latentem ſub velo figurarum, ſed manifeſtatum, ita ut jam Deum noſtrum agnoſcere, alloqui, audire, videre, tangere poſſemus.

Quartò, Deoſculandum ſe nobis præbuit, hoc eſt, familiariſſimum & dulciſſimum, ita ut ſi velimus, omnem in eo dulcedinem & delectationem reperire poſſimus; uti facere ſolet mater, quæ filiolum dulciſſimum toties oſculatur, quoties intuetur, aut in ulnas accipit. Ita fecit Magdalena & haud dubie S. Simeon, eoque officii genere Chriſtus delectatus eſt. Ita faciunt etiamnum Sacerdotes, cum in S. Miſſa toties oſculantur altare & librum, quæ Chriſtum repræſentant. Idem facere quotieſcunque volunt, poſſunt fideles in S. communione.

Quintò, *Iam nemo nos deſpiciet.* Non Angeli boni, qui ſe ex hac hora conſervos noſtros fatentur & adorari à nobis nolunt. Vti in Apocal. videre eſt. Vnde hodie fiunt internuntii noſtri. *Quia enim cœli Rex*, ait S. Gregorius in homil. ſuper hoc feſtum, *terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa jam angelica celſitudo non deſpicit.* Non mali, qui jam à nobis vincuntur & luduntur, quos vincere conſueverant & ludere.

F. V. *Vobis.*

Quintò, Vobis. Non ſibi, non angelis, ſed vobis hominibus natus eſt, Primò quia in utilitatem & rem veſtram, quæ ſanè maxima eſſe debet, quando propterea Deus tam longinquum iter ſuſcepit & tam arduam rem fecit. Vnde S. Proſper ſent. 30. exclamat: *Quid futurus eſt homo, propter quem Deus factus eſt homo?* Cui bene reſpondet S. Bernardus ſerm. 4. ſuper miſſus eſt: *Magnificetur à nobis parvulis*, inquit, *magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus eſt parvulus. Parvulus*, ait, *natus eſt nobis, non ſibi, non angelis.*

Secundò quia modo Chriſtus factus eſt veſter, ita ut omnia quæ habet, novit, poteſt, veſtra ſint; ac ſi liceat dicere, ipſe totus veſter eſt, veluti mancipium veſtrum. Quicquid enim lucrifacit, quicquid poſſidet & poſſidebit, veſtrum eſt, imò ipſum Deo quodammodo vendere, eoque ſalutem veſtram comparare & debita redimere poteſtis. Mirum in modum lætantur victores, cum adverſæ partis Ducem aut Regem ipſum ceperunt, putant enim ſe cum eo omnia cepiſſe. Nam obtinent ejus ſpolia, opes, Cimelia: obtinent cauſam belli, ſeu bona, pro quib. pugnabant, obtinent captivos ſuos,

quos facile possunt redimere, si cum Rege eos velint commutare: obtinent partem regni ejus, quàm libens offeret Rex pro sua liberatione. Hac ratione vos, Christiani, possidetis hodie Deum, quanta hæc gaudii materia? Descripsit hoc vestrum gaudium Isa. cap. 9. dudum prævisum cum ait: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.*

G. VI. *Hodie.*

Sextò, Hodie, primò, quia hodie, id est, statim vult & potest salvare. Est enim nobis Christus Salvator in præsenti, Patribus olim erat in futuro, ideoque in limbo expectandus. *Defuncti sunt omnes isti*, ait Apost. ad Hebr. 11. *non acceptis repromissionibus* (de cœlesti videlicet regno possidendo) *sed à longè eas aspicientes & salutantes*, quomodo videlicet navigantes in mari salutant patriam, cum eam à longè incipiunt videre; vel quomodo lupus, ut est in proverbio, Choream circa puteum agit, dum siti æstuans, aquam putei, quam haurire nequit, crebrò saltem aspicit, ut vel aspectu ejus non nihil refocilletur. Ita actum cum illis Patribus. Audi unum ex illis, Davidem, suspirantem pro hac aqua: *O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam?* Arbitror Davidem in spiritu respexisse ad Christum in sinu Deiparæ existentem in stabulo Bethlemitico, portæ vicino; quem velut aquam omnium dulcissimam & limpidissimam desiderabat bibere. Quod patres adeo desiderabant & à longe aspiciebant, id nos hodie possidemus.

Secundo quia noctem in diem convertit, in diem, inquam, perpetuum. Erat quidem nox, cum natus est Salvator & pastoribus annunciatus (*custodiebant enim vigilias noctis*, Luc. 2.) hodie tamen, ajunt angeli, non hac nocte: quia *nox præcessit, dies autem appropinquavit*, dies inquam, gratiæ, in qua jam clare videmus, quomodo nos, ut salvi fiamus oporteat ambulare: ad quod indicandum, *Claritas DEI circumfulsit tunc pastores*, Luc. 2. Idem prædixit Isaias cap. 9. *Habitantibus in regione umbræ mortis, Lux orta est eis.* Et Oseas cap. 6. *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.* Ergò ut illucescente die fugiunt in antra sua bestiæ rapaces; prodit contra homo ad laborem suum: ita decet Christianos fugatis vitiorum tenebris virtutibus studere, juxta Apostoli monitum ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus.*

CONCIO II.

TITULI SALVATORIS NATI.

I. Admirabilis.
II. Consiliarius.
III. Deus.
IV. Fortis.
V. Pater futuri sæculi.
VI. Princeps pacis.

THEMA.

Reversi sunt pastores, glorificantes & laudantes DEUM, Luc. 2.

A.

FErtur Archimedes inventa permisti auri atque argenti ratione è blaneo nudus præ gaudio cucurrisse domum, clamans: εὕρηκα, εὕρηκα, id est, inveni, inveni. Simili vel majori potius gaudio repletos audimus in hodierno Evangelio pastores, postquam in præsepio invenerunt infantem, ab Angelis sibi ostensum. *Reversi* enim *sunt*: inquit S. Lucas, *glorificantes & laudantes* DEUM, quasi dicerent, Invenimus, invenimus: Sed dicite nobis pastores, cur adeò exultatis? Quid vidistis? Quid invenistis? Respondebunt, se invenisse mirabilem & omnibus retro sæculis inauditam auri atque argenti, hoc est, divinæ naturæ cum humana permistionem, seu verius conjunctionem, qua intimè sibi unitæ, ab invicem tamen discretæ manent. Invenerunt enim DEUM hominem, positum in præsepio. Invenerunt Emmanuelem, id est, nobiscum DEUM. Quod si clarius adhuc nosse volumus, quid sit DEUS homo; id nobis exponit Isaias cap. 9. cum sex honorum titulis eum depingit, dicens: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus. Admirabilis, Consiliarius, DEUS, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, Merito igitur exultastis, ô pastores, qui hunc talem & tantum invenistis; sed & nos vobiscum jure exultamus, quia & nobis invenistis. Nunc verò convertamur ad eum, qui inventus est, ut sciamus quis & quantus sit.

B. I. *Admirabilis.*

Primò, Admirabilis est, nec una ratione, 1. in Incarnatione, ea siquidem tantum opus DEI est, ut teste D. Thoma part. 1. quæst. 25. art. 6. non possit DEUS facere melius aut majus; quia non potest facere meliorem hominem, quàm fit DEUS homo: nec majorem conjunctionem, quam divinæ & humanæ naturæ, infimi & summi. *Plus distat* DEUS *& homo, quam universum & nihil*, inquit Franciscus Mayro Doctor Paris. qui illuminati cognomen meruit, in sermone de Annunciatione, *quia non adeo distat; Nihil à finito quam finitum ab infinito.* Unde concludit, opus Incarnationis majus esse opere creationis. Itaque duæ naturæ distantissimæ, divina & humana junctæ sunt in una persona, eamque constituunt DEUM & hominem. Unde *DEUS invisibilis suis*, inquit S. Leo serm. 2. de Nativitate, *visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens, cœpit esse ex tempore; universitatis Dominus, servilem formam obum-*

obumbratæ majestatis dignitate suscepit; impassibilis DEVS, non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subjacere. Similia habet S. Bern. ser. 2. super missus est: *Videas*, inquit, *si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari; DEVM denique lactentem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem, &c.*

A.

Secundò in Conceptione & Nativitate: quia mira Spiritus Sancti obumbratione conceptus, matre Virgine natus est, dum clauso ejus utero in lucem prodiit. Adhæc infans omni sapientia præditus fuit ejusque anima, protinus ut creata fuit, DEVM vidit. Quæ majora miracula vidit unquam Orbis? Vidit olim solem stare tempore Iosue, retrogredi tempore Ezechiæ: nunc videt DEVM seipsum exinanientem & ad terram retroeuntem. Vidit Moysis Virgam in serpentem mutatam: Videt nunc DEVM in hominem peccatoribus similem mutatum. Vidit olim Eliam in cœlum ascendere: videt nunc humanam naturam ascendere ad Deitatem. Vidit Virgam Aaron sine cultura florentem: videt nunc Virgam Iesse absque viri opera florem Christum proferentem. Vidit rubum incombustum: Videt nunc Virginitatem cum maternitate conservatam.

Tertiò, In operibus suis, vita, miraculis, doctrina, passione, gentium vocatione (uti pastorum per angelos, Magorum per stellam, gentium per Apostolos solum duodenos &c.)

B. I. *Admirabilis.*

Quartò, In sanctis suis, quorum corda tangens, mirum in modum immutat, extollit & virtutibus adeò perficit, ut mundus eos miretur colatque velut terrestres Deos, utpote magnorum miraculorum patratores & mirabilium virtutum cultores, mirâ DEI gratia (quæ ferè in unoquoque propriam quandam excellentiam habet) coruscantes. Denique S. Bern. ser. 2. de Circumcis. ait: *Nunquid verè admirabilem eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principiũ, cùm incipimus respuere, quod diligebamus, dolere, unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis planè, qui hæc operatur mirabilia.* Hæc Bernard.

C. II. *Consiliarius.*

Secundò Consiliarius. 1. quia est sapientia DEI patris omnia gubernans ac dirigens, mundi rector, Angelorum Magister, &c. Sedens in cœlo velut in Cathedra ad docendos homines, si intenti esse velint, uti intellexit etiam scripsitque Plato in Epinomide.

Secundò, quia secundum humanam etiam naturam vidit Deum semper, & requievit super eum spiritus sapientiæ, Consilii &c. Vidit ergò omnia DEI Consilia circa sæculum præsens & futurum, circa Angelos & homines, electos & reprobatos.

Tertiò, quia sapientissimo consilio peregit opus redemptionis humanæ & œconomiam salutis nostræ, in hominum instructione, novæ legis sanctione, diabolicarum fraudum detectione, Eucharistiæ institutione, gentium vocatione & Iudæorum reprobatione, virtutum implantatione & vitiorum eradicatione.

Quartò, Quia bonis consiliis homines ad salutem dirigit, nec non hominum consiliis dirigendis ad eundem finem præest. Ipse est qui verbo & exemplo docuit sectari Evangelica consilia, castitatem, obedientiam & paupertatem: ipse qui eadem inspiravit tot hominum millibus, quos per eorum sequelam ad perfectionem & vitæ sanctitatem perduxit miro compendio & perducit hodieque. Deinde dedit nobis optima consilia fugiendi peccata & gehennam, sectandi virtutes, DEVM & vitam æternam; siquidem suo exemplo & doctrina docuit nos *reprobare malum & eligere bonum*, Isa. 7. Docuit inquam malum esse voluptates corporis, opes, honores: bonum verò afflictionem, paupertatem, contemptum: quia hæc elegit, illa reprobavit infans sapientissimus. Consuluit suo exemplo, ut in mundi hujus mensa quæramus sedere ultimo loco, quò nimirum audiamus: *Amice, ascende superius*; quemadmodum & ipse veniens in mundum, recubuit in stabulo, ac denique in latronum medio; unde tamen posteà ascendit super omnes cœlos & sedet à dextris DEI. Hoccine ergò non est optimum consilium, acquirendi summum in cœlo locum? Denique in rebus dubiis & gravibus optimus noster Consiliarius est, si eum requiramus & consulamus; quod sanè inprimis facere deberent Magistratus & Consiliarii principum, qui si ante consultationes suas priùs os Domini interrogarent, precando & audiendo S. Missam more veterum, non tam lignea consilia cuderent, quàm sæpe experiuntur multi. Deinde quisquis es, si in dubio hæres, nesciens quid agendum: adi hunc *Consiliarium*, seu ut 70. habent, *magni Consilij Angelum*; si de statu vitæ deliberas: implora hunc Consiliarium; si in periculis vel tentatione es: accurre ad hunc Consiliarium. Fecit hoc Iosaphat, Regis filius, qui cum fraudulenter, à fœmina gentili, patris instinctu tentaretur, ut ejus amplexu frueretur, addita sponsione, fore eam tunc Christianam, videret proinde ne hanc animam perderet, quam tam facilè lucrari posset; hæsit aliquamdiu perplexus, sed conversus ad orationem cognovit fraudem serpentis & astum patris; itaque tentationem vicit. Vt in ejus vita apud Dam. c. 30.

D. III. **DEVS.**

Tertiò, Deus. Hebr. *El*; quod est DEI nomen. Docet ergo Isaias Christum esse verum Deum, illum videlicet, de quo paulo ante c. 7. dixerat: *Ecce Virgo incipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod in Christo impletum esse scribit S. Matth. c. 1. quia Christus revera fuit nobiscum *El*, id est, DEVS. Est autem Christus Emmanuel, seu nobiscum DEVS. 1. In S. Eucharistiâ, ubi verè adhuc nobiscum est, cum suâ divinitate & humanitate,

sicut

sicut olim fuit in terris & nunc est in cœlis, & quotidie renovatur mysterium Incarnationis ejus. Per verba enim consecrationis, verè & realiter ut transsubstantiatur panis, ita producitur & quasi generatur Christus in altari adeò potenter & efficaciter, ut si Christus necdum esset incarnatus, per verba consecrationis incarnaretur corpusque humanum assumeret, uti graves Theologi docent. Sacerdos ergo est quasi Deipara, præsepe altare, parvulus Emmanuel, quem quodammodò gignit Sacerdos, est Christus sub parvâ hostiâ productus per virtutem Altissimi. Vnde benè dixit Tho. de Kempis. lib. 4. de Imit. cap. 2. *Ita magnum, novum & jucundum tibi videri debet, cùm celebras aut Missam audis, ac si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.* Quando ergò nobiscum habemus Deum, summum bonum, summe nobis communicatum, quid amplius concupiscimus & præter ipsum quærimus? si enim extra ipsum, honores, opes, voluptates quærimus & amamus; nónne hoc ipso negamus, eum esse Deum & summum bonum nostrum? nónne hoc ipso recedimus ab eo, qui nobiscum esse voluit?

2. Per gratiam, illuminationem, consolationem & corroborationem. Hanc enim gratiam & benevolentiam suam vel reipsâ nobis confert, cùm extra statum peccati simus: vel assiduò nobis offert, cum in statu peccati sumus; siquidem variis modis quærit, vocat, urget, excitat peccatores, ut resipiscant. Idcircò noluit vocari: Nos cum Deo; sed Deus nobiscum. Vt enim non nos Deum, sed Deus nos quæsivit: ita etiam hodie quærit sæpe nos, cum ab eo fugimus & in perniciem nostram ruimus.

3. Per singularem protectionem & custodiam, qua tuetur Ecclesiam suam & membra ejus. Expertus id est S. Stephanus, cui pugnanti adstitit, manum & palmam porrexit. Expertus S. Petrus, cui de carcere fugienti obviavit extra Romam, & Martyrium insinuavit, inserens ei mentem, vires & robur ad redeundum & Martyrium excipiendum. Expertus in naufragio & aliàs sæpe Paulus. Expertus S. Antonius in luctâ cum dæmonibus. S. Ignatius Romam pergens, cum sibi dicentem vidit & audivit: *Ego vobis Romæ propitius ero.* S. Xaverius, qui in Indiam profecturus, objectis, sibi per somnium ærumnis Indicæ peregrinationis, tantum earum horrido licet aspectu roboratus & animatus fuit, ut exclamaret; *Ampliùs, Ampliùs*, ut in Hist. Soc. tom. 1. lib. 3. Taceo SS. Martyres aliosque innumeros, quibus luculentur adfuit Christus in afflictionibus. Quòd si igitur Iosue & Caleb Hebræos trepidantes ascendere ad terram promissionis & pugnare cum hostibus, hac voce animarunt; *Dominus nobiscum est, nolite metuere*, Num. 14. Multò magis nos, qui revera Emmanuelem habemus, animosi esse debemus ad quævis aspera aggredienda & subeunda. Si ergò acris insurgat tentatio, si dæmon, si melancholia, si ira, si cupiditas, si amici, si inimici ingruant, Emmanuelem cogita, Emmanuelem invoca.

E. IV. *Fortis.*

4. Fortis. Hebr. Potens, vel ut Vatablus vertit, hæres fortis: Hujus ortum annunciavit Gabriel; quod nomen sonat, Fortitudo Dei. De eodem dixit Baptista: *Veniet fortior me post me*, Marc. 1. Fortis autem 1. est quia fortem illum armatum, dæmonem vicit, spoliavit & ligavit, longè illo fortior, uti parabolicè insinuavit Dominus Luc. 11. cum ait: *Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, &c.* Evertit ergò hic David totum Goliathi illius regnum, mundum, peccatum, mortem, infernum. Hunc nobis adjungamus, quando nobis colluctatio est sive adversus carnem & sanguinem hostesque nostros visibiles, sive adversus spiritualia nequitiæ & principes tenebrarum harum. Potens enim est protegere nos in omni tribulatione & arcere potestates aëreas. Sine ejus auxilio vana est fortitudo nostra.

2. Quia acerbissima quæque fortissimè & constantissimè pro nobis passus est: labores scilicet innumeros, tormenta exquisitissima, mortem crudelissimam.

3. Quia aliquando servos suos fortiter defendet & potenter exaltabit; vicissim contra impios fortiter pugnabit gladio oris sui, in die scilicet judicii, cum judex vivorum & mortuorum reget eos in Virgâ ferrea & tanquam vas figuli confringet. Huc respexit Baptista, cum dixit Luc. 3. *Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni: cujus ventilabrum in manu ejus* (en judicii discussionem) *& purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

F. V. *Pater futuri sæculi.*

5. Pater futuri sæculi, 1. quia futurum sæculum novæ legis seu futuros Christianos veluti pater filius ad novam & Evangelicam vitam adeoque ad sanctitatem futuri sæculi instituit. Velut enim alter Noë demersis in ejus sanguine peccatis, in arcâ suæ Ecclesiæ salvavit Christianos, & ita novi sæculi auctor fuit & parens.

2. Quia post passionem resurgens in cœlum adscendens ejus januam nobis aperuit, resurrectionem item & vitam alterius sæculi æternam promeruit.

3. Quia in futuro demum sæculo verè noster Pater erit, cum nos filii in sinu ejus positi jucundabimur. Quò facit versio Vatabli, qui vertit; *Pater æternitatis:* Hoc est quod 1. Ioan. 3. legimus; *Charissimi, nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit similes ei erimus*, q. d. sumus quidem hic filii Dei, sed pro talibus non agnoscimur, quia mundus non videt internum nostrum decorem, noscet autem in futuro demum sæculo, ubi non jam obscuri, viles, despecti,

despecti, sed splendidi & beati erimus & apparebimus hæredes Dei & beatitudinis ejus.

G. VI. Princeps pacis.

6. Princeps pacis. Est enim verus Rex pacificus, cujus typus tãtum fuit Salomon; siquidem in mundum veniens pacem per Angelos annunciavit. & è mundo recessurus pacem nobis commendavit & reliquit, eamque triplicem 1. est inter nos & Deum; medium enim parietem, qui à DEO nos diviserat, dissipavit, dum per sanguinem suum nos Deo reconciliavit. 2. inter homines ipsos; dum omnes gentes, priùs tam discrepantes, efferas, inter se dissidentes & dimicantes ad unam Ecclesiam congregavit, & in ea vinculo pacis & charitatis Christianæ colligavit sibique mutuo devinxit. Quod indicare voluit, dum tempore pacifico, S. Leo Papa serm. 6. de Nativitate ait: *Natalis Domini natalis est pacis: ergò singuli fideles offerant patri pacificorum concordium filiorum.* 3. homines cum seipso, quæ est pax conscientiæ interna, quando videlicet cor nostrum nõ reprehendit nos. Hanc pacem cùm in nobis experimur, Principi pacis adscribamus: cùm nõ experimur, ab eodem repetamus, cum illo nos reconciliemus, & aderit princeps pacis serenaturus conscientias nostras.

Hi sunt tituli honorum, Salvatori nato debiti, quos breviter complens S. Bernard. ser. 10. inter parvos, ait: *Admirabilis est in Nativitate, Consiliari⁹ in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione. Pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine.* Sunt verò hi tituli Mesiæ, ut vidimus tam gloriosi; ut 70. Interpretes eorum majestate exterriti, non sint ausi eos transcribere in suam translationem, sed vice omnium posuerint tantùm unum, scilicet: Magni Consilii Angelus: ne videlicet gentilibus incredibiles viderentur; uti observat Hector Pintus in Isai. c. 9.

CONCIO III.

DE TRIPLICI NATIVItate Christi.

I. Æterna generatio.
II. Humana.
III. Spiritualis.

THEMA.

Generationem ejus quis enarrabit? Isai. 53.

A.

TRes hodie diversas Missas legit Ecclesia in honorem sc. triplicis Nativitatis Domini: Uti colligi potest est ex singularum Evangeliis. Prima Nativitatem ejus in carne significat, ut patet ex ejus Evangelio. Secunda Nativitatem ejus in cordibus fidelium per gratiam, ubi in Evangelio splendor divinæ gloriæ circumfulsit pastores. Tertia Nativitatem ejus æternam. *In principio erat Verbum, &c.* Prima est ex matre absque Patre; Tertia ex patre absque matre; secunda absque patre & matre, proprie loquendo. Prima Nativitate natus est semel; secunda nascitur sæpe; Tertiâ nascitur semper, Prima facta est in terris; secunda in mentibus hominum; Tertia in cœlo. In primâ nascitur Homo, in secundâ homo Deus: In tertia DEus, Prima est humana, Secunda Spiritualis; Tertia divina. Omnes sunt admirabiles. Eas igitur non tam explicabimus, quàm ostendemus non posse explicari. Explicari enim eas omnimodò non posse, patet ex Concilio Tolet. 11. c. 1. Dionysio. 2. de div. nom. Vnde Iustinus de Confess. Trinit. *Non est*, inquit, *ut quisquam ex me modum hujus unionis sciscitetur*, non pudebit enim fateri ignorantiam, imò gloriabor potiùs, quod credam arcana quibus initiatus sum, quæ nec ratio nec mens percipere valet.

B. I. Æterna Generatio

Prima, Æterna Domini generatio an non admirabilis est? gignitur è patre filius, qui tamen eo junior non est, sed coæternus. Accipit totam divinitatem à patre, & tamen pater eo minus non habet. Nascitur semper & æternum nascitur; Vnde Ioannes dicit: *In principio erat Verbum*; & tamen semper est, fuit & erit perfectus. Nascitur absque matre per intellectum, imò per solum aspectum, quo se pater ab æterno inspexit. Quod ut magis intelligatur, sciendum hominem per intellectionem producere verbum mentis, quod est Idea rei cognitæ. eique per omnia simile; præterquam quòd accidens est. Similiter ergò fit in DEO. Iam verò DEus quid aliud ab æterno intelligere & inspicere potuit, quam se ipsum, cum præter ipsum & extra ipsum nihil esset? Inspiciendo ergò & suam totam Divinitatem, & quicquid in eà latuit, id quod necessario facere debuit, necessaria etiam generatione producit in se Verbum, suique Ideam; quæ quia accidens esse non potest [cùm DEO nihil abesse nec quicquam aliud in eo esse posit, quod non sit DEVS] sequitur esse DEVM quoque & producenti ex vi productionis, quæ est per Ideam & in similitudine intelligentis, simile per omnia: excepto, quòd terminus est productus, & consequenter persona diversa à producente. Exemplum in igne, qui producit primò circa se splendorem, ab hoc & igne simul juncto procedit lumen. Si ignis ab æterno fuisset, ab æterno splenduisset, & per utrumque ab æterno lumen protulisset.

C. II. Humana.

Secunda. Est humana in carne, cujus hodierna est festivitas; Et hanc quis enarrabit? talis ea est, ut is qui natus est, DEVS & homo, una tamen sit persona, non duæ. Finitus est infinitus, parvulus & immensus, temporaneus & æternus, creatus & increatus, passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis. Quis audivit talia? Cæterum

res ita gesta est in hac conjunctione, ut natura humana hypostasi sua destitueretur, & in personalitate divinâ subsisteret, quæ personalitatem humanam supplebat eminenti quadam virtute. Ad eum ferè modum, quo unum candelabrum, cujus duplex ramus aureus & stañeus in eadem basi aurea tamen consisteret. Basis enim & subsistentia in Christo divina tantum est, naturæ verò duæ, aurea id est, divina, stannea, id est, humana. Cæterum multa sunt in hac generatione difficilia intellectu. Primum, Naturarum diversarum assumptio, quæ sic aliquo modo declaratur à Durando in 3. d. 1. q. 1. D. Th. ead. d. q. 1. a. 1. Est arbor v. g. Pyrus habens duos ramos, quorum uni inseritur surculus mali, ut unus surculus sit pyri, alter mali : sic enim eadem arbor illa duplicem habet naturam & duplicem operationem, quia duplices parit fructus. Ita similiter in Christo duplices sunt operationes, secundum naturam humanam, timet, plorat, patitur, moritur : secundum divinam verò minimè.

2. Est earundem naturarum diversarum Vnio, quæ declaratur ab Athan. in Symb. Cyrill. in Epist. ad Monachos : &c. per unionem animæ & corporis, quia sicut ex utroque unus constituitur homo ob vinculum unionis, ita ex divina humana natura una constituitur persona ob unitatem subsistentiæ, quæ divina & una est & utramque naturam sustinet. Similiter in proposito exemplo primo. Vna arbor dicitur, quæ tamen pyrus est & malus, coaluit enim uterque ramus in unam & eandem arborem.

3. Est Verbi prærogativa, ut enim surculus ille mali, beneficio arboris pyri vivit, germinat & fructificat, non contra : sic humanitas beneficio Verbi sustentatur, non contra.

4. Est Idiomatum communicatio, quæ declaratur à Dam. l. 3. de fide c. 8. & 26. Cyrillo de incarn. c. 8. per carbonem ignitum aut ferrum candens, vel etiam per subjectum cum accidente, à Scoto in 3. d. 1. q. 1. Bonav. d. 6. q. 3. v. g. per parietem album : paries comparatur Verbo, albedo humanitati. Nam uti paries denominatur albus, & hoc album dicitur paries : ita Verbum dicitur homo & homo Verbum, cæteraque idiomata sibi mutuò communicant. Sic carbo ignitus, ignis dici & lignum ; ferrum candens, ferrum dici & ignis potest. Similiter in supradicto exemplo eadem arbor pyrus & malus dicitur: pyrus dicitur: producere mala, malus pyra.

5. Est Verbi immutabilitas : quæ declaratur à S. Paulo ad Phil. 2. per vestem & vestitum, cum ait: *Habitu inventus ut homo* : & Esa. 63. *Quare rubrum est indumentum tuum ?* Hanc similitudinem recipit Aug. lib. 83. quæst. q. 73. D. Th. 3. p. q. 2. a. 6. Sicut enim vestis operit carnem, cum induitur, sed discooperit, cùm exuitur, idque sine omni carnis mutatione : sic Christi humanitas operiebat quodammodò Verbi divinitatem absque ulla ejus mutatione. Similiter in primo exemplo : Si surculus mali insertus exaresceret, non ideò pyrus exsiccaretur. Ratio est, quia pyrus surculo independentior est & suo modo anterior ; ita Verbum existendi rationem & prioritate anteit humanitatem ; & si aridus ille surculus reviviscerer & floreret, non ideo pyrus mutaretur : sic Verbo nihil in se advenit, cum unitum est humanitati ; nec decessit, cùm mortua est natura humana in Cruce : nec denuò accessit quid mutationis in resurrectione.

6. Est Verbi solius & non totius Trinitatis incarnatio ; quod à S. Bonav. in meditat. vitæ Christi, sic explicatur : Quemadmodum cùm quis induit tunicam habens ex utroque latere adjuvantem unum , qui teneat manicas & induentem juvet. Tunc enim tres cooperantur ad induendum, & unus tantùm, medius scil. induitur, non reliqui. Et in primo exemplo, si pyrus illa concipiatur habere tres ramos, quorum medio soli surculus mali insertus est, sic enim surculus ille in arbore quidem, sed non in quolibet ramo insertus est ; ita etsi tota Trinitas effectivè concurrit ad opus Incarnationis, sola tamen filii persona eam terminabat & carnem assumpsit. Denique induis annulo digitum, cujus tres quidem sunt articuli annulum gerentes; sed uni adhæret annulus. Hinc bene à S. Iacobo in epist. can. c. 1. vocatur Christus insitum verbum, ut exposuit Concil. Viennense. Truncus est persona Verbi : surculus insertus, natura humana. Quæ mirabilis insitio commodè incidit in Ver, diem sc. Vigesimum quintum Martii, quo etiam tempore consuevit fieri in hortis insitio surculorum.

D. III. *Spiritualis.*

Tertia & Vltima est, quâ DEVS per gratiam generatur in cordibus fidelium. Et hæc quoque mirabilis est & inexplicabilis. Primo enim quis non obstupeat videns DEVM venire ad pastores, id est, vilissimos homunciones ? Dominum gloriæ habitare velle in cordis humani vilissimo stabulo, in quo paulò antè plurima stabulantur vitiorum pecora ? Cum illis se recreare, cum dicat: Delitiæ meæ esse cum filiis hominum ? eosdem zelo magno amare, Æthiopissam videlicet tam turpem, tam ardenter tantaque zelotypiâ, ut ægerrime ferat si quis alius creaturæ amorem sibi præripiat ? Eisdem secreta sua revelare ? eos gratiæ suæ splendore circumfulgere ? Si de modo roges, mirabile inprimis est, quomodo ad hominem veniat, quomodo recedat. Vnde S. Fulgent. lib. 2. ad Trasimund. ait: *Veniunt* [Pater, Filius & Spiritus Sanctus] *atque abeunt proprio atque incomprehensibili modo.* Mirabile etiam est, quomodo qui ubique est, in homine per gratiam novo modo inhabitet, cùm per essentiam, præsentiam, & potentiam, sit ubique. Quis enim modus ille ? Respondeo primò, sicut amatum in amante. Sic princeps iter faciens, licet plurimas civitates peragret, & in pluribus hospitiis divertat: in nullo tamen est velut amatus apud amantem, sed ubi tandem ad fratrem vel amicum suum divertit,

quem

quem visitaturus venit, tunc verè dicitur esse novo modo in palatio illo,&c. Sic etsi DEus sit etiam in peccatoribus, & locis omnibus, est veluti peregrinus & hospes, apud Iustum autem velut apud amicum intimum. D. August. in Soliloq. ait: *Tantam interdum in adventu Spiritus sancti dulcedinem degustavi, quod præ gaudio inenarrabili, quod intus habui, me esse hominem penitus ignoravi.*

2. Sicut cognitum in cognoscente: eo ferè modo, quo quis incedens personatus, per plurimas vadit domos; non tamen ubique se discooperit aut cognoscendum præbet, ubi verò ad amicum optimum venit, ibi larvam sibi detrahit, ludit, bibit, saltat & fidentissimè agit. Simili modo Deus peccatori se non revelat, licet in eo sit, & quasi cum hoste diffidenter agit; quomodo Christus *non credebat se Iudæis, eò quod nosset omnes*, Ioan. 2. E contra veniens in domum Marthæ, confidenter egit.

3. Sicut Episcopus in templo, de quo 1. Petr. 2. dicitur: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Habet etiam domi suum stabulum Episcopus, sed id nequaquam ornat, quia equorum est habitaculum, tametsi etiam ipse sæpius in id descendit: Templum vero suum, ubi sedes ejus est, ornat, perpolit, aulæis vestit, &c. Sic ornat DEus animam viri justi gratiâ & virtutibus; Non item peccatoris, ubi stabulantur bruta, carnalia desideria, affectus sensuales, peccata mortalia.

Quartò sicut amicus in amico sibi reconciliato. Reconciliatus enim alteri suam illi denuò tradit voluntatem spondens se facturum: quod alter voluerit: sic dicimus. **Er hat sich ihm wieder ergeben/** vel insinuavit se in amicitiam illius, id est, quasi in sinum illius dedit. Sic Deus se insinuat in cor justorum: *quia voluntatem timentium se faciet*, ait Psal. 144.

Superest nunc ut videamus, num in nobis etiam hodie Christus natus sit. Parum enim proderit nobis natum esse in Bethlehem, si non sit in nobis natus, Quæramus igitur cum Magis: *Ubi est, qui natus est:* Quæramus cum Israëlitis Exod. 17. *Estne Deus in nobis, an non?* Angelus certe pastoribus tribus potissimum argumentis videtur persuasisse Christi nativitatem. Primò suavissimo suo concentu; secundò designatione loci & aliarum circumstantiarū, quas investigare hortabatur. Tertiò miro splendore, quo eos circumfulsit. Similiter & nos persuasum habebimus, Christum in nobis natum esse, si experiamur tria illa sancti Spiritus dona, quæ recenset S. Bern. ser. 2. in die Pentec. *pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen.* Pignus salutis, si conscientia nos non redarguat, sed jubilet & testetur, quòd simus filii Dei. Robur vitæ, si cum gustu & delectatione ad Christum festinemus, adversa toleremus & bona operemur. Scientiæ lumen, si cum omnia fecerimus, servos tamen inutiles nos pronunciemus, & quidquid in nobis invenerimus, illi tribuamus, à quo est omne bonum.

CONCIO IV.

PRÆCIPUI FINES, OB QUOS verbum caro factum est.

I. Redemptio.
II. Instructio.
III. Exemplum.

THEMA.

Et verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, Ioan. 1.

A. Sacrosancta Ecclesia, cùm prædicta verba legit vel audit, in genua procumbit; idque meritissimò, nec unam tantùm ob causam. In genua cadit ob stuporem & admirationem, quòd DEum cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, cui inserviunt stellæ & vocatæ dicunt: *Adsumus*, ante quem Cherubim & Seraphim tremunt, & facies suas velant, videat in terra, in stabulo, in præsepi, inter bovē & asinum jacentem. Hoc enim admiratur in Spiritu prævidens Abacuc c. 3. [juxta translationem 70. interpretum] dicens: *Domine consideravi opera tua & obstupui: in medio duorum animalium cognosceris.* In genua procumbit ob exemplum Angelorum, qui & ipsi Dei Filium in mundum introeuntem adorarunt, ut Apostolus testatur in Epistola hodierna dicens: *Cùm iterum introducit* UNIGENITUM *in orbem terræ*, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, ad Hebr. 1. In genua cadit ob exemplum DEI ipsius; si enim DEI Verbum, quod ab æterno procedit ex ore Patris, hodie in terram cecidit & Caro factum est; quomodo non in terram cadat, &, fieri posset, infrà terram, caro ipsa & homo? In genua procumbit ob gratiarum actionem: Si enim reus quispiam morti adjudicatus, & alicujus magnatis precibus vita donatus, meritò, ante liberatorem suum in genua procumbit, & gratias agit; cur non id ipsum faciat Ecclesia, quæ fatetur se, olim à Deo Patre gehennæ adjudicatam, nunc à Filio liberatam? Iustum igitur ac dignum est, ut in genua procidamus, dum verba ista legimus. Verùm ut accuratiùs videamus, quàm meritò id faciamus, videbimus quamobrem præcipuè Verbum Caro factum sit.

Tres præcipui fines sunt, propter quos opus tam stupendum factum est à Deo.

B. I. *Redemptio.* Primus & Principalis, & qui juxta communiorem sententiam, adæquata Incarnationis causa [sine qua Incarnatio Verbi facta non esset] est, ut hominem lapsum erigeret, & redimeret à Tyrannide peccati. Sciendum enim, hominē per sequidem cadere posse, non autem per se resurgere; tum quia homo in peccato constitutus, quicquid agat, Deo gratum & pro peccato ejus satisfactoriū esse non potest, quia ab inimico Dei proficiscitur, tum quia peccati mali-

tia infinita est[offendit enim infinitum & summum bonum]quicquid autem boni operatur homo, finitum est; Vnde *homo, qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret qui suæ incarnationis mysterio ejusdem nobis paradisi iter aperiret*, inquit S. Gregor. lib. 12. moral. c. 7. Accidit nobis, quod Elephanti, qui ut refert Bart. Angl. l. 18. cap. 43. ita capitur: Venator sciens Elephantem semel lapsum ob corporis molem & ineptitudinem resurgere non posse, ideoque dormientem ad arborem quampiam se inclinare, investigat cui arbori se jungat? illam ergo priùs plusquam mediam secat: postmodum ad arborem se inclinans, eam pondere suo deiicit & simul corruit, atque ita à Venatore capitur & erigitur. Venator Diabolus dejecit nos per arborem in Paradiso, dum Evæ ad eam inclinatæ persuasit noxiam non esse, sed salutarem: atque ita cecidimus, ut ope propria resurgere neutiqnam poterimus. A solo Deo erigi potuimus. Et potuisset quidem absolute loquendo Deus nos erigere per solam suam misericordiam, absque interventu Mediatoris, vel omninò gratis omnem culpam condonando, vel ab unoquoque homine aliquam imperfectam satisfactionem exigendo, vel alicui homini puro obligationem imponendo, offerendi pro se & aliis aliquid per modum satisfactionis, quod DEVS acceptaret. Sed hoc modo Iustitiæ Dei satisfactum non fuisset, quia nulla omninò proportio fuisset inter debitum & satisfactionem. Necessarium igitur ad bene esse, seu omninò conveniens, imo spectata DEI justitia omnino & absolutè necessarium fuit, ut Deus ipsemet redimeret hominem, lapsum erigeret & pro eo satisfaceret, qui solus infinitam offerre satisfactionem poterat. Non sanè necessarium fuit Deo, quasi ipse reparare nos cogeretur, [poterat enim nos relinquere in fovea, in quam cecideramus; quis enim eum cogeret ad nos eripiendos?] necessarium tamen fuit nobis, ut eriperemur. Videns igitur hâc nostram miseriam Deus, misit filium suum in mundum, qui pro nobis juxta rigorem Iustitiæ satifaceret, & pro infinito debito nostro, infinitam offerret satisfactionem. Et hoc est quod sancti illi Patres adeò expetierunt, cum David e Ps. 143. dicente: *Emitte manum tuam de alto & libera me*, Hoc enim audebant petere, ut ipsis omnem culpam omninò gratis condonaret, quia videbant hoc nimium esse, & justitiæ Dei, si demerita nostra consideremus, parum conveniens; petebant ergò per manum Dei, id est, per filium ejus redimi, qui unico satisfactorio opere pro omnibus satisfacere poterat. Nec possumus nobis persuadere, nos [si hunc modum Deus adhibere noluisset, sc. per filii Incarnationem & rigorosam ejus satisfactionem] aliter liberandos fuisse: sed haud dubiè omnes in fovea peccati meritò relinquendos. Sic enim Luc. 19. dicitur: *Venit filius hominis: quærere & salvum facere, quod perierat.* Ergò perieramus, juxta quod hodie canimus: **Wär uns das Kindlein nicht gebohren/ so wären wir allzumal verlohren.**

Videns igitur Deus lapsum hominis tam gravem & irreparabilem; videns, inquam, hominem illum saucium jacentem, qui descenderat de Ierusalem in Iericho, id est, visione pacis, quam habebat in justitia originali, in Iericho, id est, lunam sc. mundum hunc mutabilem, de loco edito in humilem, de securo in periculosum, semivivum, id est corpore vivum, anima mortuum, appropiavit & de equo suo descēdit, dum per incarnationem de cælo ad eum venit, eumque jacentem in jumentum suum sustulit, dum ejus debita in se suscepit, pro illo in carne sua passurus, & ita in hospitium & *pandochium*, id est, diversorum omnium Ecclesiam, ubi per salutaria sacramenta totus sanaretur, adduxit. Non juvabant miserum sacerdos & levita, tametsi prius præterierunt, id est, lex naturæ & scripta, nec ullus hominum quantumvis justus, quia & ipsi descendebāt eadem via, qua miser ille jacēs; juxta illud ad Rom. 3. *Omnes enim in Adam peccaverant, & egebant gloria Dei.* Solus igitur Samaritanus, id est, custos hominum, Christus potuit eum juvare, lapsum erigere & sanare. Descendit igitur de cœlo in terram, de gloria in lutum, in stabulum, in crucis ignominiā: Descendit item de jumento corporis sui, cùm id in morte sua reliquit. Et hæc est causa, cur Christus à Iudæis per probrum Samaritanus appellatus & Dæmoniū habens ad prius non responderit, sed ad secundum tantùm. *Ego Dæmonium non habeo*; quia sciebat se revera Samaritanum nobis esse, licet altero sensu, quam Iudæi illi intenderent. Hinc puto nos intelligere, quanta hominum fuerit miseria post lapsum, & proinde quantū Christi beneficium, hominem erigentis. Constituamus enim hominem semivivū, nudum, saucium in sylva jacentem solùm. O quantum ille sibi optabit aliquem, qui cùm è præsentissimo mortis periculo eripiat, & in diversorium aliquod gerat? Certè paralyticus ille ad piscinam jacens 38. annos in infirmitate habēs[qui & ipse Adami lapsi typus est] lamentabatur, quod hominem non haberet, qui eum mitteret in piscinam, cum aqua movebatur: *Domine, hominem non habeo*, inquit, *ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Ioan. 5. in quem locum S. Aug. in tr. 17. in Ioan. ait: *Verè necessarius erat homo ad salutem, sed homo ille, qui, & DEVS est, &c.* Acquisivit igitur hominem & nos cum eo omnes, Christum videlicet qui illum & nos sanavit. Vnde jam dicere non possumus: Hominem non habeo. Habemus Samaritanum, qui lapsos erexit & in suæ humanitatis jumentum sustulit. O quātum obligamur huic homini, huic Samaritano?

C. II. *Instructio.*

Secundus, Vt nos doceret, & sanaret nostram cœcitatē & ignorantiā, in quam deveneramus. Quanta autem ea tunc fuerit, ex eo cognosci potest, quòd homines penè omnes præter Iudæos, Dei veri cognitionem perdiderint: singulæ ferè nationes singulos sibi Deos adsciverint, creaturas, Solem, Lunā, Ignē, serpentes, boves, imò opera manuū suarum, lapides & ligna: deniq; & homines scelestos, Fures, Mere-

Meretrices, homicidas, dæmones quoque ipsos pro Diis suis colerent, & tanto quidem numero, quanto fere sunt stellæ cœli. Et hoc faciebat non modò rudis populus, sed etiam eorum doctissimi, & alioqui in naturalibus scientiis peritissimi; paucissimi enim illorum, si tamen aliqui, Deum verum agnoverunt. Adhæc Deos illos suos spurcissimis & crudelibus sacrificiis colebant, filios & filias mactabant & crudelissimis modis enectas immolabant: impudicitiis & turpitudinibus festa peragebant, per hæc & similia scelera Deos se placare existimabant, jus naturale violabant, homicidiis, incestibus, adulteriis, sodomiis, rapinis, quia ea omnia illicita non putabant, ut patet ad Rom. 1. In summa malum dicebant bonum & bonum malum, adeoque in tenebris plusquam Cymmeriis ambulabant, ac nisi Christus lucem doctrinæ suæ mundo intulisset, mundus adhuc magis & magis usque hodie delirasset. *Sicut enim qui in tenebris ambulat*; ait S. Chrys. hom. 36. operis imperf. *si semel viam perdiderit, interdum tota nocte ambulat juxta viam errans, & non inveniet viam donec superveniat dies: sic & homines ambulantes in erroribus vel peccatis postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam veritatis notitiam redire non poterant, nisi dies, scilicet Christus, venisset.* Hæc ille. Quod ad Hebræos attinet, tametsi illi primò in lege naturæ magnam & postea in lege scripta adhuc majorem de Deo cognitionem habebāt, hac tamen sua sapientia nulla inveniebant media, quibus à suis erroribus & peccatis liberarentur, aut passiones animi frænarēt. Vnde paulatim vitia quasi in naturam, & errores quasi in jura transibant, ut multa non haberent pro vitiis quæ gravissima erant: ut legi Dei suas traditiones anteferrent, legem Dei depravarent & juxta affectū ac sensum suū malè interpretarentur, atque ita, ut Dominus de Legis peritis dixit Luc. 11. *Clavem scientiæ* tollerent & clauderent regnum cœlorū sibi & aliis. Et hoc indicant Sacerdos & Levita, qui viso jacente saucio homine transierunt; viderunt enim miseriam & infirmitatem naturæ lapsæ, sed remedia non videbant, nec juvare poterant, Lex quidem naturæ valde cæcutiebat in plurimis; Lex scripta multa noverat, sed auxiliari & errores corrigere nōpoterat; ad eum modū, quo Musicus aliquis imperfectus advertit quidem errare cantores, ad rectum tamen tonum, & consonantiam reducere non potest. Solus igitur Christus sufficiens lumen mundo afferre potuit, quemadmodum & attulit ac proinde meritò lucem mundi se vocat, Io. 8. 9. & 12. ubi ait: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Docuit enim nos viam Dei in veritate: naturalē legem firmavit, & quodammodo restauravit anteà penè collapsam: Scriptam rectiùs quam legisperiti soliti erant, interpretatus est: errores circa utrique intellectū illapsos correxit: novas præterea & perfectiores fidei & sacramentorū leges instituit, ut ita viam salutis faciliùs & securiùs ambularemus: Vnde ait, *non veni solvere legē, sed adimplere*, Matt. 5.

C. II. *Instructio.*

Fecit hac in re Deus, quod Prof. Mathematicæ solet, qui supra Cathedram suam stans describit in tabulis figuras aliquot Mathematicas, astrolabium, circulos cœli &c. Proponitque oculis discipulorum & posteà in scriptis dictat quidnam sibi velint. At videns quia Discipuli rem intellectu non assequuntur, descendit de cathedra & figuras à se descriptas digito commōstrans explicat atq; ita discipulorum oculos aperit. Descripserat primò Deus modum rectè vivendi in cœlo & creaturis, ipsoque rationis lumine signato super nos, teste David Ps. 4. *Quis ostendit nobis bona? signatū est super nos lumē vultus tui Domine.* Sed quia parum hinc profecerunt homines, dictavit eundem explicatius in tabulis Moysis, quas & per Prophetas satis declaravit; sed homines in earum intellectu adhuc cœcutiebant; descendit igitur de cœlo, ut coram illis digito suo omnia explicaret erroresque eorum emendaret. Significat hoc parabola de ove perdita & per devia aberrante, quam pastor bonus relicto cœli deserto venit reducere: hoc parabola de drachma perdita & in tenebris jacente, quæ non nisi accensa incarnationis Dei lucerna, inventa ad lucem producta est: ac quemadmodum res quæsita ubi inventa est lumen extinguitur: ita postquā homo perditus à Christo inventus est, lumen mundi in monte calvariæ extinctum est. Deniq; ad hoc indicandū vult S. Aug. tract. in Ioan. & lib. 50. homiliar. hom. 43. Christum, ut sanaret cœcum natum, Ioan. 9. expuisse in terram, & fecisse inde lutum eoque quasi collyrio oculos cæci sanasse. Saliva ex ore prodiēs quasi Verbum est, lutum natura humana cui unitum verbum patris, hominem excœcatū illuminavit. Ex quibus intelligimus, quanta nostra fuerit miseria, quantum Christi beneficium. Nam si res miserrima est cœcitas corporalis, uti dixit Tobias ille cœcus, ab angelo gaudere jussus: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen cœli non video?* multò miserior est spiritualis, & sicut Tobias rursum illuminatus vehementer gavisus est & benedixit Deum dicens: *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti & tu salvasti me*: ita multò magis decet nos mente illuminatos facere hodierna præsertim die.

D. III. *Exemplū.*

Tertius, fuit: Vt nobis ad omne virtutum exercitium exemplo suo præiret, sicque doctrinam salutis efficacius persuaderet, & nos ad sequendum incitaret. Dissuadebat quidem Deus per legem veterem & ora Prophetarum, amorem caducorum bonorū, divitiarum, honorum, delitiarum, voluptatum, & suadebat ac prædicabat eorum contemptum, paupertatem, humilitatem, mortificationem, crucem & tribulationem, jejunium, castitatem, &c. Sed hæc omnia mūdo paradoxa videbantur; ista ferè omnes colebant, illa fugiebant & horrebant. Misit tamen subinde multos viros sanctos, qui illa amplecterentur & hominibus exemplo suo suaderent. Sed hi parum auditi sunt: nam eos habebant in derisum homines mundani & vitam illorum æstimabant insaniam: Sequebantur omnes majorem partem, quæ

quæ contrarium iter tenuit, eratque totus penè mundus. Quare DEVS tandem ipsemet de cœlo venit & vitam illam viamque tenuit, quam verbis prius docuerat; ut ita suo exemplo non solum ad eam sectandam omnes provocaret, verum etiam re ipsa doceret eam solam securam esse ad salutem viam: alteram verò periculosam & deviam. Hinc de pauperibus parentibus in stabulo, loco abjectissimo, summa in paupertate, medio frigore natus est, vitam humilem & pauperem duxit, tandem mortem turpissimam & crudelissimam subiit. Vnde S. August. lib. de vera relig. cap. 16. ait: *Tota vita Christi morum disciplina fuit. Satellites voluptatum divitias perniciosè appetebant: pauper esse voluit; honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit; Carnales suos filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemq́; contempsit; contumelias superbissimè horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit; Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria, quàm justum innocentemque damnari? dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est; Mori metuebant: morte mulctatus est; Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit.* Hæc ille. Fecit hac in re sicut ludimagister, qui ut doceat pueros efformare literas, primò describit eis exemplar A. B. C. Am, bm, cm, traditque ut imitentur scribendo, adjungit etiam illis peritiorem aliquem, qui eis assideat & scribendo præeat; sed cùm posteà inspicit eorum chartas, nil nisi rudes & informes literas sinistrè exaratas & manu tremula deformatas videt. Itaque ad eos se applicat, calamum arripit, & videntibus illis literas in ipsorum chartis format, aitque: Ita accipiendus calamus, ita manus ducenda. Præcipiebat quidem olim DEVS, quid sectandum, quid fugiendum, & adjungebat rudi mundo Prophetas & viros sanctos, qui exemplo eis præirent, sed frustra ferè; omnia enim sinistrè faciebant, fugienda sectabantur, sectanda fugiebant. Quid igitur consilii cepit DEVS? *O quis intelliget misericordias Domini, & auditas faciet omnes laudes ejus?* Descendit ad nos pueros de cœlis, adjunxit se nobis, accepit calamum; id est, carnem humanam fragilem, & cum ea præivit nobis exarando virtutum literas? Accepit & calamum illum, quem Iudæi in manus ei dederunt, (*Quia*, ut ait S. Hieron. in cap. 27. Matth. *calamus arundineus instrumentum erat multis adscribendum, propterea Christus calamum manu tenere voluit*) accepit contumelias, opprobria, crucem, paupertatem, humilitatem, natus est in stabulo, vixit in patria quasi in exilio, obiit in cruce & per hoc exemplum nobis dedit, ut sequamur vestigia ejus, q. d. sicuti oportet creaturis, sic in mundo conversandum, sic ambulandum. Figura Christi in hoc erat Elisæus 4. Reg. 4. qui ad resuscitandum filium viduæ mortuum, misit primò servum suum Giezi cum baculo suo, ut eo puerum tangeret: sed per hoc non revixit puer. Descendit ergò Propheta ipsemet de monte Carmeli, & incurvavit ac coarctavit se super puerum, ponendo os, oculos & manus super os, oculos & manus pueri: quo facto, calefacta est caro pueri & revixit: Elisæus Deus salvans exponitur, & Christum significat, qui præmisit quidem servos suos aliquos cum baculo miraculorum & sanctitatis, ad calefaciendum & vivificandum hominem, veluti Eliam & hunc ipsum Elisæum aliosque; sed non est calefactus, donec ipsemet descendit & incurvavit ac coarctavit se super illum in præsepio, cruce & sepulchro. Hoc enim facto vivificatus est mundus: & sicuti *cùm descendisset Jesus de monte*, Matth. 8. *secutæ sunt eum turbæ multæ:* ita ubi de cœlo per incarnationem ad nos descendit, & exemplo suo præivit; secutæ sunt eum turbæ & nationes integræ. Quis antea credidisset bonum esse egere, algere, despici, pati &c. postea id totus mundus credidit, quia hæc in Deo vidit.

Neque tantum persuasit exemplo suo ista, sed hoc ipso etiam stimulavit & incitavit homines ad se imitandum. Vnde August. super Psal. 35. ait: *Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignatur sequi vestigia Dei.* Nam exempla Christi longe differunt ab exemplis Sanctorum: hæc enim creaturarum sunt, quibus magnum non est, esse humilem, pauperem, afflictum, propter naturæ infirmitatem, humilitatem & vilitatem. Illa verò creatoris sunt, à quo aliena sunt talia.

Deinde solus Deus perfectum poterat esse virtutum exemplum, quod securè imitari poteramus: *Omnis* enim *homo mendax* & imperfectus. Quia verò Deum oculis videre non poteramus: ideò incarnatus est, ut præeuntem videre & imitari possemus. Vnde S. August. ser. 26. de Temp. ait: *DEVS sequendus erat, qui videri non poterat; homo sequendus non erat, qui videri poterat; ut ergo haberet homo, & quem videret homo, & quem sequeretur homo, Deus factus est homo.* In cujus rei figuram, cum Israelitæ per desertum peregrinarentur, præcessit eos Dominus per columnam ignis & nubis, ut nemo sequi timeret per quemcunque locum, Exod. 13. Et cujus nunc cor tam frigidum, quod beneficio hujus columnæ, Christi, nos per omnia præcedentis non incalescat; non alacriter sequatur? Æthiopem Regem forte claudicantem, aut simili defectu laborantem, imitantur amici & simul claudicant, & ob id solum claudicare pulchrum ducunt, Diodor. lib. 3. Et non magis nos sequamur Deum præeuntem? Quæ tanta superbia, ut non frangatur, videns, jacere Deum in stabulo? quæ tanta teneritas, ut non pudefiat, videns Deum in præsepi, fœno & frigore? quæ cupiditas, ut non satietur videns Deum involutum fasciis, nec obtinentem locum in diversorio? Non habet amplius excusationē homo, si non sectetur opera virtutum, cùm habeat præeuntem Deum.

Xenophon cum equo veheretur & pedites jugum quoddam occupare jussisset, & unus ex eis obmurmuraret dicens, facilè eum sedentem tam laboriosa imperare; desiliit & gregalem equo imposuit; cursuq; ipse pedestris ad destinatum jugum contendit. Cujus facti ruborem, cùm perpeti miles non posset, irridentibus commilitonibus sponte descendit. Xenophontem verò vix universi perpulerunt ut conscenderet equum & laborem suum in necessaria Duci munera reservaret. Refert Frontinus li. 4. c. 6. Poterat hoc idem quis de DEO cogitare, nondum incarnato, quòd scilicet hominibus ardua præciperet, ipse interim in cœlo sine labore degeret. Ne igitur id nunc cogitare quis posset: descendit de equo gloriæ suæ in stabulum & præsepe, & nos meliori conditione honoravit; quod indicat Samaritanus de jumento suo descendens & saucium illi imponens. Pudeat ergò deinceps videre nos Christum vagientem in præsepi, humilem, pauperem, patientem, obedientem, nos verò dormire in lectis eburneis, &c. Videmus igitur quod olim per Isaiam prædixit & promisit DEVS: *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac præceptorem gentibus*, Isa. 55. Testem (pacti scilicet inter DEVM & homines, quasi Fecialem) per opus redemptionis, præceptorem per instructionem; Ducem per exemplum. Restat nunc ut cum Samaritano illo leproso revertamur ad DEVM, & procidentes gratias ei agamus, ob tantum beneficium. Certè legimus dæmonem aliquando alapam impegisse Monacho non flectenti genua, cum in templo legeretur: *Et incarnatus est, &c.* dicens se æternum flexurum, si à Christo redemptus esset, quemadmodum nos sumus. Refert Auctor speculi, in specul. exempl. V. Dæmon. Ergò ne quid tale nos aliquando patiamur, dicamus cum Ecclesia in officio hod. *Christus natus est nobis; Venite adoremus.*

CONCIO V.

QUOMODO PERFECTIONES Divinæ in Christi incarnatione eluceant.

I. Bonitas DEI.
II. Charitas.
III. Misericordia.
IV. Potentia.
V. Iustitia.
VI. Sapientia.
VII. Providentia.

THEMA.

***Gloria in altissimis DEO*, Luc. 2.**

A. INitio Adventus monuit nos Apostolus & Ecclesia ex illo: *Hora est jam nos de somno surgere; quia propior est jam nostra salus.* Quo loco per horam, primum Domini Adventum, quo proximus nobis & in carne præsens factus est, pulchrè designat Apostolus. Quando enim sonat hora, omnes horologii rotæ simul circumaguntur & fragorem excitant, quæ priùs partim conquiescebant, partim movebantur, sed lentè admodum & sine strepitu. Ante Incarnationis horam gyrabat quidem Deus aliquas perfectionum suarum rotas, sed non simul omnes: Potentiam ostendit in creatione mundi, cum è nihilo omnia produxit: Bonitatem, cùm creavit hominem ad imaginem suam: Charitatem, cùm adduxit illi Evam & animalia: Iustitiam, cùm expulit è paradiso parentes nostros, diluvio perdidit nocentem mundum, vastavit igne Pentapolim, mersit Pharaonem, &c. Sapientiam ostendit cùm divisit ædificatores Babel in varias linguas & nationes: Providentiam ostendit, cum per Iosephum pavit Ægyptios & alias nationes, per manna Israëlitas in deserto; Misericordiam ostendit, cùm Adamum & Evam pellibus vestiit, Israëlitas ab Ægyptiaca servitute liberavit. Ninivitis pœnitentibus ignovit, &c. Dum verò gyrabat harum rotarum aliquam, aliæ quiescebant. *At ubi venit plenitudo temporis*, ut loquitur Apostolus ad Galat. 4. *quando misit DEVS Filium suum in mundum*, nulla divinarum perfectionum rota in mirando ejus horologio quievit, sed omnes simul motæ ingenti fragore perstrepebant: Bonitas, charitas, misericordia, potentia, Iustitia, Sapientia, providentia. Vt proinde meritò dixerit Apostolus & monuerit nos Ecclesia: *Hora est jam nos de somno surgere.* Ideò hac nocte, cùm sonat noctis media & cum canitur in Missa: *Gloria in excelsis DEO*, omnes campanæ resonant, quasi concinentes unà cum Angelis: *Gloria in altissimis DEO.* Quomodo verò perfectiones divinæ in Incarnatione Christi splendeant, id nunc ostendemus.

B. I. *Bonitas Dei.* Primò, Manifestata est Dei bonitas, de qua Apostolus ad Tit. c. 3. *Apparuit benignitas Salvatoris nostri DEI.* Dum seipsum humanæ naturæ, quam maximè potuit communicavit: siquidem proprii plasmatis infirmitatem assumpsit ac per hoc cognationem cum toto hominum genere contraxit, non aliam ob causam nisi ut nos tales faceret, qualis ipse erat, bonos scilicet atque beatos. Cum bonum sit sui communicativum, teste D. Dionysio, optimus ille censetur, qui maximè communicat. Tribus autem modis communicat se Deus hominibus ut notat D. Thomas in opusc. 60. Primò modo naturali, cum conservat naturæ ordinem. Secundò, modo supernaturali, cum per gratiam facit eos divinæ naturæ consortes. Tertiò, per propriam personalitatem, cum eam naturæ humanæ in unitatem suppositi copulavit. *Bonitas hæc & benignitas*, ait D. Thomas, *magna fuit in conjunctione DEI cum omnibus rebus per præsentiam, major, quia communicavit se bonis per gratiam: maxima, quia communicavit*

municavit se Christo homini & per consequens generibus singulorum in unitate personæ. Multam DEUS bonitatem ostendit in nos, cum contulit nobis imaginem suam naturalem, plus cùm etiam supernatulẽ id est, gratiã Plurimũ verò, cùm etiam personã propriam in Incarnatione. Cùm ergò DEI Filius naturam humanam induit, ut nobis virtutes suas, gratiam & gloriam, seipsum denique communicaret: quomodo non elucet in ejus Incarnatione summa ejus bonitas? Quando Rex aliquis humilem familiam multis afficit muneribus, divitiis, officiis, nobilitate, &c. magna reputatur gratia, sed si ex eadem sibi conjugem accipiat, & exinde familiam totam in regiam dignitatem & consortium regni sui evehat; tanta illa foret bonitas ut major esse non posset. Hoc est quod fuerit in incarnatione Deus; non enim contentus erat, nos ad imaginem suam creasse & aliis bonis ditasse: sed prætereà conjunxit sibi arctissima copula naturam nostram, ut hoc medio nobis virtutes suas, gratiam & gloriam summo, quo poterat, modo communicaret. An non igitur hic meritò exclamare deberemus cum Ioanne Baptista: *Domine, tu venis ad me?* Et cum Davide: *Domine quid est homo, quòd memor es ejus; aut filius hominis, quoniam visitas eum: Potuit loqui de cœlo,* inquit Theodoretus ser. 6. de græcar. affection. curatione, *ut omnes audirent, sed maluit flere in præsepio. Non angelum misit. Atqui medicos illos maximè laudare soletis, non quidem qui nos ministris suis curandos ægros committunt; sed qui pallium deponunt, linteolumque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, ulcusque si sit opus, incidunt, nec fœtorem ulceris aversantur, imò autem profluentem saniem excipiunt atque unguenta compingunt. Neque verò illos Reges admirari & laudibus ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis enutriti molliter, omni deliciarum genere perfrui solent, sed quibus grave non est, pro subditis hominibus caput periculis objectare, quique armis obtecti, in primâ acie cum hoste fortiter pugnant.* Celebratur meritò Alphonsi Regis Aragonum bonitas, qui agasonem juvit in erigendo de luto asino: cùm id famulis demandare potuisset. Panormit. l. 1. vitæ ejus: sed quid hoc ad Dei bonitatẽ?

C.
II.
Charitas.

Secundò. Charitas, dum tam arcta unione humanam naturam sibi connexuit, ut unus idemque esset DEUS & homo; quo omnes homines unum essent amore cum DEO. *Dante ipso eis filium proprium & cum eo omnia,* Rom. 8. Hanc verò *nimiam* appellat idem Apostolus ad Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem suam,* inquit, *quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.* Nimiam vocat hanc charitatem, duplicem maximè ob causam, ob quam solet amor pingi cœcus, quia non considerat defectus rei amatæ; Et infans vel puer, quia ad humilia se demittit. Primò ergò nimia fuit, quia DEI Filius ad mortuum in peccatis hominem vivificandum, de cœlo se dimisit & quemadmodum Elisæus super filium Sunamitidis, sese coarctavit, angustissimum hominis corpusculum subintrare non dubitarit. Veteres Germani, ut scribit Cornelius Tacitus in lib. de moribus German. Longo annorum spatio, nullum DEO templum aut aram ædificabant, quòd dicerent DEO injuriam fieri, si quis parietibus eum claudere præsumeret, nimisque angustam fore divinitatem, si ad angusti corporis formam compelleretur. Sed quod ipsi impossibile aut indecorum DEO putabant, hoc possibile & decorum fecit nimius DEI amor. Cum enim hominis corpusculum, quando anima ei infunditur, secundum Macrobium, non fit majus, quàm apis: secundum Aristotelem, lib. 7. histor. animal. quàm formicæ: nec sit dubium, Christum similem habuisse cum cæteris hominibus nascendi conditionem; certum nunc est, DEUM minimo corpusculo claudi non tantùm potuisse, sed revera clausum fuisse. Et certe infantili corpori inclusum, fasciis ligatum & in cunas repositum fuisse hodiernum prædicat Evangelium & canit Ecclesia: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis involuta Virgo mater alligat; & manus pedesque & crura stricta cingit fascia.* Sed quidnam est illud, quod adeo eum ligavit & constrinxit? Amor; propter nimiam charitatem, &c. quam habuit erga hominem. Solent enim parentes ob amorem erga tenellos liberos, cum illis infantire, balbutire, vocem tenuare, gressum tardare, repere, &c. Ita legimus Agesilaum magnum illum Principem Lacedæmoniorum, visum arundini insidentem & cum filio adhuc infante equitantem, apud Ælian. lib. 12. Hoc enim ut facerent, coegit amor nimius; qui & causa erat cur infantiret Deus. Secundò, Nimia fuit, quia inimicis impendebatur adeoque cæca quodammodo; *cùm essemus mortui peccatis,* inquit. Quam enim plenus vitiis, quamque perversus esset mundus, quando in carne venit Deus, vel S. Lucas indicat, cum asserit primò in hodierno Evangelio; tributum impositum Iudæis ab Augusto Romano Imperatore, & subditorum descriptionem ac professionem. Et cap. 3. cùm scribit Pilatum Tiberii Imp. Præsidem procurasse Iudæam, regnum Iudæorum ab eodem Imper. divisum in Tetrarchias, Pontificatum ab eodem modò huic, modò illi collatum esse. His enim indicat miserum regni Iudaici statum, quòd videlicet tunc exigentibus eorum peccatis premebantur jugo Romanorum & parerent Ethnicis gubernatoribus: quod Rege carerent: quod Pontificatus Simoniacos, & regnum Tyrannicos haberet usurpatores. Quibus accedit, quòd tunc jam à ducentis annis cessabat ordinarium illud prodigium, quod in gemma superhumeralis edebatur, idque exigentibus Iudæorum peccatis ut refert Iosephus lib. 3. antiq. ut taceam gentilium enormia scelera & extremam perversitatem, quam testatur Apostolus ad Rom. 1. Hunc ergò perditissimum

mundum

mundum ita dilexit Deus, ut propter illum infans fieri non dubitarit. Quam quidem nimiam charitatem figuratam fuisse vult S. Bern. ser. 59. in cant. in conjugio Moysis cum Æthiopissa, Num. 12. Quid enim erat perditus mundus, cum Deus per carnis assumptionem eum sibi despondit, quam turpissima Æthiopissa? sed nimirum amor Dei cœcus, qui non advertit rei amatæ defectus, hujus desponsionis causa fuit. Item in conjugio Sampsonis, qui in Thamnatam, terram Philisthinorum descendit, ut acciperet sibi conjugem. Poterat is habere unam de filiabus Hebræorum, cur ergò ex gente hostili, & incircumcisa deligit sibi sponsam? Vnde parentes ejus dicunt: *Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, quia vis uxorem accipere de Philisthiim, qui incircumcisi sunt?* sed, *hanc mihi accipe,* ait Sampson ad patrem, *quia placuit oculis meis,* Iud. 14. Potuerat Deus angelorum sanctorum naturam sibi unire; sed humana incircumcisa ei placuit. O nimia profectò charitas!

D. III. *Misericordia.*

Tertiò. Misericordia, dum ipsemet Deus in persona ad miserias nostras sublevandas venit, tristitiæque capax factus est, quò earum compassione tangeretur & proinde ad misericordiam & succurrendum miseris acrius moveretur. *Iacentes Paralytici in grabato,* ait D. Bernard. serm. 1. de adventu, *Divinam non poteramus attingere celsitudinem: proptereà Salvator & medicus animarum, descendit ab altitudine suâ.* Hoc significabat descensus Elisæi de monte ad vivificandum mortuum puerum. Hoc voluit Christi parabola, in qua Samaritanus descendit ab Ierusalem in Iericho & videns jacentem saucium, venit secus eum & descendens de equo sustulit illum in jumentum, ipse verò pedes incessit. Hoc est quod S. Augustinus dixit, non merita, sed peccata nostra Salvatorem è cœlo in terram detraxisse. Videns enim miserias nostras & pondus peccatorum importabile dorsa nostra premere, descendit ad nos, & illud in dorsum suum transtulit, ita ut sua diceret peccata nostra, & ut sua expiaret. Quanta hæc quæso in DEO misericordia? celebratur illa S. Eduardi misericordia, quâ claudum petentem ab eo bajulari ad ædem S. Petri, suscepit statim in humeros & ad ædem illam gestavit, ubi & convaluit æger. Celebratur meritò & illa S. Martini, quia pauperi partem chlamydis suæ dedit. Atqui hæc etiam fecit Deus, tanto præstantiori modo, quanto major est hominibus, & quanto miseriores eramus nos, quibus misericordiam impendit. Ipse nos in humeros sublatos gestavit ad templum gloriæ DEI: Ipse nos chlamyde humanitatis suæ texit & vestivit. Vnde merito cum Zacharia canimus: *Per viscera misericordiæ suæ visitavit nos.*

E. IV. *Potentia.*

Quartò, Potentia, dum summum, quod hominis honorandi & ditandi gratia, potuit, fecit, & duas naturas distantissimas adeò univit, humanam scilicet & divinam, ut eadem persona esset ac diceretur Deus & homo; nihilominùs tamen utraque natura maneret in sua perfectione, ita ut major non absumpserit minorem, nec minor obscuraverit gloriam majoris: sed his ita permanentibus tanta nihilominus inter eas unio intercederet, ut una tantùm persona esset in duabus naturis, & ambarum prædicata susciperet. Extra Incarnationis opus nulla talis est unio. Nam quando ex diversis rebus fit per compositionem natura quædam tertia, uti cùm ex diversis cibis & potibus generatur sanguis aut caro, nihil hoc est mirabile aut supra naturæ vires; quia intercedit inter eas commixtio & partium resolutio, ita ut pereat substantia cibi & potus. Atqui in opere incarnationis, manente utràque naturâ, divina & humana in sua perfectione, tanta nihilominus erat inter eas unio, ut omnia quæ divinæ naturæ competebant, etiam homini attribuerentur; & omnia quæ humanæ naturæ competebant, Deo etiam tribuerentur. Sic idem Dominus æqualis erat Deo, & minor Deo, passibilis & impassibilis, mortalis & immortalis, gloriosus & contemptus, &c. Magni opus artificii censetur globus in & sub aquis ardens, sed in eo tum ignis tandem ab aqua vincitur & extinguitur. Adhæc mirum valdè quòd fluvii aliqui in eodem alveo simul currant, sed interim non commixti seorsim quilibet naturam suam retineat, uti duo quidam in Macedonia apud Plin. lib. 31. cap. 2. & Rhenus in lacu Acroniano, sed natura tamen unius non potest prædicari de altero: quod tamen fit in Christo.

F. V. *Iustitia.*

Quintò, Iustitia, dum non vi & potentiæ via eripuit è potestate dæmonis & mortis hominem, sed per viam justitiæ; siquidem ipsemet Deus homo factus, debita hominum persolvit, suscepta in se mortis pœna, quam homines commeruerant, atque ita dæmon, qui hominem vicerat, per hominem rursum victus est. Potuisset quidem absolutè loquendo Deus hominem vi & potentia sua eripere à perditione: sed noluit id facere. Nam in omni Republica florente & benè ordinata vigere debet generalis illa lex, qua præmia statuuntur bonis, supplicia verò malis: alioquin enim Reipublicæ administratio interire debet. Multò igitur magis hoc in Republica divina & mundi gubernatione requiritur: in qua cum innumera & ingentia scelera committantur in proximum, in Deum, in ipsosmet peccantes, non erat conforme justitiæ, ut ea dissimularentur & impunita essent. Quia vero homo pro peccatis suis, utpote infinitæ gravitatis satisfacere non poterat: ut justa fieret compensatio & justitiæ divinæ usquequaque fieret satis, dedit nobis Deus filium suum & posuit in eo iniquitates omniū nostrûm, ut ipse exsolveret nostra debita, quod solus ipse poterat. Vnde quanta sit DEI justitia facile conjici potest. Quemadmodum enim Zaleucus Locrensium Rex, cùm legem tulisset, ut adulter quilibet utroque oculo orbaretur, & paulò post filius ejus, reus adulterii inventus esset, tùm ex lege urgebatur sua ad excœcandum filium; altera verò ex

parte tota civitas pro filii incolumitate & pœna ei condonanda rogabat. Itaque ne juſtitia offenderetur, ſibi unum, alterum filio erui fecit oculum: atque ita debitum ſupplicii modum reddit, *æquitatis admirabili temperamento ſe inter miſericordem patrem & juſtum legislatorem partitus*, ait Valerius Maxim. lib. 6. cap. 5. Ad eundem modum ne legi ſuæ æternæ, de ſceleribus puniendis vim inferret DEVS, in filio ſuo ultus eſt ſcelera generis humani.

G. VI. *Sapientia.* Sextò ſapientia, dum difficilimi pretii invenit decentiſſimam ſolutionem, & quidem mirabili invento, quo res tam diſtantes jungebantur. Nam homo ſatisfacere non potuit, quia hoſtis DEI erat: DEVS ſatisfacere non debuit, nec mereri potuit, quia ſuperiorem non habuit. Itaque mirabili inventione Deus homo factus eſt; & ſic qua homo pati potuit & Deo ut ſuperiori ſatisfactionem offerret, qua Deus verò contulit ſatisfactioni ſuæ valorem infinitum. Adhæc ſapientiſſimo artificio ſuperavit dæmonem per ſuam incarnationem. Primò diabolus, ut deciperet hominem, per ironiam & ludibrium dicebat: *Eritis ſicut Dij*, Gen. 3. Id quod aliter ſanè fieri non poterat, quam ſi ſe Deus ad hominem demitteret (ſiquidem homo ad Divinitatem aſcendere non poterat.) Igitur ut hanc dæmonis fraudē in ipſum Deus retorqueret, effecit ut reverà fieret, quod dæmon pro ludo habuit. Atque ita impletum eſt in dæmone, quod Deus dicebat de Sennacherib Tyranno, Iſa. 37. *Ponam circulum in labiis tuis, & reducam te in via, per quam veniſti.*

H. VII. *Providentia.* Septimò, Providentia, dum homini nudo, pauperi, derelicto & omnium rerum indigentiſſimo mirabiliter providit, ut per Chriſtum in omnibus juvari & ditari poſſet, ſi vellet. *Si enim Filium nobis ſuum dedit, quomodo non cum ipſo omnia dedit?* ad Rom. 8. Quare ſicut in Ioſepho oſtendit Deus providentiam ſuam circa corporalem neceſſitatem: ita ut per illum Ægyptii & aliæ plurimæ Provinciæ paſcerentur: ſic in Chriſto providentiam circa ſpirituales neceſſitates. Venientibus ad ſe famelicis Pharao dicebat: *Ite ad Joſeph & quodcunque ipſe dixerit facite*, Geneſ. 41. ſic de Chriſto dixit cœleſtis Pater: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, Ipſum audite.* Per Chriſtum ergò nobis in maxima egeſtate de omnibus rebus neceſſaria ad vitā æternam providit. Egebamus Doctore, in maximis ignorantiæ tenebris: Chriſtus ſuis doctrinis nos illuminavit. Egebamus Ductore, qui noſtram infirmitatem corroboraret & exemplo ſuo præiret in virtutibus: Chriſtus id ſtrenuè præſtitit. Egebamus medico, qui vulnera animarum noſtrarum curaret; & hoc fecit Chriſtus Sacramentorum medicinâ. Egebamus liberatore, qui pro nobis ſolveret debita illa, quibus ſolvendis non ſufficiebamus: Et ecce accepimus liberatorem. Egebamus excitatore, qui corda noſtra cœleſti amore accenderet; Et hoc fecit Chriſtus, innumeris beneficiis ad amorem DEI corda noſtra inflammavit. Egebamus perpetuo in cœlo advocato, qui cauſam noſtram ageret: & ipſe eſt, qui ſemper in conſpectu Patris ſtat & vulnera ſua ei repræſentat.

Quoniam igitur nunc omnia DEI attributa inclaruerunt mundo: hora igitur eſt jam nos de ſomno ſurgere.

CONCIO VI.

QUID MUNERIS ATTULERINT Chriſto Paſtores,

Agnus, qui eſt { *I. Norma Fidei.* / *II. Spei.* / *III. Charitatis.* }

THEMA.

Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, Luc. 2.

A. MOs antiquus erat non adire Reges niſi cum aliquo munere. Ita ſcribit inprimis Seneca Epiſt. 17. Non potuiſſe Reges Parthos ſalutari ſine munere. Deinde Cœlius Rhodiginus in lib. lect. antiq. refert, legem Perſis inviolabilem fuiſſe, ut cùm eorum Reges regnum viſitabant, ſubditi cum variis muneribus obviam eis irent. Vnde accidit, ut quidam Sineta adventante & obviante ſibi Artaxerxe, cùm non haberet, quod ei offerret, ad profluentem amnem ſumma celeritate curreret & hauſtam inde manibus aquam regi præſentaret: quod quidem ille munus gratiſſimum accepit, ut refert Ælianus. Adhæc regina Saba diverſa attulit munera Regi Salomoni, quando ejus Sapientiam voluit explorare, 3. Reg. 10. Denique tres Magi ſua etiam munera Chriſto nato attulerunt. Quæ cùm ita ſint, quid eſt, quòd ſoli Paſtores ſine munere ad Chriſtum veniunt? Nam ſi quid attuliſſent, id utique ſcriptum fuiſſet. Ad hoc, ſi mihi reſpondere liceret, dicerem ſimile munus attuliſſe, quale attulit Artaxerxi, is quem diximus Sineta: Paupertatem videlicet ſuam, & bonam voluntatem, quâ omnia ſua offerrent & quidem libentiſſimè, ſi modo quid haberent. Sed quoniam ignorare non poterant in lege ſua præcepiſſe Deum: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, arbitror etiam ipſos ſuum tuliſſe munus, non minùs quàm tres Magos. At quodnam munus illud à paſtoribus Chriſto oblatum? Audiemus & videbimus.

Memini me ſæpiùs vidiſſe imaginem Chriſti nati, & in ea paſtores tres oviculam ſuccollantes, quaſi eam ſolam de gregibus ſublatam habere potuiſſent & Chriſto obtuliſſent. Non diſplicet hic conceptus. Nam ſi benè expendamus id quod egêre hi paſtores, non obſcurè cernemus, optimè concordare cum agni proprietatibus.

Primò,

B. I. *Agnus est norma Fidei.*

Primò, Agnus fidei normam docet, quia non tam ex visu, quàm ex auditu cognoscit matrem; ejus enim vocem ex millibus agnoscit, licèt unus sit omnium balatus, unus color, odor, &c. imò licèt mater sibi ampliùs similis non sit, vel quia tonsa, vel quia aliter deformata; neque examinat matrem ad oculum, num verè ejus mater sit, sed ad vocem tantùm ejus attendit: quâ auditâ mox ad illam properat & ubera ejus sugit. Ad hunc modum pastores ex voce Dei per angelum intonante, Deum suum invenerunt, quem ex facie & per oculum invenire non potuissent. Nuntiabatur illis natum esse mundi Salvatorem, & interim dicebatur infans, pannis involutus, & in præsepio positus, quasi omnium pauperrimus; Cum tamen communiter expectarent Iudæi Messiam opulentum, magnificum, potentem. Deinde hunc nec dum etiam videbant, credebant tamen firmiter Messiam esse prout Angelus dixerat, siquidem non ajunt: Videamus utrum hoc Verbum factum sit; quemadmodum illi apud Salomonem Sap. 2. de Christo dixerunt: *Videamus si sermones illius veri sunt*; sed *videamus hoc Verbum, quod factum est.* Deinde postquam Christum viderunt, nihil prorsùs majestatis habentem, sed pauperculum & abjectum, adeoque Messiæ suo, quem Iudæi sperabant, prorsùs dissimilem; nihilominus eum crediderunt Deum suum esse, eique adhæserunt. Quanta est hæc fides? Parvulum credere immensum, natum in tempore, æternum: Pauperculum, fontem bonorum omnium? Bene de illis dici potest quod de Centurione illo S. Bernardus dixit serm. 28. in Cant. *Ad vocem credidit, ex voce agnovit filium DEI & non ex facie. Erat enim fortasse ex ovibus ejus, de quibus ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & cognosco meas & cognoscunt me meæ. Auditus invenit, quod non visus. Oculum species fefellit, auri veritas se infudit.* Et Centurio quidem vocem ipsius Christi audivit & credidit: Pastores autem vocem angeli tantum; & tamen crediderunt. Rectè igitur hanc suam fidem vocârunt Transitum: *Transeamus usque Bethlehem, &c.* Nam si opposuisses: Messias non est ita pauper, abjectus, infans, &c. respondissent illi: *Transeamus*, si opposuisses: Angelus tantùm hoc testatus est, non Messias ipse; dixissent: *Transeamus.* Ita ergò nihil te moveat, quòd particulam panis tantùm videas jacentem in altari: sequere potius auditum: *Hoc est corpus meum.* Item non te moveat, quòd Christum non audisti hoc dicentem, sed Ecclesiam tantùm. Deinde non simpliciter crediderunt, sed fidei opera junxerunt. Transierunt verò usque Bethlehem, Dei filium adorârunt & prædicârunt. Non sufficiebat illis, natum scire Messiam; sed videre quoque & venerari voluerunt. Simili modo non sufficit à Confessario tuo, vel concionatore audisse, quomodo hoc vel illud vitium expugnare, vel opus bonum exercere debeas: Facere debes, quod audisti. Illi angeli tui sunt, nunciantes tibi, ubi Christi gratiam invenias.

C. II. *Spei.*

Secundò, Agnus spem in Deum docet, siquidem hanc à Deo accepit naturalem propensionem ad sui conservationem, ut cùm armis & industria careat ad se alendum & tuendum, quando matrem perdidit neque reperire potest, balatu frequenti absentem excitet ac respondere & prodere se faciat; & nisi hoc haberet, periret utique; neque enim oves cæteræ ubera ei præberent. Itaque sicut Christus dixit de volatilibus, *quoniam neque serunt neque metunt, neque congregant in horrea; & tamen Pater cœlestis pascit illa:* sic etiam agnelli nullam habent industriam, quâ victum sibi quærant, veluti habent formicæ, Erinacei, &c. solam vocem habent, quâ matrem interpellant & perditam reperiunt. Simili modo pastores magnam in solo Deo spem & fiduciam ponebant; Primò quidem, dum in Bethlehem pergebant ad visendum Salvatorem, cùm tamen domus; in quâ maneret, indicata non fuisset. Quorsum enim tenditis Pastores? quis vobis demonstrabit diversorium, in quo Christus manet? nimirum certò sperabant Salvatorem sibi inveniendum & vel ad Deum rectà se ducendos, vel per Angelum, qui nunciârat, locum demonstrandum. Verissimi nimirum Abrahæ filii; nam ut Abraham jussus exire de terra sua, & pergere in terram aliam, quam Deus illi demonstraturum se promiserat, exiit *nesciens quò iret*, ut testatur Apostolus ad Hebr. 11. & tamen quia in Deo sperabat, optimam habitationem invenit in terra Chanaan: sic etiam pastores jussi quærere in Bethlehem Salvatorem, licet ejus diversorium non indicaretur, illicò pergebant, quia nihil dubitabant Deo comite se illum inventuros. Docemur ergò hic projicere nos in Deũ, cùm quid facere jubemur, quod efficere diffidimus. Vult quis emendare vitam, sed multa metuit obstacula, quomodo aliena sine detrimento honoris & victûs restituat, quomodo injuriam dimittere queat, quomodo Veneri suæ nuntium mittat: quomodo in proposito emendationis perseveret, &c. Atque ita differt vel omittit confiteri, quia non arbitramur gratiam Dei inventurum. Sed, *quid in te stas, & non stas?* ait S. August. lib. confess. c. 11. *Projice te in eum, noli metuere, non subtrahet se ut cadas. Projice te securus, excipiet te, & sanabit te.* Qui enim dedit velle, dabit & perficere. Deinde non metuebant ne greges, quos custodiebant, lupis præda fierent: neminem reliquerunt, qui interim pro ovili ageret excubias: sed omnes simul abierunt ad præsepe Domini. Quid facitis Pastores? Qui anteà super greges vestros, vigilias noctis custodiebatis? cur nunc abitis omnes? quis servabit greges vestros? nimirum sperabant absque dubio greges vel ab Angelis custodiendos, vel aliàs singulari DEI providentia incolumes fore; siquidem ad illum vocabantur, qui poterat omnia servare, in cujus manu cuncta sunt posita. Discite Christiani à primis Christianis confidere in DEO vestro, quando in servitio illius estis. Ipse enim servabit vestra, dum vos vacatis ipsi.

Sic enim promisit, Exod. 39. populo Hebræorum securitatem urbium & domorum, dum ter in anno omne masculinum ascenderet in Ierusalem ad templum. *Nullus*, inquit, *insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini DEI tui ter in anno.* Exemplo est S. Isidorus agricola nuper in Sanctorum relatus album, quo audiente sacrum, Angelus interim pro ipso arabat. Exemplo est S. Eduardus Angliæ Rex, qui aliquando, dum in Festo Pentecostes sacram audiret Missam, sub elevatione subito liberaliter risit. Rogatus deinde causam à proceribus, respondit se tunc in spiritu vidisse regem Daniæ, dum is sibi & Anglis bellum illaturus ad navem veheretur in cymba, & ex hac in illam conscenderet, pede lapsum & inter utramque navem demersum esse. Vnde se sperare certò ajebat, se vivente nihil funesti inferendum esse Angliæ à Danis. Alredus Rhievalia in vita. Ecce dum Rex vacat rei divinæ, Deus hostem ejus mergit.

Denique spei suæ (prout decet) jungebant etiam timorem; quia audito Angeli nuncio *timuerunt timore magno.* Nimirum cogitabant, qui & quales sumus nos: ut ad Deum nostrum per Angelum tam læto & honorifico nuntio vocemur? quomodo nos hanc gratiam unquam promeruimus? Quid si in nobis inveniat Deus aliquid sibi displicens? hunc in modum spei semper timor jungendus. Vt enim orbis cœli in duplici cardine circumagitur, ita hominis inter spem & metum securè volvitur, Spes roborat & elevat, ne desperes: Timor deprimit, ne præsumas; quod utrumque uti tota vita observandum est, ita etiam in sacra communione: spes quidem, quia ad bonum Dominum accedimus: timor verò, quia fortè non satis parati & digni sumus.

D. III. Charitatis.

Tertiò, Agnus charitatem docet, nam ita matrem amat, ut ea fortè perditâ nullibi consistere queat, sed hac illac discurrens & circumspiciens balatu matrem quærat, & ad solam ejus vocem mox accurrat: ita etiam amat compares suos, ut unitim pasci gaudeat, nec facilè ab iis segreget: Denique hominibus lanam suam communicat, qua & ipsi contegantur. Eandem præclarissimam virtutem attulêre Christo pastores: nam primò accepto de Salvatoris nativitate nuntio, eum ut viderent, spontè & injussi iverunt. Tametsi enim Angelus nunciavit eis Christum & ostendit locū, non tamen eos monuit, aut mandato compulit ut natum quærerent & salutarent. *Invenietis*, inquit, *infantem, &c.* nihil præscripsit. Sed nimirum satis erat pastoribus audisse nuntium de Salvatoris præsentia. Verus enim amor non indiget præcepto, ut amantem quærat, ultrò ad illum rapitur. Ita olim Petrus audiens Dominum stare in littore, statim misit se in mare ut ad illum natando properaret, Ioan. 21. Sic etiam Magdalena agnoscens ex voce Dominum se compellantem, *Maria:* statim cecidit ad ejus pedes, ut oscularetur illos. Ioan. 20. Ita nobis satis etiam esse debet, scire quòd Christus hac vel illa hora in templo offeratur, vel per plateas deferatur: illicò enim ad eum festinare, & coram eo in genua cadere debemus. Sufficiat nobis audire pulsum ad orationem angelicam, &c. non expectemus mandatum, ultrò autem procumbamus. Sufficiat nobis indicari tempus conveniens confessionis & communionis. Satis nobis sit monstrari pauperem opis nostræ indigum: non expectemus jussa.

Deinde ardorem charitatis suæ inde commendant, quod venerunt festinantes. Docent igitur nos festinare ad Christum, ad initium missæ, ad pœnitentiam, ad cætera bona spiritualia & cœlestem hæreditatem. Dicit quædam Lex: *Non est censendus hæres, qui non festinat capere hæreditatem.* Ita qui ignavus est ad omne id, quod in cœlo beat, non est censendus hæres cœli. Et mirum est profectò, quòd in res caducas tam avidè involemus, in solidas verò & æternas tam segniter. Vulneratur quis lethaliter, illicò currit ad Chirurgum; infirmatur aliquis; illicò quærit remedia & vocat medicum; rumpit aliquis vestem: mox sartorem adhibet; fame aut siti vexatur, illicò in panem potumq; ruit. Solum Deum & animæ remedia oscitanter & vix inquirimus: vulnera animæ lethalia diutissimè gerimus: perditam gratiam recuperare differimus: famem & sitim sacræ Eucharistiæ diu toleramus.

Denique in proximum quoque suam derivabant charitatem, imprimis se mutuò exhortando ad inquirendum Salvatorem: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum*, q.d. Nullus dormiat, nullus hæsitet; similiter è spectatoribus, utiq; non otiosis, prædicatores facti, Christum natum & magnalia Dei sibi ostensa, etiam aliis nuntiabant, ita ut omnes, qui audiebant eos, mirarentur. Sic sancta illa animalia alis se invicem percutiebant Ezech. 3. *Ala enim sua me percutit*, inquit S. Gregorius 24. moral. 6. *qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit.* Sic ergò & nos mutuò cohortari nos deberemus ad quærendum Christum & ad omne opus bonum. Inprimis verò parentes liberos suos, ut hoc sacro die surgant ad matutinum, confiteantur & communicent, &c. Dicat unusquisque ad proximum suum: *Transeamus usque Bethlehem*, seponamus ludos & ineptias, mundi curas & negotia, & serviamus in posterum Deo in Sanctitate & justitia. Dicat quisque ad inimicum suum: Eja frater quid litigamus? transeamus usque Bethlehem, accedamus ad eandem Christi mensam, & eodem communicemus pane. Dicat peccator ad suos complices: Transeamus usque Bethlehem: si pariter peccavimus: pariter pœniteamus. Nemo itaque dubitare potest fuisse hoc pastorum munus Christo infanti gratissimum: quid enim præstantius esse potest, fide, spe & charitate? de fide testatur S. Augustinus in lib. de ovibus: *Ille apud DEVM plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei.* Similiter & spes; ut enim displicet patri filius, qui eo posthabito, mendicatum abit: Ita eidem placet, qui

qui se totum in ejus curam resignat. Charitate quid præclarius esse potest, quæ hominē cum Deo unit? Itaque si hoc die tria ista munera, si hanc oviculam Christo afferemus, sat muneris feremus & longè plus recipiemus.

CONCIO VII.

CUR TAM HUMILIA SYMBOLA, Infantiam, Pannos, præsepe, elegerit sibi Christus.

I. Ob solvendum debitum.
II. Ob extirpandum peccatum.
III. Ob ducendum mundum.
IV. Ob redimendum hominem.
V. Ob plantandam perfectionem.
VI. Ob reconciliandum mundum.

THEMA.

Hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio, Luc. 2.

A. MEritò quis miretur, cur tam vilia symbola, vel signa adventus sui elegerit sibi Mundi Salvator, qui ad tam grandia peragenda venerat. Solent enim Magnates quanto potentiores sunt, tanto majori pompa instituere introitus suos in aliquod regnum vel civitatem. Præmittunt famulos, præfectos, equos, currus, tibicines, ipsi stipantur satellitibus, explodunturtormenta, &c. At nihil horum præsefert DEI Filius mundum hunc ingrediens; tametsi eum debellaturus, & in potestatem suam redacturus venerat. Nullus exercitus, nulla vexilla, nulla arma, nulla tormenta, nulli equi catafracti, nulli currus aut lecticæ, nullus vestium ornatus, &c. Sed infans tantùm panniculis involutus, positus in præsepio. *Et hoc vobis signum,* ait Angelus, *Invenietis infantem pannis involutum, positum in præsepio.* Sed, hæccinè sunt symbola Ducis, filii DEI, Salvatoris? An non hæc tam vilia majestatem divinam dedecent? Magna esse debent, quæ magnatibus conveniant: Hæc autem abjecta sunt, parva sunt & talia, quæ mundus abominatur. Et quid mirum si Iudæi non agnoverunt Christum, quem Magnum expectabant magnis ingressurum symbolis? Sed sciendum est, aliud esse judicium DEI, & aliud mundi judicium. *Quod altum est hominibus*, inquit Dominus Luc. 17. *abominatio est coram DEO.* Coram DEO magna sunt, sola animæ bona, quæ sunt spiritualia: & coram Deo magnus est, qui iisdem præditus est & abundat. Sic de Ioanne Baptista dicit Angelus: *Erit enim magnus coram Domino*, Luc. 1. non sanè potentia vel opibus, quia incedebat nudis pedib⁹, vestitus pilis camelorum, sine domo, sine lecto, sine famulis, victitans è cibis, qui bestiis communes erant; sed sanctitate & virtutibus. Nequaquam igitur vilia aut parva sunt Christi symbola, sed magna & præclara, quia maximè sanctitatis & virtutum indicia, quæ qui vult cognoscere, exuere calceos debet, hoc est mūdi opiniones; & videbit quod jam dixi.

B. I. *Ob solvendum debitum.* Conveniunt hæc symbola Christo. Primò, quia venit Christus in mundum, ut peccatum Adæ solveret, quod illi commisit, solvere tamen non potuit. Appetiit verò Adam fieri DEO similis & sciens bonum & malum, id est, omniscius per esum pomi: Ideò meruit fieri dissimillimus. Ergò Christus infans factus est, quasi nihil omninò, & ne loqui quidem sciens: ut sic aptissimè notificaretur illa DEI Ironia: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; id est, factus est infans & ignorans, quia omnia scire voluit. Et huc nî fallor, tendunt illa verba Isai. 7. Emmanueli, Christo nato dicta, *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, q. d. scientiam boni & mali quæsivit homo per esum ligni vetiti; sed non est hæc ratio scientiam hanc acquirendi. Infans fieri debet & infantibus usitatos cibos [ut solebant esse in Iudæa, butyrum & mel teste Em. Sâ ibid.] degustare debet, antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, quod priùs inordinatè appetiit. Debuit igitur ac voluit deprimi Christus ad infantilis ignorantiæ speciem, quia Adam divinæ scientiæ similitudinem appetierat.

Deinde Adam innocentiam & justitiam originalem perdidit, ideoque tunicâ pelliceâ vestitus & tanquam nota & stigmate peccati: [quia ante peccatum vestibus non eguisset, nec erubuisset ob suam nuditatem] itaque eandem peccati notam & funestam tunicam inducere debuit Christus, ut ei ea velut peccator & reus Adami peccatum lueret. Solet in quibusdam locis reis supplicio afficiendis, quando ducuntur, funesta quædā certæ formæ tunica indui, quam ut infamem jure meritoq; omnes aversantur, nec facilè quis reperiretur, qui eam pro altero licet amicissimo indueret. Ejusmodi fuit illa tunica, quam induit Adæ Dominus, & exinde omne nostrum vestimentum, stigma est peccati. Sed quoniam ipse per hunc amictum satisfacere non poterat pro peccato, idcirco eum induere Christus ipse debuit, qui solus satisfacere potuit. Vnde Apostolus ad Philip. 2. *Exinanivit semet ipsum formam servi accipiens & habitu inventus ut homo.* Denique Adam per peccatum suum subjecit se sensualitati & corporalibus passionibus suis, quibus imperare debuerat, juxta id Ps. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis.* Et hinc etiam imperium, quod prius habuit in bestias, perdidit & ab illarum plurimis impeti, fugari & occidi cœpit in pænam inobedientiæ suæ. Christus itaque pœnam

hanc luiturus, in bestiarum locum missus, adeoque in præsepio bestiis subjectus & quodammodò substratus est.

C. II. Induit itaq; Dominus parentis nostri personam in ipsa infantia, & maledictionem ejus in se sustulit. Videte, quid nos illi pro hoc amore debeamus.

Ob extirpandum peccatum Secundo, Venit Christus, ut peccata extirparet, juxta id 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius DEI in mundo, ut dissolveret opera diaboli*: id est, peccata. Sunt autem tres radices omnium peccatorum, quæ in mundo committuntur, nimirum tres illi mali amores, quos in Canonica sua epistola enumerat Ioannes 1. Ioan. 2. cum ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Concupiscentia Carnis est amor voluptatum, concupiscentia oculorum est amor divitiarum, superbia vitæ est ambitio. Finxerunt Ethnici poëtæ præ foribus inferni excubare Cerberum tricipitem perpetuò famelicum. Similimus huic Cani est appetitus sensitivus, qui in corde nostro semper excubat & esurit triplici appetitu delectationes carnis, opes, honores. Reliquum igitur erat ut Christus, qui peccata exterminaturus venerat, securum ad has eorum radices exscindendas poneret. Hoc autem fecit, tres illis contrarias virtutes induendo & mundo inferendo atque implantando prævio suo exemplo. Nam dum Dei sapientia infans facta est, humilitatem induit nunquam anteà auditam: & ita superbiæ radicem exscidit: Dum pannis involutus est, paupertatem induit, quia maximæ ejus divitiæ panniculi isti erant: & sic avaritiæ radicem extirpavit: Dum in præsepio positus aspero scilicet lecto & tempore hyemali; vitæ asperitatem seu carnis mortificationem induit atq; ita ejusdem carnis delectationem seu voluptatum radicem exterminavit. Quòd si igitur Christ⁹ efficaciter tollere eas radices & philosophiam hanc persuadere mundo voluit, debuit his virtutibus ipsemet indutus & instructus venire, parum alioquin effecturus, nisi ipse nos præcederet, postquam verò DEI filius ipsemet his virtutibus præcessit, cæteros homines ad earundem amorem & imitationẽ pertraxit. Quis enim non libenter & expeditè faciat, quod viderit facere regem suum? Noluit Vrias descendere in domum suam & dormire in lecto suo, etiam jussus à suo Rege: propterea quòd sciret dominum & Ducem suum Ioab dormire in castris super terram, 2. Reg. 11. Quis ergò nunc honores ambiat, opes amet, voluptates quærat, si seriò perpendat, Dei filium infantem factum, pañis involutum & positum in præsepio? Licèt autem multi sint etiã qui Christi exemplo non moveantur, vident tamen manifestè, se à Christo convinci de errore, & ambulare non sicut debent, sed sicut volunt. Ex alia parte in plurimorũ cordibus excisa sunt peccata per id exemplum Christi, & mundus pene totus abiit post eũ. Et hoc prædixit Ioannes Baptista, cùm ait: *Iam securis ad radicem arborum posita est*, Matth. 3. Christus nimirum, qui suo exemplo vitia mundi excidit, & virtutes illi inseruit.

D. III. *Ob docendum Mũdum.* Tertiò, Venit Christus, ut doceret mundum rationem & modum perveniendi ad veram felicitatem, quam ille priùs graviter aberrans, quærebat mediantibus rebus creatis, divitiis honoribus & fluxis voluptatibus, quæ tantum abest, ut ad veram felicitatam ducant, ut potiùs quàm longissimè abducant. Nam beatitudo seu felicitas hominis in hac vita consistit in operatione intellectûs præstantissima, quæ est cõtemplatio Dei ejusque magnitudinis ac mirabilium. In hac reperitur suavitas, par & satietas tanto præstantior mundi pace & suavitate, quanto suavior, ditior & amabilior est Deus omnibus creaturis. Vnde sapiens Sap. 7. postquam eam degustasset, præposuit eam regnis & sedibus; divitias, lapides pretiosos, aurum & argentum nihil esse duxit in comparatione illius. Hanc autem suavitatẽ non percipiunt omnes, sed ii tantùm qui palatum animæ habent ab omnibus rebus terrenis purum & liberum. Vt enim infirmus qui gustum habet corruptum & infectum malis humoribus, non rectè indicat de saporibus; ita ut non rarò dulce judicet amarum & amarum dulce: Ita is qui gustum animæ suæ malis peccatorum & affectuum sensualium humoribus [honorum, opum, voluptatum] habet corruptum, rerum spiritualium saporem degustare nequit. DEVS *enim*, ut inquit S. August. *est sapientia aut sapor animæ purgatæ.* Quod adeò verum est, ut Philosophi etiam Ethnici, quo naturali tantum Philosophiæ, quæ vix umbra sapientiæ divinæ est, suaviùs vacare possent, ejusque dulcedine perfrui; divitias merserint, honores fugerint, & voluptates aspernati sint, veluti Crates, Diogenes, Democritus & alii, quorum prior non parum auri & argenti in mare abjecit: alter opum, honorum ac divitiarum contemptor in dolio paucissimis contentus vixit: postremus agros suos reliquit, & pascua publica fieri passus est. Quod si isti, qui in contẽplatione creaturarum tantum versabantur, impediri se intelligebant ab illis cupiditatibus, quò minus contemplationi suæ vacare possent, quanto magis hæc impedient à contemplatione summi Boni à terrenis rebus remotissimi? Itaq; Christus sua humilitate, paupertate & vitæ asperitate, vel in ipsis cunabulis occidere voluit tres illos amores malos, à quibus expediti facilè evolaremus in altum & frueremur divinæ contemplationis dulcedine. Exinde secuti sunt illũ innumeri, qui relicto sæculo ejusq; pompa in monasteria se recluserunt, Eremos incoluerunt; ubi tantam oblectationem & voluptatem in hac cœlesti sapientia invenerunt, ut læti atque hilares sustinuerint omnes molestias ac tribulationes, quas solitudo & extrema illa paupertas secum adferebant. Qui enim alioquin tot annorum ardores & frigora, domicilium tam vile, hospitium tam incommodum, tenuem mensam, septimanarumq; integrarum jejunia in deserto sustinere potuissent, si non mirabili-

ter

ter recreati & suavissimo illo cibo contemplationis possessionisque DEI refecti fuissent? Quemadmodum enim Sol unus mundum plus illuminat, quam omnes aliæ stellæ simul, etsi penè sunt innumeræ: ita solus DEUS magis potest exhilarare & beatam facere animam, quam omnium simul bonorum, quæ in mundo sunt, possessio.

E. IV. *Ob redimendum hominem.*

Quartò Venit, ut mun⁹ salvatoris exerceret & nos redimeret sanguine suo, juxta id Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.* Hoc autem munus ab ipsa sua infantia inchoare voluit, & meritò quidem, ut ita patris sui voluntatem ab ipsa sua infantia implere studeret, tanquam filius promptissimus & obedientissimus; si enim præcursor ejus Ioannes, quia à Deo electus erat, ut esset vox & præco Christi, hoc munus in utero matris adhuc reclusus voluit inchoare, dum ad præsentiam Christi exultavit & utrumque parentem prophetico spiritu accendit: quanto magis decuit Christum inchoare munus salvatoris ab ipsis Incunabilis? Hinc in ejus persona David vaticinatus est Psal. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ* [Hebr. à pueritia mea] poterat dicerat etiam; ab infantia. De Georgio Castrioto, cognomine Scanderbeg principe Epiri scribit Barletius de vita ejus & rebus gestis l. 1. c. 82. infanti formam ensis in dextro brachio ita expressam fuisse ut manufacta videretur. Quæ res indicavit, eum militari gloria aliquando fore illustrissimum. Miles enim factus nunquam detrectavit pugnam, nunquam hosti terga vertit, nullo in discrimine trepidavit, nūquam vulneratus est, nisi levi semel sagitta in crure, supra duo hominum millia, barbarorum præsertim, diversis in prœliis sua manu singulis tantum ictibus prægrandi & ponderoso acinace suo interfecit. Simili modo Christus in ipsa sua infantia specimen exhibere voluit, victoriosi illius certaminis, quod adultus aliquando subjugaturus & spoliaturus erat dæmones, ut sic initio statim mundus cerneret qualis puer hîc futurus esset. Nam in stabulo jacet infans quasi fari nesciat, cùm tamen æterna Dei sit sapientia: Sic passionis tempore, quasi stultus & loqui nescius ab Herode est derisus. Nascitur nudus in maxima paupertate, quia non erat ei locus in diversorio: sic nudus quoque in crucem actus est, nec habuit ubi caput reclinaret, & mortuus alieno sepulchro illatus est. In lucem editus, fasciis à matre vincîtur & colligatur: & sic postea in passione funibus constrictus, raptus est ad mortem. Infans in præsepio reclinatur inter bovem & asinum, loco horrido & fœtido: sic in monte Calvariæ horrido etiam ac fœtido dejectus est in crucem, & in ea velut lecto angusto & immitissimo positus est, inter diros Latrones. Vagiit in præsepio more omnium infantium: sic etiam in cruce *cum clamore valido & lachrymis* preces obtulit, teste Apostolo ad Hebr. 5. Videmus igitur, quid hæc Christi nascentis symbola sibi velint?

F. V. *Ob plantandum perfectionem.*

Quintò Venit Christus, ut plantaret in mundo vitam cœlestem, quæ est Evangelicæ vitæ perfectio: non ut omnes eam sectarētur, sed aliqui saltem, & ii qui aspirant ad perfectionem, nec contenti sunt observatione mandatorum divinorum, sed in hoc etiam incumbunt, ut consilia sequantur Evangelica, juxta id Ioan. 10. *ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quia igitur decuit ut ejusmodi status esset in Ecclesia, quis nisi cœlestis Magister ejus institutor esse debuit? sunt autem tres prædicti amores inordinati quasi tres catenæ, quæ spiritum alioqui ex sua natura ad spiritualia & solida bona tendentem detrahunt ad res terrenas & fluxas, ut cum rebus his extraneis & vilibus sibi non conformibus velut nobilis cum vili ancilla matrimonium contrahat. Tres igitur virtutes illæ, quas in cunis docet CHRISTVS catenas illas abrumpunt: humilitas, abrumpit superbiam, paupertas cupiditatem, vitæ asperitas voluptatem. Porrò difficillimum erat hominum abrumpere amores illos, quia per lapsum hominis caro effrænis & rebellis facta, & spiritus debilitatus ac languidus effectus est: nec sine magna vi & continuo certamine restitui pristino suo imperio poterat: quare egregio & plusquam humano Duce egebant homines, qui in hoc prælio præiret, & artem præliandi doceret. Ea verò consistit in frænatione & occisione appetituum illorum, per contrarias illis virtutes, quas diximus, & docuit nos ab incunabilis suis Christus.

G. VI. *Ob reconciliandum mundum.*

Denique ut mundum reconciliaret sibi, & amoris vinculo devinciret ac confœderaret; ad hoc autem necessarium erat non solùm ut mundò se visibilem ostenderet, sed etiam ut de pristino suo rigore aliquid remitteret. Querebatur autem mundus ante hac de DEO, quod terribilem nimis haberet vocem. Vnde Adam: *Vocem*, inquit, *tuam audivi & abscondi me,* Genes. 3. & Hebræi non poterant audire vocem DEI promulgantis legem cum tonitribus & fulguribus; ideoq; dicebant: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, Exod. 20. Ideò Deus factus est infans, hoc est, fari nesciens & plorare tantùm sciens, ut sic nemo non audeat deferre ad illum querelas suas. Infans etiam cùm plorat & irascitur, facilè sedari potest: sic modo DEus per pœnitentiam, &c. Deinde querebatur, quòd graves haberet manus, ad feriendum & puniendum severas. Vnde Iob. cap. 31. ait: *Manum tuam longè fac à me.* Ideo venit Christus modò ligatus & involutus, quasi manibus suis nequeat ferire nec velit. Denique, querebatur, quòd terrifico sederet throno, ut Isaia. 6. & Ezechiel. 1. ad quem nemo facilè accedere auderet: Ideò nunc reclinari voluit in præsepio, ad quod nemò timeret accedere.

Superest ut nos hæc symbola amemus, eaque etiam nobis communia faciamus. velut filii qui parentum insignibus utuntur & gloriantur, &c.

CON-

CONCIO VIII.

VARIIS OSTENTIS NUNTIATA orbi nativitas Christi.

I. Apud Romanum Imperatorem.
II. In Orbe.
III. Romæ.
IV. Apud Hispanos.
V. Apud Ægyptios.
VI. Apud Syros.
VII. Apud Magos.
VIII. Apud Judæos.

THEMA.

Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, Luc 2.

A. VErba hæc Evangelii dicta sunt de Augusto, multò tamen verius dicuntur de Christo. Quis ille Augustus, qui describere audet universum orbem & ad profitendum sibi compellere, cùm nec Augustus ille, nec ullus alius universo dominaretur orbi? Solus Christus est totius orbis Dominus, qui mundum hunc ingrediens, jure optimo edictum in omnes terræ partes mittit, atque ut ei subjectio & professio præstaretur, ab omnib. exigit. Augusto omnes habitatæ terræ cognitæ erant nec subjectæ. Christus solus est, cui dictum est Ps. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Ipse major Cæsare; major & Augusto est. Si enim teste Plinio lib. 7. Scipio Africanus, ideò Cæsar dictus, Cæsarumque parens erat, quia cæso matris utero natus: multò major Cæsare Christus, qui clauso & inviolato. Si Octavianus Imperator & posterii ideò Augusti, quia ut vult Egesippus lib. 5: Romanum auxerre imperium, multò verius Christus, qui collapsum prorsus, totum restauravit, totum sibi subjugavit. Quod si igitur Octavianus edicto jubet, ut omnes datis sibi nominibus subjectionem jurent: Cur non magis Christus suum in orbem adventum & universale dominium, orbi universo palam faciat? cur ipse non jubebit, ut omnes coram se profiteantur & didrachma obedientiæ solvant & honoris? Prædixit per Aggæum c. 2. Dominus: *Adhuc unum modicum est*, inquit, *& ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, Et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus.* Commotio illa creaturarum, adventum Christi passim nunciantium, prodigia sunt sub Christi natalem vel non multò ante manifestata: nec aliud nisi Imperialia edicta ad præstandam novo Regi debitam obedientiam & honorem.

B. I. Primum, Ad Romanum destinatur Imperatorem, Octavianum Augustum. Imprimis Nicephorus lib. 1. c. 7. scribit, Augustum cum à Pythio Apolline peteret, quisnam post eum Romanum regeret Imperium, nullum tulisse responsum. Cumque silentii causam rogásset, accepit: *Apud Romanum Imperatorem.*

Me puer Hebræus Dives Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergò dehinc tacitus abscedito nostris.

Rediens ergò Romam Imperator, aram maximam in Capitolio erexit cum hac epigraphe, *Ara Primogeniti DEI.* Et hæc ipsa putatur, ut ait Baron. initio annal. esse locus ille, ubi nunc templum, Ara cœli, dictum, in Capitolio situm est. Eidem etiam Imperatori, cum eum senatus Romanus tanquam DEum colere decrevisset imaginem Virginis puerum in ulnis gestantis, aureo circulo juxta solem inclusam apparuisse, & eam esse Aram cœli refert ibid. Baronius, eoque audito, Octavianum vetuisse ne imposterum Dominus appellaretur: quandoquidem puerum illum orbis Dominum fore intellexerat. Antonius 1. par. hist. tit. 4. c. 6. §. 10. Deinceps verò Domini appellationem velut opprobrium horruisse, ac ne à liberis quidem & nepotib⁹ vel serio vel joco, id appellationis passum esse. Item cum in theatro populus ei acclamaret: *O Dominum æquuum & bonum!* statim vultu manuque clamorem repressisse, narrat Vegas in Apoc. c. 6. Commẽt. 3. sect. 1. cujus exemplum secutus ejus Successor Tiberius Imp. qui & ipse Domini appellationem respuit, templa sibi erigi aut statuas poni, teste Baronio anno Christi 17. vetuit. Vnde igitur hæc omnia? Vnde dæmonum silentium? Imperatorum demissio? nisi quia edictum Christi audierunt? Duo maximi erant nobis oppressores, dæmones & Tyranni: illi per oracula homines decipiebant: isti per vim opprimebant. Hos igitur primò aggrediendos sibi Christus judicabat, ut prædictum ab Esaia. c. 11. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit mittet manum suam.* Dicitur vel potius fingitur Hercules infans geminos in cunis strangulasse Dracones, ut refert Plinius lib. 35. c. 9. fecit hoc Hercules noster Christus ipso suo exortu. Quosnam verò illos Aspidem dæmonem, quem è falsis Deorum oraculis extractum strangulavit. Aquilæ præsentia & voce intellecta non prædantur, nec facile audiuntur aves aliæ prædones, ut Plin. l. 10. c. 3. Ita dæmones olim animarum prædones, ad Christi præsentiam trepidare inceperunt. Latebant priùs in Deorum statuis velut vectes aut repagula intra janua, ita ut miseri homines ad oracula recurrentes, minimè intelligerent, quis intra loqueretur, statuáne, an quis alius. Igitur infans Christus, missa in foramen hujus aspidis tenerrima sua manu, vectem abstulit, dæmonibus larvam detraxit. Vnde Esaia. 27. vocatur *dæmon serpens vectis.* Sed etiam in cavernam reguli misit manum suam. Ipse Basiliscus est, diademate insignis, & Tyrannos orbis significat, qui

olim

olim reguli instar solo suo sibilo, solo afflatu, imo & aspectu necabant alios serpentes, id est, subditos pro libitu opprimebant & enecabant; unde sub gravi eorum jugo clamabat ad DEUM eum genus humanum, quasi illud Ps. 143. *Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* Quinam isti filii alieni, nisi Tyranni, qui se à Diis vel genitos, vel nihil differentes superba dominatione ostentabant? Interim tamen non viri aut reges, sed filii & reguli tantum erant: quia nec plenum nec universale fuit eorum dominium: *Solus Deus noster magnus Dominus & rex magnus super omnes Deos,* Ps. 94. Misit igitur in cavernas, id est, regna horum regulorũ DEus manum suam, Christum, qui propter miseriam inopum & gemitum pauperum tũc exurrexit, eosque ab impiorum jugo ereptos, suo suavi subjugavit imperio: Facessant igitur aspides, facessant reguli: dæmonum præstigiæ & Tyrannorum superbia: At quis hic nõ excandescat? Ad edictum Christi dæmones contremiscunt & mutescunt, Tyranni metuunt & fastum ponunt, fatentur illi imposturas suas & silẽt, hi submissionem præstant: Et modò inter Christianos hoc non fit. Curritur passim ad incantamenta, ad divinationes, ad præstigias, sortilegia. Fastus & arrogantia adeò crevit, ut infimæ sortis homines Domini appellatione gaudeãt, nec facile alterũ, nisi Domini audiant, responso dignentur. Quid? an non & nostri causa exiit Christi edictum? an ideò pulsi ex oraculis dæmones, ut Christiani subingrediantur & inde dæmonum personas sustineant? ideóne Imperatores Leonis exuviũ ponere, & Dominum exuere moniti sunt, ut Christiani induant? *Erubescant elati,* ait Cassiod. in Ps. 137. *ubi credunt locum habere superbiam, cum cœlum & terrã videant ab humilitate occupatam.* Dicam ego non minùs verè: Erubescant Christiani, ubi credunt locum habere superbiam, cũ cœlum, id est, Christus infans, cùm terra, id est, Monarchę orbis ab humilitate occupentur. Erubescant etiã impii præstigiatores & deducantur in infernũ muta fiant labia dolosa, Psal. 30. *Erubescant etiam qui exaudiunt vocem incantantium & venefici incantantis.* Præcepit ergò hoc edictum silentium dæmonibus, humilitatem regibus & potentibus.

C. II. *In orbe.* Secundum, Exiit in universum orbem, quando sub id temporis Sodomitæ omnes repentè inflammati & in cinerem redacti sunt, ut narrant Petrus de natalibus in Catalogo ex Hieronymo, & Lucas Tudẽsis in Chronic. Hisp. Id quod meritò sanè accidit, cùm enim Sodomia naturam humanam depravet & bestialem reddat, extingui debuit ab eo, qui naturam rationalẽ sibi copulaturus & reparaturus venerat. Vt enim DEus olim noluit inire fœdus cũ hominibus & spiritum eis suum relinquere, quòd naturam libidine vitiassent, nisi tollerentur rei & purgaretur natura per diluvium, Gen. 6. & ita nec Christus naturam humanam assumere voluit, nisi deletis iis, qui tam turpiter eam fœdassent, *Hoc quippe vitio violatur ipsa societas,* ait S. Aug. lib. 3. confess. c. 8. *quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.* Sanè Gen. 19. ob peccatum Sodomiticum *pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignẽ à Domino de cœlo.* Quis est iste Dominus, qui pluit de Domino? *Dei Filius,* ait S: Hil. lib. 5. de Trinit. & alii, qui naturam humanam quam Sodomitæ vitiaverant, ut eam perpurgaret ac pristino nitori restitueret, pluit de DEo Patre sulphur & ignem. Iam si hoc egit Dominus quando descendit de cœlo ut videret naturam ita corruptam, ut dicitur Gen. 19. multo æquiùs idipsum fecit, quando de cœlo descendit, ut naturam humanam indueret. Sed instabit aliquis, Christus naturam humanam per peccatum destructam reparaturus venit, non extincturus, ut in aliis peccatis patet: Cur non igitur & Sodomiæ pepercit, usq; dum ea per pœnitentiam deleretur? vel si illam morte punivit, cur non & alia scelera? respondeo disparem esse rationem. Sola enim Sodomia tale peccatum est, quod corrigi facilè nequit, qui adeò abominandum est, ut contra eam nemo facilè invehi, nemo inquirere, ob scandalum aut periculum possit; Vnde peccatum Sodomiticũ, obscuro nomine, vocatur; atq; ut Sodomam, mutã interpretamur: ita peccatum id mutum, ob sui turpitudinem dici debuit. Vnde S. Bern. [apud Card. Hug. in c. 2. ad Rom.] ait: *Flamma infernalis, morum non sustinens, execrabilem istam* (Sodomiticam sc.) *prævenit tollere nationem: alios enim peccatores expectat.* Inde est, quòd nulli alteri committere voluerit Dominus sceleris illius cognitionem & ultionem; sed ipsemet descenderit, viderit & puniverit. Videãt hic quid agant, qui in statu sunt matrimoniali, quo sint in periculo, si naturæ violentiam inferant & ignominiam bestialem inurant: Nisi enim hujus sceleris reus id in se ipso corrigat, non corrigetur facile, nisi ab igne infernali: præcepit ergò hoc edictum, ne libidine præpostera vitietur humana natura, quæ jam Deo copulata est.

D. III. *Romæ.* Tertium, Exiit ad Romanos: nam Romæ fontem olei, in taberna meritoria [ubi nunc S. Mariæ trans Tyberim ædes est] derepente exortum, in Tyberim vicinam fluxisse, Christi sive paulòpòst venturi prænuntium, ut volunt Euseb. in Chron. & Oros. lib. 6. c. 18. & 20. sive jam præsentis indicem, ut S. Bonavent. in lib de festivitat. Iesu, & alii fatentur complures. Significat hoc edictum, Christum esse fontem misericordiæ in terras emanantem, à tempore Nativitatis suæ. Vnde Cant. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Oleum quidem Christi nomen est, quia ut oleum curandis imprimis vulneribus salutare: ita Iesus peccatorum salus. Hic enim est Samaritanus ille Luc. 10. sauciati vulneribus oleum infundens. Hic est qui adulteram absoluturus de monte oliveti, id est, misericordiæ descendit in templum, Ioan. 8. Effusum verò quia largiter &, quasi nullius esse pretii, omnibus communicetur. Vnde 70. vertunt, *O-*

leum evacuatum.Diſtillabat in veteri lege Deus miſericordiam ſuam, non effundebat,uti maña diſtillaſſe dicitur,Pſ.67.*Deus cum pertranſiret in deſerto, terra mota eſt,etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei*, id eſt,manna,uti ibidem exponit Bellarm.Card.Effundebat verò in noſtra,unde mox ſequitur:Pluviã voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ,id eſt, largam & ſpontaneam gratiæ & miſericordiæ pluviam.Præſagiit deinde pacem ab ipſo terris illatam: nam olea, quæ ferrum & arma ad ſecandum inepta reddit, pacis ſymbolum eſt,teſte Pierio lib. 35.Hierogl.Vnde& olivam manu prætendere adventantibus amicitiæ & pacis typus veteribus erat. Meritò autem ſignum hoc Romanis oſtenditur,quia cũ ipſi toti ferè imperarẽt orbi,conveniebat,ut Chriſt⁹ eiſdem præ aliis pacificum ſuum nunciaret adventum, juxta id Iſai. 2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces: non levabit gens contra gentem gladium,nec exercebuntur ultra ad prælium.* Id quod eventus docuit teſte S.Hieron. in c.2.Iſa.Tunc enim Romani,non jam ad prælia, ſed agriculturam exercebantur.Atque hoc etiam eſt,quod edicto illo præcipitur,*pax & tranquillitas inter homines*. Oleũ in mare effuſum,id tranquillum reddit,Pierio teſte, lib. 53. Hierogl.Nunc verò oleum illud ſalutare, Ieſus in mundi hujus mare effuſum eſt: Ceſſent igitur contentiones, rixæ, æmulationes: confringant hic Chriſtiani tumentes fluctus ſuos & acquieſcant.

E. IV. *Apud Hiſpanos.*

Quartum,ad Hiſpanos.Etenim tunc [ſi D. Thomæ credimus 3. p. q. 36. art. 3.] vel aliquanto antè ſub initium Imperii Auguſti[ſi Euſebii Chronico, Plin. lib.2. c. 28. Oroſio & aliis fidem habemus] ad deſignandum tamen Chriſti adventum, tres in Hiſpania ſoles apparuere, qui paulatim in unum coibant orbem.Addit Lucas Tudenſis in hiſt. Hiſp. eadem,qua Dominus naſcebatur nocte, viſam in Hiſpadia nubem adeò lucidam,ut inſtar diei noctem illuminaret.Quod certè quid aliud deſignavit, niſi lucem veniſſe in terras, eamque triplici de ſubſtantia compoſitam,Carne, anima, divinitate:quæ cùm inter ſe diſtinctæ ſint,in unum tamen idemque convenêre ſuppoſitum Chriſti?Cæterum uti è tribus illis ſolibus, unus tantum per ſe ſubſiſtebat, reliqui velut imagines illius inde reſultabant & in illo fundabantur:ita unica eſt in Chriſto ſubſiſtentia Verbi; caro enim & anima non ſua,ſed verbi perſonalitate ſubſiſtunt.Iubet hoc edictum, ut poſito omni perſonarum reſpectu & ſtatûs differentia, in unã coëamus charitatem & amicitiam.Nam licet alter altero magis in hoc orbe ſplendeat,dignitate,ſcientia, genere,virtute,copiis: licet alii ſuis nitantur viribus, alii alienis egant auxiliis, licet alius caro ſit & incipiens:alius Spiritus & proficiens: alius quoddamodo DEus & perfectus, fratres tamen ſumus ab uno & eodẽ ſole Chriſto, omnes expreſſi: Quòd ſi Apoc. 1.Chriſtus dici *primogenitus multorum fratrum*, & diſcipulos ſuos Ioan.20.fratres compellare nõ erubuit;quid nos erubeſcamus?Primos certè Chriſtianos fratres ſe communiter vocitaſſe, autor eſt Tertull. in Apologetico c.39.Docet hoc idem,nubes lucida Hiſpanis oſtenſa & noctem illuminans. Vagantur noctu & prædantur feræ,altera alteram, ut dicitur Pſal.103. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox,in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ: Catuli leonum rugientes ut rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi.* Sole verò adventante quaſi facta generali pace & treugâ in ſpecus ſuas congregantur, nec jam altera alteri nocet;unde ſubditur:*Ortus eſt ſol & congregati ſunt, & in cubilib.ſuis collocabuntur.* Nox præceſſit veteris legis,dies autem appropinquavit gratiæ : decet igitur ut qui olim alter alterum perſequebamur, jam non perſequamur, ſed congregati in vinculo pacis fraternè converſemur.

F. V. *Apud Ægyptios.*

Quintum,Ad Ægyptios:nam ſi Petro de natalib⁹ [in Catalogo] credimus,ſimulachra Ægypti tempore nativitatis Chriſti juxta Prophetiã Ieremiæ corruerunt.Vnde Sacerdotes Idolorum Ægyptii imaginem Virginis filium geſtantis, in ſacro loco templi ſtatuerant coluerantq; à Prophetiæ illius tempore, quæ nocte Nativitatis impleta dicitur.Adſtipulatur Martyr Dorotheus in ſynopſi. Quod nil aliud ſignificabat,quam Idola unaq; peccata adventu Chriſti deſtruenda& conterenda eſſe:cujus rei luculenta figura eſt,deſcenſus Moyſis de monte & conterentis vitulum conflatilem,quem fecerant &adorarant filii Iſraël,Exod.32.Etenim,Moyſe diutius ſupra mõtem hærente,populus quaſi ignorare Moyſen cœpit dicendo : *Viro huic,qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus,quid acciderit ei.*Vnde congregatus adverſus Aaron ait:*Surge fac nobis Deos,qui nos præcedant*,qui & vitulum eis conflatilem fecit.Moſes autem à Domino miſſus ut deſcenderet, *combuſſit & contrivit vitulum uſq; in pulverem, quem ſparſit in aquam & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* Ita ad amuſſim evenit in & ante adventum Chriſti in carne Morabatur in ſinu Patris Dei ſapientia & ignorare cœperunt Deum homines:unde & inſurgentes contra Prophetas:fecerunt ſibi vitulum conflatilem,id eſt, peccati ſimulachrum,laſciviæ, gulæ,& luxui alacriter indulgendo.Et ſicut Iſraëlitæ detraxerãt inaures aureas auribus ſuis ad vituli conflationem:ita & homines cum bonorum etiam ſuorum diſpendio genio ſuo indulgebant;utq; injectis in ignem inaurib. inde mox egreſſus eſt vitulus,ut ajebat Aaron : ita per verbi Dei contemptũ,qui per detractas inaures deſignatur,& per carnis indulgẽtiam inde egrediebatur in omni hominum genere, ignominia ſordis ut vocatur ibidem,vitulus nimirum ille peccati ſordidus & abominabilis.Vnde & mundus ſub Chriſti adventũ totus in maligno erat poſitus:ita ut deſcendere cogeretur de cœlo Moyſes noſter Chriſtus. Et quid agat,niſi ut mox comburat & conterat vitulũ uſq; ad pulverem?Hoc igitur fecit in Ægypto Dominus,& quia Ægyptus totius mundi perverſi typus, & ut loquitur Theophyl. in c.2.Matth. Omnis nequitiæ officina erat, hoc ipſo ſignificat, ad conterendum

rendum

rendum in toto mundo peccatum se venisse. Sed quid præcipit hoc edictum? Id quod Iacob præcepit suis Gen. 35. *Abjicite*, inquit, *Deos alienos, qui in medio vestri sunt*, id est, peccata ex corde projicite, ita ut in pulverem, conterantur, ne amplius redintegrari possint, id quod etiã Moyses indicavit, cùm pulverem vituli in aquam sparsum, potandũ Israëlitis dedit: quo scil. nec pulvisculus vituli superesset aut inveniri posset. Ejus loco alia subroganda statua, ea scil. quam Ægyptii erexere, Christus in ulnis matris. Hanc in medio nostri erigamus, huc inaures & animum adjiciamus: hunc æternum colamus & adoremus.

G. VI. *Apud Syros.* Sextum, Ad Syros. Nam Engaddi quæ Syriæ urbs est, non procul à mari mortuo floruisse vineas balsami, flores & fructum protulisse nocte Natalitia Christi, testatur S Bonavent. lib. de S. Festivitat. Abulensis in prologo Hieronymi in Gen. c. 7. Petrus de natalibus, &c. Hoc autẽ quid significet, satis expressisse videtur sponsa Cant. 1. dicens: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Cypr⁹ arbor aromatica est, flore candido & odorato, ut ait Plin. lib. 12. c. 24. fructum habet botri instar, multis refertum granis, ut Lyra in Cant. 1. Engaddi civitas balsamis abundat, excolitque ut vineas, ut ibi gl. Hæc omnia edictum illud explicant, provenisse videlicet illum florem candidum & odoriferum tempore illo glaciali, quo omnium pene hominum corda infrigidata & concreta erant loco quasi desperato ad mare nimirum mortuum hujus mũdi, unde nihil fructum unquam sperabatur: provenisse & illum botrum plenum Spiritus S. Charismatibus, & innumeris electurum granulis: provenisse & illud opobalsamum, qui balsami arboris succus & Discoridis commentatore teste c. 28. omnium saluberrimus ad conservationem generis humani, ægris solamen & ingrati noxiique aëris remotio est, Christum, inquam, qui virtutum & miraculorum suorum fama & odore totum instauravit orbem. Denique hoc significat vineam Ecclesiæ, quæ in Synagoga aruerat, iterum floribus induendam & fructibus.

H. VII. *Apud Magos.* Septimum, ad orientales Magos, stella indice & Duce habetur Matth. 2. quæ Christum natum eis repræsentabat; unde dicunt: *Vidimus stellam ejus in oriente*. De hoc Num. 24. prophetavit Balaam dicẽs: *Orietur stella ex Iacob*. Vt enim ea stella causa lucis erat, qua ad Christi Cognitionem perducti sunt; ita Christus author fidei omnibus eum quærentibus. *Ceciderat olim tertia pars stellarum*, Apoc. 12. nunc quia ruinam illam reparaturus venerat, stella indice demonstratur. Monet autem omnes ut stellæ hujus ductum sequamur, nec unquam ab ea discedamus. Lucet hæc & præit: ergò lucem fidei nos & admittamus & bene operando sequamur. Sed de hoc aliàs.

I. VIII. *Apud Iudæos.* Octavum. Ad Iudæos, pastores inprimis Angelo nunciante. Et his solis creatura rationalis mittitur, tum quia soli veri Dei cognitionem habebant, tum quia Deo magis commendati; sicuti ad Doctores & digniores literæ elegantiori scribuntur calamo: ad rudes rudiori. Iudæi acceperũt legem in dispositione Angelorum, Act. 7. *Gentiles autem invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt intellecta conspexerunt*, Rom. 1. Angelus verò mittitur, ut noverint Iudæi Christũ non hominum tantum, sed & Angelorum caput esse; ita ut sint inexcusabiles, Christi jugum detrectantes; noverint etiam omnes Angelorum numerum per homines restaurandum. Sed interim tacitè insinuatur, quales esse deceat eos, qui Angelorum sociandi choris, Dei faciem contemplari æternùm volunt. Angelos enim esse convenit: Angelos in claritate innocentiæ, nam claritatem secum attulerũt: peccata autem obscuritatem animæ inducunt: *nihil autem coinquinatum intrabit in regnũ cœlorum*, Apoc. 21. Angelos in mutua dilectione sic enim libenter & lætanter vilissimis hominibus gaudium suum communicarunt, & fausta nunciarunt. Angelos in Dei laude: sic enim *facta est militia cœlestis laudantium & glorificantium Deum*. Per hæc maximè assimilabimur angelis & digni efficiemur, qui cum ipsis Deum perpetuò contemplemur. Præterea Beda de locis sanctis. c. 8. scribit: fontem in porticu Bethlehem erupisse, ad inopis illius familiæ commoditatem. Quod si verum est, mirè quadrat, cum illo Davidis desiderio, quo sitibundus dixit: *O si quis mihi daret potũ aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem!* 2. Reg. 23. Hanc enim cisternam interpretatur Sophronius orat. natalitia Christi, B. Virginem; aquam verò Christum: sed quia aqua Davidi allata ex hac non erat, sed ex illa tantum materiali, noluit bibere: quia non erat illa; quam desideraverat. Aqua pluvia primò aspera est, sed ubi consedit in cisterna, grata & suavis. Ita Deus olim severus in utero Virginis suavitatẽ induit; & hanc petivit David. Ad eam igitur accedamus & pleno ore fauces proluamus.

Quare *nunc Reges intelligite, servite Domino in timore & exultate ei in tremore. Apprehendite disciplinam* [alii ex Hebræo vertũt] *Osculamini filium*, id est, manus ejus: hoc enim in Palæstina erat signum subjectionis, ut refert Pintus in c. 4. Dan. Reddite didrachma Christo obedientiam & honorem, &c.

CONCIO IX.

CONCIO SEU DOCUMENTA Salvatoris Nati.

I. Documenta è stabulo.
II. E pannis.
III. Ex præsepio.
IV. E parentibus.
V. Ex asino & bove.
VI. Ex fœno.
VII. E pectore.

THEMA.

Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, Hebr. 1.

A.

CVm Decalogum promulgaret DEVS populo Israëlitico, interim horrenda tonitrua audiebantur, fulgura micabant, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, montem Sinai fumus & densissima nubes operiebat: Deus verò ipse cum tanta majestate, voce adeò grandi & terribili loquebatur, ut omnis populus terrore perculsus ad Moysen exclamaret: *Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, Exod. 20. Quibus vocibus permotus Deus promisit populo se daturum eis Prophetam, quem audire possent. Deut. 18. *Prophetam* inquit ad Moysen, *suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi, qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Quis sit ille Propheta, quem hic promisit Deus, D. Petrus Act. 3. & D. Stephanus Actor. 7. exponūt. Christus enim est Servator noster, qui hodie similis nobis, id est, in carne apparuit, nec jam ut olim in monte Sinai DEus in majestate, sed in humilitate, non in monte ignito & fumante, sed in præfrigido præsepio; non in clangore buccinæ, sed cum infantili silentio, non cum tonitruis & fragore, sed dum medium silentium tenerent omnia; non inter fulgura micantia, sed inter animalia; non cum voce terribili, sed cum lachrymis & vagitu. An non igitur similis nobis est hic Propheta? quis jam se excusare poterit, quo minùs Prophetam istum legem DEI promulgantem audiat? Nemo certè; quinimò si hunc non audierimus, Deus ultor existet, quemadmodum etiam extitit perfidorum Iudæorum, qui, quòd illum audire noluerint, vastati sunt & dispersi, sicut vasa figuli cōfracta per totum orbem. Quoniam igitur hodierna die appulit ad nos hic Propheta, æquum est ut nos rudes & balbutientes concionatores, velut ranunculæ loquente homine, velut aviculæ clamante aquila, conticescam⁹, & Christum Concinatorum omnium Doctorem, prima vice Concionantem audiamus. Cæterùm quia adhuc infans est, & infantes non nisi nutibus & digitorum indiciis loqui solent: idcircò sedulò ipsi attendendum est.

B. I. *Documenta è stabulo.*

Primo, Digito monstrat stabulum: & quid vult loqui noster infans? Vult dicere: En ego ille sum, qui in propria veni, & quem sui non receperunt, qui omnes alios advenas de hospitiis poteram expellere, & optimum eorum jure occupare, minimè tamē id feci, sed exclusus ab omnium ædibus ad hoc stabulum diverti: nec iniquè hoc accepi; disce patientiam, disce mortificationem & te ipsum vincere. Mirabilis doctrina. Quis enim est, qui divertere cupit? Dei filius. Cur huc venit? propter saltutem nostram. Quib. cedit? servis & creaturis suis. Et quod hoc diversorium, ut hic divertat? Ecce isthìc stabulum est, pecudum non hominum diversorium: Patientia. Ecce, hic sordes & fœtores, patientia. Ecce hic frigus, & focus nullus, patientia. Ecce hìc tectum lacerum, nivi & imbri pervium, patientia. Ecce hìc dura & nuda humus, nulla sedilia, nullus lectus, patientia. Ecce hìc nulla securitas, locus patens bestiis, & latronibus, patientia. Ecce nil hìc aliud præter asperum præsepe, fœno & ligno horridum, patientia. Ecce à vilibus homuncionibus obsidentur in urbe hospitia, quæ omnia ipsi debentur, patientia. O quanta patientia! quis nostrum hoc tulisset? quis non magnoperè indignatus fuisset? Exemplum. Veniunt aliquando cum Magistro suo discipuli ad Samariæ civitatem, & cum non intromitterentur, subitò excandescunt & vociferātur: *Vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo & consumat illos?* Luc. 9. sed qui patienter tulit excludi à Bethlehem, non indignatus etiam est, excludi à Samaria, quin potiùs redarguit Discipulos: *Nescitis cujus Spiritus estis:* Ecce quam dissimiles Christo simus. Modicum verbum nobis contrarium aut asperum, modicum jejunium, modicū frigus in Ecclesia, modicum catarrhum aut morbulū, modicam vigiliam ferre nō possumus, quin subitò indignemur aut lamētemur. An non meritò ingemiscere & nobis ipsis irasci deberemus, quòd Dei filius tam tenellus, tātus in tantilla ætatula tanta cum patientia tam indigna patitur, nos nihil possumus? si enim Iulius Cæsar videns aliquando apud Gades in Herculis templo imaginem Alexandri M. juvenis graviter ingemuit, quod Alexander in tam brevi triginta annorum ætate orbem penè totum subegisset, ipse verò in eadem nihil dum præclari egisset, apud Bapt. Fulg. lib. 8. An non similiter suspiremus, quòd in tanta ætate tam teneri & molles simus, nec quicquam ferre possimus: qui videmus Christū in tantilla ætate tanta esse passum? Deinde an non dedecus est servo, videre Dominum suo dio in acie stantem, ipsum verò molli culcitra secutum quiescere; Audite quid dicat ad Davidem Regem miles ille Vrias 2. Reg. 11. *Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam & dormiam? per salutem tuam & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Iam autem quis non videt dominum nostrum in stabulo, & præsepio super faciem terræ manere? Tu igitur non vigilas nec pateris, qui vigilantem & patientem vides Dominum & Deum tuum.

C. II. *E pannis.*

Secundo. Monstrat nobis pannos, & quid vult dicere? Hoc nimirum, Ecce ego ille sum, de quo dixit David Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus:* qui ad usum meum omnes creaturas adhibere possem: nihil tamen ex omnibus mihi applicavi, præter hos solos pannos: disce modestiam, disce temperantiam. An non mira hæc temperantia, quæ non modò supervacanea & inutilia, sed nec necessaria quidem sibi usurpavit, cum usurpare posset omnia?

Locus,

Locus, in quo nascitur, domus non est, sed pecudum habitaculum: cunæ, in quibus jacet, lectus non est hominum, sed mensa bestiarum: plumæ, in quibus jacet, non serviunt hominibus, sed pabulum sunt brutorum: Socii, cum quibus versatur, non homines sunt, sed jumenta. Aranearum telæ pro tapetibus, fœtores pro suffitibus serviunt nostro regi: nihil aliud fuit quod homini deberetur præter modicos panniculos. Vnde multò æquiùs pannos istos circumferre & mundo ostendere possumus, quàm olim Saladinus Dux Ægyptius moriturus, cùm interulam unam perticæ affigi & in castris circumferri jussit, addita præconis voce, quòd tantis è divitiis nihil superfuerit Duci Saladino, præter unam istam syndonem ut refert S. Antonin. 2. Chron. tit. 17. c. 9. Quod enim homini post mortem nihil aliud supersit, nemini non evenit: quòd verò quis in vita præter unam syndonem nihil sibi quærat, id verò est miraculum. Igitur ô quam damnat Christus eorum luxum & intemperantiam, qui frustrà se natos putant, nisi omnis generis vestes pretiosas sibi comparent, nisi omnis generis rosis & floribus se coronent: quicquid avium volat, quicquid piscium natat, quicquid herbarum pullulat, quicquid vini crescit, suis sepeliant ventribus; qui nullum esse pratum sinunt, quod non pertranseat eorum luxuria, ut dicitur Sap. 2. *Venite & fruamur bonis*, inquiunt, *quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Quasi verò Deus idcircò tam multa procrearit, ut omnia impendantur, devorentur & exhauriantur? Et nonne Dei exemplum sufficere nobis debet? Ad tempora Vespasiani luxus in conviviis, vestibus, supellectile & familia Romæ adeò invaluerat, ut nec legibus coërceri posset. At cum ille regnare cœpit, *qui adstricti moris author fuit*, ut loquitur Tacitus lib. 3. Annal. sponte mox exolevit, æmulantibus omnibus exemplum Principis. Si hoc potuit exemplum hominis, cur non possit exemplum DEI?

D. III. *Ex Præsepio.*

Tertiò, Monstrat præsepe, & quid insinuat? Ecce ego, inquit, qui in cœli throno sedeo & mundum pugillo claudo, parvo jam præsepio claudor: disce humilitatem. Ædificaverat Deo Salomon dudum anteà templum, pulcherrimum, augustissimum, amplissimum, & tamen impossibile putabat, Deum capi ab eo posse. *Ergo ne putandum est*, inquit, *quod verè Deus habitet in nobis? si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* 3. Reg. 8. Sed tace Salomon, nunc enim humili & exiguo præsepio clauditur & continetur Deus. O quam apertè hic docuit antequam diceret id Luc. 14. *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco?* invitatus enim à Patribus in hunc mundum recumbit, Ecce ubi? in stabulo, extra portam, in præsepio, is qui est omniũ invitatorum caput, imò sponsus ipse. Iam verò ubi tu accumbes, ô homo, cum videas Dominum tuum in novissimo loco sedere? num supra eum ascendes? O quam confunditur hic mundi superbia? quis non confundatur si Rege suo ambulante, ipse se super equum videat? De Alexandro Magno refertur, quòd cum ipse cervice leniter incurva esset, proceres & aulici certatim eum imitati sint, quasi ipsum sic effingẽtes. Tymp. in spec. boni Magistr. fig. 63. At nónne videmus regem nostrum de cœlo descendisse, & usque ad præsepe incurvatum esse? cur igitur nos in phaleratis superbiæ equis considemus? De Rebecca narratur Gen. 24. quòd dum proficisceretur ad spõsum suum Isaac, videns eum in agro ambulantem, & intelligens esse sponsum suum; conspecto eo, mox & ipsa descenderit de camelo, & obviam ei processerit. Si indecorum putavit Rebecca pedestri sponso equestrem, & humili sublimem obviare sponsam, quãto magis decet, ut cùm videamus sponsum animarum nostrarũ tam humili specie versari in terra, descendamus & ipsi de gibboso & supercilioso superbiæ camelo? Considerabat hoc S. Franciscus, qui dum mensæ accumberet, audiens per lectorem mensæ fieri mentionem Virginis puerperæ in Bethlehem hospitantis & Christi in præsepio, de mensa surrexit illicò, & humi sedit, dicens: *Nunquid ego peccator, ego nequam & inutilis servus, ad mensam sedere debeo, cùm DEI genitrici in diversorio locus non fuerit: cùm mundi opifex ac Dominus natus sit in stabulo, reclinatus in præsepio?* sicque provolutus in terra panem suum comedit. S. Bonaventura in ejus vita.

De Severo Imp. ferunt (Plut. & alii) dixisse morientem: *Heri omnia fui, hodie nihil sum.* Idem hodie dicere Christus poterat & veriùs; *Cùm enim in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, ait Apost. ad Philip. 2. Ex domino factus est servus, ex Deo homo, ex creatore creatura, ex eo, qui est, is, qui non est, ex omni nihil, quia dum hoc, quod nõ erat assumpsit, illud, quod erat, occultavit. Heri fuit Deus & omnia, hodie non est & nihil: Audi Apost. ad Hebr. 13. *Jesus Christus, heri & hodie. Heri pertinet ad æternam, hodie ad carnalem generationem Christi*, ait S. Ambr. l. 5. de fide c. 2. & S. Cyrillus l. de fide ad reginas. Quid ergò nunc faciet homo? itáne ex nihilo faciet se omnia? Audi S. Bern. ser. 1. de Nativit. dicentem: *Quid magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum ultrà apponat homo magnifacere se super terram? Intolerabilis impudentia, ut ubi se exinanivit majestas, vermiculus infletur & intumescat.*

E. IV. *E parentibus.*

Quarto, Indigitat parentes, & quodammodo ait: Ecce ego, qui de Patre Deo ditissimo genitus sum, poteramque etiam carnales Parentes eligere mihi opulentos, pauperes selegi; qui ne necessaria quidem mihi largiri queunt. Disce paupertatem. O quanta hæc paupertas? En quam verè dixit: Matth. 8.

 Vulpes

Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet? Nam etsi præsepium habet, hoc ipsum tamen à brutis, ut inquit Anselmus l. de medit. mater ejus mutuum accepit. Et certè si quas opes habuissent Christi parentes, hospitium non difficilè invenissent: quantumvis enim occupatum videatur aliquod diversorium, divite adveniente locus ei paratur & superest, pauperi verò nequaquam. Magnam admirationem habet illa S. Alexii historia, qui ditissimorum parentum filius paternis in ædibus multo tempore ignotus extrema in paupertate vixit: tandem post mortem agnitus paternam domum lachrymis, & Romam totam stupore & admiratione implevit, ita ut certatim omnes accurrerent, funus contrectaturi: Imperatores ipsi cum Pontifice venerandum corpus ad sepulturam eveherent. Magna hæc res & mira, sed cur non magis advertimus & stupemus, quòd filius DEI in hoc mundo, velut in paterna domo per triginta tres annos delituit ignotus, extrema paupertate? O quàm dissimilis est Christo mundus, qui modicam paupertatem, modicum infortunium nequit tolerare, sed omnibus technis & artibus fugere paupertatem solet? Abjecit Diogenes cæteroqui pauperrimus vasculum suum, quo bibere solebat, cùm vidisset puerum aliquando se pauperiorem, manu cava bibentem, dicens: *Nesciebam, quòd natura haberet poculum:* ut refert Hieronymus contra Iovinian. Quid ergò nos faciamus, qui Christum puerum nobis multo pauperiorem, & necessariis etiam destitutum videmus? num indignabimur de nostra egestate? an non potiùs & hoc modicum, quod habemus, presertim verò ea, quæ superflua nobis sunt, abjicere ad pauperes deberemus?

F. V. *Ex Asino & bove.*

Quinto. Monstrat asinum & bovem, aitque: Ecce natura liberrimus sum & nemini subjectus, impositum tamen mihi à Patre redemptionis humanæ jugum ultrò & promptè acceptavi: adhæc licèt in corpore infantili perfectus vir sim, non solùm rationis usu plenissimo, verum etiam omni sapientia & virtute præditus, infantem tamen ago, ut infans obmutesco, ut infans me infasciari, lactari, gestari, collocari & tractari patior, ut infans modò rideo, modò lachrymor, &c. quemadmodum & hæc animalia faciunt, quæ quodvis jugum sibi impositum non detrectant, sed & duci & reduci quò volueritis, etiam à puero parvulo se patiuntur; disce obedientiam, disce simplicitatem. O quàm verè potuit dicere Christus Patri suo cœlesti id Psalm. 72. *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum; Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me?* Vt enim jumentum cùm ducitur ad stabulum, sequitur: cùm ad macellum, sequitur: Sic etiam Redemptor noster, ductus est à Patre in stabulum Bethleemiticum, & en adest: ductus ad macellum crucis & mox secutus est. Vt jumentum patitur se onerari quovis onere, & spoliari quovis thesauro, quem gestavit; ita & Christus; excluditur ab hospitio, oneratur difficili fuga, veteribus pannis involvitur, & veste sua in monte Calvariæ iterum spoliatur: & ipse non contradicit. O quàm dissimilis est mundi sapientibus, qui omnia detrectant juga, ob omni obligatione volunt esse liberi, omnes eludunt leges, nullam injuriam dissimulare sciunt, lites amant & quærunt, nullius sequuntur ductum præter suum, nisi fortè ad speciem & oculum? Nunquid horum aliquis ad Christum venit? Minimè verò: Pastores venerunt, qui Angeli monitum: Magi venerunt, qui stellæ ductum secuti sunt. Herodes & Sapientes Ierosolymitani, qui in Prophetis repererunt Christi nativitatem, eam eluserunt, & minimè crediderunt. Multi adhuc tales, qui omnes admonitiones, consilia, minas Dei & præcepta, vulpis instar argutè sciunt eludere. At non est Dominus socius vulpium, sed asini & bovis, Pastorum & Magorum. *In medio duorum animalium cognosceris:* inquit Abacuc (juxta vers. 70. Interp.) in medio simplicium.

G. VI. *Ex fœno.*

Sexto, Demonstrat fœnum & innuit quodammodo id, quod Isaias dicit in hodierno officio: *Omnis caro fœnum, &c.* Ecce enim ego meliùs scio, quid homini prosit, simulque faciliùs omnia mundi bona habere possem, si vellem, quàm ullus mortalium: interim tamen elegi ea, quæ mundus horret, horrui quæ mundus diligit; stabulum elegi pro palatio, fœtorem pro odoramentis, aranearum telas pro aulæis: præsepe pro cunis, fœnum durum pro mollibus plumis: panniculos pro vestibus, paupertatem pro opibus, jumenta pro aulicis, *quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri,* Isai. 40. Disce ergò contemptum mundi. O fortissimum argumentum! Primò enim non dubitamus Christum esse DEI sapientiam, & optimè omnium intellexisse quid prodesset homini: quin igitur sequimur Doctorem? si diceret nobis Vigil noster ex turri, hostilem exercitum appropinquare ad portam civitatis: nos igitur fugam machinaremur, & nescientes qua parte adventaret hostis, hac illac in urbe discurreremus; tandem descendens vigil per portam illam, quæ à læva nobis est, fugam arriperet, nónne omnes illum sequeremur, licet quidam alii aliud clamarent & alia parte exirent? Certè vigilem sequeremur, siquidem judicaremus, solum illum nosse qua parte securior esset fuga, quoniam solus vidit qua parte adveniret hostis. Clamavit olim Deus toties per Prophetas, ut hostem fugeremus & saluti nostræ consuleremus: sed ignorantes homines ad quam partem fugerent, huc illuc discurrebant ad honores, opes, voluptates, scientias, &c. & omnes hosti obviabant: pauci erant qui ad veram salutis portam currerent, ad humilitatem, paupertatem, simplicitatem, temperantiam, patientiam, &c. Quid igitur fecit vigil noster Deus? ipse de turri cœlesti descẽdit & per portam humilitatis, paupertatis, &c. fugam

fugam arripiendo primus ipse præcurrit: Quid igitur nos faciemus? non sequemur illum, qui solus novit & hostis adventum & fugiendi viam? Certè hic est ille parvulus per Esaiam promissus cap. 7. *sciens reprobare malum, & eligere bonum*, hic igitur sequendus. Vnde S. Bernardus serm. 3. de Nativit. Domini ait: *Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus involvitur. Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam.* Et mox: *Christus utiq; qui non fallitur, elegit quod molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: Et quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum.* Hæc ille. Deinde nónne sola Christi principis nostri authoritas (etsi nesciremus, quorsum id fecisset, vel nobis id prodesset) sufficere nobis debet, ut exemplo ejus allecti mundum contemnamus & ipsius vivendi morem sequamur? Quis enim nescit aulicos quamprimũ imitari suum principem, ubi ille vel vestis colorem mutarit, vel simile quid inchoarit? Franciscus Gallorum Rex I. ut primùm literas, à quibus sui Majores semper abhorruerant, amare cœpit, statim secuta nobilitas est, deinde reliqui ordines tanto studio bonas artes conquisierunt, ut nusquam deinceps literatorum copia extaret major. Bodin. Method. hist. cap. 6. Iam si unus terræ vermiculus potest alios excitare vermiculos ut se imitentur: & Deus de summo cœlo descendit, ut nos exemplo suo alliciat ad humilitatem, paupertatem, temperantiam, &c. sectandam, & nihil proficiat? Valeant, igitur deinceps honores, opes, voluptates, nobilitas, scientiæ, &c. Vivat humilitas, paupertas, temperantia, simplicitas, &c. Si enim vilissima illa Pauli Eremitæ tunica ex palmis ab eo confecta tantum valuit Antonio, ut festis tantùm Paschæ & Pentecostes illa uteretur, adeoque super auream vestem esset illi pretiosa, ut habetur in officio S. Pauli lect. 6. quanto magis pretiosa nobis sint Christi stabulum, præsepe, panni, fœnum, &c. Et si hæc aliquando exosa fuerunt, sint jam pretiosa.

G. VI. *Ex fœno.*

H. VII. *Et pectore.*

Septimo, Pectus suum demonstrat & ait quasi: Ecce ego ille sum, qui nullius egeo & mihi ipsi sufficio: hæc omnia tamen facio pro amore tuo, qui ut te amarem, nunquam meruisti: disce ergo & tu, me vicissim amare. Non erat alia causa, cur hæc Christus ageret & pati vellet, nisi ut hoc suo exemplo nos instrueret & ad imitationem provocaret. Vnde si miramur Serapionis illius Abbatis charitatem, qui cùm civitatem quandam infidelem prædicatione publica convertere non posset, vendere se illius civibus cœpit in servum, ut humilia obeundo servitia modò hanc modò aliam domum converteret, apud Marulum lib. 3. quanto magis obstupescere debemus ob DEI charitatem, qui cùm verbis & adhortatiònibus suis mundum convertere, & à damnatione retrahere non posset, vendidit se nobis in servum, humilia obiit munia, ut sic ad se nos alliceret? De Iulio Cæsare refert Majolus tom. 3. canicul. coll. de Bellor. eventu, quòd aliquando ægro militi hospitium cesserit in quo diverterat: & nocte tota cum militibus sub dio manserit ac dormierit. Multum hoc in Imperatore. Annon idipsum fecit hominibus Deus? an non hospitia Bethleemitica hominibus, servis suis, concessit, ipse in stabulo divertit? Vide an sic amantem non debeas redamare.

Concludo cum verbis S. Bernardi ser. 3. in Natali Domini: *Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentius, quantùm fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis fratres parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? si hunc tantillum vocum laborem, inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihil: quàm justius indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam, nostra aut duritia aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc in servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi, &c.* Hæc Bernardus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Cur voluit Deus tempore Christi nati descriptionem orbis fieri?

II. Quod tempus nati Christi?

III. Cur Christus in Bethlehem natus?

IV. Cur reclinari voluit in præsepio?

V. Cur vocati præ cæteris pastores?

THEMA.

Transeamus usque Bethlehem & videamus hoc Verbum, quod factum est, Luc. 2.

A.

Magna & mira visio ostensa fuit Moysi pascenti oves, cum apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, Exod. 3. Hinc enim obstupefactus Moyses dicebat: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Rubus iste igneus, sensu allegorico, designabat Deum in carne, seu verbum, quod caro factum. Rubus enim spinosus, asper, contemptus significat Christi humanitatem, quam ipse sponte multis ærumnis & laboribus subjectam, pauperem, humilem, despicabilem, & hodie infantili corpore jacentẽ in præsepio, salutis nostræ causa suscepit. Ignis Deitatem notat, juxta id Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est.*

Iam

Iam ſicut ignis rubum,ita Deitas humanitatem ejuſque mortalitatem & infirmitatem non conſumpſit. Hoc quod olim Moyſi oſtenſum eſt in figura, hodierna die paſtoribus monſtratum eſt reipſa, cum audierunt Verbum carnem factum, & reclinatum in præſepio. Bene igitur & ipſi dicebant: *Eamus & videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Horum exemplo & nos eamus & videamus viſionem hanc magnam; cur, quando, & ubi naſci voluerit filius Dei, cur reclinari in præſepio, cur paſtores ad ſe vocarit; & quid à nobis poſtulet.

B. I. *Cur voluit Deus tempore Christi nati descriptionem orbis fieri?*

Quæſt. I. Cur voluit DEVS tempore nati Chriſti deſcriptionem orbis fieri: Reſpondetur Primò, Vt hac occaſione Ioſeph & Maria pergerent in Bethlehem, ubi Chriſtum naſciturum prædixerat Michæas. Conceptus ſanè erat in Nazareth; unde meritò quis dubitare poterat, quomodo naſciturus eſſet in Bethlehem? ſed nimirum Deus mille modos habet implendi & exequendi decreta ſua. Quare nihil nos movere debet, ſi non perſpiciamus, quà ratione hoc vel illud Dei ſtatutum (Verbi gratia, quomodo reſurrectio mortuorum & redintegratio corporum, igne, putredine vel à beſtiis abſumptorum, fieri poſſit &c.) impleri queat; nihil Deo difficile, nedum impoſſibile eſt.

Secundo, Vt pateret Chriſtum de ſtirpe Davidis natum, in cujus civitate profiteretur ejus mater; & tempus Meſſiæ appetiiſſe, cùm ſcilicet ſceptrum ablatum eſſet de Iuda; oſtendebat enim hæc deſcriptio & edictum Iudæos Romanis eſſe ſubjectos.

Tertio, Myſticè ſecundum S. Ambroſium in Luc. 2. ut intelligeremus deſcriptionem hanc univerſi orbis potiùs pertinere ad eum, qui tunc naſcebatur, verum totius orbis Dominum. Cui conſonat quod refert Oroſius, Auguſtum hoc ipſo tempore Domini titulum recuſaſſe, quaſi præſagientem, natum jam in terris eſſe verum cœli terræque Dominum. S. Gregor. homil. 8. in Evangelia ait, naſcente Chriſto mundum deſcriptum, ut apertè demõſtretur, *quòd ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate.* Tributum Chriſto dandum fides eſt.

C. II. *Quod tẽpus nati Christi?*

Quæſt. II. Qui ſunt illi dies ſeu quod tempus deſcriptionis orbis & Nativitatis Chriſti?

Reſpondetur 1. Natum Chriſtum circa annum 42. Imperii Auguſti, ætatis verò ejus 62.

Reſpondetur 2. Natum eò tempore, quo magna toto orbe pax florebat, quoniam (ut Apoſtolus ait ad Epheſ. 2.) *Ipſe eſt pax noſtra* Et, ut Iſaias cap. 9. ait *Princeps pacis.* *Aquilâ aliunde advolante* (ait S. Baſilius Iſai. 2.) *ac deſuper conſpectâ, futili garrulitati loquacium avium ſilentium indicitur.* Ita Chriſto in orbem prodeunte, terræ Dominis bella cogitantibus ſilentium impoſitum. In diebus quibus Alcyon in littore maris ovis incubat, tranquillum mare eſt, ut ſcribit S. Ambroſius lib. 5. Hexam. cap. 13. Vnde dies illi Alcyonii vocantur. Cur ergò non etiam pariente Virgine pax in orbe ſit? Ros non niſi ſerena & tranquilla nocte cadit, teſte Ariſtotele lib. 1. Meteor. cap. 10. Vult ergò etiam Chriſtus nonniſi in tranquillo & ſereno corde naſci; ubi arma, lites & pugna conſcientiæ ſilet.

Reſpondetur 3. Natum Dominica die *ut quo die dixit: fiat lux, & facta eſt lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde*, inquit Rupertus lib. 3. de divinis officiis cap. 13.

Reſpondetur 4. Natum in ſolſtitio hyberno, vel circa id, quo tempore ſolent dies creſcere, & Sol ad nos accedere, ut intelligeremus, quia gratiæ lucem Chriſtus Sol juſtitiæ attulit & auxit; cum ad nos acceſſit. Adhæc media hyeme naſci voluit, quia elegit tempus frigidiſſimum, & quod carni moleſtius eſt, ut carnis prudentiam taxaret, ſecundum Bernardum, ſerm. 3. in Nativit.

Reſpondetur 5. Media nocte natum, ut ex tenebris lux ſplendeſceret.

D. III. *Cur Christus in Bethlehem natus?*

Quæſt. III. Cur in Bethlehem civitate David naſci voluit?

Reſpondetur 1. ut demonſtraret ſe eſſe de domo & familia David, Luc. 2.

Reſpondetur 2. Vt humilitatem ſectaretur (Bethlehem enim humilis & abjecta civitas erat) & inde majori ſua gloria ad regnum ſe proveheret; ſicque etiam nos humilitatem ſequi doceret. *Qui ſervi ſuſceperat formam*, inquit S. Leo ſerm. 1. de Epiphan. *Bethlehem prælegit nativitati, Ieroſolymam paſſioni.*

Reſp. 3. Vt per hanc pauperem ſuam nativitatem mereretur nobis ſublimem in cœlo. Congruit huic rei ſitus civitatis, quia erat via in Ieruſalem: ſic per humilitatem aſcenditur ad cœleſtem Ieroſolymam, id eſt, pacis viſionem.

Reſp. 4. *Bene in Bethlehem naſcitur Chriſtus*, inquit S. Gregorius homil. 8. in Evangelia; *Ipſe eſt enim, qui ait: Ego ſum panis vitæ, &c.* (Bethlehem enim domum panis ſignificat) item quia Electorum mentes interna ſatietate refecturus erat, ſecundum Greg. ibid.

E. IV. *Cur reclinari voluit in præsepio.*

Quæſt. IV. Cur reclinari voluit in præſepio? Reſpondetur 1. ad literam, *quia non erat ei locus in diverſorio:* Omnia enim diverſoria à ditioribus jam occupata erant, itaque ſeceſſit Deipara in ſtabulum vel ſpeluncam: & quia non habebat cunas, reclinavit filium in præſepio, ut vel ibi commodiùs cubaret.

Reſp. 2. Vt ſignificaret ſe eſſe verum paſtorem, imò etiam cibum pecoribus ſuis futurum.

Reſp. 3. Vt indicaret regnum ſuum non conſiſtere in faſtu, palatiis, opibus & pompa, ſed in mundi cõtemptu, nec ignominiæ Chriſto fore hanc paupertatem, ſed gloriæ, imò hoc eſſe ejus ſymbolum.

Reſp. 4. Vt ſtatum, in quem deciderat homo, comparatus jumentis, oſtenderet: nec non gentium, quæ beſtiarum inſtar degebant, converſionem.

Quæſt.

F. V. *Cur vocati præ cæteris pastores.*

Quæst. V. Cur præ cæteris vocati ad Christum pastores?

Respondetur 1. Vt pateret, qualis futura esset messis apud Iudæos in Evangelio admittendo: cujus primitiæ essent pauperes & simplices. Nam de potentibus dicitur: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum?* Ioan. 7. Ex gentibus contra primò vocantur reges, quia plurimi potentes ex iis credituri erant.

Respondetur 2. Vt damnaret mundi fastum & superbiam, dum humiles tantùm, non superbos Pharisæos ad se vocavit. Nec mirum, quia cum Christi prædicatio sit de contemptu mundi, de mortificatione, cruce, &c. pauperes hanc avidè arripiunt, ut se in sua paupertate solentur & animent: hæc verò fugiunt & oderunt divites. Vnde S. Iacobus cap. 2. ait: *Nonne DEVS elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & hæredes regni?* Item æquum est ut qui corporalibus bonis destituuntur, spiritualibus donentur, & vice versa. *difficilè, imò impossibile est*, ait S. Hieronymus epist. 34. ad Iulianum, *ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis; ut hic ventrem & ibi mentem expleat, ut de delitiis transeat ad delitias, ut in utroque sæculo primus sit: ut in cœlo & terrâ appareat gloriosus.*

Respondetur 3. Quia capaciores erant hujus mysterii; superbi non credidissent, sed de infante hoc dixissent, quod Achis Rex de Davide: *Vidistis hominem insanum? Quare adduxistis eum ad me?* 1. Reg. 21. Vel cum Michole: *Quàm gloriosus est hic Rex?* 2. Reg. 6. Pastores rem ut audierunt ab angelis, ita crediderunt. Pulchrè S. Augustinus serm. 59. de Verbis Domini ait: *Veni tu pauper, nihil habes, nihil nôsti; sequere me: tam largo fonti vas inane admovendum est.* Accedit quòd divites & delicati vix adigi potuissent ut venirent: Alii enim suaviter dormientes, surgere renuissent: aliis cœlum nubilum vel intempesta nox displicuisset: alii longiore apparatu opus habuissent, &c.

Respondetur 4. Quòd pastorum simplex relatio majorem audientibus fidem faceret, *plebem Dominus simplicem requisivit*, inquit S. Ambrosius, Luc. 2. *quæ phalerare audita & fucata nesciret; simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.* Alexander M. Homerum optabat reviviscere, ut suarum laudum dignum haberet præconem; sed non ita Christus, qui nullius præconis fuco indiget, simplicitate delectatur. Sicut Draconites gemma non admittit artem aut polituram: sic & Christi Evangelium.

Superest nunc ut nos quoque cum pastoribus eamus & videamus hoc verbum DEI, scilicet filium incarnatum: & quid ipsi debeamus. Inprimis enim debemus ei homagium & subjectionem pedumque osculum. Sic enim jubet ejus pater Psalm. 2. dicens: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Osculamini filium* (uti vertunt aliqui ex Hebræo.)

Deinde debemus ei gratam tanti beneficii recordationem: ad quam incitare voluit homines aliquando S. Francisc. qua de re S. Bonaventura in vita ejus, cap. 10. ita scribit: *Contigit anno tertio ante obitum suum, ut memoriam nativitatis pueri IESV, ad devotionem excitandum: apud castrum Gracii disponeret agere cum quanto majori solennitate valeret, ne verò hoc levitati posset adscribi, à summo Pontifice petitâ & obtentâ licentiâ, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bovem & asinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, personat silva voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis & claris laudibusque sonoris & consonis & splendens efficitur & solennis. Stabat vir DEI coram præsepio pietate repletus, respersus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur missarum solemnia super præsepe, levitâ Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de nativitate regis pauperis, quem cùm nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus & verax, qui propter Christi amorem sæculari relictâ militiâ, viro DEI magnâ fuit familiaritate conjunctus, Dominus Joannes de Gracio, se vidisse asseruit, puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à somno.* Addit S. Bonaventura fœnum hoc præsepii à populo reservatum, multos brutorum morbos sanasse & pestes depulisse.

Præterea ut pauperem puerulum vestiamus & alamus, quod fiet si ejus nomine pauperibus necessaria suppeditemus. S. Vincentius serm. de Nativitate Domini refert pium quendam mercatorem Valentiæ solitum fuisse singulis annis in die natali Domini ad honorem IESV, MARIÆ & Ioseph invitare ad mensam pauperculam fœminam, filium infantem in brachio gestantem, nec non & pauperem senem, qui matrem & filium comitaretur. Quod obsequium adeò DEO gratum fuit, ut Mercatori moribundo Christus, Deipara & Ioseph apparuerint dicentes: *Quia nos huc usque per annos singulos tam grato suscepisti animo in hospitium tuum, nos vicissim te in æterna tabernacula suscipimus regnaturum.*

Denique ut proximos etiam nostros ad præsepe Domini adducamus, quo & ipsi Christum agnoscant, venerentur, & amplexentur, suasque in ulnas accipiant per S. communionem. Dicamus alter alteri: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum.* Relinquamus hisce feriis ludos, jocos, comessationes & ebrietates; & seria potius agamus,

quorum nos feriæ natalitiæ commonefaciunt. Contemplemur DEVM infantem, præsepe, fœnum, pannos: quid sibi ista velint. Hujus rei gratia S. Hieronymus in Bethlehem concessit, ut juxta illud viveret, cœlestem vitæ rationem instituens; ad idem etiam vocavit Paulam, Eustochium aliasque Romanas matronas & Virgines nobilissimas. Vnde meruit ut etiam mortuus juxta præsepe Domini, quod tantoperè amârat, repositus conquiesceret, Romæ ad S. Mariam majorem, &c.

***

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Evangelium Matth. 23.

IN illo tempore dicebat JESUS turbis Judæorum & principibus Sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex is flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis à modò donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

CONCIONES.

CONCIO I.

DE GLORIOSO CERTAMINE & victoria B. Stephani quintuplici.

I. *Cum Legisperitis.*
II. *Cum falsis testibus.*
III. *Cum iniquis Iudicibus.*
IV. *Cum lapidatoribus.*
V. *Cum morte.*

THEMA.

Certamen forte dedit illi ut vinceret, Sapient. 10.

A. ADmodum dissimili armorum genere congressi sunt Goliath & David: ille quidem loricâ indutus æreâ, gladio & hasta munitus; hic verò baculo tantùm & quinque lapidibus instructus; ille staturæ erat enormis, hic verò exiguæ, uti legimus 1. Reg. 17. Quis non dixisset, obsecro, Davidem à Goliatho primo statim congressu ad terram elidendum & pedibus proterendum? Verùm aliter longè evenit, ad primum enim lapidis jactum prostratus à Davide Goliath, victoriam illi cessit. Eandem vel majorem disparitatem cernere est in certamine, quod habuit cum Iudæis Stephanus. Illi enim instructi lapidibus pro-

prodeunt in arenam, iste solis virtutibus: illi plurimi erant, iste verò unicus. Quis non & hic dixit vincendum esse Stephanum, Iudæos triumphaturos? At si rem bene expendamus, vicit Stephanus, victi & confusi sunt Iudæi, & veriùs ab ipsomet Stephano lapidati, quàm Stephanus ab ipsis. Quintuplices hostes habuit sanctus Stephanus eosque totidem quasi lapidibus prostravit. Lapides illi fuerunt, sapientia, innocentia, fiducia, charitas, fortitudo, ob quas virtutes optimè vocatur in Actis Apostolorum, *plenus sapientia, plenus gratia, plenus fide, plenus Spiritu Sancto, plenus fortitudine.* Pugnabant igitur Iudæi in Stephanum lapidibus; sed iste pugnavit in illos virtutibus. Et hoc novo ac miro pugnandi genere, quòd à Christo didicit, Christianos omnes instruxit, quomodo pugnare debeant, Audiamus.

Ideo plenus dicitur sapientia. B. I. *Cum Legisperitis.*

Primum, Certamen habuit cum Legisperitis ex Synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia; disputando cum illis & redarguendo eos cum omni fiducia, ut habetur Actor. 6. Et hos quidem vicit Stephanus, quia non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Vel enim illos instruxit, ut cognoscerent & dimitterent errores suos, vel saltem eos confudit, ut à propria conscientia arguerentur se errare & ita essent inexcusabiles, si non resipiscerent. Volebat nimirum Stephanus sub alas Christi congregare vagantes pullos, diabolico milvo expositos, & ad hoc non voce tantum, sed increpatione etiam usus est opportuna, importuna, & quemadmodum servus Domini fidelis, missus ad vocandos invitatos, non tantùm eos vocare, sed etiam compellere volebat, ut intrarent ad cœlestes nuptias. Hoc enim voluit illa ejus concio: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus; Vos semper Spiritui sancto resistitis, &c.* Quare imitatus est exemplum Magistri sui Christi; qui simili ratione Iudam revocare à perditione sub alas suas conabatur, primò suavibus mediis, communicando illum, lavando ei pedes, monendo eum & vocando amicum. Deinde severis, comminando illi. *Væ homini illi, &c.* & terrendo eum. Id quod nos etiamsi veri Christi discipuli esse volumus, pro viribus imitari debemus, ut scilicet errantes fratres nostros ab erroribus revocemus & perditione. Ac primò utamur consilio, sapientia & ratione, quâ ostendamus illis errores suos: & hoc cum spiritu (quemadmodum Stephanus, qui sapientia & spiritu eos arguebat) hoc est, non ex privato odio & vindictæ appetitu, sed impulsu Spiritus sancti & ex charitate, ut lucremur illos. Deinde adhibenda severitas & correptio est, ut sic compellantur ad bonum, vel saltem confundantur & à malo deterreantur; Idque faciendum cum omni fiducia, hoc est, magna animi libertate, & spe fructus proventuri; De nemine enim desperari debet, sed potiùs confidendum, quòd delinquens instructionem & correctionem bono animo accepturus sit: & DEVS gratiam suam additurus ut convertatur. Non credebat Ananias Saulum ex lupo in agnum converti posse, propter hostilem illius animum. Sed audiit à Domino: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste.* Et abiens nullo negotio fecit ex lupo agnum, quia DEVS gratiam contulerat Actor. 9. Quis nescit etiam leones, ursos & tigrides quandoque cicurari, ut obediant ad nutum? Et cur non possit homo, disciplinæ capax?

Ideo plenus dicitur gratia. C. II. *C. falsis testibus.*

Secundum Certamen habuit cum falsis testibus, qui subornati accusabant eum coram judicibus, quod loqueretur contra templum & legem; sed hos confudit & vicit innocentia sua. Facta enim accusatione ejus statim subjungitur, Actor. 7. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli.* Antequam enim responderet & defenderet se Stephanus, Deus illum defendit ejusque innocentiam ostendit, tribuendo illi vultum angeli, ut vel ex ipso aspectu innocentia ejus angelica judicibus innotesceret. *In faciei enim pulchritudine*, inquit S. Hilarius Arelat. homil. de S. Stephano, *candor splendorque animi exundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cùm haberet in se Spiritum Sanctum, os præ se gestabat angelicum.* Videre etiam hoc fuit in Magistro ejus Christo, qui falsò accusatus fuit coram Iudicibus, tametsi nihil respondens, absolutus tamen est, & ab ipso Iudice Pilato innocens proclamatus. Quare contra obtrectatores non est efficacius & gloriosius pugnandi genus, quàm per innocentiam & honestatem vitæ. Id quod etiam Diogenes dictitabat, optimam scilicet ulciscendi rationem esse contra obtrectatores, honestè se gerere & probum esse. Dicit ergò quis te avarum? largiter da eleemosynas. Irreligiosum? frequenta templa & sacramenta, &c. sic tua te absolvet innocentia & apparebis angelus.

Ideo plenus dicitur fide. D. III. *Cum iniquis Iudicibus.*

Tertium, Cum iniquis judicibus, qui licet audissent justam Stephani defensionem, increpati tamen de obstinatione, dissecabantur cordibus & stridebant dentibus in eum. Sed & istos superavit. Humano enim auxilio & judicum æquitate destitutus ad DEVM se convertit, fiduciam in illo habens. Intendens ergò in cœlum vidit gloriam DEI & IESVM stantem à dextris DEI, & ait: *Ecce video cœlos apertos & filium hominis stantem à dextris virtutis DEI.* Quo audito Iudices *exclamantes voce magna continuerunt aures suas.* Ecce quomodo eos percusserit. Quare docet ut cùm iniquè affligimur, fiduciam in DEO habeamus, sicut etiam Susanna, cùm injustè condemnaretur, *flens suspexit ad cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, Dan. 13. quæ & mox per Danielem liberata est. Similiter cùm injustè premimur, nec habere possumus

 ab ho-

ab hominibus auxilium, suspiciemus ad cœlum & rem DEO committamus: nec ipsimet ultionem capiamus; potest enim Deus multò melius ulcisci injurias nostras quam nos. Cujus exemplum dedit in defensione Abrahæ Gen. 12. ubi regem Ægypti Pharaonem propter raptam Abrahæ uxorem flagellavit cum omni domo sua, donec intactam redderet Abrahamo. Nequaquam potuisset Abraham adeo ulcisci injuriam suam, sicut eam ultus est Deus, etiam non rogatus: sic nimirum defendit omnes justos in ipso confidentes, quando tribulantur: juxta id Ps. 104. *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.* Sic Stephanus vidit Christum in cœlo stantem, quasi volentem ei succurrere & pro eo pugnare. Hunc pugnandi modum etiam à Christo didicit, qui cum sciret ab iniquis Iudicibus & Iuda sibi cudi supplicia & mortem, ivit ad montem oliveti, ut oraret ad Patrem suum; ubi & in oratione ab Angelo sibi apparente confortatus est. Ita Stephanus intendens in cœlum, vidit Christum & robur animi sumpsit. Non ad arma igitur, sed ad Deum currendum est, quando tribulamur.

Ideò plenus dicitur Spiritu sancto, qui est amor. E. IV. *Cum lapidatoribus.*

Quartum, Cum suis lapidatoribus & occisoribus, quos ille vicissim lapidabat oratione pro ipsis facta. Positis enim genibus orabat: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Nimirum peccata delinquentium ante DEUM stant, vindictam postulantia, ideò ea dejicere & prosternere conabatur Stephanus oratione sua: nec incassum pugnavit; dejecit enim & prostravit peccatum Sauli præcipui ex lapidatoribus, adeoque ipsummet, ut paulò post à Christo correptus corruerit in terram & resipisceret, ac subitò & ipse Iudæis ingentem stragem inferret, eos confundendo, convincendo & plurimos convertendo ad fidem. Oravit verò pro inimicis genu flexus; pro seipso verò solùm stans, adeoque ardentiùs pro illis, quàm pro se. Quod etiam genus certandi cum inimicis, per beneficia scilicet, & orationem didicit à Christo, qui in cruce oravit primò omnium pro inimicis, qua oratione haud dubiè impetravit ut centurio converteretur, & reliqua turba percutiens pectus suum reverteretur: postremo loco pro se ipso. Habemus igitur ex Magistro & discipulo, quomodo pugnare cum persecutoribus nostris debeamus. Mundus dicit turpe esse, pati injurias: sibi benè, amicis verò malè precandum. Sed quantum erret, Magister Christus & Discipulus ejus docent. Irridebat aliquando Aristus Philopatrum militem claudum, quasi ad bellandum ineptus esset ob tibiarum defectum; sed respondit illi Philopater: *Tibi deest cor ad pugnandum, & mihi desunt pedes ad fugiendum, sed non cor ad pugnandum.* Simili ratione demonstrari potest longè fortiorem fuisse Stephanum orando pro suis occisoribus, quàm ipsos occisores lapidantes Stephanum. Egerunt illi carnifices; & quid magni, agere carnificem? vulnerare lapidibus, impetere obvios? Habuerunt ergo manus ad nocendum: sed non habuerunt cor ad sufferendum eas injurias, quas Stephano irrogabant. Stephanus autem longè fortior, non habuit pedes ad fugiendum ex hostium manibus, sed habuit cor ad persistendum & condonandas injurias; imò ad orandum pro illis. Ideò positis genibus pugnabat, hoc enim genus pugnandi per patientiam injuriarum & dilectionem multò gloriosius est. Inde in hodiernam horam celebratur à mundo Stephanus orans pro persecutoribus, nequaquam verò ejus carnifices: ille victor asseritur, hi verò victi; Ethnicorum fortitudo est in ulciscendo & cædendo, qualis est Carnificum: sed illi interim à propriis passionibus turpiter vincebantur. Christianorum est seipsos vincere, & proprias passiones velut bestias omnibus truculentiores; & hoc uti majoris est difficultatis, ita majoris gloriæ. Adhæc qui ulciscuntur, fugiunt quodammodo hostem, quia nolunt habere aut pati inimicum, ideoque exterminant illum. Qui verò inimicum sufferunt & pro eo orant, hi non fugiunt, nec curant illum.

Ideo plenus dicitur Fortitudine. F. V. *Cum Morte.*

Quintum, Cum Morte omnium terribilissima, vel inde acerrimum, quòd ipsi primo pro fide occumbendum erat. Non viderat adhuc præeuntem in hoc certamine Apostolum aliquem vel alium Christianum, cujus exemplo animaretur. Primus ipse fuit, qui in sanguine & morte sua subscribebat testamento Christi, idque tanquam sigillo confirmabat. Vicit tamen & hunc hostem admodum gloriosè, quia mortem non modò non timuit, sed potiùs advocavit, Cum dixit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum*, q. d. ait, S. Augustinus serm. 93. *Tibi vixi, tibi morior: quia adjuvisti me, vicit quem suscipis.* Quibus verbis brevissimè rationem triumphandi mortem tradidit. per Fidem, Spem, Charitatem. Fidem ostendit, cum Iesum vocat Dominum suum: Spem, cum vocat eum Iesum & invocat ut Salvatorem, meritis suis diffidens, eique se committens: Charitatem, dum animam & spiritum suum ei resignat, de corpore nihil solicitus. Quam prælіandi rationem à Christo etiam didicit, qui in cruce moriens dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quanquam à morte dejectus est, non tamen ab ea consumptus aut devoratus: siquidem spiritus ejus incolumis evasit, corpus tantum à morte prostratum est. Nemo autem nescit nihil obesse gloriæ militis, si ejus equus sub ipso confossus conciderit & equitem secum prostraverit, eques tamen incolumis evaserit: imò hoc auget gloriam ejus. Hoc evenit S. Steph. Idcircò Lucas scribit eum obdormisse in Domino, non dicit mortuum esse. Ob hanc causam jure plenus Fortitudine dicitur, & idcircò meritò Princeps & signifer omnium Martyrum habetur, meritoq; à corona nomen habet, quemadmodum tribus Iuda sceptrum obtinuit, quòd cum Duce suo Aminadab prima per mare rubrum Moysen secuta sit (ex Hebræorum traditione) Ita enim & Stephanus primus Christum secutus per sanguinis fusionem. In oppugnatione

Iebus

Iebus seu Ierosolymæ David dixit: *Omnis qui percusserit Iebusæum inprimis, erit Princeps & Dux.* Ascendit Ioab primus & factus est Princeps, 1. Par. 11. Rursum cùm Ierusalem à Tito Imp. oppugnaretur, dicebat Titus militibus suis: Qui priùs murum ascenderit, invidendum remunerationibus fecero, teste Iosepho lib. 7. de bello cap. 1. & ausus est ascendere primus, Sabinus nomine, ut ibid. licet saxo iterum dejectus & telis postmodum occisus. Denique in ultima oppugnatione Ierosolymæ facta à Christianis anno Domini 1099. Godefridus Bullionius Dux Lotharingiæ, primus ascendit muros, qui propterea primus Rex Ierosolymitanus renunciatus est. Atq; ita patet variis temporibus semper principem gloriam ei præstitutam fuisse, qui primus Ierosolymam occupasset. Quis autem nescit Ierosolymam typum esse regni cœlorum? In ejus ergò oppugnatione, cùm S. Stephanus fuerit primus, qui per Martyrii certamen muros ejus conscendit: Cur non ipse jure merito Princeps & Rex Martyrum, invidendus aliis habeatur? Magnus Martyr est, S. Laurētius, nec ulli facilè secundus: hic tamē, cùm corpus S. Stephani Romam transferretur in Basilicam & sepulchrum S. Laurentii, adeò honorificè illud excepit in eadem basilica jacens, ut illi digniorem in monumento locum cesserit, loculum suum in sinistram transferēs, dexteram Stephano concedens: ob quam causam ab Italis vocatur, *Il cortese Spagnuolo*, ut refert Ilphons. Giron. in fragm. ep. sup. hoc Festum, & sanè existimo martyres omnes quotquot in cœlo sunt, & futuri sunt, Stephano huic post Christum laudem martyrii modo aliquo adscriputros, adeòque peculiarem ei honorē velut duci aut signifero suo exhibituros; siquidem ejus exemplo ad Martyrii certamen nō parum animati sunt. Vnde S. August. serm. 94. de diversis, ait: *Quando B. Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cœlo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio. Impleverunt postmodum terram crebra martyria. Quicunq; postea sanguinem pro Christi confessione fuderūt, imposuerunt coronam illam capiti suo & eam secuturis integram servaverunt*: Hinc videre licet quanto jure debeatur Stephano corona, qui tam legitimè certavit & normam certandi docuit & rursum quàm appositum nomen sortitus sit, quod Hebraicè, *norma*, Græcè *corona* exponitur. Tenuit enim normam certandi Christianam à Christo præscriptam, & ideò coronam consecutus est. Dicit enim Apostolus 2. Tim. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Quoniā igitur omnes nos milites Christiani sumus, & normam certandi tam in Magistro nostro, quàm in Discipulo ejus Stephano vidimus, superest ut eandem certandi normam sequamur, si coronam obtinere volumus.

Vidimus certamen tuum S. Stephane. Quare Ito nunc pugil Christi, Ito ad IESVM tuum, pro cujus fide & amore tantum agonem obisti. Iesus te expectat ut coronet, qui spectavit ut vinceres. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti: accipe coronam gloriæ. Ito martyr fortissime in domum fortium DEI. Ito Virgo castissime in supernum montem Sion: sequere cum choris S. Virginum, Agnum quocunque ierit, canta cum eis canticum novum, imò illud cæteris præcine. Ito Christi Evangelista & præco in aulam cœlestem Christi. Ille victorem & felicem tuum spiritum excipiet. Ille tibi saxa in gemmas convertet; pro corona saxorum, imponet capiti tuo coronam carbunculorum, adamantum, smaragdorum. Ille ab oculis tuis lachrymas, à vultu sudorem, à corpore cruorem omnem absterget. Ille DEO Patri victorem te sistet, ut pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito Protomartyr, cæteris iter in cœlum præi, viam ad triumphum sterne: sequentur te ut Ducem toto orbe per omnia futura sæcula, iñumera Martyrum agmina, pacis horis fortiter luctando te ipsum meritis, Apostolos gaudio, fideles exemplo, Ecclesiam gloria, orbem fama, Angelos exultatione, cœlum civibus, paradisum Martyribus implesti & condecorasti: Eia ex alto nos respice, ut tui certaminis vestigia fortiter sequi, & ita gloriæ tuæ bravium consequi mereamur, Amen.

CONCIO II.

MODI ULCISCENDI SE Christiane.

I. *Bonus esto.*
II. *Injuriam sperne.*
III. *Tace.*
IV. *Veniam pete.*
V. *Benefac.*

THEMA.

Domine ne statuas illis hoc peccatum, Actor. 7.

SCitis Auditores quo genere armaturæ vicerit & prostraverit David Goliathum, non indutus lorica ferrea, non tectus Galea ærea, non accinctus gladio, sed baculo instructus & quinque lapidibus, quos elegit sibi & misit in peram suam: & his prostravit hostem. Induerat quidem eum primò Saul armis suis, galeâ, loricâ, gladio: Sed inassuetus David non poterat sic incedere; tulit ergò consueta arma, quæ acceperat olim à Patre suo pastoralia, minimè timenda, & quibus existimares vix canem posse perimi. Vnde Philistæus dixit ad eum: *Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* 1. Reg. 17. Sed nimirum David his armis, vilibus & ridi- A.

ridiculis induitus est à Domino, ut in iis vinderet, qui in armis Saulis nullatemus vicisset. Hunc in modum, Auditores, pugnandum est contra inimicos nostros. Mundus quidem Saulis instar induit nos loricâ, galeâ & gladio, dum suadet inimicum armis persequendum: sed non ita Deus Pater noster cœlestis, qui longè alia nobis arma, minimè timenda, dedit, quibus vinceremus: *Diligite inimicos vestros & benefacite his qui oderunt vos, & orate propersequentibus vos*, &c. His instructus armis processit hodie Stephanus contra Phalanges Iudæorum; quinque enim verbis scilicet, *Ne statuas illis hoc peccatum*, velut totidem lapidibus pugnavit contra lapidatores suos, & occidit eorum Antesignanum Saulum, dum sua oratione ex Saulo fecit Paulum, posteà convertendum. Hujus igitur exemplo seligemus nobis quinque lapides limpidissimos, & ad hoc genus pugnæ aptissimos.

B. I. *Bonus esto*

Lapis Primus, Esto probus, docuit hoc nos Diogenes etsi non Christianus. Interrogatus enim à quodam, quo pacto maximè posset ulcisci inimicum? *Si te ipsum*, inquit *probum & honestum virum profitearis.* Hoc enim qui facit, & sibi prodest maximè, & inimicum maximè discruciat. Nam si fundum conspiciens bene cultum, discruciatur inimicus; quid fiet si te ipsum viderit veris ornatum bonis? Laërt. lib. 6. cap. 2. Idem docet Cardinalis Bellarm. conc. 26. *Si quis fortè avarus*, inquit, *vel intemperãs vel irreligiosus appelletur, mox cum stomacho respondebit: Non est ita, mentiris: hoc fero ostendam me virum probum atque integrum esse. Videte hominis dementiam, & quàm stultum modum argumentandi didicerit, gladio probare vult, se virum probum & integrum esse. Quid habet gladius cum probitate? Etiam si hostem ille suum occidat, nunquid propterea constabit nobis illum neque avarum, neque intemperantem esse, neque irreligiosum? Optimum igitur & saluberrimum ultionis genus hoc est: Avarum te appellavit? exhibe te ergà illum ipsum liberalem, obrue illum beneficiis. Intemperantem te esse dixit? sobriè vivito, jejuniis operam dato. Irreligiosum te nominavit? tu templa, sacra, conciones frequentato. Sic enim vinces in bono malum.* Sic ille.

C. II. *Injuriam sperne.*

Secundus, Contemne injuriam, quasi eam non sentias vel pro nihilo habeas; sicut qui latratus canum contemnit, citò illos sedat. secus qui illis movetur & defendere se nititur. Ita Tertullianus in lib. de Pœnitent. ait: *Omnis injuria seu linguâ seu manu incussa cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petrâ constantissimæ duritiæ libratum & obtusum: concidet enim ibidem irritâ operâ & infructuosâ, & nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæviet; nempe idcircò quis te lædit, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergò cùm fructum ejus everteris, non dolendo, ipse doleat necesse est amissionem fructus sui.* Quare sicut Erinaceus meliùs se ulcisci & defendere à canibus nequit, quam si convolvat se in globum, & ita morsibus canum se exponat; tum enim ipsi cruentant ora sua, ille nihil patitur; ita *si mansuetudinem exhiberemus*, inquit S. Chrysostomus in cap. 12. Epist. ad Rom. *essemus omnibus insuperabiles, nec ulla ad nos injuria perveniret. Roga inimicum an non doleat, an non censeat se victum, cum rides, cùm contemnis ejus injurias.*

D. III. *Tace.*

Tertius, sile & relinque ultionem DEO, qui longè acrius, quam tu queas, inimicum tuum puniet. Ita S. Chrysostomus super Matthæum: *si*, inquit, *vindicare vis, sile, & funestam dedisti inimico plagam.* Fecit hoc è gentilibus Dion Philosophus, quem maledicus quidam insectabatur, nullas non contumelias in eum eructans: Tacenti verò Dioni & jam domum ingressuro, silentio ejus iratus convitiator: *Nihil verò respondes?* inquit. Cui Dion: *Negry quidem.* Plut. & Stob. nimirum melius affligere maledicum nequivit, quam tacendo. E Christianis præstitit hoc S. Martinus Episcopus Turon. qui veste hispida obvians militibus, cum suo conspectu equis horrorem incussisset, à militibus malè mulctatus, cædentibus terga præbuit, nec verbulum locutus. Vix tamen illi digressi, vindictam DEI senserunt, nam equi eorum repente consistere & vestigio hærere, ut nullis adigi plagis ad progrediendum possent. Vnde agnoscentes, quam intulêre sancto injuriam, ad pedes ejus regressi veniam petierunt. Vt in ejus vita. Idcircò DEVS vindictam in inimicos nostros, tanquam casum gravissimum sibi reservavit Deut. 32. *Mea est ultio & ego retribuam* (Hebr. *mihi ultio & retributio*, sc. competit.] Quæ verba Apostolus ad Hebr. 10. citans explicansque subdit: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

E. IV. *Veniam pete.*

Quartus, Pete ab eo veniam quasi tu læsisses; sic enim erubescet & agnoscet errorem suum ac victum se fatebitur. Hoc est paradoxum illud Christianum, quod sanxit B. Ægid. socius S. Francisc. *Quando quis contendit tecum*, inquit, *si vis vincere, perde: si vincis te ipsum, vincis omnes inimicos tuos.* Exemplum scribit Ioannes Moschus in prato spirituali, cap. 210. *Duo Episcopi*, inquit, *erant in simultate: unus ex eis ut illam discuteret, cum clero processit ad alterum, ad ejusque pedes procidit dicens: Ignosce Domine, servi tui sumus. Ille victus hac humiliate: Tu meus, ait, Dominus & Pater es.* Vnde concludit Moschus: *Et vos cum habetis inimicum, ita facite & vincetis.*

Accedit quòd hoc faciens, præripis inimico tuo meritum gloriæ & palmam laudis. *Qui enim prior venit*, ait S. Chrysostomus homil. de simultate & ira tom. 5. *is totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cujus precibus impetratum est. Non enim DEO obtemperans,*

perans, sed illi gratificans legem adimplevisti. Hinc Theodosius Imperator, teste S. Ambros. serm. de ejus obitu, beneficium se accepisse dicebat, cùm ignosceret.

Nec difficile aut indecorum cuiquam hoc videri debet, majoris enim laudis est, si læsus veniam à lædente petat, quàm si lædens à læso. Et quis nescit hoc DEVM facere, quoties peccatori se reconciliat? nónne gratia sua illum prævenit? nónne prior fores pulsat, petens ab eo pacem & reconciliationem? nónne prior ad nos de cœlo descendit, ut nos ad se revocaret? nónne prior ad nos Legatos, Apostolos suos misit? Audi S. Gregorium homil. 32. in Evange. *Ecce*, inquit, *inter nos & DEVM discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos DEVS Legatos prior misit, ut nos ipsi, qui peccavimus, ad pacem DEI rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo.* Insanit ergò mundus qui hoc reputat ignominiosum, quod DEVS ducit sibi maximè gloriosum. Vnde Ose. 11. ait Dominus: *Non faciam furorem iræ meæ, non convertar ut disperdam Ephraim, quoniam DEVS ego & non homo.*

F. V. *Benefac.*

Quintus, Benefac illi, sic enim illum vinces & prosternes, veluti Saulum. faciesque ex illo, Paulum, id est, ex inimico amicum, ex obtrectatore laudatorem, ex malo bonum, ex hoste servum tuum. Hanc vindictæ rationem docet nos Apostolus ad Rom. 12. *Si esurierit*, inquit, *inimicus tuus, ciba illum: si sitit potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Quæres qua ratione: Primò rubore suffundes faciem illius, ut tua beneficentia pudefactus, & charitate victus cedat, odiumque in amorem convertat. Quomodo enim ille non pudefiat, qui videt tam liberalem atque ingenuum animum à se fuisse offensum, à quo pro injuria tale recepit beneficium?

Secundò, Charitatis igne eum inflammabis ad te redamandum. Si enim Hercules dicitur Hydræ capita resecando, non potuisse eam interimere; quia uno resecto, mox renascebatur aliud; sed ea ustulando & torrendo confecisse hydram: ita & hydra hæc inimicitiæ tolli nequit gladiis, perimendo amicos; quia uno cæso, mox alii filii vel nepotes succedunt, qui suorum necem ulciscantur. Igne ergò charitatis & carbonibus beneficiorum in caput eorum congestis, ustulanda, suffocanda & comburenda est hæc hydra, hoc frigidum virus invidiæ & inimicitiæ. Pulchrè hunc vincendi modum explicavit Herennius vir sapientissim⁹, ut refert Pineda lib. 6. monarch. cap. 8. Cùm enim aliquando Samnites in angusta valle conclusissent Romanos, acerrimos hostes suos, ita ut de iis statuere possent, quod vellent: miserunt legatos ad sapientissimum quendam senem, Herennium nomine, consulentes, quid sibi esset agendum. Quibus respondit Sapiens, dimittendum esse in pace populum Romanum. Mirati Samnites hoc responsum, existimabant legatos à Sene non perceptos, ideoque rursum miserunt illos, quid agendum sit quærentes. Respondit senex, occidendum esse Romanum exercitum, ita ut nullus superstes fieret. Contrarium hoc responsum magis adhuc mirati, miserunt tertiò pro responsi declaratione. Respondit ergò Sapiens duos esse modos vincendi inimicos, inferendo mortem & concedendo vitam; *si inimicos occiditis, vincitis quidem; perfectiùs autem vincitis, si in pace dimissos, vita donetis. Si enim eos occiditis, non multum honoris conquiritis, & fieri poterit, ut eorum cognati, novo vos bello perdant. Si autem dimittitis eos liberos, vincetis inimicos, quia nemo ex eis remanebit vobis inimicus; videntes enim se tali affectos beneficio, jam non erunt inimici, sed potiùs se vobis vitam debere agnoscentes, obsequio vestro in perpetuum subjecti erunt.* Verum Samnites spreto hoc salutari consilio. Romanum exercitum perdiderunt, sed malo suo. Nam mox alio validiore Rom. exercitu oppressi & deleti sunt. Multa sunt hujus rei exempla. Inprimis Iacob hac arte muneribus scilicet, honoris & obsequii delatione flexit iram fratris sui, imò servum, ut prædictum erat à DEO Gen 25. sibi modo aliquo fecit: siquidem Esau cucurrit in amplexum ejus, obtulit se ei in socium itineris, obtulit ad servos suos, Gen. 33. sic Ioseph scelus fratrum ultus est osculo, amplexu, lachrymis, muneribus, Gen. 44. Sic David flexit Saulē, parcendo & vitam hosti donando. Hinc enim immutatus Saul filium eum vocavit: *Nunquid vox hæc tua est fili mi David? Justior tu es quam ego, qui enim tribuisti mihi bona, ego autē reddidi tibi mala*, 1. Reg. 24. Sic vicit Herodem Pilatus sibique devinxit, deferendo ei honorem & jus suum in transmissione Christi ad ipsum, Luc. 23. sic furem ultus est S. VVolffgangus Episcopus Ratibon. dum eum veste meliore, quam furto quæsierat, donatum dimisit, ut in ejus vita Rader. in Bavaria sancta p. 1. Et S. Erminoldus apud eundem, fossores monasterii S. Emmerami, qui ex superiorum jussu fossam ducebant in præjudicium, & damnum monasterii S. Erminoldi, *Prüfening* dicti. Nam ab opera evocatos prandio excepit lautè ac benignè, quo factum ut fossores à mensa digressi, fossam mox humo impleverint, & damnum monasterii Erminoldini averterint, suorum injuriam detestati, benignitatem contra Erminoldi demirati.

Suevo & Bavaro subjungamus Helveticos Soluthurenses cum circa annum 1318. à Duce Leopoldo obsiderentur, & milites Ducis pontem fluvii proximè adjacentis (Die Aar genannt) transeuntes rupto inundatione ponte, plurimi in fluvium lapsi, aquis haurirentur, incolæ civitatis, raro exemplo, naviculis & perticis multos eripiebant à submersione, quos & Duci licet hosti innoxios remiserunt in castra.

in castra. Qua humanitate motus Leopoldus obsidione solvit, & bello infestare cives imposterum noluit. Gerardus de Roo in Chron. Archiducum Austriæ l. 2. Vultin' & de Barbaris Arabibus? Sanseverinus Princeps in regno Neapolitano, cum ad montem Sinai proficisci vellet, incidit in Idumæa in equitatum Arabum latrunculorum, cumque nullum auxilium aut consilium nosset, descendens de equo, mox jussit apparari mensam, promi vasa, cibum & potum, & assidere reliquos ad mensam. Equitibus propius accedētibus per interpretem indicari jussit, videri illos sibi homines militares, se quoq; esse militem eaque de causa hanc suscepisse profectionem, ut qualenam genus militiæ in terris illis esset cognoscere posset: rogat præterea ut de equis descendant & secum prandeant. Equidem isti admiratione humanitatis & virtutis capti, morem gerunt Sanseverino, prandent, colloquuntur de rebus militaribus & formis stratagematum & bellorum. A prandio iubet Princeps promi munera, bombardas, gladios & pocula, quæ inter eos distribuit atque ita efficit, ut Arabes illum salvum & incolumem cum toto comitatu deducerent præberentque se illi defensores & monstratores viæ, Majol. tom. 3. canic. colloq. 2.

Tertiò, Quia si inimico benefeceris, & is non resipiscat, tunc acerbior erit Deus tuæ injuriæ vindex, ut ait Theophylactus; Beneficia tua aliquando fient ei carbones. Hoc sensu explicat prædictam Apostoli sententiam S. Chrysost. hom. 22. in Epist. ad Rom. quasi dicat Apostolus: Benedic inimico tuo, si enim hoc non proficit, ut se tibi subdat pleneque satisfaciat, hæc ipsa beneficia fient ei carbones ignis, quib. exuretur in gehenna, atque ita in die judicii poteris vindictam sumere de inimicis tuis, juxta id Sap. 5. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum* [Græcè, spreverunt vel inanes vel irritos fecerunt.]

Hi sunt ergò lapides, quibus posternes & occides inimicum. Prosternes ut veniam à te repetat: occides ut jam non inimicus, sed amicus & servus sit futurus. Infigentur enim isti lapides in fronte inimici tui, cùm incipiet agnoscere peccatum suum & injuriā tibi illatam: hinc prosternet se ante te veniam petens & occiso in se odio, mutabit in amicum. Tunc erit tibi gloria, longè magis quam si gladio aut bello inimicum domuisses. Sic enim & David obviam venit chorus canentium ejus laudes: *Percussit Saul mille & David decem millia*, 1. Reg. 18. Obviabit tibi, inquam chorus justorū degentium in mundo & laudem tibi dabit: obviabit demum chorus Angelorum & Beatorum, & introducet te cum triunpho in Ierusalem supernam. Id enim evenit S. Stephano, qui parta jam victoria *vidit cœlos apertos & Jesum stantem*, quasi in occursum cum militia cœlesti propetantem.

CONCIO III.

FRUCTUS DILECTIONIS Inimicorum.

I. Parit gloriam.
II. Amicum reddit.
III. Deum placat.

THEMA.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum, Actor. 7.

Nihil ita arduum ac difficile est, quod non aggrediantur homines, si magna illis merces & præmium proponatur. Ardua res erat & laboris ac periculi plena, pugnare cum Gigante illo Goliatho: nihilominus ubi audivit David præmium luctatori propositum maximum esse, ilicò se ad pugnam obtulit, hostemque alacriter aggressus lapide prostravit & gloriosè vicit 1. Reg. 17. Non diffiteor rem difficilem esse, diligere inimicos, benefacere iis, qui oderunt, orare pro persequentibus se. At si mercedem intueamur, ejusmodi Christiano militi promissam & propositam, nemo nostrum esse debet, qui non libenter id faciat. Promittebatur inprimis Davidi, quòd gener regis futurus esset; promittitur Christiano, si faciat quod dixi, quòd filius DEI futurus sit. Promittebantur Davidi divitiæ multæ, promittuntur Christiano cœlestia bona & quicquid postulat. Davidi dicebatur, domum patris ejus fore absque tributo: dicitur Christiano, fore eum absque inimicitia, si benefecerit inimicis. Quæ cum ita sint, aggrediamur fortiter luctam illam Christiano milite dignam aggrediamur tamen, non quemadmodum David, lapides jaciendo in nostros inimicos: sed cum S. Stephano lapides ab iis potiùs suscipiendo, & pro iis etiam orando: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ille gaudens suscepit lapides*, inquit Ecclesia, *ut mereretur accipere coronam gloriæ*. Itaque fructus hujus dilectionis nunc audiamus.

A.

Primo. Dilectio inimicorum gloriam parit, quod ostendi potest primò, quia si dileximus inimicos. Christo teste erimus filii patris nostri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Sanè cum Christus in cruce pro suis inimicis oravit, audiens id Centurio agnovit & confessus est eum Dei filium esse. Cum David pepercisset Sauli, & cohibuisset servos suos ne consurgerent in illum, Saul re postmodum intellecta collegit inde & dixit, Davidem certissimè post se regnaturum esse, 1. Reg. 24. Ergo si id ipsum tu facias inimicis tuis, dico tibi, qui filius Dei es, certissimè aliquando regnaturus cum eo in cœlis. Nunquid verò hoc parū est? Quando David promittebatur filia regis Saul, si occideret Golia-

B. I. *Parit gloriam.*

Goliathum, & servi regis nunciabant ei: Nunc ergò esto gener Regis; dicebat: *Num parum vobis videtur generum me esse Regis?* 1. Reg. 18. Parum certè respectu filii Dei, qualis fiet si inimicū diligas. Quòd si Christus dixit gloriosum esse benefacere inimicis: mentitur ergò mundus, qui contrarium asserit. Quid autem tu curas, si plebecula rudis causæ tuæ contradicat, modò Iudex eam probet, præmiet & laudet? Secundò, quia ob hanc virtutem celeberrimi facti sunt viri sancti, imò & multi gentiles. Ex Gentilibus Romanis celebratur inprimis Iulius Cæsar, quòd nil oblivisci soleret nisi injurias: apud Ciceronem orat. pro Marcello: Item quod Veronensem, à quo publico libello infamatus erat, non solùm nullo incommodo affecerit, sed etiam cœnæ adhibuerit. De eodem dixit Cicero: *Cæsar cum Pompeii* [inimici Cæsaris] *statuas everti vetuit, suas stabilivit.* Celebratur & Augustus ejus successor, quòd Cinnam insidiatorem vitæ suæ non solum servarit, sed etiam ad consulatum evexerit. Ex Græcis inter alios Lycurgus Lacedæmonius, à quo Alexander Iuvenis, qui oculum baculo illi excusserat, ad supplicium illi datus, non solùm non malè habitus est, sed optimis insuper artibus domi institutus. Phocion item Atheniensis de patria optimè meritus inimicorum tamen invidia morti adjudicatus, jam jam cicutam bibiturus, filio mandavit, ne hujus injuriæ memor, malum pro malo Atheniensibus redderet. Apud Eborens. in exempl. memor. E fidelibus primò Ioseph Patriarcha, qui fratres, à quibus venditus erat, mirificè dilexit & muneribus cumulavit. David, qui Sauli sibi infensissimo toties pepercit, toties benefecit. Vnde Psal. 131. hæc ejus mansuetudo allegatur: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* In nova lege eminet, primò sanctus noster Stephanus; deinde S. Iacobus Apostolus & Episcopus Hierosolymæ, qui à Iudæis de pinna templi præcipitatus ac morti proximus dicebat: *Domine, da illis veniam, quia nesciunt, quid faciant.* Denique de se & Apostolis omnibus ait S. Paulus 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus.* Cur? *maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemur, blasphemamur & obsecramus.* Itaque DEVS & angeli hoc spectaculo delectantur, in quo theatro egregiè pugnarunt quam plurimi martyres sanctique alii, qui benefaciendo hostibus suis æternum sibi nomen compararunt. His jure addimus Stephanum quendam alium Stephani illius primi strenuum imitatorem qui, ut scribit S. Gregor. hom. 35. in Evangel. Cum esset pater monasterii juxta Reatinæ urbis mœnia constituti, patientia enituit singulari; reddebat contumeliis gratias & omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores æstimabat; ad quem morientem viderunt aliqui corporeis oculis ingredi SS. Angelos. *Quorum ergò tu dic mihi*, ait S. Basilius, postquam hujusmodi SS. recensuisset hom. 10. de ira, *cupis esse discipulus? beatorum ne hominum & Deo gratorum, an eorum, qui spiritu referti sunt maligno? Approbas illorum facta, confiterisq́, illa ipsis fuisse honorifica & tibi credis in dedecus cedere, inimico parcere?*

A.

B. I. *Parit gloriam.*

Tertiò, Quia maximæ fortitudinis actus est, ita iram reprimere & se ipsum vincere, ut pro malo bonum reddatur. Major etiam charitas est impendere beneficium inimico quam sibi, vel amico: vel etiam Deo; his enim jure & dignis, illi gratis & indigno impenditur. Quid ni igitur mereatur majorem etiam gloriam? Quemadmodum ergò Deus omnipotentiam suam non ulciscendo, sed parcendo maximè manifestat: [ut testatur Ecclesia in oratione: & Sapiens Sap. 9. cùm ait: *Volens Deus notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum*] ita & qui se ipsum & iræ passiones vincit, majorem ostendit virtutem & fortitudinem, quam si iræ succumbens ultionem sumeret; hoc enim infirmitatis, illud verò roboris est. Vidit hoc Plato, qui castigaturus servum, manum ad verbera elevatam, suspensam tenuit, stans percussuro similis. Deprehensus hac specie ab amico, dixit se pœnas sumere ab iracundo, se ipso videlicet. Seneca lib. 3. de ira c. 12. Vincis etiam hoc pacto diabolum discordiarum incentorem & inimicitiæ authorem: lucraris & inimicum tuum, atque ita velut alter David apprehendis mentum leonis, hoc est, dæmonis, & suffocas illum eruisq; ovem. animam, ex ore ejus. An non hoc gloriosum?

C. II. *Amicum reddit.*

Secundo. Amicum ex inimico facit, adeoq; inimicum vincit absq; cæde & sanguine, medio suavissimo, si enim S. Stephanus ex Saulo fecit Paulū ex inimico amicum, sua oratione utiq;. Idcircò enim Lucas imediatè facto illi subjunxit, *Saulus autem erat consentiens neci ejus*; quasi effectū charitatis Stephani describens. Idem expresse scribit variis in locis S. Aug. *Si Stephanus*, inquit, *non orasset, Ecclesia Paulū non haberet.* Profuit autem oratio Stephani Paulo peculiariter, quia dum ipse lapidantium vestes custodivit, quasi omnium illorum manibus eum lapidavit, ut notat S. Aug. ser. 1. de Sanctis. Vnde sustinebat quodammodo personam omnium lapidantiū, sicut Goliath omnium Philisthæorum. Nemo autem negaverit longè laudabilius esse vincere hostes absque cæde, quam cum eorum internecione. Sic ergò quod minis & verberibus impetrari nequit, impetratur beneficiis. Ferunt fabulæ ortam aliquando contentionem inter Solem & ventum Aquilonem, uter eorum citius peregrino detrahere pallium posset. Flat igitur Aquilo gelidus & austerus: sed viator magis ac magis palliū sibi aptat, ne dum ut abjiciat. Deinde calorem suum emittit Phœbus, & viatorem aggreditur radiis suis, statimq; ille pallium deponit & in baculo gestat. Atq; ita de Aquilone triumphavit sol. Quid aliud hæc designat fabula nisi beneficiis potius vinci ac devinciri inimicos, quam vindictæ acerbitate? Hoc pacto Iacob fratrem suū Esau, quem vincere aliter non poterat, Gen. 33. muneribus & blandi-

blanditiis vicit sibique devinxit, ita ut in mutuos amplexus rueret. Ita David Saulem vicit, &c. 1. Reg. 24. & 26. sic Pilatus Herodem, quando Christum ad ejus tribunal remisit, adeoque honore eum affecit, consulendo ipsius juribus. Tunc enim amici facti ipsa die, cum prius inimici essent. In vitis Patrum de S. Apollonio narratur, quo cùm ipse à Philemone Choraula multis afficeretur injuriis ac vocaretur impius, seductor, scelestus, responderit: *Misereatur tibi Dominus fili mi & nihil horum, quæ locutus es, reputet in peccatum.* Hac benedictione compunctus Philemon ad Christum se convertit adeoq; gloriosum pro eo cum Apollonio obiit martyrium. Sic Paphnutius Abbas, qui cum à vino abstemius esset, cinctus est à latronibus, quorum Dux noscens viri abstinentiam, oppletum vino calicem ei ebibendũ dedit, stricto ense mortem minitans, nisi ebibisset, Paphnutius absque mora ebibit. Quo viso veniam viro sancto postulabat Latro, quòd ita eum tentasset. Et Paphnutius; *Deus tibi retribuat in hoc & altero sæculo oblatum vini calicẽ.* Quæ verbo latro ita compunctus & mutatus est, ut mox unà cùm sociis à nefario vitæ genere abstinuerit. In vitis PP. p. 2. cap. 141. Simili artificio delinivit Elisæus latrones Syriæ immissos in Samariam, 4. Reg. 6. dum non modo eos percuti vetuit, sed etiam cibis refectos dimitti jussit incolumes. Inde factum, ut nunquam amplius redirent. Sic Carolus IV. Rom. Imp. hominem, qui sibi necem pararat, ad se accersiri jussit, eique post varias sui in illum affectus significationes, mille aureos dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret, illius se misereri dicens, cujus filia natu grandior domi clausa esset. Imperatori insidiator, vel potiùs latro ille, gratias egit, & ad conspiratores regressus: *Nesciebã*, inquit, *qualis Carolus esset, nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo modo possum.* Æne. Syl. de reb. Alph. Vidit hoc etiam Philippus Macedo, qui, ut testatur Plutarch. in ejus vita: Cùm Capitaneum quendam haberet; qui jugiter illi ejusque famæ detrahebat, censerentq; amici eum terrore & minis compescendum, Philippus aliis armis utens misit ad eum magnam pecuniæ vim, addens, *si plura cuperet, se plura daturum.* Hoc dono vincta est ejus lingua, victa maledicẽtia, ac qui primò Philippum carpebat, nunc cum laudabat, & in cœlum evehebat. Mirabantur amici domi ignari tantam in calumniatore mutationem: quibus Philippus: En, ait, *in mea manu est facere, ut detractores, mei sint laudatores.* Idem obsessurus arcem in rupe sitam, cùm sui dissuaderent, dicerentq; eam esse inaccessam, ideoq; inexpugnabilem, rogavit, num asinus onustus auro eò ascendere posset: asserentibus viam patere asino: *Ergò*, inquit, *accessu & expugnatu facilis est.* Quare submissa ingenti auri vi arcis Præfectum sibi devinxit, fecitque ut arcem sibi dederet. Nimirum validiùs & faciliùs aureis hastis pugnatur, quam ferreis.

D. III. Tertio, Deum sibi propitium & ad omnia benevolum reddit. Vnde Stephano oranti pro inimicis aperitur cœlum. Primò ut indicetur talium orationes & beneficia, quæ fiunt inimicis, penetrare nubes & cœlum, quia merè ex charitate fiunt, non ex amore sui ipsius. Patet innumeris exemplis sanctorum Martyrum, qui precibus suis repararunt tortoribus & carnificibus suis brachia rigentia, oculos & visum, liberationem ab immundis spiritibus, &c. vitam denique ipsam. Vnde S. Gregor. ait: *Ille orationes suas multum valere facit, qui eas ad Deum pro inimicis fundit.* Idemq; probat ex illo Ierem. 15. *Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* Horum enim preces fortissimas fuisse ait, quòd etiam pro inimicis suis leguntur exorasse. *Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur, alter ex principatu ejicitur, & tamen petitus ut exoraret, fatetur dicens*, 1. *Reg.* 17. *Absit à me hoc peccatum in Dominum, quominus cessem orare pro vobis.* Sic Greg. hom. 27. in Evang. Patet idem exemplis. Orat Christus in cruce pro inimicis, & Centurio ac latro convertuntur & agnoscunt illum, reliqui percutientes pectora sua revertuntur. Oratione Stephani convertitur Saulus: idcircò ejus decollati animam à B. Stephano susceptam & Domino præsentatam esse his verbis: Domine hoc ingenti & singulari munere tu me donasti, ego verò multiplici fructu auctum illud tibi reddo; cognovit in extasi S. Maria Oigniacensis, ut in ejus vita scribit Card. Vitriaco lib. 2. c. 11. Ejusdem Protomartyris orationi tribuenda conversio 540. Iudæorum omnium, scilicet, qui erant in Majona, urbe Majoricæ, quæ facta est, cùm eò delatis S. Stephani reliquiis viderent suis saxis, quibus gestantes & comitantes impetebant, neminem prorsus lædi, ignemque in Synagogam suam cœlitus immitti. Baron. anno 418. ex Severo Episcopo Majoricæ. M. Avila refert in Epist. 6. Elisabetham Vngariæ Regis filiam semel orasse Deũ, ut singulos, qui eam injuria affecissent: afficeret De[9] singulari aliquo beneficio, ut injuriæ beneficium responderet; audisseque divinum responsum, nunquam eam Deo sic in orationibus suis placuisse, uti tunc, obtinuisseque remissionem omnium peccatorum. Refert item Osorius tom. 1. conc. fer. 6. Cinerum, de vidua, cui filius unicus & illustris, hæres multorum bonorũ à quodam occisus fuit: illa reo, cum se abdidisset & jamjam inveniendus à judice quæreretur, misit pecuniam & equũ, ut fugam quæreret. Moxq; pro filii morte, mater in oratorio oraret Cui orãti apparuit filius luce circũfusus & dicẽs: *Cùm inimico pepercisti & pro me orasti, mater mea verè effecta es, plusquam cum me genuisti: Charitate enim & oratione mutua à Deo obtinuisti mihi veniã omnium meorum peccatorum, indulgentiam multorum annorum exsolvendorum in purgatorio:* moxq; in conspectu matris cœlum ascendit. Ratio hujus est primò, quia orationem pro inimicis Christus ipse consuluit & ejusmodi orantem dixit fore Dei filium;

DEum placat.

quid

quid ni igitur audiendum? Secundò quia talis oratio est actus eminentissimæ charitatis, nullum enim admiscet amorem proprium, sed purè fit at gloriam Dei, puta clementiam divinam qua ex inimicis suis & nostris faciat amicos. Vnde talis oratio odorem habet balsami non mixti gratiosum; Ecclesf. 24. Tertiò quia si homo læsus jus actionẽ & suam contra lædentem remittat, cogit quasi Deum ad remittendum; quia injuria illa propriè tangit hominem: aliunde etiam Deus longè clementior est, & videri vult, quam homo.

Secundò ut indicetur patere talibus regnum cœlorum. Ideoque mox subdit S. Lucas: *Et cum dixisset, obdormivit in Domino:* insinuans tales heroẽs feliciter obdormire & cœlo dignos esse, uti mox audiemus de S. Engelberto. Et quid mirum? hoc enim dilectionis actu & peccata & peccatorum pœnas redimis, quod ab Elisæo discere possumus, 4. Reg. ubi quærebat anxia quædam vidua, qua ratione debita sua dissolveret. Iussit ergò Elisæus ut vasa vacua requireret, & ex oleo, quod in Lecytho servabat, infunderet in vasa illa. Fecit vidua ut imperatum erat, oleumque ita auctum est, ut sufficientissimum imò abundãs esset ad omnia dissolvenda debita. Omnes nos debitores sumus & quotidie oramus: *Dimitte nobis debita nostra,* Sed ea quî solvemus? oleo charitatis quæ omnibus supernatat virtutibus, & teste S. Petro Epist. 1. c. 4. *Operit multitudinem peccatorum.* Tunc tamen id potenter efficit cum infunditur in vasa vacua, quales sunt inimici. Multi infundunt oleum in vasa amore plena, sc. in amicos & benefactores suos. Sed quid ait Dominus Matth. 5. *Si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis: Nônne & Ethnici hoc faciunt, &c.* In vita S. Engelberti Archiep. Colon. scribitur apud Surium 7. Novemb. quod cum ille in itinere constitutus ab inimicis suis occideretur, & in corde suo oraret; *Pater ignosce illis:* revelatum de eo fuit, quod ob illam unam actionem Deum supra modum gratam, non solum anima illa subito ab Angelis suscepta, in cœlum delata fuerit, sed etiam inter choros Martyrum collocata palmam & coronam Martyrum acceperit & multis post obitum miraculis claruerit.

CONCIO IV.

QUAM APTE CHRISTUS comparaverit se Gallinæ.

I. Congregat suos.
II. Escam dat.
III. Immutat sese.
IV. Protegit.
V. Opitulatur.
VI. Aliena etiam curat

THEMA.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? Matth. 23.

SVetonius Tranquillus in Galba Cæs. nec non Plinius lib. 15. c. ult. narrant rem per quàm sanè mirabilem: Liviæ Drusillæ, statim ac Cæsari Augusto nuptias pacta erat, Vejentanum Cæsarum villam revisenti, prætervolans aquila gallinam album ramulum lauri suis onustum baccis, rostro tenentem demisit in gremium. Cumque nutrita esset gallina brevi tantam produxit pullorum sobolem, ut ex hoc ea Villa ad gallinas fuerit vocata, ramo lauri itidem in terram depacto, talis inde sylva & tale lauretum provenit, ut triumphaturi Cæsares inde lauras decerperent, quibus coronati ingrederentur. Quæ historia si vera est, non potuit nisi paucis annis ante Christus contigisse [siquidem sub Augusto Cæsare Christus natus est] & videtur mea sententia, præsagium fuisse, futuræ mox Nativitatis Christi, quod Augustæ datum sit; quemadmodum & Augusto ejus conjugi, aliud ejusdem Nativitatis signum ostensum circa solem narrat idem Suetonius, in Augusto cap. 65. Et verò aptissimum id erat Christi nati signum. Quid enim Livia illa Augusto desponsata, nisi Mariam Virginem Iosepho [qui & ipse augmentum exponitur & meritò comparari Imperatori potest, qui orbis Dominum educavit] desponsatam indicat? Eo verò statim ac pacta erat matrimonium aquila cœlestis Gabriel angelus, Gallinam albam in gremium demisit, dum felicissimam Christi conceptionem ei annuntiavit. Gallinam, inquam illam, quæ in hodierno Evangelio ita loquitur: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos?* Gallinam præterea albam, id est, faustissimi ominis [nam album felix omen significabat, teste Cic. lib. 7. famil. ad Curion.] & optimi nuntii: Vnde dicit angelus ad pastores: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator.* Gallinam denique ramum lauri bacciferum in ore gestantem, id est, crucem [quia crux & passio ejus ab infantia cœpit] salutari doctrina & fructu plenam. Quæ gallina tam prolifica fuit, ut brevi tempore ingenti sobole Christianorum totam impleret terram, ita ut orbis ipse totus, Christianus appellaretur. Vix enim descendit in terram & mox exclusit pullos aliquot, pastores, Magos, infantes, martyres quã plurimos, postea discipulos, denique alios infinitos. Similiter ramus crucis salutiferæ in terram ab eo allatus & depactus in tantam excrevit sylvam, ut omnis Sanctorum exercitus in de coronatus triumphet in cœlo, & sufficientes inde sibi decerpturi sint coronas, quot-

A.

quotquot adhuc coronandi & in cœlis triumphaturi sunt. O egregiam igitur figuram verissimè completam ad nostram omnium salutem? O gallinam bonam? ô ramum felicem? ô Virginem Augustam, quæ in suo gremio meruit recipere tam oviparam, tam prolificam, tam candidam & immaculatam, tamque felicem gallinam. *Sed* videamus nunc quàm aptè Christus gallinæ se compararit.

B. I. *Congregat suos.*

Primo. Congregat pullos suos sub alas, ut in hodierno Evangelio, idque facit voce rauca & identidem repetita; perpetuo enim glocitat, uti evagantes advocet & præsentes apud se retineat. Ita etiam Christus de quo Proverb. 1. dicitur: *Sapientia* foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua dicens: *Usquequò parvuli diligitis infantiam & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam, &c.* Viderat DEI sapientia, antequam ad nos in carne descenderet, homines penè omnes sequi alienam matrem, videlicet diabolum, & idcircò conabatur eos ad se veluti legitimam matrem revocare per ora Prophetarum; sed intùs clamabat; & vox ejus, quia non videbatur parum & à paucis agnoscebatur; Quocirca foras prodiit per incarnationem, id quod petiit pullus ille Cant. 8. clamans: *Quis mihi det ut inveniam te foris?* Foris igitur clamare cœpit, ut ita à pullis suis & audiretur & videretur. Vnde impletum est illud Ierem. 18. *Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias & non in judicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & innovissimo suo erit insipiens.* In quem locum scribit Eusebius Emissenus hom. 11. de paschate: *Perdix diabolus pro nequitia vel multarum rerum comparatione prohibetur. Hæc avis quocunque casu vel feræ alicujus incursu privata fuerit ovis propriis, insidiatur alienis, & nidi habitatore depulso, partus invadit extraneos: quos usque ad spem fœtuum genitali tempore cùm foverit, parendum eum præda efficit, non natura: interea verus pater vocanti ac lamentanti similis, sylvas quæstibus replet: tunc adulta jam soboles voce proprii genitoris audita curam queruli clamoris intelligit, atque ita ad originariam sedem læta pervolat nutrimenta generis sui conscia & adulteri nutritoris oblita: sic & diabolus humanum genus, quidnon creaverat, occupaverat, quod non genuerat, mentito patris nomine possidebant, sed ubi vocem per seipsum pius auctor emisit, ubi perditis salutifera charitas inclamavit dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: ad paternos sinus confestim avidum cucurrit examen.* Ita Eusebius. In dimidio igitur annorum, id est, media mundi ætate clamitare cœpit Christus, & clamavit quoad vixit usque ad extremum spiritum, ut dicere posset illud, Psal. 28. *Raucæ factæ sunt fauces meæ.* Clamitat in ipsis statim cunis, nondum loquens. Nunquid enim satis magna voce tibi clamare videtur, ut mundi pompam & delitias contemnas, quando ipse pro divite palatio vile tugurium, & illud non suum sed alienum; pro molli lectulo horridum præsepe, pro servis & ancillis, asinum & bovem, pro tapetibus & aulæis telas aranearum & sordes abjectissimi stabuli habere voluit? *Sanè* ut gallinæ non in cubiculis, nec in aulis collocari solent, & si qua earum ejusmodi locum intrat, cum strepitu mox expellitur: ita Christus non in aulis, sed in stabulo inter bovem & asinum conversatus est, nec erat ei locus in diversorio. Clamitat deinceps tota vita, quotidie concionando & docendo in templo, extra templum, in urbibus, in desertis, præsertim verò ad desertores sui, peccatores, ut in hodierno Evangelio ad Ierosolymitanos: *Jerusalem! Jerusalem! quoties volui? &c.* Clamitat usque ad extremum halitum, quia in cruce *clamans voce magna emisit spiritum.* Vnde videns Centurio; quia sic clamans expirasset, ait: *Verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. nimirum Centurio unus ex pullis gallinæ illius erat, cujus vocem cum agnovisset, mox relictâ novercâ ad ipsam evolavit. Neque verò ibi clamare desiit, clrmat enim etiamnum semper & ubique in omnibus locis per voces prædicatorũ, confessariorum & Prælatorum. Cur enim putatis Ioannem se appellasse *vocem clamantis*, non hominem vel prædicatorem clamantem, nisi quia intelligebat se non tam esse ipsum, qui clamat quàm vocẽ Christi, qui per ipsum clamabat? Quotquot igitur tibi Christum annuntiant, & ad ejus alas per pœnitentiæ prædicationem te vocant, voces Christi sunt. Pulli sanè matris vocem agnoscunt & auditam citò sequuntur, quòd si id non faciant, signum est non esse pullos illius. Igitur qui vocibus prædicatorum non movetur nec corrigitur, cogitet se pullũ Christi non esse. Denique sicut gallina certo vocis sono utitur, cum vocat pullos sub alas, & alio, cùm ad escam, & rursum alio ab utroque distincto, cum monet cavere à miluo: ita etiam Christus modo per concionatores, modo per beneficia, modò per calamitates vocare nos consuevit.

C. II. *Escam dat.*

Secundo, Escam pullis parat multo labore quæsitam, & terrâ erutam dividit certa voce convocatis. Hoc etiam Christus nobis præstat; & primo cibum corporis specialiter nobis promisit cùm dixit: *nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis,* &c. eumque nobis semper suppeditat.

Secundò, cibũ dat longè præstantiorem corporis & sanguinis sui. Denique pascit verbo suo, partim per semetipsum, quamdiu in terris fuit, partim per prædicatores suos, quibus veluti pedibus suis salutarem doctrinam è terra sacrarum scripturarum eruit, nam ut S. Gregor. lib. 19. mor. c. 10. ait: *Pedes Domini prædicatores sunt,* Et patet Isa. 52. *Quã pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem?* Et certè Dominus est, qui omnibus Ecclesiæ suæ pullis hactenus providit, & providet panem verbi sui, prædicatorum opera, ad eumq; vocat & allicit.

Quare inprimis quoad corporalem sustentationē, nihil soliciti simus, sed Christo nutritio nostro fidamus: juxta Psal. 34. *Jacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet.* Hoc enim & pulli faciunt. Ita S. Franciscus socios suos ad prædicandum dimittens, nihil illis pro viatico dedit aliud, quàm id Psalmi: *Jacta cogitatum tuum in Domino, &c.* Deinde quemadmodum pulli ad escam convocati à gallina, præproperè advolant, eamque ex ore gallinæ rapiunt: ita etiam decet, uti nos magno cum fervore, alacritate & fame spirituali accurramus ad S. Eucharistiam, & verbi Dei prædicationem, rapiamusque eam ex ore Dei. Servi Benadad Regis Syriæ victi, & præ metu latentis cum apud Regem Achab victorem pro eo deprecarentur: & Achab responderet: *Si vivit, frater meus est*; festinantes rapuerunt verbum ex ore Regis, & læti nuntiarunt Domino suo, 3. Reg. 20. Atqui Evangelium Christi, quid aliud est nisi Verbum vitæ, Verbum salutis, Verbum remissionis & amicitiæ? Sanè ab illo loco Isa. 61. incepit Christus prædicationem suam, videlicet: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem & cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis,* eumque in se completum dixit Luc. 4. Quis hoc Evangelium tam mellifluum non rapiat ex ore Christi, ejusque Præconum? quis non accurrere festinet? Sanè omnes quotquot fiunt catholicæ conciones, illud ipsum annuntiant, quod Christus annuntiavit. Et ubi pullorum fervor ad conciones accurrentium & verbum DEI rapientium? Quoties aspicio vacua subsellia, ubi spiritualia dicuntur, & donantur: plenissimum verò forum, ubi temporalia venduntur? Bone Deus, Prædicatores velut gallinæ illius pedes, tanto labore eruunt è sacris literis & patribus salutiferam doctrinam, frangunt sibi caput, abrumpunt somnum, tota hebdomade cogitant, quid tibi velint dicere, ad ravim item clamant ut te adducant & attentum reddant. Et tu id omne nihili facis, & pro tanto evangelio nec prodire quidem dignaris: An non eo ipso clarissimè ostendis, te pullum illius gallinæ & filium DEI non esse, qui ad vocantem non accurris?

D. III. *Immutat sese.*

Tertio, propter pullos tota immutatur, voce, corpore, pennis, nam ut eos vivificet, ipsa infirmatur & exhauritur viribus; ut eos plumis vestiat, ipsa deplumatur; ut eos impinguet, ipsa abstinet & marcescit; ut eos calefaciat, nativo suo calore, ipsa frigus eorum in se recipit; ut eos à tempestate tegat, ipsa tempestati se exponit. Multas videmus aves prope nos nidificantes, passeres, hirundines, ciconias: Sed nihil horum in ipsis advertimus, nec facilè perspicimus, quando pullos habeant: solam gallinā mox agnoscimus, ob excellentem in pullos amorē. Iam verò hoc totum etiam Christus nostri causa fecit: Tempestati passionis ipse se exposuit, ut nos à tempestate judicii liberaret. Frigus peccatorum nostrorum in se transtulit, vicissim verò calorem meritorum suorum nobis communicavit. Ipse propter nos inops & nudus factus est, *qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens,* inquit Apost. ad Philip. 2. Vt nos vestiret plumis gratiæ & virtutum. Quæ enim major exinanitio cogitari potest, quàm ut Deus conspiciatur in stabulo, infans, egenus, nudus? Ipse propter nos vocem commutavit, & qui prius terribili voce intonabat: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, &c.* modò in cunis plorat & mutescit. Ipse propter nos jejunavit, alsit, sudavit, discurrit, fatigatus est, vigilavit, oravit; interim nos pavit & impinguavit pane verbi sui; adeò ut dum cibo huic nostro intenderet, ipse cibi sui materialis & famis oblivisceretur; ut patet ex historia Samaritanæ. Hinc Martyres in pœnis suis jubilant & Tyrannis insultant. Christus pavet, tædet, tristatur; siquidem illos confortavit; Ipse verò propter nos in passione derelictus, hoc est, omni solatio privatus fuit: Tandem in cruce propter nos deformatus est adeò, ut ossa ejus numerari possent, & non esset ei species neque decor, infirmatus item usque ad mortem, ut nos efformaret ad Dei perfectam imaginem, filios ejus constitueret, & vita æterna donaret. Hem quæ ista gratia? si quis à serpente lethaliter ictus inveniret aliquem, qui præ amore illius os vulneri applicaret & venenum exsugeret, quantum hoc beneficium foret? Nos à serpente icti & veneno infecti eramus: Christus venenum id in se transtulit, nostras infirmitates in se suscipiens, sanitatem & incolumitatem suam bonaque omnia nobis impertiit. At non igitur vicissim ei obligamur ad omnia? Hinc S. Margretha ad martyriū properans dicebat: *Cum Dominus meus passus sit pro me, cur non & ego persimiliter patiar pro illo?*

E. IV. *Protegit.*

Quarto, Protegit pullos sub alis suis ne accipiter eos videre & rapere queat, dum enim illi sub alis ejus latent, securi sunt ab eo. Quòd si aquila aut accipiter pullos invadere attentet, alas extendit quasi pullos protectura, nec non hosti obviam prodit, eumque licet multò fortiorem invadere non dubitat. Novi locum, ubi gallina quædam, ut vocamus, Indica, quæ anates excluserat, dum pullis in aqua natitantibus, ipsa extra stans vigilaret, in miluum, dum is conabatur unum pullorum ex aquis rapere, insiluit, & tenaciter unguibus prehensum eousq; tenuit, donec homo accurrens eam juverit, & miluum omnino ceperit. Pari modo Christus protegit singulari cura suos, ne ab infernali miluo videantur vel rapiantur juxta Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi & sub pennis ejus sperabis.* Idque in primis fecit, cùm Iudæorum cohorti obviam processit in horto, & dixit: *sinite hos abire*; ut impleret, quod dictum erat: *Domine quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Quam vero strenuè pro nobis pugnarit in cruce, contra cœlestem Aquilam, DEI scilicet justitiam, sceleribus nostris iratam, quis

quis nescit? Ibi expandit super nos alas suas, ut ipsa pro nobis percuteretur, nos incolumes evaderemus. Audi S.Bern. super Ps.90. *Sicut videns venientem accipitrem mater,* (gallina) inquit, *expandit alas suas, ut pulli subeant tutum refugium: sic nobis parata & quodammodo dilatato sinu extensa est summa illa & ineffabilis pietas Domini nostri Iesu Christi.* Ibi aperuit latus suum ut ibidem refugium nostrum haberemus. Ibi insiluit in miluum infernalem, quem tenuit & ligavit, ne imposterum nocere posset iis, qui in gratia constituti quasi sub alis Dei habitant; ac licèt ibi crudeliter deplumatus sit, victoriam tamen obtinuit, & nos in libertatem asseruit. Itaque sua hac pugna Dei iram mitigavit, diabolum ligavit.

F. V. *Opitulatur.*

Quinto, Laborantibus & afflictis subvenit celeriter, & ubi aliquem pipientem audit, mox ad illum advolat & fert opem. Similiter etiam Christus filiis suis, qui dixit de Iusto, Psalm.90. *Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Clarissimum hujus rei exemplum habemus in hodierna Epistola: ubi S.Stephanus inter saxorum crepitantium turbinem vidit cœlos apertos, & Iesum à dextris DEI. Cur autem stantem viderit, cùm alioquin sedere à dextris Dei dicatur, Marc.16. explicat S.Greg. hom.29. super Evang. dicens: *Sedere judicantis est: stare verò pugnantis vel adjuvantis. Stephanus hunc in labore certaminis positus, stantem vidit, quem adjutorem habuit.* Surrexit ergò de throno suo ut pugnanti suppetias ferret. Idipsum patet in aliorum Martyrum certaminibus. Vnde enim putatis venisse, ut Stephanus inter lapides oraret pro lapidantibus, Laurentius semitostus Tyranno insultaret; Andreas de cruce deponi nollet, S. Ignatius Leones in se ipsum concitaret, S. Tiburtius super prunas ardentes veluti super rosas ambularet, S. Barlaham Martyr prunas ardentes manibus retinens caneret: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum?* nisi, quia pugnantibus adfuit Christus, eosque confortavit? Vnde Confessores tot laboribus non frangebantur? Vnde Eremitæ asperrimas solitudines tanto tempore incoluerunt, tot tentationes superarunt? Vnde reliqui tot in mundo mala, persecutiones, injurias, egestatem, jejunia, vigilias tanta animi lætitia pertulerunt, nisi per eundem Agonothetam Christum?

G. VI. *Aliena etiam curat?*

Sexto, Gallina non solum sua, sed etiam aliena ova libenter in nidum recipit & excludit, exclusos pullos nutrit, custodit solicitè ut suos: supra se salientes sustinet: ubi tamen adultos aliquos advertit à se degeneres, aquas petere & natare (velut anates) inde tristatur & lamenta circa aquas edit, mergentibus se pullis, ut refert Plin.lib.10.c.55. Similiter etiam Christus in Ecclesiam suam omnes recipit, Iudæos & Gentiles. Quid enim nos eramus, nisi semen Idololatrarum & ova aliena? & tamen in nidum ejus recepti sumus. Adhæc malos & degeneres filios per superbiam & malitiam sibi insultantes multo tempore sustinet, uti incredulos illos, Matt. 19. *O generatio incredula,* inquit, *quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Atque ita in collegio suo toleravit, fovit, nutrivit usque ad passionem suam perditum illum Iudam. Et quàm multos tales suffert etiamnum? nónne omnes peccatores? interim tamen semper eos expectat ad pœnitentiam, desiderans ut ipsi assimilentur. Vbi verò ad extremum videt eos à se degeneres & ad lacum inferni properare, natare in peccatis, mergere se in delitiis & ebrietatibus, impudicitiis, &c. tantùm offenditur, quantum recreatur in conversione unius peccatoris. Qui enim inventa una ovicula perdita convocat amicos & vicinos dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam:* Quomodo non indignetur cum inventam ovem perdit, & non unam quidem, sed multas? Certè ob unius Iudæ incorrigibilitatem prò quantum doluit? *Turbatus est spiritu & protestatus est,* inquit S.Ioannes. Quod ipsum etiam nunc faceret in cœlo, si passionibus ut olim aliquatenùs subjaceret.

Vicissim verò vehementer gaudet, si ipsi similes efficiamur, & in virtute progrediamur, quemadmodum & gallina iterum pinguescit, pullis grandescentibus & adultis. Hoc gaudium indicat convivium illud, quod prodigo filio reverso instruxit Pater; idemque instruet nobis, si degeneres non facti ipsi adhæserimus juxta id: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus; & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo,* Lucæ 22.

CONCIO V.

QUA RATIONE CHRISTIANI debeant esse pulli.

I. Imitare.
II. Ora.
III. Adhære.
IV. Geme.
V. Recurre.
VI. Quære.

THEMA.

Quoties volui congregare filios tuos, sicut Gallina congregat pullos suos sub alas? Matth. 23.

A.

Agesilaum Regem quidam interrogavit, cur per acrem hyemem solo pallio tectus obambularet absque tunica, homo non solùm regiæ dignitatis, sed

sed etiam provectæ valde ætatis? cui respondit ipse: *Vt juvenes hanc vitæ rationem imitentur, cùm exemplum habeant & extremæ senectutis hominem & Principem.* Plutarch. Quòd si & nos, charissimi, interrogare possemus Christum nostrum, quamobrem ipse in media hyeme & frigido stabulo nasci fierique parvulus, modico item panno involvi voluerit, cum tamen ipse sit DEI filius, ab æterno genitus; simillimum responsum ferremus: Vt homines videlicet hanc vitæ rationem imitentur, quam vident in DEO suo. Audiamus S. Bernard. serm. 1. Nativ. Christi. *A sæculo ait Propheta*, inquit, *& in sæculum tu es DEVS; & ecce factus est infans unius diei. Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic abbreviaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter faciatis?* sic ille. Intueamur hodiernum Evangelium: nónne in eo audimus Christum se comparare gallinæ, & quidem tali, quæ propter pullos exinanita & exhausta ac penè deplumata est? Quòd si igitur DEI filius eò se demisit de sua majestate, ut propter nos gallina & quidem talis fieret, non sit nobis asperum, eo usque humiliari, ut fiamus quasi pulli. Et sanè dum ipse dicit se gallinam talem, quæ convocat pullos suos: nónne hoc ipso insinuat nobis, ut simus ejus pulli? Quantus quantus igitur sis, fac ut ad exemplum Regis tui fias parvulus & pullus. Sed qua ratione.

B. I. *Imitare.*

Primò Pulli gallinacei imitantur suos parentes, in cantu seu gallinacinio, Vnde Proverbium, wie die Alten sungen also pipitzen die Jungen; Deinde in scalpendo & cibo pedibus eruendo, itẽ in pugnandi ratione. Hunc in modum decet Christianos imitari Christum, nam, ut ait S. Aug. lib. 8. de civit. c. 17. *Religionis summa est imitari, quem colis.* Præclarus hujus gallinæ pullus fuit S. Stephanus, qui primò imitatus est Christum in cantu, id est, oratione pro inimicis fusa. Quemadmodum enim Christus in cruce pro suis oravit crucifixoribus: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt:* ita Stephanus pro suis lapidatoribus: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Ad idem faciendum hortatur nos Apostolus ad Ephes. 5. dicens: *Estote ergo imitatores DEI sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Quæ illatio Apostoli: (*Estote ergo*) respicit verba immediatè præmissa in fine c. præcedentis scilicet *donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis:* Ergò si volumus esse filii Christo charissimi, imitemur eum in hoc canendi modulo, ut oremus pro invicem & donemus ipsis, quæ in nos deliquerunt. Rursum sicut Christus moriens animam suam commendavit Patri, ita & S. Stephanus Christo: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.*

Secundò Imitatus est eum in ratione quærendi cibum. Hunc gallinæ in terris quærunt scalpendo & terram eruendo, quod imitantur pulli. Cæterum filii DEI cibum suum in cœlo quærunt, quod illos docuit Christus, Ioan. 4. ubi cum Samaritana collocutus noluit sumere cibum materialem, sed dixit ad discipulos: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quis verò ille Domine? *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Ergò Deus ipse, seu Dei gloria & voluntas cibus est Christianorum, quem etiam quæri jubet in omnibus actionibus Apost. 1. Cor. 10. *sive manducatis*, ait, *sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Accedit S. Basil. orat. 16. de ingluv. & ebriet. *Victus ac ratio*, inquit, *vivendi hominis Christiani, verum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei.* Hunc igitur cibum quæsivit & invenit in cœlo Stephanus. *Intendens enim in cœlum, vidit gloriam Dei*, ait sacer textus Actor. 7. *& Jesum stantem à dextris Dei.* Ita ergò Christianus conculcatis terrestribus, inhiare debet cœlestibus, ibi enim cibus illius.

Tertiò In pugnandi ratione. Quemadmodum enim Christus arguendo scribarum & Pharisæorum vitia, invidiam & inimicitiam eorum sibi conciliavit, & eorum maledictiones compensavit benedictionibus, injurias beneficiis, calumnias & blasphemias oratione: ita S. Stephanus arguendo Iudæorum incircumcisum cor & aures, in eorum lapides incurrit, sed pro lapidibus orationem rependit; pro odio charitatem. Atque hæc est Auditores, optima pugnandi & vincendi ratio, per amorem scilicet & beneficia; Rursum reprehendere delinquentes & interim pro eis orare.

C. II. *Ora.*

Secundo, Pulli gallinacei pipiunt assiduè & continua quasi interpellatione seu lamentatione suam explicant famem, indigentiam & imbecillitatem. Ita Christianos juxta præceptum Domini, Luc. 18. *Oportet semper orare & non deficere.* Quia videlicet parvuli, implumes, inopes & infirmi sumus. *Quod enim est tempus*, Cœlestinus Papa in quadam Epistola, *in quo ejus* (DEI) *auxilio non indigemus? in omnibus igitur rebus, causis & negotiis exorandus est protector DEVS.* Vnde David Psal. 118. orationem comparavit respirationi: *Os meum aperui & attraxi spiritum*, inquit *quia mandata tua desiderabam.* Hinc dicebat S. Gregor. Nazianz. Orat. 1. Theol. quæ est 33. *non tam sæpe respirare, quam Dei meminisse debemus. Sicuti enim ad refrigerandum cor, caloremque naturalem temperandum perpetua opus habemus respiratione: ita (& multo magis) opus habemus continuo ad DEVM per orationem recursu ad cohibendum refrænandumque inordinatum concupiscentiæ ardorem, qui vires animæ nostræ jugiter rodit atque depascitur.* Semper orandum, cum per alia negotia minùs necessaria licet, ita ut orationem, quemadmodum monet S. Basilius, sequatur Lectio (seu quodvis aliud opus) lectioni (seu cuivis operi) succedat iterum oratio. Aut certè ut orationis tempora certa & statuta (sive ab Ecclesia, sive à devotione propria) sedulò observentur: quomodo fecit David, Princeps sæcularis, qui ait:

Vespere

Vespere & manè & meridie narrabo & annunciabo & exaudiet vocem meam. Vel denique ut ad singulas actiones adhibeatur oratio brevis & jaculatoria, quod facere solebat D. Thomas Aquinas: veluti illa: *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.* Videtur S. Stephano familiaris fuisse oratio, eaque jaculatoria & brevis, uti colligimus ex actis ejus, Modò enim exclamat: *Ecce video cœlos apertos:* Modò inter lapides: *Ne statuas illis hoc peccatum.* Modò moriturus: *Domine suscipe Spiritum meum.*

D. III. *Adhære.*

Tertio, Semper ambulant (pulli) cum Matre, nec procul ab ea recedunt aut manent; alioquin in periculo sunt & miluo ad prædam expositi. Ita Christiani velut pulli ambulare cum DEO debent, uti fecisse dicitur Enoch, Gen. 5. Idemque præcepit Abrahæ Deus: *Ambula coram me & esto perfectus,* Gen. 17. Quamvis hæc duo nonnihil differre videantur. Ambulant enim coram DEO, qui semper eum præsentem & actus suos inspicientem cogitant; quod quidem exercitium solemne fuit antiquis Patribus. Audi Davidem: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Non satis fuit huic Regi ter, imò septies in die laudem DEO dicere, nisi etiam in oculis Domini continuò ambulasset. Audi Eliam, 3. Reg. 17. *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Eisdem verbis usus est Elisæus, 4. Reg. 3. Felices, qui hoc agunt; fieri enim non potest, ut hi pravè ambulent, qui cogitant se perpetuò versari ante oculos Domini DEI sui.

Ambulant cum Deo, qui ejus voluntati per omnia consentiunt, ejusque præceptis & vestigiis Christi insistunt ab eoque toti pendent, uti Paulus Eremita, Antonius, Macarius, Onuph. &c. Qui sic cum DEO ambulat, etiam cum hominibus bene ambulat; qui tantùm cum hominibus ambulat, nec cum DEO nec cum hominibus bene ambulat. Contrà *qui elongant se à te, peribunt,* ait David, *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere DEO bonum est.* Psal. 72. Elongant autem se à DEO primò, qui Deum oblivìscuntur, nec cogitant sibi præsentem: quod omnium malorum fons est. *Sicut enim DEI memoria excludit cuncta flagitia; ita DEI oblivio convehit omnium vitiorum catervam,* ait S. Hieronymus in id Ezech. 22. *meique oblita es.* Ea enim verba subdit DEVS apud Ezech. post enumeratam integram peccatorum farraginem: quasi eorum fons fuerit sola DEI oblivio. Deinde qui per peccatum grave longè à DEO recedunt. Qui similiter in prædam expositi sunt miluis tartareis, qui in aëre circumvolantes nunquam non insidiantur eis. O si videremus, quantam stragem edant quotidie milui illi inter evagantes pullos! toti sanè tremeremus.

E. IV. *Geme.*

Quarto, Matre perdita semper gemunt & vociferantur, quoad reducantur. Pari modo omnes Christiani gemere inprimis debent, quando culpâ suâ perdiderunt Christum. Hunc enim si perdiderint, omnia perdiderunt. Vin' videre ejusmodi pullos? Magdalenam intuere, quæ quàm anxia fuerit in quærendo Christo, patet ex eo; quòd statim, ac cognovit Christum accubuisse in domo Pharisæi, venit cum alabastro unguenti. Iam paraverat unguentum pretiosum, jam impleverat vasculum cordis sui lachrymis longè pretiosioribus; tantùm Dominum requirebat, ubinam discumberet & peccatricem reciperet. Theodosius Imp. cùm ob cædem Thessalonicæ factam à S. Ambrosio proscriptus esset ab Ecclesia, humi prostratus lachrymasque fundens ad Ruffinum familiarem, se consolantem ait: *O Ruffine, tu mea mala non sentis, ego lamentor & gemo calamitatem meam: quia servis quidem & mendicantibus aperta sunt templa Dei, & proprium Dominum ingredientes licitè exorant: mihi verò ingressus ad ea non est, insuper etiam cœli mihi sunt clausi:* Hæc dicens singultibus verba singula interrumpebat, nec quiescere potuit; donec nexu excommunicationis solveretur ab Ambrosio. Theodoretus hist. trip. 9. cap. 30. Hunc proinde errantem, jussit S. Ambrosius exemplo Davidis, requirere Christum Dominum, dicens: *secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Præivit illi David errando: *Erravi sicut ovis, quæ periit;* sed præivit & revertendo. Deinde gemere etiam debent ob absentiam Christi, quem in altero demum sæculo poterunt videre. Sic Deum quærebat David: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ,* inquit, *panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* sic Christum Magdalena ad sepulchrum ejus.

F. V. *Recurre.*

Quinto, Ad vocem & commonitionem Matris recipiunt se ad ipsam, sive ad cibum ab ea capiendum, sive ad insidias milui declinandas. Ita etiam fideles si tuti esse volunt à miluo diabolico, ad vocem monentis Christi confugere ad ipsum debent. Vox autem Christi inprimis Prædicatores ejus sunt. Unde illa vox Ioannis: *Ego vox clamantis.* Audi S. Chrysostomum hom. 46. in Matth. *sicuti pulli gallinarum,* inquit, *pastum suum quærentes, per diversa vagantur, & maternis vocibus congregantur ad ipsam, & iterum simpliciter pascentes dispergentur, & iterum maternis vocibus congregantur: sic populus DEI carnalem voluptatem & mundialem concupiscentiam sequentes per diversos sequuntur errores, quos Ecclesia mater per Sacerdotes modo increpationibus, modo blandimentis quasi quibusdam vocibus congregare & allectare festinat.* Sic ille. Ergò hebdomadariæ conciones nihil aliud quàm vox Christi sunt, qua fideles per hebdomadem variis occupationibus ad quærendum victum distentos & dispersos, subinde vult congregare, & à mundi curis abstractos ad sui recognitionem & amorem, nec non ad pastum animæ propriæ spiritualem requirendum conatur revocare. Certè pulli à matre vocati, deserunt pastum suum, & recipiunt se ad illam, ex ejus ore cibum expectantes & capientes:

Pari

Pari modo, qui veri DEI pulli sunt, vocem & verbum ejus audiunt. Sed heu quam plurimi toti ad pastum suum abjecti, sinunt concionatorem (qui Christi vicem & vocem refert) scalpere, concionibus formandis insudare & frangere sibi caput: & sequuntur sua negotia, vel otia. Quibus sanè minatur Dominus in hodierno Evangelio: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, ac proinde in habitaculum ulularum, struthionum, draconum*, id est, dæmonum Isa. 13. Nec non S. Stephanus, Actor. 7. *Durâ cervice & incircumcisis auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Deinde vox Christi sunt exempla vindictæ in certis peccatoribus ostensæ, juxta id Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem ut fugiant à facie arcus.* Quando mors aliquem juvenem abripit repentè: nónne per hoc monet te DEVS ut tibi caveas?

G. VI. *Quare.*

Sexto, Pulli non tantùm ex ore matris capiunt cibum suum, sed & ipsi pedibus suis scalpunt & victum quærunt. Ita ergò & fideles firmiter quidem confidant in Deo, interim tamen sibi ipsis ne desint, sed quodcunque possunt instanter operentur, sive ad panem animæ spiritualem aliaque præsidia, sive ad corporis victum comparandum.

DEVS enim, inquit S. Basilius in regul. fusior. reg. 27. *qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, is in die judicii parem quoque à nobis in laborando industriam reposcet.* Hinc laudatur mulier illa fortis, Proverb. 31. eo nomine, quòd panem otiosa non comederit. *Quæsivit lanam & linum & operata est consilio manuum suarum.* Laudandus etiam hoc nomine Alphonsus Aragonum Rex, qui à Matthæo Siculo reprehensus, quòd propriis manibus laboraret, subridens dixit: *Nunquid Deus & natura ne quidquam Regibus manus cotulere?* Panorm. lib. 2. de gestis ejus. Sapientissimus denique in hac re fuit Iacob Patriarcha, qui tametsi à Deo acceperit præceptum revertendi in terram patrum suorum & ad generationem suam, nec non promissionem assistentiæ divinæ, Genes. 31. Nihilominus, cùm audisset obviam sibi venire fratrem suum Esau, sibi ipsi non defuit, sed divisit populum & greges suos in duas turmas, quarum prior erat turma gregum in ordinem dispositorum una cum pastoribus: Posterior uxorum cum liberis; dicens: *Si venerit Esau ad unam turmam & percusserit eam; alia turma, quæ reliqua est, salvabitur*, Genes. 32. In quem locum S. Augustin. *Dices ergò*, inquit, *Iacob non credebat DEI promissionibus? Credebat certè; sed admonendi sumus hoc exemplo ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea Deum tentare videamur.* Itaque ex una parte ita fidendum est Christianis in præsidio divino, quasi ei soli niterentur: ex altera parte sedulò adhibenda sunt media humana, ac si jis solis confiderent. Quare ut & nos ad fratrem nostrum primogenitum, Christum Iudicem securè possimus aliquando pergere, non temerè confidamus nobis, neq; in sinum manus ponamus, sed quodcunque potest manus nostra, instanter operemur. Ac quò securiores simus, dividamus opera nostra bona, quæ facimus in hac vita in duas turmas. Prior sit operum pœnitentiæ & mortificationis, quibus per satisfactionem peccata nostra deleamus, & castigemus ac vitia mortificemus. Sic præmittemus pecora, sed in ordinem redacta. Posterior sit operum supererogationis & aliorum, quæ meritoria dicimus, quibus merita & coronas in cœlo nobis paremus. Vt si Christus unam turmam percusserit, salvetur altera, id est, ut si in una operum parte deficiamus, salvemur per alteram. Ita fiet uti Christus harum aspectu turmarum delectatus, occurrat nobis in amplexum nostrum, quemadmodum & Esau fecit, nec non introducat in regnum suum.

F. V. *Recurre.*

CONCIO VI.

OBDURATIONIS CAUSÆ & Remedia.

I. Subtractio gratiæ.
II. Neglectus salutis.
III. Flagella.
IV. Prosperitas.
V. Consuetudo prava.
VI. Impudentia.

THEMA.

Quoties volui congregare pullos tuos: & noluisti? Matth. 23.

A.

BEne quidem ominatus est Isaias, quando cap. 64. dixit DEO: *Utinam dirumperes cœlos & descenderes; à facie tuâ montes defluerent: & aquæ arderent igni*, quasi voluerit dicere: si descenderes ad nos de cœlo per incarnationem, nemini dubium est, quin superba & obdurata hominum corda mollescerent: & quæ prius frigida erant, igne amoris tui inflammarentur. Sperabat enim optimus Propheta per immensum illud amoris divini incendium, quo Deus homo fieret, adeò immutandos esse homines, ut nemo tam durus & obstinatus foret, qui inde non colliquesceret: nemo tam frigidus, qui inde non accenderetur. At verò, ô Isaia, populares tui Prophetiæ & voto tuo parum responderunt. Audi namque Christum de illis conquerentem: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, &c. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Audi & conquerentem Stephanum: *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus: vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri*

vestri ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis, Act. 7. Qua quidem increpatione illi non modò non emolliti sunt, sed magis induruerunt, & de saxeo pectore suo saxa protulerunt, quibus Stephanum obruerunt. Quare missis nunc Iudæis: Vtinam, Auditores, saltem nos Christiani prædictioni Isaiæ responderemus omnes! Vtinam nemo nostrum saxeum cor haberet! Vtinam heri considerato Christi adventu omnes DEI amore inflammati essemus!

Hoc verò si nondum omnibus contigit, uti sanè vereor, videamus causas & remedia obdurationis.

B. I. *Subtractio gratiæ.* Prima Subtractio gratiæ divinæ, non omnis omninò, sed potentis & efficacis, qua cor emolliatur. Sic enim lutum induratur, cùm sol exigit humorem. Hoc autem facit Deus exigentibus hominum peccatis, potest enim indignis & ingratis subtrahere dona sua. Gratia instar funis aut catenæ est, qua retinetur lupus aut canis ferox, hoc est, voluntas hominis. Hanc si dimittat Deus, tunc passim nocebit obviis quibuscunque. Quando ergò canis iste in Deum retentorem suum sævit, nec coërceri ab illo vult: non mirum nec iniquum, si sibi ipsi permittatur & nocere sinatur. Vnde de talibus dicitur Apoc. ult. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

C. II. *Neglectus salutis.* Secunda, Indevotio & negligentia sui ac salutis propriæ. Vt enim stagnantes aquæ facilè concrescunt in glaciem, non item quæ fluunt & agitantur: ita homines indevoti, qui seipsos negligunt, cor ad Deum nunquam attollunt, ac rerum terrenarum solicitudine obruti, ad superna non aspirant, conatus nullos adhibent: Isti in primis minora emendare vitia contemnunt, posteà paulatim decidunt, & in majora prolabuntur. Vnde August. serm. 88. de tempore ait: *Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt: crescentibus minutis peccatis adduntur etiam criminis, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cum factum fuerit, impletur hoc, quod scriptum est: Peccator cùm venerit in profundum malorum contemnit*, Prov. 18. Sic ille.

D. III. *Flagella.* Tertia, Flagella à DEO immissa. Quemadmodum enim incus malleis fabrorum tusa, magis induratur: ita & perversi homines, dum flagellantur, sæpè duriores fiunt, & prorsus obstinati. De qua re Iob. cap. 41. ait: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Quanquam indurationem istam non causant directè flagella, sed indirectè & per accidens; dum nimirum peccator, nolens vinci à Deo, magis se obfirmat & opponit Deo; veluti cùm obsessa civitas tormentis quatitur ab hoste, & obsessi tantò obnixius resistunt, ruinas reparant, & portas fortioribus repagulis oppessulant. Ita pervicaces pueri verberibus duriores fiunt, dum in ultionem verberum illorum, adeoque in odium Magistri verbera infligentis, posteà audaciùs peccant. Ita Pharao, cum à Deo flagellis objurgaretur, ut tandem ipsi cedere & cervicem inclinare vellet, magis intumescebat & obfirmabat animum.

E. IV. *Prosperitas.* Quarta, Prosperitas & rerum felix successus, adeoque flagellorum cessatio & amotio. Nam & hinc sæpenumero peccator causam seu potiùs occasionem sumit indurandi se, quia durus & depravatus affectus omnia in suam duritiem & pravitatem convertit. Vel enim prosperos illos successus pervicaciæ suæ adscribit, & inde magis extollitur & efferatur: vel solutus à flagellis ea contemnit tanquam leviora, vel tanquam præterita & non reditura; & hinc ad pristinum ingenium redit, uti fecit & Pharao, qui cùm primùm plagæ cessabant, *Videns quod data esset requies, ingravavit cor suum*, ut dicitur Exod. 8. vers. 15. Vnde S. August. serm. prædicto, ait: *Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse.* Nam si graviùs & instantiùs flagellatus fuisset Pharao, emollitus tandem fuisset: sed quoniam Dei occulto consilio levior & brevior fuit plaga: inde durior factus est. In hunc modum etiam Constantius Arianus Imperator cum celebri victoria Magnentium Tyrannum in Pannonia superâsset, eam fortunam perfidiæ suæ adscripsit, adeoque non in hæresi tantùm sua obfirmatus est, sed etiam in tantam venit arrogantiam, ut orbis totius se Dominum appellaret, & seipsum æternum nominaret, qui Dei filium æternum esse negabat, teste Ammiano lib. 5. Quare meritò Seneca dixit in lib. de providentia, nihil esse infelicius felicitate peccantium. Itaque Isaias flagella potiùs, quàm indulgentiam precatur impiis cap. 26. cùm ait: *Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet justitiam.* Sunt enim impii velut barbari & rustici, qui precibus & lenitate magis exasperantur, asperitate leniuntur & domantur, juxta versum: *Vngentem pungit, pungentem rusticus ungit.* Idque mox ab eventu probat, dicens: *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti: Nunquid glorificatus es?* patet enim ex libris Iudicum & Regum Iudæos in prosperitate deflexisse ad Idola, in tribulatione & afflictione Philisthinorum aliorumque hostium ad Deum rediisse, eumque supplices invocasse.

F. V. *Consuetudo prava.* Quinta Consuetudo prava. Vt enim glacies, diuturno frigore concrescit tandem in crystallum, quæ nequaquam ampliùs resolvi in aquam potest: ita ubi vitia in Consuetudinem abierunt, vix aut nunquam in lachrymas solvi hominem sinunt. De hac Ieremias cap. 13. dicere non timuit: *Si mutare potest Æthiops pellem, aut Pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum.* q. d. ô Iuda, peccandi consuetudo versa est tibi quasi in naturam, ut non nisi difficillimè possis resipiscere. Levit. 25. præceptum fuit, ut qui domum venditam

non

non redimeret intra annum, postea nunquam ampliùs sibi vendicare posset. Similiter qui intra longum tempus negligit redimere à dæmone animam suam: quid mirum, si in pœnam temeritatis & negligentiæ suæ redimere tandem nequeat? Audi Augustinum; de hoc lamentantem lib. 8. Confess. c. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus, &c.*

G. VI. *Impudentia.*

Sexta Impudentia, nam verecundia est frænum avertens à peccatis hominem, qui sublato eo quorsum, nisi in præceps ruit? S. Gregor. in Psalm. 1. pœnit. dicit: *Illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum.* Et Seneca in Proverb. *Tunc est*, inquit, *consummata infelicitas, ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent.*

Sed quid tandem? nullúmne huic desperatissimo morbo remedium? sanè Medici etiam desperatis rebus non cessant prorsùs adhibere remedia, sed faciunt ac suadent quod possunt: Vnde interdum contingit vim morbi superari: DEO, inquiunt, omnia possibilia sunt; unde fieri potest, ut convalescat æger. Igitur & nos non omninò desperabimus de hujusmodi obduratis. Et primo durè increpandi & tractandi sunt, quia ipsi duri sunt. Ita monet Apostolus Titum, ut Cretenses *malas bestias* durè increpet: *Quamobrem increpa illos durè*, inquit ad Tit. 1. Idem fecit S. Stephanus Iudæis: *Dura cervice & incircumcisis cordibus, &c.* Actor. 7. quamvis nullo fructu. At Pharao tandem strage primogenitorum fractus surrexit de nocte & vocatis Moysi & Aaroni nocte dixit. *Surgite & egredimini; & abeuntes benedicite mihi*, Exod. 12. tametsi paulò post ad ingenium suum rediit.

Secundo suadenda illis eleemosyna; uti fecit Daniel Nabuchodonosori, ex DEI sententia jam excindi jusso, cùm ait: *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis*, Dan. 4. Vbi S. Hieronymus & alii putant eum eleemosynis impetrasse saltem pœnæ dilationem per 12. menses, donec scilicet iterum incidit in superbiam.

Tertiò, Proponendus illis amor Christi, qui pro ipsis incarnatus, passus & mortuus est. Ita S. Ioannes, vel potiùs ipse Christus per Ioannem scripsit cuidam Episcopo cœco, pauperi, nudo, id est, prudentia, charitate & virtutibus omnibus destituto: *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Græcè habetur ignitum ex igne, q.d. (secundum Alcazar,) Accede ad fornacem, in qua ardet aurum; id est, accede ad inflammatam Christi charitatem, qua pro te homo factus est, & interim in passione vermis & non homo, ac denique in morte omnino pro te consumptus est. Quænam esse durities potest, quæ in hac fornace non liquescat? sanè obstinatus in sua incredulitate Thomas, ubi manum in fornacem illam dominicorum vulnerum intulit, illicò liquefactus cessit, & Dominum confessus est. Scimus etiam glaciem quantumcunq; duram liquescere ad solem diei. Eccúr non item corda horum liquescant ad amorem Christi incarnati? Nihil ferè durius adamante reperitur, siquidem incudes & mallei potiùs dissultant, quàm adamantem frangant; is tamen hircino calido tamen recentique sanguine maceratus rumpi dicitur, licet multis adhæc ictibus adhibitis. Plinius lib. 37. c. 4. Quid igitur faciamus duro ejusmodi cordi, de quo dicitur Zach. 7. *cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem?* sanè si calidissimo Christi passi sanguine cogitato non maceratur nec disponitur ut cedat, quid tandem incipiendum? Addendi meo judicio, ictus aliqui fortissimi. Audivi aliquando à Viro docto, Adamantem frangi adamante. Quòd si igitur tu, ô peccator, adamantinum cor habes, scito etiam Christum habere adamantem in manu sua, ad te conterendum. *Ipse enim*, Amos cap. 7. *visus est super murum adamantinum, & in manu ejus adamas*, juxta translationem LXX. Interpr. Habet ergò Christus adamantem in manu te fortiorem, qui aliquando conteret te. Vnde sequitur ibi: *Ponam adamantem in medio tui.* Quando verò conteret, nisi cùm ad inferos dejiciet? Terribile hujus rei exemplum refert Vener. Beda. lib. 5. hist. Anglic. cap. 15. quod hic referam. *Novi*, inquit, *ipse fratrem, quem utinam non nossem: cujus etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viventem. Corripiebatur quidem sedulò à fratribus ac majoribus loci atque ad castigatiorem vitam converti admonebatur. Et quamvis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Serviebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris, magisque in officina sua die noctuque residere, quàm ad psallendum atque orandum in Ecclesia, audiendumq; cum fratribus Verbum Vitæ concurrere consueverat. Vnde accidit illi (quod solent dicere quidam) quia qui non vult Ecclesiæ januam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in januam inferni non sponte damnatus introduci, percussus enim languore atq; ad extrema perductus, vocavit fratres, & multum mœrens, ac damnato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos & Satanam immersum in profundum tartari. Caipham quoque cùm cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus contraditum; In quorum vicinia inquit, heu misero mihi locum adspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans:*

Non est mihi modò tempus vitam mutandi, cum ipse viderim judicium meum jam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit, & corpus ejus in ultimis est monasterii locis humatum: neque aliquis pro eo vel Missas facere vel Psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quàm grandi distantia divisit Dominus lucem & tenebras. Beatus protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cœlos apertos, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris DEI: & ubi erat ipse futurus post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quò lætior occumberet, misit. At contra faber ille tenebrosa mentis & actionis, imminente morte, vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli & sequacium ejus: vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabiliùs ipse desperata salute periret, sed viventibus, qui hæc cognovissent, caussam salutis sua perditione relinqueret. Factum est nuper hoc in provincia Berniciorum, ac longè latèque diffamatum, multosque ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitentiam provocavit. Quod utinam ex hinc etiam nostrarum fiat lectione literarum.

Videtis Auditores, quorsum tandem tendant res hominum obstinatorum? ad desperationem videlicet & impœnitentiam. Hoc sibi voluit Dominus, si S. Hieron. credimus, cùm in hodierno Evangelio ad obstinatos dixit: *Dico vobis, non me videbitis à modo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*; hoc est, donec resipiscatis ad pœnitentiam, & me invocetis ac benedicatis. Hoc autem quando obstinatus faciet? Non audistis aliquando historiolam de marito, qui uxorem adigere voluit, ut diceret: *Benedictus DEUS, corbis perfectus est*? An non mulier verbera potius mariti sentire & experiri, quàm verba hæc proloqui voluit? Idem evenit obstinatis. Vix unquam adigentur ut pœnitentiam agant, DEUM invocent & dicant: *Benedictus DEUS*. Quid igitur eis expectandum, nisi gehennæ supplicium? Ibi experientur robur & duritiem Adamantis indicati. Ibi stabit Christus super murum adamantinum, hoc est, super decretum suæ justitiæ, qua eos condemnavit, stabit inquam velut Adamas invincibilis, quia priùs ipsi fuerunt adamantes. Stabat hîc instar Gallinæ convocans eos sub alas suas: at ipsi noluerunt. Vocabat per concionatores, at ipsi voluerunt; vocabat per exempla piorum, at ipsi noluerunt; vocabat per beneficia ordinaria & extraordinaria, at ipsi noluerunt: vocabat per flagella, at ipsi noluerunt. Quid faciet igitur his rebellibus? Vicem eis rependet. Veniet enim tempus, cum ipsi in inferno desiderabunt, unum diem Domini & gratiæ; sed respondebit Christus: *Nolo, non novi vos.* Caveamus igitur, ne gratia Christi destituti æternùm nuptiis agni excludamur.

CONCIO VII.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. ~~Scriptura non ubique clara.~~
II. *Dei misericordia.*
III. *DEI justitia.*
IV. *Origo perditionis voluntas mala.*
V. *Fundere sanguinem innoxium, enorme scelus.*
VI. *Contra adversarios beneficiis pugnandum.*
VII. *Ad Christum confugiendum.*

THEMA.

Quoties volui congregare filios tuos; quemadmodum gallina congregat pullos suos? Matth. 23.

A. GAllinarum hæc industria est, ut pro pullis suis escam sedulò conquirant & pedibus exscalpant, eamque cùm repererunt, pullis convocatis dividant & comminuant. Eadem industria Concionatorum esse debet; ut videlicet pro Auditoribus suis cibum animæ quærant, eruantque è SS. literis; inventum quoque frangant, ut percipi à rudioribus possit, & ita Auditoribus suis proponant. Porrò Auditorum est, ad vocem Gallinarum hujusmodi accurrere & cibum ex earum ore rapere. Quare cùm ego quoque ex hodierno Evangelio grana aliquot exscalpserim, ea vobis nunc hilari voce depromam: Vos arripite.

B. I. *Scriptura non ubique clara.* Granum 1. Videte Auditores, non esse verum, quod Hæretici nostri ganniunt, scripturam undique claram esse. Si adeò pellucida est scriptura, quid sibi vult illa Domini sententia: *Ut veniat super vos omnis sanguis justorum, qui effusus est*; id est, pœna debita sanguini effuso à constitutione mundi, sive à sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ? Nunquid enim Iudæi pœnas dederunt aut dare debuerunt sanguinis, quem effudit Cain, quē effuderunt multi alii ab initio mundi? habent sanè hîc quod agant magni Doctores, & habuerunt olim sancti Patres alioquin illuminatissimi. Varii varia excogitârunt. Probabiliores expositiones sunt hæ. 1. Si dicamus Iudæos Christi occisores implevisse mensuram patrum suorum, qui Prophetas occiderunt, & ita luisse omnium pœnas, dum publico excidio respubl. eorū eversa est ob gravissimum homicidium in Christo commissum. Sic ultima gutta cavat lapidem; & ultimum furtum sequitur suspendium. 2. Si dicamus Iudæos ita fuisse punitos ultimo exterminio, ut gravius puniri non possent, licet omnium justorum homicidia perpetrâssent; nec immeritò, quia gravius est occidere Christū, quā occidere omnes justos. Ob aliorum justorū cædes Synagoga interdum truncata fuit,

fuit, sed non radicitùs excisa; Ob cædem verò Christi penitus excisa. Hoc est, quod Ioannes eis prædixit, Luc. 3. *Genimina viperarum* [quia patrem vestrum occisuri estis.] *Dico vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; Iam enim securis ad radicem arboris posita est.* [scil. ad exscindendos vos] Deinde, quis est ille Zacharias filii Barachiæ, qui occisus est inter templum & altare? Sanè Origenes, Gregorius Nyssenus, Basilius, Euthymius, Petrus Martyr Episcopus Alexandr. Epiphanius senserunt ex antiqua traditione, fuisse patrem Ioannis Baptistæ, sive quòd Deipara, postquam genuit Christum, in loco Virginum collocata sit à patre in templo, sive quod Zacharias prædicarit Christi adventum: non improbabili opinione, quam tamen S. Hieronymus apocryphorum somnium vocat. Alii Zachariam penultimum ex minoribus Prophetis intelligi volunt: quos etiam non est facilè convincere erroris. Alii communiùs uti S. Hieron. volunt esse Zachariam illum, qui 2. Paral. 24. scribitur lapidatus esse in atrio domus Domini; factam verò Abelis & Zachariæ tantùm mentionem, quoniam ex scriptura noti erant, & quia horum sanguis venit super interfectores. Cæterùm quia pater hujus Zachariæ dicitur Ioiadas, non caret etiam periculo hæc sententia, nisi dicamus Ioiadam dictum fuisse etiam Barachiam.

Denique quid illud: *Non me videbitis a modo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini?* neque enim unus hujus loci sensus est. 1. sic intelligi potest locus: Non me videbitis à tempore passionis, donec veniam in judicio & dicatis volentes nolentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini,* &c. 2. sic: Non me videbitis in cœlesti beatitudine, nisi me confessi fueritis per fidem, & pœnitentiam egeritis. 3. sic: Non videbitis me oculo fidei, donec ultimis temporibus mundi ad me conversi fueritis & dicatis *Benedictus.* Quis verò vaticinetur, quænam istarū sententiarum sit genuina? Patet ergo scripturam non esse usquequaque claram.

B. I. *Scriptura omnis non ubiq; clara.*

C. II. *Dei misericordia.*

Granum 2. Videte Dei misericodiam ex visceribus enim misericordiæ Christi prodierunt illa Christi verba: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos sicut gallina, &c. Quid sibi vult hæc conduplicatio?* inquit S. Chrysostomus; *miserantis valdeque diligentis hæc orationis figura est.* Deinde per similitudinem gallinæ amorem suum monstrat, quia majorem præ cæteris affectum gallina erga pullos habet. Denique non semel, sed sæpissimè congregare voluit filios synagogæ sub alas suas. *Quoties,* inquit, *volui?* Mira DEI misericordia; lamenta & querelas adhibet, cùm pœnas & supplicia adhibere posset, sub alas suas inimicos vocat, ut parcere illis posit. Nimirum servare etiam hostes voluit, non perdere, modò ipsi nollent petire. Antoninus Pius Imper. dicebat, malle se unum civem servare, quam mille hostes perdere. Atqui Christus ipsos hostes, servare quàm perdere maluit.

D. III. *Dei Iustitia.*

Granum 3. Videte etiam DEI justitiam & vindictam suo tempore, vel serò venientem, & moram gravitate supplicii compensantem. Tardè quidem venit vindicta in Iudæos, post annos scilicet 38. sed tantò atrocior venit quando civitatem elegantissimam & fortissimam vastavit; filios eorum fame & gladio peremit, reliquos vilio pretio in servitutem vendidit, civitatem solo æquavit, gentem totam è patria sua ejecit & per orbem dispersit, ut esset omnium ludibriis exposita. Diu quidem & multis præmonet DEVS peccatorem; sed tandem eum deserit certoque exitio relinquit. Sic enim deservit Synagogam, quando ante templi excidiū, audita in eo vox à sacerdotibus fuit: *Migremus hinc*, teste Iosepho l. 7. de bello cap. 12. Quæ utique angelorum fuit vox. Vti verò navis deserta à gubernatore in tempestate mergitur: sic contigit Reip. Iudæorum, & impletum est in illa, quod hîc à Christo prædictum: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quàm verus in hoc eventu propheta fuit Christus, tam verus etiam erit in reliquorum peccatorum supplicio sæpissimè illis prædicto. Pugnat hîc Deus cum improbis, quasi fortissimus miles cum Tirone, sinistra tantùm manu, quia non statim eos prosternit, sed leviter interdum percutit, & sinit ut respirent & prosperentur, indeque emendentur, postquam intelligere potuerunt, quàm variè, quàm facilè premi à Deo possint. At ubi non emendantur, sed magis indurantur, arripit tandem dextram & posternit eos, sic lusit olim diu cum Pharaone; sed ad extremum cùm desperatum vidit, eum demersit in mari rubro. Vnde S. Gregor. 3. pastor. admon. 27. ait: *Hostes Dei & si in sinistra ejus proficiunt, in dextra fraguntur: quia plerumq; pravos vita præsens elevat, sed adventus æternæ beatitudinis damnat.*

E. IV. *Origo perditionis Voluntas mala.*

Granum 4. Videte causam & originem perditionis peccatorum; quæ alia non est nisi perversa eorum voluntas. Voluit enim Christus multoties eos congregare & salvare, sed ipsi noluerunt; hinc & perierunt: Nemo perire potest, nisi ipse velit. Quemadmodum in paradiso nihil nobis nocere potuisset serpens pomi vetiti illecebra, Eva blandiens; nisi Adam consensisset & comedisset; ita nihil nobis nocere potest diabolus tentans, mundus alliciens, caro blandiens, nisi voluntas assentiatur Vicissim licèt DEVS mille modis vocet nos & excitet; si nolimus vocantem sequi, certam incurremus damnationem. Id S. August. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 5. hac similitudine declarat: sicut corporis oculus non adjuvatur à lumine, si oculum claudas, aut si eum à luce avertas: ita si te avertas à DEO, qui lumen est, quod illuminat omnem hominem

minem venientem in hunc mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres laqueos dæmonum & peribis; si verò te convertas ad DEVM, ille tuam mentem illustrabit. Quid non fecit Christus ut Iudæos congregaret sub alas suas? Quam paternè illos monet in hodierno Evangelio; quantam cladem & desolationem illis hîc prædicit? Nihil effectum. Cur? quia noluerunt. Videre est quandoq; homines adeò perversæ voluntatis, ut licet præsentissimum malũ, adeoque exitium suum videant præ oculis, nolint tamen inde resilire. Eremplum affert illustre S. Ambrosius lib. 4. in Luc. cap. 4. *Theotimus*, inquit, *cùm gravi oculorum incommodo laboraret & amaret uxorem, interdicti sibi à Medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus; Vale, inquit, amicum lumen.* Sciens ergò in æstu libidinis se amissuros oculos, maluit eòs amittere, quàm libidine abstinere. Non aliter quilibet peccator agit, qui mavult perdere lumen gloriæ, & in tenebras exteriores incidere, quam cupidates suas frænare.

F. V. *Fundere sanguinem innoxium enorme scelus.*

Granum 5. Videte, quàm enorme scelus sit fundere sanguinem innoxium, quandoquidem is cadit, vindictam clamat & impetrat à DEO super caput effundentis; quemadmodum sanguis Abel super Cain, ita videlicet ut communiter etiam in hac vita puniantur homicidæ simili vel graviore etiam cæde. Hinc naturale quoddam veluti miraculum est, ut si occisor venerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantùm fit cùm recenter quis occisus est, sed etiam cùm à multis diebus, imò ex ipsis nudis ossibus solet interdum cruor effluere, ut multoties visum est, quo nimirum tanti sceleris reus prodatur & plectatur. Sanè cùm vipera invasisset Paulum, gentiles mox dicebant: *Utique homicida est homo hic, qui cùm evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere*, Actor. ult. Audiamus exempla gentilium. Aristoteles narrat de statua Mitii ærea, quòd ea cadendo obtriverit reum necis Mitii Argivi, dum in foro spectacula ederentur. Macarius Mytilenensis Bacchi Sacerdos hospitem in templum seducens occidit: paulò post filii ejus dum volunt patris sacrificia imitari, unus alterum occidit; audiens hoc mater, superstitem, versa in furiam, torre occidit: pater id intelligens matrem etiam jugulavit, ideoque captus & crimen confessus ante publicum supplicium in tormentis expiravit. Ælian. lib. 13. Ibyci poëtæ interfectores prodidêre grues, quos ille dum necaretur, supervolantes obtestatus erat velut vindices. Latrones enim dum grues fortè in foro conspicerent supervolantes: *Ecce Ibyci grues*, inquiunt; ex quo sermone deprehensi & supplicio affecti sunt. Plut. lib. de loquacitate. Aliquando etiam canes prodidêre suorum Dominorum interfectores. Idem de anim. comp. Vultin exempla Christianorum? Ioan. Moschus in prato Spir. cap. 76. scribit navigium quoddam, intra quod admissa erat mulier parricida, immotum constitisse in mari diebus 15. summo omnium navigantium stupore & dolore. Gubernator ad divinam opem confugiens, audiit responsum, ejiciendam mulierem cui Mariæ nomen. Accitam igitur rogavit, ut scelus suum panderet: illa peremisse se duos filios, ait, ut ad secundas nuptias transire posset, licet irrito conatu. Tunc gubernator mulierem in scapham descendere jussit; moxque scapha quinquies in gyrum agitata in imum cum muliere demersa est. Navigium posteà magna celeritate ad destinatum locum appulit. Idem cap. 166. scribit de latrone, qui conversus factusque Monachus, assiduè vidit puerum se insectantem ac dicentem: *Cur me occidisti?* Vnde petita venia Monasterio egrediens urbemque ingrediens captus & decollatus est. *Nimirum quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, inquit DEVS Gen. 9. Et propterea ibidem in lege naturæ, & posteà in lege scripta Levit. 3 vetuit Deus comedi sanguinem animalium; ut rudis ille populus per hoc absterreretur ab effusione sanguinis humani.

G. VI. *Contra adversarios beneficiis pugnandum.*

Granum 6. Videte quibus armis pugnandum sit in adversarios nostros, amore videlicet & beneficiis. Ita enim Dominus in hodierno Evangelio ait: se expandisse alas suas ad recipiendos in gratiam eos, qui Prophetas à se missos lapidabant & necabant: Idque fecit non solùm in veteri lege per Prophetas, sed etiam in nova per Apostolos suos, & per semetipsum, concionando, orando, mira patrando, & præsertim in cruce manus suas expandendo & pro eis patiendo. Hæc ergò nobilissima & divinissima ratio est ulciscendi se de inimicis, congerendo videlicet carbones amoris, & beneficentiæ super caput eorum. Granum hoc ex ore Christi rapuit inprimis S. Stephanus, tantæ gallinæ insignis pullus, cùm moriens oravit pro suis lapidatoribus. Cui meritò accensemus S. Ioannem Gualbertum Abbatem, cui adhuc sæculo militanti cum armigero suo [ut refert Blasius Melanensis apud Sur. 12. Iulii.] Florentiam tendenti in ipso itinere capitalis ejus hostis [is cognatum ejus occiderat] ex insperato fit obviam loco adeo angusto, ut neutri locus pateret à via deflectendi. Tum verò hostis planè inermis, cum haud dubiam necem sibi paratam cerneret, concepta subitò fiducia, ab equo desiliens, humi se prosternit, junctisque cancellatim ad pectus manibus pro crucifixi amore veniam vitamque sibi precatur. Compunctus Ioannes audito nomine Crucifixi: pacem offert, metum ponere jubet culpamque ei ex animo remittit. Hoste dimisso Ioannes ad Ecclesiam quandam deflexit, cumque ibi coram Crucifixi imagine flexis genibus Christi vulnera contemplaretur, vidit [dictu mirabile] Christi caput ad se inclinari tanquam gratias agentis, quòd pro ejus reverentia hosti capitali pepercisset. Ioannes autem illa Christi bonitate attractus, protinùs relicto sæculo monasterium ingressus

gressus est, & tam sanctè vixit, ut in numero sanctorum sit.

H. VII. *Ad Christum confugiendũ.* Granum 7. Videte quò confugiendum sit, cum vagi & dispersi inter insidias tartarei Milui degimus; ad alas utique Christi, quas erga nos expandit, sicuti testatur in hodierno Evangelio [neque enim ergà nos Christianos minor est ejus affectus, quàm fuerit erga Iudæos] Quemadmodum ergò tempore Diluvii nemo salutem invenit, nisi in arca, tametsi alii alia asyla quæsierunt, vel præaltos montes, vel excelsas turres, vel sublimes ascendendo arbores: Ita qui ad Christi alas non se recipit, salutem nusquam inveniet. Peribunt ergò, qui in calamitatibus vel periculis à diabolicis præstigiis & præstigiatoribus opem requirunt, quia in ungues accipitris incidunt: peribunt, qui ad mundum fugiunt, quia debilis & fallax est. Quoties ergò tribulatio nos apprehendit, quoties tentatio pulsat, quoties dæmon, caro, mundus nobis insidias struit: attollamus in crucem oculos & sub alas Crucifixi nos recipiamus, cum Davide dicentes Psalm. 60. *Protegar in velamento alarum tuarum.* *Si enim gallina*, inquit S. Augustinus in Psalm. 90. *protegit pullos suos sub alis, quanto magis tu tutus eris sub alis DEI adversus diabolum & angelos ejus?* Imprimis verò, cum morientibus insidiatur dæmon, meminerimus confugere sub alas Domini nostri; cujus exemplum nobis præbuit S. Stephanus, qui adversantibus sibi Iudæis velut miluis obsessus, intendens in cœlum, vidit Christum stantem, utpote in auxilium sibi occurrentem. Hujus alas jam jam subiens dicebat: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Discite hîc optimam moriendi rationem. 1. enim non de corpore sed de spiritu curam gerit: Contrarium faciunt impii 2. fidem profitetur, Iesum vocans Dominum, scilicet Creatorem, Redemptorem & Salvatorem suum 3. spem in eo desigens, ipsum invocat, meritis suis diffidens: hinc vocat eum Iesum, qui scilicet velit & possit eum salvare 4. per amorem ei animum spiritumque resignat. Denique non temerè salutem sibi certam facit, tametsi martyr occumbit; sed orat suscipi à Domino, in confusionem hæreticorum & similium præsumptuosorum, qui sine omni divini judicii timore vivunt & moriuntur, quasi securi de salute. Tales igitur gallina illa cœlestis sub alas suas recipit, & fovet cœlestium bonorum perpetua dulcedine; quam & nobis largiri misericorditer dignetur.

IN FESTO
S. JOANNIS EVAGELISTÆ.

Evangelium Ioannis 21.

IN illo tempore, dixit JESUS Petro: Sequere me. Conversus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat JESUS, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit JESU: Domine hic autem quid? Dicit ei JESUS: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit JESUS: Non moritur: sed, Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

CONCIONES.

I. *Aquila Ioannis typus.*
II. *Causæ cur præcipuo amore dilectus sit à Christo Ioannes.*
III. *Qui malè sequantur Christum.*
IV. *De quintuplici genere Curiosorum.*
V. *Cur benedicatur & bibatur vinum in Festo S. Ioannis.*
VI. *Benedictiones in Ecclesia usitatæ defenduntur.*
VII. *Documenta.*
VIII. *Mysteria.*

CON-

CONCIO I.
AQUILA S. JOANNIS TYPUS.

I. Ob sublimem intelligentiam.
II. Ob amorem in Christum.
III. Ob longævitatem.
IV. Ob misericordiam & pietatem.
V. Ob contemplationis studium.

THEMA.

Recubuit in cœna super pectus ejus, Ioan. ult.

Vidimus heri Christum gallinæ comparatum, sed qui secundum naturam humanam gallinæ se comparavit; eundem secundum naturam divinam Aquilæ comparavit Moyses, Deut. 32. cùm ait: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, expandit alas suas.* Nec immeritò; ut enim aquila in alto degit ab avium cæterarum societate separata & altissimè volat, ut visu attingi nequeat: Ita & DEVS adeò procul ab omniū creaturarum cognitione distat, ut ad eum nec hominum, nec angelorum oculi pertingere ullo pacto queant. Hujus aquilæ proles est Ioannes, qui & ipse Ezech. 1. per aquilam figuratur, ut consentiunt SS. Patres & demonstrat ejus pictura; Proles inquam, præ cæteris dilecta, ut patet ex hodierno Evangelio, dum vocatur *Discipulus, quem diligebat, Iesus.* At nunc videamus, quibus in rebus comparetur aquilæ.

A.

Prima & potissima causa assignatur à Patribus, quòd quemadmodum aquila volatu suo omnes aves transcendit & acie oculorum omnes superat, ita ut solem rectà intueri queat: Ita Ioannes Evangelio suo super omnes volavit Evangelistas, & usque ad conspectum Deitatis Christi penetravit. Vnde Ezech. 1. *Visa est de super ipsorū quatuor.* Vbi S. Gregorius ib ait: Ioannem seipsum transcendisse. S. Augustin. tract. 36. in Ioan. ait: *Cæteri Evangelistæ tanquam cum homine domino in terrâ ambulabant & de divinitate ejus pauca dixerunt. Istum autem quasi piguerit in terrâ ambulare; sicut ipso sui sermonis exordio intonuit, erexit se non solùm super terram & super omnem ambitum aëris & cœli: sed super omnem etiam exercitum angelorum &c.* S. Hieron. lib. 1. contra Iovin. ait: *Ioannes noster quasi aquila ad superna volans, ad ipsum patrem pervenit, dicens; In principio erat verbum, &c.* Paucis enim verbis nobis ostendit, quid de Christo credere debeam⁹. Primo ab æterno fuisse; *In Principio erat Verbum.* Secundò, personam à patre distinctā esse: *Et Verbū erat apud Deum* Tertio: Vnum cū Patre Deū esse: *Et Deus erat Verbum.* Quartò, Mundi conditorem esse; *Omnia per ipsum facta sunt.* Denique incarnatum esse; *Et Verbum caro factum est.* Nimirum præscivit Ioannes paulò post adfuturos hæreticos, qui his articulis contradicerent. Vnde quemadmodum aquila nidum suum firmat lapide Ætite, qui contra venena valet, ut sic eum tueatur à serpentibus, ut refert. Pier. l. 19. hierogl. ita & Ioannes Evangelium suum & fidem nostram vallavit initio statim contra hæreticos. Igitur secutus est paulò post Ebion, negans Christum ante Mariam fuisse, ut scribit S. Hieron. de script. Eccl. sed contra Ioannes ait: *In principio erat Verbum.* Adfuit Sabellius, dicens Christum personam esse à patre indistinctam. Contrà Ioannes: *Et verbum erat apud Deum.* Successit Arius, negans Christi Divinitatem. Sed contrà Ioannes: *Et Deus erat verbum.* Incurrit Manichæus duo creationis principia ponens: Contra: *Omnia per ipsum facta sunt.* Cerdon & Marcion dicebant, Christum in phantasmate tantum natum & passum. Contra Ioannes: *Et verbum caro factum est.* Harum igitur hæresum alias prævidens alias jam existentes videns, rogatus ab Asiæ Episcopis scripsit Evangelium suum. Et præterea hæreticorum hostis infensissimus erat, nec cum illis loqui voluit: & aliquando in Balneo videns Cerinthum mox recessit cum suis, quòd vereri se diceret ne balnea corruerent, ubi Cerinthus veritatis hostis esset. Refert Irenæus l. 3. advers. hæres. cap. 3.

B. I. *Ob sublimem intelligentiam.*

Docet igitur inprimis Ioannes vitare hæreses & hæreticos & nidum cordis nostri munire contra eos lapide illo, in quo fundata est Ecclesia Catholica, scilicet firmitate & vetustate fidei nostræ. Vnde si quādo serpentes hæretici conantur te à proposito dimovere, vel venenum hæreseos tibi infundere, ne disputa, sed fuge, si potes, illos; si non potes, dicito: *Credo quod Catholica credit Ecclesia, illa inquam supra petram fundata hactenus nunquam devicta, nunquam mota, idē semper credens,* &c. Quod si rejiciant, ostendant quando, ubi in quibus articulis aliquando errarit, deviarit &c. Hoc verò munimentum ante omnia faciendū est, sicut & Ioannes principium Evangelii sui munivit contra hæreses. Sic enim & fundamentum domus ante omnia ponendum, alioqui quidquid superstruxeris, vanum erit. Frustrà confitetur, communicat, orat, jejunat, &c. qui nidum suum non munivit lapide veræ fidei, sed in pectore gerit perfidiam: omnes enim illius pullos, id est, actiones serpens diabolus devorat.

C. II. *Ob amorem in Christum*

Secundò, Aquila, avis homini socialis est, amorem amore rependens. Scribit enim Ælianus lib. 6. animal. hist. c. 28. ex Philarcho, aquilam à puero educatam arctissimo amore ei adhæsisse, cùm puer ægrotaret, aquila assiduò assidebat; cum non ederet ipsa pariter cibum non admittebat; posteà verò quam is vita excessit, atque efferretur, ad rogum eum prosecuta est, postque ubi cremaretur in medios rogos se iṁisit. Imitatus etiam in hoc Ioannes aquilam: cùm enim à Christo vehementer diligeretur, valde eum redamavit, ut patet ex eo, quod in sinu Christi dormivit, quòd ad sepulchrum præcucurrit citius Petro, &c. Quoniam igitur sciebat se à Domino

Domino maximè dilectum & enutritum, quasi in sinu ejus eundem usque ad crucem solus inter Apostolos comitatus est eique ibi patienti adstitit, ut ita quodammodo cum Christo crucifigeretur, & omnium ejus dolorum particeps fieret. Et hæc videtur causa, cur solus ipse martyrio non obierit, quia juxta crucem subjerat martyrum. Quare docemur tanto esse DEO gratiores & obligatiores ad eum redamandum, quanto plura dilectionis signa ab eo accepimus. Et verò loquendo de generalibus Dei beneficiis, magnum est dilectionis DEI in nos indicium, quod è nihilo nos creare & homines quidem voluit. Sed hoc penè obscuratur, sicut stellæ adveniente Sole, si conferamus id cum beneficio redemptionis. Quis enim explicet amorem illum, quo DEVS propter nos homo fieri mortalis voluit? Vnde gravi de causa, Apostolus 1. Cor. 16. dixit: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranatha, id est, Dominus venit*, q. d. Siquidem Dominus jam in carne nostri causa venit, si quis tanto DEI amori non respondeat, anathema sit, & ab hominum communione segregatus. Hanc verò dilectionem reciprocam ostendere deberemus in sedula contemplatione beneficiorum Christi, assidere nato in stabulo, patienti in cruce, &c.

D III. *Ob longævitatem.*

Tertio, Aquila diutissimè vivit & juventutem renovat, quando sentit se gravari pennis, dum ex alto Solis calore inflammata in fontem præfrigidum se immitit, cujus frigore calor medullarum augetur, & postmodum aliquamdiu quiescit, atque ita plumis succrescentibus renovatur, teste Alb. M. lib. 23. de animal. lit. A. Simili fere modo Ioannes inter Apostolos diutissimè vixit nimirum 68. annos post passioné Christi, teste S. Hieronymo de scriptoribus Eccles. Nicephoro lib. 2. histor. c. 42. & consequenter usque ad annum 101. post Christum natum, qui erat Secundus Trajani Imper. Adhæc ipse renovavit juventutem suam. Et qua ratione? In oleo ferventis nolii, in quo positus erat à Domitiano Imp. Vbi adeò læsus non est, ut etiam purior ac vegetior, teste S. Hieronymo, lib. 1. contra Iovianum, inde exierit. Igitur à Domitiano in Pathmos Insulam relegatus, ibi quieti contemplationis vacavit, & Apocalypsin scripsit. Cujus exemplo docemur patientur sufferre tribulationes, infirmitates, inde enim puriores egredimur: sæpe videmus juvenem qui de gravi morbo convaluit, posteà esse cautiorem, temperantiorem, ad virtutem promptiorem.

Docet etiam renovare juventutem per crebriorem pœnitentiam. In ea enim per contritionem incalescimus à conspectu DEI, in quem peccavimus. Per confessionem immergimur in fontem frigidũ; per satisfactionem excutimus pennas veteres, bona aliena, odia, pœnas, &c. Hæc verò non semel sed sæpius in anno facere expedit. Quomodo enim non sentiat se gravari veteribus pennis, quia anno tantùm semel confitetur? qui pondus peccatorum suorum toto circumfert anno?

E. IV. *Ob misericordiam & pietatem.*

Quarto, Pia est & misericors erga ejectos pullos à ciconia montana vel altera aquila; eos enim colligit & educat, teste Pierio lib. 19. hierogl. Talis etiam Ioannes erat erga lapsos, ut eos reduceret. Cujus exemplum narrat ex Clemente Alexandrino Eusebius lib. 3. histor. cap. 17. Nam juvenem aliquando commendarat Episcopo cuidam in Asia Ecclesias visitans, ut eum institueret, & salutis ejus curam gereret. Episcopus porrò, cui cura hæc à tanto Apostolo delegata erat, in Christiana fide ac moribus instructo baptismum & confirmationem dedit; sperans autem quod de cætero bene se haberet, eum negligentiùs observans sibi permisit. Ille verò libertate abusus, & licentia factus deterior, malorum familiaritati adsuevit, factus ad extremum Prædonum & Latronum Dux. Post aliquantum verò tempus requisitus fuit S. Ioannes, ut pro Ecclesiasticis negotiis in civitatem eandem rediret, quibus expeditis, Episcopum de Iuvene interrogat. Ille autem graviter ingemiscens secundum animam mortuum respondet, & pro Ecclesia vicinum montem elegisse, in quo prædas exerceret & latrocinia. Audiens verò hæc Ioannes: *Ah, cui*, inquit, *pastori, ovem hanc credidi?* ac statim equum expediri jubet & viæ Ducem, dein ad montem latronum speluncam proficiscitur; quò cùm accederet, captus ad Ducem eorum deduci rogat, qui eum, ut erat, operiebatur armatus. Sed cùm eminus adduci videt Ioannem; ocyus fugit, sequente eum Ioanne & clamante: *Quid fugis me fili, patrem, senem, inermem? Compatere labori ac molestiæ meæ, noli timere, super est salutis tibi spes. Ego pro te Christo rationem reddam ac respondebo, quin & si necessitas exigat, moriar pro te lubens, quomodo pro nobis omnibus Christus. Animam pro te ponam, siste cursum & crede, misit me tibi Christus.* Audiens porrò ista juvenis, stetit dejectis in terram oculis & arma exuens, ac cum magno timore appropinquantem ad se Apostolum lachrymans amplectitur, dexteram abscondens tot cædum patratricem. Spondet Apostolus impetraturum se à Christo omnium peccatorum remissionem, & in genua procidens apprehensam ejus dexteram osculatur, eumque hoc modo in Ecclesiam reduxit, unà cum eo oravit, jejunavit, nec discessit ex civitate, nisi postquam eum primò, consolatus diligentissimè instruxisset atque ita virtutibus perfecisset, ut Ecclesiæ ministrum consecraret. Discant hinc pastores animarum, discant & parentes salutem gerere sibi creditorum & errantes revocare, nisi Deo rationem reddere velint. Discant oves errantes & filii perditi, non fugere, non resistere, cùm ad pœnitentiam quæruntur, cumque arguuntur præsertim in confessione, quando confessarius perscrutando eorum conscientiam eos quasi fugientes & tergiversantes insequitur & urget, quærit enim ovem errantem; te quærit, non se.

F. V. *Ob contemplationis studium.*

Quinto, Aquila in alto ferè semper moratur, rarò & non nisi cibi causa ad terram descendit. Similiter S. Ioannes contemplationi deditus erat rerum divinarum, rarò corporalem admisit quietē. Vnde *fertur aliquando cùm perdicem molliter demulceret*, inquit Cassianus collat. Part. lib. 2. collat. 2, *quendam ad se habitu venatoris venientem subito conspexisse, qui miratus quòd vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parva, & humilia se oblectamenta demitteret: Tu ne es, inquit, ille Joannes, cujus fama insignis ac celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergò oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui B. Joannes: Quid est, quod manu tuâ gestas? At ille, arcus, inquit. Et cur, ait B. Ioannes, non eum tensum ubique circumfers? Cui ille respondit: Non convenit, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat ac depereat, & cum oportuerit, ut fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ intensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit, B. Ioannes, animi te offendat, ô Iuvenis, tam parva hæc brevisq; laxatio, quæ nisi remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum relevet ac relaxet, irremisso vigore lentescens virtuti spiritus, cùm necessitas poscit, obsecundare non poterit*, hæc ibi. Vnde patet Ioannem ferè semper contemplationi & rebus seriis intentum non nisi modicè & rarissimè animum relaxasse. Quòd si hanc doctrinam nobis applicare velim, invertere illam debeo & dicere, ut qui tota septimana rebus temporalibus vacamus, & spiritum ad corporis obsequia trahimus & deprimimus, saltem in diebus festivis relaxemus, & requiem ei suam demus, divinis rebus vacare ac rursum volare sinamus, quem ferè semper alias in terris occupatum retinemus. Deceret sanè ut cum aquila & Ioañe potiorem partem spiritui daremus, & in contemplatione ac oratione Deo tribueremus, sed quia hoc paucorum est, id saltem omninò convenit, ut si dies non festivos corpori tribuimus, dies saltem festivos animæ tribuamus. Non enim instituti sunt illi, ut otiemur tantùm & à laboribus corpus eximamus, sed ut spiritus imprimis quiescere & in Deo se recreare possit, alioqui omnino suffocetur & enervetur. Illis ergò saltem diebus, quādo sæpiùs non datur, animus attollere se debet, contemplari Dei beneficia, suos defectus, vitæ suæ rationem, Sanctorum vivendi rationem & exempla. Et his præsertim diebus contemplari deberemus beneficium redemptionis, & incarnationis eaque contemplatione animos nostros pascere: Deberemus, inquam, cum Ioanne demulcere perdicē illam Christum ad terras illapsam, veram sc. matrem nostram, ut heri vidimus, eidem patienti condolere, nobis gratulari, &c. Deberemus dicere cum pastoribus: *Transeamus usque Bethlehem & videamus hoc verbum.* Transeamus negotia sæcularia, nugas, jocos, ludos, &c. sed ô quam perversè aguntur hi dies tam festivi? transiguntur ludis, jocis, commessationibus: & utinam non etiam noctes. Hóccine est spiritum relaxare & Deo vacare: *Ludebam foris*, inquit S. Bernardus serm. 2. de Nativ. Dom. *in plateis, & in secreto regalis cubiculi, super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor, & audio. Quid facturus sum? Adhúcne ludam & deludam lachrymas ejus?* ita ille.

Viderint ergò quantam Christo injuriam faciant, qui has sacratas noctes [vernacula die Weyhenächt] ludis & commessationibus profanant, &c.

CONCIO II.

CAUSÆ CUR PRÆCIPUO AMORE dilectus sit à Christo Joannes.

I. Ob naturæ præstantis bonum.
II. Ob similitudinem,
III. Ob amorem reciprocum.

THEMA.

Conversus Petro vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, Ioan. 21.

A.

Genesis 43. legimus Iosephum, undecim fratres suos convivio excepisse, quando ab eis nondum agnitus erat. In eo convivio misit Ioseph de mensa sua singulis fratribus varia & selectissima fercula, sed minimo natu Benjamino quinques plura quàm cæteris. Quamobrem mirabantur omnes; sed posteà intellexerūt hujus rei causam, cùm se Ioseph manifestavit: quia sc. id fecisset propterea, quod Benjamin frater ejus couterinus esset, hoc est, tam ex parte matris, quàm ex patre patris; reliqui tantum ex parte patris. Simili fere modo Christus egit cum Discipulis suis [quos fratres suos vocabat Ioan. 20.] dum enim cum eis in terris degeret, singulis distribuit præclara quædam dona & exhibuit amoris argumenta: sed præ cæteris tamen majori amore dilexit Ioannem [velut natu minimum & quodammodo couterinum, utpote futurum matris etiam suæ filium adoptivum] & quinque peculiaribus amoris judiciis ac prorogativis condecoravit. Prima dum eum in sinu suo fovit, arcana sua ei aperiendo, etiam Iudæ proditionē. Secunda, dum enim singulari sapientia super omnes illustravit. Tertia, dum matrem ei in cruce commendavit. Quarta, dum vitam ei maximè longævam dedit, ad annos 93. ætatis usque ad Trajanum Imper. Quinta, dum eum à martyrio liberum esse voluit. Vnde Ioannes quoties de se ipso scribit, vocat se *Discipulum, quem diligebat Iesus.* Sed mirari

rari aliquis potest, quòd tam peculiaribus ferculis honorarit Christus Ioannem. Quæ igitur hujus præcipui amoris causa? Videamus.

B. I. *Ob natura præstantis bonum.* Ingeniũ.

Tria sunt, quæ amorem causant. Primum ipsa rei bonitas cognitione percepta: bonum enim per se amabile est. Multa verò bona erant in Ioanne, quibus alios Christi Discipulos superabat. Inprimis acies ingenii sublimioris, quæ adeò postea exculta est, ut aquilinæ comparata sit & usque ad Deitatis altissimam contemplationem evolarit. Quis autem nescit à Ludimoderatoribus amari præ aliis Discipulos illos, qui ingenio sunt præstantiori & disciplinarum capaciori? Noverat Christus hoc ingeniũ ad divinitatis suæ cognitionem super alios evolaturum, eamque toti mundo testatam facturum ac cõtra Hæreticos defensurum; ideoque meritò tanquam Athletam fortissimum dilexit, poteratque de illo dicere idem, quod de Paulo dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*; imò toto orbe.

Cùm parentes vident unum filiorum suorum cæteros indole & ingenio præcellentem, magis eum diligunt & plures in eum sumptus collocant, quo virtutibus & doctrinis excolatur; mittunt eum ad Academias & exteras nationes, &c. cur non idem faceret Ioanni Christus? Aliud ejus bonum perquã amabile, erat innocentia, quâ cæteros vicit Apostolos, siquidem adhuc adolescens Christi collegio adscriptus est, & in eo semper innocentissimè vixit, primamque innocentiam conservavit. Cæteri jam adulti, à Christo sunt electi ideoque minùs à culpa vacantes erant, cùm eligerentur. Quis autem nescit innocentiam rem esse amabilissimam? Sanè Christus ipsemet Marc. 9. & 10. Parvulos complectebatur propter eorum innocentiam, simul ostendens, ejusmodi amplexu & dulci amore dignos esse tantùm innocentes. Vt enim matres non ita abblandiuntur natu grandioribus liberis, sicuti infantibus, sic etiam innocentes Deo amabiliores sunt. Vnde Cantic. 1. dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino.* Cæteri Christi discipuli tanquã adulti severiori disciplina quasi vino potabantur: Ioannes verò lacte, tanquam innocens & quasi lactens: ideoque supra pectus Domini solus ipse recubuit. Similem ob causam Iosias inter reges Israël omnium optimus fuisse dicitur, 4. Reg. 23. ita ut similis ei in virtute nec antè nec post eum fuerit. Nam licet David eo fuisset mansuetior & devotior, Salomon sapientior, Ezechias clementior: fuit tamen ipse innocentior, qui non ita deliquit, sicut illi deliquerunt. Vnde etiam Ecclesf. 49. memoria Iosiæ dicitur compositio odoris suavissima. Ratio, primò quia Ambrosio teste iñocentia facilius custoditur, quàm per pœnitentiam perdita reparetur. Vt enim specula nova initio mundissima, ubi semel inficiuntur, rarò vel nunquam ad pristinum nitorem emundantur; ita ætas puerilis semel depravata. Secundò licet pristina

Innocentium.

A.

sanctitas & gratia recuperari possit non tamen innocentia: manet enim Cicatrix per pœnitentiam obducta: quæ licet non pariat deformitatem, nequit tamen accedere ad pristinam integritatem. S. Chrysost. ait hom. 6. in Matth. *Sicut in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis DEI speciosa est conscientia munda.* Atqui nemo arbitror negabit, gratiosiorem esse faciem pulchram, carentem omni cicatrice, quàm sit ea, quæ cicatrices ex vulnerib⁹ habeat. Strenuus est miles, qui multis in præliis vulneribus acceptis, vitam conservavit gladio, sed magis adhuc strenuus est, qui diversis præliis multos occidit hostes, interim nunquam vulneratus est; sicut celeberrimus ille Scanderbegus, qui cum ad duo millia Barbarorum sua manu obtruncasset, nullo unquam prælio vulneratus est, nisi semel leviter in crure per sagittam. Vt Barletius in ejus vita. Tertiò, quia præstantius est, adeoque gratiùs, ab ipsa juventute adeoque tota vita Deo servire, quàm aliqua tantum vitæ parte. Ioannes ab adolescentia jugum Christi portavit.

Virginitatem.

Aliud bonum dignissimum amore, quo excelluit aliis, fuit Virginitas & ob id Ioannes magis à Christo dilectus, uti testatur S. Hieronymus lib. 1. contra Iovinian. & patet ex tenera ejus ætate, cum Hieronymus scribat penè puerum vocatum à Domino, & constet vixisse usq; ad tempora Trajani secundum Baron. & alios, 68. annos post Christi ascensionem. Cæteros, saltem plerosque Apostolos priùs conjugatos fuisse verosimile est. Porrò virginitatem specialiter à Christo diligi, patet ex Apocal. 14. ubi solæ virgines dicuntur emptę esse de terra primitię, id est, electissimi fructus, Deo & agno, & sequi agnum in cœlo, quocunque ierit, tanquam cytharœdi ejus; qua re *nihil aliud significatur*, ut inquit Blas. Vegas ibi, *quàm agnum virginibus præcipuè delectari, ita ut à suo latere eas nunquam velit discedere.* Sequuntur eum velut Cytharœdi ad ejus oblectationem. Dicuntur autem Cytharœdi, quia propriam carnem domant & spiritui cõcordant, ita ut non jam caro esse, sed in spiritum transisse videantur. Hæc autẽ carnis subactio præclarior est omni alia victoria propter difficilius certamen. Novimus enim maximos Heroës hostium domitores carni subjacuisse, Davidem, Salomonem, Herculem, Alexandrum Magnum, & aliquot fortissimos Christi Athletas, qui varia tormenta vicerant, contra quos expostulat S. Cypr. lib. de lapsis. Accessit ad puritatem corporis ejus summa puritas animi. Scribit Euthym. in c. 23. Ioannis, eum tantam à puero habuisse curam puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit. Scimus autem quid Sapiens dicat Proverb. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam, labiorum suorum habebit amicum Regem.*

Secundum, Similitudo, juxta id Ecclesf. 13. *Omne diligit simile sibi & omnis homo proximum sibi*,

Ob ſimilitudinem.

niſi per accidens alter alterum impediat, ut cum figulus figulum odit.] Ioannem autem ad Chriſti ſimilitudinem maximè præ cæteris acceſſiſſe, colligi ex eo poteſt, quod eundem Chriſtus matri deſolatæ, tanquam effigiem ſui ad ſolatium relinquere voluerit, ſicut ſolet ſponſus facere ſponſæ ab ea diſceſſurus, ut ſi ipſa ſaltem in imagine ſponſum ſuum poſſideat. Sed qua in re ſimilem Chriſto oſtendemus Ioannem?

1. In converſatione.

Primò in moribus & converſatione. Nam inprimis, uti diximus, Virgo fuit & innocens, quemadmodum & Chriſtus. Deinde uti Chriſtus adeò dilexit homines, ut propter eos perditos recuperandos deſcenderit de cœlo & tradiderit ſe in manus hoſtium, ac biberit amarum paſſionis calicem: ita ſuo modo fecit & Ioannes. Nam ut refert Euſeb. ex Clem. Alex. lib. 3. hiſt. cap. 23. pro adoleſcente, qui ab ipſo commendatus alicui Epiſcopo erat. Poſteà verò ſeductus, & princeps latronum factus, recuperando, in locum prædonum illorum deſcendit & fugientem à ſe diſcipulum conſectatus eſt atque ad meliorem frugem revocavit. Deinde bibit etiam Ioannes calicem venenatum pro converſione infidelium, ex pacto, ut alibi diximus, ut ſi abſque læſione cum biberet, illi Chriſto crederent. Adhæc ſicut, Chriſtus in ultima cœna ante paſſionem & mortem ſuam dilectionem proximi longo ſermone, tanquam rem præcipuam, ſuis commendavit, Ioan. 13. & 15. Ita fecit & Ioannes, cùm ad ſepulchrum vivens deferretur, identidem repetēs illud: *Filioli diligite alterutrum, quia præceptum Domini eſt.*

2. In martyrio.

Secundò, In martyrio, pluſquam Petrus aut Andreas, tametſi illi crucifixi ſunt, non Ioannes: qui cum magiſtrum ſuum tenerrimè amaret, ſolus ex diſcipulis in cruce patienti aſtitit; Vnde non tam ſimilem, quàm eandem in Chriſto, martyrum rationem ſubiit: ſiquidem anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat. Cogitate quid doloris ſenſerint matres, patres, fratres & ſorores infantum illorum, quos occidit Herodes, cùm viderent eos ante oculos ſuos tam dirè enecari. Majorem fuiſſe Ioannis dolorem, nihil dubitandum. Refert Vincentius, lib. 173. hiſt. c. 62. duos quoſdam nobiles pueros vultu ſimilimos, diverſorum tamen parentum, cùm ambo Romam euntes, in civitate Luca convenirēt, & Romæ baptiſmum ambo ſuſciperent, ab eo tempore admirandum in modum ſe mutuò dilexiſſe. Atqui Chriſtus & Ioannes eodem etiam baptiſmo ſunt baptizati, cruento nimirum illo, quià Chriſto deſcendit in Ioannem quando ſuper hunc illius defluxit ſanguis. Quando duo ſocii longum & periculoſum iter confecerunt: vel ſimul à Turca capti ſimul ab eo duræ ſervituti ſubjecti & ſimul liberati ſunt: non dubiū quin tota vita ſe mutuo valde diligant; cur ergò non liceat ſic ratiocinari de Chriſto & Ioanne? nam prævidit Chriſtus Ioannem ſibi ſocium in paſſione futurum antequam id fieret. Rurſum hinc arocior Ioāñis paſſio fuit, quàm cæterorum Apoſtolorū, quoniam illi gaudebant, quòd pro Chriſti nomine paterentur: hic verò dolebat, quòd pro eo pati non poſſet, ſed patientem pro ſe aſpicere deberet. Vnde S. Brigitta in revelat. lib. 4. cap. 23. narrat ſe audiſſe B. Virginem dicentem Ioanni inter alia: *Amarior tibi paſſio filii mei facta eſt, quam præ cæteris clarius aſpexiſti.*

3. In reſurrectione accelerata.

Et hinc non immeritò, ſimilis etiam Chriſto factus eſt Ioannes in reſurrectione accelerata, juxta probabilem multorum ſententiam. Mam poſt mortem eum mox reſurrexiſſe & cum corpore translatum eſſe in cœlum, ſicut & B. Virginem, ſentiunt Niceph, lib. 1. hiſt. cap. 25. Petrus Damianus ſerm. 2. de S. Ioanne D. Thomas in cap. 21. Ioannis. Cujus indicium eſt, quòd corpus ejus poſteà cùm requiretur ab ejus Diſcipulis, inventum in ſepulchro non ſit, ſed pro eo ſolum manna candidum plurimorum morborum remedium, ut ſcribunt Petrus Damianus, Epiphanius, Greg. Turonenſis & alii: Nec dum etiam de corpore ejus quidquam repertum eſt, cùm tamen aliorum Apoſtolorum reliquiæ adhuc extent. Quis autem credat Chriſtum voluiſſe ſolius Ioannis, ſibi dilectiſſimi, corpus latere in terris ſine omni honore & veneratione? Itaque ſicut Maria & Ioannes fuerunt Chriſto ſocii paſſionis, ita juſtè ſunt & conſolationis, cùm Chriſto jam immortalitate veſtiti, ait Thom. Cantipr. l. 2. apum. c. 13.

D.

III. *Ob amorem reciprocum.*

Tertium, Amore reciprocus. Ita teſtatur Seneca cap. 9. cum ait: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama:* Similiter S. Chryſoſt. hom. 13. ad populum ait: *Vis laudari, lauda alium. Vis amari? ama.* Sed quomodo oſtendemus Ioannem in amando Chriſto præcipuum fuiſſe? Colligit id S. Hieronymus ex tribus. Primò l. 1. contra Iovin cap. 14. ex eo quòd nuntiante Magdalena Chriſti reſurrectionem, cucurrit unà cum Petro ad ſepulchrum, ſed præcurrit citiùs Petro, & primus ad monumentem venit. Ioan. 20. Id quod ardentioris amoris argumentum eſt.

Secundò in Epitaphio Marcellæ ad Principiam, Quia cæteris & diſcipulis latentibus ipſe in domum Caiphæ intravit, quando Chriſtus ibi ſiſtebatur ad tribunal; & introduxit Petrum in atrium, uti ſentit ibi S. Hieron. Animoſior ergò cæteris fuit, utiq; ob ardentiorem amorem. *Perfecta enim Charitas foras mittit timorem,* ait ipſe 1. Ioan. 4. Petrus ne noſceretur, negavit ſe Chriſti Diſcipulum, tantus alioquin Athletha, qui paulò ante pro Chriſto animam ponere volebat[tantus erat Iudæorum furor cōtra Chriſtum] at Ioannes cùm eſſet notus Pontifici, intravit ejus domum, utique præſentiſſimo ſuo periculo. Quanquam hæc Hieronymi ſententia incerta eſt.

Tertio,

Tertiò, ibidem ex eo, quòd solus ex Christi discipulis Christo sub cruce adstiterit intrepidus, inter furentes milites & Principes Sacerdotum ac Iudæos. Quare si Christus commendat omnes discipulos, quòd permanserint secum in tribulationibus, quanto magis præ cæteris Ioannem? Quid mirum ergò si magis à Christo dilectus fuit, qui magis & in finem eum dilexit? *Ego diligentes me diligo*, ait Sapientia, Prov. 8.

Quid faciendum, ut & tu à Christo diligaris.

Dicet jam aliquis: Qua tandem ratione possum & ego obtinere, ut diligar à Christo? Respondeo, si sequaris exemplum Ioannis in iis quæ diximus, saltem pro viribus. Et primò, cura ut sis bonus; inprimis verò stude innocentiæ, & cura ut servias Deo à tenera ætate: Nam teste Ieremia Thren. 3. *Bonum est viro cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* Noli itaque differre vitæ emendationem usque ad senectutem, ubi parum boni effici potest. Nam uti ingratus est servus senex, qui aliis, dum robustus & juvenis erat, servitium suum impendit: ita etiam coram Deo: nisi quis tarditatem fervore compenset, quod rarò fit & difficulter.

1. Esto bonus.

Deinde stude castitati saltem conjugali, si non virginali: Nam & de illa Sapiens ait: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate? Immortalis est enim memoria ejus, quoniam apud Deum nota est & apud homines*, Sap. 4. Agnoverunt hoc & gentiles, quorum vox erat; *Casta placent superis.* Contrà de fornicariâ dicitur Ierem. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam.* Vbi vox, *tamen*, non obscurè indicat, suscipiendam quidem, sed non cum tanto gaudio, quam si fornicata non esset.

2. Esto Christo similis.

Deinde cura, ut fias Christo similis, Primò in dilectione proximi. Ipse enim dixit Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Curemus similiter quærere & revocare oves errantes. Bibamus etiam pro salute proximi, quandoque calicem amarum, devoremus labores, afflictiones, contumelias, injurias, &c. ut fratres nostros lucrifaciamus.

Deinde in patientia tribulationum. Sic enim S. Ignatius Martyr cùm ex Syria Romam duceretur Leonibus objiciendus dixit: *Nunc incipio fieri Christi discipulus*, q.d. nunc quando sanguinem pro Christo fundere incipio, quasi vivis coloribus pingar, ac Christi similitudinem induam.

3. Ama vicissim Christũ.

Tertiò, Cura, ut vicissim ames Christum. Eum verò amorem demonstra primò per devotionem currendo ad res divinas & præveniendo alios. *Vidisti virum velocem:* ait Sapiens Prov. 22. *in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Secundò per fortitudinem, non timendo adversarios, qui impedire te à bono volunt: *Perfecta* enim *charitas foras mittit timorem.* Itaque vidisti aliquando fratrem tuum peccantem? Vidi, ais: Correxistíne illum fraternâ monitione: Non: quia timui, inquis, ne offenderem illum. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem. Audistíne fortè in plateâ stans, aut in domo, pulsum ad orationem Angelicam? Audivi. Sed flexistíne mox genua ad orandum? Non: quia timui, ne riderer à circumstantibus. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem: & idem dico de frequentatione Sacramentatorum aliisque pietatis exercitiis.

Superest, Auditores, uti piâ & spirituali quadam æmulatione titulum Ioannis nobis quoque comparemus. Arrogarunt sibi Ethnici Imperatores varii varios honorum titulos, magnâ ambitione, exiguo merito, nullo fructu. Alexander Macedo dictus *Magnus*, quòd innumerabiles penè exercitus fudisset, & Reges perdomuisset: Antoninus Imperator cognomen *Pij* accepit, sive quòd socerum fessa ætate, manu sublevarit, sive quòd Adriano sævienti Senatores aliquos surripuerit, sive ob similem causam: Iulius Cæsar *Pater Patriæ* audiit, eoque nomine delectatus est. Trajanus Imperator *Optimus* est dictus, forsitan quòd jurarit neminem bonum virum suo jussu occisum iri. Præclari quidem sunt hi tituli, magna nomina; sed quid hæc ad titulum Ioannis: Illi cum suis titulis ardent in inferno: Ioannes verò triumphat in cœlo. Quare si quem honoris titulum in hac vitâ obtinere volumus, illum omni contentione quæramus, quo Dilecti appellemur Christi.

CONCIO III.

QUI MALE SEQUANTUR Christum.

I. Quidam sequuntur præsumptuosè.
II. Alii tepidè.
III. Alii coactè.
IV. Alii inefficaciter.
V. Alii inconstanter.
VI. Alii cunctanter.
VII. Alii malo fine.

THEMA.

Sequere me, Ioan. ult.

A.

SCire vos arbitror, Auditores, venisse in mundum DEI filium, ut redemptorem, ut præceptorem, ut Ductorem. Vt redemptorem, qui DEO nos reconciliet: ut Præceptorem, qui nos instruat: ut Ductorem, qui nos exemplo suo excitet. De Primo loquitur Isaias cap. 59. *Cùm venerit Sion, (id est Sioni) redemptor.* De secundo cap. 30. *Oculi tui videbunt Præceptorem tuum.* De tertio Michæas c. 5. Prout citatur à sacerdotibus Matth. 2. *Et tu Bethlehem &c. ex te enim exiet Dux &c.* Videtur omnia simul comprehendisse Spiritus S.

Isaiæ cap. 55. cùm ait: *Ecce testem* (fœderis nimirum inter Deum & hominem, seu fecialem) *populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Dimittamus nunc Redemptorem, nec non Præceptorem: Ducem videamus. Sanè quemadmodum Dux undique conscribit milites atque ad se sequendum provocat cum tympano & fistulâ: ita fecit Christus. Totâ enim vitâ suâ, omnibus suis actibus quodammodò clamavit id, quod in hodierno evangelio ait Petro: *sequere me*, ad militiam spiritualem scilicet & regnum cœli expugnandum. Clamavit hoc in præsepio, clamavit in conversatione, clamavit in cruce. Verùm enim verò, quemadmodum contingit sæpè, ut milites conscripti non sequantur ducem, quo modo stipulati sunt, alii sequantur, sed formidolosè, alii inconstanter, alii malo fine &c. ita contingit Christo Duci nostro. Multi eum sequuntur, pauci verò sicut debent, quos nunc in scenam producemus.

B. I. *Quidam sequuntur præsumptuosè.*

Primo. Quidam sequuntur Christum præsumptuosè & suis nimium confisi viribus, uti fecerat antè Christi passionem Petrus: *Quare non possum te sequi modò? animam pro te ponam.* Item: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Rursum: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* Sed paulò post expertus est, Dominum vera prædixisse, & vires suas nullas esse, quando ad primam statim vocem unius ancillæ negavit. Hinc igitur edoctus & cautior factus, posteà non amplius suis viribus credidit, sed humiliter de se sensit, sibi ipsi diffidens, uti patet ex quæstione Domini, quæ hodierno Evangelio immediatè præmittitur à Ioanne: *Petre amas me?* Non enim hoc asserere ex sua scientia ausus est; sed: *Domine tu scis*, inquit, *quia amo te.* Tu, inquit, non ego; quia priùs à seipso deceptus erat. Evenit igitur hic Petro, quod antiqui scripserunt, vel finxerunt potiùs de Icaro, qui unà cum patre è Cretâ Insulâ fugiens, fretus alarum præsidio, cum ultra patris jussa altiùs evolasset, solisq; ardore cera, qua pennæ continebantur, liquefacta esset, ita ut ab alis deflueret, decidit in mare. Fabula ex eo orta videtur, quòd cum Dædalus à Creta navigio fugisset, Icarus filius patrem simili navigio secutus est, sed pater quidem aspirantibus ventis ad portum venit & evasit, filius verò cum alto nimis mari se se commisisset, ruptis velis ac nave interiit. Ergò Petrus etiam, cùm iturum ad passionem & crucem Dominum, suis præfisus alis seu viribus, sequi contenderet, monente interim Domino, ne altè nimis evolaret, id est, de se nimium præsumeret, dum consiliũ non observat, primo statim ingressu in atrium sacerdotis ad vocẽ ancillæ territus, liquefactis quoddammodò pennis confidentiæ suæ concidit, & negavit. Idem contingit omnibus, qui suis nimium fidentes viribus, Christum sequi volunt, seu ad virtutum progressum, seu ad patiendum, seu ad salutem consequendam. Et sanè multi reperiuntur, qui tametsi vitam non optimè instituerũt, nihilominùs sibi cœlum securè pollicentur, & absque ullo timore abeunt ex hoc sæculo ad judicium, velut ad epulas invitati. Alii nimis temerè se ingerunt in tentationes & alto credunt mari. Quibus ego timeo, ne illi de alto decidant, hi in alto pereant; cum habeant alas cereas, id est, vires debiles.

C. II. *Alii tepidè.*

Secundo. Alii tepidè & à longè cum eodem Petro Matth. 26. qui propterea fortasse paulò post negavit, quia Christum tepidè & à longè secutus fuerat. Qui enim fervorem remittunt & spernunt modica, paulatim decidunt. Et Christus cuidam Episcopo scribit per Ioannem, Apoc. 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Incipiam*, inquit, *evomere*; non evomui; quia per oscitãtiam meretur homo paulatim destitui Dei gratiâ: qua præservaretur à lapsu. Quamdiu S. Petrus Christo proximè adhæsit, securus à lapsu fuit. Vbi se elongavit, cadere cœpit. Quid est autem proximè Christum sequi, nisi magno amore sequi? Amor enim nos rei amatæ jungit, sicuti amoris frigus separat nos ab eadem. Et quemadmodum qui alium à longè sequitur, facilè ejus aspectum amittit: ita si Christum à longè sequaris, corde scil. tepido, citò ille tuum effugiet conspectũ, ac proinde facilè in imitatione ejus deficies. Et ita evenit Petro, qui in nocte sequens Christum remotiùs, citò eum perdidit, citò abnegavit. Scimus ex libro Deut. c. 25. Amalecum occurrisse Israëli in deserto peregrinanti, & extremos agminis ejus, qui lassi residebant, cæcidisse. Et quid aliud expectare à maligno hoste possunt, qui in ista, qua ex mundi hujus Ægypto ad promissas cœlorum sedes tendimus, viâ, per socordiam & torporem extremi esse volunt? Sanè Lutheri tempore extremos agminis, id est, tepidos Christianos percussit Amalec (qui exponitur lingens) hæresis scilicet Lutheri. Non tam attendit DEVS, quanto tempore quis eum sequatur, quàm quanto cum fervore; ut videre est in parabolâ operariorum, ubi postremi, qui horam tantum labori impenderunt, primi facti sunt ad mercedem. Scimus milites ad fistulæ & tympani ac tubarum modulos vocari, & duci ad militiam & prælium, *ut sit exploratior omnium securitas & alacritas*, ait Aristoteles in Problem. Gell. lib. 1. cap. 11. Scimus etiam DEI jussu exclusos à militia formidolosos, Iud. 7. Viderint ergò tepidi, ne & ipsi tandem ab eo evomantur.

D. III. *Alii coactè.*

Tertio, alii coacti & compulsi servili timore, quomodo Simon Cyrenensis angariatus & compulsus à militibus tulit crucem post Iesum; qui si milites abscessissent aut compellere desiissent, mox abjecta cruce Iesum reliquisset & viam suam repetiisset. Idem videre est in jis, qui metu pœnæ tantum faciunt quæ debent. Vbi enim cessant verbera vel minæ, cessat & progressus ad mandatorum observationem. Hæc est differentia inter motum violentum & naturalem, quòd res motæ priori modo, cùm totus motus procedat à virtute impressa, quantò longiùs feruntur, tantò lentiùs & debiliùs

(ut

(ut palàm fit in lapide sursum projecto) cessante demùm impetu seu vi lapidi impressa, deorsum lapis recidit; at res motæ posteriore modo, quantò pergunt remotiùs, tantò feruntur celeriùs, (ut patet in eodem lapide ex aëre decidente.) Idem est discrimen inter eos, qui timore pœnæ & inter eos qui Dei ac virtutis amore Christum sequuntur. Illi enim tamdiu progrediuntur, quamdiu durat increpatio aut increpationis metus: Isti verò in progressu magis magisque proficiunt. Rem hanc exemplo declarat sibi noto & familiari S. Gregor. Papa hom. 38. in Evang. scribit enim patrem suum habuisse tres sorores, quæ omnes sacræ Virgines erant, quarum una Tarsilla, altera Gordiana, tertia Æmiliana vocabatur. Hæ simul in propria domo regularem & socialem vitam ducebant. Verùm cùm Gordianæ mores essent dissolutiores, non deerant germanæ eam increpantes. Ergò quamdiu illa à sororibus arguebatur componebat se ad morum honestatem. *Sed cùm ejusdem correptionis hora transisset, transibat protinus, & superducta gravitas honestatis, moxque ad levia verba redibat*, ait Gregor. Tandem duabus illis germanis ad cœlestem gloriam è vita avocatis, Gordiana mox ut solam se remansisse reperit, oblitâ timoris & consecrationis suæ rediit ad sæculum & conductorem agrorum suorum duxit in maritum. Multi sanè tales, qui quamdiu arguuntur, vel ad bonum impelluntur vel à peccatis præpediuntur, faciunt officium suum, servant mandata Dei & Ecclesiæ: cessante illo impulsu cessant ab instituto.

C. II. *Alii tepidè.*

D. III. *Alii coactè.*

E. IV. Alii inefficaciter.

Quarto, Alii inefficaciter, qui volunt & non volunt, juxta id Prov. 13. *Vult & non vult piger.* Volunt finem, sed non media. Cujusmodi fuisse videtur scriba ille, Matth. 8. dicebat Christo: *Magister sequar te, quocunque ieris.* Sed respondet Dominus, sectandam ei esse paupertatem, si velit ipsum sequi: *Vulpes foveas habent*, inquit, *& volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*, id est, non habet vel pulvinar in quo dormiat. Cupiebat ergò hic scriba sequi Christum, forsitan ut cum in ipso sederet aliquando in regno ejus, quemadmodum filii Zebedæi, sed nesciebat sectandam sibi esse paupertatem. Qua difficultate absterritus esse videtur; nihil enim ultra respondit: quod tamen fecêre filii Zebedæi, qui ante regni possessionem priùs invitati ad calicem passionis, responderunt: *Possumus*: Filii Israel audientes fertilitatem terræ promissæ, perrexerunt magno animo ad eam possidendam. Sed ubi audierunt morari ibi gigantes, cum quibus sit pugnādum, & senserunt itineris difficultatem; noluerunt ultra progredi, Num. 14. Itaque triumphare volebant & dividere spolia, sed pugnare renuebant. Magni profectò milites! Aliud edocuit suos milites Rex Persarum Cyrus, quemadmodum scribit Xenophon. Iussit enim eos pergere in sylvam ibique toto die coëgit ligna cædere ad sudorem usque: postero die omnes convivio excepit, splendido & oppiparo; deinde ex eis quæsivit, uter eis dies videretur esse melior; hesternus, an hodiernus? Responderunt omnes, hodiernum utique cum pridianus dies fuerit laboris, *hodiernus verò gaudij*: Tum Cyrus: *si talem ergò diem perennem, vultis habere, priùs vobis certandum est: ita enim per labores transibitis, ad gaudia.* Tibi Christiane dictum hoc existima, *Tu enim Christiane*, ait S. Chrysost. serm. de Mart. tom. 3. *delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare.*

F. V. *Alii inconstāter.*

Quinto, Alii inconstanter, qui benè quidem incipiunt, ingruente verò tentatione retrocedunt; similes illi adolescenti, qui sequebatur Christum comprehensum: sed quousq; ? donec apprehenderetur & ipse à militibus. Tunc enim *abjecta sindone nudus profugit ab eis.* Marci 14. In eodem periculo fuit ille, qui dicebat Christo: *sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his quæ domi sunt.* Respondit enim ei Dominus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Luc. 9. Ergò cœperat is jam sequi Christum, saltem quoad effectum & votum, ac nisi à Christo tentus fuisset, retrò respexisset: sed *sed quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi?* ait S. Bernard. Ep. 253.

Ezech. 9. jubet Deus servos & milites suos signari litera Tau, quæ ultima est Hebræis & consummationem ac finem significat, quemadmodum ω apud Græcos; quasi per hoc insinuans illis id Apostoli 2. Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* Legitimè, id est, perseveranter usque ad finem, ut reponit Author serm. ad fratr. in Eremo apud Aug. serm. 8.

G. VI. *Alii cunctanter.*

Sexto, Alii cunctanter quemadmodum ille, qui audiens se à Christo vocatum voce illa: *sequere me*; respondit: *Domine permitte mihi primùm ire & sepelire patrem meum.* Cui Dominus: *sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuncia regnum Dei*, Luc. 9. si enim abiisset ille domum, periculū erat, ne vel ab amicis spiritualiter mortuis perverteretur, vel hæreditate paterna illectus à Christi sequela averteretur. Hunc in modum *omnis peccator dicit: aliquando Deum sequar, sed non modò* ait S. Aug. l. 8. confess. Non sic Matthæus: non sic piscatores ad sequelam Christi vocati. Continuò enim omnibus relictis Dominum secuti sunt.

H. VII. *Alii malo fine.*

Septimo, Alii malo fine. Vel enim lucri & alicujus commodi gratia, uti Iudas proditor, qui furabatur ex Christi loculis: & ii, qui ob refectionem à Christo sibi exhibitam, eundem sequebantur, Ioan 6. Vel ex curiositate; quæ videtur movisse Petrum, ut Christum à Iudæis comprehensum per aliquod viæ spatium securus sit, ut videret finem, ait Evangelista; non ut cum eo pateretur. Nos igitur Christiani: ne simus hujusmodi milites. Vultin videre bonos Christi milites? Petrum & Ioannem aspicite: hic

hic ad ferventis olei dolium, ille ad crucem usque Dominum secutus est.

CONCIO IV.

DE QUINTUPLICI GENERE Curiosorum.

I. Quidam ea, quæ supra se, contemplantur.
II. Alii quæ infra se.
III. Alii quæ retrò se.
IV. Alii quæ ad dexteram.
V. Alii quæ ad sinistram.

THEMA.

Quid ad te? tu sequere me, Joan. 21.

A. QVi angustum pontem transit, si oculos deflectat, citò & facilè cadit. *Angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Arctus est pons, (Crux) quem hodie transeundum Christus Petro prædixit: *Sequere me*, dixit, sed ecce tibi Petrus mox deflectit à cruce oculos. Conversus enim vidit Ioannem & dicit Iesu: *Hic autem quid?* Vnde à Domino corrigitur, auditque: *Quid ad te? tu me sequere*, q. d. Quid ad te quæ foris sunt? ad me aciem dirige: ad crucem attende. Ita nimirum sunt quam plurimi dum ad alia attendunt, sui met obliviscuntur, adeoque à via salutis suæ graviter aberrant. Alii enim sursum, alii deorsum, alii ad dexteram, ad sinistram alii oculos deflectant, & omnes à Christo & scopo salutis suæ deviant per curiositatem. Ita sanè Israëlitæ in deserto, qui dummodò sursum aspiciunt petentes à DEO carnem & aquam: Modò retrorsum, petentes regredi in Ægyptum ad ollas carnium, &c. Modò ad latus, considerando & carpendo Moysen & contra eum murmurando: Modò deorsum, optando mortem, &c. Iusto DEI judicio per 40. annos in deserto traducti sunt, cùm possent alioquin non multis septimanis iter id peragere: nec plures quàm Iosue & Caleb in terram promissionis pervenerunt. Ita etiam traditores illi qui accusaverant Danielem, *curiosius* (ut dicitur Danielis 6.) *inquirentes*, & invenientes eum orantem & obsecrantem DEVM suum arrepti sunt à Leonibus, antequam ad eos prorsus demitterentur. Contrà verò Daniel, qui orabat, illis tantùm fenestris apertis, quæ contra Ierusalem versus templum erant, ac per hoc typus humilium fuit, qui ad Christum tantum non aliorsum collimant, illæsus permansit. *Videte igitur fratres mei quomodo cautè ambuletis*, uti monet nos Apostol. ad Ephes. 5. Quod ut fiat, consideremus eos, qui curiosè ambulant.

B. I. Primo, Aliqui sursum dirigunt oculos, & superiora se curiosè considerant, quales sunt res fidei difficiliores, DEI consilia, &c. Quàm multi sunt, qui nimium curiosè scrutando fidei secreta ad hæresin deflexêre? ut meritò dixerit Theophylactus in c. 18. Lucæ, Curiosum & semper interrogantem non prorsus liberari ab incredulitate: Multi etiam arcana Dei, quæ sibi reservavit, indagant, imò judicare præsumunt. Quid ad te ista? *tu me sequere.* De ejusmodi enim rebus, si quando rogabatur Socrates, respondebat: (ut refert Laërt. & Gellius) *Quæ supra nos, nihil ad nos*; volens indicare insufficientes & infantes nos esse ad ea intelligenda. Si enim in solis aciem recta intendere non possumus, quin statim offendantur oculi & hebescant: Quomodo superiora dignoscemus? Hinc uti Zeno Zitticus puerum curiosiùs quædam ab eo indagantem, quàm ætas illa ferret, duxit ad speculum, utque se contemplaretur, admonuit rogans, an viderentur tali vultui convenire tales quæstiones? ita ego te quisquis es adducam ad solem, & si in illius intuitu nutant oculi tui; quanto magis nutabunt consideratione sublimiorum? Dico etiam, si quæ in terris ante oculos sunt, sæpè nō providemus: quomodo superiora? Hinc meritò illusit ancilla quædam Thaleti sydera contemplanti, & interim in foveam cadenti, dicens, meritò id illi accidisse, qui cū quæ ante pedes essent ignoraret, cœlum contemplaretur ut cognosceret. Antonius in Melissa p. 2. ser. 77. Hujusmodi enim curiositates & scrutantibus noxiæ sunt, & Deo invisæ. Vt enim lucipetæ dum lumine nimium delectantur, & cum eo quasi ludunt, tādem incautè in id irruunt, inviscantur ac comburuntur: ita qui altiora se curiosè scrutantur. Ideò Prov. 25. dicitur: *qui scrutator est majestatis opprimetur à gloria.* Quomodo opprimetur? sicut infans nimiæ solis luci expositus (ut experientia probat) facilè fit luscus aut penitus excæcatur, quia visus hebetudo nimio splendore opprimitur. Vel sicut qui in fodinis scrutatur aurum, & cùm altiùs foderit, à corruente fossa opprimitur. Deinde Deo invisa est ejusmodi scrutatio. Euclides rogatus à quodam, quales essent Dii: *Cætera quidem ignoro*; respondit: *curiosos autem illis odio esse certò scio.* Maxim. serm. 21. simile est, quod S. Aug. l. 21. confess. c. 12. de quodam recenset, qui interrogatus, quid Deus fecerit antequam cœlum faceret & terram: *Alta*, ajebat, *scrutantibus gehennas parabat.* Certè Num. 4. expressum Dei mandatū plebi datur: *Alii nullâ curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur, alioqui morientur.* Hinc cum Bethsamitæ viderent arcam ad se venientem, curiosiùs nimirum introspicientes, percussi sunt à Domino ad 70. viros & 50000. plebis, 1. Reg. 6. Involvuntur res sacræ scripturæ, cùm per patrum sententias explicantur, & ita licet eas contemplari, nudas verò nequaquam, hominibus inquam indoctis, qui ibi exprimuntur voce: Alii, id est, vulgus. Sed neque sacros Ecclesiæ ritus dijudicare, aut curiosiùs rimari decet proprio sensu, ipsi enim involucra sunt sacrorum mysteriorum.

Quidam ea quæ supra se, contemplantur.

Secundo.

C. II. *Alii quæ infra se.*

Secundo. Alii ad ea attendunt, quæ infrà se sunt, nugas & inutiles res instar puerorum, *quibus non tam placent solida quàm picta*, ut ait Chrysost. in prolog. super Matthæum: *Quique potiùs pulchra quam utilia sectantur, nec tam agentia diligunt, quam sonantia.* Tali curiositate agebatur, qui Catonem consulebat, quid ostenti esset, quod sorices ejus arrosissent caligas? Qui respōdens, nihil id esse ostenti, ajebat: Ostentum autem futurum, si sorices arrosissent caligæ. Pontan. in Att. Bellar. tit. de salib. Simili curiositate tenebatur, qui Thaletem rogans, nox an dies prior fuerit; responso simili elusus est: *Nox uno die prior fuit.* Tali Herodes, qui cupiens videre signum à Christo, interrogabat eum de multis, scilicet curiosis & impertinentibus. Ideò Christus ei nihil respondit Luc. 23. Sic etiam Iacob cum Angelo luctans, cùm petiisset ejus nomen, rem impertinentem & curiosam, non obtinuit: benedictionem verò ejus vice obtinuit: quam paulò ante petierat, Gen. 32. Tales, qui omnes domos, urbes, nationes pervagantur non tam ut discant, quàm ut videant, interim cœlum non animum mutant, juxta id Proverb. 17. *Stultorum oculi in finibus terræ.* Quos S. Augustinus in Psal. 8. comparat piscibus, qui perambulant semitas maris, id est, inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia, quæ tanquam semitæ in mari tam citò evanescunt & intereunt, quàm rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit. Hæc Aug. Vt enim plurima viderint, non plus utilitatis secum auferunt, quam vestigii relinquant. Sunt enim veluti pisces illi Thynni, qui merâ curiositate navium ducti, easdem in mari mirâ quadam dulcedine, ut ait Plin. lib. 9. c. 15. per aliquot horarum spatia comitantur: quò fit ut à nautis facilè tridentibus feriantur. Simili modo, qui omnia mundi spectacula sectantur, à diabolo, qui mundum hunc pernavigat, tridente, concupiscentia scilicet oculorum; vel carnis, vel superbiâ vitæ, facilè capiuntur. Notavit hoc Esdras, lib. 4. c. 4. dicens: *Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis.* Quid tum postea, ais? Multum sanè: si enim frequenter miraberis in vanitatum contemplatione, frequenter in iis insistes & hærebis. (Mirantes enim subsistere & hæsitare super re ignorata solent) atque ita fiet ut facilè inescêris à concupiscentiis mundi abstractus & illectus. Sic enim leporem, balistâ ut trajiciat venator, cùm currentem videt, fistulam certam inflat, mox lepus stat attonitus & quasi miratur, seque in posteriores pedes erigit circumspiciens, interim globo trajicitur. Sic nimirum & curiosus dum mundi vanitatibus ceu inani sono distinetur, facile à Dæmone intercipitur. Qui hoc ad oculum videre cupit, ad scripturæ campum eat. Et inveniet inprimis tali hæsitatione seductam Evam. Sibilat serpens ille antiquus, & Venator pessimus ad lepusculum, Evam: *Cur præcepit vobis Deus; ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* cui respondit mulier, Ecce jam moratur, jam assurgit lepus, jam miratur & stat attonita Eva. *Vidit igitur quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit.* Ecce ictum, ecce vulnus & mortem Gen. 3. simili curiositate captus est lepusculus alter, Dina, Gen. 34. quæ egressa ut videret mulieres nationis peregrinæ, rapta, atque oppressa est. Quæ, si non stetisset in rei vanæ contemplatione, vitiata non fuisset. Itaque quia via nostra undique obsessa est, ne miremur, ne sistamus. Subjungit Esdras: *quoniam festinans festinat sæculum pertransire.* Quando temporis necessitate urgemur necessaria tantùm curamus, ad reliqua non attendimus; Vt *qui in agone currit aut cum altero contendit, ab omnibus se abstinet*, ait Paulus 1. Cor. 9. id est, ab impertinentibus ad cursum & pugnam, uti vestes abjiciendo, non tantùm non alieno se onerando.

Iam sicut meritò insanus censeretur, qui pro præmio maximo & certissimo currens vagaretur & undique diverteret, aut qui duello certans, aërem tantùm verberaret: Ita quoque, qui sciens tempus breve & periculum in mora esse, inepta & aliena agit. Ideò mox subjungens ait Apostolus 1. Cor. 9. *Sic curre, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans.* In incertum pugnat, qui non cogitat vel non credit quantum sit vincentibus propositum præmium, unde in cursu statim cessat & aliud agit, uti fit cùm pueri sine spe præmii currunt. Aërem verberat, qui rebus curiosis studet & inanibus. Atqui ô cursores & pugiles, & præmium vobis propositum est & tempus breve est. *Reliquum est igitur*, ut Apostolus 1. Cor. 7. ait: *Vt qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Quòd si eorum etiam oblivisci debemus, quorum vix possumus, quia nostra sunt: quantò magis deserendæ nugæ & curiositates? sed hominem Ethnicum etiam audiamus Senecam epist. 16. *Demens omnibus meritò*, inquit, *viderer, si cùm saxa in munimentū murorum senes & fœminæ congererent, cùm juventus intra portas armata signum eruptionis expectaret, cùm hostilia in portis tela vibrarent, & ipsum solum suffossionibus & stimulis tremeret, sederem otiosus & hujusmodi quæstiunculas proponens: Quod non perdidisti habes, cornua non perdidisti, cornua ergo habes. Nunquid tibi demens videar, si istis impendero operam & nunc obsideor? quid agam? mors me sequitur, vita fugit.* Hæc Seneca admodum Christiane. Quid enim in hoc mundo cernimus, nisi ab hostibus undique nos circumdari? Et vacabit igitur alicui inter hæc nugari? vagari, &c.?

D. III. *Alii quæ retro se.*

Tertiò, Retrospiciunt alii velut monstra illa hominum de quibus Plin. lib. 7. cap. 2. qui habent oculos in humeris. Retrò nos sunt tum præterita tum futura, quorum neutra jam videntur, sed utraque à tergo sunt. Præteritum fugit à nobis, futurum sequitur. In utroque sunt curiositates: occupantur alii circa futura, & hi vel per media illicita, uti

uti per Necromantiam, & de his alibi. Vel inaniter solum & curiosè, ut qui de tempestatibus futuris conjectant, vel de aliis eventibus soliciti sunt. Canis ille Æsopicus, dum frustum carnis in aqua quærit, perdit id quod in ore habuit. Sic qui in ludo vulgari, ad infernum (ut vocant) eunt, expectant semper meliorem in commutatione chartam & pejorem plerumque accipiunt; Et sic itur ad infernum, nam diabolus spe futurorum eripit tibi præsens. Vt enim è currente flumine tantum habes, quãtum hauris, ita ex tempore prætereunte nihil habes nisi in quantum præsenti uteris. Lubricum est tempus, & nisi capite id apprehendas, prorsùs elabetur. Ideò velut cœci tempus apprehendere debemus, quamprimum scilicet id habemus: si cœco baculum præbeas ut ei ducatum præstes, quâ primum parte potest, eum apprehendit, quia nescit quàm longus sit: oculatus alius apprehendit in extremitate. Vnde Actor. 1. quærentibus discipulis, *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* ait Dominus: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta.* Vbi notandum, quod ait tempora vel momenta: nescimus enim utrum supersit nobis tempus, an momentum tantummodò unum. Dum enim aliqui expectant tempus, momentum eis vix superest. Alii præterita rimantur, nova undique conquirunt & investigant, quid hic vel ibi factum sit fiatque. Ita retrospexit uxor Loth, volens scire quid fieret in Sodoma. Vnde monetur ab Angelis: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac*, Gen. 19.

E. IV. *Alii qua ad dextram.*

Quartò, Alii ad dexteram obtutus suos figunt: qui novorum curiosi circa alios tantùm occupantur, eos considerant, licet non sinistrè, de aliis multa audire & intelligere cupiunt & seipsos negligunt. Tales dixit Paulus esse Thessalonicenses 2. Thessal. 3. *Ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosiùs agentes.* Tales etiam ait esse viduas illas juniores 1. Tim. 5. *quæ otiosè discunt circuire domos: non solùm otiosæ sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Tales & Athenienses Actor. 17. cupientes à S. Paulo audire tantum nova, *qui ad nihil aliud vocabant* (ut dicitur ibi) *nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Quales rectè Plutarchus in moralibus coriariis comparat & piscatoribus, qui semper optant pecorum proventum & piscium: sic curiosi novarum rerum commotionem, ut habeant quod venentur. Sed S. Hieronymus in Epistol. de duobus filiis, dæmonum cibum vocat ejusmodi sæcularem scientiam, qui uti non esuriunt, ita nec satiari ejusmodi curiositatibus hominum possunt. Cretensium lex fuisse memoratur, quâ vetabatur ne quis obvium peregrinum interrogaret, unde veniret, quis esset, quidve peteret: ac qui contra faceret, virgis cæderetur: ut hoc modo curiositatem hominum impedirent. Sanè Christus etiam Luc. 10. mittens ad prædicandum discipulos, præcipit: *Neminem per viam salutaveritis.* Nimirum, ut ne occuparentur in hominum salutationibus & curiositatibus, ait Theophylactus. Quod item Elisæus servo suo præcepit, 4. Reg. 4. Item Ecclesi. cap. 3. *De re, quæ te non molestat, ne certaveris, & in pluribus operibus ejus ne sis curiosus.* Alii totos se dedunt, ut aliis consulant, se ipsos interim deserunt: similes aliquibus, qui quæ procul sunt, optimè vident, non item quæ propè. Dum de Ioanne cogitat Petrus: *Hic autem quid?* respondetur à Christo: *Quid ad te?* Balaam, ut dicitur Apoc. 2. docebat Regem Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere & fornicari, ut sic gladium illorum evaderet, & interim sibi non consulit, quia, ut habetur Num. 31. gladio eorum occubuit. Similes isti sunt Divinatori illi, qui, ut est in fabulis, dum in foro responderet consulentibus: subitò nunciatur ei, domum ejus patere & supellectilem omnem direptam esse. Cui mox domum properanti insultabat obvius: *Heus tu*, inquiens, *cum alienarum rerum prædictionem profiterere, cur tuam negligebas?* Tales sanè quam plurimi.

F. V. *Alii qua ad sinistram.*

Quintò, Ad lævam alii respiciunt, qui nimirum aliena tantùm vitia carpunt, sua non considerant. Modò culpant Magistratum, modò clerum, modò hanc vel illam familiam, &c. & ob id primò seipsos negligunt. S. Bernard. de interiori domo c. 43. ait: *Tamdiu quisq; sua peccata ignorat, quamdiu curiosè aliena considerat.* Quò fit ut ipsi animæ suæ detrimentum patiantur. Domino manente in domo sua, omnia rectè habent, & omnes faciunt officiũ suum: illo exeunte omnia pessum eũt. Sic ratione se ipsam colligente & se considerante, faciunt sensus & cogitationes officium suum, aliàs secus. Esau sæpe egrediebatur foras. Iacob non item. Audi Bernard. de gradibus humilitatis. *Si te*, ait, *vigilanter homo attendas, mirum est, si ad aliud unquam intendas.* Et paulò post. *Quum enim à te curiosè recedis, cui te interim committis?* Et de conversione ad Clericos c. 12. ait: *Certè nihil in homine, cui curiositas prosit, invenies. Frivola prorsùs & inanis ac nugatoria consolatio, & nescio quid illi duriùs imprecer, quàm ut semper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur*, hæc ille. Deinde curiositas ista in se turpis est & odiosa hominibus. Turpe sanè alienam ingredi domum non petita priùs licentia nec pulsatis foribus, qua de causa Solon Atheniensibus legem dedit, ut ad singulas ædium fores singuli penderent mallei, quibus ædes priùs pulsarentur ab ingredientibus, & contravenientes pro furibus haberentur. Notent hoc, qui alienas literas reserant & legunt. Ideò enim seratæ & sigillo munitæ sunt, *ne tu scires*; uti respondit quidam bajulus sciscitanti, *quid sub velo gereret*, apud Plutarch. Similis lex continetur Deut. 24. ut repetentes rem suam commodatam, ne ingrederentur domum illius, sed foris expectarent: quia nimirum, ut Rupertus ibidem explicat, mala proximi suspicari non debemus. Xenocrates ajebat nihil referre,

referre, utrum pedes an oculos inferas in ædes alienas, Laërt. lib. 4. c. 2. Et Eccles. 29. dicitur: *Vita nequam hospitandi de domo in domum.* S. Bernardus in quodam sermone ait: *Curiosus foras egreditur & exterius omnia considerat; qui sic, interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit.* Indignamur institoribus & portitoribus, quòd aliena scrutentur vasa & merces, cùm lex id eis præcipiat, & ni faciant, damnum facturi sint: multò magis succensendum iis, qui non ex officio sed mera curiositate jus Magistratus sibi arrogant & negotia aliena scrutantur. Certè plurimi tales sunt institores, qui neminem transire ferè patiuntur, quin vectigal aliquod ab eo auferant, id est, videant quod carpant. Ephrem Diaconus, qui cùm Edessæ cibum sibi coqueret, à muliercula probrosa de fenestella prospiciente irrisus est, dicente: *Benedic Abba: quid deest tibi?* Et ille: *Tres lateres*, inquit, *ac parum luti, ut hæc fenestra obstruatur*, Pont. in Attic. Bellar. de Apophteg. Episcopum etiam Sisinnium bis in die lavari solitum, carpebat curiosulus rogans, cur cùm esset Episcopus, bis in die ablueretur? sed respondit Episcopus stulto secundum stultitiam suam, *quia temporis*, inquit, *excludor angustia, ne tertiò laver.* Memini me audisse à magnæ authoritatis viro, Florentinæ civitatis senatores munditiei urbis suæ consulturos decrevisse: ut præ foribus domûs suæ verrat unusquisque. Quid nî sanum sit hoc consilium, quod etiam Apostolus dedit Thessalonicensibus epist. 1. cap. 4. dicens: *Vestrum negotium agatis?* Ita prorsus mundam & beatam judico eam civitatem, ubi sua quisque curat. Quod si igitur hoc obtinere & pontem crucis transire volumus, oculos nostros coërceamus & ab his curiositatibus deflectamus. At dices: nullóne pacto aliorsum spectare licet; licet sanè, sed alio fine: sursum vide, ut videas cœlestem præmiatorem, qui dat mensuram confertam & coagitatam iis, qui se potiùs quàm alia curant. Infrà vide infernum paratum curiosis sui neglectoribus. Retrò, tua peccata, ùt ea per pœnitentiam deleas. Ad dexteram, bona exempla piorum, ut ea imiteris. Ad sinistram, peccata malorum, ut vel pro iis ores, vel si potes eos corrigas & ad viam Regiam crucis reducas. Amen.

CONCIO V.

CUR BENEDICATUR ET BIBATUR vinum benedictum, ut vocamus, *S. Ioannis.*

I. In signum amoris.
II. In confortamentum animæ ad patiendum.
III. In sanitatem nostram.
IV. In cautelam ebrietatis.

THEMA.

Hic autem quid? Joan. ult.

A.

Nisi adeò mihi perspecta & multimodè probata esset fides S. Petri, dicerem illum in hodierno Evangelio ex olla Lutheri vel Calvini aliquid degustasse; adeò Patheticè repræsentat hæreticorum nostrorum morem in illa sua curiosa interrogatione: *Hic autem quid?* Quidquid enim nos Catholici agamus, mox adsunt illi & quærunt: Hic autem quid? Instituimus Litanias & Processiones, & mox dicunt: Hæ autem quid? Benedicimus candelas & accendimus in templo; Et illi: hæ autem quid? Benedicimus cineres & iis nos aspergimus; & illi: hi autem quid: Benedicimus & gestamus palmarum ramos; & illi: hi autem quid? Benedicimus aquam & salem; & illi: hæc autem quid? Hodierna die benedicimus vinum & bibimus ad amorem S. Ioannis; Et ipsi dicunt: hoc autem quid? Nimirum hoc quæstionandi & carpendi genus didicerunt à malo Genio, qui primis nostris parentibus objecit: *Cur præcepit vobis DEUS ne comederetis de omni ligno?* Respondendum igitur illis est, sed quemadmodum Sapiens dixit Prov. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi Sapiens esse videatur.* Nam & Dominus Petro curiosè interroganti ita respondit, ut Petrus & cæteri discipuli, præter Ioannem, responsionem non intelligerent, quia non ipsos, sed Ioannem tantum attinebat.

B. I. *In signum amoris.*

Primo. Bibimus, ô hæretici, hoc vinum ut mutuam inter nos contrahamus fraternitatem. Wir trincken auff die Brůderschafft: siquidem ut videtis omnes ex eodem poculo bibimus. Seriò: bibimus vinum hoc benedictum in signum fraternæ dictionis, siquidem S. Ioannes bibit poculum vini venenatum, ob eandem causam, ut scilicet Pontificem Idolorum Aristodemum, & cum eo ingentem populum infidelium ab Idololatria converteret ad fidem. Nam ut scribit S. Isidorus de patribus novi testamenti, cap. 74. Et Petrus de natalibus Episcopus in catal. SS. cap. 7. Cùm Aristodemus ei diceret, se tum demum fidem amplexurum, si Ioannes ebibisset poculum vini venenatum sine læsione: conditionem alacri animo accepit Ioannes: Verùm ut constaret veneni vehementia, Aristodemus petiit priùs à Proconsule duos capitis reos, quibus venenum Ioanni prælibandum dedit: qui paulò post inde extincti sunt. Tunc itaq; venenum bibit S. Ioannes & quidem sine ulla læsione: Nec hoc tantum, sed eodem etiam poculo duos illos extinctos reos ad vitam restituit, teste Isidoro uti supra. In quâ re cernimus dilectionem proximi in Ioanne fervente, causam fuisse, cur ille venenũ ebiberit. Hujus igitur dilectionis admonemur hodie ab Ecclesia, cum vinum hoc nobis proponitur, ut videlicet communi hoc potu sacro quasi cõfœderati, cùm commoditas aut necessitas aliqua occurrit juvandi proximum,

 parati

parati ſimus quaslibet amaritudines devorare, & cũ periculo etiam vitæ ſalutem ejus procurare. Hoc eſt quod S. Ioannes diſcipulis ſuis toties commendavit uſque dum inferretur ſepulchro: *Filioli diligite alterutrum.* Vidimus * alibi ejuſdem Apoſtoli factum, quo juvenem è diſciplina ad latrocinia dilapſum ingenti amore reduxit. Quouſque verò diligendi proximi ſint, expoſuit in 1. ſua Epiſtola cap. 3. dicens: *Quoniam ille (DEVS) animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* S. item Aug. l. de mendac. 6. *Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*; Chriſti videlicet exemplo, qui ſui morte corporis mercatus eſt nobis vitam æternam. Quam dilectionem imitatus S. Franciſcus Xaverius dicebat, ſe nihil magis in votis habere quàm ut Sinarum ſalutem ſua morte repræſentaret. Et puella illa Alexandrina, licet gentilis adhuc, apud Ioan. Eviratum in prato ſpirituali c. 207. quæ parentibus orbata, homini ſuſpendium ſibi ob debitorum multitudinem machinanti, totum patrimonium ſuum donavit, ut eum à ſuſpendio revocaret. Quæ propterea ad mendicitatem redacta cum baptiſmum peteret, nec patrinum obtinere poſſet, angelum patrinum ſortita eſt, in præmiũ tantæ ſuæ dilectionis: Similiter temporalem proximi vitam bonis fortunæ conſervare debemus, & quandoque etiam ei poſtponere ſpiritualem noſtram commoditatem, quando ſcil. hæc nobis neceſſaria non eſt: quia *miſericordiam volo*, ait Dominus, *& non ſacrificium.*

* ſupra conc. I.E.

C. II. *In confortamentũ animæ ad patiendũ.*

Secundò: Vt hac quaſi illecebra diſcamus vinum bibere & poculis reſpondere. Crediderim hîc hæreticos facilè ſe nobis adjuncturos, ſi modò benedictionem non adderemus vino: ſed nos Catholici aliter rem intelligimus. Cùm enim ſciamus Chriſtum Ioanni aliquando propinâſſe calicem paſſionis, ſi ad ejus latus ſedere vellet in cœlo, & D. Ioannem pro gloria illa & amore Chriſti venenatum ebibiſſe poculum, hoc eodem potu benedicto monemur ab Eccleſia, ut ſimiliter pro amore DEI & cœleſti beatitudine nihil non audeamus amaritudinis exhaurire. Reſponderunt Chriſto primò Apoſtoli, de quibus S. Auguſtinus in l. ſoliloq. c. 22. ait: *Ibat Andreas ſecurus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipſos Apoſtolorum princeps ſic replevit, ut pro ipſa crucis patibulum unus eligeret, alter quoq; caput ferienti gladio ſupponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque guſtanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potavit.* Hæc Auguſtinus. Magni ſunt hi hauſtus, quos Apoſtoli fecerunt: & ſi majorem in Ioanne requirimus, exhauſit ille integrum dolium fervente oleo plenũ, quod propinavit ei Domitianus Imper. quia in id immiſſus fuit. Reſpondere igitur & nos pro modulo noſtro debemus; Tametſi noſtri calices longè mitiores ſunt calice Ioannis & Apoſtolorum: ſic hoc vinum benedictum longè differt à vino, quod Ioannes bibit. Calix noſter paupertas eſt, fames, morbus, injuria, contumelia & quæcunque tandem tribulatio; ad quem exhauriendum invitavit etiam nos ille, qui Ioanni & Iacobo dixit: *Poteſtis bibere calicem?* Matth. 22.

Speciatim verò omnibus nobis, magnus aliquando calix ebibendus eſt, mortis videlicet quem prior exhauſit Chriſtus & nobis propinavit, ſed in noſtra poteſtate eſt eum ſuavem vel amarum facere. Si enim bene vixerimus: *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*; Si autem malè: *mors peccatorum peſſima.* Potes facere ex neceſſitate virtutem, ut libenter pareas ſententiæ in te latæ; & ita offerre Deo vitam tuam in teſtimonium obedientiæ Chriſtianæ. Quoties ergò calicem hunc benedictum bibimus, cogitare deberemus, qua ratione calicem illum mortiferum aliquando bibituri ſimus. Sicut enim vinum alioquin acerbum per herbarum ſuccos vel aromata poteſt condiri & fieri potabile: ſic mors alioquin acerba, condiri & dulcorari poteſt bona vita & operibus præcedentibus, ut ſuavis & jucunda fiat.

D. III. *In ſanitatem noſtram.*

Tertiò, Bibimus in ſanitatem noſtram. Sic enim orat Eccleſia in benedictione hujus vini; *ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis.* Inprimis ergò contra venenatum & quemcunque alium potum noxium ſolet Eccleſia ex antiqua conſuetudine benedicere hoc vinum: imò ad alias etiam corporis & animæ inſidias depellendas. Cùm enim S. Ioannes venenum ſine læſione biberit, non temerè crediderunt veteres, potum ſibi non fore noxium, quem in honore & cum benedictione ſancti Ioannis ſumerent. Nec vanam eſſe hanc benedictionem demonſtravit Deus multis eventibus naturæ vim ſuperantibus. S. Malachias Epiſcopus Hiberniæ poculo benè dicto mulierem à morte liberavit, vita etiam fœtui conſervata, ut ſalvus & incolumis in lucem ederetur, teſte S. Bernardo in ejus vita: VValbertus comes cùm ex equo lapſus in petroſam humum membris conquaſſatis & fœmore contrito præſentem mortem expectaret: & verò è vino ſacrato, quod ei S. Bertinus Abbas miſerat, bibiſſet, eadem hora convaluit; ut eſt in vita S. Bertini apud Surium tom. 5. Adhæc S. Vincentius Ordinis D. Dominici, parum aceſcentis vini in optimum & planè generoſum adhibita benedictione convertit, unde aliquot millia ſitim levârunt. Pauxillum etiam vini, cui benedictionem impertiverat, ſex millibus hominum uberem largumque potum præbuit, Fr. Ferrar. in catal. Sanctorum Italiæ. Adhæc non ſemel ſagarum confeſſionibus innotuit, illis ad vaſa vinaria, quibus aliquid de benedictione S. Ioannis infuſum erat, non patuiſſe aditum, neque inde pro ſympoſiis ſuis merum depromere potuiſſe. Vnde non malè agunt, qui vinum benedictum doliis ſuis infundunt.

Sed aliud adhuc venenum eſt, quod Eccleſia extinguere optat benedicto illo vino, peccatum videlicet.

videlicet. Sic enim orat in benedictione vini expressa in Sacerdotali quondam apud Gretser. de Benedict. lib. 1. cap. 38. Deus *cujus potestate B. Joannes Evangelista potum venenosum & toxicum digessit, benedicere & consecrare digneris hanc creaturam vini, ut omnium ex eo gustantium, expulso omni gusto nocivo, infuso tuæ benedictionis mysterio, sit in terris corporis & animæ remissio criminum & in cœlo perpetua consolatio.* Peccatum venenum est, quod animam interficit, & tamen à multis avidissimè bibitur ac diutissimè retinetur. Vnde Iob. cap. 15. ait: *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquā, iniquitatem.* Et mirum profectò est, quomodò aliqui hoc venenum tamdiu gestare in corde queant nec subitò pereant, cùm peccata Deum & omnes creaturas contra peccatorem ad ultionem incitent. Huic igitur veneno digerendo optat & precatur in hodierna vini benedictione Ecclesia, ut vinum S. Ioannis benedictum sit quasi theriaca, non quasi hoc vinum directe pellere queat peccatum: sed ut indirectè saltem extinguat, disponendo peccatorem ad peccatorum suorum cognitionē & inflamando ad contritionem: quomodo S. Bernard. aliquando cerevisiæ benedictæ potu obstinatos quosdam milites nolētes vel ad breve tempus arma deponere illicita, ita convertit, ut ac censi pœnitentiâ & piis desideriis ad monasterium redirent & mundo renuntiantes sacræ militiæ nomen darent [ut est in ejus vita l. 1. cap. 11.] adeoque arma noxia omninò deponeret. Ideò bene vocatur hoc vinum amor S. Ioannis: quem scil. ipse impendit Christo, cùm venenum bibit. Quod autem efficacius peccato expellendo remedium, quàm amor Christi? Cogitemus cùm benedictionem istam bibimus: Hunc calicem amarissimum pro me Christus bibit, quem ego bibere debuissem: & dum ego peccare pergo, non desino ei rursum propinare illum calicem. Et nunc ego faciam ut frustra biberit Christus? &c.

E. IV. *In eautelam ebrietatis*

Quartò. Vt per hanc benedictionem vinum ipsum à noxa & veneno purificetur. Ergòne dicet hæreticus immūda est & noxia vini creatura? sanè hoc non imprudenter credidit olim Cyrus adhuc puer, cùm videns aliquos vini ingurgitatione de potestate mentis & corporis dejectos, venenum subesse vini ratus est, ideoque bibere renuit apud Xenoph. in Cyripæd. Et nónne de vino ait Sapiens Proverb. 23. *Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber & sicut regulus venena diffundet?* Vinum à Deo creatum est, ut exhilararet hominem & sanitatem tueretur: At plerumque homines eo abutuntur, ad suam ipsorum perniciem, tam ad vitæ abbreviationem, quàm ad animæ perditionem. Notat S. Chrysostomus, Noën ex vite vinum expressisse, ut eo suum & aliorum hominum post diluvium mœrorem, labores & infirmitatem leniret & roboraret. Vinum enim lætificat & roborat cor hominis. Sed cùm deberet esse vinum sanitas hominis, malitiâ hominum factum est venenum & occasio perditionis. Idcircò videtur mihi Ecclesia hodie nos docere velle, qualiter uti vino debeamus. Sic enim precatur in benedictione, cùm ait: *Per istos sermones sancti Evangelii benedicat Dominus noster JESUS Christus hunc liquorem vini, ut sit omnibus sumentibus Salus mentis & corporis, Amen.* Exod. 32. legimus Moysen contrivisse vitulum aureum quem adoraverant Iudæi, & sparsos in aquam cineres ejus, dedisse eis in potum: ut intelligerent Iudæi, vitulum non esse aliquid quod adorari debeat, sed quod mactari & ab hominibus devorari. Similiter quoniam vinum est occasio multorum malorum (*vino enim debemus quòd soli animalium non sitientes bibimus,* ait Plinius lib. 23. cap. 1.] adeoque Deus ebriosorum: idcircò hodie Ecclesia benedicit illud & benedictum nobis porrigit, admodum moderatè degustandum, ut doceat vinum non habendum pro DEO, sed cum benedictione & moderamine sumendum ad salutem animæ & corporis. S. VVilebrordus, ut in ejus vitâ scribit Alcuinus haustu benedicto insanabilem & rabidam cujusdam sitim extinxit ac profligavit. Hoc idem Ecclesia peroptat, ut vini scilicet benedicti potus intemperantiam nostram extinguat. Androcides sapientiâ clarus, ut scribit Plinius lib. 14. cap. 5. ad Alexandrum M. scripsit intemperantiam ejus cohibens: *Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terræ.* Similiter Ecclesia uti per sacros cineres admonet nos humilitatis & mortis, per sacri vini gustationem, admonet nos temperantiæ, q. d. Memento ô homo te bibere sanguinem terræ, id est, creaturam nobilem, quæ non ubique, nec in tantâ copiâ crescit ut fruges aliæ, quo discamus, eò parcè uti, & ad sanitatem tantùm animæ & corporis, &c.

Precemur ergo DEum, ut det nobis ad salutem animæ & corporis bibere hoc vinum hic in terris; & posteà illud novum in cœlis.

CONCIO VI.

BENEDICTIONES IN ECCLEsia usitatæ defenduntur.

I. Ex Scriptura.
II. Ex SS. Patrum traditione.
III. Ex veterum consensu.
VI. Ex effectibus & finibus.

THEMA.

Exiit sermo isto inter fratres, Ioan. ult.

A.

NON miror, Auditores, si tot falsi rumores, tot inania figmenta spargantur inter hæreticos de Ecclesia Catholicâ; siquidem audio in hodierno Evangelio inter ipsos etiam Christi discipulos ortum

tum fuisse inanem & falsum rumorem ex verbis Christi malè intellectis circa Ioannis mortem. Quis si dat ergò rumusculis hæreticorum, qui penè omnia sinistre intelligunt? Si Lutheranis & Calvinistis credimus, omnes nos hodiernâ die gravissimo scelere obstringimus, dum, ut ipsi clamitant, gentilium insanias imitamur, imò necromanticis præstigiis utimur, quando vinum benedictum delibamus. Quod si verum est, Auditores, non vinum contra venenum, sed venenum ex vino bibimus. Verùm sermo iste exiit inter hæreticos, unde nihil nos conturbet. Bibite amici & inebriamini amore S. Ioannis, qui venenum sine noxâ bibit, & fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Bibite vos de gremio Ecclesiæ propinatum vobis sacrum poculum. Proderit enim, non oberit. Quod ut palam fiat, defendemus benedictiones in Ecclesiâ usitatas, & ostendemus stultum & inane esse figmentum hæreticorum.

Primò, Ex scripturâ, quæ continet exemplum & documentum. Exemplum Christi Matth. 14. & Lucæ 9. qui panes & pisces multiplicaturus aspexit in cœlum, *& benedixit eis* (Græcè, *benedixit eos*) eaque benedictione multiplicavit. Cur hoc Salvatoris factum non liceat imitari? Respondent Hæretici fuisse hoc miraculum, ideoque in exemplum non esse trahendum. Sed ineptè: Multiplicatio enim panum miraculum fuit, non item benedictio. Iam ergò si panis rectè ac religiosè benedicitur, cur non etiam aqua, sal, oleum, caro &c. quomodo enim panes & pisces magis sunt capaces benedictionis, quam creaturæ aliæ?

B. I. *Ex scriptura.*

Documentum habemus S. Pauli, qui 1. Tim. 4. ait: *Omnis creatura Dei bona est & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Quem locum Theophylactus ex S. Chrysostomo rectè exponit per hypothesin seu concessionem, dando quòd aliqua creatura polluta esset, posse eam sanctificari, & mundari per benedictionem. *Demus*, inquit, *quòd quidpiam sit immundum, sed habes medicinam; signa, gratias age, glorifica Deum; ac defecit immunditia.* S. verò Chrysostomus hom. 13. in Ep. 1. ad Tim. ait: *Medicamentum in promptu est, signũ crucis illi* [cibo seu rei quâ vis uti] *inprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.* Habuisse autem dæmonem potestatem nocendi hominibus per creaturas scribit S. August. de civit. lib. 18. cap. 17. & 18. S. Gregorius lib. 1. Dial. c. 4.

C. II. *Ex SS. Patrum traditione*

Secundò. Ex SS. Patrum traditione. Primò S. Matthæus Apostolus apud Clementem I. tertium Petrum successorem, l. 8. constit. cap. 29. statuit ut certa verborum formulâ benedicatur aqua. In quâ inter alia orat: *Tribue ei vim sanandi & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias, per Christum spem nostram.* Idem Clemens alibi tradit formulam benedicendi aquam baptismalem, apud Gretser de benedict. l. 2. cap. 3. Post illum Alexander I. sextus Petri Successor, qui anno D. 132. martyrio coronatus est, decreto sancivit, ut aqua aspersionis cum sale benediceretur in habitaculis hominum, apud Anastasium, & habetur c. aquam, de consecr. d. 3. non tanquam primus & inventor hujus ritûs [ut hæretici oblatrant] sed ex more veterum recepto. Sic enim ait: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Ejusdem ritûs in Ecclesiâ recepti meminerunt patres posteriores, Basilius, Cyprianus, Cyrillus Ierosolymitanus, Ambrosius, Augustinus? & antiquissimus ille Dionysius Areop. de cœlesti hierarch. c. de baptis.

Idem non difficilè de aliis reb. benedici solitis ostendi potest. De benedictione olei habemus testimonium Clementis, Dionysii, ubi sup. Basilii, item & Augustini apud Bellar. de cultu SS. l. 3. cap. 7. De benedictione panis, August. testimonium, nec non Paulini. De benedictione cerei paschalis, testimonium Zozimi PP. & Concilii IV. Toletani. De benedictione palmarum & cinerum testimonium B. Maximi, de benedictione fructuũ, testimonium Eutychiani PP. ep. 1. ad Ioan. & Episcopos Bæthicæ. Quis autem non malit stare sententiæ tantorum patrum & Ecclesiæ antiquitati, quàm calumniis paucorum novatorum?

D. III. *Ex veterum consensu.*

Tertiò, Ex pio veterum Christianorum sensu & consensu. Vbicunque enim periculum aliquod vel insidias seu dæmonum seu malorum hominum subesse metuebant, ibi se benedictione muniri desiderabant. Matres petebant à presbyteris, & Episcopis benedictionem suis prolibus, etiam quas adhuc in utero gestabant, uti Eudoxia mater Theodosii Iunioris apud Marcum Gazensem tom. 1. Surii: mater item S. Stephani Iunioris, qui pro defensione SS. imaginum martyrium subiit, ut in ejus vitâ inter opera Damasceni. Sponsi & sponsæ non seipsos modò, sed & serta & annulos suos sacerdotibus benedicendos offerebant, ut videre est in Euchologio Græcorum. Item: *Qui filios suscipere non poterant*, inquit Georgius presbyter in vitâ S. Theodori Sicæorum Archimandritæ, *ad B. Theodorum confugiebant, vel zonas quibus ipse benedixerat assumebant, & precibus ipsius fiebant voti compotes.* Cujusmodi benificio & benedictione zonæ parentum suorum seipsum quoque natum scribit idem Georgius. Alii domos, thalamos, cibos, semina & segetes, herbas, naves, vexilla & enses in hostem ferendos benedici faciebant.

Quis autem dicat pios illos Christianos in hoc insaniisse; idololatriam vel magiam, ut vocant hæretici, in hoc incurrisse?

E. IV. *Ex effec- bus & nibus.*

Quartò. Ex finibus & effectibus benedictionem illam sæpissimè secutis. Est autem triplex finis illarum benedictionum. Fiunt enim Primò ad significandos spirituales effectus, & repræsentandas

res invisibiles præsentes vel præteritas, & ut hinc excitetur affectus. Non sunt adumbrationes rerum futurarum, uti erant cæremoniæ Iudæorum. Primò Agnum Paschalem in Paschate benedicimus, tùm ut recordemur gratâ memoriâ Agni illius immaculati, Christi, pro nobis in Paschate immolati tùm ut esum carnium, per quadragesimam intermissum eum benedictione resumamus. Secundò panem, ut refricet nobis in memoriam, & significet beneficium Venerabilis Eucharistiæ; quam & ille significabat, quem Christus in deserto benedixit. Tertiò vinum amoris *S.* Ioannis, in memoriam illius charitatis, quâ S. Ioannis ob amorem proximorum ad fidem perducendorum, ebibit sine noxâ venenatum poculum; & ut nobis quoque potus non sit noxius. Quartò, Aquam & salem; ob memoriam baptismi, ut beneficii in eo accepti & promissionis nostræ factæ crebrò recordemur, adeoq; salem sapientiæ Christianæ nostris operibus admisceamus, nec vivamus uti gentiles. Quinto Oleum ob memoriam misericordiæ divini & olei illius, quod Samaritanus noster Christus vulneribus nostris infudit, pretiosi scilicet sanguinis sui, quo inungimur & sanctificamur in Baptismo, Confirmatione, Extremâ unctione. Sexto, Cereum Paschalem ob memoriam resurrectionis Christi. Cereum Dei agnum ad exprimendum, & digito quasi demonstrandum verum illum agnum, qui tollit peccata mundi, quemadmodum dixit *Baptista. Ecce Agnus Dei.* Cereos verò alios partim ad repræsentandam Deiparæ Virginitatem, quemadmodum de cereis in Purificatione benedici solitis diximus: partim ut fidei vivæ charitate scil. ardentis, & bonis operibus lucentis nos admoneant. Septimo cineres, ut ingerant nobis mortis memoriam, & instigemur ad pœnitentiam, quam in cinere & sacco veteres agere soliti erant. Octavò, palmas, ut victoriæ Christi de morte, peccato & diabolo obtentæ nos admoneant, & ad vincendum, diabolum & peccata similiter nos invitent, &c.

F. 2. Secundò, Benedicuntur ad deletionem venialium peccatorum, saltem ex opere operantis; quatenùs mentem ad pium aliquem motum peccatis venialibus contrarium, vel etiam ad formalem pœnitentiæ actum excitant. Hic enim effectus inter alios petitur in benedictione, & haud dubiè impetratur, præsertim si cum animi sensu & consideratione mysteriorum, quæ sacris illis rebus menti imprimuntur, adhibeatur causa.

G. 3. Tertiò, ad fugandos dæmones & curandos morbos, aliaque mala avertenda, prout in cujusque rei benedictione postulatur. Hos autem effectus superstitione carere ostendi potest ex lege veteri, in qua aqua zelotypiæ à divina institutione miram vim habuisse ostenditur Num. 5. Aqua expiationis ad purificandos Iudæos, Num. 19. Aqua Iordanis ad curandam lepram Naamani, 4. Reg. 5. Sal in aquam missus ab Elisæo eandem persanandam, 4. Reg. 2. Oleum ab Apostolis adhibitum ad curandos ægros, Marc. 4. Habuisse autem res benedictas mirificam & supernaturalem vim ad effectus indicatos, cõstat ex probatissimis & antiquissimis Scriptoribus, quorum multi sanctitate vitæ insignes fuerunt. Talia de Iosepho quodam comite scribit Epiphanius hæresi 30. Ce S. Marcello Apameensi Theodoretus, lib. 5. c. 21. De S. Machario Palladius, c. 19. De S. Hilarione Hieronymus in ejus vita. De S. Fortunato, Gregorius lib. 2. dialog. cap. 10. De *S.* Germano Episcopo Antisiodorensi, Beda lib. 1. hist. Angl. 17. Et lib. 5. c. 4. de nobilissima fœmina, quæ haustu aquæ benedictæ ita mox convaluit ut ministraret mensæ. De S. Malachia Bernard. in ejus vita. De ipso S. Bernardo scriptor vitæ ejus l. 3. cap. 5. Hi enim ut plurimos alios taceam [quis enim recensere posset?] aqua, pane vel oleo benedicto curarunt morbos, vel solverunt incantationes, vel alia averterunt mala.

H. Respondetur hæreticorũ objectionibus.

Quid ad hæc hæretici: Figmenta hæc Catholicorum esse dicunt. Sed quomodo fieri potest, ut tanta tanti viri tam diversis temporibus confinxerint vel scripserint mendacia, ut Christiano orbi imponerent? Quomodo non ab hostibus Ecclesiæ & æmulis suis, vel etiam viris bonis sui temporis mendacii redarguti & convicti sunt? Novatores, qui heri venerunt, tam antiquorum patrum censores minimè audimus.

Deinde hæc talia dæmonum præstigias fuisse clamant. Sed quomodo per hæc, præstigiæ dæmonum dissolutæ & dissipatæ fuerunt, si ipsæmet præstigiæ fuerunt? *Si Satanas Satanam eiicit, quomodo stabit regnum ejus?*

Dicunt aliqua istorum gentilibus usitata fuisse, veluti aquam lustralem. Sed respondet Cyrillus Hierosol. Catech. 3. *Ut illa, quæ in aris offeruntur, cùm natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur. si contra aqua simplex per S. Spiritus Christi & Patris invocationem acceptum virtute, sanctitatem consequitur.* Siquid ergò ex his priùs Ethnicum & immundum fuit, Christiana sanctificatione Christianum & sanctum fit.

I. Cur non semper effectum sortiantur.

Sed non semper, inquies, effectum sortiuntur. Respondemus, verum id esse, quia sacramentalia ista non habent vim ex pacto DEI expresso, sicut habent sacramenta: sed ex precibus Ecclesiæ & devotione utentium, quemadmodum & ipsæ preces non semper obtinent, quod petunt, variis de causis. Cur autem non semper effectum suum producant.

Causa. 1.

Causa Prima est peccatum utentium; velut quod superstitiosè iis utuntur; qui inversa quodammodo hasta currunt in dæmonem, seq; magis quàm illum lædunt. quomodo enim sacræ res cùm dæmonum prosint cultu? *quæ conventio lucis ad tenebras?* Item qui iis non utuntur ad finem ab Ecclesia præscriptũ, sed ad alienum; quo casu mirum non est, si non operentur, quia vim & sanctificationem à precibus tantùm, quibus sanctificatæ sunt, sortiuntur.

Vel

Vel qui in statu peccati sunt. De signo crucis scribit S. Augus. tr. 50. in Ioan. *Signum Christi à nobis expellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem.* Et S. Eligius in sua concione, apud Audoënum l. 2. de S. Eligio c. 16. *Profectò magna res est signum Christi & Crux Christi: sed illis solis prodest qui faciunt mandata Christi.* Secunda causa est, modica fides & exiguus honor, qui sacris illis rebus impenditur. Quemadmodum enim Christus in patria sua, *non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum*, ut inquit S. Matthæus cap. 13. ita si benedictiones & res benedictas in postremis ducamus & exiguo honore dignemur, mirum non est, si earum virtutem non experiamur. Non honorabant illi Christum, sed spernebant; quod etiamnum rebus sacris faciunt non pauci. Minus adhuc mirum, si nihil inde fructus capiant, qui neglectis sacris his remediis currunt ad superstitiosa, & ex his potius opem quærunt. Quibus jure contingit, quod Ochoziæ regi Iuda, qui ægrotans relicto vero Deo suo, misit ad consulendum Beelzebub, ideoque juxta prophetiam Eliæ in lecto suo extinctus est, 4. Reg. 1. futurus alioquin incolumis, si spretis Idoli mendaciis, opem à Deo suo petiisset, ut observat ibi Abulensis q. 12. Pari ratione, qui cum in promptu & domi habeant res benedictas, pro illis tamen vel unà cùm illis adhibent superstitiosas, indignos sese faciunt beneficio divino.

Causa. 2.

Tertia, Majus bonum utentium, quando scilicet non prodest eis liberari, vel præservari à morbo similive plaga. Ita in simili dicit S. Chrysost. in 3. Col. hom. 8. *Morbis imperans terribile est hoc nomen; & si non abegeris morbum, non hinc est, quòd infirmum sit hoc nomen; sed quòd utilis sit morbus.* Vtilis inquam, vel ad declinanda peccata in futurum, vel ad expianda præterita, vel ad meritum patientiæ augendum, vel ad exemplum patientiæ aliis præbendum.

Causa. 3.

Quarta, Ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, ubi mala non erunt omnino ulla, quærenda est, inquit S. Aug. lib. 22. de civ. c. 22.

Causa. 4.

Respondemus deinde multa etiam nostro ævo mira multis contingere beneficio rerum benedictarum, sed non innotescere nisi paucis; eò quod minus sedulò vel observentur & æstimentur, vel propalentur ac divulgentur: multique ita comparati sunt, ut omnia potius quàm hæc & similia nosse velint. Quod etiam sui temporis miraculis contigisse scribit S. August. lib. 22. de Civit. cap. 8. Plurima talia collegit Pater Gretserus in lib. de benedictionib. Inter multa ejusmodi miracula illustre nec antiquum est illud, quo Monachii Boiorū lignea cistula sacris, ut vocant, agnis Dei impleta, in ipso armamentarii incendio, [quo omnia alia absumpta flammis vel liquefacta erant,] perstitit integra, ambusta quidem, sed integris Agnis Dei; apud Gretserum de benedict. lib. 2. cap. 51. Vidi ipse non semel in monasterio S. Altonis [solo mihi patrio] unam ex illis cereis icunculis fumo quidem nonnihil offuscatam, sed prorsus integram & illæsam. Deinde multorum testimoniis confirmatur panes benedictos multis annis servari incorruptos, ut etiā scribitur in vitâ Bernardi l. 4. c. 4. Similiter plures testatum faciunt, multisque compertum est aquam benedictam, baptismatis præsertim, longo sæpè tempore incorruptam perseverasse, adeoque puram & limpidam, ac si è fonte primùm hausta fuisset. Testis hujus rei apud Græcos S. Chrysost. hom. de Baptismo Christi, apud Latinos Manuel. Caleca. lib. 4. contra Græcos, quos redarguit, quòd Latinis falsò imponerent, hoc apud ipsos non contingere; apud Germanos Iacobus Præpositus Steynizensis in reformatione Stiriacâ part. 1. c. 9. qui in VVeissenfelsiâ aquam Baptisterii per annos 29. inter hæreticos conservatam, invenit integerrimam & purissimam. Iucundum est, quod narrat Gretserus de Bened. lib. 1. c. 10. de Moniali in Livoniâ quæ inter hæreticos per annos 40. aquam benedictam conservavit illibatam eâque multis salutem attulit, hæreticorum denique ministros mirè confudit. Plura ejusmodi miracula, qui cupit adeat Gretserum de Benedictionibus & maledictionibus.

Denique non dubium, nos usu rerum benedictarum sæpè etiam nescientes beneficia divina capere, siquidem magis ad præservandum, quàm ad liberandum à noxis hominem, solent benedici. Non est autem facilè nobis scire, in quæ mala incidissemus, si sacris amuletis muniti non fuissemus. Veneficarū torturæ & quæstiones docent, quàm multis hominibus nocere possent, nisi arcerentur à sacrâ illâ armatura. Quare Auditores, ab usu & veneratione benedictionū non modò non resiliamus propter oblatrantes canes, sed potius resumamus animum impensiùs deinceps iis addici, ut ita per benedictiones istas disponamur & ducamur ad benedictionem Patris cælestem.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

Discimus à Christo. 1. *Plures esse ad cœlum vias.* 2. *Facere officium nostrum.* 3. *Vitare curiositatem.* 4. *Liberè redarguere Principes.*

Discimus à Petro. 1. *Dilectionem proximi,* 2. *Efficaciam pœnitentiæ.*

Discimus à Joanne, 1. *Vulgi rumores contemnere,* 2. *Modestè de nobis loqui,* 3. *Quid ambire oporteat.*

THEMA.

Recubuit in cœna super pectus ejus, Ioan. ult.

IMpletum hîc videmus in Ioanne, Auditores, quod Gen. 44. præfiguratum legimus in Beniamino,

A.

no, quem cùm præ cæteris fratribus dilexiſſet Ioſeph, cæterorum ſaccos frumento quidem implevit, Benjamini verò ſaccum non frumento ſolum, ſed etiam Scypho argenteo, in quo augurari ſolitus erat. Hunc in modum Chriſtus in ultimâ illa cœnâ cæterorum Apoſtolorum pectora pane Euchariſtico replevit, pectus verò Ioannis, ut potè ſibi dilectiſſimi inſuper poculo ſapientiæ cœleſtis; dum videlicet ei recumbenti in ſinu ſuo, arcana pectoris ſui revelavit, quæ cæteris abſcondit. Sic enim teſtantur SS. Hieronymus & Auguſtinus aliique Patres, Ioannem in eo recubitu hauſiſſe lac ſapientiæ ſingularis de ſinu Salvatoris. Felix es & Ioannes, ſed felices etiam nos, ſi ad Dei verbum, quod in concione quaſi in cœnâ nobis proponit, mentem ſeriò advertamus: ſi enim in pectus Domini ſpiritualiter incumbemus, & ex eo hauriemus, Lac ſapientiæ divinæ. Teſtatur experientia circumſpectos eſſe illos, qui lacte illo nutriūtur & delectantur: rudes contra & cæcos, qui ab eo abhorrent. Vos ergò, Auditores, Ioannem imitantes recumbit in ſinum hodierni Evangelii, & doctrinas ejus haurite.

Tres perſonas cernimus in hodierno Evangelio, Chriſtum, Petrum, Ioannem; Audiamus ſingulos.

B. *Diſcimus à Chriſto.* 1. *Plures eſſe ad cœlum vias.*

A Chriſto diſcimus primo, plures eſſe ad cœlum vias omnes tamen in terminum unum coëuntes. Audimus enim voluiſſe Dominum ut Petrus per martyrium crucis, Ioannes verò ſine martyrio, placidâ morte, ad gloriam ſibi deſtinatam venirent: ut Petrus in martyrio ſuo dolores ſentiret & obiret, Ioannes verò in ferventis olei dolio nihil perſentiſceret & vegetior inde exiret. Nemo itaque diffidat aſſequi beatitudinem, tametſi Petrum, Martyres, Religioſos, Doctores, Eremitas, Virgines, Viduas ſequi nequit. Teſte D. Gregorio apud Dionyſium Carthuſianum in Lucæ 16. quidam rapiunt regnum cœlorum per omnium abjectionem, alii illud mercantur per eleemoſynarum largitionem, alii illud furantur per occultam ſanctitatem, alii quaſi compelluntur ipſum acquirere per temporalem adverſitatem. Tu itaque ſi rapere per martyrium vel voluntariam paupertatem nequis beatitudinem, eme; ſi emere nequis; furare; ſi nec hoc, emendica continuis orationibus.

C. *Facere officium noſtrum.*

Secundo, facere officium noſtrum, nec curare quid alii in hoc vel ſimili genere faciant. Reprehenditur enim Petrus Chriſtum ſequi juſſus, dum priùs ſcire vult, quid facturus ſit Ioannes: *Quid ad te?* ait Dominus; *tu me ſequere.* Hoc ſibi dictum habeant, qui alii præcedere nolunt ad fidei Catholicæ profeſſionem, ad pœnitentiam, ad templum, ad publica pietatis officia; ſed dicunt: ſi magiſtratus vel vicini mei hoc fecerint, ſequar & ego. Quid ad te, quid alii faciant? ſi tibi januam cœli Petrus reſeraret, non dubito, quin mox ſaltum in id faceres, minimè attendens, quid retrò alii facerent. At cùm vocaris ad converſionem & catholicam religionem, profectò janum cœli Petrus tibi aperit, Eccleſiam videlicet. Qui in naufragio cum undis luctantur, proximam quamque tabulam vel naviculam apprehendunt ſeque in eâ ſalvant, non curantes quid alii faciant. Pœnitentia peccatoribus oblata hujuſmodi tabula & navicula poſt naufragium eſt.

D. 3. *Vitare curioſitatem*

Tertio. Vitare curioſitatem, ſi enim Dominus in Petro, cui paulò antè commendarat oves ſuas, non vult pati curioſitatem, quanto minus in ſubditis? & ſi tam levem illam taxavit curioſitatem, profectam ex amore? quid nunc diceret Dominus de mundi curioſitate, qui ferè totus eſt non in ſuis expurgandis ſordibus, ſed in alienis, nec verò ex amore, ſed ex odio & invidia. Nihil frequentiùs audimus, quam cives confabulantes & querentes modò de Magiſtratu, modò de clericis, modò de Imperatore & Principe, modò de vicinis: quòd hic vel ille non faciat ſuum officium, delicta non corrigant, mala exempla præbeant, &c. *Quid ad te?* Cæterùm ea curioſitas: quæ rimatur illa, quæ ſupra nos & caput noſtrum ſunt, maximè vitanda. Vt enim papiliones dum itendidem circumvolant Lumen, ſemetipſos amburunt: ita qui ſcrutari volunt Dei arcana, vel quæ non niſi dæmonum ope ſciri queunt. Habebat Lovanii Cornelius Agrippa inſignis Magus commenſalem nimis curioſum. Semel profectus aliquò, uxoris claves Muſæi ſui tradidit, addita prohibitione, ne quem ingredi fineret. Inconſultus iſte adoleſcens opportunè importunè non deſtitit mulierculam deprecari, ſibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit. Muſæum ingreſſus incidit in libellum conjurationum, legit, en illi pulſatio ad januam, turbatur; ſed pergit legere. Pulſat iterum neſcio quis, & nihil reſpōdente rudi harum rerum juvene, dæmon ingreditur; quærit cur vocatus? quid fieri jubeat? iſti metus vocem intercludit, fauces dæmon; Sic miſer luit pœnam nefariæ curioſitatis. Refert Mart. Delrio. l. 2. diſquiſit. Mag. q. 29. ſect. 1.

E. 4. *Liberè redarguere Principes.*

Quartò, Principes etiam viros liberè redarguere, cum delinquunt; ſiquidem & Petrum, quem paulò antè paſtorem Eccleſiæ conſtituerat, de curioſitate reprehendit. Nimirum pulverem in pedibus facilè toleramus, ſed non item in capite. Principes ſunt capita, ſubditi verò pedes. Ita Nathan reprehendit Davidem, 2. Reg. 12. v. 1. & Elias Achabum Regem, 3. Reg. 18. v. 18. Eliſæus Ioram Regem, 4. Reg. 3. v. 13. Iehu Propheta Ioſaphatum Regem, 2. Par. p. 19. v. Zacharias Ioam Regem, 2. Par. p. 24. v. 20. Propheta alius Amaſiam, 2. Par. p. 25. v. 15. Azarias Oſiam Regem, 4. Reg. 26. v. 16. Iſaias Ezechiam, Iſai. 39. v. 3. Ioannes Baptiſta Herodem. Chriſtus Scribas & Phariſæos, Paulus Pontificem, Act. 23. v. 3. S. Ambroſius Theodoſium Imperatorē. S. Bernardus Guilielmum Aquitaniæ Ducem. S. Babylas Epiſcopus Antiochiæ Numerianum Imperatorem venientem ad Eccleſiam & volentem inſpicere ſacra myſteria repreſſit, dicens: *non licet tibi Idolorum ſacrificiis polluto Eccleſiam ingredi & divina myſteria*

ria contaminatis oculis spectare, Quare offensus Imperator, eum necavit, sed & ipse paulò pòst à socero enectus. Niceph. l. 6. c. 33. Agapetus Pontifex cum à Iustiniano Imperatore premeretur ad confirmandã hæresin Eutychianam, ei respondit: *Ego ad Iustinianum Christianissimum Imperatorem venire optavi, sed Diocletianum inveni.* Cedreno auth. Leoni Isaurico Imperatori Iconoclastæ S. Germanus Constant. Patriarcha in faciẽ dixit: *Tu es Antichristus.* Quemadmodum & S. Athanasius appellant Constantinum Imperatorem *Arrianum.* Hinc olim in regno Aragoniæ moris fuit, ut Rex non eligeret sibi confessariũ, sed is in comitiis regni à statibus eligeretur, Regique daretur; cui Rex nec benefacere poterat nec malè; ad hoc ne spes vel timor retardare posset confessarium à rege liberè admonendo. Talis cùm Iacobo Aragoniæ Regi datus esset S. Raimundus: isque regem ob concubinatum perpetuo reprehenderet, rege emendationem quidem promittente, sed non præstante, missionem ab eo petiit. Negavit Rex, omnibusque nautis prohibuit sub pœna capitis, ne quis Raimundum aliò transveheret. Verùm Raimundus oratione sua implorans Dei opem accessit ad mare, in eoque cappam suam, facto signo crucis, expandit, in eamque velut in navim inscendit, scapulari pro velo utens & baculo pro remo, sicque inspectante Rege ejusque aulâ secundo vento celerrimè sex horarum spatio in conspectum Barcinonis venit. Ferd. Castiglius in hist. S. Dom. l. 2. cap. 17. huc aspicere possunt confessarii Principum.

F. *Discimus A Petro.* 1. *Dilectionem proximi.*

A Petro discimus. Primò dilectionem proximi, quam ostendit erga Ioannem, dum pro illo quodãmodò solicitus discere vult, quale genus mortis ipsi eventurum sit. Erant enim hi duo Apostoli velut duo oculi in Collegio Apostolorum & Ecclesia, ideoque sæpius in SS. literis combinati leguntur. Simul cucurrerunt ad sepulchrum Domini, Ioan. 20. Simul ascenderunt in templum ad horam orationis novã, Act. 3. Simul missi sunt ad confirmandos Samaritas, Act. 8. Ergò sicuti bini in capite oculi simul semper moventur, & in idem objectum aciem intendunt: ita etiam Petrus & Ioannes animo conjunctissimi erant, & ægrè à se mutuò divelli poterant, in exemplum primo Prælatorum, ut inter se unionem servent. Secundo Religiosorum, qui nunquam soli, sed combinatim & cum comite, qui vitæ sit testis, semper ambulent, ne audiant id D. Thomæ Aquinatis: *Monachus sine comite dæmon solitarius.* Tertio Christianorum omnium, qui cum omnes unius corporis mystici membra sint, pro se mutuò soliciti esse, & ægrè à se divelli debent.

G. 2. *Efficaciam pœnitentiæ.*

Secundò. Efficaciam pœnitentiæ. Etenim Petrus, qui ante negationem non est ausus rogare Christum de proditore, sed Ioanne internuncio est usus: nunc post negationem lachrymis expiatam interrogat Christum pro Ioanne. Vnde apparet verum esse, quod ait S. Gregorius, plerumque gratiorem esse DEO ferventem vitam post culpam, quàm securitate torpentem innocentiam. Zacharias post pœnitentiam non solùm recuperavit loquelam, sed præterea etiam accepit spiritum prophetiæ. Vnde S. Ambrosius l. 2. in eum locum Lucæ ait: *Vide quàm bonus Deus & facilis indulgere peccatis; non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergò diffidat, novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Filius, Luc. 15. prodigus post pœnitentiam, & deprecationem reversus ad patrem, majoribus blanditiis & gaudio exceptus est, quàm sit domi habitus ante culpam. Lazarus denique non legitur cum Christo discubuisse, nisi postquam à morte resuscitatus fuit, Ioan. 11.

H. *Discimus A Ioanne.* 1. *Vulgi rumores contemnere.*

A Ioanne discimus Primo, vulgi rumorẽ contemnere, ut qui instar galli versatilis omni vento cedit & credit, nova præsertim & insolita quantumvis absurda. Nihil minùs credibile est, quam hominem aliquem non mori. Et tamen cum dixisset Dominus: *si volo manere* Ioannem; statim vulgus hoc eo interpretatus est: Ioannem non moriturum. Hinc Ioannes XXIII. Papa interrogatus, quid foret à veritate remotius? respondit: *Vulgi sententia. Quidquid enim laudat, vituperio dignum est: Quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quod approbat, malum: & quidquid extollit, infame.* Intellexerunt hoc & Ethnici. Cùm enim Atheniensibus proditum esset oraculum, in ea civitate unum esse virum, qui cunctorum sententiis adversaretur, ac populus vociferans juberet eum quæri ad necem; Phocion in medium procedens: *Ego, inquit, ille sum, quem oraculum designavit. Mihi enim omnia ea displicet, quæ vulgus dicit & agit.* Plutarch. in Apopht. Similiter Antisthenes quodam die theatrum ingressus, adversus populum nitens ingrediebatur, & causam rogatus, dicebat: *Hoc in omni vita facere studeo.* Sentiens sapientis esse à multitudine dissidere, nec pecorum more ire qua itur, sed qua eundem est, Laërt. lib. 6.

Hinc etiam perspicimus solam mortem nobis certam esse; nec cõtrarium credendum esse, tametsi ejusmodi sermo exiret inter fratres Christi seu Apostolos. Alia nostra omnia fortunæ incertæ subjecta sunt: sola mors est certa.

Rursum cernimus aliud esse audire DEI verbum aliud intelligere. Audierunt aliqui Christum dicentẽ: *si eum volo manere*: sed non intellexerunt.

I. 2. *Modestè de nobis loqui.*

Secundo. Modestè & humiliter & nobis ipsis loqui & sentire, hoc enim facit Ioannes in hodierno Evangelio, dum quædam honorifica de se recensens loquitur in tertia persona, quasi de alio. Ita solent sæpè præstantissimi pictores suis artificiis loco obscurissimo & subtilissimo charactere nomen suũ inserere; cùm contra imperitum aliquem cernas, qui rudi suo operi nomen suum majusculis appingat; Audiit nimirum Ioannes Dominum dicentem: *si quis vult venire post me, abneget semet ipsum.* Hoc autem faciunt qui laudes sibi tributas respuunt, & cum ab aliis laudantur, dicunt: *Non sum is ego, de*

quo hæc dicuntur: Laus hæc mihi non debetur. Vrsus aversis vestigiis, lepus saltu facto ingreditur cubile suum, ut lateant venatores: hunc in modum nos ut merita virtutum adeoque animas nostras servemus à venatore diabolo, abscondere debemus, quæ in nobis laude digna sunt.

K. 3. *Quidambire oporteat.*

Tertio. Quid ambire, quidque magni æstimare, & de quo unice gratulari nobis debeamus. Id enim est, charitas Christi, si nos ipse diligat. Vnicus hic titulus prærogativa dilectionis plus Ioanni fuit, quam si Rex vel Imperator foret. Habuit Ioannes præter illam prærogativam alias quamplures; fuit enim consanguineus Christi; fuit post Petrum primus inter Apostolos & Petri socius; fuit custos Deiparæ & quasi filius matri à Christo commendatus; fuit inter 4. Cherubinos typo aquilæ repræsentatus; fuit Apostolorum senior, qui postremus omnium vixit; fuit Evangelista omnium celeberrimus; fuit martyr, tum quia Christo in cruce assistens, omnes ejus dolores per compassionem degustavit; tum, quia Romæ in Dolium ferventis olei immissus fuit; fuit Archiepiscopus, qui totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias, ut ait: S. Hieron. de script. Eccles. fuit virgo; fuit Boanerges & filius tonitrui. Et tamen de nullo horum sibi gratulatur, præterquam de sola Christi dilectione. Quisquis ergò magnus esse cupit, talem se exhibeat, ut mereatur à Christo diligi.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA.

I. Quid illud: Sequere me?
II. Cur rogat Petrus: Hic autem quid?
III. Quid illud: Si eum volo manere.
IV. Cur reprehendit Christus Petrum? Quid ad te?
V. Fuitne Joannes Christo dilectissimus?
VI. Cur Joannes de se scribit: recubuisse se &c.
VII. Cur Joannes in sinu Christi recubuit.

THEMA.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, Ioan. ult.

A.

Feriæ istæ Natalitiæ præsignatæ videntur esse per ferias Tabernaculorum, quæ in exitu anni celebrabantur, quemadmodum & feriæ Christi natalitiæ modò celebrantur. Nam in illis feriis habitabant Iudæi in tabernaculis erectis in memoriam protectionis divinæ, quæ Hebræos in deserto ita protexit, ut sine domibus in tabernacnlis per annos 40. vixerint. Iam verò etiam Christus in stabulo & hospitio ipsaq; peregrinatione Bethlehemitica natus est: ut in mundo nobiscum quasi in tabernaculo versaretur, nosque ex eo ad patriam cœlestem duceret. In illis gestabant Hebræi manibus quatuor arborum ramos, vel fructus. Primo, fructus arboris pulcherrimæ. Secundo, Spatulas seu ramos palmarum. Tertio, ramos ligni densarum frondium. i. myrti. Quarto, ramos salicum, & sic lætabantur coram Domino, ut præcipitur Levitici 23. Similiter in his feriis gestamus seu colligimus. Primo, fructum arboris pulcherrimæ, id est Christum, fructum benedictum ventris Virginei, cum primo die ter Missarum solennia celebramus, Secundo, palmas, cùm secundo die celebramus martyrium & victoriam protomartyris Stephani. Tertio, lignum densarum frondium, cùm tertio die celebramus festum S. Ioannis, densa & altissima mysteria eructantis. Quarto. salices, cùm quarto die festum innocentium, qui quasi salices de torrẽte, fructum bonorum operum non habentes, subitò per solam Dei gratiã ad cœlos salierunt. Nunc ad honorem hodierni festi Evangelium expendemus,

B. I. *Quid illud? Sequere me?*

Quæstio Prima. Quid sibi vult illud Christi ad Petrum: *Sequere me?* Resp. 1. invitari Petrum hoc verbo ad Martyrium, & quidem crucis, quod immediatè ante prædixerat ei Dominus, dicẽs: *Cùm esses junior cingebas te & ambulabas ubi volebas: cũ autem senueris extendes manus tuas* (in cruce videlicet) *& alius te cinget & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit*, ait Ioannes, *significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Subdit ergo mox: *Sequere me:* videlicet ad martyrium. Sed quemadmodum minister sequens Dominum, posteriore & humiliore se loco statuit: ita S. Petrus, indignum se ratus crucifigi in modum Domini sui: petiit ut capite inverso crucifigeretur.

Secundo, Invitari hoc verbo Petrum ad ferendum onus summi Pontificatus, quod tunc ei Christus commiserat prævio illo triplici examine: *Simon Petre diligis me plus his?* Facile est ad honores sequi vocantem Dominum: sed non ita facile sustinere prævium examen & onera consequentia. Olim quãdo filii Zebedæi petierant sedere ad dexteram & sinistram Christi, mox Matth. 20. Luc. 22. inter cæteros discipulos, indignantes & invidentes illis duobus, orta est contentio, quis eorum videretur esse major. Sed jam postquam audierunt rigidum Petri examen, ante ejus investituram ad summum Pontificatum, & crucem ei decretam; nemo unus indignari aut invidere illi visus est: Nimirum si noscerentur onera, quæ honores consequuntur, non ita passim appeterentur. Vnde Val. lib. 7. c. 2. scribit de quodam rege, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu cõsiderasse ac dixisse: *O nobilem magis quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis solicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.*

Tertio invitati ad vitæ & sanctitatis imitationem; Hoc enim verbo Apostolos ad sui, non corporalem tantùm sequelam solebat vocare Dominus. q. d. Qualis ego pastor fui, talis sis & tu. Hinc jure summum Pontificem vocamus suam sanctitatem, vel sanctissimum Dominum, quia per hoc Primo admonemus eum officii sui, ut qui Christum repræsentat officio, repræsentet & moribus, juxta vocationem illam: *sequere me.* Secundo quia meritò præsumere debemus talem sibi vicariū, Christum constituisse, qui sanctus sit ut ipse. Denique quia ad hoc conniti debet ut omnes Christi oves perducat ad sanctitatem.

C. II. *Cur rogat Petrus.* Hic autem quid

Quæst. 2. Cur de Ioanne interrogat Petrus Christum: *hic autem quid?* Resp. 1. fecisse id ex amore, (quemadmodum Ioseph interrogavit de Benjamino, eumque ad se adduci voluit, ut quem maximè dilexerat. Gen. 43.) quia valdè illum diligebat. Vnde & alibi sæpius in scriptura, simul juncti leguntur, ut cum unà ad sepulchrū Christi cucurrerunt, Ioan. 20. cùm simul ad templum ascenderunt, Act. 3. cùm utrumq; misit Dominus ad parandum pascha, Luc. 22. cùm ambo simul missi sunt Samariam, *Act.* 8. Et ad Gal. 2. simul visi à Paulo sunt. Hinc S. Chrysostomus putat eum voluisse habere Ioannem socium & Collegam passionis. Nimirum amor Christi eos ita colligabat, quia enim advertit Petrus Ioannem à Christo maximè diligi, ideò & ipse maximè eum dilexit. Vnde præ cæteris diligendi sunt, quos à DEO magis diligi videmus. Sed non abjiciendi mali, quia & istos diligere quærit Deus. Docet etiam nos Petrus id ipsum bonum, quod nobis impendit DEVS, communicare & optare proximis nostris, etiam si forsitan id minus illis placeat. Ita enim Petrus crucem sibi decretam, velut magnum beneficium, amicissimo sibi *A*postolo communicari cupit. Ita & S. Paulus *A*grippæ regi dicenti: *in modico suades me Christianum fieri:* respondit: *Opto apud DEum, & in modico & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his, Act.* 26.

Secundo, Secundum S. Hieronymum id fecisse Petrum, ut vicem Ioannis rependeret. Cùm enim in cœna scire desideraret, quis esset traditurus Christum, non audet interrogare Dominum, innuit Ioanni, ut Christum interrogaret, Ioan. 13. Quare nunc vicissim, cùm existimaret Ioannem, ut pote simili Zelo ad sequendum Magistrum præditum scire desiderare, qua & ipse morte clarificaturus esset Christum, interrogat pro ipso. Vnde discimus nos Christiani, non tradendum oblivioni obsequium ab alio nobis præstitum, sed data occasione compensandum.

D. III. *Quid illud?*

Quæst. 3. Quid sibi vult responsio Christi: *Si eum volo manere, donec veniam?* Resp. Non negare Ioannem moriturum, quia Ioannes ipse subjicit: *Et non dixit Jesus: Non moritur, &c.* & deinde communis est sententia Patrum, Ioannem esse mortuum, & visum ejus sepulchrum Ephesi. Vult ergò dicere Christus 1. Ioannem martyrio non consumendum, quod soli ipsi datum. Nec immeritò; Nam 1. martyrium jam pertulerat, cum Christo crucifixo solus ex discipulis individuus comes adstiterat. Cùm enim Magistrum suum ardentissimè amarit, & amans plus sit in amato, quàm in se; pl⁹ proinde passus est in Christo, quàm in seipso passus esset, si fuisset tortus. Secundò quia perpetuò Virgo fuit. *Habet autem & pudicitia servata martyrium suum:* ait S. Hier. Epist. ad Demetriadē Virginem. Et Aug. ser. 250. de temp. ait: *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, uti quotidiana est pugna & rara Victoria.*

Sic eum volo manere?

Secundò Ioannem non communi hominum morte violenta, acerba scil. sed suaviter, placidè & absq; doloris sensu ex hac vita transiturum, & quasi per somnum placidum integris sensibus ac viribus ad Christum migraturum. Porrò sic obdormisse Ioannem communiter, tradunt Patres. Cùm enim foveam in templo fieri jussisset, in eam descendens, extensis manibus, post prolixa fusæ orationis verba migravit, moxque tanta eum lux circumfulsit, ut nullus eam ferret aspectus, ut scribit *P*etrus Damianus ser. 2. de S. Ioanne & alii.

Tertiò, Ioannem mox post mortem (juxta probabilem multorum opinionem, *C*antiprat. Nicephori, Damiani, Thomæ Aquinatis, & aliorum apud Hieronymum vel quisquis est autor, ser. de *A*ssumptione B. M. V.) resurrecturum & ita corpore & anima pariter in cœlum, ad instar B. Virginis assumendum: q. d. Christus: *Si eum volo manere*, id est, corpore integro, nec ut aliis corporibus accidit, in pulverem resoluto; *donec veniam*: ostendendo illi gloriam meam. *A*rgumentum hujus rei est, quòd historiæ referunt, corpus ejus postero die in sepulchro non inventum, sed pro eo manna tantùm scaturiens, & crepidas illius. Nihil etiam de corporis ejus reliquiis constat aut reperitur. Denique accedit congruentia, quia sicut Deipara & Ioannes fuerunt socii passionis *C*hristi, ita justè sunt & consolationis, cum *C*hristo jam immortalitate vestiti ut ait *C*antiprat. l. 2. apum, c. 53. Item quia matris loco habuit incorruptam semperque Virginem Mariam. Denique quia specialiter à *C*hristo dilectus.

E. IV. *Cur reprehendit Christus Petrum.* Qui ad te

Quæst. 4. *C*ur reprehendit *C*hristus *P*etrum: *Quid ad te.* Respond. 1. ut instruat *P*etrum & magnos pastores, vacare eos debere etiam levibus culpis: siquidem in *P*etro, jàm designato summo *P*ontifice, vel levem curiositatem taxat. In membris crassioribus facilè sordes toleramus, sed in oculo minimum etiam pulvisculum ægrè ferimus, & continuò eximimus. *P*rælati sunt *C*hristi oculi, quoniam de illis dixit per prophetam Zach. c. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* In his etiam levia errata sentit & redarguit, quæ in aliis facile tolerat.

Secun-

Secundo, Vt moneat Petrum & Pastores præire nos debere aliis ad virtutem, licet nullos habeant comites, nullos etiam sectatores. Plebs attendere ad Prælatum, Prælatus attendere ad Christum & ejus mandata debet. Hoc est, quod voluit Dominus, cùm discipulis suis Matth. 5. dixit: *Vos estis sal terræ: & si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, *si vos*, inquit August. lib. 1. de serm. Dom. in monte c. 6. *per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionem temporalium amiseritis regna cœlorum; qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?* Non debet ergò prælatus converti cùm Petro ad populum sibi subjectum, ita ut ad ejus exemplum respiciat, sed ipse potiùs exemplo suo ei præire, & constanti suo progressu populum ad se allicere debet. Ita Paulus in judicio Neronis perstitit immotus, licet omnes eum deseruissent ob metum Neronis, ideò adfuit ei Dominus, 2. Timoth. 4. Hinc fortasse Petrus cùm hortatu Christianorum fugisset à Neronis gladio & carcere, retrahitur à Christo sibi dicente: *Vado Romam iterum crucifigi*, q.d. *Tu me sequere: quid ad te*, quid alii faciant aut suadeant?

F. V. *Fuitne Ioannes Christo dilectissimus?*

Quæst. 5. Fuitne Ioannes præ omnibus discipulis Christo dilectissimus? Resp. id non convinci ex scriptura, nec certò asseri posse. Quod enim ait Scriptura fuisse dilectum à Christo, asserit id sine comparatione; & intelligi potest de magna dilectione, quæ multis amoris indiciis ostensa sit. Sanè in hac cum illo certare videtur Petrus. Porrò uterque sua dona habuit peculiaria, ob quæ magis quàm alter poterat amari. Verbi gratia, si præcelluit Ioannes castitate, præcelluit Petrus fide, ut qui solus respondit Domino: *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Si Ioannes præcucurrit Petro ad sepulchrum Christi: Petrus introivit in monumentum prior, adeoque hic cordatior, ille ferventior fuit. Si Ioannes in navi prior agnovit Christum, dicendo: *Dominus est*: Petrus ad hanc vocem misit se in mare & natando ad Christum venit, quod non fecit Ioannes nec cæteri discipuli. Si Ioannes recubuit supra pectus Christi: Petrus ejus lateri primus semper adhæsit. Si Ioanni commendavit matrem: Petro commendavit Ecclesiam. Si Ioannes discipulus, *quem diligebat JESVS*: Petrus fuit discipulus, cui dixit IESVS: *Diligis me plus his?* Si in cœna Ioannes præ Petro ausus est interrogare Christum: Petrus in hodierno Evangelio idem ausus est præ Ioanne. Itaque non decernunt Patres, uter horum Christo magis dilectus fuerit, & videtur præsumptuosum, ut ait S. Thom. 1. p. qu. 20. art. 4. hoc velle judicare, quia ut dicitur Proverb. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus.* Videtur etiam Christus id aperire noluisse, ne alter alteri se præferendi causam haberet.

G. VI. *Cur Ioannes de se scribit, recubuisse se &c.*

Quæst. 6. Quare Ioannes de seipso scribit, se recubuisse super pectus Christi, & dilectum ab eo fuisse, eumque interrogasse, *Quis est, qui tradet te?* Respond. 1. Id fecisse propter nos ad majorem Evangelio suo fidem comparandam, ut cujus autor fuerit discipulus Christi intimus & dilectissimus, quisque meritò credatur hausisse è Christi pectore fluenta Evangelii: Ita eximii pictores suis operibus nomina appingunt sua subtili penicillo, ut inde illis æstimationem concilient, cognito authore.

Secundo, Propter Petrum, ut vult S. Ioannes Chrysost. homil. 87. in Ioan. *Vt ostendat*, inquit, *Petri post negationem fiduciam. Qui enim tunc non est ausus interrogare Christum, sed id muneris Joanni delegaverat; hic commissa sibi fratrum curâ, non alteri vicem suam mandat, sed ipse Magistrum interrogat. Et Joannes quidem tacet, ipse autem loquitur, &c.*

Tertio, Propter Christum, ut amorem ejus erga se prædicet & gratiam. *Cùm enim DEI opera*, inquit S. Severus Episcopus Minoricensis in Epist. de Iudæorum conversatione, *revelare & confiteri honorificum esse, Raphael Archangelus moneat:* Tob. 12. *profectò silere vel celare opera Christi periculosum est.* An non idem fecit David, cùm dixit Psal. 65. *Venite audite & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

H. VII. *Cur Ioannes in sinu Christi recubuit.*

Quæst. 7. Cur in sinu Christi recubuit? Resp. 1. ut esset testis gestorum Christi fide dignior, utpote præsentissimus. 2. ad commendandum decus Virginitatis, juxta id Proverb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Hinc Apoc. 14. Virgines proximæ Agno visæ sunt. 3. ut inde secretiora mysteria Evangelii & Apocalypseos hauriret. 4. Vt amorem Christi erga se ex hoc agnosceret.

Nos ergò Auditores Ioannis innocentiam imitemur ut ad complexum Christi admittamur, cùm hinc ad ipsum migraturi sumus.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

Evangelium Matth. 2.

IN illo tempore, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè: mittens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem. Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

CONCIONES.

I. *Asseritur Innocentibus Gloria cœlestis.*
II. *Cur fuerit à Christo permissa Innocentum cædes.*
III. *Quare Christus Herodis furorem fugerit.*
IV. *Cur in Ægyptum receperit se Christus.*
V. *De parentum in Liberos crudelitate.*
VI. *Documenta.*

CONCIO I.

ASSERITUR INNOCENTIBUS Gloria cœlestis.

I. *Quia Christi præcones.*
II. *Quia Christi defensores.*
III. *Quia innocentes.*
IV. *Quia Virgines.*
V. *Quia martyres.*
VI. *Quia martyrum primitiæ.*

THEMA.

Noluit consolari, quia non sunt, Matth. 2.

BEne & consultò adducit Evangelista Rachelem plorantem infantes ab Herode interfectos; non solùm quia ipsa juxta Bethlehem sepulta fuit, & ita velut magna mater omnium Bethlehemitarum, loco omnium matrum parentavit filiis; verùm etiam quia cum his infantibus similem eventum sortita est illi: quem habuit cum filio suo Benjamino. Hunc enim enixura, cum angeretur partus doloribus, appellavit *Benoni*, id est, filium doloris sui. At verò Iacob, pater, appellavit eum *Benjamin*, id est, *filium dexteræ*, Gen. 35. Pari modo Rachel cum matronis Bethlehemitis deplorat innocentes suos in hod. Evangelio magnis ululatibus, maximis doloribus, utpote sibi ereptos, & dire interfectos adeoque vocat eos *Benoni*, filios dolorum suorum. Verùm cœlestis Pater vocat eos *Benjaminos, filios dexteræ suæ*; quia nimirum eos ad dexteram suam in cœlis collocavit. Hinc ergò Ieremias cùm cap. 3. descripsisset planctum Rachelis ob necatos Innocentes, mox eam consolatur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo* (ploratui scilicet tuo, vel, ut vertit Hieron. *filiis tuis*) *dicit Dominus: & revertentur de terrâ inimici* (Herodis) *& est spes novissimis tuis* (in altero sæculo) *& revertentur filij ad terminos suos.* Consolare igitur, consolare te, ô Rachel; quia planctus tuus, & vagitus infantium tuorum conversus est illis in jubilum; siquidem nunc in cœlis cantant canticum novum, & cytharizant in cytharis suis, quem admodum audivimus in Epistola hodierna; *ac si jam non sunt in terra morientum, sunt tamen in terrâ viventium.* Sanè eos Ecclesia velut sanctos eosque Martyres coluit semper, & colit in hodiernum. Quanto autem jure istud faciat, nunc videndum.

Primo,

B. I. *Quia Christi Præcones.*

Primo, quia sunt Christi nati præcones & quasi Prædicatores. Ita enim testatur Ecclesia in oratione hod. *Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, &c.* Prædicarunt autem & confessi sunt vagitibus & cruore suo, ita ut non in Rama solum, urbe ad oras Bethlehem sita, sed in Roma quoque audiretur. Eorum siquidem cæde audita dixisse fertur Augustus, malle se Herodis porcum esse, quam filiũ, eò quòd inter infantes illos etiam filius Herodis peremptus esset; ut alibi audivimus ex Macrobio: Verum falleris, Auguste, præstat Herodis filium esse, quam Augustum Imperatorem. Illius enim, uti & reliquorum Innocentum præconium, & mors omne tuum imperium, opes gloriamque superavit, quando eos in cœlum extulit & Sanctorum albo adscripsit. Tres potissimum præcones Nativitatis suæ Christus habuit: Angelum, Stellam, Innocentes, Angelus Iudæis; Stella magis: Innocentes, toti penè orbi nuntiarunt Christum natum; & propterea illorum præconium tonitruo comparare possumus, quemadmodum audivimus in Epistola hod. quia procul auditum fuit; dæmonibus terribile, velut horrendum tonitru: hominibus verò amabile, velut vox Cytharœdorum. Quis ergò præcones istos negare audeat dignos cœlo, quod Angelum, quod stellam, quod hos denique innocentes misit ad tam arduum munus?

C. II. *Quia Christi defensores.*

Secundo, Quia sunt Christi defensores, & quodammodò servatores, Primò, quia hoc ipso, quòd coætanei & concives Christi erant, Christum inter se occultarunt, ne ab Herode agnosceretur: Deinde subtracto per fugam Christo, vicario suo sanguine Herodis sitim extinxerunt, ita ut persequi Christum defineret, quem occisum jam putabat, minimè alioquin cessaturus Christum fugientem persequi. Magno beneficio affecit Michol Davidem maritum, quando eum ad necem quæsitum dimisit per fenestram & ipsius loco statuam pellibus affabre coopertam reposuit in ejus lectum, ut ita apparitores eluderet, qui Davidem comprehensuri, simulachrum ejus tantum deprehenderent, 1.Reg.10. Sed non magno constitit astus hic uxori. Innocentes nostri, cum vitæ suæ dispendio, Christi induerunt personam & quodammodò illius lectum subingressi; dum singuli pro Christo habiti sunt, mortem pro ipso subierunt. Celebratur inter gentiles Q. Ciceronis filius, qui patrem ad necem quæsitum occultavit, ne is inveniri posset: & cum in quæstionem adductus omnibus tormentis interrogaretur, nihil enunciavit, apud Dionem. lib.47. Inter Christianos, quando Thessalonicæ jussu Theodosii Imperatoris ira præcipitati, milites ingenti & miserabili cæde (qua septem millia civium perempta sunt) sæviebant in civitatem, inventus est servus quidam, qui hero suo, quo benigno usus fuerat, cùm is ad mortem duceretur, opem ferens, seipsum pro eo ad necem alacri animo obtulit; apud Niceph. l.12. c.40. Et quid aliud fecerunt Innocentes nostri, dum pro Christo interempti sunt? tametsi enim gladium Christo decretum non propria electione, sed DEI dispensatione in se exceperunt: eo tamen facto Christum defenderunt. Benè igitur in eos quadrat, quod Cantic. 3. dicitur: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.* Quid enim lectulus Salomonis, nisi Christi incunabula? Et quinam illi fortes, nisi Innocentes magno numero, gladiis insignes, quibus perempti ipsi, Christum infantem tutati sunt? Hoc ergò tam strenuum & fidele servitium Christus in suo regno non remunerabitur? Audiamus S. Paulum, quam honorificè loquatur de suis liberatoribus, ad Rom. 16. dicens: *Salutate Priscam & Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt; quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ gentium;* quid non faciat Christus Innocentibus, qui pro ipso cervices suas supposuerunt gladiis impiissimi & crudelissimi Tyranni?

D. III. *Quia innocentes.*

Tertiò, Quia innocentes sunt, Agni absque macula, & hoc ipso gratissima Deo hostia, qualem ipse requisivit, Exod.12. Innocentes autem sunt, quia nemini unquam nocuerunt, nec nocere in illa tenera ætate poterant; & quia iniquissimè perempti sunt, qui ad necem non quærebantur; siquidem Herodi nihil unquam obesse poterant; & quia suo sanguine verã & Christianam innocentiam, cœlo dignam acquisierunt. Quis autem inficiabitur eos, qui cum innocentes sint, iniqua patiuntur, commiseratione, imò gratiâ & favore prosequendos esse? Pepercit enim Deus Ninivitis pœnitentibus, etiam propter illam causam, quòd in ea degerent plurimi infantes, & pueri prorsus innocentes: *Ego non parcam,* inquit, *Ninive Civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram?* Ionæ 4. Quin etiam ferox, & efferati animi Turca jussus à Solemanno Imper. quendam ejus nepotem adhuc infantem strangulare (more & crudelitate Turcis consueta) cum collo puerili laqueum aptaret, infansq; ei arridens, ac se, quoad poterat, è cunis attollens, apertis ulnis complecti & ferre osculum conaretur, ea re sic commotus est, ut non modo infanti vim inferre nequiret, sed anima defectus concideret. Refert Augerius Busbequius in Epist.4. Legat. Turc. Et quomodo posset Christus non misereri innocentium tam indigne peremptorum? quomodo non resarcire cladem iis illatam? quomodo non mortalem eorum vitam immortali compensare? Quam multi illorum, putatis, carnificibus arriserunt, cum ab iis raperentur ad necem, utpote quos nondum didicerant formidare? Et quomodo hoc spectaculum intueretur Christus, ut ex luporum faucibus non erueret hos agnos, & in aulam suam cœlestem transferret?

Quarto,

E. IV. *Quia virgines.*

Quarto, Quia Virgines. Tametsi verò eorum virginitas naturæ donum, non virtus fuit: nihilominus tamen amabilis, & propterea cœlo digna; quòd ex DEI dono in ipsis conservata, & periculo corruptionis per mortem præmaturam subtracta. Triplici enim differentia virgines sunt, ut docet Blas. Viegas, in cap. 14. Apoc. Primi, qui infantes & pueri decedunt, & hi maximo sunt numero: alii pauciores, qui Virgines ex voto seu religiosi sunt: alii denique paucissimi, qui in sæculo virgines degunt. Porrò omnes istos Agnum, Christum in sua gloria comitari scribit Viegas loco cit. quasi designatos à Ioanne Apoc. 14. numero centum quadraginta quatuor millium, ita ut numerus centum millium ad primam virginum classem: quadraginta vero millium ad secundam: quatuor denique millium ad tertiam classem referendus sit. Quidquid tandem sit, gratulabuntur sibi in cœlo innocentes nostri, saltem quòd inquinati nunquam fuerint, tametsi varietatis Virtutum coloribus exornare se non potuerunt.

F. V. *Quæ martyres.*

Quinto, quia martyres, non equidem voluntate, sed causa; siquidem propter Christum, pro Christo & per Christum passi sunt. Propter Christum, quoniam inter ipsos latebat Christus, qui solus quærebatur: ipsi ergò omnes & singuli Christi personam sustinuerunt, velut ejus coævi & concives. Christus non fuisset, salvi omnes præstitissent. Vnde optimo jure dicere id Psalmi 43. poterant *Propter te mortificamur totâ die: æstimati sumus sicut oves occisionis.* Pro Christo, quia pro ejus vitâ tuenda passi. Alii martyres pro Christi fide & honore martyrium subierunt: isti verò pro ipsa Christi persona servanda; quandoquidem Herodes mactatis hisce agnis persequi Christum desiit, putans eum occisum in parvulis. Illi velut milites in prælio decertantes pugnarunt pro honore Christi contra ejus hostes: isti verò velut amici aut servi fidelissimi gladio Herodiano, qui imminebat Christi cervici, supposuerunt capita sua. Illi postquam Christus pro hominibus mortuus erat: isti antequam moreretur, pro eo mortui sunt. Poterant ergò tunc, & possunt adhuc in cœlo monstrare Christo vulnera sua & dicere: Pro te & salute tua hæc vulnera excepimus; quid nobis dabis præmii? Ita aliquando Ladislao Vngariæ & Bohemiæ Regi adhuc puerulo Ioannes à Brandesio Giscra cognomine, bello præstantissimus, qui pro Rege electo multa præclara gesserat, more militari ostendit sua vulnera & cicatrices, quas apud Vngaros rebelles, Regis gratiâ, accepisset, sub inferens: *Ec quæ spes præmij laborum meorum apud te mi Rex? ecquid stipendi militi tuo aliquando tribues?* Ad hæc Ladislaus puer dispensatorem adiens, sacculum ejus depromit, & quia sex tantummodò nummos in eo reperit, eos Giscræ donet, dicens se non plures in præsentia habere, quasi olim plus daturus. Hieron. Ziegl. de viris illustriss. German. c. 100. Vidit ergò puerulus præmium, se debere strenuo suo militi: & non viderit Christus vitam immortalem se debere iis, quibus suam mortalem debet? Et si in eo temporis momento nondum eos pro meritis præmiavit, fecit tamen, quod potuit, dum in sinum Abrahæ transtulit & inde quasi è Dispensatoris sui sinu protulit ac donavit eis sex nummos, videlicet gratiam, perseverantiam in gratiâ, spem aureolæ, requiem à laboribus & doloribus, societatem SS. Patrum, societatem angelorum; promittens insuper gloriam cœlestem & plenam remunerationem, ubi regni sui possessionem accepisset. Per Christum, quia Christus aliquo modo causa internecionis ipsorum fuit, dum videlicet è patria in Bethlehem migravit, ibi nasci & diebus pluribus commorari voluit. Hinc enim infantes Bethlehemitici in discrimen adducti & sævitiæ Herodianæ traditi sunt; victuri alioquin, si hunc hospitem non habuissent. Propter te igitur, ô Salvator, orta est hæc tempestas: numquam oritura, si navim Bethlehemiticam non inscendisses. Sciebas Domine id Eccles. 21. *Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa*; id verò tu hic fecisti quando teipsum lapidem augularem infantibus Bethlehemiticis immiscuisti: hinc enim aviculæ illæ dejectæ. Nonne igitur æquum est, ut damnum hoc eis resarcias? *Prorsus*; idque fecit Dominus, dum aviculas istas de vita mortali & misera dejectas, & in gladium Herodianum velut in Veru actas & assatas ad cœlestem mensam jussit sibi apponi. Neque refert, quòd martyrium hoc per voluntatem non elegerint, sufficit eis causa. Audiamus S. Bernard. serm. un. de Innocent. *An verò*, inquit, *de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos Infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos sibi pueros, puer ille, qui natus est nobis, non contra nos, propter se pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret, ut quemadmodum cæteris Infantibus tunc quidem Circumcisio, nunc verò baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eò susceptum martyrium illis sufficeret ad sanctitatem: Si quæris eorum apud DEVM merita, ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Christi pietas, quam Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare?* hæc Bernardus.

G. VI. *Quia martyrum primitiæ.*

Sexto, Quia primitiæ Martyrum, imò Ecclesiæ totius. Scimus DEVM Exod. 23. in festo tabernaculorum, quod erat in exitu anni, petiisse à Iudæis primitias omnium frugum. Impletum est hoc in innocentibus, qui in exitu anni eoque tempore, quo Christus habitabat in solo peregrino, velut omnium Christianorum primitiæ DEO oblati sunt; sic enim appellantur ab Ecclesia in hodierno officio:

Hi

Hi empti sunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno. Sunt velut præcoquæ illæ ficus, quas desideravit Michæas, cap. 7. (Hebr. primi fructus) cæteris sapidiores; tum ob novitatem, tum ob martyrii & innocentiæ pulchritudinem. Deprehendit nescio quis carnes lupinis dentibus laniatas, esse dulciores, ut scribit Pierius, lib. 10. Tales sunt Innocentes agni Herodianorum luporum dentibus lacerati. Sunt violæ, primi veris flores, *Quos* ut ait S. August. serm. 10. de Sanct. *in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit.* Violæ attritæ fragrantiores sunt: similiter Infantes isti persecutoris manibus & pedibus contriti. Sunt Ecclesiæ fundamenta seu primi lapides ab ipsomet Fundatore Christo positi, juxta id Isai. 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphyris.* Loquitur ibi ad literam de Ecclesiæ fundatione, in qua Christus primos lapides stravit, dum Infantes gladio Herodis prostravit & in Ecclesiæ fundamentum aptavit, quandoquidem ipsi semet propriâ electione, quemadmodum alii martyres fecerunt, aptare ad hoc non poterant. Sed quomodo Saphyri sunt? Ex Christi nimirum dono, qui eos cœlo inseruit & martyrum aureolis condecoravit (quoniam Saphyrus cœlestem refert colorem aureis punctis quasi stellulis collucens) & ita eorum puncturas seu vulnera in stellas commutavit. Protarchus Philosophus, teste Aristotele, lib. 2. phys. fortunatos dixit esse lapides, ex quibus Altaria fiunt, quæ ab hominibus honorantur. Ego verò rectius beatos dixerim lapides istos, Innocentes nostros, in quibus prima Ecclesiæ fundamenta jacta sunt. Hos secuti martyres innumeri, non adulti tantum, sed parvuli etiam ac penè infantes aliqui, ut illorum socii fierent. Apud Homeritas egregium virilis animi specimen edidit quidam puer quinquennis, qui in Nagran civitate è Dunaan Tyranno Iudæo blanditiis allectus, ut matri ad rogum adjudicatæ valediceret & cum ipso maneret, renuit dicens: *Apage Iudæe; non te sed matrem quæro.* Cumque vidisset matrem propter Christi fidem conjici in ignem, momordit Tyrannum in fœmur & cursu ad matrem contendens insiliit in fornacem, matremque amplexus cum ipsa martyr factus est. Refert Procopius apud Baron. anno 522. Huic meritò accensemus alterum illi non dissimilem cum simili etiam matre, quæ (ut scribit Prudentius in hymno de S. Romano martyre) cum videret filium parvulum ob Christi fidem, Antiochiæ ab Asclepiade Præfecto loris dirissimè cædi, constans sine fletu spectavit, quin & filiolum aquæ haustum poscentem objurgavit, dicens: *Calicem eum expecta, quem occisi in Bethlehem infantes olim biberunt, & lactis & papillarum immemores.* Puer itaque lętus virgas & dolores vulnerum ridet: damnatur, ducitur cum Romano ad supplicium. Perventum est ad cædis locum: puerum, quem in complexu mater extulit, carnifex poscit: dat illa, præter osculum nihil morata; & dum carnifex cervicem resecat, accinit illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Ecce servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

Habemus igitur quàm meritò Ecclesia nostris innocentibus accommodet ea, quæ de Virginibus dicuntur Apoc. 14. Habent enim vocem tonitrui & cytharœdorum, quia Christi præcones. *Sequuntur Agnum quocunque ierit*, quia Christi satellites. *In ore eorum non est inventum mendacium*, quia innocentes. *Cum mulieribus non sunt coinquinati, quia Virgines.* Nomen agni in frontibus gerunt, quia martyres. Denique *empti sunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno.* Proinde etiam jure meritò in cœlo visi sunt, quò & nos perducere dignetur DEVS.

CONCIO II.

CUR FUERIT A CHRISTO Permissa Innocentum Cædes.

I. Vt esset Typus futuræ persecutionis.
II. In bonum infantum.
III. Ob Christi dignitatem.
IV. Vt essent præcones Christi nati.
V. Vt in illis punirentur parentes.
VI. In terrorem aliorum puerorum.

THEMA.

Noluit consolari, quia non sunt, Matth. 2.

NOn caret admiratione, quòd Christus Dominus, qui venerat in mundum ut homines vitam haberent, permiserit occidi tam crudeliter Innocentes. Ipse enim est, qui postmodum in oliveto salvos voluit esse Discipulos, & solus ad necem ire, dicens: *Si ergò me quæritis, sinite hos abire*; Augetque difficultatem, quòd ipsiusmet Christi causa, infantes hi occisi sint inscii & immeriti. Certè in simili casu dicebat Ionas: *Quoniam propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare*, Ion. 1. Et S. Thomas Cantuariensis, cujus festum cras celebrabimus, cum fugisset à Regis Angliæ Henrici II. furore ad monasterium ordinis Cisterciensis Pontiniacense, videns propter se monasterio cladem imminere & minas intentari, sponte discessit, ne quid mali sui causa pateretur. Cur ergò non idipsum fecit Christus? cur passus est tam crudeliter mactari agnellos, qui id facilè impedire potuisset? Exclamare hic luberet cum Apostolo: *O Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, &c.* Rom. 11.

A.

Rom. 11. Sed conemur investigare causas aliquas. Magno enim DEI consilio hoc actum est.

B. I. *Vt esset typus futuræ persecutionis.*

Primò, Vt hæc innocentum strages typus esset futuræ persecutionis in Ecclesia. Ita V. Beda hom. in Nativ. Innocentum, *si quando enim insignis aliqua fabrica est extruenda, prius conficitur aliquod illius prototypon seu exemplar.* Legimus in Exodi libro cap. 25. quòd cum Dominus vellet sibi ædificari à Moyse sanctuarium, in quo habitaret cum hominibus, vocasse ad se Mosen, & designasse ei totam ædificii fabricam, à minimo usque ad maximum, atque ita quidem, quasi in chartâ ei descripta esset. Vnde sæpius remittitur ad exemplar, Exod. 25. & 26. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Similiter ad templi Ierosolymitani extructionem dedit David Salomoni descriptionem porticus templi, ut dicitur 1. Paral. 28. Ad finem verò capitis: *Omnia*, inquit David, *venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Quo loco Abulensis, quæst. 7. opinatur Davidem accepisse à DEO templi & vasorum omnium ideam in membranâ vel tabula descriptam. Iam si ad materiale templum præparavit exemplar tanta industriâ DEVS, quanto magis ad Ecclesiæ universalis, cujus illud figura tantum & umbra erat? Et quod putatis exemplar Ecclesiæ fuisse? Dico ego cum Venerabili Bedâ ubi suprà, fuisse stragem innocentum. Magno nimis, inquies, constat hoc exemplar, quod sanguine describitur, sed magna etiam est Ecclesia nec opus uni diei, 1. Esdr. 10. *Opus grande est & latum*, Neem. 4. *Vas admirabile, opus excelsi*, Eccl. 43. Quòd si ingentis ædificii prima delineatio, sæpe numero centenis aliquot aureis constat: quid mirum si Ecclesiæ typus sanguine constiterit, quæ innumeris Confessorum lapidibus extruenda & inexhausto Martyrum sanguine conglutinanda erat? Monstratum fuit Moysi tabernaculi exemplar, dum esset cum Domino in monte. Monstravit etiam nobis Ecclesiæ suæ exemplar, cum esset nobiscum in terrâ. Idque tale est. Patrata est cædes in Bethlehem & in omnibus finibus. Ita sævììt & persecutio in Ecclesiâ, quæ sola vera est Bethlehem & panis domus: panis scilicet angelici, panis Eucharistici: Et prætereà in omnibus Ecclesiæ finibus nulla fuit Christianorum natio, quam turbo persecutionis non quateret. Interemptorum alii erant infra ætatem Christi, alii suprà, alii juxtà. Ita Ecclesiæ membra, alia ante Christum, alia tempore Christi, alia post Christum. Parvulorum alii lactentes, alii balbutientes, alii loquaces. Ita Christianorum alii incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Alii à bimatu occisi, alii infra. *Ita in Ecclesiâ alij doctrinâ & operatione perfecti*, ut ait Beda ubi suprà, *alij simplices & idiotæ, fide fortes.* Alii erant nobiles, alii plebei, pari tamen discrimine, pari & coronâ: Ita & Ecclesia Martyres nobiles & ignobiles habet. Illi sine pavore occisi sunt, quia formidare necdum didicerant: Ita Martyres in Ecclesia stabant inconcussi & cervices porrigebant intrepidi. Illi in Personâ Christi quasi regni insidiatores sublati, cum essent innocentes: sic & Martyres à Gentilibus. Illi quidem occisi sunt, sed Christus, qui quærebatur, evasit. Ita Tyranni Martyribus & eripuêre quidem vitam, nullatenus autem Christum. Illi suo sanguine propagarunt famam Christi, quam Herodes illo ipso extinguere sperabat: Ita & nostri Martyres sanguinem fundendo, agrum Ecclesiæ segete ditiore vestierunt, quem Tyranni eo ipso medio demetere parabant. Innocentum numerus fuit propè innumerus. Similiter Christianorum numerus, millia millium Apoc. 5. Pulcherrimum igitur Ecclesiæ exemplar, Innocentes præbuerunt, & qualis ipsa futura esset, ad vinum delinearunt. Antiquis ut refert Pier. lib. 51. hierogl. amygdalus arbor, bonæ spei typus & hieroglyphicon erat, quod arbor illa præ omnibus aliis floribus indui soleret, & siquidem floruisset, frugum ubertatem prædicere. Amygdalus ista Bethlehem est, quæ dum prima omnium innumeris vestitur Innocentium Martyrum floribus, quid aliud prænuntiabat, quam copiosam Ecclesiæ segetem & pinguedinem? Vnde verissimè canit in hodierno hymno de ipsis Ecclesia: *Salvete flores Martyrum.* Per hoc etiam nos moniti sumus, nec miremur, si persecutionem patimur, quia hanc jam ab initio Ecclesiæ nostræ & quidem infantes pertulerunt.

C. II. *In bonum infantum.*

Secundò, Ob bonum & utilitatem infantum: Ita S. Fulgentius sermon. de Epiph. Chrysog. serm. de Innocent. ubi sic Herodem alloquitur: *Non solum istum puerum non invenisti, sed nec illis pueris aliquid nocuisti, imò insciùs, quod illis proderat hoc egisti.* Horum enim aliqui vel in Gentilismo nati erant, vel perversis à parentibus; ut proinde periculum esset, nec si vitam protraxissent, è numero illorum fierent, qui vociferabantur: *Crucifige, Crucifige.* Impiè certè tunc educabantur filii, ac quemadmodum sentit P. Canisius de Ioan. Bapt. pag. 9. poterat facilè accidere, ut horum aliqui immolarentur idolo Moloch à parentibus. Non fecerat injuriam fratribus suis Ioseph, quod in ore sacci eorum scyphum suum insciis ipsis condiderit, licet eos propterea insequeretur, & veluti furti reos dure acciperet: hoc enim medio ad ipsum revocati sunt fratres, à fame liberati & in opulentam terram traducti, Genes. 44. Pari modo summa DEI gratia fuit, quod infantulis illis passionis propinarit calicem, & nesciis quodammodo infuderit: sic enim à miserrimo liberati ergastulo ad campos plus quam Elysios feliciter educti sunt. Nescio an nostrum quis hæsitaret, si ad regias vocaretur dapes. Vulnera, vincula, catastæ, gladii, ignes, Martyribus nostris epulæ erant. Vnde de S. Agathâ recitat Ecclesia in ejus officio in responsorio lect. 2. Noctur. 1. quod lætissimè & glorificanter ibat ad carcerem, & quasi

ad

ad epulas invitata agonem suum Domino commendabat. Marcus & Marcellianus Tyranno dixerunt in tormentis, nunquam se tam jucundè epulatos, ut est in eorum officio lect. un. De S. Laurentio non dubitavit scribere S. Augustinus tract. 26. in Ioannem, eum tormenta sua manducasse, benequebibisse, ac tanquam escâ saginatum & calice inebriatum, tormenta non sensisse. S. Tiburtius super prunas ignitas ambulans, visus est sibi super flores ambulare. S. Ignatius bestias sibi ad necem paratas vocat *salutares*, ut in ejus officio. S. Andr. crucem *desideratam*, ut in ejus officio. Certè si vitam produxissent Innocentes illi, sæpè sæpius eis eximendus fuisset è vaginâ gladius, & concupiscentia carnis propria jugulanda, ut experiuntur omnes Christo militantes. An non igitur melius est, simul & semel porrigere cervicem ad certam victoriam, quam dubio Marte toties sibi vim afferre? *Consummati* ergò *in brevi*, scil. tormento, *multa expleverunt tempora*, Sap. 4. id est, tantum momento uno lucrati sunt, quantum vix alius toto vitæ tempore, *quibus*, ut ait author Tractatu de stella & Magis, *lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur*. Vnde S. Aug. serm. 3. ait: *Nunquam Herodes parvulis tantum prodesse potuisset obsequio; quantum profuit odio.*

D. III. *Ob Christi dignitatem.*

Tertiò, Ob Christi dignitatem. Ita Palacius in Matth. c. 2. Primò, quia cum Christus jam antea in circumcisione sanguinē fudisset: sic dubio effusioni illi merces sua debebatur. Quæ autem justior merces quam si infantulis Christi sanguis, infantium innocente sanguine compensetur? Iacob dum apud Laban ovium pastor esset, nil aliud pro mercede petiit quàm oves varias, & sparso vellere maculosas, Gen. 30. sed quo plures obtineret, virgas decorticatas bibenti objecit pecudi. Pastor noster Christus est, vulneratus in circumcisione ovium suarū causâ. Et quid mercedis petis ô Pastor? *Nihil volo*, ait Iacob; *sed si feceris, quod postulo, iterum pascā*. Petiitque oves variegatas; Itaque nil commodius Christo dari poterat, nisi infantes variis sanguinum maculis & sparso quodammodo vellere elegantes. Serviit ad hoc negotium virga Herodis decorticata, machæra evaginata. Deinde in circumcisione sponsalia quasi cum Ecclesia Christus contraxerat (nuptiæ in diem passionis differebantur) nonne igitur meritò arrhā suam capiebat? Et quam commodiorem inveniemus nisi annulos illos aureos, aptissima digitorum Christi ornamenta? Secundò debebantur ei titulo honoris. Sic enim in adventu magni Principis spectacula exhibentur, hastiludia instituuntur, pugilū certamina proponuntur magno Athletarum discrimine. Pari ratione Christo in orbem ingredienti, certamen hoc parvulorum utpote Christo parvulo congruum exhibetur; nam etsi nobis quidem id crudele patet: Christo tamen, qui coronam immarcessibilem Athletis tribuit, spectaculum id jucundū erat. Immolabat David Hostias, holocausta & pacifica coram Domino, quando arcam fœderis in civitatem suam intulit, 2. Reg. 6. Cur non debeatur hic honor Christo, quem arca figurabat? Tertiò, debebantur titulo defensionis: jure namque naturali membra se pro capite exponunt ictibus. Immolaverūt Ethnici liberos suos dæmoniis, ut dicitur Ps. 105. & patet ex 4. Reg. 23. idque sine dubio ob patriæ bonum commune. Contra lepram Const. Magno Imperatori balneum de infantiū sanguine parabatur. Sed crudelia erant isthæc. Id solum justum, solum honorificū est, pro Christo mori, qui solus commutare mortem in vitam potest. Nec verò injuriam facit cuiquam Dominus, si quo ad sui gloriam utitur: sicut nec calamo facio injuriam, cùm ad scribendum mihi eum applico, licet usu quidē ipso paulatim deteratur. Sic usus est ad sui gloriā, punitione Pharaonis, Exod. 14. Amalechitarum, 1. Reg. 15. Sichimitarū, Gen. 34. Et si per noxiorum supplicia glorificari & sanctificari Deus dicitur, ut Exod. 14. Lev. 10. Quomodo non glorificetur, cùm innoxii pro ipso luunt?

E. IV. *Vt essent præcones Christi nati.*

Quartò, Vt essent ploratu & ululatu suo Præcones Nativ. Christi, vel, ut ait S. Leo Papa ser. 2. de Epiph. *Vt dum Herodes atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscretâ infantum cæde persequitur, annūciatum cœlitus, dominatoris ortum insignior ubiq; fama loqueretur.* Quâ in re gladiatorius iste Herodis lusus similis fuisse mihi videtur illi ludo, de quo Plato l. de leg. 6. scribit. lusuum quoddam genus fuisse, in quo juvenes ignem gladio dissecare cōsueverant; sed irrito prorsus conatu; quò enim magis vexabatur ignis, eò majorem concipiebat flammam, carbonum exagitatione magis magisq; invalescentem. Vnde proverbium natum: *Ignem gladio dissecare vel fodere*, pro re frustraneâ, ut etiam notat Basilius in epist. ad nepotes. Christus natus ignis erat dē cœlo in terram lapsus, jamque sui famâ undiq; coruscans. Vnde de se Luc. 12. ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Carbones ignē alentes Innocentes sunt, Christum quasi tegentes & occultantes; inter quos latebat. Dum igitur Herodes Christum in parvulorum cæde persequitur, ignem gladio dissecat, atque adeo innocentum veluti carbonum exagitatione, magis magisque accendit. Ita enim factum, ut quibus obtundere ora volebat, eosdē Christi præcones faceret. Stultescere videbitur, qui organi sonitum cohibiturus, folles calcare, aut ponderibus volet gravare. Sic enim organum vehementiori turgebit vento, & altius sonabit. Insanit igitur Herodes, qui famam Christi nati jam resonare cœptā, extincturus, parvulos pedibus proculcat, occisosq; tumulis premit. Folles sunt isti, & quo magis depressi, tantò magis Christi sui famam locuti sunt. Certè vox ista non in Ramâ tantum sed & in Româ audita est, Macr. l. 2. Saturn. c. 4. teste (qui scribit Augustum dixisse, præstare porcum esse Herodis, quam filium, ut alias dixi) & à pluribus scriptoribus orbi patefacta, uti à Macrobio, Philone Iudæo, Cassio Nicæo Græco, Antonio Sabellico, &c.

F. V. *Vt in illis punirētur parentes.*

Quintò, Vt in illis peccatum parentum puniretur. Ita S. Auguſtinus lib. 2. de ſymbolo ad catech. cap. 5. ſed hic primò quæres, quod peccatum fuerit parentum? S. Auguſtinus ibi. Parentes parvulorum ſic alloquitur: *Vobis irrogatur pœna orbitatis, cæterùm illis gloria fertur immortalitatis. Nuntiaſtis Herodi, ubi occidendus inveniri poteſt filius Dei, ſed ille filios veſtros occidens pro filio DEI, & vos orbitatis pœnâ neſcius punit tanquam proditores, & filios veſtros DEI fecit Heredes. Sic vos irridebat, qui habitans in cœlo jacebat in terra, ſic furias veſtras, regiſque veſtri ſubſannabat, quando mala veſtra in vos retorquebat & de malis veſtris multa ille bona faciebat &c.* Hæc Auguſtinus.

Alterum addit Palatius in cap. Matth. *Quia parentes eorum*, inquit, *ſuum Meſſiam, quem Magi adoraverunt, non curarunt agnoſcere.* Quin & tertium addimus, quòd Bethleemitæ Chriſtum ejuſque parentes recipere in diverſorium nollent. *Non erat eis locus in diverſorio*, ait Lucas cap. 2. ſed nimirùm ſi pompoſius aliquis veniſſet Dominus, fuiſſet ſine dubio pro illo locus. Sicuti in ſpectaculis nunquam ita plēna ſunt ſedilia, quin pro adventante Principe vel magnate ſuperſit aliquis locus. Sed jam inquiret alius: cur ſcelera parentum filii luant? Quibus dico primò, ſi filii ſint innocui, quia non modica ſunt, ſed ſuaviſſima pars parentum, acrius puniri patres in filiis, quam in ſe ipſis. Et ſi enim iſtis ad animæ detrimentum non cedit, cedit tamen illis ad duplicatam pœnam. Vnde S. Gregor. lib. 25. moral. cap. 32. ait: *Percutitur pater in filiis, ut acrius uratur*, plena eſt ſacra hiſtoria ejuſmodi exemplis. Puniuntur ob parentum ſcelera infantes in diluvio, Gen. 7. In Sodomitico incendio, Gen. 19. In Benjamin vaſtatione & incendio, Iudic. 20. In Iabes Galaad, Iudic. 21. Chanaan ob peccatum patris Cham, Gen. 9. Primogeniti in perſecutione Ægyptiorum, Exod. 21. In deletione domus Achan. Ioſ. 7. ob peccatum Amalecitharum, 1. Reg. 15. Filius Davidis ob peccatum patris, 2. Reg. 12. Deinde ſi & filii ſint rei, jam & ipſi quoque parentes meritò in iis luunt & filii in ſe ipſis; hoc ſecundum facilè patet. Primum etiam oſtenditur, quia parentes ut plurimum cauſa ſunt diſſolutæ filiorum vitæ. Sic enim, 4. Reg. 2. cum pueri parvi illuderent Eliſæo dicentes: *Aſcende calve, aſcende calve.* Egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Nec factum id abs myſterio. Vrſi enim cum informes pariant catulos, eos tamen ſedulò lambunt, donec ad debitam formam effingant, teſte Plinio lib. 2. cap. 36. Hoc quia parentes puerorum illorum neglexerunt, quin potius haud dubiè, malo ſuo exemplo, filios detrahere Prophetis docuerunt, meritò per urſos puniti ſunt eorum pueri, ut ſic caſtigarentur à beſtiis, qui à parentibus non caſtigabantur. Habent prætereà quòd hic parentes adnotent; ſi hîc puniuntur filii, in quibus culpa minor eſt, velut in cauſato: Patreſne impunes erunt, in quibus culpa major, & veluti in cauſa: *Si in viridi ligno hæc fiūt*, ajebat Dominus ad matronas aliquas, *in arido quid fiet?* (Ad literam) ſi filius DEI luit ob aliena ſcelera, quomodo luent homines ob ſua? (Myſtice) ſi filii ita luunt à parentibus depravati, quomodo tandem luent depravatores ipſi?

G. VI. *In terrorem aliorum puerorum.*

Sextò, Ad terrorem, puto, etiam pueris incutiendum. Ait quidem Iob. c. 4. *Quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* ſed nónne audis Iob; quia innocentes hodie perierunt, & non ſunt, adeoque deleti ſunt: Quid igitur eſt, quod dicis? perditione quidem animæ, innocens nemo petit: perditione corporis hodie perierunt. Quod ſi illi tranſilire debuerunt gladium, qui nulli nocuerunt: quomodo impunes erunt, qui teneram ætatem venialibus ſaltem aſpergunt maculis? Dicitis quidem ô parentes, liberos veſtros liberari voce paſſim innocentes, ſed non caret etiam ſuis vitiis ætas illa. Vnde ad terrorem aliorum quandoque caſtigatur; uti puer ille quinquennis apud S. Greg. l. 4. dial. c. 18. qui inter blaſphemias à dæmonibus territus animā reddidit. Circa eadem ferè tempora Samnites pueri, ut refert Procopius de bello Gothico l. 1. cum paſtum pecus educerent, per luſum, ut aſſolent, duos inter ſe deligunt Duces. Belliſarium unum; Vitigem alterum (qui tunc temporis in Italia bello mutuo decertabant.) Hos igitur colluctari jubent, ſuperatur Vitiges & proſternitur; hunc ſtatim puerilis illa & inconſideratior turba, illudendo ſimul & increpando in proximam arborem ſuſpenderunt. Et en lupus interim in conſpectum eorum proruit, unde exterriti fugā omnes capeſſunt; qui verò ſuſpenſus pēdebat, à cæteris deſtitutus, in eo cruciatu interiit. Quod certè in terrorem petulantium puerorum divinitus accidiſſe, nemo dubitabit. Memorabile eſt & illud de quodam Elephante, quod ſcribit Pier. l. 2. hierogl. qui cætera mitiſſimus, cum ab inſolentibus pueris nimium aliquando procaciter laceſſeretur & in proboſcidem pungeretur: rapuit unum ex illis, & proboſcide obvolutum in altum ſuſtulit, quaſi mox in ſublime ejaculaturus. Territi hoc ſpectaculo juvenes, vociferari & pro ſocio gratiam implorare. Itaque quem in ſublime vexerat, leniter depoſitum, pueris reddit. Quid aliud fecit Deus, quando innocentes illos ab Herode raptatos è medio ſuſtulit, quam quòd vobis pueris, ſæpe numero nocentibus exemplum correptionis oſtendit? ſed leniter depoſuit Deus Innocentes illos, primò quidem in limbum, poſtmodum in cœlum una ſecum evexit, quia revera innocentes fuerunt. Videant pueri noxii, ne & ipſi aliquando repente abripiantur & dejiciantur in infernum, vel certè in purgatorium; Diſcant proinde cavere non ſolum gravia, verum levia etiam peccata, juramenta, mendacia, mala agnomina, irriſiones, ſannas, neglectum rei divinæ, oblocutiones &c. Et in ipſis talia maturè reprehendant & caſtigent parentes: niſi eos malint caſtigari à Deo vel ejus Carnifice diabolo.

CON-

CONCIO III.

QUARE CHRISTUS HERODIS furorem fugerit.

I. Ob commune bonum Christianismi,
II. Quia celebriorem de dæmone victoriam obtenturus erat.
III. Vt doceremur, quàm facilè possit eludere sapientiam humanam.
IV. Vt disceremus esse peregrini in mundo.
V. Vt disceremus cedere aliorum furori.
IV. Vt disceremus fugere peccata.

THEMA.

Accipe puerum & matrem ejus & fuge, Matth. 2.

A. Apocalypsis 12. Signum magnum vidit in cœlo Ioannes, *Mulierem parturientem quæ clamabat & cruciabtur donec pareret: & draco magnus stetit ante illam ut cùm peperisset, filium ejus devoraret. Peperit ergò filium masculum, qui recturus erat omnes gentes. Sed raptus est filius ejus ad Deum & ad thronum ejus.* Prophetia est hæc de Ecclesiæ persecutione & tribulatione tempore Anti-Christi futurâ, sed videtur idem ferè contigisse tempore Christi nati. Parturiebat olim Ecclesia & magnis votis ac clamoribus desiderabat parere Christum. Quem cum primum peperit, ecce præstò fuit draco ille Herodes volens ore hiante devorare partum istum. *Futurum est*, inquit Angelus, *ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Sed spe tamen sua fraudatus est; & puer Dei monitu in Ægyptum ductus. Dicet verò aliquis: Quid tandem causæ est, cur Herodem Christus fugere voluerit? Audite.

B. I. *Ob commune bonum Christianismi.* Fugit, Primò ob commune bonum totiùs Christianismi. Nam si tunc Herodis gladio occubuisset, etsi ejus sanguis quantumvis adhuc modicus pro redemptione nostra sufficientissimus erat, plurimis tamen aliis caruissemus bonis, quibus postea per illum ditati simus. Quis enim docuisset nos viam veritatis, viam cœli, si non ipse qui per eam ad nos descendit? Quis docuisset SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Crucis, Resurrectionis mysteria? Quis dedisset salutaria pharmaca Sacramentorum? Quis denique viam virtutis asperam cucurrisset, si non ipse exẽplo suo præisset? Vnde Petrus Chrysol. serm. 251. ait: *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parvulum permisisset occidi, &c.* Hac ratione profuit universo populo Iudæorum fuga Moysis à Pharaone, quærente illum, occidere, Exod. 2. Vnde enim illis talis Dux fuisset per asperum deserti iter, si is à Pharaone sublatus fuisset? Vnde eis libertas ab Ægyptiorum servitute? Vnde lex? Vnde manna? Vnde aqua? Vnde transitus maris rubri, nisi per Moysen? Similiter & nos innumeris bonis careremus, si Christus parvulus obiisset. Idcircò non absque mysterio præcipitur, Exod. 23. *Non coques hædum in lacte matris suæ*, id est, Non occides, Herodes, Christum adhuc infantem & lactentem, ut exponit S. August. q. 90. S. Chrysost. hom. de Innocent. Hædus erat Christus in sacrificio veteri designatus & pro nobis occidendus. Vt ergò hædi majoris sunt utilitatis cum adoleverint: Ita etiam Christus adultâ demum ætate immolatus plus profuit Ecclesiæ. Hinc sponsa illa, Christi scil. Ecclesia, de salute Christi infantis solicita, clamat ad illum: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Cant. 8. Quare sicut Antigonus cedens aliquando hostibus suis ajebat, se non fugere sed opportunitatẽ à tergo sitam persequi. [Plutarch. in apophtheg.] Ita Christus non tam fugiebat, quam opportunitatem plura bona præstandi quærebat. Itaque nos habemus cur gratias Christo agamus ob hanc fugam. Vti enim nobis datus, nobis est natus: ita nobis etiam fugit.

C. III. *Quia celebriorem de dæmone victoriam obtenturus erat.* Secundò, Quia dæmonem celebriori victoriæ superare constituerat, aperto nimirum Marte, & ultrò se ictibus & tormentis objiciendo. Vnde Chrysologus serm. 150. ait. *Christus si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas: non virtus fuerat, sed infirmitas: necessitas fuerat, non potestas: & innocentia fuisset præmium, majestatis gloria non fuisset.* Demosthenes Clypeo suo aureis literis inscripserat: *Bona fortuna.* At cùm ad prælium ventum esset, abjecto clypeo fugit: quod cùm ei probro daretur, respondebat vulgato versiculo: *Vir fugiens rursum pugnabit.* Simili astu in SS. literis Iosue cives Hai Ios. 8. Israëlitæ cives Gabaa Iudic. 20. vicerant: fugam enim primò capiebant, vel potius simulabant, postea ex insidiis reversi fortius pugnârunt & gloriosiùs vicerunt. Fugiebat Christus non tam Herodem, quàm dæmonem incentorem Herodis, sed ad tempus tantum & rursum pugnaturus majori cum gloriâ & aperto Marte. Darius olim decies centenis millibus conserere cum Alexandro M. parabat: quâ tantâ Barbarorũ multitudine consternatus Parmenio, Alexandro suasit, ut nocte intempesta hostem opprimeret, alioqui vix superandum. Sed respondit Alexander, nolle se furari victoriam, palam in luce aggredi hostem velle: ut in ejus rebus gestis Curtius l. 4. refert. Similiter & Christus noluit in infantiâ quasi infirmus & occultus mori: ad montem Calvariæ dæmonem provocabat, ut toti mundo ostenderet suam fortitudinem, obedientiam humilitatem, patientiam, charitatem erga humanum genus, pro quo omnia atrocissima animo promptissimo & patientissimo exantlare voluit: Quæ omnia vel nun-

nunquam vel quasi de nocte gesta fuissent. Videte quantum hinc rursum Christo obligemur, qui nostri causâ breve & leve supplicium fugit, ut diuturnum & gravissimum subiret.

D. III. *Ut doceremur quàm facilè posset eludere sapientiam humanam.*

Tertiò, Ut nos doceret, quàm facile possit humanam eludere sapientiam. Inprimis Herodes omnia exactè scrutatus est, locum, tempus, personam Christi nati. *Videns verò quoniam illusus esset à Magis, occidit omnes pueros in Bethlehem & in omnibus finibus ejus*; ne videlicet aberraret à loco. Occidit etiam omnes, qui infra bimatum erant. Fecit quoq; id per satellites suos, ne adverteretur, quæri Christum ad necem. Denique, si Anselmo credimus, persecutus est Magos usque Tarsum, quos cum ibi non reperisset, naves quibus eò advecti erant, succendit. En versutiam humanam? Sed ô stultum caput! illusum se vidit à Magis, & non vidit illudi se potuisse à Christo? *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Novit enim Christus ad necem se quærendum, antequam quæreretur, ideoque per Angelum suum præmonet parentes ut secedant in Ægyptum. Pulchrè Sapiens Proverb. 21. dixit: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*, q. d. sicut hortulanus aquam in horto suo quacunque vult, ducit: Vel sicut Deus nubem fulgere & fulmine, imbre & grandine prægnarem, quo vult circumducit, & ubi vult exonerat ac velut spongiam exprimit; ita corda Regum. Nubes procellosa erat Herodes, grandinem & procellam vehens, sed constrinxit eam Dominus, donec abirent cum puero parentes. Lusisse videtur Deus cum Herode, sicut ludimus cum cane, os illo suspendendo quasi bolum injecturi, quem tamen simulato jactu retinemus & occultamus in manu. Aperuit os suum Draco ille, infantem devoraturus: sed occultavit illum Deus, & Herodem naso suspendit. Audiverat Alcibiades se unâ omnium Atheniensium voce morti adjudicatum: sed cùm è patriâ profugisset: *At ego*, inquit, *ostendam illis Alcibiadem vivere*. Plut. in vitâ. Ita conabantur eludere Dei providentiam fratres Iosephi, ne ipsis dominaretur: *Venite occidamus eum*, inquiunt, *& videamus quid prosint illi somnia sua*. Sed nihil effecerunt; Dominus illorum factus est. Sic Pharao extinguere conabatur omne semen Israël. Interim verò Moyses mirabiliter servatus est, à quo ipso postea pessundatus est cùm suis. Nemo itaque tam desipiat ut gladium sub pallio contra Deum & æquitatem gerat, quia seipsum decipiet. Nemo attentet Dei ordinationi resistere peccata sua tegere vel palliare, &c. quia omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.

Prov. xxi. v. 30.

E. IV. *Ut disceremus esse peregrini in mundo.*

Quartò. Fugere voluit, ut exemplo suo doceret nos omnes peregrinos esse in terrâ, nec habere manentem civitatem. Si enim Christus mundi hujus pater familias & Dominus in propria venit & sui eum non receperunt, sed & insuper in exilium ejecerunt: quomodo nos domestici & servi ejus speramus hîc meliorem conditionem? Videte quæso. Vix conceptus erat Christus, & in matris utero trans montana abit, ut serviat Ioanni. Iam jam nasciturus Cæsaris edicto in Bethlehem avocatur. Vix natus patriâ pellitur ab Herode, & exul esse in Ægypto cogitur. Inter iterum redire jubetur. Modò fugit in desertum. Modò in patriâ præcipitium declinat. Modò à terrâ Gerasenorum exigitur. Modò è Iudæâ lapidibus pellitur. Modò à Samaritanorum civitate excluditur. Modò in montem Calvariæ educitur. Præterquam quòd ipsemet nullibi consistens pertransiit benefaciendo Castella, Urbes, Pagos, &c. Itaque vita Christi mera peregrinatio fuit. Unde & caducis terræ bonis non est usus nisi ad necessitatem & fere solum alienis. In nativitate non habuit locum in diversorio. Extra patrium natus est. Exul deinde in Ægypto. Utebatur ferè alienis domiciliis, Marthæ, Simonis Pharisæi, & cœnaculo ac sepulchro alieno. Fugiens in Ægyptum deferebat maternam domum. Vivebat ex eleemosynis, quam etiam furi Iudæ committebat. Hinc etiam passim à Caribus, id est, Principib⁹, Sacerdotibus, Scribis & Pharisæis velut advena & peregrinus allatrabatur: Et tamen Christus mundi Dominus, & expectatio Israël erat: Hinc miratur Ieremias c. 14. *Expectatio Israël, Salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terrâ, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus?* Nimirum talis esse voluit, ut nos hic similiter peregrinos agnosceremus, & cœlestem inquireremus patriam. Hoc fecerunt veteres patres, qui vixerūt ante Christum; *non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram*, ait Apostolus ad Hebr. 13. sic Iacob. Gen. 47. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.* David Psalm. 39. *Advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Salomon. 1. Paral. 29. *Peregrini sumus coram te & advenæ, sicut omnes patres nostri.* Quanto magis nos idipsum dicere & sentire decet, qui idē in Christo vidimus? ô quam citò sapientes & perfecti fieremus: si idem sentiremus? S. Olymp. Abb. rogatus à quodam, qua ratione vitam suam rectè institueret, respondit: *Ubique æstima te peregrinum & ubicunque sederis, dic: Peregrinus sum.* refertur in prato spirituali Sophron. c. 12. Hinc fiet ut instar peregrini ab omnibus abstineas, quæ tecum gestare nequis, juxta monitum S. Petri ep. 1. c. 2. dicentis: *Charissimi obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis.* Hinc fiet, ut nihil in mundo ames, sed omnibus quasi rebus alienis utaris. Hinc fiet ut canes te allatrantes facile feras, imò tibi ex hoc gratuleris.

F. V. *Ut disceremus cedere aliorū furori.*

Quintò. Ut nos doceret prudenter & gloriosè cedi aliorum furori, simulq; licere sanctis Dei fugere persecutores, siquidem id fecit Christus. Prudenter autem id fit primo, quia sic servabis animam tuam, ne & ipsa pereat per iram. Ita enim arundines &

fru-

frutices turbini cedentes non franguntur aut eradicantur uti arbores annosæ. Secundò quic sic multoties mitigabis iratum. *Qui enim subtrahit ligna, extinguet ignem*, ait Sapiens. Et ictus bombardarum nullâ re magis hebetantur, quam si molli excipiantur lanâ.

Gloriosè verò, quia gloria est cedere minori & infirmiori, qualis est iratus, qui fera potiꝰ est, quam homo. Quis autem bovi aut equo ferocienti in plateis cedere erubescat? Ingenui Molossi cedunt catellis etiam lacessiti. *Adhæc si fugere ignominia est*, ajebat S. Athanasius ad eos qui fugam ei exprobrabant, *multò magis persequi, cùm is qui persequitur, fugæ sit author*. Socrat. l. 3. histor. Eccl. c. 6. Quòd si DEO ignominiosum non fuit fugere Herodem, servum & creaturam suam, quam uno ictu prosternere potuisset, tibi dedecus erit? nunquid non magna gloria est sequi Deum? itaque rectè Sapiens dixit Prov. 23. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus*, quicquid mundus ogganniat.

G. VI. *Vt disceremus, fugere peccata.*

Sextò. Vt doceret nos fugere peccata & peccandi pericula seu occasiones. *Gloriosa hæc fuga est, fugere à facie peccati*, inquit S. Ambrosius l. de fugâ sæculi c. 4.

Inprimis verò fugere debent, qui tenelli adhuc in fide & virtute sunt, Parva cymba non committitur alto mari, ne fluctibus hauriatur: ita nec tenella virtus magnis est exponenda discriminibus. Tenellæ plantulæ facilè læduntur à feris & pruinâ: sed non ita cùm adoleverint. Hæc causa est cur noluerit Deus Hebræorum populum, ex Ægypto nuper eductum, Philistinorum bellis obiicere, *ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere & reverteretur in Ægyptum*, ut dicitur? Exod. 13.

Neque etiam præsumptuosè te committas periculo peccandi, licet sis fortior: scimus Polydamantem, quia confisus viribus suis, de specu corruente non fugit, sed onus sustenturum se credidit, ruinâ oppressum esse, Majol. tom. 4. Coll. 1.

Deinde parentes subtrahere debent liberos ab ejusmodi periculis, & à malis exemplis sociisque perversis. Ita Sara ejici petiit Ismaelem à quo videbat seduci suum filium. Bestiæ mirum in modum defendere à morte laborant proles suas. Eas enim ex insidiis in tuta loca deferunt. Faciant idem parentes & ex locis hæreticis, vel domibus indisciplinatis, vel malis conventiculis efferant liberos suos, vel baculis expellant.

Ad hæc, sicut post oblationem suam in templo, fugit Christus in Ægyptum: sic post pœnitentiam maxime & communionem fugiendæ peccandi occasiones. Qui enim vestem byssinam induit novam candidi præsertim coloris sordida subsellia fugit. Dicat itaque cum sponsâ Christianus: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Quantum occultare conabantur haud dubiè piæ matres suas proles ab Herodis gladio? Nos Christum in nobis nuper natum non magis custodiemus? Quid juvat aut delectat matrem, filium genuisse mox iterum moriturum? Et quid juvat Christum in domum nostram induxisse, si cras iterum per peccata expellamus? Expectat sanè Draco infernalis hiante ore ut devoret partum nostrum, sed tu eum ad DEum transfer; O te beatum, si hoc capis & sapis!

CONCIO IV.

CUR IN ÆGYPTUM SE receperit Christus.

I. *Vt sæculi commoditates vitaret.*
II. *Vt vicem Ægypto rependeret.*
III. *Vt ostenderet se migraturũ à Iudæis ad Gentiles.*
IV. *Ad solatium Sanctorum exulantium.*
V. *Vt disceremus custodire gratiam & virtutes.*

THEMA.

Accipe puerum & matrem ejus & fuge in Ægyptum, Matth. 2.

A.

AVdivimus superiùs jure meritoque fugisse Christum. Nunc rursum quis miretur, cur in Ægyptum fugerit. Nam primo teste Iosepho l. 1. contra Apion. Ægyptii in Iudæos maximè erant iniqui. Iam olim enim sub Moyse diris modis, eos opprimebant: & deinceps illis nihilo mitiores, sed veluti muscæ, molesti erant, uti patet Isa. 7. Deinde nulla gens magis debita Idololatriæ, & à veri DEI cultu ac cognitione remota erat atque Ægyptii. Denique iter ad Ægyptum non tantùm longum, sed asperum valde, arenosum & ærumnosum erat, herbis, aquis, hominibus destitutum. Ad quid igitur Christus fugere ad Ægyptios, hostes & impios itinere tam difficili voluit? Non sanè absque magno consilio, uti nunc audiemus.

B. I. *Vt sæculi commoditates vitaret.*

Primò, ut hujus sæculi commoditates evitaret, & ab infantiâ inciperet præire nobis in paupertate, abjectione & miseriis. Venit enim in hunc mundum, tanquam *novissimus virorum*, Isa. 53. ut non primum sed novissimum occuparet locum. Poterat sanè Christus divertere ad Magorum terras, ubi procul dubio honorificentissimè exceptus & habitus fuisset. Sed divertit ad hostilem potius terram, ubi Abraham, Ioseph, Moyses & filii Israel plurima adversa passi erant, & ipse nihilo minora passurus erat: ubi inter ignotos, imò inimicos in contemptu, penuriâ & ærumnis adolesceret. Correspondet nomen. Ægyptus enim angustiæ seu tribulationes exponitur. Cum enim vellet sanare in nobis Adami superbiam, & damnare mundi stultitiam, quâ vitæ hujus commoditatibus solummodò inhiabat, elegit infimum & incommodissimum locum. Sat mul-

multum se dejecerat, cùm à Bethlehem excludi & in speluncâ nasci voluit; non tamen ibi constitit; descendit enim in Ægyptum, terram humiliorem, ut patet Gen. 12. & 45. &c. ubi in exilio & extrema miseria educaretur. Erubesce igitur terra & cinis homo; DEus enim, cujus est totus hic mundus, elegit sibi hic exilium & infimum terræ angulum, omni humanâ commoditate destitutum: & tu adhuc inhias delitiis, honoribus, opibus? tu tibi hic patriã statuis? tu nihil tibi deesse pateris, sed omnia mox, & quàm commodissimè vis adesse? Certè in Ægypto per tribulationes exaltatus est Ioseph, crevêre & multiplicati sunt filii Israel tanto magis, quanto magis afflicti, quia terra tribulationis utilior est terrâ prosperitatis.

Discant etiam hic parentes, quo loco & quâ ratione educare filios suos debeant, ibi videlicet, ubi disciplina viget, ubi non blandè tractantur, sed duris assuescere coguntur. Ad Academias & contubernia severioris disciplinæ mittendi sunt, & si fieri potest, extra patriam. Illic discuntur mores, ibi flexilis fit ætas, & erudiuntur animi. Ælianus refert, lib. 9. cap. 53. adolescentem in Zenonis scholâ edoctum, cùm rediisset domum, à patre interrogatum, quod tandem operæ pretium fecisset in philosophiâ, solum id respondisse: *Ostendam.* Cùm verò nihil aliud diceret, pater excandescens, quasi impendium periisset; cœpit tundere filium, qui id æquissimè tulit. Rursum ergo cùm instaret parens, ut aliquod profectus specimen daret, respondit filius: *Hos è Philosophia fructus cepi, ut patris iram possim commodè ferre.* Sat multum mea sentẽtia. Sed nunc quandoque filii, cùm redeunt à studiis ad patriam, feriunt parentes; quia nimirum indulgenter & extra disciplinam educantur. Hi audiant Apostolum ad Hebr. 12. scribentem: *Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes,* [ipse etiam Dei filius] *ergò adulteri & non filii estis.*

C. II. *Vt vicem Ægypto repẽderet.*

Secundo, Vt vicem Ægypto rependeret. Tametsi enim Ægyptus multis sæpe ærumnis attriverat olim filios Israel, eosdem tamen aliquando tempore famis sub Ioseph patriarcha maximo sibi devinxerat beneficio, annonam suppeditando, necnon totam domum Iacob recipiendo & alendo per annos plurimos. Hoc enim beneficium nequaquam in aquam scripsit DEus, sed in tabulas legum suarum, Deut. 23. cùm præcepit: *Non abominaberis Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Compensavit igitur eis illud obsequium, cùm maximè indigerent, & fame verbi DEI maximè affligerentur.

Nulla unquam gens adeò superstitioni dedita fuit atque Ægyptii, siquidem oves & boves, talpas & vespertiliones, serpentes & crocodilos, canes, simias, imò cepe & alia pro diis venerabantur: Hisque tam palpabilibus tenebris ita immersi erant, ut usque ad Christi adventum erui non potuerint. Vnde S. Athanasius, Alexandriæ Ægypti Episcopus de Incarn. verbi ait: *Abraham in Ægyptum descendit & Iacob, nihilominus tamen Idololatria ibi viguit: natus est ibi Moyses, æquè illic hæsit religionis error, &c. Item Ægyptiorum superstitio non quievisset nisi DEVS in corpore quasi in nube vectus eo descendisset, & Idolorum errores compescuisset.* Itaque Deus tandem mederi voluit Ægypto tam afflictæ, præsentiâ inprimis suâ, juxta prophetiam Isai. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulachra Ægypti à facie ejus.* Nubes levis primò est Maria Virgo, cujus ulnis gestatus est in Ægyptum Christus, quæque illum veluti pluviam nobis effuderat. Rursum nubes levis corpus Christi designat, formatum de Spiritu sancto ex Maria Virgine, quod tunc quidem in infantia & pueritia nubes apparuit. Postea per Apostolos suos tam copiosum effudit imbrem in Ægyptum, ut tota irrigaretur & impleretur claustris monachorum & monialium, adeò ut integræ urbes monacharum profiterentur, & major esset frequentia monachorum in solitudinibus, quàm hominum in Vrbibus. Vnde S. Chrysost. hom. 8. in Matth. scribit: *Non ita variis astrorum choris cœlum refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum ac Virginum distinguitur & illustratur habitaculis.* Inde enim Pauli, Antonii, Hilariones, Macharii, &c. sydera toto orbe rutilantia. In una Thebaidis Vrbe, Oxirincho, decem millia monachorum & 20. millia Virginum simul habitabant; & una DEum in Ecclesiis & plateis, etiam inter labores laudabant, pluraq; ibi monasteria, quàm urbes civium erant. Vnus Abbas Or habuit sub se tria millia: Serapion decem millia monachorum. In aliis pluribus Thebaidis urbibus multa eorum millia fuerunt, & urbes non tam Laicorum quàm Religiosorum domicilia erant. Porrò simulachra etiam Ægyptiorum, ut prædictũ, Isa. 19. corruisse passim ad ingressum Christi, testantur multi sancti patres. Idque perfecit Theodosius Imp. qui ibidem templa Canopi, Isidis, Serapidis, & in toto orbe delubra dolorum evertit Anno Christi 379. Baron ibidem. Nubes magna advehit secum vehementem vẽtum, per quem dejicit arbores, &c. sic Christus Ægyptum intrans in nube humanitatis suæ, quasi per turbinem dejecit simulachra. Quare abũde satisfactum est Ægypto & soluta hospitii merces à Christo, cùm ex efferatâ belluâ in mansuetissimam ovem, ex orco in paradisum mutata est.

D. III. *Vt ostenderet se migraturum à Iudæis ad gentiles.*

Tertiò, Vt hac fugâ typicè ostenderet migraturum se à Iudæis ad gentes. *Ægyptus enim totus orbis intelligitur superstitionis & maledictionis elogio,* inquit Tertull. cõtra Iudæos c. 9. Ægyptus, id est, tenebræ quid nisi gẽtes designat? Dum ergò Christus Insanè Iudæos deseruit & ad Ægyptios migravit ostendit Iudæos in perfidiâ relinquendos, gentes ad fidem vocandas. Herodis furor odium significat Iudæorum in Christum, Herodes enim exponitur, pellibus glorians: tales erant Iudæi, qui in progenie tãtùm suâ gloriabantur: *Filii Abraham sumus, &c.*

Metue-

Metuebat primò Herodes regno suo ne per Christum eo spoliaretur: metuebat & Iudæus, ne per Christum exueretur libertate. Neutri timendum erat: Unde sicut Herodes frustra timuit Christum: ita & Iudæi odio habuerunt eum gratis & gratis timuerunt, cum dixerunt: *si dimittimus eum sic, venient Romani & tollent nostrum locum & gentem.* Item: *Ecce totus mundus abiit post eum.* Vanissimi Iudæi: non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia, qui regni vestri gloriam fugit.

Secundò, Herodes famâ Christi territus, gladio eum persecutus est & recedere coegit. Ita & Iudæi fama miraculorum Christi consternati, gladio linguæ (cùm clamarunt: *Crucifige, Crucifige,*) eum persecuti sunt, & discedere à se ad gentes coegerunt; quando ejecerunt è Civitate ipsum primo, & deinde Apostolos ejus, prohibentes eis, ne in nomine Christi amplius loquerentur, Act. 4. & contradicentes cum blasphemiis. Unde audierunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes,* Act. 13. Christus effugit Herodem, licet pro eo occisi sint innocentes: sic effugit & Iudæos per resurrectionem & propagationem Evangelii ad gentes, tametsi pro eo multi à Iudæis necati sunt innocentes.

Tertio Ioseph & Maria extulerunt Christũ è Iudæa in Ægyptum: ita Apostoli & eorum successores Christi fidem & legem à Iudæis tulerunt ad gentes. Maria Christum genuit, Ioseph educavit: sic Apostoli Christum genuerunt in hominibus per Evangelium: successores educarunt, 1. Cor. 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Apostoli genitores, successores pædagogi erant, 1. Cor. 4. Nocte elatus est è Iudæa Christus: sic & Apostoli efferentes Christum, noctem ignorantiæ Iudæis reliquerunt, in quâ adhuc versantur & palpant quasi cœci in meridie, juxta prædictionem Isaiæ cap. 59. *propter hoc elongatum est judicium* (id est, fides, religio & justitia) *à nobis, & non apprehendit nos justitia: expectavimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulavimus: palpavimus sicut cœci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus,* q. d. Christi religione ubique coruscante per universum orbem, & omnium oculis patente, nos soli in tenebris versamur, nec videmus illam, oculo scil. fidei interno, tametsi manibus palpamus, id est, externè deprehendimus venisse Messiam; & hoc de merito nostro, quia lucem, quam expectavimus, non admisimus, non agnovimus, imò extinximus.

Quartò, Christus extincto Herode rediit in Iudæam: ita Christus adventante hujus mundi fine, quando post interitum Antichristi Iudæi se deceptos videbunt, & odium illorum in Christum erit extinctum: tum revertetur Christus in Iudæam, & plerique Iudæorum salvi fient, Rom. 11. & Dan. 12. Verùm enim verò sicut à Iudæis profugit Christus, expulsus Herodis gladio: ita fugit etiam à quocunque homine cùm impetitur ab eo gladio peccati. Impetebatur in Germania ante annos centum gladio hæresæos, à Luthero, Calvino & similibus Herodis diabolici ministris: ideo profugit ad Iapones & Indos. Ad eundem modum, cùm Christus in nobis nuper natus, impetitur aliquo peccato nostro mortifero, protinus à nobis fugit, non secus ac ab Herode, & ad alios migrat. Vide Christiane, ne sis Herodes Christo, & alius accipiat coronam tuam, Apoc. 3.

E. IV. *Ad solatium sanctorum exulantium.*

Quartò. Ut consolaretur servos suos, cum in exilium pellendi essent, ad terras hostiles, nationes efferas, incultas; plurimaque ibi mala perpessuri. quemadmodum enim Christus in exilium pelli non potuit; quoniam ipsa etiam Ægyptus patria illi fuit (quia Domini est terra) ita servi Dei, quocunque tandem pellantur, pelli extra patriam nequeunt, quia in terra Domini & Patris sui sunt, eumque sibi præsentem habent. Itaque omnis terra, illis patria est: & rursum omnis terra exilium est, quia ad cœlum tendunt, tanquam ad unicam patriam suam. Ita S. Cyprianus martyr. ep. 56. ad Thibaritanos: *solus non est cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit; sine Deo non est.* De ejusdem Cypriani exilio S. Augustinus serm. de S. Cypriano ait: *De patria sua in alienam te arbitraris* (Tyranne) *excludere hominem Dei, in Christo nusquam exulem, in carne ubique peregrinum.* Ita S. Gregorius Nazianzenus orat. 28. *Mihi,* inquit, *omnis terra & nulla terra patria est.* Ita S. Basilius apud eund. Nazianz. orat. 2. *Exilium,* inquit, *non cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum; ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco; imò ut rectiùs loquar, Universam terram Dei esse scio, cujus advena sum, & peregrinus.* Ita S. Chrysostomus cùm ab Eudoxia Aug. in exilium pelleretur, scribit ad Cyriacum ep. 3. *Ego cùm è civitate fugarer, nihil eorum curabam, sed dicebam intra memetipsum: siquidem vult me Regina exulem, agat in exilium: Domini est terra & plenitudo ejus.* Quin & gentiles invenire est, qui tales se professi sunt. Socrates & Diogenes, quorum uterque cum interrogaretur, cujas esset, respondit: *Mundanus seu cosmopolita, quia totius mundi civis sum & incola,* Laërt. l. 6. c. 2. Id ipsum Alexander M. militibus suis mandavit, ut mundum pro patriâ, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent, teste Plut. Quid agat nunc Christianus? quo jure sibi hic patriam figet, qui peregrinum se agnoscit & exulem? *Delicatus ille est adhuc,* inquit Hugo Victorin. l. 3. didasc. c. 20. *cui patria dulcis est; fortis autem cui omne solum patria est, perfectus verò, cui totus mundus exilium. Ille mundo amorem fixit; iste sparsit, hic extinxit.* Dulcis quidem dicitur patria; sed interim Dominus ait: *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua.*

F. V.

Quintò. Ut doceret nos modum & rationem conservandi gratiam & virtutes. Quemadmodum enim

enim Herodes insidiatus est Christo recens nato; ita & Diabolus insidiatur gratiæ & virtutibus, præsertim si novellæ sint & teneræ, ut quam primum eas extinguat gladio superbiæ. Ab hoc igitur Tyranno fugere oportet in Ægyptum, id est humilitatem (semper enim in SS. literis dicitur, *descendi in Ægyptum*, quia loco humili erat) quâ nobis ipsis displicemus; & solitudinem, quâ soli Deo placere & parere cupimus. Dæmon draco ille est, Apoc. 12. qui hiante ore stetit ante mulierem, partum ejus devoraturus. Sed hic raptus est ad Deum & ad thronum ejus; mulier autem fugit in solitudinem. Cum ergò malignus ille nobis Christum per gratiam parientibus vel opus bonum patrantibus insidiatur, rapiatur ad Deum partus & ad thronum ejus: adscribatur totum Deo, quicquid egimus & obtinuimus: nos ipsos verò recipiamus in solitudinem, hoc est, consideremus nostram sterilitatem, inopiam, miseriam, nihilitatem: Hoc est fugere in Ægyptum. Hinc S. Gregorius hom. 11. super Evang. *In præsenti vita*, inquit, *quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsidident. Deprædari ergò desiderat, qui thesaurum publicè portat. Sic autem sit opus in publico quatenùs intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.*

CONCIO V.

DE PARENTUM IN LIBEROS CRUDELITATE.

I. Aliqui deserunt liberos.
II. Alii opprimunt.
III. Alii suffocant.
IV. Alii carnifici tradunt.
V. Alii venenum eis propinant.
VI. Alii gladio perimunt.
VII. Alii immolant eos idolo.

THEMA.

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, Matth. 2.

A. QUi hodiernum legit, auditve Evangelium & non horrescit, nescio utrum is quidem humani aliquid habere censendus sit. Etenim quis non horreat, cùm audit innocentissimos Infantes, tanto numero tam crudeliter raptari, ferro dividi, parietibus allidi, faucibus constringi, pugione transfodi, ac quodammodo pedibus vermium instar proteri? Crudele existimarunt balneum illud Constantini M. Imp. lepræ curandæ causâ ex Infantum sanguine præparatum Apostolorum Principes per somnium ei visi, ut est apud Baron. anno D. 324. Ideoque à crudeli lavacro absterritum ad baptismum direxêre. At multò crudelius erat balneum id Herodis, ubi sine omni necessitate, raptabantur infantes è matrum gremiis & uberibus, nullo habito respectu nobiliorum, formosiorum, ditiorum, adeò ut inter alios; filius etiam ipsiusmet Herodis unus interimeretur. Quod ubi Cæsar Augustus inaudiit; publica voce; præstare porcum esse Herodis, quàm filium, pronunciavit, teste Macrobio 2. Saturn. c. 4. Atque hæc nimirum est causa, quòd cùm Ecclesia universalis, in aliis SS. Martyrum festivitatibus lætari & tripudiare quodammodo soleat, hoc uno Martyrum die Organa sua suspendat, cantica lætitiæ prætermittat, scilicet ob indignissimi sceleris immanitatem. Et eritnè sub cœlo aliquis, qui simile facinus audeat, & Herodem adeò crudelem agat? Certè sunt non pauci, qui non tantùm alienos, sed proprios etiam perdunt filios, & quod longè est horrendissimum, æternum perdunt, corpore & anima, è filiis adoptationis, filios perditionis, è filiis cœli, filios gehennæ faciunt. Videamus qui sint isti parricidæ.

B. I. *Aliqui deserunt liberos.* Primò, Exponunt alii filios suos, mulierculárum instar, & deserunt abjectos; Ut sunt illi qui nullam prorsus curam adhibent liberis instituendis & erudiendis. De ejusmodi parentibus S. Chrysost. hom. 60. in Matth. ait: *Patres equorum domitores cogunt, ut studiosissimè sibi equos domitent, neq; incuria committunt ad firmiorem ætatem indomitos pervenire, sed frænum ac cætera, quibus opus est, incipientes adhibent: liberos autem suos longè provehi absq; castigationis negligunt fræno, & dimittunt circuire, scortis, aleis, abscœnis spectaculis inhiantes, &c.* Hæc ille. Idem l. 3. adversus vituperatores vitæ monast. Ejusmodi patres parricidis immaniores vocat, quòd illi corpus ab anima separent, isti & animâ & corpus æternis ignibus tradant. Crates ut refert Plut. de liberis educ. ajebat, si liceret, altissimam se turrim conscensurum & vociferaturum: *Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis, vestrum studium facitis, filiorum verò, quibus eas relinquitis, nullam sanè curam suscipitis?* Addit Plutarchus, quòd hi non aliter faciant, quam qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum interim pedem ipsum parvi pendant. Etenim prius de liberorum virtute, postea de hæreditate, prius de animo, postea de corpore habenda cura. Ita Diogenes invehebatur in inertiam Megarensium pecora solicitè curantium, juventutem minimè (ut quæ ibi luxu & otio difflueret) dicebatque se Megarensis alicujus arietem esse malle quàm filium. Ælianus l, 12. de var. hist. Sic nostrates sæpe plus excolunt agros & prata, quàm filios. Et quid fit ex talibus cultura destitutis liberis? quod ex agro & terrâ incultâ spinæ, tribuli & Zizania. Boni patres similes sunt avibus solertibus, quæ naturâ duce collocant

cant ova sua in locis securis, proprioq; calore vivificant pullosq; suos educant, donec per se ipsos volare possint & cibum sibi quærere. Mali verò struthioni, quæ derelinquit ova sua in terrâ & cooperiens ea pulvere ita relinquit & obliviscitur, quoad pes alicujus transeuntis conculcet ea aut bestia agri conterat. *Duratur ad filios, quasi non sint sui. &c.* ut Iob. 39. habetur. Sic mali parentes non curant de filiorum educatione, sed tantùm operiunt eos opum provisione. Unde fit ut conculcentur ab hominibus, devorentur à Dæmonibus. Non sufficit parentibus generasse filios, & aliquamdiu nutrisse, sicut bestiæ solent; sed debent eos etiam virtutibus excolere, &c.

C. II. *Alii opprimunt.*

Secundò, Aliqui opprimunt liberos suos, instar illius Machinæ, quæ Virginis species reos amplexando adeo fortiter premit, ut animam emittant. Et quinam isti? qui liberos plus quàm decet diligunt, ad ipsorum se voluntatem totos accommodando, ne qua re eos contristent, eosq; domi in delitiis educant. Idem facit simia, quæ cum duos habeat catulos, dum altero neglecto, alterum nimis diligit manibusq; continuò tractat, enecat. Unde cum venatorē aliquando simia fugeret, catulū chariorem brachio stringens cum eo aufugit: alter negligi se videns in tergum matris insiliit. Accidit ergò dum fugeret, ut quem brachio stringebat gratiorem, opprimeret & ita alterum quem neglexerat, amplecti cogeretur, Pier. l. 6. hierogl. Ita nimirum parentes aliqui filios suos, dum domi retinent, & mulcent, cum illis ludunt, & rident, perdunt & insolescere eos faciunt. Cum mortuus esset filius Viduæ Sarephthanæ, tulit eum Elias de sinu matris ejus & portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, & posuit super lectum suum ibiq; eum suscitavit ad vitam, uti legimus 3. Reg. 17. moritur puer in molliori lecto, vel (quod fortasse verius) in materno sinu, inter delitias quas comparat indulgentia parentum justo plus profusior: Excitatur autem duro lectulo & cœnaculo Eliæ, ubi propheta noctes insomnes ducere, & austerè vivere consueverat. Ita perimit matrum indulgentia liberos, quos severior disciplina servat & confirmat. Oppressit meretrix illa, 3. Reg. 8. filium suum, quia etiā dormiens voluit eum habere in sinu suo. Moderata pluvia terræ prodest, nimius imber obest; ita parentum indulgentia moderata esse debet. Discere ejusmodi parentes à Patriarchis illis deberent, qui vel ideò meritò Patriarchæ, id est, patrum Duces vocantur, quòd filios severè educabant. Abraham emittens à se Ismaëlem filium, panem & utrem aquæ ei pro viatico dedit, Gen. 21. Isaacum imolaturus lignorum acervo onerat, & oviculæ instar colligat, jamjā immolaturus, Gen. 22. Isaac deinde & ipse filium suum Iacob in Mesopotamiam ablegat, sola benedictione impertitâ, sine socio, sine peculio, ita ut proficiscenti filio hospitium sub Dio, lectus terra, culcitra non nisi lapis esset, Gen. 28. sed & Iacob filios suos quam severè educarit, patet ex eo, quod pascendis ovibus & agnis eos occuparit, Gen. 37. Deniq;. Theodos. Imp. Arcadium filium Arsenio præceptori tradens, ajebat: *Posthac tu magis pater ejus quam ego.* Videns item aliquando docentē Arsenium stantē, filium verò auditorem sedentē, increpavit Magistrū; & sedere eum, filium verò stantem audire jussit. Baron. ann. D. 383.

D. III. *Alii suffocant.*

Tertiò. Alii suffocant filios & filias: dum eorum bona proposita, quæ conceperunt, quale est religionem ingrediendi extinguunt. Quid enim hoc aliud est, nisi liberos suffocare? Sunt hi pavoni similes, qui conjugis ova quærit, ut frangat, Bart. Angl. l. 12. c. 31. Homicidio tenetur non solum, qui natum interimit, sed etiam ille qui fœtum in utero necat. Ideo enim 4. Reg. 9. dicitur Achab morte plectendus, quòd sanguinem Naboth & filiorum ejus fuderit, qui etsi filios ejus non occiderit, tamen generandam ab eo prolem imatura patris nece perdidit. Fortiter quidē trahit ferrum magnes, sed tamē id dimittit, cum accedit adamas: Ita parentum amor, liberos ad se trahens cedere debet amori Dei. Et accidit multoties ut parentes vita excedant, ne hac in re liberis impedimento sint: sic enim S. Ambr. l. 1. de Virginibus ait. Virginem quandā cùm alteri adhæreret, & à quodam objurgante audiret: *si pater tuus viveret, innuptam te pateretur?* Respondisse: *Ideò fortasse defecit, ne impedimentum posset afferre.* Idem in fine ejusdem libri ait: *si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non liceat?* S. Hieron. in ep. ad Furiam ait: *Non es ejus cui nata es, sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit sanguine suo, &c.* Deniq; idem ipse in reg. Monach. c. 19. ait: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, perculcato perge Patre siccis oculis ad vexillum crucis evola. Pietatis genus est in hac re esse crudelem.* Rursum, si eosdem ad laudabilia studia videtis inclinatos, nolite eos abstrahere ad ea, quæ oderunt. Laudat S. Greg. Nazianz. in ep. ad Eudoxium, consuetudinē Atheniensium: *Proponebantur*, inquit, *publicè cujusvis artificij instrumenta, atq; ad illa ducebantur adolescentes; quocunq; tamen quisq; delectabatur, & ad quod accurrebat, illius edocebatur artificium: propterea quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumq; benè succedunt; quæ præter naturam præsumuntur, frustrà tentantur.*

E. IV. *Alii carnifici tradunt.*

Quartò, Alij filios suos carnifici tradunt infami supplicio mulctandos, dum eos delinquētes ipsi non corripiunt. Hinc enim filii pervicaces fiunt, & multoties tandem in carnificum manus deveniunt, aut certè in alias Dei vindictas. Graviter in hoc deliquit Heli Sacerdos, 1. Reg. 2 qui audiens filios suos enormiter peccare, blande nimis eos allocutus, ajebat: *Nolite filii mei, non enim est bona fama, quam ego audio.* Cum potius baculum arripere debuisset, & severè castigare. Effecit itaque, ut paulò post filii ejus, ambo in prælio occumberent, & ipse audito cædis nuntio de sede corruens cervicem frangeret: eò nimirū quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit; ut dicitur 1. Reg. 3. Certè tanta erat illa ini-

quitas ut juret ipsi Deus, non expiandam victimis & muneribus in æternum. Diogenes ajebat: *Si quis assiduè medium digitum intendat vice indicis. Vulgò habetur insanus: si quis indicem, sanus videtur. At plurimi sunt homines qui gravius insaniunt in rebus seriis, quàm pro digito porrigant, & tamen hi vulgò non habentur insani. Quemadmodum & hodie parentes in liberis pro gravi peccato castigant, si læva pro sinistra utantur; atqui non itidem castigant eos, cum turpia pro honestis eligunt,* hæc ipse Laert. l. 6. Boëtius de discipl. Schol. narrat filium Lucretii indulgenter educatum & parentum neglectu delinquentem, cùm ad furcam educeretur, patri prius ut loqui posset, petiisse; Quo ad osculum accedente nasum ei mordicus abripuit, dicens se nequaquam eo infamiæ deventurum fuisse, si olim à patre correptus & castigatus fuisset. Quod exemplum cùm fortè pro concione narrasset S. Bernardinus, ut habetur ser. 17. de Evangelio æterno, prudens mater id percipiens, increpare domi acriter filios suos cepit, inquiens: *Non amputabitis mihi nasum.* David cæteroqui optimus, animo tamen in filios plusquam expediret indulgenti ac molli, fecit ut in aliorũ gladios filij inciderent. Primo enim Ammonem, qui compresserat sororem, dum propterea contristare severa correctione noluit, audire paulò post debuit, jugulatum ab Absalone fratre, 2. Reg. 12. Absalonis deinde suspendium vidit, cujus prius dominatum nimium & fastum indulgentius tolerarat, 2. Reg. 15. Deniq; Adoniam, quia non corripuit aliquando ob immaturam ambitionem, 3. Reg. 1. impegit in gladium Salomonis, ibid. c. 2.

F. IV. *Alii venenum eis propinant*

Quintò, Alii liberis suis venenum propinant & mortem sæpe afferunt, ij videlicet, qui malo suo exemplo eos depravant, ut qui in eorum præsentia agunt indecora, vel eosdem etiam seducunt ad tabernas, ludos, choreas, &c. quia quod vident in parentibus liberi, id rectum esse judicant, & facilè ac tenaciter imbibunt, S. Chrysost. ho. 45. in Matth. ait, Ut regula est naturæ nasci hominem duobus oculis & quinis digitis, licet interdum exorbitet; ita regulam esse naturæ, ut patri similis nascatur filius, Quis nescit filios imitari parentum loquelam; vultum, oculos, incessum? S. Hieron. in ep. ad Lætam de filiæ educat. ait: *Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem quo primum imbuta est, Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem orbisque domitorem, & in moribus & incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus.* Idem epist. ad Gaudentium de pat. educat. ait: *Ut aqua in areola digitum sequitur præcedentem; ita ætas mollis & tenera in utramque partem flexibilis est, & quocunque duxeris, trahitur.* Quare miraculo habetur, quod pereunte Core, non perierint & filii, Num. 26. *Factum est grande miraculum,* ait textus, *ut Core pereunte filij ejus non perierint.*

G. VI. *Alii gladio perimunt.*

Sextò. Alii gladio liberos suos interimunt, qui insuper eos prava & perversa docent. Alii rapinam, quales & crocodilli, qui si videant fœtum suum simul ac natus est sedulò rapere, eum pro legitimo habent, ac si deses fuerit ac muscas solum venetur, nomine & stirpe sua indignum censent, & de vicinia pellunt. Vincent. spec. nat. l. 30. c. 91. Alii superbire eos docent, capillum crispare, faciem fucare &c. de quibus Ps. 143. dicitur: *Filiæ eorum compositæ circumornatæ ut similitudo templi.* Rectè Clemens Alexandrinus. l. 11. pædag. c. 12. comparat ornatum illum superfluum cum templis Ægyptiorum & Lucis magnifice adornatis, sed in quibus continerentur feles, crocodili, serpentes &c. Sanè si cum templis etiam nostris comparationem instituere liceat, videbimus in muliebri mundo superfluo, capillos in altum assurgentes veluti turrim, gemmas ex auribus dependentes veluti campanas: rosas & coronas in capite veluti ciconiarum nidum, faciem fucatam velut imaginum picturas: collaria expansa, velut Dæmonum subsellia, oculos vagos & superciliosos velut candelas ardentes, &c. Et quid hoc nisi è templo & domo Dei facere templum Diaboli & speluncam latronum? De Prætextata S. Hieronymus ep. 7. ad Lætam scribit, eam, cum Virgine Deo dicatam Eustochium mundano more ornasset, crinemque ad viri imperium superbè pexuisset, correptam ab Angelo audisse? *Tu ausa es viri imperium præferre Christo; Manus tuæ hoc attentantes arescent, & quinto post mense ad infernum deduceris: & ni cesses, marito simul & liberis orbaberis.* Quæ omnia ordine contigisse narrat ibid. S. Hieronymus. Alii eos pravas docent cantiones, de quibus S. Chrysost. hom. 9. ad Coloss. ait: *Nunc verò Sathanicas cantiones præferunt pueri vestri, quemadmodum coqui & obsonatores & Cohorearum ductores: Psalmum autem nemo novit ullum, quin & res ista turpis esse videtur. ludicra & ridicula. Hinc mala cuncta vigent. &c.*

H. VII. *Alii immolant Idolo.*

Denique Idolo Moloch immolant filios suos, ut qui in locos hæreticos eos mittunt, vel patiuntur inter eos degere, ut opificũ Tirones. Deinde parentes illi, qui liberos suos instruunt ad veneficium adeòque dæmoni devovent ac despondent. Qua crudelitate quæ major excogitari potest? Audiant hi, quod præcepit Deus Levit. 18. *De semine tuo non dabis ut consecretur Idolo Moloch.* Et Levit. 20. Iubetur lapidari, qui dederit de semine suo Idolo Moloch. *Populus lapidabit eum, & ego ponam faciem meam contra illum succidamque illum de medio populi mei.* Atqui nonne multo gravius est liberos suos impellere in gehennam, quàm impellere in brachia igniti Moloch, vel etiam infamem carnificis rogum? Pij olim parentes tradere solebant liberos suos instituendos viris sanctis & monasteriis, uti Romani nobiles S. Benedicto, teste S. Gregor. l. 2. dial. cap. 13. Alii in Gallia S. Martino, ut in ejus vita Sulpicius. Sed quid dicemus tandem de crudelibus his parentibus, qui modis recensitis suos necant liberos? id nimirum, quod dicitur

dicitur Pſ. 105. *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis.* Et quod Eccl. 41. dicitur. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* Et denique, quod hodierno in Evangelio: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus.* Ad Deum enim hujuſmodi peccata clamant, & vindictam expetunt. Sed quid eſt quod parentes hæc non agnoſcant, & quærelas liberorum de ſe non animadvertant? Nimirum id accidit eis; quod olim parentibus gentilium, qui Idolo Moloch filios ſuos in ſacrificium offerebant, ut 4. Reg. 23. habetur: ſed ne gemitus & ſingultus filiorum à parentibus audirentur, tympanum interim pulſabatur, unde locus ille Tophet dictus à Toph, quod eſt tympanum, ut advertit ibi Lyranus. Ita nimirum dæmon plurimis adhuc parentibus tympanum pulſat, dum inanibus eos ludibriis agitat, & mundi ſtrepitu, vaniſque perſuaſionibus, ſenſus eorum obtundit, cœcatque intellectum; ne tam grandia ſcelera advertant.

CONCIO VI.

DOCUMENTA.

I.	*Chriſtus adhuc infans infernum ſpoliavit.*
II.	*Nulla mundo proſperitas ſtabilis.*
III.	*Facile eſt Deo homines confundere.*
IV.	*Tenera liberorum ætas bene ſervanda.*
V.	*Bona noſtra occultanda.*
VI.	*Vxores ſubſint maritis.*
VII.	*Superiorum monitis obediendum.*

THEMA.

Surge & accipe puerum, & matrem ejus & fuge in Ægyptum, Matth. 2.

A. NOn dubito, Auditores, quin Veſtrum plerorumque cordibus natus ſit his SS. feriis Chriſtus, quando videlicet eum in S. communione ſuſcepiſtis. Verum, *quia non minor eſt virtus, quàm querere, parta tueri*; ſatagendum eſt ut hoc magno bono non iterum deſtituamur. Aſtutus ille Herodes, diabolus, ſolet recens nato Chriſto ponere inſidias, ut eum de corde noſtro tollat, juxta id Marc. 4. *Confeſtim venit ſatanas, & aufert verbum, quod ſeminatū eſt, in cordibus eorum.* Moneo igitur omnes cum Angelo hodierno ut accipiant puerum & Matrem ejus & fugiant in Ægyptum, id eſt, fugiant mundum & malorum conſortia, peccandi occaſiones & voluptatis mella: Recipiant ſe in Ægyptum, quam ſua inundatione fœcundam reddit Nilus, qui Dei verbum, quo fœcundantur corda noſtra, in Eccleſia audiendum denotat. Ibi adoleſcemus, ibi proficiemus. Quare nunc ad hodiernum Evangelium mentem applicemus.

B. I. *Chriſtus adhuc infans infernum ſpoliavit.*

Diſcimus 1. Chriſtum adhuc infantem ſpolia inferno & dæmoni detraxiſſe, parvulos videlicet, quos è mundo abſtractos, martyres fecit & hæredes cœli. Prædixit de Chriſto Iſaias cap. 8. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ*, id eſt Herodis & diaboli. Nam 1. Chriſtus ſtatim ac carnem ex Virgine ſuſcepit, Matrem ad Montana impulit, ut ex Ioanne Baptiſta adhuc clauſo in matris utero dæmonem ejiceret; ſiquidem ad ſalutationem Deiparæ Ioannes ab originali labe expiatus, & Spiritu ſancto repletus eſt.

2. Secundo Paſtores ex Iudæâ & Magos ex Oriente ad ſui adorationem ſtella duce pertraxit.

3. Tertio Innocentes etiam pueros, quos Herodis trucidavit ſævitia, ad ſuum regnum ſingulari beneficio adlegit. Neque exigua fuit hæc præda: hos innocentes 14000. fuiſſe teſtatur Menologium Græcorum & Canon Miſſæ Æthiopum in Biblioth. SS. Patr. tom. 6.

4. Quarto ingrediens Ægyptum, idola Ægyptiorum ſtravit, ut alibi oſtenſum.

5. Quinto Reclinatus in præſepio debellavit mundi fortitudinem, ſapientiam & gloriam. *Quid enim aliud fuit Chriſti nativitas* (inquit Hector Pintus in c. 8. Iſai.) *ejuſq; in mundum adventus ſine humanis armis, ſine copiis & hominum exercitibus, ſine bellico apparatu, quàm inanis mundi fortitudinis everſio? voluit ſtatim in infantia Chriſtus indicare nulla arma, nullam mundi fortitudinem, nullas hominum munitiones, tantam habere firmitudinem, ut in illis fiduciā collocaremus: ſed in Chriſti fide charitate formata, in vera religione, in mundi contemptu, in perpetua virtutis conſtantia eſſe veram fortitudinem conſtitutam. Quid aliud fuit naſci Chriſtum inter paleas & fœnum, & reclinari à Virgine ſanctiſſima in humili præſepio, quia non erat locus in diverſorio, ut ait Evangeliſta, quam humani faſtus, inanis gloriæ hominum pompæ, & hujus mundi ſapientiæ, apertiſſima damnatio? Quid aliud fuit naſci in itinere & in diverſorio, niſi docere viam eſſe & diverſorium non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humilitas, quàm mundi ſuperbiæ & jactantiæ clariſſima improbatio? Quid aliud fuit illa ſumma paupertas, quàm humanæ proſperitatis, fluxarumq; opum inconſtantiū in caſuq; ſitarum contemptio? In illa inopia voluit deliteſcere ſummus ille omnium rerum opifex, ampliſſimusq; cœli moderator & rector, qui naturam univerſam immenſa virtute coercet & continet, totius univerſi invictiſſimus Imperator, ut doceret fundamentum Chriſtianæ Philoſophiæ veræque religionis initium in rerum humanarum contemptione ac deſpicientia conſiſtere: noſq; ad cœleſtis Patriæ deſiderium firmiſſimamque æternitatis ſpem & fiduciam excitaret: Cum igitur Chriſtus natus eſt ſtatim incepit auferre fortitudinem Damaſci. Stultam enim fecit Deus hujuſmodi ſapientiam &c.* Hæc Pintus.

C. II. *Nullo mundo prosperitas stabilis.*

Discimus secundo, nullam mundi prosperitatem nullumque gaudium stabile esse. Ecce enim Angelus paulo ante Christo accinebat lætissimum illud canticum: *Gloria in altissimis Deo*; nunc vero monet angelus ut fugiat Herodem, futurum alioquin ut Herodes quærat eum perdere. Sed audiamus hac de re S. Chrysost. hom. 8. in Matth. *Tum de prosperis*, inquit, *tum ex adversis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit* (Deus) *Quod hic quoq; eum fecisse considera. Videndo quippe S. Ioseph gravidam sponsam, in conturbationem incidit maximam: Sed adfuit repente Angelus, timorem prorsus extinguens. Deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus est: sed rursum huic etiam gaudio periculum grande successit, cum tota utique Civitas turbaretur, ipse rex fureret & ad necem puerum quæreret. Sed & hunc mœrorem alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ & adoratio Magorum. Post hanc quoque jucunditatem iterum periculum iterumque formido: Quærit, inquit, Herodes animam pueri, & fugere necesse est & in longinqua transire.* Bene igitur & accommodate ad hanc Chrysostomi sententiam Ezechias rex vitam hominis telæ seu texturæ comparavit, Isa. 38. *Præcisa est*, inquit, *velut à texente vita mea.* Telæ enim fila non eodem omnia tendunt, sed alia quidem recta, alia transversa sunt; ita & vitæ nostræ dies alii recti, id est, læti & prosperi, alii transversi, id est, mœsti & adversi sunt. Charissimum filium suum Iosephum vestivit Iacob *Polymitâ* id est, multicolore veste, Gen. 37. Ita enim electos suos Deus partim prosperis, partim adversis rebus dum induit, exornat. Zodiacus modo ad nos adducens, modo à nobis abducẽs solem, causa generationis & nutrimenti nostri est: Pari modo Deus, dum modo nos castigat, modo consolatur, in obedientia & disciplina nos conservat. Quare sicut navigantes in alto mari nunquam ita læti sunt, quin interim in timore aliquo venturæ tempestatis sint: ita nos in isto mundo nunquam ita lætari deberemus, ut non meminerimus tenebrosi temporis, tribulationis, mortis, judicii, &c.

D. III. *Facile est Deo homines confundere.*

Discimus tertio, Quàm facile sit Deo confundere & dissipare hominum consilia. Etenim Herodes admodum fraudulenter machinabatur necem Christo, cum omnes infantes in Bethlehem & finibus ejus, à bimatu & infrà perimi præcepit; nihil tamen effecit, Christus se subtraxit. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, inquit Sapiens Prov. 1. Imò dum Herodes perdere Christum voluit, perdidit proprium filium, ut alibi audivimus: Ita nimirum sibi nocet, qui in Deum pugnat. Fabri turris Babel sibi imaginabantur se à nemine impediri posse. Sed risit eos Deus ac reipsa dixit. *Levi flatu hoc opus dissipabo, nullis utar machinis, tantum confundam linguas eorum, ut uno petente lateres; alter præbeat cæmentum, hoc petente trullam, alter porrigat sportam: Itaque implebo cuncta confusione, ut invicem irridentes, & mutuò irascentes separentur, & pudefacti dispergantur in regiones*, ut describit Marius Victor. l. 30. in Gen. Eadem facilitate elusit Christus Herodem ejusque machinamenta. Avium, quas in nostris terris noscimus, minima est, quam regulum vel regaliolum appellant, hæc per angustas sepes, celerrimis saltibus transilit, ac licet vicinissima & præ manibus nostris sit, quasi captu facilis, nequaquam tamen apprehendi potest, statim enim elabitur, & oculis nostris se subducit: Cantillat præterea in hyeme & pugnare audet cum aquila, oculos ejus impetens, quam utique ob causam Plin. l. 10. c. 25. regem avium appellari eam scribit. Meritò hanc aviculam Christo infanti compararim. Ipse enim minimus hominum factus est, cum exinanivit semetipsum formam servi accipiens: cum reclinatus in præsepio, non haberet locum in diversorio, jam ab aliis occupato: cum Barraba deterior habitus & medius inter latrones crucifixus est. Canit hic in hyeme, quia in frigore hyemali natus vagit, interim tamen mundo lætum accinit nuncium: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Conabatur hunc Herodes jamjam apprehendere: sed spe delusus est; subito enim hic infans ab ejus manu se subduxit & fugit in Ægyptũ; sicque superbum illum regem, qui sibi instar aquilæ volantis omnia cernere videbatur, oculis & mente privavit. Eadem sua potentia compressit fastum & arrogantiam Maximiani Imperatoris Christianis insultantis, an. 301. Ipso enim Maximiano Galerio in theatro, Nicomediæ jactabundo ore perorante de Romani Imperii felicitate, devictis Parthis & Persis, Regiis etiam personis in Triumphum ductis & ultra Ctesiphontem protracto Imperio, quod ante Imperatorum Romanorum nemini licuisset, & ad suorum Deorum cultum Christianos alliciente, & impellente; prodigium immane ejus jactantiam redarguit; cum medio die sereno cœlo, caloribus maximis, tanta vis tonitruum & fulgurum, cum ventis vehementibus, & densa grandine, & densis tenebris erupit, ut plurimi in fuga proculcati, perierint, & Maximianus vix evaserit; flumina quoque redundantia, & segetes funditus evellentia, agricolarum labores in mare deportarunt.

E. IV. *Tenera liberorum ætas bene servanda.*

Discimus quartò, teneram liberorum ætatem sedulo custodire, & abscondere à perversis sociis, quia non minus quã Herodes eos perdere quærunt: dum ad vitia impellunt. Hinc Apostol. ad Gal. 4. ait Ismaelem persecutum esse puerum Isaac, Gen. 21. sed quomodo eum persecutus est? Malo exemplo, ajunt Hebræi apud S. Hieron. fingendo perludum Idola; ex quo ad Idololatriam facilè pertrahi poterat Isaac. Sara igitur hoc videns ejecit Ismaelem. Nec minori diligentia usa est Rebecca in servando filio Iacob ab insidiis Esau fratris. Cùm enim adverteret hunc illi necem machinari, ablegavit Iacobum in Haram. Gen. 27. Discant ergò matres exemplo Deiparæ, Saræ & Rebeccæ servare liberos suos à morum corruptoribus. Audiant vel Ethnicos. Severus Imperator

tor filios suos ab urbe abduxit, non alia de causa, quam ut à delitiis urbanis abstracti non ignaviæ, sed militari vitæ in castris, juvenes assuescerent. Plutarchus in lib. de educandis liberis ait: *Sicut infantium membra simul ac nata sunt, formari componique debent, ut recta minimeque obliqua fiant: ita puerorum mores principio aptè concinneque fingere conveniet.*

F. V. *Bona nostra occultanda.*

Discimus quintò bona nostra opera Dæmoni velut Herodi mox subtrahere & offerre Deo. Vult Dæmon sicut Pharao Exodi 1. masculas nostras proles, id est, opera spiritus interfici: fœminas, id est, opera carnis reservari. Nos contra cum obstetricibus masculas servemus: & contra potius fœminas per pœnitentiam extinguamus.

G. VI. *Uxores sub sint maritis.*

Sextò. Discunt Uxores à Deipara, maritis subesse & obedire. Etenim Iosepho, non Deiparæ facta est revelatio, fugiendum esse in Ægyptum; ipsa verò à Iosepho hoc primum intellexit, & tamen ita paret eique se accommodat, ac si idem ab angelo audisset. Nimirum ipsa noverat virum esse caput mulieris, & Iosephum familiæ suæ directorem: idcirco ei non secus ac Dei voci obediit. Igitur Uxores directionem & instructionem capiant, & petant à maritis: non præscribant ipsis leges.

H. VII. *Superiorum monitis obediendum.*

Septimò. Discimus à Iosepho Dei & superiorum monitis obedire. Videte Iosephi obedientiam. Audit ab angelo fugiendum esse & quidem in Ægyptum longo & asperrimo itinere, in Barbarorum regionem, Hebræorum inimicam, adeoque in exilium, statimque se ad iter accingit, nec verbo contradicit, v.g. posse commodiorem nec minus tutum locum eligi, quod olim fecerat Loth, qui jussus ab angelo in monte se salvare, replicavit velle se potius divertere ad urbem Segor, Gen. 19.

Deinde jubetur puerum & matrem ejus tantum accipere: de supellectile nulla mentio: quia nec commodè fieri poterat, præsertim in hac festinatione: paret iterum Ioseph. Iubetur etiam surgere de somno & ipsa nocte fugere. Surgit igitur mox & capessit fugam.

Denique jubetur in Ægypto hærere, donec rursum moneatur (*esto ibi*, ait Angelus, *usque dum dicam tibi*) non describitur ei terminus certus. Et hoc tamen contentus est. Fuit igitur Ioseph verus Abrahæ filius, in hac sua obedientia patrem suum imitans. Iubebatur ille egredi de patria, Gen. 12. & sine mora egressus est: ita etiam Ioseph monitus ut fugeret, de nocte consurrexit & fugit. Idem fecerat Ioseph Patriarcha; audiens enim à patre: *Veni, mittam te ad fratres tuos: præsto sum*, inquit Gen. 37. Celebratur etiam hoc nomine in Bavaria S. Matth. Raderi. p. 1. B. Fridericus è S. Augustini familia Ratisbonensis, qui cum è cella Vinaria vinum è dolio in subjectum vas emitteret, & epistomium extractum intra cingulum conderet, audiens vocem superioris, subitò advolavit, ablato secum epistomio. Quod ubi vidit Prior, conjecit canalem à Friderico apertum relictum esse. Revolat igitur in Cellam cum epistomio Fridericus, id repositurus; sed vidit aperto è vase nihil prorsus effluxisse, in præmium videlicet velocis obedientiæ.

Secundò. Iubebatur ire in terram sibi incognitam, & paruit Abraham, nesciens quò iret: ita Iosephus in Ægyptum ire jubetur, terram barbaram & hostilem, nec designatur civitas aut domus, in qua diverteret, paret tamen simpliciter. Hujusmodi exemplum cœcæ obedientiæ ait se vidisse S. Hieronymus in reg. monial. quando fratrum unus, qui in Eremo ad jussum sui superioris, singulis diebus lapidem prægrandem ferebat in scapulis, bis quotidie per tria milliaria, quod is cum magna alacritate continuabat per annos 8.

Tertiò. Iubebatur relinquere domum paternam, & cognationem suam, ita etiam Ioseph qui præter patriam domum reliquit etiam supellectilem & cognatos, &c. Quarto Abraham nihil conqueritur, tametsi iter foret magnum & difficile: pari modo & Ioseph, qui eundem sibi sciebat per horridum & incultum desertum. Quinto. Obediit Abraham perseveranter, manens semper in Chanaan: ita etiam Ioseph mansit in Ægypto, donec Angeli ductu redire juberetur.

Habemus ergo in Iosepho speculum obedientiæ, quem nos imitabimur, si nostrorum Superiorum, Confessariorum, Concionatorum consiliis per omnia utamur, & ad eorum directionem vitam nostram instituamus. Hac enim ratione securè ambulabimus, insidias Dioboli declinabimus, & tandem ad patriam nostram Nazareth, id est, floridam cœli regionem perveniemus.

IN FESTO S. SYLVESTRI PAPÆ.

CONCIONES.

CONCIO I.

QUO FINE LUMBI NOSTRI præcincti esse debeant.

I. Ad peregrinandum in cœlum.
II. Ad bajulandum.
III. Ad laborandum.
IV. Ad militandum.
V. Ad ministrandum.
VI. Ad natandum & transvadandum.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12.

Probrosum erat olim esse discinctum, vel carere cingulo.

FUit apud veteres multos nota alicujus probri, nec non mali ominis, cingulo carere. Probrum certè fuit militibus, quorum uti militare insigne præcipuum erat baltheus seu cingulum: (quod ex baltheo Ionathæ colligitur, 1. Reg. 18.) ita maxima ignominia & pœna erat, baltheo spoliari. Unde Augustus Cæsar, teste Suetonio, milites delinquentes jussit pedibus stare discinctos, ad sui confusionem. Erat enim indicium hominis ignavi, dissoluti & malè compositi atque ad res gerendas inidonei; unde emanavit illud: *Discincta vestis, discinctus animus*; sicut econtra homo præcinctus pro industrio habebatur. Certè Iulius Cæsar ad huc puer, quod laxius etiam adeoque negligentius esset præcinctus, notabatur de malo omine; Sylla Optimates sæpius admonente, ut *malè præcinctum puerum caverent:* Sueton. in Iul. Cæsare. Apud Carthaginenses quoque discincti ducebantur postremi homines. Alex. ab Alex. l. 1. c. 20. Idem mihi videtur à Iudæis observatum fuisse, qui cum talaribus uterentur vestibus, eas præcingere solebant. Verum quidquid de hoc cingulo sit, majus longè probrum est homini Christiano, carere cingulo animi, quam olim fuerit carere Zona vestium: id enim multò certius hominis ignavi & dissoluti signum est. Quare hoc probrum ut à nobis tolleret Christus, in hodierno Evangelio monet: *Sint lumbi vestri præcincti.* Verum in quem finem vult nos accinctos esse? utique in eum, quo accingi solemus ad opus aliquod aggrediendum; veluti

I. Ad peregrinandum in cœlum.

I. Ad ambulandum, & peregrinandum in cœlum absque remora & impedimento rerum sæcularium. Ita exponit S. Augustinus lib. 2. quæst. Evang. c. 25. Tertull. l. 4. contra Marcion. Et huc potissimum collineat Christus: quia præmiserat quærendum ante omnia Regnum cœlorum, & thesaurum in cœlo parandum. Eò igitur nos mittere volens, jubet ut lumbos nostros præcingamus, quod solent facere, qui ad iter se accingunt, pedibus conficiendum. Quo fine etiam præcepit Hebræis profecturis ex Ægypto in terram promissionis: *Renes vestros accingetis*, Exod. 12. quo videlicet expeditius pergere via longa & aspera possent; siquidem vestes talares gressum impediunt, dum perpetuò verberant pedes & gravant. Tali modo Elias ante Achab *accinctis lumbis*, 3. Reg. 18. Vestes talares sunt bona terrena, quibus onerati difficulter sanè progredi ad vitam æternam possunt. Scimus Heraclium Imperatorem quando sacram Christi crucem è civitate Ierosolyma in montem Calvariæ suis humeris efferre cœpit, progredi non potuisse, sed in porta sistere coactum, utpote auro & gemmis onustum, imperialique paludamento impeditum; quæ ubi ex consilio Patriarchæ deposuit & vulgarem habitum induit, sine difficultate reliquum iter confecit. Ex Brev. Rom. Idem accidit Christianis, qui crucem Christi in se gestandam susceperunt; solent enim, si bonis terrenis onusti sint, impediri vehementer à progressu, & plerique omninò sistere atque in luto hujus mundi hærere. Quare qui ad hoc iter expediti esse volunt, pondus hoc cum Heraclio omninò abjiciunt; & paupérculum induunt habitum, in statu religionis. Hoc verò quia non omnium est, superest ut reliqui sectentur Christi consilium, & præcingant saltem vestes suas, more peregrinorum, quò faciliùs progrediantur. Tali modo, Tob. 3. apparuit Raphael Angelus Tobiæ, *præcinctus* videlicet ad ambulandum, ut se comitem itineris ipsi offerret; interim etiam & ipsum & omnes doceret, quâ ratione se parare ad iter cœleste debeant, abstrahendo scilicet animum ab hujus sæculi bonis, eisque sic utendo, quasi non utantur, ad eum modum, quo ipse postea dixit c. 21. *Cùm essem vobiscum, videbar quidem vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Hoc est præcinctum esse: uti bonis quidem hujus mundi, in iis tamen nihil delectationis (sic enim & Raphael comedebat & bibebat, sed absque omni gustu & delectatione) quærere aut sentire, sed spirituali potius & cœlesti alimonia cupere satiari atque delectari cibum Angelorum non animalium appetere. Docuit hoc facere Clericos S. Sylvester, dum eis negotiationes sæculares & nundinationes interdixit; dies etiam hebdomadis ferias appellari præcepit, ut scirent animum ab hujus sæculi negotiis esse avocandum & ad Dei obsequium per omnia transferendum. Ex quo manifestum est ipsum Sylvestrum velut legis hujus latorem ab amore rerum secularium fuisse quàm alienissimum. Et quid summus Legislator Christus? quid ipse de bonis hujus mundi usurpavit, qui se suis exuit & planè *exinanivit formam servi accipiens?*

II. Ad bajulandum.

II. Ad bajulandum & onera ferendum; id enim facere solent, qui sarcinas gestant, tum ut levius eas ferant, tum etiam ne rumpantur & herniam contrahant. Ita sacerdotes, qui gestabant & sustinebant Arcam fœderis, *stabant super siccam humum in medio Iordanis accincti*, Iosu. 3. Ad quid accincti, nisi ut facilius Arcam gestarent? Debent Christiani omnes

omnes,præſertim verò ſacerdotes,ſua quædam onera portare ad cœlum; qualia verò, niſi proximos ſuos; (hos enim, ſeu electos, ut ſentit P.Cornelius in c.25.Exodi,deſignabat Arca illa) quos datâ occaſione poſſunt! Ita enim legimus Eccleſiaſtici 17. *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Cauſam dat S.Leo ſerm.de S.Laurentio: *Nam nullus verè bonus,*inquit, *ſibi ſoli bonus eſt, nec cujuſquam ſapientis ſibi tantùm amica ſapientia: & hæc verarum natura virtutum, ut multos à tenebroſo abducant errore.* Poſſet Deus ſe ſolo homines perducere ad ſalutem, ſed propter meritum noſtrum vult nos habere coadjutores ſuos.Sic in vita S.Eduardi,Regis Angliæ,ſcribit Ælredus Abbas Ciſterc.Hibernum quendam utroque pede claudum, poſtquàm ſexies repens Romam viſitavit limina Apoſtolorum, à ſancto Petro ſpem quidē ſanitatis accepiſſe, remiſſum tamen ad Eduardum Regem, quòd eum habere ſocium & cooperatorem miraculi & ſanitatis impertiendæ vellet; ita videlicet,ut Rex ſuis humeris claudum ſuſciperet & ad Divi Petri templum deferret. Quod ubi Rex hilari & promptiſsimo animo fecit,claudus uſum pedum recepit.Magnum hoc beneficium,maximus honor fuit Regi; qui & nobis offertur, quoties datur occaſio eripiendi aliquem è peccati barathro, vel periculo incidendi,& ad Dei gratiam reducendi.Nec minor honos fuit, quem idem S.Petrus una cum S. Paulo impertiit S.Sylveſtro,quando Conſtantino M.Imp.apparens in ſomno & promittens lepræ abſterſionem, remiſit eum ad Sylveſtrum, cujus opera per baptiſmum non ſolùm carnis ſed etiam animæ lepram eſſet abluturus,uti factum. Qui etiam magno animo & gaudio accinxit ſe ad opus, inſtructumq; in fide ac baptizatum Conſtantinum ſuis quaſi manib. geſtavit in Eccleſiam & electorum numerum.Hujuſmodi etiam bajulus fuit S.Franc.Xaverius, cum per quietē ſibi viſus eſt humeris Indū aliquamdiu vectare, tam gravem,ut ipſo pondere fatigatus excitaretur à ſomno; præſagio laborū, quos pro Indorum ſalute ſubiturus erat.Turſell.in vita l.1.c.8. Iam quid Legiſlator noſter Chriſtus; nonne *peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuo,*ut nos cœlo inferret? Non feret igitur ſervus conſervum ſuum,ſi ita tulit Dominus ſervos ſuos?

III. *Ad laborandum.*

III. Ad laborandum. Ita exponunt Theophylactus,Euthymius, & Titus; quaſi Chriſtus dicat: ſitis præcincti & parati ad agenda bona opera, qui enim gnaviter operari volunt, ad hoc ſe accingunt; ne à defluentib. impediantur veſtimentis. In hunc finem mulier illa fortis,Prov.31.*accinxit fortitudine lumbos ſuos,roboravit brachium ſuum,*ut videlicet domi ſuæ ſedulò laboraret. Ad hoc cingulū vocatus eſt è Chriſto Petrus,poſtquam ei ab eodem collatus eſt primatus,Ioan.21. *Cum eſſes junior,cingebas te & ambulabas ubi volebas; & cùm autem ſenueris,extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quò tu non vis.* Ad crucem ergò Petrus accingere ſe debuit, priuſquam ad Chriſti menſam in cœlo conſideret. Si hoc Petro dictum,quid aliud nobis expectandum? Accingendi priùs ad ferendam crucem lumbi ſunt, ſi cum Chriſto intrare in gloriam volumus. Clamat hoc Deus, clamant Beati,clamat univerſa rerum natura. Deus poſt ſex dierum operationes primum inſtituit diem quietis: Arca poſt varias jactationes in diluvio demum conquievit in montib. Armaniæ: Hebræi poſt aquas amaras acceperunt manna: Poſt 40. annorum profectionē intrarunt terram lacte & melle manantem: Elias non niſi poſt timores, fugam & ærumnas evehitur in cœlum,ſeu quietis locum,4.Reg.2. Saxa prius tundi & ſecari debent,quàm in templi ſtructuram adhibeantur: lyræ corda prius extendi & quaſi lamentari,quàm ſonum dulcem reddat: in agro prius arandum, quàm metendum: in bello prius pugnandum,quàm triumphandum. Idem & Gentiles naturæ lumine viderunt. Balearici filiis ſuis panem negabant,niſi fundâ jaculando ſcopum tetigiſſent. Strab. l.3.Gymnoſophiſtę ſuos nequaquam ad menſam admittebant, niſi prius demonſtraſſent, quid eo die laboraſſent,Alex.ab Alex.l.5.c.21.Adeò naturæ inſitum & conveniens eſt, ut omnis felicitas labore comparetur:& qualis eſt dependentia oculi à luce, ut ſine ea nihil videre poſsit: talis eſt felicitas à labore, ut abſq; eo non acquiratur,ut docet Philo lib. de ſacrif. Abel. Ipſe Legiſlator noſter Chriſtus *in laborib. à juventute ſua*(Pſ.87.)diu noctuq; laborans,hunc mundum *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos*, Act. 10.Quem utrum imitatus ſit S.Sylveſter,qui dubitat, neſcit ſanè ille quàm operoſum ac laborioſum onus ſit ſumi Eccleſiæ paſtoris, quod ille inſigniter adminiſtravit, per annos propè 22. adeò ut dignus fuerit habitus,qui ſumum orbis Monarcham, Conſtantin. Magnum ejuſque matrem Helenam, proles, aulam, innumerabilemque populum Romanum, nec paucos Iudæos inſtruxerit in fide & ad eam perduxerit.

IV. *Ad militandum.*

IV. Ad militandum. Solent enim milites gladio ſe accingere, & baltheum ſuum pro inſigni militari gerere; quæ ſæpe in SS.literis notatur: uti Pſ.17.*Præcinxiſti me virtute ad bellum.* Et ad Eph.6. *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* Dixerat Eliphaz (Iob c.5.) *Homo naſcitur ad laborem.* Cui reſpondet Iob c.7. *Militia eſt vita hominis,* quaſi dicat: non ſolum labor,ſed etiā pugna & *tentatio* eſt,ut alii legunt. Habemus enim multos & varios hoſtes, tres præſertim capitales, dæmonem, mundum, & quem fugere non poſſumus, carnem propriam. Quia namq; gloria cœleſtis incomprehenſibilis eſt,quibuſcunq; tandem laboribus & prælìis promerenda eſt. Atque huc reſpexit S.Petrus epiſt.1.c.1. quando explicata ac propoſita *hæreditate incorruptibili & incontaminata & immarceſcibili, conſervata in cœlis*, ſubjecit: *propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ,&c.* quaſi diceret: cùm tanta vobis corona ſit propoſita, meritò vos accingere ad præliandum debetis pro illa. Nationes aliquæ filios ad menſam parentum non admittebant,niſi bello aſſuetos uti Gothi apud Caſsiodor.in ep.Alię nemini uxorem ducere permittebant, niſi qui prius hoſtis ſaltem unius caput amputaſſet &

ad Regem attulisset,uti Ariani,Persarum finitimi, apud Strab.l.15. Et si Iosue non dimisit Hebræos in possessiones suas,nisi postquã gladio suo debellarunt Gentes,Ios.24.quis nisi per varias pugnas ad coronã aspirare audebit? Ipse summus noster & verissimus Iosue, hoc est, Salvator Christus, nonne præliari debuit & quidem acerrima prælia contra Dæmones, undique ejiciendo illos? contra mundum, corrigendo perversum, tolerando sibi refractarium, beneficiis deliniendo sibi ingratum? contra carnem propriam; minimè quidem rebellẽ, sed objiciendo eam velut agnum innocentissimum rabidorum dentib. luporum? Hæc fortasse causa est, cur non in fronte, quæ solet alioquin gestare coronam & insignia Regis, sed in femore visus sit Ioanni gerens inscriptum: *Rex Regum & Dominus dominantium*, Apoc.19.quia nimirum gladio (quo ad femur accinguntur milites, Ps.44. *Accingere gladio tuo super femur tuũ potentissime*) & passionis suæ prælio titulum illum *Regis Regum* sibi comparavit. Quem etiam imitatus est S.Sylvester, Iudæis & Gentilibus fortiter se opponendo eosque convincendo. Et tu igitur mi homo,quisquis es, præliandum tibi scias, tametsi id asperum videtur,contra carnem,mundum,Dæmonem; si coronã expectas. Agesilaus Rex Spartarum de finibus & latitudine Regni sui interrogatus: *Regni nostri fines sunt*, inquit, *quos gladius noster attingere nequit*, ap. Plut. Quod si & tu percupias scire,quàm spaciosum in cœlo regnum habiturus sis, tibi respondeo: Quantum gladio tuo circumscripseris: ibi terminus regni tui erit,ubi pugnare contra vitia & hostes animę tuę cessaveris. Econtrà *hoc pro certo habeat*, (inquit Sara illa Tobiæ junioris) *omnis,qui te* (Deum) *colit, quòd vita ejus, si in probatione fuerit,coronabitur*, Tob.3.

V. *Ad ministrandum*

V. Ad ministrandum. Præcingi enim ministrantium quoque est. Unde Luc.17.in parabola dicit herus servo; *Præcinge te & ministra mihi*. Debet ad hoc paratus esse etiam Christianus,ut pro data occasione ministret proximo suo. Quantuscunque verò sis, nihil honori tuo demitur, sed permultum potius accedit, cum alteri ministras. Sapientissimus fuit Diogenes,tametsi stultitiam affectabat. Is enim cum Xeniade serviret pro mancipio, amici agebant pro eo redimendo. At ille: *Nequaquam*,inquit,*an nescitis leones non iis servire, à quibus aluntur, sed altores potius servire leonibus? Nam leo, ubicunque est, semper leo est*, Laërt.l.7. Pari modo vir sapiens & honoratus, tametsi alteri ministerium aliquod præstet,nihil honoris perdit, sed permultum acquirit: *ubicunq; enim est, semper leo est*. Ficti illi leones,qui fulciebant thronum Salomonis, serviebant quidem Regi thronum ascendenti & in eo sedenti; verùm inde ipsi decorem acquirebant,dum thronum Regalem componebant & ornabant,3.Reg.10. Laudatur S. Martinus, non vituperatur, quòd subinde servo suo ministrum se præbuerit. Et quis non in cœlum extollit, quod egit Salvator noster, dum ipse *linteo se præcinxit*,& serviit discipulis suis,pedes eorum lavando? Et quid tota ejus vita aliud fuit, nisi mancipatus & ministerium subditis exhibitum? Hunc imitatus S.Sylvester, *quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, & aquâ illorum pedes abluens & ad quiescendũ eos in stragulis collocans*, ut habet auctor vitæ ejus.

VI. *Ad natandum & transvadandum.*

VI. Ad natandum & transvadandum fluvium. Ita Petrus cum audisset Dominum ad littus stare, *tunica succinxit se & misit se in mare*, ut natando, (uti putat Chrysostomus & alii;) vel pedibus mare pervadando, (uti Beda) ad Iesum pergeret, Ioan.21. Tunicam igitur induit,eamque succinxit, ne impedimento esset. Debet etiam Christianus ad hoc accinctus esse,ut pro Christi fide & gratia conservanda in periculum vitæ, quasi in mare se injiciat & flumina transvadet, quia Dominus ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, Luc.14. Ratio est; quia Christus, vita nostra beata & sempiterna, longissimè imò infinities præferendus est vitæ nostræ miseræ & momentaneæ. *Quæ est enim vita nostra?* ait S.Iacob.c.4. *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Christus autem vita nostra *manet in æternum*. Quando igitur Deo disponente accidit, ut in aquas tribulationum, inopiam, contemptum, persecutiones, morbos incidamus; ibi opus est, ut natare sciamus, hoc est, ut ea omnia, ne Christum perdamus, patienti & lubenti animo perferamus. Quòd si tempus instat, ut ad alteram vitam transvadandum sit, per mortem qualemcunque tandem, ad hoc parati simus. Sic paratus erat S.Paulus, qui ajebat: *Scio & humiliari, scio & abundare; (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat*, ad Phil.4. Quin etiam ad supplicium & mortem pro Christo perferendam, si res ferat & exigat, nemo se subducat; siquidem ipse eam pertulit pro nobis. Non est paris pretii vita servi cum vita Regis; & quid vita puri hominis cum vita filii Dei; Fœda & inexpiabilis fuit ingratitudo Pharaonis, qui posteris Iosephi, cui vitam & conservationem totius Ægypti debebat, denegavit paleas ad coquendos lateres. Repleverat Iosephus omnia horrea regia tritico, & jam ejus posteris paleæ negantur. Christus verus Ioseph & Salvator mundi, vitam nobis attulit, & pro ea servanda suam deposuit, pretiosamque animam dedit: quî ergò dubitamus viles nostras animas ponere pro ipso? nonne paleas exiguas & vilissimas pro immenso tritico damus? Expendit hoc Sylvester, qui etiam non urgente præcepto, sed stimulante solùm charitate martyres enectos & abjectos, præsenti vitę suæ periculo, rapuit & sepelivit; adhæc pro Romanorum plebe Christo concilianda non dubitavit se exponere faucibus Draconis, ut eas occluderet pestiferas Romanis. Cùm igitur habeamus & supremi nostri ac Generalis militiæ Ducis Christi luculentissimum exemplar, qui his omnibus modis baltheo

suo præcinctus agmen præcessit; habeamus etiam præ oculis S. Sylvestrum, velut ejus armigerum mi- minimè ignavum, Ducem suum Christum etiam per abruptos scopulos, strenuè sequentem, superest ut nos quoque intendamus vires, & quantum fieri poterit, post illos ascendamus ad montem Victoriæ cœlestem. Non admittamus in nos hoc probrum ut discincti inveniamur coram Deo.

CONCIO II.

CINGULUM CASTITATIS QUI comparandum.

I. Fit ex bysso retorta mortificationis.
II. Ex hyacintho orationis.
III. Ex purpura castæ Societatis.
IV. Ex vermiculo bis tincto seu mortis memoria.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12.

Lumborum cingulum est castitas.

COmmunis SS. Patrum sententia est, uti S. Augist.hom.23.de verbis Domini. S.Gregor.hom. 13.in Evang. S.Basil.in c.15.Isa. S. Hieron.l.1. contra Iovin. S.Petri Chrysologi serm. 24. & aliorum, per lumbos intelligere Christum carnis concupiscentiã, quæ castitatis cingulo constringenda & coercenda sit. Præclarum id quidem consilium est, sed unde nobis tale cingulum? vel quibus ex rebus conficiendum est? Quæramus in lege veteri, quę saltem per figuram id nobis explicabit. Etenim inter vestes Pontificias reperimus etiam sacrum cingulum, quod Exod.39. jussit Deus fieri *de bysso retorta, hyacintho* (h. e. lana hyacinthini coloris) *purpura ac vermiculo bis tincto*. Pretiosum sanè est hoc cingulum: byssus enim ostendit esse forte & simul blandum, non asperum; hyacinthus cœleste & Angelicum: purpura Regium: vermiculus seu coccus fulgidum ac speciosum. Neque solum pretiosum, sed etiam apprimè utile, siquidem ad hoc præscribitur à Domino, *ut carne succincta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus*; inquit S.Chrysolog. loc.cit. Solum id nunc superest, ut videamus quænam illa sint, ex quibus contexendum adeoque nobis comparandum est hoc cingulum. Quod hîc agemus.

I. Fit ex bysso retorta mortificationis.

I. Ex bysso retorta. Byssus tenerrima textura & domuncula bombycis est; quare carnem nostram denotat, quæ quasi domus animæ est, eademque tenera valde & sensitiva. Porrò ut ex ea cingulum castitatis fiat, contorqueri per afflictiones, imò & retorqueri sæpiùs debet. Quemadmodum enim equus frænandus, & constringendus loris, insuper & flagellis coërcendus est, ne sessorem præcipitet aut dejiciat: ita quoque caro, ex perversa sua natura petulans & lasciva. Unde S. Augustinus lib. de salutaribus docum.tom.4. ait: *Caro data est nobis, quasi animæ bellum: quæ si mortificetur, adducit ad vitam; si nutriatur, præparat se contra animam ad mortem.* Quod in se expertus etiam sanctissimus ille Apostolus Paulus 1. Cor. 9. ait: *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, Gr. *subigo, contundo*, velut equum scilicet petulantem, jejuniis, flagello, cilicio, frigore, labore. *Castitas enim sine comitibus suis, jejunio videlicet & temperantiæ citò lassescit; quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, perfacilè coronabitur*, ait sanctus Chysostomus hom.1.in Psal.50. Vidit hoc Elias (ex constanti veterum Patrum sententia, virgo semper existens) qui ut donum castitatis illibatæ conservaret, pellibus hirsutis carnem & zona pellicea lumbos suos vestiit ac vexavit; quam ob causam *vir pilosus* appellatus fuit, 4.Reg.1. Sciens maximè in lumbis dominari carnis pruritum. De jejunio ejus nihil dubitandum, cum in monte Carmelo habitaret, ubi vix aliud quid præter herbas ad victum habere poterat. Vidit Ioannes Baptista, ob vitæ imitationem alter Elias dictus, qui carnem suam strinxit pilis camelorum, & pavit locustis, tametsi in deserto extra omnium hominum conspectum viveret; ita ut vix scire posset, quid esset Venus. Vidit sanctus juvenis Hilarion & ipse in deserto agens, de quo sanctus Hieronym. in vita scribit: *Titillabat Diabolus sensus ejus, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat, & ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes, cædemanus posset excludere: Ego, inquit, aselle faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti: gravi onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites. Herbarum ergò succu & paucis carycis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat: orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, ut jejunorum laborem labor operis duplicaret.* Idem se fecisse fatetur, qui id scripsit sanctus Hieronymus epist.22. ad Eustoch. de cust. virgin.c.3. tametsi jam senex: *Mens, inquit, desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem sua jam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant, itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam, &c.* Idem fecêre, præsertim urgente carnis tentatione, alii: Evagrius presbyter hybernis frigoribus in puteũ; S.Bernardus Abbas in lacum descendit. S. Audomarus Tarvanensis Episcopus in vepribus, uti & S. Benedictus: S. Franciscus in nivibus se volutabant; alius ex ordine S.Dominici à scorto solicitatus in prunas se conjecit, apud Thom. Cantipr.l.2.Apum c.20. Denique S.Borromæus Cardinalis ad quendam Cardinalem scribere non dubitavit, *sine pœnitentia &*

asperitate vitæ impossibile esse servare castitatem; utpote quam tantoperè caro, dæmon & mundus impugnant. Quam proinde ut conservaret, ipse sibi voluptatibus interdixit, & rigidam vitam indixit. Unde S. Thomas 22. quæst. 151. artic. 1. sentit castitatem à castigando dictam esse, quòd ad modum pueri frænanda & castiganda sit. Certè Abdias Babylonicus in vita S. Andreæ Apostoli scribit, Nicolaum quendam nomine, Corinthi ad S. Andream venisse ac dixisse, se per annos 74. Veneris mancipium fuisse, rogasseque Apostolum, ut suis sibi precibus impetraret continentiam, & jejunasse quidem Apostolum atque orasse pro illo totis quinque diebus, nihil tamen impetrasse, sed à Domino audiisse: *Volo ut quemadmodum tu pro illo jejunasti, sic etiam ipse jejunet suumque corpus affligat, si fieri salvus desiderat.* Quod cum is fecisset, toto semestri pane sicco & aqua victitans, transiit ex hac vita ad immortalem. Ecce quam verum, sine asperitate vitæ non servari castitatem!

II. *Ex hyacintho orationis.*

II. Ex hyacintho. Omnium sententia hyacinthus olim cœli colorem referebat; qui nunc quidem melleum refert. Igitur hyacinthus cingulum castitatis conficiens & conservans est oratio, quæ in cœlum evehit orantẽ, cœlesteq; illud donum impetrare potest. Testatur hoc Salomon Sap. 8. *Ut scivi*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, &c. adii Dominum & deprecatus sum illum, & dixi totis præcordiis meis: Deus patrum meorum & Domine misericordiæ, &c.* Rationem exponit Cassianus in Institution. monast. *Quodammodo enim*, inquit, *exire de carne est, in corpore commorantem, & ultra naturam est fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcircò impossibile est hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum cœleste præmium subvolare, nisi cum gratia Domini de terra cœno munere evexerit castitatis.* Quare S. Augustinus pro hoc dono comparando summum & extremum perfugium habuit ad orationem: *Tota spes mea*, ait: *non nisi in magna valde misericordia tua. Continentiam jubes: da quod jubes, & jube quod vis*, lib. 10. Conf. cap. 29. Licet enim aliæ quoque virtutes sint dona Dei, ab eo petenda; maximè tamen castitas, quia plures habet hostes, qui mentem non perturbant tantum, sed planè excæcant. Legimus Iudic. c. 1. Calebum dedisse filiæ suæ Axæ *terram arentem*, seu, ut 70. vertunt *Australem* (ea enim majore Solis æstu solet fervere adeoque aridior esse.) Verum filia, videns sibi per illam non satis prospectum, suspirans in asino, quo vehebatur, petiit à patre & irriguam: accepitque irriguum superius & inferius hoc est, terram Australem, calidam: & septentrionalem, frigidam. Dedit nobis Deus dona naturæ, corpus & animam, rationem, memoriam, voluntatem liberam, quinq; sensus, bona externa, quasi in dotem. Verum hæc omnia sunt arida & Solis æstui exposita, variis scilicet peccandi periculis, præsertim caro concupiscentiæ æstu calens. Quare si præterea terram humore gratiæ irrigatam, si terram septentrionalem, carnem ab æstu concupiscentiæ imunem desideramus, suspirare oportet ad patrem nostrum cœlestem, idq; donum petere, quod est castitas & virginitas, uti fecit sancta Cæcilia, quæ *cantantibus organis in corde suo soli Domino decantabat dicens: Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Quæ non modò, quod petiit, obtinuit, sed quemadmodum Axa, plus quam petiit; impetravit enim eandem virginalem castitatem sponso suo Valeriano, ejusque fratri Tiburtio; ita ut cum virginitatis corona etiam martyrii lauream consequerentur; ut habemus in officio Roman. Pari modo sanctus ille juvenis Thomas Aquinas cum propinqui castitati ejus insidias posuissent, puellam ad labefactandam ejus pudicitiam immittendo, ad Christum & Beatam Virginem conversus: *Ne sinas quæso*, inquit, *Domine Jesu & tu sanctissima mater & Virgo Maria, ut tam immani me scelere obstringam.* Quo dicto titionem è foco arripuit, eo puellam fugavit, ostioque crucis signum velut feram appingens, dum orat lumbos sibi ab Angelo constringi advertit; à quo tempore omni carnis stimulo caruit, ut in ejus vita. Cæterum ut hoc idem donum à Deo impetremus, serio & *ex totis præcordiis* cum Salomone orare, & cum Axa *suspirare* ad patrem cœlestem debemus, non quo modo Augustinus adhuc in cœno impuritatis hærens orabat: *Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modo. Timebam enim*, inquit, *ne me citò exaudires & citò sanares à morbo concupiscentiæ, &c.* lib. 8. Confess. c. 7.

III. *Ex purpura castæ societatis.*

III. Ex purpura. Purpura quasi *pura pura*, hoc est, purissima dicta est, & indicat societatem castam, qua puri cum puris conversantur, ut bis puri & purissimi fiant. Olivam veteres Minervæ, quæ virgo perhibetur, sacram esse voluerunt. Causam adfert Pierius lib. 53. hierogl. c. 16. *Græci enim*, inquit, *ut Rutilius Taurus ait, jubent olivam, cum plantatur & legitur, à mundis pueris atque virginibus operandam: credo*, inquit, *recordati, arbori huic esse præsidem castitatem.* Florentinus quoque l. de re rustica adeò puram esse oleam tradit, ut collectores etiam non nisi puros amet, qui cùm ad olivationem accedunt, jurant, se non aliunde quam ab uxore sua venire: ita fieri ut oleæ anno insequenti uberiorem proventum adhibeant. *Præcipuè verò ajunt Anaxarbi, quæ Ciliciæ est civitas, oleas esse fœcundissimas, quoniam à castis tantummodò pueris colantur.* Ita ille. Quibus accedit, quod M. Varro Romanorum doctissimus scribit, oleam sterilescere, si capra primum germinantem tetigerit. Ergò uti oliva seu olea, quia semper virens purissimum fundit liquorem, castitatis typum, castos etiam amat & puros, sibiq; similes requirit cultores; aversatur contra impuras & fœtẽtes capras: ita quoque puri cum puris conversari debent; certi alioquin, si ab impura capra, præsertim juvenes tangantur, se non exiguum castitatis damnũ accepturos. Audiant S. Hieron. ep. ad Nepotianum: *Ne*

Ne in præterita castitate confidas, inquit, *neque enim tu Davide es sanctior, neque Salomone poteris sapientior esse. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua ejecit mulier. Solus cum sola absque arbitro & teste non sedeas, tametsi secretum aliquod intersit, & quicquid probabiliter fingi potest. Crebra munuscula & sudariola & fasciolas & degustatos cibos & blandas dulcesq; litterulas sanctus amor non habet.* Apes purissima animalcula, absque coitu prognata, non fœtores modo & infectos, sed & unguenta redolentes oderunt atq; infestant, teste Plin. l. 15. c. 18. Ita castimoniæ studiosi non modò tetrum libidinis odorem, sed ipsa etiam pigmenta, unguenta, munuscula, & fucum, quibus parentatur Veneri, fugiant & abominentur. Atque ut illæ alveare suum ab his, quæ oderunt, tutantur: ita isti sensus suos ab omni impura contagione servare conentur. Quare Ioseph ne contingere dominam cogeretur, potius vestem suam in manu ejus relinquere, quam cum ea contendere voluit Genes. 38. Augustinus nec sororem suam in domo toleravit, eo quod adventantes ad illam sorores non essent. S. Greg. Nazianz. in carm. de animæ suæ calam. ait: *Cum castitatis amor in intimis animi recessibus occultari non posset, primum cum his hominibus vitæ consuetudinem contraxi, qui matrimonii vincula fugerunt, seque à mundi contagione abruperunt, ut Christum Regem animi pennis sequantur, hinc non sine magna gloria pedem efferentes. Hos ego singulari amore ac toto pectore complectens, spei cœlestis duces habebam.*

IV. Ex vermiculo bis tincto, seu mortis memoria.

IV. Ex vermiculo bis tincto. Coccus granum tinctorium est, quod arbusto cuidam annascitur, de quo Plinius lib. 9. c. 41. & lib. 16. c. 8. Dioscorides l. 4. cap. 43. Huic innascitur vermiculus quidam parvus, rubicundus & odoratus, qui è grano prodiens, vino albo forti spargitur, arefit & contunditur in pulverem, quo rubricantur panni, qui inde coccinum vel coccinei dicuntur, ut refert Corn. in cap. 1. Isai. Quid hic vermiculus nisi mortis typus? Ita enim Baldad. *Homo putredo, & filius hominis vermis*; inquit Iob. 25. Ut vermiculus ille arbori, ita mors annascitur homini. Vermiculus ille in pulverem contusus pulchro colore pannos rubricat, mortui homines in pulverem redacti, & per considerationem menti nostræ aspersi, pulcherrimo eam castitatis imbuunt colore. Quis enim amet carnem, quæ post modicum tempus adeo fœtebit, tamque horrida aspectu erit, ut ferri non posit? quis vermes è cadavere prodeuntes, quis cinerem deperiat? Unde S. Zeno in serm. de pudicitia ait: *Non habet concupiscentia locum, ubi mors timetur.* Et. S. Gregor. 26. mor. cap. 29. *Nihil*, inquit, *sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quam ut unusquisq; hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset.* Quid autem in morte futurum sit exponit Isaias c. 14. dicens: *Concidit cadaver tuum* (velut asini, videlicet, quod abjectum devoratur à canibus) *subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Dixit hanc sententiam quidam religiosus juveni dissoluto, ut cogitaret qualis ejus lectus in inferno futurus esset; dixit & evicit, ut is deserto sæculo religionem ingrederetur, refert Platus de stat. rel. l. 3. c. ult. Alius quidam in vitis PP. ut fœdum amorem alicujus fœminæ ex animo suo pelleret, ubi mortuam audivit, ejus sanie pannum intinxit & postea cum tentaretur, naribus applicuit. p. 2. de fornicat. Hinc igitur vermiculus est bis tinctus, hoc est, mortis memoria, menti sæpius impressa & quasi intincta; quæ non secus ac bis tinctus color, pertinaciter hærebit, nec facilè delebitur.

Trip. Dñ. 13. post Pent. c. 8. B.

CONCIO III.

QUATUOR CINGULA viatorum.

I. Cingulum castitatis.
II. Cingulum contemptus rerum sæcularium.
III. Cingulum promptitudinis ad obediendum.
IV. Cingulum præparationis ad mortem.

THEMA.

Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 21.

Viatores Christianos accinctos esse oportet.

Qui magnum aliquod iter aggressurus est, vestes, si talares habeat, præcingere solet adeoque se ad iter expeditum reddere. Ita mandavit Deus Hebræis jamjam ex Ægypto in Palæstinam egressuris, ut quia longioribus utebantur vestibus, renes suos accingerent, atque ita succincti prius agnum comederent, eoque comesto mox itineri se committerent, Exod. 12. Magnum iter aggressi sumus, quotquot in hunc mundum venimus; ad cœlum enim tendimus, velut ad patriam nostram & terram lacte & melle manantem: sed itinere non parum aspero & periculoso, præterea etiam longinquo. Oportet ergò nos ad hoc accinctos, præparatos & ab omni impedimento esse expeditos. Atque istud est, quod in hodierno Evangelio præscribit nobis Dominus, cum ait: *Sint lumbi vestri præcincti.* Id verò qua ratione fieri posit ac debeat, nunc videamus.

Non uno sensu intelligunt Patres cingulum hoc, quo Christus nos accinctos esse vult.

I. Cingulo castitatis.

I. S. Gregorius hom. 13. in Evang. multique alii PP. asserunt esse castitatem; quia hæc coërcet libidinem, uti cingulum constringit lumbos, in quibus illa sedem habet. Prima hæc & magnoperè necessaria virtus est tendenti ad cœlum & occursum Christi; siquidem libido gravissimos compedes injicit homini, retinetque affixum carni quam fortissimè. Hinc Luc. 14. in parabola cœnæ duo illi, qui boves & villam emerunt, se quidem modestè excusant: illæ autẽ, qui

qui uxorem duxit, nequaquam, sed impudenter: *Vxorem duxi*, inquit, *& ideo non possum venire.* Similiter & de raptore Dinæ, Sichem, dicitur, quod *conglutinata* fuerit *anima ejus cum illa*, Gen. 34. Eandem ob causam lascivus comparatur à Ieremia c. 2. Onagro, qui per auram olfaciens onagram, insano eam amore sequitur, gratia libidinis. *Attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eum.* Et bene libidinosus ac libido comparatur onagro, quia eripit homini mentem, redditque incapacem omnis sapientiæ; uti docet exemplum recens Henrici Angliæ Regis 8. qui ob unam pellicem eò insaniæ abiit, ut non solum legitimam conjugem abjiceret, & à sede Apostolica deficeret; sed etiam ut se Pontificem in suo regno assereret. Nemo eum ab hoc insano amore potuit abstrahere, nō consiliarii boni, non Pontifex, nō excommunicatio, non preces conjugis, non principum hortamenta & minæ, non plagæ Dei. Quare qui hunc onagrum coërcere vult, lumbos suos præcingere, hoc est, carnem suam rebellem constringere jejunio, abstinentia, cilicio, flagello & similibus armis debet; quomodo S. Hilarion à carne tentatus: *Ego te aselle*, dicebat: *faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, gravi onerabo pondere, per æstus indagabo & frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.* S. Hieronymus ep. ad Principiam, virgines à Gentilibus pingi solitas fuisse meminit armatas; propterea quod castitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Arma hæc non tam offensiva, quam defensiva sunt ad tuendum in castitate corpus, scilicet flagellum, cilicium, funiculi, labor, studium, vigiliæ, jejunium: quibus velut æneo thorace, totum corpus ambiente, non difficile se tutantur, qui castitati student.

II. *Contemptu rerum sæculariū*

II. S. Augustinus l. 2. quæstion. Evang. c. 25. vult esse contemptum rerum sæcularium ac divitiarum adeoq; paupertatem. Benè etiam iste. Solebant Iudæi talares vestes gerere, unde iter facturi aut alteri ministraturi accingebant se, ut breviori vestitu commodius id peragerent, ut videre est Luc. 12. & c. 17. Quis nescit longiores vestes retardare gressum, quod pedes semper feriant? Idem faciunt divitiæ, præsertim immodicæ. Hinc bene Democrates apud Stobæum serm. 91. ait: *Vti vestes talares corpora, ita divitiæ impediunt animas.* Si vestem prælongam habes, sæpe eam pede calcas, indeque à gressu retardaris: si multas divitias habeas, crebro de eis cogitas, sæpe eas volvis & revolvis; itaque mentem à bonis aliis cogitationibus avocas, nec divina curas. Quam ob causam, rogo, corvus à Noë dimissus non rediit ad arcam, columba verò rediit? S. Augustinus quæ. 13. in Gen. & S. Chrysost. hom. 26. in Gen. hanc dant, quia corvus reperit in aquis cadavera, quibus insidens pascebatur, columba nusquam reperit, *ubi requiesceret pes ejus*; Hanc ob causam Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes Christum vocantem ad primam vocem mox secuti sunt; quia pauperes erant. Adolescens verò ille dives, vocatus à Christo, quia multas possessiones habebat, quibus innatabat, non est secutus, sed abiit tristis, Marc. 10. Eandem ob causam divites illi in parabola Luc. 14. vocati ad cœnam, eam neglexerunt, præpediti amore divitiarum: (quia abierunt unus ad villam, alter ad boves suos:) pauperes verò absque mora excusationeque ulla statim advenerunt. Versio Chaldaica & Iosephus dicunt corvum reversum esse ad Noëen, quod 70. & vulgata negant; sed bene conciliant DD. dum ajunt corvum subinde quidem revolasse & sedisse super tectum & cacumen arcæ, ad Noëen tamen & in arcā non intrasse. Qua ratione videmus etiam divites subinde accedere ad rem divinam, confessionem & communionem, verum exigua aut nulla sua emendatione; quia mox revolant ad sua cadavera, nec intrant in Christi arcam, ut eum præ omnibus ament; sed intrant in arcam suam, ubi est thesaurus & cor eorum.

III. *Promptitudine obediendi.*

III. Theophylactus, in Luc. c. 12. vult esse promptitudinem ad faciendam voluntatem Domini, adeoque obedientiam paratam ad omnia. Bene etiam iste; quid enim magis impedit à via perfectionis & sanctitatis quam propria voluntas & dissoluta vita? Sanè equus dum fræno tenetur ab equite, commodè progreditur: at si frænum ei permittatur, ad devia & præcipitia perget: Ecclesiasticus c. 13. ait: *Venatio leonis onager in eremo.* Quid verò onager nisi homo libertati & dissolutioni deditus? Unde Iob. 11. de talibus ait Sophar: *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri liberum se natū putat.* Qui ergò se omnibus legibus & directione superiorum exemptos volunt, vel esse putant, onagri sunt, qui omne frænum & jugum respuunt. Sed norint se esse in periculoso statu & expositos venationi leonis tarrarei: sicut onagri sunt præda & potissimum pabulum ac venatio leonum. Contra asini domestici securo loco sunt, dum sub fræno & custodia dominorum sunt. Dicite, quare cervi reperiuntur sæpius infixi palis sepium, boves & equi non item; nisi quia illi liberi sunt, ideoq; quaquaversum vagantur & omnia septa transiliunt: boves autem & equi vel sub jugo & fræno, vel in stabulo conclusi, vel sub regimine pastoris sunt? Primo Reg. 8. legimus filios Samuelis declinasse post avaritiam & pervertisse judicium. Ubi quærit Theodoretus q. 16. cur Deus non etiam à Samuele pœnas exegerit, sicut exegerat ab Heli, ob perversos ejus filios; respondetq; cum S. Gregorio in eum locum, filios Heli dum sub fræno & potestate parentis erant, bonos & disciplinatos fuisse: at postquam potestate & domo ejus excesserunt & libertati suæ relicti, foris præfecturas administrarunt, tum primum perversos esse. At enim: *Neque hoc sciebat Propheta. Nam ipse quidem habitabat Harmathæmes: illi verò Bersabee.* Videte igitur quantum prosit esse sub fræno, quantum obsit libertas. Vidimus ante paucos annos & hic & in aliis locis circumduci elephantem, nondum ætate maturum. Hic cum Augustæ in curia ad spectaculum proponeretur confertis-

ſimo populo, impetratum eſt à Magiſtro ejus, ut eum à vinculo & craſſo fune, quo per pedem alligatus erat, ſolutum, ſibi permitteret. Factum ut poſtulatũ, ægrè licet. Verum ecce vobis elephas, ubi ſe liberum vidit, nam mox exſerere & adoriri aliquos domini ſui ſervos, à quibus ſe malè acceptum aliquando meminerat: fit fuga & clamor in populo, tantaq; confuſio, ut alii per ſcalam præcipites ruerent, alii tantum non comprimerentur & pedibus conculcarentur, alii deſultare è feneſtris molirentur; nec beſtia, niſi oblato dulci vino ſedata & ad vinculum retracta fuit. En tibi fructum libertatis, qualem cernimus ſæpe in juvenibus, cum patria poteſtate excedentes, nullos amplius magiſtros habent; unde in omnia vitia proni ruunt. Refert Suidas Eurybatum furem, dum in carcere cuſtodiretur, juſſum à cuſtodibus compotantibus, ſpecimen edere ſuæ ſolertiæ in ædibus conſcendendis: initiò recuſaſſe ac vix tandem aſſenſum, ſpongiis ac retinaculis ferreis expeditis, per muros curſim aſcendiſſe, dumq; illi mirabundi ſuſpiciunt, ſuperato tecto, priuſquam illi circumdare ædes poſſent, deſiliiſſe de ædibus, ſicq; evaſiſſe. Audite hoc parentes: date libertatem filiis veſtris, & fugient diſciplinam veſtram vobiſq; ad extremum oſtendent medium digitum, nec poteritis eos amplius ſub jugum retrahere. Unde Eccleſiaſt. c. 30. ait: *Lacta filium, & paventem te faciet* (Gr. *ſtupefaciet te.*) *lude cum eo & contriſtabit te.* (Syr. *& vexabit te.*)

IV. *Præparatione ad mortem.*

IV. S. Cyprianus l. de unit. Eccleſiæ & exhort. mart. præparationem ad mortem ſignificari vult eo cingulo. Recte & quidem juxta mentem Chriſti ad literã. Eo enim tendunt ſequentia verba: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Vult enim Dominus nos ſemper & per omnia paratos expectare adventum ipſius; ſiquidem inſperatò veniet. Dormientes & negligentes famuli repentè adveniente domino conſternantur, non reperiunt candelam, nec candelabrum, nec lumen, ſicq; neglecto officio ſuo incurrunt iram domini ſui: id ne contingat nobis, vult Dominus ut omnia ad manum parata habeamus, lucernã eamq; accenſam, adhæc manu retentam: fore enim ut ipſe veniens neminem expectet ad pœnitentiam. Lucernam habent, non accenſam charitate: uti fatuæ virgines; quæ dum pergunt eas accendere, neglexerunt ſponſum & nuptias. Accenſas habent, qui præter fidem etiam charitatem habent; ſed in manibus non habent, qui charitatem & gratiam non fôvent ac conſervant bonis operibus & continua vigilantia in oratione aliiſque pietatis ſtudiis. Niſi enim lucerna oleo ſubinde affuſo alatur, niſi emungatur, niſi lychnus promoveatur, neglecta extinguetur. Denique juxta mentem Chriſti Domini, in manibus lucernas habent, qui adventum Domini, in morte ſua comparituri continuò expectant, & quaſi ſingulis horis morituri ad eam ſeſe præparant. Eſt hæc non minima prædeſtinationis nota, ſemper ad mortem & tribunal Dei adeundum eſſe paratum, uti indicat Dominus verbis illis hodierni Evangelij: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Eodem (ſenſu myſtico) tendebat præcinctio Hebræorum in comeſtione agni, jamjam tendentiũ in terram promiſſam. Sic enim voluit Deus nos paratos eſſe ad emigrandum ex hoc ſæculo ad patriam. Paratus erat S. Iob, qui dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi*, quaſi diceret: paratus ſum quandocunque vocaberis ad reddendam rationem, Iob. 14. Quod ut nos quoque ſinguli faceremus, voluit Deus ex ſingulari miſericordia ſua incertam nobis eſſe mortis horam. Iulius Cæſar nunquam prælii aut expeditionis tempus militibus prædixit, ut omnibus horis in prælium deſcendendum eſſe putarent. Suet. & Polyænus lib. 8. Eandem ob cauſam Deus ſummus Imperator noſter occultam nobis voluit mortis horam, ne ſi eam ſciremus, occaſio fieret illa ſecuritas maximæ negligentiæ & damni irreparabilis.

Vidimus qua ratione præparati & accincti eſſe debeamus ad iter verſus terram promiſsionis noſtræ. Vidimus impedimenta itineris, carnis voluptatem, mundi & opum amorem, libertatem noxiam, denique ſomnolentiam & ſalutis noſtræ incuriam. Vidimus & cingula, quibus hæc amoliremur, caſtitatem, paupertatem, obedientiam (quæ ob tria illa obſtacula, amplectuntur religioſi per tria vota) deniq; præparationem ad beatam mortem. Abjiciamus igitur impedimenta illa, abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, &c.

CONCIO IV.

VARII DRACONES DEBELLATI à S. Sylveſtro.

I. Tarquinius Urbis Præfectus.
II. Conſtantinus M. Imp.
III. Synagoga Iudæorum.
IV. Gentilium ſuperſtitio.
V. Hæreticorum turba.

THEMA.

Apprehendit draconem, & ligavit eum per mille annos, Apoc. 20.

SAnctus Ioannes Apoſtolus, qui in ſua Patmo futurum Eccleſiæ ſtatum ac progreſſum vidit, & in Apocalypſi deſcripſit, ait c. 20. ſe vidiſſe Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſsi, & catenam magnam in manu ſua, apprehendiſſe quoq; draconem, ſerpentẽ antiquum, qui eſt Satanas & ligâſſe eum per mille annos & miſiſſe in abyſſum. Viſio hęc obſcura eſt & à variis variè exponitur. Sunt qui tempore Conſtantini hoc contigiſſe volunt, quibus

bus non difficilè aſſentior, cùm ad ipſius converſionem Eccleſia triumphare, Idololatria verò ſterni & exterminari cœperit. Angelum porrò illum ſi B. Sylveſtrum dixero, non multo aberravero: ipſe enim vir verè Angelicus, & quaſi de cœlo ad Eccleſiam gubernandam miſſus, accepit enim à Chriſto claves cœli, ſed & clavem abysſi ad includendum draconem, qui Romam infeſtabat; & catenam magnam ad ligandum Satanam, qui per Idololatriam totum penè mundum ſibi ſubjecerat. Quæ quidem hic Sanctus fecit, cùm baptizato Conſtãtino M. Gentiliſmum depresſit, Chriſtianiſmum exaltavit. Hinc jam ab antiquo imago S. Sylveſtri cum dracone ad ejus pedes ligato pingitur. Neque veò unus tantùm eſt draco, ſed complures, quos ipſe ſub jugum miſit, & nos hîc referemus.

I. *Tarquinius urbis Præfectus.*

I. Primus fuit Urbis Romæ præfectus (Tarquinium appellat S. Antoninus in hiſt. tit. 19. c. 1.) qui cùm à Sylveſtro Timothei Martyris, quem hoſpitio ille exceperat, facultates requireret; ipſi niſi eas depromeret ſimulq; Diis ſacrificaret, ſupplicia & mortem in craſtinum minatus eſt. Cui Sylveſter prævidens ejus interitum, Evangelico verbo reſpondit: *Hac nocte animam tuam à te repetunt: quæ autem minatus es, non licebit ad effectum deducere.* Quo dicto conturbatus ſimul & exacerbatus Præfectus, Sylveſtrum in vincula compingi jubet, poſteà dum prandet, ſpina piſcis gutturi ejus adhæret, quæ cùm nec Medicorum nec Magorum vi eximi poſſet, miſerum ſequenti nocte ſuffocavit. Ita Sylveſter liber è cuſtodia dimiſſus eſt, ſicq; mirâ rerum commutatione, Sylveſter è carcere liberatur: Præfectus è prandio cum luctu effertur. Impletum eſt in Præfecto illo, quod ait Eccl. cap. 14. *Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur donec conſumat arefaciens, animam ſuam.* Draco nimirum fuit, qui dum templi prædæ, pecuniæ & animæ Sylveſtri inhiat, arefecit & ſuffocavit animam ſuam. Contingit ei ferè, quod draconi illi, quem Daniel interfecit in Babylone, habitum pro Deo, injecta in fauces ejus maſſa, ex pice, adipe & pilis confecta; qua draco ſuffocatus & diruptus, Dan. 14. Sententia illa, quã ex Chriſti ore Sylveſter deſumpſit, ſimilis quædam maſſa fuit, quæ hunc draconem ſuffocavit, juxta id Hebr. 4. *vivus eſt ſermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio acuto.*

II. *Conſtantinus M. Imperator*

II. Secundus fuit Conſtantinus Imperator, qui initio Imperii ſui, cùm adhuc Gentilis eſſet, ſanè crudelis fuit. Nam *ubi Romam venit*, ait Zoſimus lib. 2. apud Baron. anno 324. *omnis arrogantiæ plenus, ab ipſo lare ſibi ſumendum impietatis exordium exiſtimavit. Nam Criſpum filium Cæſaris ornatum titulo, quod in ſuſpicionem veniſſet, quaſi cum Fauſta noverca* (Conſtantini uxore) *conſueſceret, nullâ ratione juris naturalis habitâ ſuſtulit. Cumque Conſtantini mater Helena tantam calamitatem ægro ferret animo & intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet: quaſi conſolans eam Conſtantinus, malum malo majori ſanavit. Nam cum balneum accendi ſupra morem juſſiſſet, eique Fauſtam incluſiſſet, mortuam inde extraxit.* Addit Eutropius, plurimos etiam amicos ab eo interfectos. Denique Ablavius Conſul Palatinis foribus affixo diſticho, teſtatus eſt publico ſcripto in aureo (Conſtantini) ſæculo *Neroniana tempora rediiſſe*, Baronius ibidem. Colligitur idem ex fuga S. Sylveſtri in montem Sorectem, ſervantis ſe meliori Chriſtianorum bono à perſecutione adhuc ſæviente ſub initia imperantis Conſtantini: item ex ſanguinolento parvulorum balneo, quod inſtituere parabat; quanquam matrum lamentis permotus, propoſitum mutavit. Ergò non injuria draco ante ſuſceptam fidem appellari poterit. Verùm ecce quomodo Sylveſter ipſum edomuerit. Poſtquam enim Conſtantinus Apoſtolorum Petri & Pauli apparitione monitus eſt, ut Sylveſtrum accerſeret & ab eo baptiſmum ſuſciperet, Sylveſter nequaquam eum ſtatim, ut rogabatur, admiſit ad ſalutarem illam piſcinam, ſed *oportet*, inquit, *te priùs jejunare Imperator, & Deum placare lachrymis, quæcunque peccaſti, confitentem. Depone ergo purpuram & diadema ſeptem diebus, & tuæ Regiæ penetrale ingreſſus, clauſis janùis, in ſacco & cinere humi jacens, in luctu age pœnitentiam: & jube claudi templa Idolorum & ceſſare eorum ſacrificia: qui ſunt in exilio & ad metalla damnati, & in carceres conjecti, libera Chriſtianos. Largire laxationem iis, qui ſunt in vinculis & omnibus aliis afflictionibus: ſis benignus in eos, qui te rogant & juſtas imple petitiones: iis, quas habes facultatibus impertire pauperes.* Quæ omnia affirmavit ſe facturum Imperator. Poſt expletam ergò pœnitentiam ſeptem dierum, cùm ad baptiſterium accedens ſe nudâſſet, carnemque lepra infectam palàm oſtendiſſet, ſuſcepto baptiſmo ſanus egreſſus eſt, moxque totus à ſe alius factus: ex ſuperbo humilis, adeò ut ſuis manibus templi fundamenta fodere & terram humeris efferre non dubitaret: ex ſævo & feroce mitisſimus & humanisſimus, etiam erga hoſtes & eos, qui ſtatuam ejus lapidâſſe dicebantur, quibus omnem pœnam remiſit, & ſcelus joco eluſit: ex parco liberalisſimus in pauperes & templa, quæ ingentibus affecit ac ditavit muneribus: ex impio deniq; piisſimus. Videant hîc & diſcant à ſummo Romani Imperij capiti minores alii Magiſtratus & magnates, Chriſtianam humilitatem & erga Eccleſiæ Prælatos obedientiam nequaquam eos dedecere, ſed maximum potiùs decus & laudem parere.

III. *Synagoga Iudæorum*

III. Tertius, erat duodenarius Iudæorum numerus, quos in diſputatione publica convicit erroris, ſimulq; fidem Chriſtianam comprobavit Sylveſter, in præſente Conſtantino & matre ejus Helena: quod præter alios plures teſtatur Hadrianus Papa in ep. 3. ad Carol. M. ſcribens in ea, Sylveſtrum *tam per ſacrã ſcripturam, quàm per miracula Domino protegente victorem effectum.* Diſputationem illam refert inter alios S. Antoninus in parte hiſt. tit. 9. c. 1. In ea Iudæus quidam magus Hebraico nomine Dei, in tauri

ferocis

ferocis aurem insusurato, eum quidem occidit, se ad vitam revocare non potuit; quod tamen Sylvester in nomine Iesu Christi statim effecit. Ex hoc porrò certamine elucescit imprimis vanitas Magorum & magicorum carminum; quod notatum à Christianis velim, qui subide adhuc fidem illis tribuunt & eorum opem implorant. Patet igitur dæmonem ejusque asseclas mortificare quidem posse, quod & bestiæ possunt, non item vivificare. Cujus rei simile exemplum legimus in vita sancti Iuliani Martyris Antiocheni sub Maximino Imperatore apud Metaphrasten & Lipel. 9. Ian. Cùm enim ex carnificibus Sanctum percutientibus quidam oculum sibimet excussisset, Iulianus ad Martianum præsidem ait: *Vides hunc miserum scelere suo alterum lumen amisisse; nunc igitur si ea est Deorum tuorum, quam prædicas virtus jube Pontifices & Sacerdotes nefandorum Deorum, precibus suis lumen amissum restituere. Cùm verò manifestò cognoveris, deorum tuorum virtutem nullam esse, ego virtute Domini mei Iesu Christi efficiam, quod illi præstare minimè possunt.*

Hac conditionis æquitate convictus Præses, vota fieri, & preces surdis lapidibus multiplicari jussit. Sed simulacra Iuliani, vero Deo supplicantis, virtutem sustinere non valentia, in pulverem redacta sunt, & dæmones suam ipsorum miseriam horrendis clamoribus testati. *Quomodo*, ajebant, *nos sempiternis tenebris inclusi, lumen quod non habemus, cœco præstare possumus?* Pontifices hac Deorum ruina graviter perculsi, Præsidi eam nuntiare ausi non fuêre. Sed is ubi ex Iuliano rem totam intellexit, furore contabuit, & conversus ad Iulianum; *Tu quidem, ô scelefte*, inquit, *magicis tuis artibus Deorum nostrorum patientiam irritasti; qui pro sua in te clementia, pœnas tanto scelere condignas irrogare differunt; ut ad saniorem aliquando te mentem reducant. Nunc verò Christi tui virtutem ostende, & oculum, quemadmodum promisisti, amico nostro restitue; sed ut omnem vim fraudis dissolvam, & magicarum artium virtutem extinguam, lotio te perfundi jubeo. Fac*, inquit Iulianus, *quod lubet, nunquam enim Dei omnipotentis virtutem superare poteris.* Hæc ubi dixit, lotio totum ejus corpus perfusum est; quod statim deterrimo fætore amisso, suavissimum balsami odorem spiravit: tunc è vestigio Iulianus sanctissimo crucis signo, oculo impresso, extinctum lumen plenè restituit. Martianus verò tanta virtute nihil motus, sed eam magicis artibus impiè ascribens, novo furore excandescere: supplicia renovari jubet, carnificum tarditatem increpat: denique eum, qui à B. Iuliano, cum corporis lumine lucem animæ, donum quippe Christianæ fidei, acceperat, gladio feriri, Iulianum verò gravi catenarum pondere oneratũ, sub præconis voce per omnes plateas deduci mandat. Ex vita etiam S. Fortunati Episcopi Tudertini habemus maleficos, dum obsessa muliere in aquam mersa, incantationibus pellere dæmonem ex ea moliuntur, unum quidem expulisse, sed pro eo integrã legionem, quæ loco unius missam invasit, accersivisse. Quam ad extremum liberatam à S. Fortunato scribit S. Gregorius Magnus l. 1. Dial. c. 10.

IV. *Gentilium superstitio.*

IV. Quartus erat Gentilium superstitio, quâ draconem Romæ in specu latitantem halitu suo civibus noxium, ab illis tamen persuasione sacrificulorum pro numine quodam cultum inclusit in nomine Domini adeoq; enecuit, seu fame, seu nece subita. Cui rei memoria adhuc extat Romæ ad radices Capitolii in templo, quod vocatur *S. Maria libera nos de pœnis inferni*, ut refert P. Cornelius in c. 14. Dan. Plures alii sancti sustulere suis precibus dracones & hujusmodi serpentes, ut habet Baronius an. 324. Verùm S. Sylvester una cum hoc dracone sustulit etjam Gentilium superstitionem, ipsumq; Gentilismũ, magna saltem ex parte. Una enim cum Constantino adduxit ad fidem quàm plurimos Romanos, effecitq; ut spelunca draconis fieret templum B. Virginis, & Roma spelunca superstitionum & Idolorum fieret caput Ecclesiæ & domus Sanctorum.

V. *Hæreticorum turba.*

V. Quintus erat caterva Hæreticorum, qui Iudæis & Gentilibus jam depressis Ecclesiam vexare cœperunt. Fuit autem inprimis Arrius, quem habito Concilio Nicæno, missoque ad id Hosio Episcopo Cordubensi legato suo, in conventu 318. Episcoporum, & rursum altero 284. Episcoporum habito, condemnavit. Neque solum hoc, sed præterea Ecclesiam Cath. mirificè exaltavit, postquam Constantinus passim ædificari templa & jussisset & permisisset, eaque magnificè dotasset, Pontificiam præsertim sedem Romæ stabilivisset & potentia firmasset, cedendo ei Romam & secedendo Byzantium, ubi alteram sibi Romam strueret (ut multi antiqui scribunt) quo nimirum Ecclesia se conservare. & contra Gentiles atque Hæreticos defendere ac tueri posset. Ferit hoc adversariorum oculos, qui Papam ejusque clerum Petro & aliis Apostolis inopia parem optant, ut ipsi libitu suo vivere, spretis & subactis Ecclesiæ prælatis, possent. Verum id neque rationi, neque sacrarum literarum vaticiniis consentaneum erat. Primum agnovêre ipsi Reges & Imperatores, qui idcircò Ecclesias & Episcopatus tot retibus vallârunt, uti post Constantinum Carolus M. in Gallia, *ne sancta Dei Ecclesia hujus seculi potentibus subjaceret, ut tyrannidem eorum pavesceret: imò superborum colla Dei virtute superior calcaret*, ait Stephanus Abbas Leodiensis in vita S. Modoaldi apud Surr. 12. Maij. Deinde prædixit id Isaias inprimis c. 60. cum ait de Ecclesia novæ legis: *Ponam te in superbiam seculorũ, gaudium in generationem & generationem. Suges lac gentium*, (Chald. *satiaberis divitiis populorum*) *& mamilla Regum lactaberis* (Septuaginta habent: *divitias Regum comedes*) *& scies quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* In superbiam seculorum posita est Ecclesia, cum ei Roma caput mundi & sedes Imperatorum sponte se subjecit & cum ea totus Orbis Romanus, ita ut Reges ipsi honorem deferrent, & genua sua flecterent. In gaudium verò cum

cum iidem Reges & Principes magis sibi gavisi & gratulati sunt, quod essent filii Ecclesiæ, quam quod essent Reges & Imperatores, ut fassus est Theodosius senior Imp. & S. Ludovicus Galliæ Rex. Sugit lac gentium, dum Regum opibus & piis fundationibus enutritur & augetur; quod etiam c. 49. dixit Isaias: *Erunt Reges nutricii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Deniq; hoc etiam spectat ad Christi Domini gloriam, ut citato loco postremis verbis indicat Isaias: *Et scies, quia ego Dominus salvans te & redemptor tuus fortis Iacob.* Quis enim non miretur Christi potentiam, qui sua, quam in hoc mundo elegit ac tenuit, paupertate Ecclesiam suam adeo ditavit, non armis aut potentia, sed spontanea Regum principumque liberalitate, ita ut non modo suas facultates, sed etiam se ipsos ad Ecclesiæ, Apostolorum & Pontificum pedes abjicerent? Unde enim Ecclesiæ illa divitiarum affluentia, summi Pontificis majestas, S. Petri opulentissimum patrimonium, Cardinalium amplitudo, Episcoporum dignitas, potentia & principatus, Prælatorum splendor, monasteriorum opulentia, Canonicorum opimi reditus, militarium ordinum prima nobilitate divitiæ, templorum, altarium, sacrorum utensilium nitor & pretiositas, nisi ex Christi Domini paupertate? *Quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis,* ait Apostolus 2. Cor. 8.

Laudemus ergò virum hunc gloriosum, tot draconum debellatorem, laudemus parentem nostrum, per quem habemus etiam nos, quod devicto illo stygio dracone, Ecclesiæ filii simus & hæredes regni cœlestis, &c.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Evangelium Luc. 2.

POstquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

CONCIONES.

CONCIO I.
QUA RATIONE CHRISTIANIS NOVUM ANNUM INCHOARE CONVENIAT.

II. *A negotio animæ.*
II. *A novo consolatu.*
III. *A pace.*
V. *A mutua Charitate.*
V. *A Cultu & favore Christi.*

THEMA.

Consummati sunt dies, Luc. 2.

MIris ac variis ritibus celebrabant hodiernum diem, anni scil. primum Gentiles, nec alia de causa, nisi quòd sibi persuaderent, totum anni decursum fore sibi prosperum, si hunc primum diem faustum, lætum ac tranquillum, transegissent. Quæ persuasio cum mera superstitio esset, meritò damnata est à Concilio Romano sub Zacharia Papa XXVI. q. 7. si quis Calendas. Cæterum nos si Christianorum more, recta intentione & Spirituali fine sive ad Dei gloriam, sive ad animarum nostrarum salutem diem hunc præ cæteris observaremus & piis virtutũ actibus initiaremus, non modò nihil damnatione dignum ageremus, sed etiam id quod laudabile & Christiano homini conveniens, merito existimari deberet. Suadet hoc hodierna dies, quæ cum anni prima numeratur, majorem in nobis fervorem ad piè vivendum gignere deberet; siquidem omne initium fervet, *& dimidium facti, qui benè cœpit, habet.* Suadet Solis cursus, qui ante paucos dies iter suum vertere, & ad nos rursum ascendere incepit,

hoc

hoc ipso nos quoque monens, ut si hactenus à Deo discessimus, & ad terram adeoque versus infernum descendimus, nunc tandem emergere incipiamus & reverti ad Deum & patriam nostram cœlestem. Suadet lex divina olim Hebræis data, præcipiens ut calendæ cujusque mensis tubarum sonitu, & Sacrificiorum oblatione solemnes essent, Num. 28. & 10. tum ut hoc pacto primitias temporis & mensium DEO offerrent, tum ut à DEO per Sacrificia & preces decursum totius mensis faustum & salutarem impetrarent, tum ut per hæc beneficium gubernationis divinæ recolerent. Quo ipso & nos monemur, ut similiter primitias anni Deo consecremus singulari pietate, faustum anni decursum ab eodem impetremus, & pro acceptis beneficiis gratias ei agamus quam maximas. Suadet deniq; Christi Servatoris nostri exemplum, qui sine dubio non absque arcano consilio diem hunc, anni primũ circumcisione sua, itemque Sacratissimi nominis sui impositione, nec non octava Natalis sui condecorare voluit. Existimo enim per hoc eum nos adhortari voluisse: ut ad exemplum ipsius hoc ipso die incipere mus vitia resecare, & salutem nostram operari, quo tandem ad octavam æternæ beatitudinis pervenire feliciter possemus: Quid igitur nobis faciendum, ut hunc diem ritè peragamus; & qua ratione novus annus feliciter inchoandus? Audite.

B. I. *A negotio animæ.*

Ethnici Romani Calendis Ianuarij quinque faciebant, ut refert autor antiquit. Rom. l. 4. c. 5. quæ si spiritualiter nos agamus annũ optimè inchoabimus.

Primò. Omne genus operis in sua quisq; arte inchoabat instaurabatque, ut, cum omnia primis diebus inesse putarent, si prima die industrii & solertes essent, de totius anni solertia & industria augurarentur, & ut canit Ovidius:

Totus ab auspicio ne foret annus iners.

Sed non video ego quomodo industriam totius anni ex primæ diei industria liceat concludere. Verius ergò dico, si spiritualia nostra officia & animæ negotia hoc die sapienter inchoemus, nõ vanè conjici posse, nos in eodẽ negotio toto reliquo tempore fore sedulos & industrios. Negotium verò hoc, cui omnes toto vitæ tempore incumbere debemus, docetur hodie à Christo, & est negotium salutis nostræ, quod indicat nomen IESU; & circumcisio cordis corporisq;, ut mentem ab illicitis cogitationibus & desideriis, labia à sermone malo, oculos ab aspectibus impuris, linguam à cupediis, luxu & gula, aures à detractionibus, manus ab usuris & injustis bonis, pedes à choreis, corpus ab impudicitia arceamus. Hoc munus & negotium à nobis requirit Deus, Deut. 10. ubi dicitur: *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Cor nostrum instar est vitis, quam nisi mox & crebro putetur, sylvescit & fructum non affert, Und Os. 10. dicitur: *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei.* Putata verò suo tempore plurimum fructus affert. David certè ei, qui cor suũ sedulò circumcidit, pollicetur felicissimum annũ, Ps. 33. Sed & docet modum putationis: *Venite filii, audite me*, inquit, *timorẽ Domini docebo vos*; (Ecce falcẽ putatoriam & cultrũ circumcisionis) *Quis est homo, qui vult vitã? diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuã à malo, & labia tua ne loquantur dolũ.* (Ecce circumcisio oris) *inquire pacẽ, & persequere eam.* (Ecce circumcisio cogitationũ, odii, invidentiæ, &c.) Sed unde jam ominabimur, nos multũ hoc anno in hoc negotio profecturos adeoque dies bonos visuros? si cultrum istum hodie in manus arripiamus, hodie eo utamur: nam sic imposterum omnis generis surculos terrenorum affectuum facilè de corde nostro amputabimus, nec patietur facilè hic timor, veluti sedulus vinitor, quicquam illicitum cordi nostro accrescere. Ita enim Eccl. c. 1. ubi dixit: *Initium sapientiæ timor Domini*; addit: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, q. d. Qui timet Deum, non solum incipit sapere, sed verè & plene semper sapiet. Idem confirmat c. 15. dicens: *Qui timet Deum, faciet bona.* Contra verò si timorem Domini nondum habuerimus, fores omnes cordis nostri vitiis & hostibus animæ patentes habebimus; & magis magisque indies sylvescemus, & horridi ac inutiles fiemus. Unde Ps. 13. dicitur, *sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: venenum aspidũ sub labiis eorũ. Quorum os maledictione & amaritudine plenũ est, veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinẽ. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viã pacis non cognoverunt.* Unde hæc omnia? subdit: *Non est timor Dei ante oculos eorũ.* Ecce fontẽ omnium illorum malorũ. Igitur si quis bonos videre cupit dies, arripiat hac hora, hoc die cultum istum. Aliquorum gentiliũ vana observantia erat; ut calendas Ianuarij circa tectum domus suæ sederent, ense suo circumligati, ut ibi viderent & intelligerent, quid sibi in sequenti anno futurum esset, ut scribit Burchardus in pœnitentiali lib. 19. c. de arte magica. Ego verius & religiosius dicam, te, si ense timorem Domini domum conscientiæ tuæ hodie sedulò custodire inceperis, atque ita perrexeris optimum habiturum annum. Clamat hoc tota scriptura, Ps. 33. *Timete Dominum omnes Sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum.* Et Ps. 44. *Voluntatem timentium se faciet.* Eccl. 1. *Timenti Dominum non occurrent mala.* Ianuarius quasi anni janua dicitur, ponamus nos huic januæ timorem janitorem, & bene feliciterque nobis succedet annus.

Rom. III. v. 13. seqq.

D. III. *A novo consulatu.*

Secundo. Novi consules magistratum inibant, & comitati frequenti populo ad Capitolium ascendebant. Rectissimè & nos faciemus, si hodie consulem nobis constituamus, & ad imperiũ evehamus. Sed quis erit hic consul? Duodecim anni menses habemus velut duodecim senatores, inde sibi alii alios eligunt consules, quorum jussa toto anno diligentissimè faciunt, quosque omnibus officiis venerantur, & colunt. Primum mensium, Ianuarium sibi eligunt,

gunt,qui in mundo ubiq; primi esse volunt.Februarium eligunt sibi Epicurei & gulosi, qui perpetua, vel agunt vel desiderant Bacchanalia,quæ affert Februarius.Martium litigiosi & iracundi, qui nihil loquuntur vel desiderant, nisi sanguinem & Martem, cui fores aperit Martius; unde & nomen habet. Aprilem passionati, qui toti reguntur à passionibus suis, modò flent, modò rident: nunc audaces sunt, nunc timidi: qui paulò ante sereni, mox nubili & turbidi: mox hyems, modò æstas.Majum lascivi, qui carnis delitias, & amorum illecebras amant.Iunium avari, usurarii, exactores, qui ut apes in Iunio inferunt mella in alvearia,ita illi opes, & detondent lanam subditis, quod contingit eo mense ovibus. Iulium, qui venationi & frugibus colligendis tota vita inhiant. Augustum,qui honores & augusta sibi nomina quærunt.Septembrem, qui aviculis, id est, rumusculis captandis, & novis audiendis toti addicti sunt,uti Athenienses,Act.17.Octobrem ebriosi & helluones, qui nil nisi vinum somniant. Novembrem, Pigri,Endymiones, qui ad omne bonum frigidi sunt, qui velut anseres domi saginantur ad mortem. Sed nolumus istos consules: eligemus nobis Decembrem, lingua nostra der Christmonat/ in quo Christus natus est; siquidem hunc mensem in baptismo elegimus, & aliis omnibus renuntiavimus.Sed quid præcipit hic Consul? Id refert Apost. inhodier.epist. ad Tit. 2.*Apparuit*,ait,*gratia Dei & Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos,ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo.* O insignem Consulem! docet enim quomodo nos erga nos ipsos quomodo erga proximum, quomodo erga Deum gerere debeamus, adeòq; quomodo totius vitæ nostræ ratio instituenda sit;ut in nos sobrii,in proximũ justi,in Deum pii simus. Sobriè vivemus,si ab illicitis voluptatibus, & supervacaneis rebus nos abstineamus,licitas autem & necessarias, ut quæ ad victum& vestitum pertinent,moderatè usurpemus;ut sorte nostra contenti; plura, majora vel altiora non queramus. Iustè, si proximum sicut nos diligamus, si alteri non faciamus, quid nobis fieri nolumus: si reddamus omnibus debita; *cui vectigal, vectigal*; *cui tributum, tributum*; *cui honorem*; *honorem, cui timorem, timorem*; ut ait Apostolus Rom. 13.Si mercator justo auro, emptor justa merce: Miles justo stipendio: servus suo solario: opifex justo pretio contentus fuerit.Piè, si Deum toto corde & præ omnibus dilexerimus, si regnum cœlorũ & justitiam ejus omnibus rebus antepofuerimus, si mandata ejus super aurum & topaziõ dilexerimus.Quæ omnia non verbo solum, sed exemplo etiam suo nos docet,consul noster Christus; quomodo enim magis sobriè poterat vivere,qui pro palatio stabulum idq; alienum, pro lectulo præsepe, pro servis & ancillis asinum & bovem, pro aulæis & tapetibus telas aranearum, pro suffitibus & odoramentis fimum & sordes habere voluit? Poteratne justius vivere? quando nondum natus, & adhuc utero clausus peregrinari voluit ad tributum Cæsari reddendum, qui immeritò ab hospitiis exclusus, tam patienter id toleravit & de vindicta non cogitavit? Poteratne magis pius esse, qui videns placere Deo patri suo redemptionẽ generis humani,se ipsum ultro obtulit;qui ob pietatem in patrem nasci,circumcidi,pati, & denique mori voluit? Quis non libenter paret huic Consuli? Certe veteres Christiani diligenter ei obsecuti sunt,quando hodierna die, primo sc.anni,in detestationem gentilium superstitionum, teste S. Ambrosio serm. 17.& Conc.Tolet.4. c. 10. jejunabant, & Litanias instituebant, nec non sibi mutuò Eulogias, id est, panem benedictum in signum communis lætitiæ mittebant, ut refert Pontanus in Atticis Bellarm. syntag. 4. de priscis ritibus. In jejunio ad se ipsos, in Eulogiis ad proximum, in litaniis ad Deum attendebant. Iam verò si noster Consul Christus est, quemadmodum eum in Baptismo elegimus, depositis aliis hodierna die (si hactnus non incepit) Magistratum suum inire,& muneri suo præesse incipiat.*Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Gentiles hac die lauro & viridibus ramis adornabant & cingebant domus suas, ut colligitur ex Can.*Non licet.* Martini Papæ XXVII.q. 7. Cingamus nos, adeoque vallemus hodie domum cordis nostri novis votis, & propositis obsequendi imposterum huic nostro Consuli in omnibus quæ mandaverit.

III. D. *A pace.*

Tertiò. Mutuis consalutationibus felix faustumque sibi invicem precabantur. Id quod necdum prorsus exolevit; solemus enim & hodie felicem annum alter alteri precari Nec immeritò quidem, hoc enim tempore acceptissimo Deus ipsemet more anteà inaudito, bene precatus est humano generi per angelum suum, Luc. 2. *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus.* Habemus igitur quid fausti nobis mutuò precari debeamus, pacem sc.propterea enim Dominus eo tempore natus est, quo Romæ templum Iani clausum erat, ut ostendit Orosius. l. 1. c. 1. in signum universalis pacis, quæ vigebat in Imperio Romano, sed hodie eam peculiari modo confirmavit, dum circumcidi voluit, ut ostenderet jam Deum inter & hominem pacem constitutam esse. Qua in re videtur Christus Dominus servare voluisse priscum illum confœderationis morem, de quo Pierius l. 36. Hieroglyph. scribit, quòd olim reges confœderandi pollices suos colligabant & levi utriusque inciso vulnere sanguinem commiscebant, in fœderis inviolabilis signum. Hoc certè contigit hodie. Dum enim Christus hodie levi vulnere sauciatus est, Deus & homo conjunctis utriusque naturis vulneratus est,ita permixto quasi sanguine, ut idem sanguis Dei & hominis diceretur, sicuti idem Christus Deus & homo erat. Iam si hodie Deus & homo tam sancto fœdere sibi mutuò dexteras junxere, quæso te, an non decet ut

&nos

& nos mutuò omnes confœderemur & alter alteri dexteras jungamus ? Hæc enim eſt illa pax orbi denunciata & à Chriſto donata, quam niſi habuerimꝰ, felicem annum non ſortiemur. Igitur ſi fauſtum habere annum volumus, hoc ipſo die fauſtum proximis noſtris, etiam inimicis optemus. Condemnabit nos Auguſtus Cæſar Ethnicus Imp.(quo regnante Chriſtus natus & circumciſus eſt) qui velut ſentiens tempus ſanctæ pacis per Chriſtum mundo illatum, Cinnam nobilem adoleſcentem vitæ ſuæ inſidiari audiens, ad ſe vocavit acceptumque perhumaniter ſic affatus eſt: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia. Contendamus utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas*, ſimulque conſulatum ei obtulit, atq; exinde Cinnam ſemper amiciſsimum habuit. O vocem Chriſtiano homine dignam? Vocemus ergò vel adeamus & nos inimicos noſtros, & ſimili modo alloquamur: Ex hodierno die incipiat inter nos amicitia. Video ſanè, quàm hoc difficulter perſuadeam; ſed ſi propter verbum hoc non facitis, amore Ieſu Chriſti facite, qui idcircò hodie ſanguinem fudit, ut ſanguine illo ſuo nos conglutinaret & in unum corpus redigeret.

E. IV. *A mutua charitate.*

Quartò. Munera ſibi invicem mittebant boni ominis cauſa, & res ferè dulces ut caricas, mella, &c. ut dulces dies à rebus dulcibus auſpicarentur. Qui mos etiam noſtris temporibus vigere videtur, dum etiamnum aliqui muneribus, & ferè pane dulci ſe invicem remunerantur. Nec immeritò ſanè, hodierna enim die à cœleſti patre filius datus eſt nobis ſuaviſsimo nomine Ieſu inſignitus. Unde Bernardus ſuper Cant. ſerm. 13. ait: *Jeſus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* Decet igitur uti & nobis invicem omnes mutua Charitatis officia ſeriò impendamus, adeoque alter alteri modo alioquo Ieſus Salvator ſimus. Magnis conatibus & ſæpe miris artibus contendimus alter alterutrum vel ſtrenarum miſsionibus vel fauſti anni apprecationibus prævenire, quia qui prior alteri donat, honorem præripit, & qui prior alteri precatur bonum annum, certum donum expectat. Cur ergo non ſimiliter Univerſis Charitatis officiis alter alterum prævenimus? an neſcimus Dominum dixiſſe teſte Apoſtolo Actor. 20. *Beatius eſt magis dare quàm accipere?* Deinde qui proximo Charitatem impendit, nonne cœleſte munus conſequitur, & Chriſto feciſſe cenſetur, quod minimo ſuorum fecit? Incipiamus itaque hodierno die in re ſeria facere, quæ antiquo more in re inutili facimus: *Charitate fraternitatis*, ut inquit Apoſtolus ad Rom. 12. *invicem diligentes: honore invicem prævenientes.* Cæſar Octavianus, ut refert M. Aurelius Imp. ep. ad Laviniam, ajebat ſe vidiſſe ad Danubium populos, qui ſolebant ſe bini & bini ante altare confœderare hac lege, ut neuter proprium ſuum ſed alterius tantum infortunium dolere deberet, & avertere ſi poſſet. Utinam nos quoque hanc legem hodie obſervaremus. Neque verò iis tantum hæc xenia danda, qui nos diligunt, ſed etiam inimicis. Etenim & nobis, cùm inimici Dei eſſemus, Salvator ab ipſo datus eſt. Majori ratione nos inimicis non ſolum injurias remittere, ſed etiam benefacere decet. Leo ille, qui Samſoni occurrebat ſævus & rugiens, poſtea cum Samſon iterum illuc tranſiret, mel in ore habuit, Iud. 14. ſimiliter ergo & tu, ſi prius contra inimicum tuum ſæviebas & rugiebas, ex hodierno die, quo omnis inimicitia interire & emori debet, mel ſuavium verborum, fraternæ charitatis præbere eidem debes. Quid dulcius melle, & quid ſuavius ejuſmodi Charitate? Nonne omnes nos dulcem, tranquillum & placabilem nobis optamus annum? Atqui nihil dulcius aut tranquillius, quam ejuſmodi dilectio, ſicut cōtra odio & rancore nihil amarulentius: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum? ſicut unguentum in capite quod deſcendit in oram veſtimenti ejus. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſæculum*, Pſ. 132.

F. V. *A cultu & favore Christi.*

Quintò. Hoc die Ianum ſacrificiis placabant: quē bifrontem faciebant, vel quia præterita & futura, vel quia ortum & occaſum, vel quia diverſa ſæcula inſpiciebat: Unde hic menſis ab ipſo dictus, principium eſt anni futuri, & finis præteriti. Quiſquis fuerit Ianus ille, nobis alius Ianus hoc die colendus eſt: Chriſtus, qui duas facies, id eſt, naturas; divinam & humanam habens, duos menſes, id eſt, duo ſæcula regit & conſiderat, præſens & futurum. Iſte in quo vivimus, eſt veluti December, der Chriſtmonat/ in quo conſiderat nos facie amabili & placida, quia facilè indulget, facilè condonat uti infans, imò patitur ſibi illudi à reprobis veluti dormiens aut ebrius. Sed in altero ſæculo, quaſi im Jenner/ oſtendet faciem alteram. Quis autem ſit hic Jenner/ quis neſcit? Ita enim in ſcriptura S. dies Iudicii vocatur *dies illa*, Soph. 1. *dies iræ dies illa*, Ier. 30. *Væ quia magna dies illa*, Matt. 24. *de die illa & hora nemo ſcit*, Luc. 21. *dies illa repentina, &c.* Similiter in vernacula noſtra dies judicii vocatur. Jenner Tag. Illa ergò, illa dies præ oculis ſemper habenda. Suaviſsima eſt Chriſti facies in hoc ſæculo, ſicut ſuaviſsimum ejus nomen. Sed quemadmodum vinum quò dulcius & acceptius eſt in principio, eo acerbius & aſperius cùm in acetum degeneravit: Ita & Chriſtus. Suaviſsimus erat Ieſus lictoribus illis ad ſe capiendum miſsis; ſiquidem ob ſuavitatem ſermonis ejus, non poterant eum comprehendere, Ioan. 7. ſed idem acerbiſsimus & terribilis illis, qui eum comprehenſuri cum audiſſent: *Ego ſum*, ceciderunt in terram retrò, Ioan. 18. Nemo igitur ſibi blandiatur, quaſi ſemper habiturus ſit Ieſum dulcem. Expertus eſt aſperam Chriſti faciem, etiam in hoc ſæculo Princeps quidam in Peruana Provincia, qui allata ſibi ab Indo quodam Chriſtiano Crucifixi lignea imagine, in eandem expuit dicens: *Hiccine eſt Deus Chriſtianorum?* Mox autem cœpit imago caput, quod in dexteram partem inclinatum habebat, in ſiniſtram convertere & oculos in Principem

cæterosque astantes, tam terribiles defigere, ut omnes continuo præter Indum, qui tenebat imaginem, conciderint, & tres horas sine sensu & spiritu mortuorum instar jacuerint. Quibus velut mortuis proclamatis, interim princeps ac cæteri ad se redeuntes exclamaverunt: *Verè magnus est Deus Christianorũ.* Qui deinde statim lege vetuit blasphemari imposterum Christum, & in loco miraculi Sacellum imagini illi erexit, nec non itineri se accinxit & ad patres societatis Iesu in proxima provincia existentes abiit ut baptizaretur & in fide instrueretur. Refert Raderus, in viridario SS. p.1. in fine. Quod si tam tertificus fuit aspectus imaginis Christi ligneæ, quis erit aspectus ipsiusmet in die illa? Igitur hoc mense dum placabilis est, placemus hunc Ianum. Gentiles thure & mero, item libo sacrificabant Iano, ut sup. in antiq. Rom. Nos vero precibus & lacrymis pœnitentiæ, communione sacra eundem placemus.

CONCIO II.

QUID IN NOVI ANNI AUSPICIO cogitandum Christiano.

Inprimis considerando Præterita.

I. Cogita quantum viæ & vitæ spatium emensus sis.

II. Quid videris vel habueris.

III. Ubi socii & coævi.

IV. Qui sint qui nos sequuntur. Deindè considerando futura. Cogita 1. Quantum viæ restet. 2. Quorsum tendamus. 3. An hostes iter obsidentes. 4. Quomodo appulsuri.

THEMA.

Consummati sunt dies octo, Luc. 2.

A. AUdistis ni fallor, Auditores, in hodiernæ noctis medio Vigiles clamantes, vobisque nunciantes finiisse annum veterem & inchoasse novum. Quam vocem utinam omnes non corporis tantum auribus, sed & mentis percepissent; insinuavit enim nobis duo quædam tempora serio observanda, Præteritum & futurum. Hoc est quod clamavit & respondit apud Isaiam c. 21. Vigil interrogantibus horam noctis: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* Respondit enim custos? *Venit manè & nox: si quæritis quærite: Convertimini venite.* Quibus verbis, ni fallor, duo vult observanda tempora, matutinum & nocturnum seu vespertinum, hoc est, præteritum & futurum; quæ & gentilium sapientissimus Pythagoras symbolicè expressit, cum dixit: *Deorum temporum quàm maximè habe curam, matutini & vespertini*, h. e. eorum quæ gessisti & quæ gesturus es; teste S. Hieronym. lib. 3. contra Ruffin. cap. 10. Accedit sapiens noster Ecclesiasticus cap. 41. hoc idem documentum tradens: *Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi: hoc judicium à Domino omni carni.* Hoc denique nos monet mensis Ianuarius, à quo hodie annus initium sumit. Nuncupatus enim est à gentilium Deo Iano, qui bifrons dicebatur & pingebatur, quod fuerit prudentissimus, videritque procul ventura & respexit præterita. Nec defuere qui dicerent eundem fuisse cum Noe, qui sæculum præteritum vidit ante diluvium, & futurum post diluvium. Quare Auditores, si quod hodie à me xenium exspectatis; non invenio melius, quam caput Iani bifrons, cujus una fronte in hujus anni exordio consideremus vitam nostram exactam, altera deinceps exigendam.

Qui in mari navigant, subinde ad mali apicem ascendunt, & inde contemplantur maria, terras, regiones, naves aliaque; modo ea, quæ retro & jam emensa sunt, modo anteriora adhuc emetienda. Idem hodie & nos contemplando faciemus; & imprimis videamus ea quæ à tergo sunt præterita.

B. I. *Consideranda præterita. Cogita quantum viæ & vitæ spatium emensus sis.*

Primò, Quantum viæ & vitæ nostræ spatium, quam brevi tempore emensi simus: ubi jam cernimus patriam nostram, Vitæ scil. primordia? ubi infantia, ubi pueritia, ubi adolescentia, ubi utilis ætas? omnia hæc transivimus aut mox transituri simus, & quidem adeo velociter, ut vix credere possimus, tamdiu nos vixisse. Quod enim navigantibus in mari contingit, ut existiment se stare, dum celerrimè feruntur, & sæpe attingant exteram regionem antequam se putent excessisse patria, ita evenit nobis. Vidisti non ita pridem, quasi hesterna die filiam amici tui ab uberibus pendentem, die quasi sequente vidisti stantem, alia adolescentem, nunc jam uxoratum. Incedis per viam aut forum, & fortè offendis amicum, quem à paucis annis non videras, vides eum canescentem, miraris & quæris: Unde tibi hi cani? & tot tam brevi tempore? Imo si te ipsum in speculo contemplaris, nonne videns canos tibi crescere cœpisse, miraris temetipsum & ais. Unde mihi canities tam repente, tam inadvertenter irrepsit: Ecce tibi furem illum, de quo toties monet scriptura, qui clanculum irrepit & suffodit domum nostram. Hoc est quod in se agnovit Iob c. 9. cum ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore* (cursor enim subinde quiescit & moratur, dies vitæ nunquam) *pertransierunt quasi naves poma portantes*, q. d. velocissimè sicut naves levi cum onere & maximo impulsu celerrimè appellunt. Miramur itaq; quod tam cito perdiderimus annos vitæ nostræ: interim tamen non attendimus nobis nec cogitamus dies reliquos æque cito transituros. Deprehendimus nos Euro ocyus fugisse, nec tamen adhuc credere volumus nos eadem celeritate fugituros. Unde S. Hieronymus ep. 3. ad Heliodorum de Epitaph. Nepot. miratur hanc stoliditatem hominum, dum ait: *Quotidie morimur; Quotidie immutamur, & æternos nos esse credimus.* Ita enim vivit homo & tam securam sibi

sibi non solum diem crastinam, sed & annum sequentem promittit, ac si se immortalem crederet. Refert Pierius lib. 48. fuisse aliquando sæcula tam rudia & literarum ignara, ut annos aliter numerare non possent, nisi impactis clavis ad sacrarum ædium parietes. Ridemus, credo nos istorum ruditatem, & non ridemus nostram, forsitan majorem. Norunt illi annos computare saltem ex clavis; nos vero & hoc nescimus: Vidit Deus ruditatem & obliviscentiam nostram; idcircò ad singulas ætates nostras, singulos quodammodo affixit clavos; adolescentiæ succrescentem barbæ lanuginem, ut sciremus pueritiam præteriisse: virili ætati succrescentes sensim canos, ut sciremus transiisse juventutem, senectuti plenam canitiem, ut sciremus transiisse ætatem virilem: decrepitæ scipionem, ut sciremus transiisse senectutem: & quanquam istos clavos nobis infixos cernimus, nihilo tamen cautiores vivimus & portum jam in conspectu positum prospectare nolum9.

C. II. *Qui videris vel habueris.*

Deinde videmus quot terras: quot amœnas sylvas, quot præaltos montes, quot elegantes Urbes prætervecti à tergo reliquerimus, & quid inde nunc habeamus. Vidimus in vita nostra multa jucunda, artificiosa, pretiosa, palatia, hortos, regiones, Urbes, homines mira elegantia, pulcherrimo vestitu, peregrinis moribus & linguis, bestias raras, comœdias, ludos, spectacula, imagines, personas, principes, exercitus, equitatus, naves, maria &c. legimus fortè libros omnium scientiarum, audivimus varias linguas, gesta orbis, omnis generis instrumenta musica & symphonias &c. gustu percepimus, omnis generis cupedias, epulas, convivia, vina pretiosa, & varia: naribus diversissimos gratissimos odores florum, herbarum, liquorum, unguentorum &c. Possedimus servos & ancillas, hortos & agros, oves & boves, opes & honores &c. Et quid ex his omnibus nunc habemus? non plus, quàm habeat navis aut navigantes ex iis, quæ in transitu viderunt vel audierunt; quasi enim per somnium hæc omnia percepissemus, ita sine fructu omnia evanuerunt? nisi quòd multa inutilia & noxia desideria nobis ingenerarunt, quæ affligunt spiritum, & quandoque mergunt: quòd si nondum hoc agnoscimus: agnoscemus saltem in morte. Hoc est quod Apostol. 1. Cor. 7. monuit, cùm ait: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Omnia enim quæ in mundo vidimus vel habuimus, quid quæso nisi figura fuerunt, & pictura quædam solam boni speciem ostendens, & mox iterum eripiens? S. Greg. l. 6. ep. 26. ad Andream? *Vita*, inquit, *nostra naviganti est similis: is namq; qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur: Ita ergò & nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes per momenta temporum ad finem quotidie tendimus. Cùm igitur finis nostri dies advenerit; ubi nobis erit omne, quod modò cum tanta cura quæritur & cum solicitudine congregatur? Non ergò honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur, &c.* Ponamus etiam omnes eas regiones & civitates, quas navigio pertransis, tuas esse, quid inde haberes in portu; quàm modicum recreatus esses solo earum aspectu? sanè Salomon postquam se convertit ad omnia illa opera, quæ fecerant manus ejus, & ad regias delicias, quas sibi præparaverat, non modo vanitatem in iis omnibus invenit, sed & afflictionem, ait enim Eccl. 2. *Cumq; me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Tunc enim quasi de profundo somno experrectus (ut, in eum locum scribit S. Gregor. Thaumaturgus) vidit ex omnibus illis, nihil sibi relictum, nec vel unicum granum solidi boni ex spicis tam ad speciem pinguibus & prægnantibus, excutere potuisse; sed meras paleas vanitatis & afflictionis. Idipsum pulchra similitudine explicatur Psal. 89. cum dicitur: *Anni nostri sicut aranea meditabantur.* Quid est quod meditatur aranea? ut sum̃a industria è visceribus fila fundat & aliis aliisque intexat, quibus veluti reti expanso muscas capiat. Iam *quomodo aranea*, inquit ibi S. Hieronym. *quasi mittens fila, huc illucque discurrit & texit tota die, & labor quidem grandis est, sed effectus nullus: ita & vita hominis, &c.* Quam levi enim vento dejicitur: & rumpitur tela araneæ, tanto licet labore parata, tam facile vertuntur hominum studia. Et rursum quam parum suo labore efficit aranea, dum non nisi muscas capit; tam parum lucratur homo dum opibus, honoribus, & voluptatibus tantum inhiat. Væ illis qui annos suos tam inutili meditatione absumpserunt.

D. III. *Ubi socii & coævi.*

Tertiò. Videamus ubi sint sociæ naves, quæ nobiscum è portu solverunt, vel aliquamdiu nos comitatæ sunt. Ubi sint parentes nostri, fratres, sorores, amici, vicini, sodales, coætanei, &c. & deprehendemus alios quidem adhuc sequi, vel comitari, alios verò quamplurimos in hoc mari periisse, vel naufragio, vel latrocinio, vel à fluctib9 haustos, vel à belluis devoratos, vel fame vel siti aliisq; innumeris modis extinctos esse. Talia sanè gentilis etiam ille apud Cicer. l. 4. Epist. cogitabat Sulpitius: Ex *Asia*, inquit, *rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigaram, cœpi regiones circumcirca perspicere. Post me erat Ægina: antè Megara: dextra Pyræus: sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostratra & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare. Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant.*

Hunc in modum cogitet unusquisque, quot circum se cadavera hominum notorum, imò penè oppidorum jam prostrata, & in pulverē redacta videat. Videbis primò ante te majores tuos, parentes, avos, proavos, patruos, amitas, materteras aliosque te seniores penè omnes excisos, te verò annosam arborē adhuc superstitem, sed brevi exscindendam. Videbis deinde post te liberos, nepotes aliosque ætate juniores,

niores, quorum etiam non exigua pars ante te cecidit, ideoque tibi similem ruinam quotidie minatur. Videbis & à dextris coævos magno numero, fratres, sorores, propinquos, amicos, condiscipulos, contubernales, commilitones, vicinos olim vegetos, sanos, agiles: ex quibus fortè major pars variis casibus & temporibus fatis jam concesit, & Deo rationem vitæ reddidit, pauci adhuc supersunt. Videbis denique à sinistris alios tibi notos famæ celeberrimæ, magnates, divites, Doctores, fœminas illustres & formâ præstantes, quæ omnium in se oculos convertere solebant, magno numero prostratos in cœmeteriis vel in osium congerie jam repositos. Omnes hi ad annos tuos minimè pervenerunt, ante te extincti sunt, omnia sua exuere & mundo relinquere coacti sunt, divitias, scientias, robur, formam, genus; coram Dei tribunali comparuerunt, sententias suas exceperunt, in domum æternitatis ingresi sunt. Nunc hi te expectant, in proximo est ut tu voceris & eandem sortem subeas. Hoc est, quod in animo suo sæpe revolvebat David, qui dixit Psalm. 67. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, q. d. in medio me constitui præteritorum & futurorum temporum: in præteritis cogitavi quid de antiquis, qui ante me vixerunt, & undique circum me velut in prælio cæsi & demesi sunt, factum sit: in futuris quid anni æternitatis mihi allaturi sunt. Hoc ergò & nos Auditores cogitare hodie possumus.

E.
IV.
Qui sint, qui nos sequuntur.

Quartò. Qui sunt qui nos sequuntur hostesne an amici, sequuntur sanè nos opera nostra, teste Ioanne Apoc. 14. *Opera illorum sequuntur illos.* Hæc si fuerint bona, defendent nos; si mala, mergent nos. Quid ergo si opera nostra pyratæ sint nobis insidiantes? sanè hoc expresis verbis prædixit Num. 32. Moyses; *si peccaveritis: scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* Veluti lictor scilicet furem aut pyrata navim insequens. Quare sicut fur quæsitus ad necem prædam abjicit, & navis contra pyratas vel armat se, vel fuga salutem quærit: sic consultat unusquisque rebus & saluti suæ; quemadmodum faciebat Ezechias Rex, qui dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Isa. 38. vult dicere: Revocabo in memoriam omnia peccata mea quæ singulis annis feci, ut lachrymis ea deleam. S. Bernard. serm. de Virgin. urget verbum *Recogitabo*. *Recogitabo*, id est, *iterum cogitabo*, inquit, *ne aliquid forte oblitus sim, neque aliquid invindicatum & indiscussum remaneat.* Doctus quidam author censet ex Hebræo ita verti posse: *Commovebo caput super omnes annos meos* (quod in SS. literis est mirari & obstupescere super re aliqua) *in amaritudine animæ meæ*, q. d. stupebo super meipsum per singulos annos dicens: Itanè posibile est ut toties & tam graviter Deum meum offenderim? Christi sanguinem proculcarim, diabolo me manciparim? cœlo me excluserim & inferno me addixerim? Et si hoc fecit Ezechias Rex innocens & laudatisimus, quanto magis id faciendum erit nobis? deinde recogitemus annos nostros & moveamus caput super iis, quòd tam multos malè, tam paucos bene vixerimus annos; quòd ferè omnes tempus nobis, corpori & nugis; nihil penè Deo, animæ & salutis negotio impenderimus.

F.
V.
Considerando futura.
I.
Quantum via restet.

Deinde convertamus oculos ad anteriora adhuc emetienda viæ spatia, & Primò consideremus quantum viæ nobis conficiendum restet; an portum & vitæ terminum nondum prospectemus? Deut. 32. Præcepit Deus Moysi jamjam morituro, ut ascenderet in montē Abarim, id est, transiturum, vel Chald. transeuntium (quia inde transitus erat ad terram promisionis) & inde contemplaretur terram sanctam, posteaque moreretur. Hoc est, quod hac die nos quoque facere decet, ut per contemplationem mortis ascendamus ad montem Abarim indeque transitum nostrum ex hac vita in alteram speculemur, quantum nobis adhuc superesse putetur viæ, quomodo reliquum iter confecturi simus, quæ nos ibi domus, quis locus, qui cives, quæ æternitas exspectet. Huc ascendit David & contemplans finem vitæ suæ dixit, Ps. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis est ut sciam quid desit mihi?* Respondetque, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*, id est, tam breves ut facillimè mensurari posint. Hieronymus vertit *breves*; Augustinus, *veteres*: Chrysostomus *palmares* posuisti dies meos, q. d. brevisimi, & veluti vestes aut domus antiquatæ nequaquam diu duraturæ. Quasi verò necdum satis dixisset, subdit: *Et substantia* (id est, subsistentia & vita) *mea tanquam nihilum ante te.* Ex hac igitur mensura metire & tu, quicunque es, dies vitæ tuæ. Quid enim si palmares tantum sint, quatuor scil. digitorum, hoc est, quatuor anni temporum seu unius anni tantum, & hoc anno moriaris? Quid si quatuor mensium tantum? quid si quatuor hebdomadum, dierum vel horarum tantum? Vide ergò ut scias quid desit tibi ad tam brevem & dubium transitum.

G.
VI.
Quorsum tendamus.

Secundo. Quorsum dirigamus navim nostram, rectamne teneamus viam? sanè per Ieremiam c. 31. monet Deus peccatorem à via salutis aberrantem: *statue tibi speculam, pone tibi amaritudines*; *dirige cor tuum in viam rectam*, q. d. si vis dirigere ad salutem viam tuam, considera viam ex alta contemplationis specula, quàm longè ab ea deviaris & quomodo ad eam redeas, itaque dolorem cordi ac pœnas corpori inflige; sola enim pœnitentia errantem reducit ad viam. Fecit & hoc David, qui Ps. 118. dixit: *Cogitavi vias meas & converti pedes meos in testimonia. Vias*, inquit S. Ambrosius in eum psalmum, *non superiores sed futuras, stas enim cogitans, quæ sit via, quæ in civitatem ducat, ad quam tibi putas esse pergendum; quanto igitur magis animo debes ac mente consistere, qui ad regnum cœleste contendis: & cogitare tecum, quia non omnis via illò ducit, &c.* Quare non solum totam vitam suam dirigat unusquisque ad scopum, quem sibi in baptismo præfixit & postea

sæpius

sæpius proposuit, sed etiam in singulis actionibus, ut nimirum prius cogitet, quò navim suam ducat, quo pedem ferat, quem sequatur Ducem; quorsum enim deveniet, qui navim suam non dirigit, sed committit ventis? Rursum sicut nautæ juxta stellam polarem, quia nunquam occidit, dirigunt naves suas. Sic faciat unusquisque: Non attendat ad stellas occiduas, fines scil. fluxos & terrenos, sed ad Dei gloriam: voluntatem, beneplacitum, Christi doctrinam & exemplum, &c. quæ nunquam fallunt aut occidunt: Ad hoc verò necessarium est, acum nauticam, id est, conscientiam sæpissimè inspicere & examinare quorsum cor nostrum tendat, quàm cœlo, & Dei voluntati concordet?

H. III. *An hostes iter obsidentes.* Tertiò, Num videamus de procul hostes iter nostrum obsidentes; scopulos item & viarum angustias in quas abripi possimus; ut hæc omnia declinemus: Poetæ memorant Ulyssem juxta Sirenes navigio transiturũ, ne blando earum cantu illiceretur & traheretur in pericula, sociorum aures cera obturasse, se verò malo alligari fecisse. Multæ nobis Sirenes occurrent in hoc anno, peccandi videlicet illecebræ. Nos verò si sapimus, aures hodie obturemus firmissimo proposito, non audiendi illas: sed & malo crucis, cui nomen & fidem dedimus, fortiter nos alligemus, dicamusque cum Apostolo: *Christo confixus sum cruci*, Gal. 2. quando in baptismo me ei devovi. O quam sapiunt, qui hoc faciunt! Optimum & saluberimum consilium est S. Petri 1. Petri 4. hic observandum, cum ait: *Estote prudentes & vigilate in orationibus*; meminerat enim se in scopulum impegisse negationis, ex eo quòd non audisset Dominum monentem: *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Monet igitur nos suo edoctus malo, ut simus prudentes, quasi porrò videntes & providentes, & per orationis assiduitatem vigiles.

I. IV. *Quomodo appulsuri.* Quartò. Quomodo tandem appulsuri simus in portu mortis nostræ. Navarchus ut navim dirigat non in prora, sed in puppi sedet, nos ut reliquum vitæ nostræ cursum bene dirigamus, vitæ nostræ terminum semper in mente habeamus. Hujusmodi Navarchus fuit Patriarcha Isaac, qui admodum maturè comparavit se ad mortem, quasi indies expectatam, cum enim esset annorum 137. vocato ad se filio dixit: *Vides quod senuerim & ignorem diem mortis meæ*, Gen. 27. & tamen post hoc vixit adhuc annos 43. Docuit ergò vitam nostram esse debere mortis meditationem, ut volebat Plato. Similis Navarchus in lege nova fuit S. Antonius & ipse Patriarcha plurimorum monachorum, qui aliquando congregatis ad se fratribus suis, hoc monitum salutis dedit, ut unusquisque illorum, quavis die se moriturum reputaret, adeoque omnem diem sibi diluxisse supremum crederet; itaque cubitum nocte concedens cogitare se manè non surrecturum, manè autem surgens se ad vesperam non victurum; dicebat etiã Apostolum ita de se sensisse, quando scripsit, 1. Cor. 15. *Quotidie morior fratres.* Refert S. Athanasius in ejus vita. Quam Antonii doctrinam meritò extollunt S. Hieronymus & Ambrosius super omnium philosophorum sapientiam. Et ô sapientes nos, si hos Navarchos imitemur, & ex hodierna die in naviculæ nostræ puppim sedeamus & inde navim dirigamus! ô beatos nos si persuasum haberemus nos hoc anno morituros, nec ullum ejus diem nobis esse certum? ô quam salutari timore omnes corriperemur! quàm salutaribus cogitationibus mentem occuparemus! quàm ea, quæ mundi sunt, parvi faceremus! quàm cautè imposterum semper viveremus, si præsertim ad ingruentem noctem & venientem æternitatem oculos conjiceremus! Vulgari proverbio dicimus: Initium attende ad finem: Anfang betracht das End. Hodie inchoamus novum annum, hodie igitur cogitemus, quomodo finiamus & ad portum æternæ felicitatis feliciter appellamus.

CONCIO III.

VETERIS HOMINIS RENOVATIO quomodo facienda.

I. Ad instar aquilæ.
II. Ad instar serpentis.
III. Ad instar accipitris.

THEMA.

Abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, ad Tit. 2.

A. Apostolus Paulus pluribus in locis urget & inculcat nobis renovationem veteris hominis, velut ad Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.* Rursum ad Eph. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, &c.* Denique ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, &c.* Quod Apostoli præceptum si unquam alias, hoc in primis die, quo novum inchoamus annum, & quo Christus Dominus & Magister noster vetere exuta pelle per circumcisionem novam induit (*Quid enim est circumcisio nisi carnis expoliatio*; ait S. August. tract. 30. in Ioan.) observandum homini Christiano videtur. Porrò secundum D. Thom. in epist. ad Rom. 6. per veterem hominem intelligi potest primò reatus seu macula ex actuali peccato in homine relicta.

Secundò consuetudo peccandi, quæ quandam necessitatem ingerit ad peccandum. Tertiò Concupiscentia seu fomes peccati proveniens ex pec-

cato primi parentis; vel potius, vetus homo, est homo vitiatus macula peccati, concupiscentia, & peccandi consuetudine. Omnia hæc exuenda sunt, uti etiam monet S.Paulus in ep.hodierna. *Abnegantes impietatem, &c.* Atque hoc est xenium meum, quod vobis hodie offero: novus inquam homo. Xenium dico optandum. Quàm enim multum darem alicui bonæ matronæ, si pro marito ebrioso, iracundo, prodigo, remitterem ei domum maritum sobrium, mansuetum, parcum? Quàm multum darem viro, si pro uxore contentiosa, levi, superba remitterem ei patientem, modestam, humilem? si parentibus bonos filios, & filiis bonos parentes? si servis bonos Dominos, & heris bonos servos? Hoc est, quod ego vobis, quantum in me est, dabo. Sed quis docebit nos istam triplicem renovationem? Tria bruta animalia, aquila primam, serpens secundam, accipiter tertiam.

B.
I.
Ad instar aquilæ.

Prima, Aquila, in qua renovationem aliquam agnoscit S.Scriptura Isa.40. Cum ait: *Qui sperant in domino mutabunt*, (Hebr. *innovabunt*) *fortitudinem, assument*) Septuag. *producent*) *pennas sicut aquilæ*; novas scil. Iterum Ps. 102. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Sed quo modo renovatur? primò Physici dicunt senem aquilam, sicubi deprehendat fontem clarum & latum, recta super illum in sublime efferri usque ad tertiam aeris regionem, ubi cum radiis solis & aere calido incaluerit, ita ut ferè exuri videatur, subito demissis retractisque alis in fontem frigidum illabi, tum ad nidum suum advolare & inter alas pullorum resolvi in sudorem, & sic cum veteribus pennis senectam exuere. Aldrovan. lib.1. Ornith. p. 26. ex Epicrate, Athenæo & Alb. M. Hic est primus renovationis modus scil. per pœnitentiam, qua per fervens propositum serviendi Deo, & emendandi vitam in altum nos libremus ejusque voti renovatione seria incalescamus & gravitatem peccatorum nostrorum expendamus, dicentes: Quid egi? quem offendi? quid commerui? ubi nunc sum? quorsum eo? &c. Hisce consideratis incalescemus ut arbitror in amore Dei, & tum contractis alis demittamus nos in fontem compunctionis & lachrymarum, deploremus peccata nostra, quibus fidem Deo toties & tam seriò, datam toties & tam turpiter fefellimus. Unde S.Gregorius l. 21. moral. ait: *Polluta dudum conscientia, lachrymis baptizata renovatur.* Et mox: *Vis compunctionis poros cordis aperit, & pennas virtutum fundit: cumque se studiosè mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit.* Hæc Gregorius. Hoc ergo quasi baptismo reparatur Homo & recuperat, quod perdidit; hac ratione mutat fortitudinem cum aquila, ut dixit Isaias, & producit pennas ad volandum versus cœlum, *mutant fortitudinem*, ait idem Gregorius l.19. moral. c.16. *quia fortes esse student in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne*, v.g. si prius fortis fuisti ad bibendum vinum & sectandam ebrietatem, postea fortis esto ad sectandam sobrietatem, & reluctandum potatoribus instigantibus ad intemperantiam: si olim fortis ad nocendum, ad ulciscendum, rapiendum: nunc esto fortis ad patiendum, condonandum, tribuendum, &c. Quod ut constantius fiat, revola in nidum conscientiæ tuæ, & inter pullos, id est, peccata tua perpetrata suda per continuum dolorem, dicens cum Davide, Ps. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Heu quam miser & infelix homo fui? &c.

2.

Secundo secundum S.Augustinum in Psal. 102. & alios, tunc renovatur aquila, quando incurvato præ senectute rostro, ita ut cibum & potum capere amplius nequeat; allidit rostrum ad petram & frangit; tunc enim excusso oris impedimento, rursus cibum & potum capit: ita renovatur, revalescit & recuperat membrorum vigorem ac pennarum nitorem pristinum, &c. *sic peccator*, inquit Venantius de circumcisione supra dicta psalmi verba, *qui peccatis est prægravatus, ut nihil spirituale ei sapiat, morietur fame, nisi ad Petram Christum, per pœnitentiam se fortiter ac diu percutiat, usque ad propositi & duritiei abjectionem*; similiter August. in eundem Ps.192. locum. *Renovabitur*, inquit, *Juventus sicut aquila: tantummodo nos vetustatem nostram ad Petram Christum conteramus. Inveteravimus enim inter inimicos nostros. Unde inveteravimus? carne mortali, carne ista fœnea, & ideò percussum est sicut fœnum & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Crevit vetustas, os clausit: atteratur in petra.* Sic ille. Panis noster proprius est S.Eucharistia. Sed hic panis nequit comedi salubriter cum rostro incurvato & peccatis depravato, nisi per pœnitentiam & propositi mutationem, peccatorumque in confessione depositionem, rostrum id frangatur. Frangitur ad petram, cum in confessione se ipsum homo accusat ore proprio, cum emendationem seriam promittit, cum pectus suum tundit. Sic exuitur vetus Adam, qui noverat se post culpam abscondere tantum, & peccatum excusare; Et sic primò renovatur homo; & quidem per pœnitentiam annuam. Quoniam enim intra annum facile inveterascit homo inter inimicos suos, mundum, carnem, Dæmonem: ideò Ecclesia præscripsit, ut unusquisque fidelium ad minimum semel in anno saltem spiritualiter renovetur. Horologia præsertim portatilia, nisi singulis annis in se ipsa dividantur & expurgentur, diu durare nequeunt: ita & nos mortales nisi quotannis inspiciamur, purgemur & ungamur salutaribus Sacramentis, perseverare diu in bono haud possumus. Sed quàm sapit, qui cor suum sæpius expurgat? sæpius inungit? saltem nunc cum anno veteri veterem quisque pellem exuere deberet.

C.
II.
Ad instar serpentis.

Secundum. Renovationem longè difficiliorem (juxta id: *si potest Æthiops mutare pellem, &c.* Ierem.13.) docet serpens: nam ut ait Aristoteles 8. hist. anim.c.17. *Exuit serpens senectutem tum vere, tum autumno? cum exuere incipit, ab oculis primum detrahi*

trahi

trahi ajunt. Tum caput exuitur, atque unâ ferè nocte & die ſenectus tota exuitur, à capite orſa ad caudam, & cute alterâ intus ſubnaſcente, ipſa removetur, &c. Ita verò fit primò præcedente jejunio 40. dierum, quo laxetur pellis, ut ſcribit S. Hieronymus epiſt. ad Præſidium, deinde fœniculi ſucco, ut ſcribit Plinius l.8.c.27. Denique ingreſſu in anguſtum foramen, per quod, licet cum dolore, perrepit, tuncque pellis ei detrahitur novaque, quæ ſuccrevit, induitur, & forma ſpecioſior acquiritur. Ad hanc ſerpentis prudentiam imitandam, ſi Ambroſio & aliis credimus, remiſit nos Dominus Matth. 10. cum dixit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Imitare ſerpentem*, ait Ambroſius in Pſ.37. *qui exteriorem ſuum exuit, ut renovetur interior*: Et verò neceſſaria eſt peccatori etiam ita renovatio. Nam per peccata ſæpius repetita contrahit pravos habitus, qui ferè in naturam tranſeunt, & inſtar pellis tenaciſsimè ei adhærent. Et licet pœnitentia deleat peccatorum maculas, non tamen tollit habitus pravos; qui proinde tollentur primò per jejunium, id eſt, per ceſſationem & diſſuetudinem habitus (*jejunium enim magnum & generale eſt*, ait ſanctus Auguſtinus ſuper Ioan. *abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum jejunium.*) Ita enim qui linguis, quas aliquando noverunt, diu non utuntur, earum ſcientiam diſſuetudine amittunt. Incidit Bernardus (ut habet ejus vita) in quendam Nobilem fornicationi tam aſſuetum, ut ea ne ad unum quidem abſtineret diem diceretque: Sine ea ſe vivere non poſſe. Itaque affatur eum Bernardus, & *Quæſo*, inquit, *in gratiam Dei abſtine ad triduum. Annuit ille & fecit. Triduo expleto: nunc inquit Sanctus in honorem Deiparæ tantundem præſta. Spopondit homo & iſtud. Eo peracto Bernardus ſemel adhuc, ait, has inducias poſco in honorem omnium ſanctorum. Ille rurſus pactus eſt, donec ultrò ſe inſinuans Bernardo diceret: Nolim amplius diurnas ſed perennes cum Deo inire inducias.* Ita ergò conſuetudo ſenſim & ſuaviter eradicatur. Sed quemadmodum ramus arboris depreſſus, quamdiu eum deprimis, inclinatur; at ſi manum amoveas, ad locum ſuperiorem illico reſilit & eo, quo prodiit ſtatu, remanet: ita ſi quis ad certum vitium pronior ſit & ceſſet impugnare illud, facilè in idem recidet. Idcircò ſecuris ad radicem ponenda, clavus clavo pellendus, & contrariis etiam actibus impugnanda ſunt vitia: fœniculi ſuccus adhibendus, hoc eſt, antidota adhibenda, uti exercitium liberalitatis contra avaritiam, jejunii contra ebrietatem: Item conſtans & ſæpe repetita animi reſolutio, quòd velis vitare hoc vitium. Hoc juvat reflexio aſsidua, &c. Veriſsimè Seneca lib.2. de ira cap. 12. *Nihil eſt*, inquit, *tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat & in familiaritatem adducat aſſidua meditatio, nullique ſunt tam feri & ſui juris affectus, ut non diſciplinâ perdomentur. Quodcunque ſibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent, conſecuti ſunt. Vino quidem, alii Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus? Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo nec reſpirare.* Quòd ſi præterea adhibeas pœnitentiæ vim, quâ præteritos actus deteſtaris & punis aliqua mulcta, vel plaga, quoties iterum recidis, quaſi per anguſtum foramen ingredieris & ita potentiſsima manu vitioſos habitus convelles. Hæc eſt *arcta illa via, quæ ducit ad vitam*, Matth.7. Hæc Chriſti ſtigmata, per quæ tranſeundum eſſe ſcribit Auguſtinus ſerm.4. ad fratres in Eremo, ſi à vitiis liberari & ad vitam ingredi velimus. Conatus adhibendus eſt, vis inferenda corpori & animæ, ut pellis exuatur. Si enim ſerpens cum dolore ſe impenetrat per foramen arctum ſolo naturæ inſtinctu, ut rejuveneſcat: quid non faciendum nobis, ut gratiâ veſtiamur & gloriâ? Cæterum ſicuti ſerpens incipit ab oculis & capite pellem veterem exuere, ita expedit pugnam contra vitia à capitali vitio inchoare, quo ſuperato facilè ſuperabis alia: ſic enim devicto & proſtrato Goliatho, omnes Philiſthæi devicti & in fugam acti ſunt, quia nimirum viderunt, quòd fortiſsimus eorum mortuus eſſet, 1.Reg.17.

D. III. *Ad inſtar accipitris.*

Tertiam, Omnium difficillimam (licet enim habitus pravi evellantur, concupiſcentia tamen remanet ſemper.) Docebit Accipiter. Nam & hunc renovari diſcimus ex l. Iob c. 39. ubi ait: *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter expandens alas ſuas ad auſtrum?* Plumeſcit ergò accipiter jam adultus & alatus: quod ſingulis annis fieri ait ibi gloſſa. Etenim quando ſenuit & pennis ſe gravatum ſenſit, flante auſtro expandit verſus illum alas ſuas, eoque deficiente contra ſolis radios, interim ventilando alas tepentem ſibi auram facit, atque ita apertis per teporem poris, veteres pennæ laxantur & cadunt, novæque ſuccreſcunt; qua ex re agilior & pernicior fit ad volandum. Sic etiam domeſtico accipitri, qui in mutatorio conſervatur, ad eandem innovationem procurandam datur aliquantum carnis venenatæ, ut ejus vi & efficacia, veteres pennas expellere & vires novas recuperare queat, Geminian. de rerum ſimilitud. l.4. c.78. Poſſumus per hanc rapacem avem intelligere hominem concupiſcentia vitiatum, ſiquidem accipiter totus ad prædam natus eſt, nec niſi ſanguine ſitim levat. Similiter *quid vetus, quid carnalis homo novit*, inquit S.Greg.hom. 32. in Evang. *niſi ſua retinere, aliena rapere cum poteſt, concupiſcere ſi non poſſit?* Sed qua ratione homo conſtitutus poterit renovari? Non eſt hoc unius diei opus, nec omninò exui pellis iſta poteſt ſine ſpeciali privilegio. Unde audimus ipſum Apoſtolum conquerentem de illius gravitate: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom. 7. poteſt tamen ei ſuperindui novus homo, Chriſtus videl. ejuſque converſatio, ut non eadem, ſed nova eſſe videatur, quod idem Apoſtolus conſecutum ſe ſcribit ad Galat. 2. *Chriſto confixus ſum cruci*, inquit; *Vivo autem jam*

non ego, vivit verò in me Christus. Primo igitur extendendæ versus austrum & solem alæ, id est, brachia, in oratione extendenda ad implorandam Spiritus sancti gratiam, ut per dona spiritualia seu virtutes, nec non per assistentiam & protectionem singularem hostem illum nostrum comprimere velit, uti precatur Ecclesia quotidie in Completorio: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*; quod præsertim faciendum, cum rem aggredi volumus, in qua lapsus alicujus periculum est: muniendo nos prius per propositi renovationem, signum crucis, brevem orationem, veluti: *Deus in adjutorium meum intende.* Ad hæc constitue te versus solem Christum, & ex ejus conversatione velut ex novo homine corrige.

2. Secundo adhibendus etiam labor & cooperatio nostra, & subinde quatiendæ sunt alæ harumque motione aura cœlestis gratiæ nobis paranda: siquidem juvantem se Deus adjuvat. Id verò fit primò repellendo malas cogitationes, quæ si admittantur mox excitant concupiscentiam, sicut ventus exsurgens mox incipit vertere rotam molendini, ex quo molaris lapis volvitur, & facilè ignem excitat & incendium totius molendini. Secundò repellendo incentiva alia, uti aspectus & tactus sensuales, colloquia prava, &c. Nam & hinc rota illa gyratur & ignem in mola concitat. Audi Ecclesiasticum cap. 9. *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Ita Pericles Sophocli Prætori dicenti: *ô puerum pulchrum?* respondit: *Prætorem non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere decet.* Cic. l. 1. offic. Tertiò licitis occupationibus insistendo. Unde S. Hieronym. ait: *semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum.* Inter omnes autem occupationes præstat studium literarum. *Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis.* Hieronym. ad Paulin. Quartò vigilando & motus concupiscentiæ quamprimum prodendo ac velut fures clamando; quomodo S. Bernardus intrante ad cubiculum suum muliere impudica clamare cœpit: *Latrones, latrones*; sicque eam iterato adventantem fugere compulit. Multi idcirco vincuntur à pravis concupiscentiæ motibus, quia non advertunt eos ab hoste & latrone isto prodire.

3. Tertio si præterea addatur aliquid venenati cibi, hoc est abstinentiæ, pœnitentiæ & castigationis corporalis, nec non frequens usus Sacramentorum, aperientur paulatim pori, & cognoscet homo radices suorum peccatorum, morbos suos, &c. & incalescet gratia divina, ut ita veteres illæ pennæ & fibræ concupiscentiæ tandem evellantur & diffluant. Maximè verò prodest sobrietas & temperantia vini & cibi. Nam *qui corporis sui carnes delicatè nutrit, concupiscentias malas pascit*, ait S. Ephrem. tract. de timore Dei.

Hæc tria media sunt potissima ad veterem illam pellem concupiscentiæ immutandam, quod ipsum testimonio confirmabimus. Cùm enim Abassini Æthiopes (ut scribunt qui in locis illis versantur in annuis literis provinciæ Goanæ anno 1609.) in Christianis sacerdotibus præ cæteris suspiciant castitatem (quòd illorum religiosi sint impurissimi) ideoque eos angelos vocent: antistes quidam religiosus reginæ magister percunctatus est patres societatis, quo uterentur remedio, quave medicina, ut sic essent casti? responderunt illi, adhiberi orationes, pœnitentias & sedulam sensuum custodiam. Tum Antistes: *Illa*, inquit, *ratione tutò tale monile servatur?* Placuit responsio reginæ, nec immeritò. Cooperante enim homine cum divina gratia, nihil non superari, immutari & renovari potest, adeoque ex homine fieri quidam angelus.

Hæc igitur sunt animalia quæ in xenium vobis offero, &c.

CONCIO IV.

DE SPIRITUALI TOTIUS HOMINIS circumcisione quæ est mortificatio.

I. *Circumcidendi capilli, hoc est, opes.*
II. *Oculi.*
III. *Nares seu judicia temeraria.*
IV. *Os.*
V. *Lingua seu loquacitas.*
VI. *Aures seu curiositas.*
VII. *Collum seu bibacitas.*
VIII. *Digiti seu rapacitas.*
IX. *Ungues seu iracundia.*
X. *Cor seu cogitationes malæ.*
XI. *Venter seu gula.*
XII. *Pedes seu superbia.*

THEMA.

Consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, Luc. 2.

A. Daniel cap. 4. scribit regem Babylonis Nabuchodonosorem propter superbiam suam ita à Deo punitum esse, ut ex hominibus abjectus, & inter feras habitans, fœnum ut bos comederet &, rore cœli corpus ejus inficeretur, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent & ungues ejus quasi avium. Cui tamen, postquam oculos ad cœlum levavit, & Altissimo benedixit, sensus & figura reddita est, regnum etiam restitutum & magnificentia amplior addita. Simili pœna mulctatum est totum humanum genus ob primorum parentũ superbiam & inobedientiam. De paradiso enim &

regno homines ejecti in exilium adeò immutati sunt; dominante in illis & rebellante contra rationem concupiscentia, ut jam non homines sed bestiæ esse viderentur, nec amplius rationabilia sed sensualia tantùm sectarentur. Etenim ex ea concupiscentiæ radice tanta in hominibus pullularunt vitia, ut humanam figuram prorsus exuisse & bestialem induisse viderentur, juxta id Psalmi, *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Hinc Deus hominem non amplius hominem, sed canem vocabat, Genes. 6. Induerunt ferociam leonum, rapacitatem avium, luxum porcorum, invidiam canum, &c. Inde in ipsis omnia horrida & sylvestria facta sunt. Quæ causa inter alias una erat, cur instituta à Deo circumcisio fuerit, ut videlicet intelligeremus hominibus adeò depravatis necessariam esse circumcisionem Spiritualem, si ad pristinam gloriam & regnum redire velint. Et quidem effecit Christus ut majorem gloriam, & magnificentiam possimus obtinere, quam prius habuerimus: si tamen & ipsi oculos ad cœlum levare & cultro circumcisionis, id est mortificationis uti velimus ad resecanda vitia nostra. Quoniam igitur à planta pedis usque ad verticem, non est sanitas in homine: non tantum unum ejus membrum, sed omnia circumcidi debent. Id enim præcipit Apostolus ad Col. 3. dicens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et hæc est vera circumcisio Christianorum propria, de qua Apostolus ad Philp. 3. ait: *Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo* Illa Iudæorum concisio potius erat, uti ibid. vocatur. Atque hunc morificationis cultrū pro xenio vobis offero, Auditores, quo si sedulo usi fueritis, recuperabitis deperditam hominis formam & figuram, veterem hominem exuetis & novum induetis atque adeo pristinum regnum, gloriam & magnificentiam, imo majorem acquiretis, quàm in paradiso habuissetis.

B. I. *Circumcidendi Capilli, hoc est, opes.*

Primo, Capilli incircumcisi & longiores sunt opes & divitiæ superfluæ, cum tenacius retinentur & amantur. Sic enim S. August. in Ps. 51. scribit: *Capilli superflua rerum temporalium significant: quia enim sine sensu præciduntur illis, qui Deo adhærent, sic habent ista terrena tanquam capillos;* sed quemadmodum Ioseph non prius adductus est in conspectum Regis Pharaonis, quam longi & horridi ejus capilli detonsi essent, Gen. 41. sic non poterit in conspectum Dei venire, qui superfluas opes alit, & cum amore retinet: excluduntur enim à regno Dei qui esurientes non paverunt, &c. Quemadmodum capillis Absolon, quia eos longiores aluit, ad extremum in quercu illaqueatus est & suspensus, 2. Reg. 22. sic, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli,* ait Apost. 1. Tim. 1. Tondere igitur & circumcidere hos capillos debet, qui sibi laqueum parare & fovere non vult, juxta præceptum Domini: *Quod superest date elemosynam. Quod autem de ipsis capillis* (subjungit Augustinus dato loco) *boni aliquid fieri possit, significavit mulier illa peccatrix Luc. 7. quæ cum flevisset super pedes Domini, capillis suis tersit, quos lachrymis rigaverat; significans, quia cū misertus fueris alicuius, debes & subvenire, si potes: Cùm enim misereris, tanquam lachrymas fundis; cùm subvenis, capillis tergis,* hæc August. Certè idem in Ps. 147. ait; *superflua diviti, necessaria sunt pauperi; res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.* Et in tract. 50. in Ioan. *Tibi superflua sunt,* inquit, *sed Domini pedibus,* (pauperibus) *necessaria sunt.*

C. II. *Oculi.*

Secundò, Oculi circumcisi sunt, qui sine fræno per obvia quæque objecta liberè vagantur, & undique circumvolant, juxta id Prov. 17. *Oculi stultorum in finibus terræ*, id est, vagabundi per omnes mundi plagas. Unde vetus Patrum dictum: *Incustoditus oculus incustoditæ mentis est nuntius.* Sed dum ita temerè discurrit hic nuntius, facilè fures offendit & infert animæ, quorum opera eam necat, & *deprædatur*, ut ait Iob. Unde dixit Dominus prorsus eruendum esse talem oculum & longè abjicendum: melius enim esse cum uno oculo intrare in regnum cœlorum, quàm duobus mitti in gehennam. Proinde Iob sciens oculorum vagorum pericula, eos circumcidit, cum ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Cujusmodi fœdus pepigere etiam monasticæ vitæ cultores, qui idcirco ex fundatorum instituto cucullis ita includunt oculos, ut non undique vagari, sed prorsum tantum cernere queant ad ambulandum. Quin etiam Alexander Magnus Rex, gentilis licet, hujus continentiæ exemplum est, qui ad Darii Regis Persarum filias, quas captivas tenebat, eximia pulchritudine Virgines visendas invitatus recusavit, quod diceret, se qui viros vicisset, nolle vinci à mulieribus. Præsagiebat enim quid sibi ex aspectu futurum esset.

D. *Nares seu judicia temeraria.*

Tertiò, Nares oblongiores sunt suspiciones & judicia temeraria, quæ omnia subodorantur, rimantur & dijudicare non verentur etiam longè dissita & occulta. De quibus dici potest id Ier. 2. *Onager assuetus in solitudine desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Ut enim onager libidine æstuans ventum naribus attrahendo indagat fœmellam etiam longè dissitam, sic nasuti homines, qui se neglectis aliena rimari & judicare gaudent, ventum rumoris & novarum rerum attrahunt, indeque statim suspicantur & arguunt, quid hic vel ille sibi velit, quid hîc vel ibi facturus sit, quorsum hoc vel illud agat, ac denique naribus suis porcorum instar omnes sordes lustrant. Et vero ea plerumque suspicantur, quibus ipsi pleni sunt, & onager onagrum subodoratur, juxta id Eccles. 10. *stultus in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Sed nemo libenter alium sua sinit rimari aut disquirere, nec æquum est ut hominum cogitationes, & intentiones, quæque Deus occulta esse voluit, homines eruant. Circumcidendæ igitur sunt hæ na-

res & in proprium sinum mittendæ. Nimm dich selbst bey der Nasen.

E. IV. *Os.*

Quartò, Os oblongius habent ad instar equorum & boum, qui nulla temperantiæ lege utuntur, nec certis & usitatis diei horis prandent & cœnant; sed instar pecudum, quibus ora longa sunt, boum, equorum, asinorum &c. nunquam non edunt ac bibunt, idque non interdiu solùm, sed quandoq; etjam de nocte. Primo mane incipiunt, & postmodum quicquid occurrit potus ac ciborum absumunt, & suis sepeliunt ventribus. Quos ego non homines sed pecudes, nec edere ut vivant, sed vivere ut edant, dixerim cum Plutarcho. Quòd pecora semper ferè pabulentur, probro dari eis non potest, quia vel continuò etiam atteruntur laboribus ut equi, asini, cameli: vel perrenne lac ab eis exigimus ut à vaccis, ovibus, capris; vel ea saginare volumus, ut carnes nobis præbeant, velut oves & porcos; sed nulla horum necessitas in hominibus, nisi fortè comedones illi saginentur à diabolo, ut paulo post mactentur & in ollas infernales mittantur: quomodo Arelatenses olim adhuc gentiles singulis annis tres juvenes coemptos per annos saginabant & postmodum occisos super aram latam in alta columna dæmonis immolabant, ut refert Geruas l. 2. de mirabilibus terrarum? neque enim tales ordinariè diu vivere possunt, quemadmodum & animalia illa voracia: quia non interquiescunt ad dirigendum plenè cibum, sed stomachum habent perpetuis cruditatibus repletum. Si vitam diu conservare velis & sanitatem, fac quod monet Eccles. c. 28. *Ori tuo facito ostia & seras* (ut in græcis quibusdam codicibus legitur) ne videlicet quavis hora, sed destinata & hominibus usitata comedas. Unde os ab ostio dicitur.

F. V. *Lingua seu loquacitas.*

Quintò, Labia & Linguam incircumcisam habent Loquarculi, qui eam non custodiunt, sed undique liberam dimittunt ad suam & aliorum perniciem, instar mordacis alicujus canis, qui catena non alligatur sed vagari sinitur. An non ea incircumcisa & longa lingua, quæ ad cœlum usque extenditur & DEUM altissimum blasphemat? an non dissoluta lingua, quæ mortuis etiam detrahit? quæ omnia carpit, omnia perdit, omne tempus occupat, omnium aures replet? sed interim sibi & aliis nocet; sibi, quia *in multiloquio non deerit peccatum*, Proverb. 10. aliis, quia vel aliorum famam rodit, vel saltem aures offendit. Quemadmodum ergò fluvius inundans & lutum ac sordes in se colligit, & rusticorum prata & agros vastat; sic lingua ripas limitum suorum egrediens, & se coinquinat & alios perturbat. Coërcenda igitur intra alveum suum. Et quemadmodum canis malus præ foribus caveæ suæ alligandus est, ne cui nocere possit; sic & lingua; Id quod natura ipsa satis superque præstitit quantum in ipsa erat, dum linguam gutturi alligavit, & ori quasi caveæ, dentibus & labiis velut muro & antemurali cinctam inclusit. Unde & Ecclesiasticus c. 28. monet: *Aurum & argentum tuum alliga* (ut habetur in Græco) *& verbis tuis facito stateram & frænos ori tuo rectos*; hoc est, alliga sensum, & cogitatum tuum taciturnitate, & impone jugum ori tuo, ne indomita verborum libertate se effundat.

G. VI. *Aures seu curiositas.*

Sextò. Aures incircumcisas habent ac longas nimis curiosuli illi, qui inutilia, noxia & nova semper, & aliorum gesta satagunt audire: salutaria verò audire nolunt, quemadmodum Iudæi, qui falsos testes Stephanum accusantes audierunt; ipso verò dicente: *Ecce video cœlos apertos & filium hominis*, &c. continuerunt aures suas, ut proinde meritò incircumcisi cordibus & auribus ab eo vocarentur Act. 7. Aures circumcisæ sunt aures delicatæ, quæ non omnia promiscuè audiunt & in cor admittunt, sed examinant priùs sermones, sicuti janitor præ monasterio prius examinat eos, qui pulsant & intrare volunt: idque etiam in constructione auris naturali cernitur: folliculus enim ad ostium auris intus residens, & in voce percussus statim id quasi nuntiat phantasiæ. Incircumcisæ verò sunt, quæ talem janitorem non habent, sed ostia cuivis aperta relinquunt, quæ magno suo damno facilè prædones admittunt. Quemadmodum nemo obviam quamvis aquam bibit, sed aquam fontis & limpidam, nequaquam verò sordidam, fœtidam aut noxiam. Sic non concedendum auri, ut omnes promiscuè sermones bibat. In Ægypto canes è Nilo non facilè nisi in transcursu tantùm bibunt propter metum crocodilorum, qui de Nilo enatantes sæpe eos corripiunt. Faciunt hoc canes: & cur non idem faciat homo, qui tam facilè corripitur sermonibus detractoriis, impudicis, &c. & sic in peccatum abripitur: Ascindantur ergò aures ne perversa audiant, detractoria, impudica, curiosa, &c. Audiatur Ecclesiasticus c. 28. *Sepi aures tuas spinis & linguam nequam noli audire.*

H. VII. *Collū seu bibacitas.*

Septimo. Collum nimis longum aut crassum quinam alii habent nisi potatores, qui magnis delectantur haustibus? Philoxenus insignis ganeo optabat sibi collum gruis, quo diutius cibi potusque dulcedinem persentire posset. Hoc verò potatores consequi egregiè norunt, dum breviori collo longiores assuunt haustus & altissima pocula uno tractu exhauriunt; quis verò talem potantem videns non dicat eum collum gruis habere? sed belluina hæc colla abominatur Deus, minaturque illis per Isaiam c. 5. dicentem: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem!* iidem majoribus istis haustibus præcidunt sibi vitã, futuram alioquin longiorem, siquidem vino immoderatiore calorem naturalem & humorem lenem, quo is alitur, ut habet Aristoteles Sect. 3. Probl. 4. obruunt & extinguunt: quemadmodũ magna vis aquę extinguit modicum ignem, vel ignis vehementior aquam modicam: Probatum est hoc in certamine illo potatorum, quod instituit Alexander M. in quo non plures quàm quadraginta duo, vino exanimati

animati sunt. Præcidenda igitur tam enormia pocula, si vitam cupias longiorem. Sic enim Poëta quidã canit: *Quo minus ægrotes, ne grandia pocula potes:*
Sanior esse potes, si cum moderamine potes:
Æsopus dixisse fertur. Primi vini crateram ad sitim pertinere, Secundum ad hilaritatem, Tertium ad voluptatem, Quartum ad insaniam, apud Strob. Serm. 18. de incont. Quatuor his crateribus duo postremi resecandi sunt, primi duo retinendi.

I. VIII. *Digiti seu rapacitas.*

Octavo, Digitos longiores, & incircumcisos habent non fures tantùm, ut dicere solemus, sed etiam, qui festinant ditari. Nam qui digitis est longioribus, plus è sacco tollit pecuniarum, quam qui brevioribus; proinde qui ditari festinat, nec modico lucro contentus est, digitos habere longiores convincitur. Nemini hic prohibeo ne quærat lucra licita: sed ne longioribus quærat digitis & festinata cupiditate, ne lucris inhiando divina negligat, ne inhiet opibus, &c. De hoc enim Sapiens dixit Proverb. 28. *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Et ipse quoque Aristoteles l. 2. Rhet. c. 16. *Nuper ditati castigatas non habent divitias.* Quo fit ut tam repentinæ opes, repentè quoque dilabantur, quia carent Dei benedictione; potius maledicente Deo per se dissiliunt, sicut ædificii lapides intempestivè & sine arte colligati, & ædificium festinanter erectum. Unde idem sapiens ait Proverb. 13. *Substantia festinata minuetur.*

K. IX. *Ungues seu iracundia.*

Nonò, Ungues longiores, & incircumcisos habent passionati & iracundi, qui levi verbo irritantur & ungues exserunt in proximos suos, probra & convitia in eos jaciendo, vel etiam verbis addunt verbera, sed non sunt ungues tales in homine tolerandi, quoniam nec natura tales ipsi dedit, sed Tigribus tantum, ursis & leonibus. Quin etiam si vaccis cornua præscindimus, quæ obtinent à natura, ne se invicem lædant, quantò magis decet ut hominibus præscindantur ungues, & cornua furoris, quibus proximos offendunt? Volebat Laban exserere ungues suos, in fugientem à se Iacob: sed quia Dominus id prohibuit, continuit se, eique mox reconciliatus est. Dicebat enim: *Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus Patris tui heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Iacob quodquam durius,* Gen. 31. Ecce quomodo Deus præcidit illi unges? Atqui hoc ipsum præcipit nobis Christus, Matth. 5. dicens, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, &c.*

L. X. *Cor seu cogitationes malæ.*

Decimò, Corde incircumciso sunt, qui malas cogitationes ab eo non extirpant. Quemadmodum enim ex vite vel arbusto multa inutilia enascuntur germina, quæ nisi resecentur, auferunt succum ramis & nec ipsa fructum ferunt, nec ramos ferre sinunt. Tale cor hominis. *De corde exeunt cogitationes malæ,* ait Dominus Matth. 15. *homicidia, adulteria, fornicationes, &c. hæc sunt quæ coinquinunt hominem.* Nisi igitur præscindantur tempestivè surculi cogitationum malarum, cito prodibunt in ramos operum malorum, & fructus bonorum impedient. Quod igitur Moyses Israelitis prædicavit, Deut. 10. *Circumcidite præputium cordis vestri,* hoc idem nunc ego quoque prædico. *Circumcidite præputia cordis vestri, id est, postquam luxuriam à carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate,* ait S. Gregorius & exponit lib. 26. moral. cap. 7. Nisi enim surculi maturè eradicentur, radices tam altas agent, ut erui ampliùs nequeant, sic malæ cogitationes nisi quam primi extinguantur.

M. XI. *Venter seu gula.*

Undecimò, Ventrem incircumcisum an non illi habent, qui nihil illi detrahere volunt quantumvis angusto tempore, & rerum penuria instante? An non illi, qui nolunt illi demere carnes diebus etiam vetitis? An non illi qui perpetuo otiantur, & abdomini serviunt, nec aliud agunt quam ut de lecto ad fornacem calidam, de fornace ad fenestram, de fenestra ad mensam, de mensa ad sellam, de sella ad lectum eant? O quantum malæ herbæ gignit venter nisi circumcidatur? Unde Sapient. Ecclesiast. 23. orat: *Aufer à me concupiscentias ventris.*

N. XII. *Pedes seu superbia.*

Duodecimò, Pedes incircumcisos habent superbi, qui pedibus suis *composito gradu ambulant,* ut dicitur Isai 3. Unde enim nisi ex superbia prodeunt altiores illi calcei? Iussit quidem Dominus ut ne soliciti essemus de vestibus, siquidẽ nemo staturæ suæ addere potest. Sed nunc aliter se res habet: addunt enim homines ad staturam suam ferè palmum, & paulò post addent cubitum, exaltando calceos, ut nunc merito soliciti esse debeant, de vestimentis. Sed circumcidendi sunt hi pedes uti oravit David Psalm. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ.*

Post circumcisionem sistitur Christus Domino in Ierusalem Luc. 2. Similiter Christianus, quia ut exponit & ait S. Ambros. in hodierna hom. l. 2. in c. 2. Luc. *Circumcisus vitiis Dominico dignus judicatur obtutu, quia oculi Domini super justos.* Sic Ambr.

CONCIO V.

DE DIGNITATE ET VENERATIONE NOMINIS IESU & abusu cavendo.

I. *Nomen plenum mysteriorum.*
II *Nomen pretiosum.*
III. *Nomen salutare.*
IV. *Nomen sanctum*
V. *Nomen terribile.*

THEMA.

Vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Luc. 2.

Si

SI quis à Principe vel Rege quodam præclarum aliquod munus accipiat, veluti aureum numisma aut annulum pretiosum; solicitus est ut donum illud sedulo asservet, cistulæ mundæ includat & non nisi in magna solemnitate proferat & gestet. Ita faciebat Moyses, qui ubi manna de cœlo per manus Angelorum accepit, modicum illius ad æternam rei memoriam & debitam reverentiam tabernaculo inclusit perpetuo asservandum, Exod. 16. Similiter ubi à Deo in monte Sinai accepit tabulas legis; mox Dei jussu ædificavit arcam, de lignis setim auro tectis, in ea tabulas illas reposuit, quod debito cum honore deinceps servarentur, Exodi 25. Ingens donum hodierna die nos accepimus à Deo, & donum super omne donum. Videlicet nomen illud Salvificum IESU: quod etsi hodie Salvatori tantùm nostro datum est, nobis tamen in illo communicatum est. Siquidem is, qui, angelo teste, ante octiduum natus est nobis Salvator, idem etiam hodie vocatus est nobis Salvator, hoc est Iesus; propter nos enim, non propter se, & natus & ita vocatus est. Et quid est manna, quid tabulæ legis, si cum Iesu nomine comparentur? *Patres manducaverunt manna & mortui sunt; hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur:* Panis vivus, panis vivificans. Tabulæ Moysis legem Dei continebant: nomen Iesu ipsummet Legislatorem continet. Manna & tabulæ, per manus Angelorum offerebantur: nomen Iesu à Deo excogitatum, per Angelum nobis nuntiatum est. Decet igitur cumprimis ut nobilissimum hoc Nomen sollicitè & honorificè custodiamus, nec nisi magna cum reverentia in ore circumferamus. Hoc enim indicat Evangelista, cum ait in hodierno Evangelio, *vocatum esse hoc nomen ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Vult enim dicere, os illud angelicum esse debere, quod nomen Iesu pronuntiat: siquidem illud primò de monte Dei transiit in os angeli, per os angeli in aures sanctissimæ Virginis Mariæ, & deinde sponsi ejus. Unde pectus illud, in quo nomen illud servatur, tabernaculum esse deberet ornatissimum & purissimum: os quo vocatur, arca esse deberet de lignis setim auro tectis. Quando igitur hoc nomen hodie à Deo nobis omnibus est donatum, non ausim id ego rursum vobis pro xenio dare, sed potius ut hoc donum honorificè asservetis, gestetis & circumferatis, offero & opto vobis arcam, qualem extruxit Moyses, cor, inquam, & os mundum, quo donum id includatis. Quod ut faciatis, videte quam urgentes sint rationes.

B. I. *Est nomen plenum mysteriorum.*

Primò est nomen mysteriorum & Sapientiæ plenum. Nam instituit nos in fide & in omni actione. In fide quia docet nos mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis, Trinitatis, quia sicut & nomen Dei tetragrammaton Iehova; quatuor est literarum significantium tres personas, & unam essentiam. In nomine Iehovah prima littera est Iod, id est Principium & significat Patrem. He, id est vita, & significat filium; *quia in ipso vita erat*, ait Ioannes. Tertia Vau, id est, uncinus seu nexus, & significat Spiritum Sanctum, qui est nexus quasi Patris & Filii. Quarta rursum He, & significat unitatem essentiæ; sic in nomine Iesu (Hebr. Iescua) prima est Iod, repræsentans Patrem. Secunda Schin. id est, dens repræsentans Verbum. Tertia Vau, repræsentans Spiritum Sanctum. Quarta Ain, id est, fons, repræsentans Deitatem, quæ perennis est fons omnium illarum relationum & notionum, imò & omnium rerum. Incarnationis verò, quia significat Salvatorem ac proinde Deum Incarnatum, siquidem nec purus Deus, nec purus homo proprie Salvator esse poterat. Non purus Deus, quia tunc nemo esset, cui satisfactionem offerre posset: non purus homo, quia hic non haberet, quo satisfaceret. Salvatorem inquam, non quoad salutem aliquam temporalem, sed spiritualem; nec quoad unam tantum aut imperfectam: sed quoad omnimodam & perfectam redemptionem, justificationem, glorificationem. Nomen igitur IESU significat optatissimam illam combinationem naturæ humanæ cum divina, qua totus orbis adeò egebat, quamque veteres Patres adeò desiderabant, uti sponsa inquiens: *Quis mihi det te fratrem?* Cant. 8. Reliqua Dei nomina Deum Creatorem, ens entium, Iudicem, &c. significant: Nomen vero Iesu Deum fratrem, Redemptorem, Iustificatorem, glorificatorem.

Instruit etiam nos in omni actione quid agere debeamus, ut nimirum omnia quæ agimus, in ordine ad salutem nostram adeoque mediante vel Duce Iesu faciamus. Sic enim toto anno nunquam erraturi essemus. Unde Apost. ad Col. 3. ait: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Finxerunt Poëtæ Ariadnem puellam dedisse aliquando Theseo glomum fili, ut ne in labyrintho exerraret & periret, sed filo duce extricare se posset. Veriùs mundus iste labyrinthus est miris ambagibus periculorum obsitus, in eo si errare, si à justitia & gloria excidere nolumus, prius, num hoc vel illud ad salutem nostram faciat, discutiamus, & Deum sequamur. Ita cum oramus, in nomine Iesu oremus, id est, si ad salutem nostram facit quod postulamus: cum oras, ut convalescas, dic Domine, si facit ad salutem meam. Cum negotium aliquod inchoas; dic: In nomine tuo Deus: si ad salutem mihi prodest, procedat, sin minus, retrocedat.

Quoniam igitur nomen hoc tam plenum est mysteriis & salutaribus doctrinis; meritò etiam exosculandum est & omni honore prosequendum. Si enim librum Evangeliorum exosculamus, quia viam salutis nobis demonstrat (quemadmodum synodi generales septima & octava docent eum adorandum, quia sacratissimas nobis res proponat) & si S. Thomas Aquinas de libro S. Chrysostomi super Matthæum dicere non dubitavit, eum se librum cum civitate Parisiorum non commutaturum:

quantum

quanto magis venerari nos decet nomen Iesu, quod solum se scire dicebat Paulus 1. ad Cor. 2.

C. II. Nomen pretiosum. Secundò, Quia nomen pretiosum, Apost. 1. Cor. 6. ait: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Sed etiam nomen IESU emptum est Christo, pretio magno: quia maximo illum constitit: glorificate igitur & portate id magna cum reverentia & veneratione. Quemadmodum enim Iacob non prius vocatus est Israel, id est, videns Deum, quamdiu cum Angelo luctatus, ab eodem in nervo vulneratus est, Genes. 32. Sic etiam Christus non prius vocatus est Iesus & Salvator, quam sauciatus in circumcisione sanguinem pro nobis fudit. Qui etsi tunc modicus fuit, tamen quoad sufficientiam redimere nos potens erat, & preterea fuit arrha copiosioris redemptionis per passionem & mortem exhibendæ, ac proinde ex vi hujus promeruit, imò emit nomen illud maximo sanè pretio. Unde si Alexander M. Sicyonio in obsidio vulneratus & sanguinem decurrentem videns, *Quam carè emeris præclarum nomen?* exclamavit; quanto potiori jure Christus id de nomine illo suo dicere poterat? Nemo nescit ea nomina longè digniora esse & honorabiliora, quæ virtute emuntur, quàm quæ hæreditate acquiruntur: uti cognomen Germanici, quod Iustinianus, ob devictam Germaniam: Africani, quod Scipio ob devictam Africam sibi pepererat. Tale verò est nomen IESU, quia id sibi Christus per passionem suam & liberationem nostram peperit, nec prius accepit, quàm initium ejus faceret. Unde fit Christum magis glorificari in nomine IESU, quàm si vocetur præcisè filius DEI, vel Deus exercituum, Sabaoth, &c. hæc enim per hæreditatem accepit: illud per proprium sanguinem, sibi peperit. Et ideò à Saulo prostrato interrogatus, quis es Domine? non respondit: *Ego sum qui sum: vel ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob*, &c. Sed *ego sum Iesus quem tu persequeris.* Qua ex re colligere debemus, quantum revereri & exosculari debeamus hoc nomen, quod ut nobis salutem pareret, tanti liberatorem nostrum constitit. Nam si in nomine IESU magis glorificatur, quàm in nomine Dei, sequitur etiam magis offendi in nominis Iesu abusu. Etsi pretiosum aliquod balsamum, unguentum vel oleum, uti è gemmis & margaritis distillatum, tam magni fit, & aureis argenteisque thecis tam sedulò asservatur, ac guttatim ægris mittitur: quanto magis id debetur nomini Iesu? An non de illo sponsa dicit, Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum?* Oleum, inquam, expressum in torculari crucis, & de vulneribus & membris Christi distillans: effusum verò quia toti orbi copiosè propinatum & oblatum. Sed unde major Christo deberetur honor, inde minor exhibetur & tam pretiosum oleum, quo copiosius est oblatum, tanto vilius æstimatur & effunditur ex ore hominum inter jocos, risus, nugas, detractiones, turpiloquia, &c. quasi nihili Christo constitisset. Hoc enim est quod quæritur Ps. 21: *Sicut aqua effusus sum.*

D. III. Nomen salutare. Tertiò, Quia nomen salutare; *nec enim aliud nomen*, inquit S. Petrus Act. 4. *datum est sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et quid aliud sonat Iesus, quàm quod 1. ad Tim. 1. dicitur: *quia Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere?* Et ibid. c. 2. *Omnes homines vult salvos fieri:* Tametsi enim ante Christũ alij quidam vocati sunt eo nomine, non tamen ita uti Christus, quia nec ab Angelo, nec ob eam rationem, quod salvum facturi essent populum à peccatis eorum, quemadmodum de Christo Angelus dixit: sed ob temporalia quædam commoda per ipsos populo præstanda, uti Iosue, quia Dux futurus erat in Israel, & populum introducturus in terram promissionis, Ioseph, quod Ægyptum & innumeros homines à fame liberasset, &c. Iesus verò venit introducere nos in cœlum, liberare à fame gehennæ. Iam verò Iosepho, dum in regio curru circumveheretur, & ore præconis honorandus proclamaretur, quòd Ægyptum à periculo famis liberasset, tanta exhibita fuit reverentia, ut quacunque veheretur, omnes ante illum genu flecterent, Gen. 41. quid nos facere decet, cùm Salvatorem nostrum verum & unicum in regio illo curru nominis Iesu circumferri, & proclamari audimus? Sanè Apostolus ad Philip. 2. ita exaltatum ait Christi nomen, *ut in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum.* Quod si Angelicæ virtutes & dæmonum cohortes, quæ à Christo redemptæ non sunt, quemadmodum nos sumus, hoc audito nomine genu flectunt, idque adorant: quid dicendum de hominibus, qui non modò id nõ adorant auditum, sed ridicule ipsi proferunt? Sanè convincuntur tales parvi vel nihili æstimare suam salutem, dum suum Salvatorem tam histrionicè circumferunt. Quemadmodum enim is, qui nova & pretiosa indutus veste, ubique & semper eam gestat, quovis loco sordido sedet, per medias pluvias & lutosum iter gestat humique in ea repit, censetur nihili æstimare vestem illam, ita etiam qui salutare Christi nomen tam leviter effundit. Nomen illud Iesum indumentum salutis nostræ est, in quo solo Deo placemus per Christum; quia ad Gal. 3. dicitur: *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Id verò tam pretiosum est, ut constiterit sanguine Christi: Quicunque ergò id tam viliter tractat, nihili æstimare convincitur. Unde rectè Apostolus ubi supra: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Aptè quoq; Theodoret. quæst. 41. in Exod. ait: *si permulti consueverunt pretiosiorem vestem diebus festis reservare, multo justius est divinum nomen precibus atque docendi officio consecrare.* Confundit istos insignis in Iaponia vir, Timazaca nomine, qui cum aliquem in periculo quodam inclamantem audisset *Iesus Maria*, ex equo illicò descendit, Deoque gratias egit, quod ubi dæ-

monum tantum modo prius nomina audiebantur, ibi jam suavissima Iesu Mariæque nomina invocarentur; prout ijs è regionibus scripsit Valer. Caruaglio anno 1601.

E. IV. Nomen sanctum.

Quartò, Quia est nomen sanctum (juxta Psal. 110. *Sanctum & terribile nomen eius*) repræsentans sanctum illud, quod Angelus venerationis causa nominare audebat, cum dixit ad Mariam Virginem, Luc. 2. *Sanctum quod ex te nascetur vocabitur filius Dei.* Et hac forsan de causa cœcus ille, primo Iesum Filium David compellans, secundo petitionem repetens, non audebat eum iterato nomine Iesu compellare, sed tantum dicebat: *Fili David, miserere mei*, quasi indecoram censens tanti nominis iteratione, Luc. 18. Ratio vero est, quia sicut imago regis honoratur, quia regem repræsentat; ita & nomen Dei honorandum, quia Deum repræsentat. In more positum est apud nonnullas gentes ut delatas ad se regum suorum literas super caput ponant, se ingenua flectant, aut alia hujusmodi faciant, veluti Angli, qui vacuas regum suorum sellas in aula positas prono capite ac demissu vultu venerantur, teste Bozio de signis Eccles. l. 15. c. 19. *Apud Judæos quidem*, inquit S. Chrysost. hom. 26. ad popul. Antioch. *tam venerandum erat Dei nomen, ut in lamina scriberetur & nemini literas nominis ferre liceret, nisi sacerdotum Principi; nunc autem veluti quiddam vulgare, sic ipsius nomen circumferimus.* Hæc ille. Sanè nomen illud non nisi summus Sacerdos, & semel tantum in anno pronuntiare audebat; id interim alii in terram prostrati audiebant: adhæc quoties id sacris literis inveniretur, venerationis causa nunquam pronuntiabant, sed pro eo dicebant, *Adonai.* Atqui nomen Iesu, nobis non Divinitatem tantum, sed etiam humanitatem Dei, adeoque beneficium Incarnationis repræsentat, & plus quã Tetragrammaton. Taceo quod ipsi gentiles Romani Deorum suorum tutelarium nomina proferre nefas ducebant, teste Plut. in libr. probl. Quid, quod virorum nominatorum nomina sine honoris significatione proferre non solemus? *Jam verò quomodo non est absurdum*, ait Chrysost, hom. 7. ad pop. *servum quidem non audire Dominum nominatim, & sine honoris præfatione appellare? Angelorum verò Dominum temerè & contemptim ubique jactare?* Certè læsæ reus majestatis foret, qui imaginem Regis sine reverentia tractaret, locis inhonestis affigeret, &c. quomodo non reus erit, qui sacratissimum Dei & Iesu nomen ore profano, prout in buccam venerit, venditat? audi Chrys. hom. 26. ad pop. Antioch. *Nescitis quid sit Deus*, inquit, *& qualis debeat ore vocari? quod si de probo quodam viro loquamur, dicimus, os tuum ablue, & ita commemora. Nunc verò nomen super omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes Dæmones horrent, temerarie circumferimus, nonne dum Deus nominatur oporteret horrere?* hæc ille. Quorsum verò pertinere dicemus Calvinianos, qui huic sacratissimo nomini nullam prorsus reverentiam exhibent? De his scribit Godefrid. à Driel in sua Antipericope pag. 22. *Vidi quoq; aliud admirandum Heidelbergæ anno proximo præterito; nimirum vos Calvinistas ad auditum nomen vestri Principis capita aperire, dexteram osculari, toto corpore assurgere, rectosque aliquantisper consistere. Et rectè. At ad auditum sanctissimum illud Dei ac Domini nostri nomen, quod est super omne nomen, IESUS, ut truncos, ut Asinos, ut Atheos, nulla prorsus exhibita reverentia, ne politica quidem considere.* Quorsum, inquam, hos pertinere dicemus, ad terrestres nè, an ad cœlestes, an potiùs ad inferos; siquidem ex Apostolo audivimus omnium illorum genua in nomine Iesu flectenda? Quod se Superis volent meliores esse: hoc ipso inferis pejores sunt. Redarguitur hæc illorum insolentia & stultitia, vel à simpliculis rusticis, qui sola dictante conscientia venerantur istud nomen. Quare anno Domini 1594. Prædicans ille in Westphalia, valde omnibus se ridendum exposuit (apud Serarium lib. 3. de Iosue c. 2. q. 15.) quod cum pro concione maledictorum quædam veluti plaustra in Iesuitas effunderet, rusticani ejus auditores, primas illas Iesu syllabas audientes, neque magnopere de illius argumento cogitantes, honorem facerent, quotiesque Iesuitas ille nominaret (faciebat autem persæpè) toties hi, eo in Cathedra stomachante ac frementе poplites flecterent.

F. V. Nomen terribile.

Quintò. Quia terribile est hoc nomen, ut in Psal. præd. *Sanctum & terribile nomen ejus.* Terribile verò est inprimis Dæmonibus, qui audito hoc nomine fugiunt & tremunt: à quo devictos se nôrunt. Terribile omnibus hujus nominis hostibus, quemadmodum expertus Saulus cum Damascum pergeret, *ut alligaret omnes qui invocant hoc nomen*, ut habetur Actor. 9. Quale enim sit hoc nomen; tum primum intellexit, cum voce Christi prostratus audivit: *Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Terribile deniq; omnibus, qui id irreverenter tractant & in vanum assumunt; sic enim in lege Deut. 5. scriptum est: *Non usurpabis nomen Domini DEI tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.* Quam comminationis appendicem idcircò procul dubio apposuit Deus, qui prævidit homines maximè proclives fore ad hoc vitium, & communissimam fore divini nominis irreverentiam, à qua ut eos deterrreret, minas addidit. Quamobrem meritò sanè monet Ecclesiast. cap. 28. *Verbis tuis facito stateram.* Ad ponderanda sc. verba antequam ea proferas, ne in pœnam incidas; ad eum fere modum quo pistores jubentur mittere panes prius in stateram, antequam mittunt in furnum; alioqui quibusdam in locis puniuntur sive levior sive gravior inveniatur panis. Sic etiam verba ponderanda sunt antequam imponantur linguæ, & in publicum proferantur: quia & levia puniuntur & gravia (quale est nomen IESU, Dei, Sacramentorũ, &c.) non graviter prolata. Vel verbis tuis facito stateram, id est, cogita omnia jocosa, otiosa, irreveren-

tia,

tia, inverecunda, levia, &c. aliquando in statera judicii à Deo ponderanda esse, & pro meritis punienda: si enim *Spirituum*, id est, cogitationum *ponderator est Dominus*, ut dicitur Prov. 16. Quomodo non magis verborum ejusmodi inutilium & irreverentium? Hoc medio, id est, timendo Deum abstulisse se jurandi consuetudinem fatetur S. Augustinus in Serm. 28. de verbis Apostoli. Eodem modo aufferri posset consuetudo usurpandi nomen Dei irreverenter. Audi Chrysost. hom. 7. ad pop. *Dicitur*, inquit, *quod Oratorum quidam præ quadam stulta consuetudine dexterum eundo humerum continuè movebat: Sed tamen consuetudinem vicit, & gladios acutos utrinque humeris imposuit, ut vulneris timore membrum se movens corrigeret. Hoc tu linguæ tuæ facias & ipso pro gladio divinæ pœnæ timorem impone, & omnino superabis*, &c. hæc Chrysostomus. Neque valet excusatio, si dicas, id non malo animo, sed tantum ex consuetudine fieri; sic enim nihil faciet, qui cum assueverit ex alienis ædibus semper aliquid efferre in consulto Domino, deprehensus dicat, sese id in more habere. Pendebit enim & tanto magis, quanto magis in more habuit aliquid furari. Itaque *nolite errare*, ait Apostol. ad Gal. 6. *Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet*. Quod si igitur lingua tua seminas scurrilitates, levitates, contemptum Dei, & divinarum rerum, irrisionem, &c. metes etiam irrisionem.

CONCIO VI.

VIS ET EFFICACIA NOminis Jesu.

I. *Consolatur afflictos*
II. *Armat adversus pericula.*
III. *Sedet passiones & tentationes.*
IV. *Pellit malignos spiritus.*
V. *Orationem facit efficacem.*

THEMA.

Vocatum est nomen ejus IESVS, Luc. 2.

A. INter alia prodigia Nativitatis Christi prænuncia, celebris est fons olei, qui tempore Augusti Imperatoris (sub quo postea natus est Christus) fluxit Romæ de taberna meritoria, per totum diem teste Orosio lib. 6. hist. Qui, ut idem author asserit, evidentissime significabat, proditurum in orbem sub hoc Imperatore, illum, qui verè est unctus seu Christus & fons olei, quo inungendi essent per totum orbē Christiani. Id verò hodierno die impletum esse, dubitare non debemus. Hæc enim illa dies, qua saluberrimum illud oleum pretiosi sanguinis Christi de primo ejus vulnere in circumcisione fluxit. Idcircò enim sanguinem fudit Christus, quia erat Iesus; idcircò in cruce passus est, quia erat Iesus, ut indicavit causa ipsius scripta: *Iesus Nazarenus*. De hoc fonte prophetavit Zacharias cap. 13. cum dixit: *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris*. Et Isaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (seu *Iesu*, ut habetur in Hebræo.) Deniq; Salomon Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*, inquit, *ideò adolescentulæ dilexerunt te*, id est, animæ justæ. Usque ad illum diem clausus & absconditus fuit iste fons, ideoque nullus ejus effectus & fructus, nullusque ad eum recursus, amor & devotio. Nunc verò ex quo reseratus est, effundere cœpit liquorem & odorem suum per universum orbem, plurimaque commoda hominibus undique diffundere. Hæc verò qualia sint, videbimus simulque fontem istum vobis Auditores offero pro xenio.

B. I. *Consolatur afflictos.* primò. Oleum lenit dolorem vulnerum membrorum malè affectorum, recreat fessa membra, condit cibum alioqui insipidum & aridum. Novimus enim Samaritanum illū vulneribus sauciati infudisse oleum, ad mitigandum sc. dolorem. Sic etiam nomen Iesu afflictos consolatur, & eos qui amaro sunt animo, dulcedine quadam reficit. Expertus est S. Bernardus, qui ser. 15. in Cant scribit: *Aridus est omnis cibus animæ, si non oleo isto infunditur, insipidus, si non hoc sale conditur. Si scribis non sapit mihi nisi ibi legero Iesum; si disputes aut conferas non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, melos in aure, in corde jubilus*, sic ille. Testis alter S. Franciscus, de quo scribit S. Bonavent. in ejus vita, quod cùm exprimeret nomen Iesu, toties labia ablingeret, quasi mellifluum saporem degustasset: cùm verò id audiret, toties jubilo quodam repletus interius totus alterari videretur, aut si quædam suavis harmonia verberasset ejus aures. Denique nos vernacula nomen id vocamus den süssen Namen JESUS: nec immeritò, quia suavissimum nobis affert & significat nuntium, Salvatoris scil. non tantum unius nationis, sed universalis: non corporum tantùm, sed & animarum, non in uno tantùm, sed omni genere salutis; dicit enim malorum omnium ablationem, & bonorum omnium affluentiam. Innuit; velle Deum omnes homines salvos fieri, &c. Quis autem audito tali nuntio non recreetur & reviviscat, tametsi semimortuus & desperatus? Scimus Iacob Patriarcham luxisse filium suum charissimum Ioseph multo tempore, quem credebat à bestiis devoratum. Sed ubi is à filiis suis audivit: *Ioseph filius tuus vivit*; tanto solatio perfusus fuit, ut velut de gravi somno evigilasse videretur, *& revixit spiritus ejus*, ait scriptura, Gen. 45. nimirū instar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens, infuso oleo reviviscit, ut inquit ibi S. Chrysostomus. Quanto magis reviviscere debent afflicti & desolati omnes, cum audiunt verum Ioseph, Iesum videlicet, Salvatorem universalem & pefectum venisse in mundum & præsto esse ad

salutem impertiendam? *Fidelis sermo*, ait Apostolus 1. ad Tim. 1. *& omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Hoc verò nobis annuntiat unicum illud nomen *Iesu*: imò totum id quod est Dei, indicat factum esse nostrum nobisq; communicatum. Unde S. Bern. loco dicto fieri non posse existimat, ut is, cui in mentem venit hoc nomen tristari aut desperare posit. *Tristatur aliquis vestrum?* ait: *veniat in cor Iesus & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonnè, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?* &c. Quisquis igitur velut lucerna oleo consolationis destituta deficere incipit, oleum hoc affundat per synceram meditationem, & sine dubio reviviscet etiam si fortè desperasset. Rei significatæ suavissimæ correspondet etiam nomē suavissimum. Etenim *nomen Iesu inserit miram quandam mansuetudinem, morumq; honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem*, &c. ait Origines l. 1. contra Celsum. Alexander M. referente Plutarcho, vanè aliquando gloriabatur se solo suo nomine opem Pyrrho ægrotanti allaturum. Debetur verò hæc gloria soli nomini Iesu.

C. II. *Armat adversus pericula.*

Secundò, Oleum conducit Athletis & luctatoribus, siquidem ante luctā olim inungi solebant oleo, sive ut membris evaderent duriores, sive ut minus teneri possent: similter nomen Iesu animat & armat adversus pericula & timores nocturnos, aliaque discrimina. Cujus rei figuram cernere est in Davide, qui rejectis armis Saulis, quibus induebatur ad præliandum contra Goliath, levissima accepit arma, baculum & fundam, non utique in his confidens, sed potius in nomine Domini. Unde dixit ad hostem 1. Reg. 17. *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo, ego autem venio in nomine Domini.* Et his armis potius quàm fundā dejecit Goliathum. Similis Davidi herus in nova lege Martinus fuit, qui cum Christo militaturus, militare amplius impio Iuliano nollet, & propterea à Iuliano timiditatis argueretur, respondit: *si hoc ignaviæ non fidei adscribitur, crastina die ante aciem inermis stabo, & in nomine Domini Iesu, signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Sulpit. in ejus vita. En quantam in nomine Iesu & signo crucis posuerit virtutē! sic etiam fidus ille servus nobilis Silesii (de quo alibi diximus) cum se obtulisset ad eripiendum Dæmonibus infantem Domini sui, in ædibus ejusdem: *Commendabo*, inquit, *& committam vitam meam Deo meo & in nomine Domini ingrediar, & ut infantem auferam auxilio & beneficio Dei; videbo*, itaque ingressus & infantem ex ulnis Dæmonis unius abstrahens nomine & virtute Iesu Christi ait, *aufero abs te infantem & patri ejus restituo*, sicque incolumis incolumen abstulit infantem Dæmonibus frustrà renitentibus & contra vociferantibus, apud Delr. l. 3. p. 1. q. 7. sect. 1.

Deniq; nos communiter, cum in periculo vel metu versamur, nominis hujus invocatione nos munimus & satis tutos æstimamus, velut clypeo fortissimo protectos? idq; merito & laudabiliter: nam *turris fortissima nomen Domini*, ait Sapiens Prov. 19. Nec verò solū animat, sed etiam liberat à periculis. Scribit Petrus Maffæus Soc. Iesu l. 7. hist. Ind. quinq; Lusitanos parvo navigio vectos, de 125. Barbaris invocato nomine Iesu mirabilem obtinuisse victoriam nemine ipsorum amisso: cum prius à Barbaris in fugam acti, in præsentissimo essent discrimine & rebus penè desperatis. Præservat item ab improvisa morte, si sedulo & cum devotione fronti inscribitur, hoc enim documentum dedit ipse Christus S. Edmundo adhuc puero, ut est in ejus vita ap. Sur. *l. 1. c. 60. Dum enim incederet solitarius sacris insistens meditationibus, apparuit ei subito puer candidus & rubicundus velut è cœlo lapsus eūq; salutans: *Salve*, inquit, *dilecte mi*: At cum Edmundus diceret sibi eum ignotum esse; subjecit Christus: *Quomodo ita tibi sum ignotus, præsertim cùm etiam in Scholis ad latus tuum sedeam*: subditque: *in faciem meam respice: & si quid in fronte mea scriptum sit, adverte sedulus.* Legit itaque Edmundus & reperit scriptum, *Iesus Nazarenus.* Tū Christus: *Hoc est nomen meum, quod tibi memoriale sit in desiderio animæ; & hoc diligenter & articulatim noctibus imprime singulis fronti tuæ; per hoc enim poteris contra morteē muniri subitam: & quisquis eadem scriptura munierit modo consimili frontem suam.* His dictis puer ille, in quem desiderant angeli prospicere, disparuit, nec parum dulcedinis in pectore Edmundi reliquit. Et quia mortis periculum omnium est gravissimum, rectè morientibus hoc sacratissimum nomen serio ingeminatur: per hoc enim continentur morientes intra terminos præsumptionis & desperationis: dum enim audiunt Iesum Salvatorem, ex una parte eriguntur ad spem propter redemptorē, ex altera, deprimuntur ad timorem, ut non tam confidant in suis, quàm Iesu Christi meritis. Apud Romanos in more fuit, vita functis monetam argenteam in os inserere ad persolvendum Charonti naulum, ut felici navigio ad campos Elysios appellerent. Hoc autem quid nobis esse debet aliud, nisi nomen Iesu? *nec enim aliud nomen est sub cœlo*, ait S. Petrus Act. 4. *datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* A militibus excubias agentibus, vel civitatē obsidentibus exigitur symbola seu tessera militaris: quam si bene calleant, salvi sunt: si minùs, occidi possunt. Symbola Christianorum bonorum nomen est Iesu; videat quisque ut hanc reddat in articulo mortis, eique adhæreat, ne alioqui pereat. Huc respexit Iacob cum moriturus dixit: *Salutare tuum exspectabo Domine*, Gen. 49. Id est Salvatorem tuum.

D. III. *Sedat passiones & tentationes.*

Tertiò, Oleum effusum in mare intempestum, reddere id tranquillum dicitur ap. Pier. l. 53. Hierg. & Plin. l. 2. c. 103. Idem etiam facit saluberrimum nomen Iesu, siquidem potens medium est ad sedandas

das animi paſsiones & tentationes. Sedavit certè jam olim tempeſtatem hujus mundi excitatum à dæmonibus, & magna in mundo tranquillitas facta eſt, ex quo auditum in mundo hoc nomen. Quidni etiam poſsit ſedare motus animi? Audiamus S. Bern. qui ſerm. 13. in Cant. ſcribit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem & humilem, corde benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate & ſanctitate conſpicuum, eundemque Deum omnipotentem, qui ſuomet exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Summo itaque mihi exempla de homine & auxilium à potente, illa tanquam pigmentarias ſpecies, hoc tanquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poteſt. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli hujus: quod eſt Ieſus: ſalutiferum certè, quodque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper ſit tibi in ſinu, ſemper in manu, quo tui omnes in Ieſum & ſenſus dirigantur & actus. Ad hoc enim invitaris ab ipſo ſponſo in Canticis, cum ait: Pone me ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo.* Hactenus Bernardus. Quod ſi Imago Polemonis Philoſophi admodum ſeverè depicta & oculis objecta, meretricem abſterruit à flagitio mox patrando, teſte S. Gregorio Nazianz. ut in ejus vita: cur non hoc & amplius poſsit nomen Ieſu, revocans in memoriam Salvatorem tam ſanctum, tam potentem?

E.
IV.
Pellit malignos ſpiritus.

Quarto. Oleum teſte Plinio lib. 15. cap. 17. uvis aſperſum, veſpas ab illis arcet: idemque eas necat uti & muſcas & reliqua inſecta, ſi eo perfundantur: eodem authore l. 11. cap. 11. Simili modo nomen Ieſu depellit malignos ſpiritus, & viribus ſuis exuit ac propemodum occidit, adeo ipſis terribile eſt. Prædixit hoc ipſe Dominus, *In nomine meo dæmonia ejicient.* Et teſtantur id SS. Patres & innumera exempla. Ad prolationem enim hujus vocis diſparuere maligni ſpiritus, diſſoluta ſunt ſagarum conventicula, enervatæ magicæ artes, expulſi ab obſeſsis dæmones, &c. Refert Thomas de Kempis part. 3. ſer. ad Nov. poſt ſerm. 2. ex 4. fratrem quendam à dæmone territum in lecto cum recitaret Angelicam ſalutationem; dæmonem primò nihil motum; ſed cum perveniſſet ad illa verba *Ieſus Chriſtus*, ilico aufugiſſe, quaſi tonitruo quodam perterritum. Itaque frater ille audacior factus, ſæpius illa verba poſt fugientem ingeminabat. Et quid mirum terreri hoc nomine dæmonem, à quo tam diras accepit plagas. De S. Hilarione ſcribit Hieronymus in ejus vita, quod inter alia plurima dæmonum terriculamenta vidit, *ex improviſo ſplendente Luna rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere: cumque inclamaſſet Ieſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ille ait: Equum aſcenſorem projecit in mare. Et: Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.* S. Antonius hoc ſalutari nomine dæmonum machinas & molitiones ſæpiſsimè ad nihilum redegit. Inter alia apud Athanaſ. in vita hæc ait: *Pulſavit aliquando dæmon monaſterii oſtium: Egrediens video hominem enormi ſublimitate, porrectum caput uſque ad cœlum. Cum ab hoc, quiſnam eſſet, inquirerem, ait: Ego ſum ſathanas. Et ego, quid inquam, hic quæris? reſpondit: Cur mihi fruſtra imputant monachi? Cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicunt? Et ego: Iuſtè faciunt, tuis enim frequenter moleſtantur inſidiis. At ille ait: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe invicem conturbant, nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo nonne legiſti: quia defecerunt inimici frameæ in finem, & civitates eorum deſtruxiſti? En nullum jam habeo locum, nullam poſſideo civitatem: jam mihi nulla ſunt arma: per omnes nationes cunctasque provincias Chriſti perſonat nomen: ſolitudines ipſæ quoque monachorum ſtipantur choris. Ipſi ſe, quæſo, tueantur, & me ſine cauſa non lacerent. Tum ego Dei gratiam cum alacritate miratus, ſic ad eum locutus ſum: Non tuæ veritati, quæ nulla eſt, tam novam & tam inauditam adſcribo ſententiam: nam cum fallaciæ caput ſis, hoc ſine mendacio coactus es confiteri. Verè enim Ieſus tuas funditus ſubruit vires, & honore nudatus angelico volutaris in ſordibus. Vix dum verba compleveram & ille in ſublimis Salvatoris deletus eſt nominatione. Quæ ergo jam ô filioli, poterit reſidere cunctatio? quæ trepidatio manebit ulterius? &c.* Hæc Antonius: Vultin' plura? Thyr. l. de dæmoniacis, cap. 42. num. 22. ait: *Sagis & iis, qui ſe diabolo devoverunt mandari & ſeriò præcipi ſcimus, ut ſi quando nocturnos conventus habent, prorſus à nomine Ieſu abſtineant, quanquam Ieſum abjurarint. Scimus ſubito & diabolum & præſentem turbam diſparuiſſe: ſi quando collegarum alicui etiam præter intentionem, nomen Ieſus excidiſſet*, ſic ille.

F.
V.
Orationem facit efficacem.

Quintò. Oleum ungit & promovet currum. Sic nomen Ieſu orationes efficaciores ad impetrandum facit, ut citius ad cœlum aſcendant & nubes penetrent: promiſit enim id Chriſtus, & hoc nomine invocatus in Evangelio nihil cuiquam negavit. Mediante enim hoc nomine audemus dicere: *Pater noſter qui es in cœlis:* & per hoc placet Deo oratio noſtra auditurque. In hujus rei figuram præcipitur Levit. 2. ut anima volens Deo ſacrificium offerre, *Similam offerat & fundat ſuper eam oleum* (quo nimirum ſapidior fiat, olearus enim panis eſt ſapidiſsimus) *& ponat thus.* Simila orationem ſignificat, thus ejus fervorem & bonam intentionem, qua ad cœlum dirigi debet: Oleum nomen Ieſu, quod orationem facit acceptiſsimam: juxta id: *quidquid petieritis in nomine meo, fiet vobis.* Quin & ad victum comparandum profuiſſe hoc nomen docemur ex vita S. Bernardini, qui cum aliquando in oppido quodam vidiſſet hominem chartas luſorias conficientem, quæſivit calleretne aliam artem? illo negante: *ſi vis*, inquit, *facere quod dicturus ſum; habebis unde te ſuſtentes.*

ſientes. Et ille, *faciam equidem & lubens.* Tum Bernardinus circino deſcripſit circulum & in eo nomen Ieſu pinxit ſole circumdatum, aitque at virum: *Tu fac ſimiliter fili & habebis vitæ degendæ neceſſaria.* Fecit ille, & inde plus lucri acquiſivit, quam è profano altero artificio.

Itaque inſculpamus hoc nomen linguæ noſtræ & ſi lingua aliquando deficiat, inſculpamus & cordi, quemadmodum S. Ignatius martyr, in cujus corde inventum eſt aureis literis ſcriptum. Cum enim dixiſſet ei Tyrannus ut nomen Chriſti abnegaret, reſpondit, nomen id ab ejus ore removeri non poſſe; & cum ille minaretur ei capitis abſciſsionem, ut ſic ab ejus ore removeretur, dixit. *Et ſi de ore abſtuleris, nunquam tamen de corde poteris eripere: Hoc enim nomen cordi meo inſcriptum habeo & ideo ab ejus invacatione ceſſare non poſſum;* Quod volens probare Trajanus juſsit inquiri in occiſi corde, & inventum eſt ſcriptum aureis literis. D. Thomas Aquinas in opuſc. de expoſit. orationis Dominicæ.

CONCIO VII.

QUA RATIONE OMNES CHRIſtiani poſſint ac debeant eſſe Jeſuitæ.

I. Si ſervi Jeſu fuerimus.
II. Si legata & monita Jeſu amplexi fuerimus.
III. Si vitam & mores Jeſu imitati.
IV. Si nomen hoc non inquinemus.
V. Si & ipſi conemur eſſe quidam Jeſus.

THEMA.

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, Luc. 2.

A. NOn eſt alienum à religione Chriſtiana quod hodierna die mutuis ſe xeniis honorent Chriſtiani. Nam revera hodie Chriſtus Dominus noſter donatus & honoratus eſt ab ipſo patre ſuo, præſtantiſsimo xenio, dum accepit nomen ſuper omne nomen, nomen inquam Ieſu, ab angelo quidem vocatum ſeu annuntiatum, à Deo Patre verò inditum juxta id Iſa. 40. in perſona Chriſti loquentis: *Audite inſulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab utero vocavit me* (nomine videlicet Ieſu) *de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.* Hoc autem nomen donum & quidem præſtantiſsimum eſſe teſtatur Apoſtolus ad Phil. 2. dicens: *Donavit illi nomen, ut in nomine Jeſu* (en quale nomen) *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum?* Quæ cum ita ſint, æquum eſſe videtur Auditores, ut ego vobis xenium aliquod donem. Et quid poſſum dare melius & præſtantius, quam ſi id quod dedit Deus Pater filio ſuo, communicem & vobis? ego dono nomen Ieſuitæ, quia vos omnes opto fieri Ieſuitas. (Neque enim qui de Societate Ieſu ſunt, invidebunt nobis hoc vocabulum; utpote qui nos omnes & in modico, & in magno optant eſſe quales ipſi ſunt.) Itane verò dicet aliquis; viſne tu me Ieſuitam, qui hoc nomen odi. Ita volo & jubeo: Si enim Chriſtiani omnes dicimur à Chriſto: cur non etiam à Ieſu dicamur Ieſuitæ? Chriſtiani facti ſumus in baptiſmo, dato juramento, ergò & Ieſuitæ. Deinde nonne Franciſcani à Franciſco, Benedictini à Benedicto, Dominicani à Dominico nomen ſortiuntur? quia illorum inſtiutum & regulam profitentur ac ſequuntur! Atqui etiam nos quotquot Chriſtiani ſumus regulam Ieſu Chriſti ſequimur. Ille nobis parens, Doctor, Caput & denique noſter Salvator & Ieſus eſt. Ipſe vitis, nos palmites. Denique audi quid Apoſtolus dicat 1. ad Corinthios. *Fidelis Deus*, ait, *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Igitur & nos de Societate Ieſu ſumus, quanquam non abnuimus alios aliis longè verius eſſe Ieſuitas, qui videlicet magis & perfectius Chriſtum imitantur. Sanè in Catajo regno Sinenſibus vicino, & Tartarorum extremo, ita omnes Chriſtianos vocari, docet Turcicus narrator in hiſtor. Ind. Orient. relat. p. 171. edita Moguntiæ anno 1601. Quin & ab hæreticis vocari ſolent Ieſuitæ omnes quotquot fidem Catholicam acrius defendunt. Et ab ipſis Catholicis (levioris tamen armaturæ) quotquot pietati impenſius addicti ſunt. Nemo igitur ex nobis fugiat hoc nomen, ſed toto potius corde ambiat & amplectatur. Sed quid agendum, inquis, quæ regula ſervanda, ut hujus ſocietatis particeps fiam: Bono animo eſto: brevis eſt & facilis talium Ieſuitarum regula.

B. I. *Si ſervi Ieſu fuerimus.* Ergo Ieſuitæ erimus Primò, ſi ipſius Ieſu ſervos; clientes, diſcipulos, milites, omnique officiorum genere ipſi obligatos nos profiteamur. Servus, Cliens, diſcipulus, miles erga Dominum, Patronum, Magiſtrum, Ducem bene affecti ſunt, nomen & honorem ejus tuentur, ipſum in corde & ore frequenter habent. Ita olim milites Romani gerebant in manu ſtigma inuſtum vel impreſſum, quo ſe profitebantur hujus vel illius Ducis milites, ut teſtatur Lipſius libr. 1. de militia Rom. cap. 9. Sic miles Chriſtianus, *Scribet manu ſua, Domino*, id eſt Domini ego ſum: ſeu (ut ex 70. vertunt aliqui) *inſcribet manui ſuæ, Dei ego ſum*, ait Iſaias cap. 44. Vin ejuſmodi Chriſtianos; S. Paulus adeo ſibi impreſſum nomen Ieſu habebat, ut in ſuis epiſtolis repetat id ducenties decies novies, Chriſti nomen quadringenties & ſemel, idemque abſciſſo capite triplici ſaltu ter repetiit. Baron. anno 68. Nec aliter de ſe ſcribebat quam *Paulus ſervus Jeſu Chriſti.* S. Ignat. martyr aſsiduè Ieſum vocabat amorem ſuum, nec aliud ferè ſonat tota ejus Epiſtola ad Romanos; & ſunt qui tradunt in ejus à leonibus lacerati corde in ventum fuiſſe, nomen Ieſus aureis literis ſcriptum, juxta quod

quod prædixerat tortoribus: *Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, & ideo ab ejus invocatione cessare non valeo.* Vincent. lib. 10. cap. 57. Ado in Martyrolog. quem S. Thomas & Antonius aliique sequuntur. Constantinus Magnus Imperator nomen Christi, duabus initialibus literis effigiatum gerebat in galea. Nomen Iesu sub axilla S. Eustochiæ mortuæ inventum est velut incisum, ut est apud Scardonum & Alanum Copum dialog. 3. cap. 3. S. Iulianus ubicunque id nomen in libris legebat, lachrymis irrigabat, eaque de causa multas in libris lituras faciebat: ut testatur S. Ephrem in ejus vita. De S. Francisco scribit S. Bonaventura, visum eum, quoties inter Psalmos nomen Domini occurrebat præ amoris suavitate labia ablingere; & si nomen Iesu exprimeret vel audiret, mente & corpore adeo solitum alterari, ac si mellifluus quidam sapor, aut suavis harmonia sensum ejus immutasset. S. Bernard. serm. 15. in Cant. ait: *Si scribas non sapit mihi nisi legero ibi Iesum, si disputes aut conferas non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* In primis Ecclesiæ temporibus multi Christiani nomen Iesu candentibus notis in carne sua curabant sibi inuri, ut scribit Procopius verus Author in Isai. 44. Ita pii Christiani etiamnum nomine isto volunt insigniri omnia sua, jure meritoque; id enim à nobis petiit sponsus animarum nostrarum Christus Cant. 8. dicens: *Pone signaculum super cor tuum* (ut videlicet quidquid cogitas & amas; me semper superponas) *ut signaculum super brachium tuum* (ut semper in me confidas.)

C. II. *Si legata & monita Iesus amplexi fuerimus.*

Secundò. Si cupidè & promptè amplectamur ea, quæ ad salutem nostram reliquit nobis Iesus, legavit, præscripsit, monstravit, ut per ipsum salvi essemus; cujusmodi sunt vita & doctrina ejus, præcepta & consilia, passio & crux, meritorum thesaurus & sacramenta. Hinc enim cultores & amatores Iesu dignoscemus, quemadmodum S. Antonius amorem suum & venerationem erga S. Paulum primum Eremitam ostendit in eo, dum ejus defuncti tunicam, quam is in sportæ modum ex palmæ foliis sibi contexerat auferens, eo vestitu diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes, quoad vixit, usus est. S. Hieronymus in vita S. Pauli. Et sicut S. Chrysostomus amorem & devotionem suam testatus est, erga S. Paulum Apostolum, dum ejus imaginem in musæo servans, identidem intuebatur maximo suo desiderio & solatio, ut scribit Damascenus de imaginibus, orat. 1. Quare si affectu simili afficiamur erga illa, quæ legavit, docuit & præscripsit nobis Iesus, nemo dubitabit, nos illius servos & cultores esse. Inspiciamus crebrò vitam & doctrinam ejus, sequamur præcepta & consilia, exosculemur crucem & passionis instrumenta, induamus & applicemus nobis ejus merita per Sacramenta (maxime pœnitentiam & Eucharistiam) iisque induti festis præsertim diebus incedamus. Solent filii magna religione observare & asservare ea, quæ à majoribus suis acceperunt, mandata, Cimelia, &c. & inde æstimantur magni eorum cultores. Ita Iosephus cum post mortem patris audiit fratres sibi nunciantes; *Pater tuus præcepit, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te*; flevit & non tantum injuriam eis dimisit, sed magnam præterea benevolentiam exhibuit, & alimoniam promisit. Inde palam fecit, quantum amarit Patrem suum, dum ob ejus (ut dicebatur) verbum tam blandè accepit fratres tantæ oblitus injuriæ, Gen. 50. ita & vos Auditores, si Domini mandata, quæ vivens & moriens vobis commendavit, v. g. *ut diligatis invicem*, ut injurias remittatis, ut in ipso maneatis, &c. (quemadmodum legimus apud Ioannem in sermone habito post cœnam ultimam) strenuè observetis, veri Iesuitæ, hoc est, Iesu discipuli eritis. Ioannes Apostolus in eo se probavit eximium Magistri sui amatorem & verum Iesuitam, quia desolatam Iesu matrem, sub cruce sibi commissam, ex illa statim hora accepit in sua, id est, curam & tutelam suam, veluti propriam matrem. Ita vos Christiani Iesuitæ eritis, si quos Iesus pauperes commendavit vobis, recepentis in vestra. Itaque gaudere deberemus, & in genua procumbere, quoties audimus in Evangelio: *Dixit Iesus discipulis suis:* quin & invicem adhortari verbis Isaiæ c. 2. *Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in eis.*

D. III. *Si vitam & mores Iesu imitati.*

Tertiò. Si mores & vitam ejus imitemur. Hinc enim dignoscimus cujusque religionis sectatores, quia servant habitum & sectantur institutum suorum fundatorum. Ergo si Iesuitæ & veri Christiani vultis esse, *induimini Dominum Iesum Christum*, ut ait Apostolus ad Rom. 13. *Induere autem Christum*, ait S. Chrysostom. *est undique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem Christum conspicuum esse: Homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est, appareat itaque in nobis Christus.* Quare ut appareat in nobis Iesus & ne nudum & vacuum ejus nomen frustrà circumferamus, habitum quoque ejus, id est, vitam & mores, quem in baptismo suscepimus per votum, nunc gestare debemus. *Ego*, ajebat Diadumenus puerulus (cum & imperio & nomine Antonini donatus esset) *elaborabo ne desim nomini Antoninorum.* Serar in Iof. c. 2. Quid tu dicas Christiane, qui nomen non Antonini, terreni Imperatoris, sed Christi regis regum suscepisti? *Propterea Christianus es*, ait S. Chrysost. orat contra Iudæos, *ideo hoc nomen accepisti ut Christum imiteris.* Et S. Augustin. tract. 5. in ep. Ioan. *Tu factis te ostende Christianum; nam si factis non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent, quid prodest nomen, ubi res non invenitur?* ergo ne desis tanto nomini, inspice ea, quæ Christi sunt, & fac secundum exemplar. Inspice Christi domum, & invenies vilem ædiculam, in qua conceptus est: deinde stabulum seu speluncam, in qua

qua natus: tum hospitia aliena, in quibus diversatus. Denique commune cœlum, sub quo extra urbem mortuus est. Inspice ejus possessiones, ejus hortos, agros, prædia, & videbis nihil; audies vero illud: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos? filius autem hominis non habet, ubi recline caput.* Inspice ejus lectum & videbis primo fœnum & præsepe. Deinde nudam humum, in qua sæpius pernoctavit, præsertim in deserto: rursum ligneum cervical in navicula, denique duram quercum, in qua pendens expiravit. Inspice ejus victum & invenies comparatum è piorum eleemosyna & ut plurimum panem tantum, tum quadragenarium jejunium, sobrietatem & abstinentiam: denique fel & acetum. Inspice ejus vestitum & videbis nudo capite, nudis ambulantem pedibus, una contentum tunicâ, ad extremum spineâ redimitum coronâ, & spoliatum omni veste, nisi qua aër obtenebratus ex condolentia illum texit. Inspice ejus famulos, socios & amicos, & invenies primo asinum & bovem, deinde rudes & pauperes Discipulos, denique latrones, in quorum societate mortuus est. Inspice ejus sermones, & reperies non nisi serios & ædificativos, verba vitæ æternæ: nullum jocum, nullum risum. Inspice ejus studium, quod non erat aliud, quam sermocinari, orare, morbos sanare tam animi quàm corporis; omnibus benefacere. Inspice ejus acta, mores & virtutes, castitatem, obedientiam, gravitatem, modestiam, maturitatem, circumspexionem in dictis & factis, benignitatem, affabilitatem, compassionem, misericordiam, patientiam, &c. Inspice totam ejus vitam, quæ penè nihil aliud fuit, nisi exilium, jejunium, peregrinatio, vigilia, labor, lassitudo, fames, sitis, frigus, æstus, persecutio, contemptus, crux, denique & mors, quam præ oculis semper videbat. Inspice inquam, & videbis totam Christi vitam, fasciculum esse myrrhæ, sapore quidem amarum, odore tamen suavissimum. Ita enim ait sponsa Cantic. 1. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi.* Et quia hunc fasciculum assiduè manibus terebat, ideo & ipsa myrrham stillare cœpit similium virtutum. Unde scribit Cant. 5. *Manus meæ destillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Quod nobis etiam continget, si vitam Christi sedulo inspexerimus. Atque hic est habitus, hoc vestimentum Christi, quo indui debemus, si veri Christiani seu Iesuitæ esse volumus. Sed video nobis contingere, quod Davidi contigit, cum arma Saulis gravia nimis induit ideoque dixit: *Non possum sic incedere,* 1. Reg. 17. Idcirco saltem unusquisque conetur facere quod potest, ut enim pueri manum Magistri non tenentur assequi, sed pro viribus imitari: ita & nos vitam Christi. Viderint autem qui ab ea prorsus alieni sunt eique contrarii. Quod enim Heraclio Imp. quando venerandam Christi crucem, auro & gemmis ornatus efferre rursum in calvariæ montem voluit, in porta tamen vi occulta retentus & insistere coactus est, dictum est à Zacharia Ierosolymorum Antistite: *Vide Imperator, ne isto triumphali ornatu in cruce ferenda, parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitere:* hoc illi sibi dictum putent, sciantque se cum eo, quod gerunt, Christi nomine in tam alieno habitu ad montem gloriæ nequaquam perventuros.

E. IV. *Si nomen hoc non iniquinemus.*

Quartò. Si nomen hoc ignaviâ, flagitio aut vitio nullo inquinemus. Id quod serio monet Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 10. dicens: *Christianus vocatus es: parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus noster Iesus Christus filius Dei.* Sed inprimis Isaias c. 62. qui de Ecclesia Christi prophetans ait: *Vocabitur tibi nomen novum* (Christianorum videlicet ut exponunt S. Hieron. ibi & Eusebius l. 2. demonstr. cap. 49.) *quod os Domini nominavit, & eris corona gloriæ in manu Domini & diadema regni in manu Dei tui.* Quod si igitur nos Christiani corona Dei sumus, nulla ratione decet ut coronam istam aspergamus aliquâ maculâ, sed fulgentibus potius virtutum margaritis & pyropis adornemus. Porrò sacrum istud nomen inquinant inprimis, qui id non dicam cum blasphemia, sed etiã cum irreverentia passim traducunt, quasi nomen vulgare esset. Quis enim censetur venerari sacras vestes, qui eas in Bacchanalib. aliovè ludicro spectaculo induit? nonne Christianam religionem irridet & ridendam exponit? Idem omnino facit, qui nomen Iesu invanũ sumit. Deinde qui ipsi Iesu nullam aut exiguam deferunt reverentiam; quasi Deum puerum vel runicolam existiment. Quis magni faciat Christianos, qui ipsosmet videt nihili facere Christum suum? Rursum illi qui nihil dignum agunt Christiano nomine; si enim unius ignavia generosæ stirpi maculam reputatur aspergere, quomodo non idem Christiano nomini ignavia Christiani? *vel muta nomen vel gere te ut Alexander;* dicebat quidam strenuus Dux militi ignavo, nomine Alexandro apud Chartag. hom. de nomine Iesu hom. 1. Tibi hoc dictum puta. Denique qui vitam non tam Christianam, quã Paganam degunt. *Discedat ab iniquitate,* ait Apostolus 2. Tim. 2. *omnis qui nominat,* id est, profitetur, *nomen Domini.* Christianorum enim est præ omnibus mundi sectis vitia vitare. Audi Blandinam martyrem, in tormentis dictitantem: *Christiana sum, & apud nos nihil sceleris admittitur.* Hoc identidem repetens mirum sentiebat levamen dolorum. Ne simus ex illorum numero de quib. ait Apost. ad Rom. 2. *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Vultis audire regulam societatis nostræ! Eam nobis describit Apostolus in Epistola hodierna. *Abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo,* ad Tit. 2.

F. V. *Si & ipsi conemur esse quidam Iesus.*

Quintò. Si & ipsi conemur esse quidam Iesus, id est, Salvatores. Sic enim & homines vocatos legimus in sacris literis, ut Iosephum, & judices aliquos & passim scriptura docet, etiam ab homine salvari hominem posse uti 1. Tim. 4. ubi ait Apostolus: *Attende tibi & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim*

faciens

faciens & teipsum salvum facies & eos qui te audiunt. Ergo adnitamur primò ut nostrorum ipsorum singuli Salvatores simus. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patitur?* ait Dominus Matth. 16. Impiè & & mendaciter illudebant Christo Iudæi: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere.* Sed quid si aliquando verè ac merito dicatur alicui de nobis: Alios salvos fecit, & se ipsum noluit salvum facere? Noluit inquam, quia potuit.

Deinde ut alios salvos faciamus. Non ob suam sed ob aliorum salutem descendit de cœlo Iesus. *Ipse enim*, ait Angelus, *salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1. Igitur & nos hoc agamus; Primo spiritualem impertiendo salutem, monendo, arguendo, obsecrando, increpando. *Illos salvate, de igne rapientes*, ait Iudas in sua Epistola. Secundo corporalem, eleemosynam, medicinam, &c.

Iam vero Auditores quando, ut videmus, Iesuitæ sumus, & tales nos futuros promisimus in baptismo, renovemus hodie cum anno renovato votum instituti nostri. Id enim inprimis facit ad conservandam fidem Christo datam, & perseverandum in hoc, quem profitemur, statu perfectionis Christianæ. Audi S. Gregorium lib. 22. moral. cap. 4. *Animus noster*, inquit, *dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione ferovoris, nescit enim mens per torporem inveterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare.* Porro quemadmodum avis nisi subinde se in altum libret, corporis pondere paulatim in terram deprimitur; ita humana quoque natura, nisi per ejusmodi propositi sancti renovationem subinde ad Dei & virtutis amorem se attollat, paulatim carnis & concupiscentiæ pondere prægravata, decidet, lassescet & deficiet in virtutum studio. Cum vero crebrius vota sua renovat, nova quasi anchora constabiliet versatilem voluntatem; ad memoriam revocabit, quæ illa sequitur, obligationem; & auxilium accipiet de cœlo novum ad præstandum quod spoponderit. Hinc religiosi & inprimis Patres Societatis Iesu hac ipsa die renovant vota sua. Hinc olim Christiani teste S. Gregorio Nazianzeno, Votum in baptismo emissum quotannis renovabant in die, quo Christus baptizatus fuit. Quin & gentiles Ephori & cum iis Lacedæmoniorum reges instaurabant quotannis juramenta de conservandis Lycurgi legibus, & in Galliæ Capitoliis seu Parlamentis leguntur publicè ineunte quovis anno, quæ à Iustitiæ ministris sunt observanda. Chavass. de prudent. lib. 1. c. 9. Taceo quod etiam dæmon adigit Sagas ad sacrilega vota sua quotannis instauranda. Quæ cum ita sint, cogitandus est inprimis finis promissionis nostræ in baptismo aut alibi etiam editæ. Primo enim abjuravimus omnia peccata mortalia, diabolum & ejus pompam. Secundo corpus & animam in servitium Deo addiximus. Tertio statuimus à peccatis, si forte in aliqua lapsi fuerimus, illico resilire, & redire ad Deum per pœnitentiam.

Secundo, Cogitandum, cui hæc promiserimus: Deo nimirum juxta id Psal. 26. *Tibi dixit cor meum: Dominum requiram* (uti habetur in textu Græco:) Quod si homini obligamur servare datam fidem, quanto magis Deo? Tertio in cujus præsentia promiserimus, Ecclesiæ nimirum tam triumphantis quam militantis. Quare nos in hac vita sic militemus, ut in illa triumphemus.

CONCIO VIII.

DEI NOSTRI CLEMENTIA.

I. Promittit Deus noster 1. Cœlum. 2. temporalia subsidia.
II. Expectat.
III. Remittit 1. Reatum pœnæ æternæ. 2. Omnes injurias. 3. toties quoties veniam petimus.

THEMA.

Exultabo in Deo Jesu meo, Abac. 3.

SCribunt Authores aliqui, senatum Romanorum sub Vespasiano Imperatore, aliquando consultasse, quo tandem nomine verus Deus esset compellandus. Variis varia dicentibus, aliqui voluerunt vocandum Deum divitiarum, quod *pecuniæ obedirent omnia*, ut ait Ecclesiasticus cap. 10. Alii Deum sapientiæ, quod sapientia gubernaret omnia. Alii potentiæ, quod ferrum domaret omnia. Alii alia. Aderat inter hæc Advocatus pauperum, pendulam ex collo gerens pulcherrimi Iuvenis imaginem, cui hæc verba inscripta erant: *Promitto, Expecto, Remitto*; in extremitate vero: *Deus clementiæ.* Hic ergo contra senatorum suffragia pro pauperibus perorare cœpit. Nam si Deum pecuniæ statuerent, fore ut solos diligeret divites; si Deum sapientiæ, solos sapientes; si Deum potentiæ, solos principes & potentes: cæteros omnes illi exosos fore. Et his dictis protulit imaginem suam, ut pote solius veri Dei nomen, & typum gerentem. Placuit hæc sententia senatui, uti nimirum verus Deus diceretur Deus clementiæ. Deus iste noster est, nimirum Christus Dominus, quem Romani illi non satis agnoverunt, sed novimus nos Christiani. Hic est qui ait: *Ego cognosco oves meas, & vitam æternam do eis*, Ioan. 10. Ecce promittentem. Hic est, qui ait: *Ego sto ad ostium & pulso*, Apoc. 3. Ecce expectantem. Hic est qui ait: *Remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9. & Luc. 7. Ecce remittentem. Pendet verò hic Deus è collo Deiparæ, quæ est Advocata pau-

A. *Martinus Doyza. Carthagena hom. 3. de nomine Iesu & alii.*

pauperum. Quoniam igitur variæ gentes varios sibi elegerunt Deos tutelares: Nos unum hunc eligimus, Christum Deum clementiæ, quem & Vobis Auditores pro Xenio donatum volo.

B. I. *Promittit Deus noster.* 1. *Cœlum.*

Primò promittit. Ecquid verò? Promittit in primis servis suis cœlum, & societatem regni sui æterni, in quo summa est felicitas & status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hoc enim sibi volunt illa verba: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, Luc. 6. Et illa: *Veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo*, Matth. 19. Et illa: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c.* Luc. 22. Et illa: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, &c.* Apoc. 3. Quis autem mundi princeps talia & tanta promittere vel potuit vel voluit? Quid sunt omnia mundi bona, respectu illorum, quæ promittit Deus? S. Greg. hom. 37. in Evangelia ait: *si consideremus fratres charissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis: vilescunt omnia animo, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ felicitatis quanta sint gaudia, angelorum Choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?* Accedit quòd etiam minimis nostris operibus in gratia & charitate factis promittit mercedem cœlestem. Sic enim ait Marc. 9. *Quisquis potum dederit vobis, calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Denique quidquid nostris operibus, & laboribus acquirimus vel lucramur, totum id nostrum est, quia nobis id promisit Dominus noster. Sanè terreni Domini promittunt quidem mercedem servis sedulò operantibus: Sed non lucrum, quod acquirunt servi: Domino enim suo lucrantur, non sibi. At verò Deus noster nihil sibi ex nostro labore quærit, totum nobis donat; nobis serimus, nobis metimus.

2. *Temporalia subsidia.*

Secundò, Promittit gratiam & familiaritatem suam, quæ non externa tantum denominatione hominem Deo gratum & acceptum faciat (uti solet gratia principum) sed revera internè exornet, ita ut Deo placeat; imo Deum ipsi homini inhabitantem faciat. Ita enim Dominus Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et 2. Cor. 6. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, &c. Has ergo habentes promissiones* (subdit c. seq.) *Charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Maximum favorem exhibuit Christus Zachæo, cum in domum ejus divertit & in ea mansit. Eundem nobis exhibet, cum per gratiam suam nobis inhabitat. Quanti æstimaret agricola, si ad ipsum princeps ejus diverteret, cum ipso pranderet, luderet, rideret?

Tertio promittit etiam temporalia subsidia; victum & amictum: *Nolite*, inquit, *soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? &c. Quærite primum regnum Dei; & hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. Assistentiam & protectionem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. Quod enim S. Catharinæ Senensi aliquando dixit Christus: *Cogita de me: & ego cogitabo de te.* (Ut refert S. Antoninus in ejus vita §. 4.) id etiam nobis dicere credendus est. Exemplum audiamus. P. Franciscus Borgias è Societate Iesu, cum Hispali moraretur, nihilque nec ciborum nec pecuniæ pro sustentatione suorum haberet: convenientibus omnibus in triclinium, cum paululum orasset: *Deo fidite, illi curæ sumus*, dixit. Et ecce pulsat ad ostium quispiam & ciborum canistrum insperato affert: Quem is conspicatus: *discite*, inquit, *filii Deo fidere, cujus si gloriam quærimus, animis corporibusque nihil unquam defore pro explorato habetote.* Ribadeneira lib. 2. vitæ cap. 10. Neque dubito hoc idem ego omnibus Christianis dicere, habituros nimirum omnia Dei auxilia per annum hunc totum & amplius, si Deo syncere confidant.

C. II. *Expecta*

Secundò. Expectat, quia peccata hominum diu patienter tolerat, superat autem hæc ejus patientia omnem humanam intervallis infinitis: Nam & injuriæ, quæ ipsi inferuntur, infinitè sunt majores, quam quæ hominibus; & ipse eas distinctissimè videt, cum in ejus conspectu & præsentia fiant; & acerrimè sentit, & in promptu habet vindictam; & tamen se cohibet, perferens amaritudines & absynthium peccatorum nostrorum. In conspectu ejus sunt ex una parte immensa beneficia, quæ in nos congessit, & stupenda facta, quæ pro nobis gessit; ex altera parte simul videt ingratitudinem nostram & omnes injurias, quæ per universam terram in ipsum loco gratiarum actionis regeruntur, idololatriam, magiam, blasphemias, hæreses, perfidiam Iudaicam, Mahometicam, Religionis sacræ eversiones, doctrinæ salutaris perversiones, sacramentorum profanationes, mysteriorum irrisiones, servorum suorum persecutiones, perjuria, homicidia, adulteria, fœdas libidines, rapinas, furta, pauperum oppressiones, denique omnium suorum mandatorum & institutorum violationem & contemptum. Et quid ipse inter hæc? Expectat. Videt etiam Christianorum animos terrenis addictos, cœlestium bonorum incurios, beneficiorum immemores, ingratos, elatos, rebelles, mundo & carni mancipatos, divinorum præceptorum negligentes, ad pœnitentiam difficiles, ad omne opus bonum ignavos, & plurimos ex illis, omnibus

bus vitiis & sceleribus coopertos, ipsisque Ethnicis longe deteriores. Hæc omnia videt & sentit acerrimè; & quid interea ipse? Expectat, & cohibet iram ac manum, etsi mille fulminibus, & mille tartaris armatam. Et quamobrem, putatis, expectat? forsitan ut delinquentes gravius puniat? Non sanè, sed ut Isaias cap. 30. ait: *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Unde non solum abstinet à vindicta, sed etiam continuat pristina beneficia, universam creaturam, cœlestem & terrestrem nostris commodis servire faciens, & ad pœnitentiam nos benigne expectans & insuper excitans, monendo per prædicatores externos, per inspirationes internas, per angelicum ministerium, per creatutarum speciem, per scripturæ lectionem, ostentatis præmiis, intentatis suppliciis, propositis exemplis, objectis terroribus, immissis infirmitatibus, & inflictis variis hujus vitæ flagellis, ut ad ipsum redeamus, & misericordiæ ipsius fruamur bonis. Quid hac patientia admirabilius? Quis unquam Regum injurias sibi irrogatas vel à subditis, vel ab hostibus, cum vindicandi potestas suppeteret, ita patienter sustinuit? Vix quenquam ab omni memoria antiquitatis reperias, qui post secundam vel tertiam condonationem, ad vindictam non prorumperet, non amplius ferens rei acerbitatem. Et quid sunt injuriæ in hominem ad injurias Dei? nimirum centum denarii vel potius minutum unum ad decem millia talentorum, calculus ad montem, gutta ad Oceanum; quo enim majestas læsi est major, eo injuria atrocior. Quid faceret ille rex, qui subditos expectaret, sæpius ad eos mittens; interim ab eis non modo non audiretur, verum & rideretur? Tales sanè describit Isaias cap. 28. Deo respondentes: *Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta; modicum ibi, modicum ibi.* Et hoc videntur facere, qui cum Dei patientia certare velle videntur. Deus ait: Ego vobis dabo divitias, honores, meipsum & regnum meum. Illi respondent; Et ego omnia profundam, ludam, helluabor, scortabor; & tunc solum ero parcus, cum eleemosynam oportebit dare. Deus ait: Sex diebus operaberis, septimam sanctificabis. Illi respondent: Tota septimana sedebimus in tabernis vel otiabimur in foro, festivis tantum diebus operabimur. Diebus Veneris & Sabbathi carnibus vescemur, diebus reliquis abstinebimus. Et quid interim Deus? Expectat & vindictam differt, paratus illos recipere, modo resipiscant. Hinc ergò Nahum. 1. bene appellatur Dominus *patiens* (Hebr. Erecapaim, id est, *latus naribus.* Chaldaicè: *longè propellens iram.*) Qui angustis naribus sunt, citò irascuntur: contra verò qui latis. Hinc etiam Apostolus ad Rom. 2. *divitias bonitatis & impatientiæ & longanimitatis* Dei commemorat, quia scilicet instar opulenti Cauponis benè admodum expectare potest solutionem debitorum. Ita expectavit ad pœnitentiam impios Gen. 7. cum post centum annos dilationis ad pœnitentiam datos, insuper adhuc septem dies expectavit; nec repente obruit aquis homines, sed paulatim ascendentibus, ut possent resipiscere. Similiter Iudæis post passionem suam 38. annos dedit, antequam per Titum eos exterminaret.

C.
II.
Expectat.

Tertiò, Remittit primo reatum pœnæ æternæ, dum eum commutat in temporalem pœnam, vel si tanta sit contratio, omnino condonat. Commeriti sumus peccatis nostris æternam mortem; Deus misertus nostri, loco illius infert morbum, paupertatem, exilium aut similem calamitatem, quæ nullam cum æterna illa habet proportionem. Per hanc simul & clementer punit peccata præterita, ut illorum amaritudinem nonnihil gustemus; & incitat ad pœnitudinem, dum ejus manum sentimus? & absterret à malo in futurum, dum timemus, ne similia nobis inveniant. Est enim ista correptio & clemens mali præteriti vindicta, & præsentis medicina, & futuri præcautio. Adeat quis tribunalia sæcularia, & perpetuo audiet: *Condemno, condemno*; nunc ad metalla: nunc ad triremes: nunc ad carcerem; gladium, restem, rotam, ignem. Adeat tribunalia Christi, & nihil aliud à Confessariis audiet, quam *remitto, remitto, absolvo, absolvo.*

D.
III.
Remittit.
1.
Reatum pœnæ æternæ.

Secundò, Omnes omnino injurias, quantæcunque illæ sint, si ex corde pœniteamus. Grandis fuit Ninivitarum nequitia, & quasi ad extremum pervenerat: *Ascendit*, inquit Deus, *eorum malitia coram me*; aut, ut Chrysostomus legit, *usque ad cœlum.* Et tamen pœnitentibus veniam dedit, Ion. 1. Et sanè cum vidisset Ionas dedisse illis Deum veniam, iratus & contristatus est, quasi immerito eis pepercerit Deus, indicans se Ninivitis nequaquam fuisse parsurum, si illorum Iudex fuisset, Ion. 4. Sauli malitia tanta fuit, ut de eo diceret Ananias: *Domine audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis:* Et tamen de eo Dominus dixit. *Vas electionis est mihi iste*, Act. 9.

2.
Omnes injurias.

Tertiò, Christus ita negotium nostrum cum divina justitia composuit, ut non tantum semel nobis fieret peccatorum remissio, nec semel duntaxat restitueretur adoptio, & jus vitæ æternæ amissum, sed centies imo millies vel potius infinities; nempe quotiescunque contingeret relabi, & per veram pœnitentiam ad ipsum converti. Quis unquam Princeps ita fuit clemens aut misericors, ut paratus esset subito ignoscere crimina læsæ majestatis, vel alias capitalia, quotiescunque illa quis committeret & veniam postularet? Vix reperias qui bis terve uni eidemque in hujusmodi noxas relapso indulserit. Imò neque unquam parens in filium adeo fuit indulgens, ut semper eum in gratiam reciperet, quoties ille nova scelera post veniam patrasset. At Deus noster paratus est id millies facere, & insuper thesaurum meritorum infinitum nobis con-

3.
Toties, quoties veniam petimus.

struxit, unde possemus exsolvere debita nostra. Denique licet Domini terreni injurias subditis ignoscant; non tamen licet istis statim Dominos adire, familiariter alloqui, prandentibus assidere. Exemplo est ille Absolon, qui tametsi dimisso peccato; non est ausus per biennium prodire in conspectum patris, 2. Reg. 14. At non ita nobiscum agit Deus, qui pœnitentem statim recipit in veterem amicitiam, ad mensam Eucharistiæ admittit, quasi nulla prius simultas intercesserit. Ita enim Ezech. 18. ait: *Si impius egerit pœnitentiam : omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.*

E.
IV.
A contrario sæpe non promittit, non expectat, non remittit.

Sed jam dicet forsan aliquis: Placet mihi hoc Xenium: Habeo enim Deum promittentem, expectantem, remittentem; Itaque sperabo non solum victum, sed & opes, & honores, imò cœlum, tametsi non laborem vel bene vivam, quia promittit; protraham pœnitentiam ad ultimos vitæ dies, quia expectat; frænum laxabo peccandi libidini, quia remittit. Sed heus tu nimium erras. Sub illis enim verbis latet etiam sensus contrarius: Non promitto, non expecto, non remitto; si nimirum abutaris Dei bonitate & clementiâ. Nonne Medici, cum vident ordinaria remedia non proficere, adhibent contraria? Nonne vina dulcia, cum corrupta fuerint, in acetum vertuntur acidissimum? Nonne rubus, qui per ætatem elegantissimus fragrantissimas fert rosas; in hyeme immutatur, & spinas induit, totusque in veprem degenerat, nec se tangi facile patitur? Talis rubus est Christus, qui veris, id est gratiæ tempore gratissimas tibi rosas fert, scil. promitto, expecto, remitto, *flos rosarum in diebus Vernis*, Eccles. 40. sed nisi in vere gratiæ rosas illas carpas, aliam faciem induet & in spinam degenerabit. Audi loquentem per os Isaiæ c. 27. *Quis dabit mihi spinam & veprem?* Quod S. Hieronym. sic exponit: *Quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam?* quò nimirum puniam reprobos, cui alioquin proprium & pronum est misereri & parcere? Hinc ad illusoriam illam impiorum vocem, supra ex Isaia citatam, respondet eisdem, non amplius blanda, sed indignabunda & irrisoria voce. Subdit enim Isaias: *In loquela enim labii* (scil. irrisoria) *& lingua altera loquetur ad populum istum.* Et quid tandem loquetur, *Manda, remanda: Manda, remanda: expecta, reexpecta: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi*, (q. d. expectare jam & vos aliquamdiu, qui me exspectare frustra fecistis: mittite, remittite, jam non audiam vos) *ut vadant & cadant retrorsum & conterantur, & illaqueentur & capiantur.* Hæc sanè alia Christi facies, alia lingua est. Suidas verbo Datis, narrat missos aliquando Legatos esse in Græciam à Dati & Artarpherne Ducibus Darii, ut urbium periculum facerent peterentque terram & aquam. Ac Insulares quidem assenserunt; Lacedæmonii verò utramque se daturos polliciti, conjectos in puteum terra obruerunt; atque ita se, quod postulatum erat præstitisse testati sunt. Nimirum impudens & nimia postulatio talem meruit mercedem; parem merentur illi, qui nimiam Dei patientiam & indulgentiam impudenter postulant, vel expectant. Hujus rei exempla non difficile invenienus. Epulo ille, qui vivens emere cœlum ne micis quidem voluit; petiit in gehenna guttam aquæ, sed non obtinuit, Luc. 16. Chrysaorus quidam dives & vitiosus apud S. Gregor. l. 4. dial. cap. 8. petiit in articulo mortis dilationem, clamando: *Inducias vel usque manè: inducias vel usque manè*; sed minimè obtinuit, è vita mox abreptus. Sceleftus ille Antiochus in extremo constitutus orabat etiam Dominum, sed *à quo non esset misericordiam consecuturus*, ut dicitur 2. Mach. 9. Primus Epulo audivit: Non promitto, secundus Chrysaorius: Non expecto. Tertius Antiochus: Non remitto. Vultin aliud exemplum? Nostis impium Iulianum in prælio plaga invisibili sauciatum utique à Christo, exclamasse: *Vicisti Galilæe.* De hoc scribit S. Hieronymus in Abac. c. 3. *Cum Julianus Apostata divinitus invisibili plaga percussus periisset, gentiles ipsi admirati sunt ulciscentis Dei Christianorum iram & iracundiam: quorum unus nunciato ejus interitu dicebat, Quomodo Christiani ajunt Deum suum esse patientem & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit.* Nos itaque Auditores quæramus nunc Deum nostrum placatum, ne aliquando inveniamus iratum.

CONCIO IX.

QUID DOCEAT NOS CHRISTUS in sua circumcisione.

I. Humilitatem.
II. Obedientiam.
III. Charitatem.
IV. Patientiam.
V. Circumcisionem spiritualem.

THEMA.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ad Tit. 2.

A.

DE Maximiliano Primo Imper. narrat Stephanus Pighius in Hercule Prodicio, quod cum aliquando rupi capras juvenili ardore persequeretur per præruptas rupes Oenipontanas, eo loci evasisse, unde nec referre pedem nec ulterius progredi poterat. Iam biduum ibi hæserat, & spem mortalis vitæ omnem jam abjecerat: tum ecce audit non procul à se strepitum, circumspiciensque videt arre-

ptare

ptare per rupis costas juvenem quendam habitu rustico, dimovere ingentia saxa & callem parare. Qui cum ad ipsum accessisset, porrecta dextera: *Macte*, inquit, *animo virtuteque tua Princeps; vivit & adest, qui te servare potest, deponi metum inanem, & me sequere, confestim te in tutiora loca traducam.* Revixit ad hanc vocem Princeps, & secutus est præeuntem, & paulò post in patentiore via positus semet ex mortis faucibus ereptum vidit. Creditur ille ductor fuisse Angelus Principis custos, siquidem postea ubique terrarum diu quæsitus non comparuit. Quorsum ego hoc Auditores! Simile in periculum devenit olim genus humanum, dum in Adamo vanitates vanitatum sectaretur. Eo enim miseriæ se suosque posteros abduxit Adamus, ut ad vitam quidem beatam ascendere non posset & infra se præcipitium tantum ad infernum cerneret. Sed ecce tibi juvenẽ illum, inquam, magni consilii Angelũ Christum descendentem ad humanum genus, rudi & servili habitu, viam parantem & præeuntem. Quod uti per totam vitam suam egit, ita & in hac festivitate, quãdo circumcidi voluit. Unde in hodierna Epistola canit Ecclesia: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, &c.* Et per adventum monuit nos ecclesia ad sequenda hujus ductoris nostri vestigia, cum Isaia c. 2. dicente: *Venite ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis ejus.* Sed quænam illæ viæ, quas docebit nos Christus in sua circumcisione?

B. I. *Humilitatem.*

Docet primò Humilitatem, quia circumcisionem accepit, quæ peccatoribus tantum præfixa & destinata erat, nimirum ob peccatum originale. Quamobrem à D. Bernh. serm. 3. de circumcis. Circumcisio vocatur *cauterium latronis; & peccati indicium*, propterea quod propter pomum furto quasi ablatum per parentes nostros id contraximus, & Deus per circumcisionem id abstulit. Unde idem S. Bernh. serm. 1. de circumcis. ait, brevissimum hodiernum Evangelium optimè convenire verbo abbreviato & minorato in Nativitate paulò minus ab Angelis, sed in circumcisione multò minùs ab Angelis. Quòd verò ipse non contraxerit peccatum, monstrat patris Divinitas, & matris integritas. Et tamen *super hæc omnia*, inquit Bernh. *circumciditur puer, agnus sine macula. Etsi non eguit, tamen voluit circumcidi, nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris: Non sic impii non sic: non sic perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur, &c.* Hæc Bernh. Quæ potest esse major humilitas, quàm assumere imaginem peccatoris eum, qui remedium erat omnium peccatorũ? velle haberi flagitiosum, qui speculũ erat omnis iñocentiæ, & ab omni malo aberat quàm longissimè? Nos contra non pudet inquinari & pudet lavari: mali sumus in uno, sed pejores in altero: nos peccatores sumus & haberi tamen nolumus. Quis unquã rex passus est sibi stigma servile imprimi? At hoc fecit hodie rex gloriæ. Quid enim circumcisio erat, nisi stigma, quo signarentur homines tanquam Dei mancipia? sic enim oves signantur, & aliæ pecudes. En igitur quàm verè dixerit Apostolus ad Philip. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Sanè propter istud cauterium Iudæi irridebantur à gentilibus, & vocabantur Verpi, Recutiti, Apellæ.

Quàm bene igitur clamavit Ioannes Baptista: *Omnis mons & collis humiliabitur*: si enim ita humiliavit se mons montium Christus, cœlis omnibus excelsior: quanto magis decet humiliari nos? *Quis enim tu mons magne coram Zorobabel? in planum*, inquit Zacharias c. 4. Nos tamen (ô perversitatem!) mali esse volumus, sed non haberi: sanari erubescimus, de vulnere non erubescimus, sed multoties gloriamur. Nimirum hoc ab Adamo nostro didicimus, qui post peccatum primum erubuit, & medicum suum fugit ac vulnus ab eo abscondit.

C. II. *Obedientiam*

Secundò, Obedientiam, quia duram & suammet legem observavit, qua non tenebatur: siquidem legislator est supra leges suas; ad hæc ipse culpa originali carebat. Dura autem erat lex circumcisionis, non tantum in se, sed etiam quia erat possessio tacita *totius legis observandæ*, ut patet ad Gal. 5. Et S. Petrus Act. 15. vocat eam *jugum, quod nec ipsi, nec patres eorum portare potuerunt.* Discant ergò hic primò Superiores, obedire legibus etiam rigidis & à se latis. Hinc quoties Rex in Israël renuntiabatur, una cum regni insignibus liber legis ei tradebatur à Sacerdote, monebaturq; habere eum secum & legere semper, *ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus: nec elevaretur cor ejus in superbiam super fratres suos*, ut habetur Deut. 17. Solon rogatus quo pacto salva esse posset Respubl. respondit: *si Cives magistratui obediant, magistratus autem legibus.* Stob. Ser. 41. Turpe est punire in aliis, quæ quis ipse facit. Ita olim Saul abstulit magos & ariolos & habentes Pythonem: mox tamen postea consuluit Pythonissam, 1. Reg. 28. Ita Iehu punivit Idololatras, ipsemet tamen retinuit vitulos aureos, 4. Reg. 10. Non ita Christus, tametsi à lege prorsus erat exemptus, noluit alligare onera, quæ non ferret ipse. Id quod etiam docuit, cum dixit Ioan. 20. de pastore bono *Cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur.*

Erubescant hic duræ illæ cervices: quæ præceptis Ecclesiæ subjicere se renuunt & pauculis diebus à certis abstinere cibis nolunt. Prodit etiam hæc præfracta in obedientia à primis nostris parentibus, qui ab unica arbore ex tot millibus sibi vetita continere se noluerunt. Quot ejusmodi Adami & Evæ, qui cibis vetitis abstinere ad Ecclesiæ præceptum nolunt, & præterea aliis eos porrigunt? Videte quàm condemnet Christus horum inobedientiam: idem dico de præceptis aliis.

D. III. *Charitatem.*

Tertiò. Charitatem: Cum enim suffecisset semel sanguinem fundere, videlicet in cruce, voluit sæpius

pius fundere, & quasi non posset expectare tempus plenariæ redemptionis; prævenit, arrham passionis suæ exhibendo in ipsa statim infantia. Sichem captus amore Dinæ, passus est se circumcidi, Gen. 34. Sic Christus amore nostri. Ecce quomodo amabat nos? Aurora rubicunda, pluviam sub serum nobis prænuntiat, ut communiter opinamur, & testatur Dominus Matth. 15. *Mane*, inquit, *dicitis Tempestas* (erit) *rutilat enim triste cœlum.* Et quid aliud portendit nobis sanguis circumcisionis primo mane fusus, nisi tempestatem & imbrem sanguinis effundendum tempore passionis vespertino, quando apertis cœli cataractis, id est, omnibus Christi venis ex omni parte sanguinem pluit copiosum? Non habuit infans nunc plus quod daret: sed ex illo modico, quem nunc offert, sanguine colligimus, quanta cum charitate eum nobis elargiatur? plus utique daturus, si modo plus haberet. Simile quid vidimus supra relatum ab Hieron. Zieglero de viris illustribus Germ. c. 100. de Ladislao Ungariæ & Bohemiæ rege adhuc puerulo, cui in aula Imperatoris constituto cùm Giscra præfectus Bistricensis, fortè ei vulnera & cicatrices ostendisset, quas pro Ungariæ defensione acceperat, dicens: *Ecqua spes mercedis laborum suorum foret apud regem.* Silens Ladislaus puer è sacculo dispensatoris prope astantis sex quos invenerat nummos, deprompsit & Giscræ dono dedit, addit se in præsentiarum plures non habere. Quo dicto & dono exultans Giscra, futuram regis liberalitatem ex hoc munusculo expendens, acceptos nummos auro inclusit, aureâque zona è collo suspendit. Non habemus nos, quas ostendamus cicatrices pro Christo acceptas, sed quas à primo nostro parente, nec non malo dæmone accepimus: & en offert nobis hodie Christus in redemptionem nostram pretium sanguinis sui, quantum quidem pro nunc potuit offerre, daturus olim plus, imò totum sanguinem suum. Quanta igitur cum exultatione, quanta cum gratitudine donum hoc suscipere & conservare nos oportet?

E. IV. *Patientiâ.*

Quartò Patientiam, siquidem in tenello corpore jam experiri voluit dolores & cruciatus. Amarum enim fuisse Circumcisionis remedium maximè infantili ætati, quis dubitat? Nec ut cæteri infantes tunc solum, cum culter fuit adhibitus, dolorem sensit: sed antequam vulnus infligeretur id præsensit & naturali horrore timuit, quoniam rationem habuit semper perfectissimam. Quod si nihil prorsus doloris sensisset Christus, nonne vel hoc ipso stupenda fuisset patientia, quod cum esset Dei filius & plenissimæ rationis, passus est se ab hominibus pro libitu eorum tractari, circumgestari, nudari, infasciari? Bernard. serm. 1. de circumcisione: *Quis hominum*, inquit, *tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentiæ conscius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter, quæ non rapuit, exsolvit.* Videte quàm condemnet Christus nostram impatientiam. Alii ætatem prætendunt, alii complexionis teneritudinem; alii pœnitentiæ austeritatem; alii tempus, frigus, calorem, &c. quo minus præcepta observent, vel bona opera præstent. Quid si cum cultro Circumcisionis ad illos veniretur? pati hominem parum est, quia ei connaturale: pati verò Deum, & quidem in corpore infantili; illud mirum & stupendum est.

F. V. *Circumcisionem spiritualẽ.*

Quintò, Circumcisionem spiritualem vitiorum & passionum nostrarum; licet enim Christus eâ non indiguerit, indiguimus tamen nos; & quemadmodum Cytharœdus in gratiam discipuli pulsat cytharam suam, non ut discat ipse, sed ut doceat discipulum: ita fecit Christus. Vidit enim necessariam nobis esse, si quid uspiam, circumcisionem illam, siquidem intra nos gerimus matrem seu radicem omnium vitiorum, concupiscentiam, quæ per totum hominem pravos gignit & emittit surculos, quibus apprehendat honores, opes, voluptates, &c. Ac nisi surculos illos continuò ac perpetuò recidamus, toti sylvescemus & vitiis obruemur. Hortulanus si diligens horti sui cultor est, semper in cingulo secum circumfert cultrum seu falcem putatoriam, qua subinde enascentia vitulamina vel excrescentes herbas amputet, præsertim si quam præclaram figuram nominis Iesu, v.g. in areola descripsit; ita nobis quoque faciendum: Hortus noster corpus est, & anima: in quibus nunquam desinunt succrescere vitulamina vitiorum. Ac licet hisce diebus inscripserimus cordi nostro Iesum, opus tamen adhuc est perpetua cultura, ut in nobis conservetur; Itaq; culter mortificationis perpetuò adhibendus est, juxta Apostoli exemplum, 2. Cor. 4. dicentis: *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. Parum est*, inquit S. Bernh. serm. 58. super Cant. *semel putasse, sæpe putandum est; imo si fieri potest, semper, quod putari oportet, si non dissimulas, invenies.* Intret unusquisque hortulum suum, & videbit habere se quod agat & circumcidat. Clerici primò videant, an non fortasse quæ sua sunt quærant, magis quam quæ IESU CHRISTI; & hunc affectum circumcidant. Laici annon mundo potius & carni serviant, quàm Deo.

Superiores an non ad privata potius commoda, quàm ad Reipubl. totius sint attenti & studiosi.

Subditi, an non contra superiorum suorum ordinationes murmurent.

Domini, an non æquo austeriores & duriores sint contra subditos.

Servi, an non ad oculum tantùm Dominis suis serviant.

Parentes, an non malo exemplo sint liberis suis.

Liberi, an non malitiosi & fraudulenti ad Parentes circumveniendos.

Divites, an non luxui nimis dediti, vel erga miseros duri.

Pauperes, annon pigritiæ dediti & benefactoribus ingrati.

Conjugati, annon abutantur suo conjugio.

Cœlibes, an cogitent ea quæ Domini sunt & Christo sponso suo placere quærant. &c.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. *Cur in veteri lege instituta circumcisio.*
II. *Quid significat circumcisio.*
III. *Quare circumcisus Christus.*
IV. *Cur octavo die.*
V. *Cur vocatus Jesus.*
VI. *Cur sic vocatus post circumcisionem.*
VII. *Quomodo Salvatoris munus executus est.*
VIII. *An & quam venerandum hoc nomen.*

THEMA.

Vocatum est nomen ejus IESVS, Luc. 2.

A. PUgnare secum videntur Ioannes Evangelista & Isaias Propheta in descriptione Salvatoris nostri. Ioannes enim cap. 1. scribit: *Et vidimus gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ.* Isaias contra, cap. 53. scribit de eodem. *Et vidimus eum, & non erat aspectus, & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Quid hoc rei Auditores? Nimirum Christus Dominus ita in suis penè omnibus operibus conjunxit gloriam & majestatem suæ Divinitatis cum abjectione & humilitate suæ humanitatis, ut simul utraque elucesceret. Concipitur ut homo; sed modo admirando, opere Spiritus S. Nascitur in stabulo; sed ex virgine, & prædicatur ab Angelis, nuntiatur à stellis, adoratur à Magis. Hodie circumciditur ut servus; sed interim appellatur Iesus: Fugit in Ægyptum; sed interim terret Regem. Denique, ut mittam alia, patitur in Cruce; sed interim movet cœlum & terram, & glorificatur à Latrone ipsisque elementis. Isaias igitur humilitatem ejus vidit: Ioannes verò gloriam. Nos in præsentiarum utramque contemplabimur, in quantum utraque eluxit in die hod. Videamus Circumcisionis humilitatem & nominis claritatem.

B. I. *Cur in veteri lege instituta Circũcisio*

Quæst. 1. Cur in veteri testamento instituta & præcepta à Deo Circumcisio? Resp. ut esset signum memorativum pacti à Deo cum Abraham initi, Gen. 17. ut videlicet Iudæi eo signaculo monerentur, se jam transisse in fœdus illud, quo se Deo obstrinxerant, ut essent ei in peculium, seu populus Deo, ejusque cultui dicatus, & consecratus. Scimus certè Dominos suis mancipiis stigma in fronte imprimere, ut eorum servitio mancipatos se intelligant. Scimus etiam dæmonem, quasi Dei simiam stigma imprimere sagis suis, quò notentur transisse in jus & Dominium dæmonis; cui tamen alioquin jure subjectæ non sunt. Multò æquius Deus notare potuit servos suos, quibus jure dominatur, signaculo servitutis.

Secundò ut esset signaculum justitiæ Abrahæ, quam per fidem adeptus erat, antequam circumcideretur; sicque ipse esset *Pater omnium credentium ex gentibus*, qui similiter per fidem consecuturi erant justitiam, ut docet Apostolus ad Rom. 4.

Tertiò ut esset signum distinctivum fidelium ab infidelibus, Iudæorum sc. à gentibus.

Quartò, ut esset signum destructivum & purgativum peccati originalis, quod per gubernationem transfundebatur in posteros.

Quintò, ut esset figura baptismi, per quem similiter ingredimur in Ecclesiam, sicut Hebræi ingressi erant per circumcisionem; & profitemur fidem publicè, quemadmodum Hebræi suam religionem profitebantur per circumcisionem, quibus in hoc feliciores longè sumus, quod medium multo suavius præscripserit nobis Christus, quàm olim Deus Hebræis. Quis enim non malit baptizari, quam circumcidi?

C. II. *Quid significat Circũcisio.*

Quæst. 2. Quid moraliter significat circumcisio. Respond. Significare præcisionem vitiorum omniũ & totius concupiscentiæ, quæ fit cultro mortificationis, & hæc obligat etiam nos Christianos. Unde ad Coloss. 2. ait Apostolus Christianis. *Circumcisi estis circumcisione non manufacta, &c.* Ea verò explicatur ab eodem Apostolo in hod. Epistola ad Tit. 2. *Ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo.* Porrò sicut Hebræi per corporalem Circumcisionem Deo consecrati & quodammodo desponsati erant, ita etjam per spiritualem circumcisionem desponsamur Deo. Cujus rei figuram habemus Deut. 21. ubi præcipit Deus, si quis è captivis mulieribus aliquam adamarit & ducere in uxorem voluerit, ut ipsa prius radat cæsariem & circumcidat ungues. Hoc enim facit anima, cùm vitia præterita per contritionem deponit, & peccandi occasiones fugit.

D. III. *Quare circũcisus Christus.*

Quæst. 3. Quare circumcidi voluit Christus? Resp. 1. ut ostenderet se in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, Valentinum & Apollinarem, qui dexerunt, Christum tantum habuisse corpus phantasticum, aut cœleste vel divinum. 2. Ut suo exemplo legem circumcisionis à se olim latam approbaret, & contra obtrectatores Gentiles, qui propterea Hebræos contemptui & ludibrio habebant, Apelles, Verpas, Recutitos appellabant, defenderet.

Tertiò, *Ne legem, quam ipse dederat, solvere videretur*, inquit Bernh. tract. de pass. Dom. c. 2.

Quartò. Ut cum suis popularibus, utpote Circumcisus cum Circumcisis tanto liberius agere e-

osque

osque ad se pertrahere posset; ipsique excusationem non haberent, si Christum non susciperent.

Quintò, Ut hoc grave legis jugum in se suscipiendo, eos, qui sub lege erant, redimeret.

Sextò, Ut signaculum servitutis & remedium peccati originalis in se susciperet, qui venerat à servitute peccati nos liberare, & similitudinem peccatoris accipere.

Septimò, Ut doceret *nos oportere non ægrè ferre, si quando pœnas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus; cùm ipse peccatorum purgator non fuerit, dedignatus pro nobis subire remedium peccatorum*, inquit S. Bernh. loco cit. Retundit ergò hic superbiam & impatientiam nostram, qui peccare quidem volumus, sed non pœnitere. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur, ait idē S. Pater serm. 1. de Circumcis.

Octavò. Ut suam divinitatem absconderet diabolo. Tametsi enim hic subodorari poterat infantem illum supra hominem aliquid habere: aliunde tamen ex servili ejus conditione in dubium rapiebatur.

E. IV. *Cur octavo die.*

Quæst. 4. Cur octavo die circumcisus? Resp. 1. ut legi, quæ hoc mandarat, Gen. 17. (propterea quod infans ante octavum diem nimis tener & debilis est) se accommodaret, adeoque nobis obedientiam erga legem divinam commendaret.

Secundò Tropologicè, ut nobis amorem suum & desiderium patiendi pro nobis ostenderet, qui octavo statim die pretiosum suum sanguinem fundere cœpit. *Vide*, inquit S. Bernh. ubi supra, *quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quàm paratus & promptus sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem & anno octavo nonnihil pro Domino pateremur!*

Tertiò Anagogicè; *ut per circumcisionem octavo die factam, & simul nominis impositionem intimaret ijs, qui digni Sanctorum consortio censentur, quod eorum nomina scribentur in cœlis: & æternæ beatitudinis, quæ post vitæ hujus septimanam consequitur, hæredes fient & consortes, quicunq; vitæ innocentia & cælibatus sanctimonia se se Domino consecrassent*; inquit S. Cyprian. l. 1. de Card. Chirsti oper.

F. V. *Cur vocatus Iesus.*

Quæst. 5. Cur vocatus Iesus? Respond. quia *salvaturus erat populum suum*, uti dixerat Angelus. *Iescua* enim Hebr. Salvatorem & salutem significat. Hoc eodem nomine tres insignes Prælati condecorati fuisse leguntur in veteri testamento: Iosue Dux populi Israelitici, quem duxit in terram promissionis (Iosue enim & Ioscua seu Ihosua, vel Iescua idem sunt & significant, quod Iesus; & ita vocatur Iosue à LXX. Interpr.) Alter Iesus filius Iosedech summus sacerdos. Tertius Iesus Syrach auctor Ecclesiastici, Doctor Synagogæ. Nec absque causa; fuerunt enim hi tres figura Christi Iesu, qui ad tres potissimum fines in hunc mundum venit. 1. ut nos redimeret. 2. ut nos doceret. 3. ut exemplo suo duceret, sicque nobis esset *Vita, Veritas & Via*. Quoad primum figura illius fuit Iesus summus Sacerdos, qui Iudæos è Babylonica captivitate in Ierusalem reduxit, ibique sordidis vestibus, quibus indutus venerat, abjectis, novis pulchrisque indutus est, ut habetur Zach. 3. ac templum reædificavit. Sic enim Christus nos è confusione & captivitate peccati in gratiam reduxit, tuncque in resurrectione deposita carne mortali immortalem & gloriosam induit, atque Ecclesiam instauravit. Quoad secundum, figura ejus fuit Iesus Syrach, Doctor Synagogæ; quia mundum docuit viam cœli. Quoad tertium, figura ejus fuit Iosue, qui præivit & duxit populum per desertum in terram promissionis, quemadmodum & Christus exemplo suo ad viam cœli ineundam, & conficiendam nos pertraxit. Rursum salutis nostræ negotium in tribus omnino consistit, in Redemptione, Iustificatione, Glorificatione. Christus nobis hæc omnia præstitit; in 1. figuratus per Iesum Summum Pontificem, in 2. per Iesum Doctorem, in 3. per Iosuen seu Iesum Ducem. Quamobrem jure vocatus est Iesus, id est, Salvator, quoniam talis erat, & verò ipse solus, si ad sensum, non ad sonum vocis attendimus; nemo enim hæc omnia, adeoque veram salutem præter ipsum attulit.

G. VI. *Cur sic vocatus post Circumcisionem.*

Quæst. 6. Cur nomen hoc sortitus est post Circumcisionem? Resp. quia placuit ei non prius tam glorioso nomine insigniri, quam id promeruisset, sanguinem suum pro nobis fundendo. Quam ob causam meritò caput aperimus, & genua submittimus, cum nomen hoc audimus; siquidem id nomen adeoque salus & redemptio nostra magno ei stetit. Non facimus hoc Christi audito nomine; quia nomen hoc dignitatis est, regibus & sacerdotibus commune.

H. VII. *Quomodo salvatori munus executus est.*

Quæst. 7. Quomodo Salvatoris munus executus est? Resp. Exactissimè, quia omnes ejus vivendi rationes & studia, miracula, conciones, indefessi labores, denique mors ipsa ad salvandum destinata erant. Duo sunt, quæ maximè aliquem insignem & illustrem in arte vel munere aliquo efficiunt; primum effectus vehemensque studium artem illam apte & cum laude exercendi. Alterum, ut quis artem calleat. Quam autem Christi cordi inhæserit hominum salus, quanta sitis, quis est, qui nesciat? nam & somni & cibi obliviscebatur, & peragrabat omnes vicos, oppida, castella, ut animarum salutem curaret; quin etiam Marci 3. ita in hoc opus incumbebat, ut crederetur à suis in furorem versus. Deinde ita callebat artem hanc, ita penetrabat modum, quo singuli salutem, sine liberi arbitrii jactura consequi possent, ut nec Angeli, nec hominis perspicacia eò attingere posset. Hinc est, ut his, qui fœdas voluptates amabant, proponeret jucunda, uti Samaritanæ, Ioan. 4. *aquam, quæ fieret in ea fons aquæ salientis in vitam æternam*, quæq; omniem extingueret sitim; his qui aurum sitiebant thesauros polliceretur æternos: *Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus: habebis thesaurum in cœlo*; parvulos amplexaretur;

retur; juveni præciperet mandatorum obſervationem, utpote adhuc rudiori: eos qui ſyderum arte pollebant, per ſtellam ad ſe vocaret; non abhorrebat à peccatoribus, non illos à ſe abigebat, licet adeſſent, qui propterea murmurarent. Porrò ab ijs, quæ à Salvatoris munere & partibus aliena viderentur, ſedulò abſtinebat, ut cum petenti cuidam: *Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*; reſpondit: *Homo quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* Luc. 12. Item cum corripuit filios Zebedæi geſtientes perdere Samaritanorum civitatem dicens: *Neſcitis cujus Spiritus eſtis, Filius hominis, non venit, animas perdere, ſed ſalvare*, Luc. 9. Deniq; ſi à capite illum ad pedes uſque intueamur, Salvatorem undique fatebimur. Undiq; ſalutem ſpirat, verba ejus verba vitæ æternæ ſunt, oculi peccatores ſanant, ſputum cœcis lumen tribuit, contactus veſtis ſanguinem ſiſtit, contractus manuum lepram pellit, vox defunctos ſuſcitat. Quemadmodum enim Bos gibboſus, quem Hiſpani Corcobado vocant, nihil penè in corpore ſuo gerit, quod non ſalutarem uſum præbeat hominibus: nam & ſanguinem ejus recentem hauriunt indigenæ more potus, & carnem crudam edunt loco panis: cornibus utuntur ad pocula, veſica & ventriculo pro vaſis, pelle pro utribus, è corio domos, funes, calceos ac veſtes, ex oſſibus arma conficiunt, è nervis fila craſſiora, è pilis tenuiora, Stercore ignem nutriunt uti nos ligno, Cardan. l. 7. de variet. cap. 33. Ita quæcunque in Chriſto ſunt, vel quoquo modo ei adhærent, ſalutaria mundo ſunt: Carne ejus paſcimur, ſanguine ejus potamur & abluimur: vulneribus ejus ſanamur, nuditate ejus veſtimur, cruce ejus inflammamur ad Dei & virtutum amorem, &c.

I. VIII. *An & quàm venerandū hoc nomē.*

Quæſt. 8. Eſtne venerandum hoc nomen & quantopere? Reſpond. omnino & ſuper omnia alia nomina; quia Apoſtolo teſte *eſt nomen ſuper omne nomen*, ad Philip. 2. adeoque venerabilius ipſo nomine Tetragrammato, Iehovah. Primò, quia eſt proprium verbi Incarnati nomen, ſignificans totam Incarnationis & redemptionis œconimiam, ſeu Deum, quà Salvator & Redemptor eſt. (Hoc autem beneficium Redemptionis majus eſt, quam creationis; quia nihil naſci profuit niſi redimi profuiſſet, ut Eccleſia canit) Nomen autem Iehovah ſignificat Deum, quà Dominus & Creator eſt. Ad hæc Redemptoris nomen includit nomen Creatoris, non econtra; quia Redemptio ſupponit creationem, non contra. Hinc infert Abulenſis in c. 20. Exodi; majus eſſe peccatum accipere nomen Ieſu in vanum, quàm nomen Dei, & confirmat ex uſu Eccleſiæ, quæ audito nomine Ieſu flectit genua & inclinat caput: non autem audito Dei nomine, 2. quia non ab homine vel creatura aliqua, ſed à SS. Trinitate Chriſto eſt impoſitum, & ab Archangelo in terras delatum. 3. quia eſt nomen, per quod omnes ſalvi fieri debemus; ſiquidem ſalutem & Salvatorem nobis annuntiat. 4. quia eſt nomen efficaciſsimum, 1. ad corporis ægritudinem curandas, Act. 3. *In nomine Jeſu Chriſti ſurge*. 2. ad pellendos è corporibus dæmones, Marc. ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Exemplum habetur Act. 6. verſ. 18. ita ut etiam perfidi aliqui ad id hoc nomine uterentur, eventu quandoq; felici, ut Luc. 9. verſ. 49. quandoque infelici, ut Actor. 19. verſ. 13. 3. ad eorundem dæmonum tentationes & inſidias pellendas; quod experti S. Anton. Hilarion, Edmundus, Abrahamius aliiq;. Deniq; ad miracula patranda, omniaque ſanctificanda. Ac licet effectus prædicti quandoq; etiam per alia Dei nomina obtineantur, non tamen toties ac tam certo? licet nec in nominis Ieſu invocatione tanta efficaciæ certitudo ſit, quanta eſt in Sacramentis, quia non extat hujus rei promiſſio vel ſanctio aliqua. 6. quia uſu receptum fuit apud omnes Chriſtianos, ut hoc nomen ſumme honorarent, capitis adapertione, poplitum flexione, vel alio honoris indicio, ut cum eleganter pingitur radiis ſolaribus cinctum; item dum nemo ſibi hoc nomen auſus eſt tribuere. Denique quia à Sibyllis olim pronuntiatum fuit, ut docet Acroſtichis illa verſuum Sibyllæ Erythreæ, quorum primæ literæ hoc reddunt: Ιησȣ̃ς Χριςὸς ὑιὸς θεȣ̃ σωτὴρ, σαυρός. Ieſus Chriſtus filius Dei Salvator, Crux.

Supereſt ut hoc nomen & nos omni veneratione colamus, ut per Salvatorem Salutem conſequamur, &c.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Evangelium Matth. 2.

CUm natus eſſet Jeſus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum: Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſuſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur, ? At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael. Tunc Hero-

Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens, adorem eum. Qui cum audissent Regem, abierunt. Et ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret suprà ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus: & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

CONCIONES.

I. *Ad veram fidem qua ratione perveniatur.*
II. *Miseria gentilismi.*
III. *Religio Magorum proponitur in exemplum.*
IV. *Magicæ artes cur detestandæ.*
V. *Damnantur superstitiones seu vanæ observantiæ, eæque multiplices.*
VI. *Varia divinationum genera explodantur.*
VII. *Documenta.*
VIII. *Mysteria.*

CONCIO I.
AD FIDEM VERAM QUA ratione perveniatur.

I. *Petendo à Deo lumen.* 1. Ad cognoscendam veram fidem. 2. Ad cognoscendam veræ fidei necessitatem, & hæresis pravitatem.
II. *Interrogando sapienter.*
III. *Progrediendo in studio bonorum operum.*

THEMA.

Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2.

A. PRofectò videtur contingere hæreticis: quod olim Genes. 19. contigit Sodomitis nequam illis hominibus. Quærebant enim hi magna contentione ingredi domum Loth, adeoque fores effringere. Sed quia pessimo fine quærebant, percussi cœcitate, ostium invenire non poterant. Circuibant ergò domum & palpabant undique parietem, sed ostium non videbant. Eodem prorsus modo hæretici; cùm vicinissimi sint Ecclesiæ Christi (utpote agnoscentes Christum) & palpent cum manibus ex certissimis argumentis; vident enim solam Ecclesiam Catholicam esse antiquam, universalem, sanctam Apostolicam, miraculis comprobatam, &c. interim tamen ostium ejus nequeunt invenire, dum nequeunt persuaderi, ut intrent in hanc Ecclesiam. Sanè Magi nostri è longinquo, & tamen ad primum statim diei Christiauæ luculum Christum invenerunt. *Intrantes domum, invenerunt puerum,* inquit Evangelista: cum interim hæretici Ecclesiæ propinquissimi, palpent in meridie lucis Evangelicæ. Nimirum quia obstinati sunt in peccatis: conspurcarent & turbarent Christi Ecclesiam, si in eam ingrederentur, ideo percutiuntur aorasia; ut ostium ejus non inveniant. Verum quia non omnes tales sunt, sed multi ex ijs simplices & ab aliis seducti sunt, ostendamus eis viam ac media, quibus manuduci ad Ecclesiam Christi queant.

D. Thomas opusc. 60. artic. 70. animadvertit tribus omnino in rebus diligentem ac accuratã alicujus rei investigationem consistere; idque ostendit authoritate S. Augustini dicentis: *O anima mea, si diligenter peteres, tribus hoc signis ostenderes. Primò enim lumen peteres, ne tenebris impedireris. Secundò scientes interrogares; ne quærens oberrares. Tertiò in nullo loco quiesceres, donec dilectum invenires,* Hæc omnino tria sunt observanda illis, qui à tenebris infidelitatis aut hæreseos emergere conantur, & Christum, id est, fidem veram invenire volunt. His enim tribus mediis invenerunt Christum Magi. Primò Ducem secuti sunt. Secundò diverterunt Ierosolymam, ut interrogarent Legisperitos, ubi Christus nasceretur. Tertiò magna contentione prosecuti sunt iter suum afferentes munera, ut Christum indagarent.

I. Petendum à Deo lumen. 1. Ad cognoscendam veram fidem.

Medium ergo primum est petere à Deo lumen, quo possis cognoscere, quæ sit vera religio, & quam malum sit, vera fide destitutum esse. Primo petenda est illustratio intellectus ad cognoscendam veram fidem, cujus cognitionem non est facilè comparare. Quam multorum enim intellectus obscuratur odio, invidia, philautia, ignorantia, &c. Ac licet intellectus assequatur eam notitiam, non idcirco inclinabitur ad assentiendum. Quis enim nescit plurimos aliud sentire, aliud agere? Quam sæpe convincuntur hæretici, ut ne verbo quidem contra mutire possint, interim tamen in sua persistunt pertinacia? Quæ causa, stella illis deest luminis superni, quæ non illuminet tantum sed antecedat etiam, id est, incitet & provocet ad ambulandum, uti fecit illa Magorum. Unde Apostolus 2. Thessal. 2. ait: *Non omnium est fides,* quia nimirum multi audita etjam prædicatione fidei nolunt credere. Et Christus

Ioan. 6. de fide Eucharistiæ loquens, ait: *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*, seu ut ibidem ait: *nisi fuerit ei datum à patre meo*. Unde patet fidem, id est, assensum fidei esse donum Dei, non quidem purè, ut prophetia, donum linguarum, ingenium, virtutes infusæ; sed dependenter à cooperatione nostra. Ideò & trahi dicimur ex parte scil. Dei; & venire ex parte videlicet nostra. *Et ut divinæ opus esse naturæ ostendatur, credere & venire ad Christum: idcircò tractio ad patrem refertur, qui fons est Deitatis*, ait S. Cyrillus l. 3. c. 39. Si filius diceretur trahere, posset aliquis intelligere, fieri id secundum humanam ejus naturam, quia & homo erat. Sine isto interno lumine nihil est quidquid dicitur hæreticis. Multa Christi signa viderunt multi Iudæi, & tamen *cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, Ioan. 12. Audiebat utique Saulus (Act. 7.) Stephanum plenum Spiritu sancto ita prædicantem, ut nemo posset resistere sapientiæ & spiritu ejus: viderat facientem signa & prodigia: & tamen adhuc non credidit, sed Ecclesiam persecutus est, donec circumfulsit eum lux de cœlo, quæ & oculos ejus excœcavit & mentem illustravit, Actor. 9.

2. *Ad cognoscandam veræ fidei necessitate & hæresis pravitatē.*

Secundò petenda est illuminatio ad cognoscendā veræ fidei necessitatem, & hæreseos atque infidelitatis pravitatem. Expressum Christi pronuntiatum est: *Qui non crediderit*, vera utique fide) *condemnabitur*, Marc. 16. Et Apostoli ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*. Ut ergo sine fundamento nemo ædificare, ita sine fide nemo salutem consequi potest. Si potuit evadere diluvium, qui extra arcam fuit: poterit etiam evadere gehennam, qui extra Dei Ecclesiam & veram fidem est.

Quantum malum sit Hæresis.

1. Quantum verò malum & peccatum sit hæresis, quis explicare queat? Primo iniqua est in Patres, quia suum judicium præfert omnium SS. Patrum judicio, omnium Ecclesiæ Doctorum, omnium Conciliorum & totius orbis Episcoporum, quasi hi homines aut cœci aut mendaces fuerint, ipsi soli videant, & vera dicant.

2. Secundò Injuria est in Ecclesiam, quam facit adulteram & meretricem Satanæ, impingit illi crimen Idololatriæ, & variarum superstitionum, denique eam extinctam & radicitùs eversam cupit.

3. Tertiò Injuria est in Ecclesiæ caput, Pontificem, quem plusquam Vatiniano prosequitur odio, & miris calumniis onerat ac lacerat, uti & omnes Ecclesiæ ordines & gradus. Sanè Lutherus quotquot Papam oppugnarunt, hæreticos, recipit in amicitiam, uti Hussitas, & alios ejusdem farinæ socios, &c. licet è secta sua in aliis maximè dissiderent, paratus etiā recipere Turcas (quod fecerunt etiam postea Lutherani & Calvini.) Quantus hic in Papam livor.

4. Quartò Impia est in Ecclesiæ Sacra, quæ temerario ausu profanat, & indignis modis tractat, diripit, vastat.

5. Quintò Impia in ipsum Christum, cujus vestem in consutilem scindit & lacerat, cujus præsentiam in Eucharistia cachinnatur & blasphemat.

Sextò impia in proprium subjectum, quia radicem arboris, id est, basin & fundamentum justitiæ excindit: non ita alia peccata, quia relinquunt fidem saltem mortuam, quæ facilè potest repullulare. Unde mirum non esse debet; si leges imperiales flammis animadverti jubeant in hæreticos, quia non unius tantum, sed plurimorum scelerum rei sunt. Quod si etiam unum furtum, fornicatio, detractio meretur ignem æternum in judicio Dei, quanto magis hæresis, quæ millies gravior est? Et si pœna ignis nostri millecuplo augeretur, quàm horrenda & intollerabilis foret? Hæc igitur & similia, ut videant hæretici, clament ad Deum sedulò: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: prævalui adversus eum*, Psal. 12. Et *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam*, Psal. 142.

C. II. *Interrogando sapientes.*

Secundum, interrogare sapientes & Doctores, nec sequi proprium sensum. Ita nostri Magi ingressi sunt Ierosolymam & sciscitati sunt scribas, *ubi Christus nasceretur*. Simili modo intrandum est in Ecclesiam, & interrogandi ejus Doctores. Multi quidem Pseudoprophetæ dicunt: *Ecce hic est Christus*, (apud Lutheranos) ecce ibi (apud Calvinianos) sed nolite illis credere, quia non sunt Ierosolymis, non sunt in Ecclesia. Audi monentem Deum Ier. 6. *Hæc dicit Dominus: state super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus.* Speculatores sunt Episcopi & Doctores Ecclesiæ, qui in alto perfectioris status constituti monent de periculis, hostibus, &c. Semitæ antiquæ, sensus & interpretationes sunt sacrarum literarum, ab antiquo nobis traditæ, quibus insistebant veteres patres omnibus retro sæculis à Christo ad nos usque. Et his potius insistendum quam recentioribus Novatorum, facilè suadet, primo consonantia SS. Patrum per universum orbem, licet linguis, institutis & tot terrarum ac marium spatiis ac sæculis dissitorum, ut & SS. Conciliorum, quæ mirè sibi cohærent & pariter ab Ecclesia recipiuntur. Quod si aliqua inter scholasticos est dissonantia, non est circa res necessario ad salutem spectantes: non sine humilitate & moderatione, qua parati sunt stare judicio Ecclesiæ, si quid definiat. Novatores omnes circa res fidei dissident & se mutuo convitiantur.

SS. Patribus insistendum.

Secundo Sanctitas illorum Patrum toti orbi patens & clarens ex ratione vitæ, quam duxerunt, religiosæ; austeræ; ex miraculis, ex multorum martyriis, ex libris eorundem, qui nihil aliud spirant, nisi sanctitatem, cum summa eruditione conjunctam, atque ipsum Spiritum S. velut ex ore ipsorum loquentem. Quibus accedunt sancti illi patres

tres, qui non tam vocibus, quam moribus, non tam scriptis, quam factis semitas illas antiquas demonstrant & confirmant, ut Anachoretæ & alii viri religiosi sanctitate insignes. Illi verborum, hi factorum argumentis fidem veram ostendunt, illi digito demonstrant quæ sit via ad Christum ducens, hi passibus & vestigiis suis: Quàm contra impuri, flagitiosi, perditi fuerunt Hæresiarchæ omnes!

3. Tertiò Antiquitas ipsa doctrinæ per omnia Christiana sæcula ad nos usque propagatæ, sibi semper similis. Et sanè doctrina & fides Christiana tam antiqua esse debet, quàm est ipse Christus, nisi eum mendacem facere velimus, dicendo regnum ejus eversum esse, fidem extinctam, & postremis demum sæculis in lucem rediisse. Omnis ergò doctrina, & S. Scripturæ interpretatio hoc ipso, quia nova est vana est & falsa, cujusmodi sunt omnes sectæ nostri temporis; quæ non tantùm nuper cœperunt, sed prætera in dies mutantur, ut non injuria dixerit S. Hilarius, Fides Hæreticorum esse bimestres & trimestres. Dum verò Hæretici nostri interrogant juniores magistellos, & grammaticos uti Lutherum, Erasmũ, Melanchtonem, Oecolampadium, Zvvinglium, Carlstadium, Calvinum, qui heri nati sunt, spreto antiquorum Patrum consilio, perinde agunt, ut Rex Roboam, qui seniorum abjecto consilio, juniorum placitum est secutus, ideoque regnum penè totum perdidit; eo enim scisso, decem partibus perditis, duas tantum retinuit; 3 Reg. 12. Seniores igitur interrogandi sunt & (ut monebat Herodes: *interrogate diligenter*) diligenter interrogandi sunt. Vita eorum legenda, doctrina eorum audienda. Nemo se seducat, nemo proprium sequatur sensum & judicium, quasi ipse per semet scripturam intelligere queat, inconsultis patribus. Fervens desiderium indagandi veritatem & legendi S. Scripturam perduxit Eunuchum illum ad fidem Christianam, dum in ipso curru legit Isaiam de Christo prophetantem; sed num ipse sibi interpres fuit, aut Scripturam claram esse pronuntiavit, & Doctorem repudiavit? minimè: Dicenti enim sibi Philippo: *putasne, intelligis quæ legis*; respondit; *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Rogavit ergo Philippum, ut ascenderet & sederet secum. Audiit exponentem, credidit & baptizatus est, Act. 8. Imprimis verò seponi præjudicium illud debet, quo plerique imbuti sunt hæretici; quasi fides Catholica Idololatriam & varias superstitiones alat. Audiant Catholicos, num verè ita sit: deceptos se videbunt.

D. III. *Progrediendo in stud. o bonorum operum.*

Tertium, Progredi assiduè in studio bonorum operum, quemadmodum & Magi non quieverunt, donec Christum invenerunt. Hac enim via legimus Actor. 10. Cornelium Centurionem ad fidem pervenisse; *Corneli*, ait Angelus, *orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Quin & Evangelicus ille Centurio Matt. 8. hac ratione pervenit ad fidem & gratiam Christi; ædificaverat enim Hebræis Synagogam; misericors fuerat erga servum suum, disciplinam inter suos milites servabat, &c. Porrò orationi & eleemosynæ si jungas jejunium, affers ad Christum tria illa munera, quæ attulere Magi, thus, id est, orationem; myrrham, id est, jejunium; aurum, id est, eleemosynam. Exempla complura sunt, quæ ostendunt his mediis ad Christi fidem adductos infideles. Inter alia celeberrimum est illud Sanct. Eustachii apud Metaphrastem, qui quamvis profundis errorum tenebris adhuc esset obvolutus, & insana idolorum culturâ infamis, tantæ tamen virtutis, ut nihil ejus moribus honestius, nihil animi splendore candidius, nihil denique ejus ingenio suavius videretur. Non enim ferebat, ut dum insigni aliqua victoria hostes vinceret à suis ipse cupiditatibus vinceretur. Ita vitam admiranda quadam prudentia moderabatur, & subditorum animos beneficiis, arctissimè devinciebat, pauperes non ad fastum, sed ad occultam virtutis elegantiam larga manu sustentabat. Hinc ergo viam sibi aperuit ad Christi gratiã, qui postmodum in venatione inter cervi, quem Eustachius (tum adhuc Placidus dictus) concitato equo insequebatur, cornua crucifixi imagine apparuit, & hanc vocem dedit: *Placide Placide quid me persequeris? Ego Christus Iesus cœli terræque Dominus & humani generis Redemptor, tuis delectatus virtutibus huc tibi adsum, ut tantas virtutum copias profundis errorum tenebris immersas in lucem vindicem, teque è dæmonum servitute in cœlestis patriæ libertatem restituam.* His auditis Eustachius instar Pauli animo repente mutatus, fœdam sceleratamque Idolorum superstitionem vehementer est execratus, & quærens Sacerdotem, Christianis sacris imbutus, & salutari lavacro expiatus, demum martyr quoque insignis cum uxore Theophrasta factus est. Lipelous tom. 3. 20. Septemb. Vidimus etiam alibi puellam Alexandrinam gentilem, ut hominem debitis gravatum ab interitu & laqueo, quem sibi jam induerat, revocaret, patrimonium ei suum obtulisse; & propterea, cum & ipsa de vita & salute in gravi infirmitate periclitaretur, ad baptismi gratiam divino instinctu perductam: & cum ob patrini defectum ab eo repelleretur, angelos duos pro patrinis sortitam, sicque in Domino mortuam esse. Ut habetur in Prato Spir. Sophronij cap. 207. & ex eo Baron. anno. 537.

Hæc est igitur via, hæc ratio ad Christum ejusque fidem perveniendi, &c.

CON-

CONCIO II.

MISERIÆ GENTILISMI.

I. Cœcitas miserabilis.
II. Superstitiones insana.
III. Politia pessima.
IV. Turpitudo publica.
V. Tyrannicum imperium.
VI. Jugum dæmonis gravissimum.

THEMA.

Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, Matth. 2.

A. FEstivitas hodierna celeberrima semper fuit omnibus Christianis, quia mater & regina est cœterarum festivitatum; quas agimus Christiani. Hac enim sacra die vocavit Deus nos de tenebris in admirabile lumen suum, & cœpimus fieri Christiani, hoc est, sapientes & illuminati, qui prius eramus Ethnici, id est, omnium errorum tenebris involuti. Quam ob causam Cæsares etiam perfidi & impii, qui vel odorem tantum aliquem Christi retinebant, festivitatem hodiernam sua præsentia cohonestabant. Siquidem Iulianus Apostata, qui pallio Christianæ simulatæ religionis latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis, voluit hac die cum cæteris Christianis sacris interesse mysteriis, ut scribit Ammian. Marcellin. lib. 21. idipsum præstitit Valens Imp. Arianus, ut de eo testatur S. Gregor. Nazianzen. orat. in laudem Basilii. Visus enim fuisset à religione Christiana prorsus alienus, qui tantæ festivitati non adesset. Theodosius Imp. hujus diei solemnitatem adeò coli jussit, ut septem diebus, qui præcedunt, ac totidem qui subsequuntur, judicialem strepitum facessere præceperit, ut habetur lib. 2. C. de fer. Ut verò agnoscamus, quantis è miseriis mundus hodie ereptus sit vel saltem eripi cœperit, perspiciemus eas in quibus olim hæsit.

B. I. *Cœcitas miserabilis.* Prima fuit cœcitas mira & miserabilis seu errores circa Deum, ita ut Apostolus ad Ephes. 5. dicat, gentiles fuisse ipsas tenebras. *Erunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

1. Primò enim teste eodem Apostolo ad Rom. 1. *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Plerique enim gentiles putabant ipsa Idola lignea & lapidea esse Deos; aliqui tamen sapientiores, uti Philosophi, non credebant esse Deos, sed Deorum tantum simulachra: omnes tamen Idola adorabant, quia nimirum putabant Idolum vel esse corpus Dei, vel effigiem ejus, vel certè sedem & locum, adeoque habere aliquid Numinis, ut cum ad eos iretur, ad Deos ire se putarent. Si qui demum fuerunt, qui non ex animo, sed metu legum & Magistratus Idola coluerunt, pauci illi fuerunt.

2. Secundò, Fœdissima & vilissima quæque pro Diis habuêre. Nam & aves, serpentes, feles, crocodilos, imò allia, porros, fabas, quin & stercutium, cloacicinam, pestem, febrem, aliaq; his absurdiora pro Diis coluisse, testis est. August. l. 3. de civ. c. 12. l. 4. c. 10. & seq. Cicer. l. 5. Tuscul. ait: *Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam Ibim, aut aspidem, aut felem, aut Crocodilum violent: quorum si imprudentes quidpiam fecerint, nullam pœnam recusent.* Taceo fœda Deorum nomina. Volupiam & similia: proferre non sinit pudor. Taceo plerosque illorum Deos fuisse homines sceleratos, & flagitiosos, ut Herculem, Bacchum, Mercurium, Iovem, &c.

3. Tertiò, Innumeros penè excogitarunt Deos, nam Varro numerat trecentos, eoque superstitionis venerunt, ut cuivis desiderio & cupiditati suæ, imo cuivis ferè herbę & radici suum assignarint Deum velut pomis Pomanam, melli Mellonam, floribus Floram, equis Hipponam, bobus Bubonam, seminibus Seam, segetibus, Segetiam, sermonibus Ajum, rebus agendis Agonium, silentio Angeronam, fidei Fidium, liminibus Limentinum, Cardinibus Cardam, portubus Portunum, peregrinantibus Eanum, janius Ianum, reprehensioni Momum, consiliis Consum & hujusmodi nominum portenta infinita. Adhæc Numinis cultum tribuerunt etiam ipsis vitiis, morbis, temporibus, ut pesti, febri, morti, tempestati, fortunæ, pavori & pallori, fornaci, &c. Denique Romani ad quemlibet creaturæ profectum Deum vel Deam commenti sunt, ut Deam Segenam cum bladum seritur: Orteam cum oritur: Spiceam cum spicam facit: Nodeam cum nodum producit, quasi non sufficeret una Dea ad gignendum bladum, August. de civ. Dei.

4. Quartò tribuebant illis corpora & mores atque effectus hominum. Unde mane oraturi excitabant eos vocib. & tibiis quasi dormientes. Et ut Lactant. l. 6. ait: *mactant hostias Deo tanquam esurienti: profundunt vina, tanquam sitienti: accendunt lumina velut in tenebris agenti.* Adhæc in afflictione maledicebant Diis suis, quasi ejus auctoribus, uti etiamnum faciunt Sinæ & Iapones, qui Deos suos flagellant, cum ab iis non audiuntur, vel sinistram fortunam experiuntur. Unde Cicer. l. 2. de natura Deorum, sub ementito Q. Lucii Balbi nomine, stomachatur ipsemet in vulgi opiniones, quibus affingit Diis cupiditates, ægritudines, iracundias, bella. Verificatum est ergò in hoc illud Isaiæ 23. *Ecce in justitia regnabit rex &c. & cor stultorum intelliget scientiam*, cum scil. resipiscent à stultis suis Idolis.

C. II. Secundò. Superstitiones insanæ circa sacrificia. Primò enim hostias mactabant maxima superstitione

Superstitiones insana. 1.

stitione & ineptissimis ritibus, & ferè singulis Diis peculiares, superis albas, inferis nigras; aliis taurum, aliis porcum, aliis gallum, aliis equum, &c. Deinde peracto sacrificio saltabant, in circulum se gyrabant, epulabantur, &c. ut videre est in Antiquitat. Romanis Rosini.

Secundò, Homines immolabant & sæpe charissimos quosque, amicissimos & nobilissimos. Sic Ammonitæ filios suos immolabant Moloch, quod Idolum erat statua concava manus habens latas, in quibus ponebatur puer immolandus, qui igne statuæ subjecto intrinsecus comburebatur: ac ne puerorum sic ardentium ejulatus audirentur à parentibus, sacerdotes interim tympana pulsabant. Alii ut Phœnices, Carthaginenses, & Rhodii & Cretenses, infantes principali honore insignes, quos sors jacta designasset, in regio ornatu Saturno immolabant. Unde finxerunt Poetæ, Saturnum devorare voluisse Rheæ parentis filios: Quin & nostro sæculo Mexicani quotannis ad 20. hominum millia immolabant Dæmoni; & in Mechoacam Urbem Dæmon sibi offerri postulavit, id quod civibus erat charissimum; uti sponsam vel infantem speciosam, qua de caussa indigenæ tam truculentum Deum perosi Christi fidem sunt amplexi, ut eorum Proceres testati sunt, P. Antonio Mendozæ Soc. Iesu. Alii post immolatas proprias proles, deficiente hostiâ, seipsos sua manu obtruncabant & immolabant.

Plut. l. de superstitione. Abulensis, Adrichomius, &c. Plato. Plutarch. Dionys. Halica. S. August. l.7. civ. 9.

D. III. *Politia pessima.*

Tertiò, Politia pessima, & jura iniquissima. Primò, Milites ferè eligebant Imperatores, & eosdem exautorabant, quandoque occidebant; & ferè imperatorum alter alterum è medio tollebat. Adhuc Imperatores tantum & horum aliqui nequissimi, in Deorum numerum referebantur (sic Hadrian. Imperator Antinoum puerum amasium suum in Deorum numerum retulit: Antoninus Hadrianum pessimum, Severus Commodum spurcissimum, Maxentius Maximianum. Relatus est in eosdem Antonius Caracalla, parricida & incestuosus) privatorum nullus, præter Diocletianum, qui Imperio deposito obiit privatus, Baron anno 316.

Secundò pro libitu filios oppignorabant ac vendebant, quod inhibere conatus est Constantin. Magnus epist. ad Menandrum, constituendo eis annonam publicam: quin etiam ex lege 12. tabularum impunè occidebant. Item gladiatoria spectacula edebant, ubi mutuis vulneribus digladiantes concidebant: quæ etiam vetuit Constantinus epist. ad Maximum Præfect. Præt. Uno munere Trajanus decem millia gladiatorum populo exhibuit, quasi rem magnam & cœlo dignam præstaret. Dionys. in Trajano. Nonnulli parentibus ac liberis fame & inedia pereuntibus interim xenodochia ædificabant, in quibus infirmæ aviculæ, quas hinc inde maximis impensis colligebant, sedulo curarentur. Ut videre est in hist. Ind. Orient. Pet. Iaric.

Tertiò, Alii, ut Persæ, sorores & matres & filias suas nefandis sibi matrimoniis jungebant: Alii, ut Scythæ humanis carnibus vescebantur. Alii, ut Massagetæ, cognatos senes edebant. Alii, ut Hircani avibus, alii canibus, uti Caspii, eos objiciebant. Lacedæmones furtum laudabant, quasi rem solertem & ingeniosam. Alii proprias conjuges hospitibus prostituebant in symbolum hospitii. Leges Platonis jubent non subveniri ægris: licentiam dant mentiendi, & infantes occidendi, uxores communicandi. Lycurgus jubet hospites finibus expelli; pueros concedit prostitui impunè, fœminas exponi.

Theodor. Euseb.

Denique multæ gentes degebant instar ferarum, se invicem spoliantes & devorantes. Germani teste Tacito diem noctemque continuare potando pulchrum putabant, convivia rixis, cædibus ac vulneribus transigebant. Hungari teste Rheginone, belluarum more carnibus crudis vescebantur, sanguinem bibebant, corda hominum quos capiebant, particulatim dividentes veluti pro remedio devorabant, nulla miseratione flectebantur, &c.

Hos efferatos & belluinos gentium mores in mites & humanos per Christum convertendos prædixit Isaias cap. 11. cum ait: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo, accubabit vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.*

E. IV. *Turpitudo publica.*

Quartò. Turpitudo publica, in quam prolapsi sunt culpa & merito suo, ut de illis testatur Apostolus ad Rom. 1. cum ait: *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam:* Et mox: *propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (in libidines scil. pathicas, ut habet Græcus, & pudendas) *nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam.* Unde facti sunt velut equus adhinniens equæ, & velut equa adhinniens equo.

1. Primò enim non plebei tantum sed etiam philosophi plerique laborabant vitio pederastiæ, ut Socrates hoc nomine inter alia ad mortem condemnatus. 280. sententiis teste Philone l. 2. de vita contemplativa. Et alii communiter apud Laertium l. 1.

2. Secundò, Etiam fœminæ ut ait Seneca ep. 95. *corporum quoque virilium vitia æquaverunt: non minus pervigilant, non minus potant, oleo & mero viros provocant, libidine vero nec maribus cedunt, pati natæ.*

3. Tertiò, Prostibula apud eos nullibi non tolerata, imò culta velut sacra loca, uti Fanum Veneris Corinthi habens plusquam mille meretrices apud Strabonem lib. 8. ubi hospitibus ad se adventantibus pudorem prostituebant. Et Herodot. l. 1. Ita Num. 25. Moabitæ prostituebant Israelitis filias suas. Imò prostituti sunt ab ipsis & mares.

4. Quartò, Turpitudines illas exercebant sæpenumero publice & in festis, ut Veneris, Priapi, Bacchi: Et quas aliter non poterant sibi devincire fœminas, vi rapiebant, veluti equi ad equas cum furore adsilientes. Unde Abraham in Ægypto non fuit ausus dicere Saram esse conjugem suam, ne eam

eam raperet Pharao, quod nihilominus contigit, Gen. 12. Et quis nescit Sodomitarum turpitudinem furibundam, qui hospitibus ad se divertentibus illico vi illata abuti obscœnissime contendebant?

F. V. *Tyrannicum imperium.*

Quintò, Tyrannis seu Imperium tyrannicum Imperatorum, de quo loquitur Dominus cum ait: *Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non sic*, Luc. 22. Patet inprimis in Romanorum Imperatoribus gentilibus, veluti in Nerone, qui Agrippinam occidit matrem. Octaviam uxorem relegatam mori compulit, & optimum quemque sustulit, denique urbem variis in locis incendi jussit, incendium ex alta turri gestiens spectavit, & nihilominus Christianos, impudentissime in crimen ejus vocavit, Baron.

De Cajo Caligula scribit Seneca de Consul. ad Helviam, illum à rerum natura editum, ut ostenderet, quid summa vitia in summa fortuna possent. Domitianus, alter Nero ab ipsis gentilibus vocatus, ob nimiam sævitiam cunctis invisus, occisus est in Palatio. Severo Imperatori occlamabant ipsi gentiles: *Vere sui nominis Imperator, vere pertinax, vere severus.* Maximus tam crudelis fuit, ut alii illum Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Tichonem, vel Gygem vocarent. Senatus eum adeò timuit, ut vota templis publice, privatimque mulieres cum suis liberis facerent, ne ille unquam Urbem Romam videret. Audiebant enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus cæsos, &c. Quale monstrum hominis fuit Antoninus Heliogabalus? Sanè ob inauditam ejus in omni genere libidinem nemo Imperatorum deinceps ausus est accipere cognomen Antonini, quod prius honorificum & pluribus Imp. commune fuit, apud Lamprid. Herodianum & alios. Atque ut reliquos taceam, vel ipse Constantinus M. Imper. antequam fidem complecteretur, ex infantum coemptorum sanguine crudele balneum parabat lepræ suæ curandæ. Denique Fl. Claudius morionem habuisse refertur, qui dicebat, se omnes Imperatores bonos, qui Claudium præcesserunt (fuerunt ad 34.) in uno annulo sculpturum.

Iul. Capitolin.

G. VI. *Iugum Dæmonis gravissimum.*

Sexto, Iugum Dæmonis durissimum, quod describit Isaias cap. 9. à Christo ablatum dicens: *Jugum oneris ejus*, id est Galileæ gentium, *& virgam humeri ejus & sceptrum exactoris ejus superasti.* Dæmon enim decipiebat responsis & oraculis, quæ fere ambigua fuerunt. Item mendaciis & vanissimis ominationibus aruspicum, qui ex animalium mactatorum extis inspectis vanissima quæque vanissime prædicebant? adeo ut de illis vel ipse Cato diceret apud Ciceron. l. 2. de natura Deorum, mirari se, quod non rideret aruspex, aruspicem si vidisset. *Quota enim res quæque evenit prædicta ab istis; aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit*, ait idem. Dementabat eos auguriis, ut volatus avium certis ritibus observarent, unde avis prodiret, huc ne an illuc volaret: an prono, obliquo supinoque motu ferretur, quo flecteret: an etiam, quomodo caneret; pullos item in pullariis, an & quomodo cibum sumerent, num garrirent, an silerent, &c.

Adhæc premebat eos gravissimo servitutis jugo, exigendo ab eis quotidiana & iniquissima peccatorum tributa, ad quæ eos incitabat & pene compellebat: postmodum in inferno virgâ humeris sui, hoc est, eadem qua ipse premebatur damnationis pœna mulctabat.

Quoniam igitur aspeximus, in quantis errorum tenebris hæserint aliquando Majores nostri, & nos hæsuri essemus, nisi in Christo renati essemus, exultemus inprimis hodie, *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilectionis Filii sui*, ut ait Apostolus ad Coloss. 1. etenim *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*, inquit Isaias c. 9. Habitabant sanè in umbra mortis, id est, morti æternæ proximi gentiles, & habitassemus nos cum illis. Nunc autem lux Evangelii clarissima nobis orta, abstulit umbram illam, removit à nobis infernum, modò ad eundem nos non recurramus.

Deinde sicut ad exortum lucis fugiunt in specus noxia animalia & latrones, surgunt contra & prodeunt ad laborem homines juxta Psal. 103. *Ortus est Sol & congregati sunt, &c. Exibit homo ad opus suum.* Ita merito monet nos hodie Ecclesia verbis Isaiæ c. 60. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Quando enim densa nox transiit errorum & ignorantiæ, dies verò illuxit, decet omni modo ut è lecto corporis & vitiorum una consurgamus, & induti veste justitiæ, ut filii lucis ambulemus, prout monet etiam Apostolus ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Et ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Quid enim obsecro nobis prodest ereptos esse à carcere & servitute dæmonis, si ad eandem culpa nostra iterum retrahamur? quid juvat è profundo cœno extractos & ablutos esse, si rursum immergamur? Quid proficit à societate scorpionum & draconum, furum & latronum nos abreptos esse, si eorum operibus rursum communicamus? Ideò subdit citato loco ad Eph. 5. Apostolus: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.*

Denique oremus ut de claritate in claritatem, de lumine fidei ad lumen gloriæ ambulemus, dicamusque cum Ecclesia in oratione hod. *Deus qui hodierna die unigenitum tuum, gentibus stella Duce revelasti, concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, usq; ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrũ, &c.*

CON-

CONCIO III.

RELIGIO MAGORUM PROponitur in exemplum.

I. *Stellam Ducem secuti sunt.*
II. *A longe venerunt.*
III. *Diverterunt ad sapientes.*
IV. *Proprias commoditates Christi post habuerunt.*
V. *Procidentes adoraverunt.*
VI. *Legem ex ore sacerdotum requisierunt.*
VII. *Obtulerunt munera.*
VIII. *Per aliam viam reversi sunt.*

THEMA.

Ecce Magi, Matth. 2.

A. SI ex quolibet nostrum quærerem, utrum non vehementer arguendi & puniendi fuerint Iudæorum Legisperiti, Pharisæi ac cæteri omnes, qui Christum apud se natum sciebant, vel saltem ex Magis scire poterant, eique prope adhabitabant, nec tamen eum accedebant, salutabant, adorabant, &c. Neminem non responsurum puto, vehementer arguendos fuisse & gravissimam meruisse pœnam. Quomodo enim non magnopere confunduntur à Magis, qui ab Oriente venerunt ut Christum adorarent? An non dici illis poterat, quod Matth. 12. illis dixit Dominus: *Surget Regina Austri & condemnabit generationem hanc in judicio, quia à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic.* An non dici etiam eis poterat, *Surgent Magi in judicio, &c.* ad illos enim pertinet, quod Dominus Matth. 8. ait: *Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Sed quid dicimus nos? An non hoc ipso verbo nos ipsos accusamus & condemnamus? Quid enim putatis; An non & nos quotidie vicina habemus Christum in Ecclesia, in altari, in sacrificio? An non fasciis specierum panis & vini involutum? an nescimus quotidie eum immolari propè ædes nostras, & quidem pro salute nostra? Et tamen interim tam rarò, tam ægrè, etiam quando ex præcepto obligamur, ad illum accedimus, tam socorditer intersumus: tam citò discedimus? Vereor sanè, ne de nobis non minus quam de Iudæis dici queat, *Surget Regina Austri: Surgent Magi in judicio, & condemnabunt nos.* Hoc enim insinuare nobis voluisse videtur Evangelista duobus illis verbis: *Ecce Magi*, q. d. videte quid fecerint Magi isti: pudeat vos non sequi? intuemini in speculum, imitamini primitias vestras.

B. I. *Stellam Ducem secuti sunt.* Primò, Apparet Magorum fervor, dum stellam ducem tantum secuti sunt, (non enim habuere angelum vocantem, quemadmodum pastores) secuti inquam *usq; dum veniens staret supra ubi erat puer:* tunc enim videntes stellam consistere, & Regē desideratum ostendere, licet in stabulo, *gavisi sunt gaudio magno valdè.* Ecce Magi: quid nos? Habemus certè infallibilem stellam ducem Ecclesiam, quæ suis præceptis & consiliis nos ad Christum dirigit, & minus errare potest aut seducere quam stella illa: siquidem stella ab angelo dirigebatur, Ecclesia vero à Spiritu S. dirigitur. Ita igitur nobis præcipit inter alia missam diebus festivis audiendam; Cujus ductum si sequamur, certo ad Christum perveniemus: Sin minus, certò certiùs deviabimus: quia ipse dixit; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ac licet illa nos interdum ducat ad ea quæ aspera videntur, ne turbemur, ne murmuremus, sed potius gaudeamus cum Magis, quia ipsa novit ubi Christus & animæ nostræ Salus sit. Potuissent etiam Magi turbari vel offendi & tristari, quando viderunt stellam stare supra stabulum, vel ad speluncam, locum abjectissimum, ducere; inde tamen non modo non turbati, sed potius gavisi sunt gaudio magno valde. Itaque ne turberis vel te opponas, quod Ecclesia te ad Missam vocet, & præcepto suo trahat, tametsi forte locus & sacrificium ipsum, quia peregrina lingua peragitur, tibi displicet; quia quæ Ecclesia facit, Dei ductu facit; & si D. Cypr. credimus: *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Quid? Omnes nationes Diis suis offerebant certa sacrificia, aliæ hostias animalium, aliæ herbas, thus, aromata, crocum, &c. nos soli Deo vero nihil offeremus? & cum possimus offerre quod nihili nobis constat, necdum offeremus? num malumus offerrē boves, aurum, thus & myrrham? Inexcusabilis est, qui Christianorum sacrificium offerre detrectat.

C. II. *A longè venerunt.* Secundò, A longe venerunt, ab orientalibus regionibus, & tamen intra 13. dies advenerunt, unde noctibus etiam, non diebus tantum iter fecisse credibile est, insuper valdè festinasse, ac visa stella quam primum ad iter se accinxisse. S. Hieronymus asserit Dromedarios accepisse, jumenta veloci gressu, & inediæ ac sitis patientissima, quo citius iter conficerent. In Bethlehem verò tamdiu morati sunt, donec à Domino dimitterentur, responso accepto in somnis: unde saltem ibi pernoctasse certum est. Ecce Magi primitiæ nostræ. Quid nos successores Christiani? Pudet dicere: Tametsi enim monitricem audimus campanam, imo Ecclesiæ præceptum, & voces prædicatorum, ac licet proximi simus Ecclesiæ: accedimus ad Ecclesiam auff der Ochsenpost/ ad medium missæ, ad concionem; atque ita & alios turbamus, & præcepto sæpe non satisfacimus, & prætereà palam facimus nos ægre & cum tædio accedere. Quis enim ita tarde venire cernitur ad nuptialem pompam, vel convivium? omnes ibi in Dromedariis

riis veniunt nemo ferius; quia libenter. Non fuit ita apud Christianos veteres, sed illis prius in Ecclesia congregatis, postea primum intrabat Episcopus vel Pastor, ut testatur de suis sanctus Chrysostomus homil. 33. in cap. 9. Matth. At si hoc nunc observandum esset; nunquam ingredi possemus nos, qui inchoare officia debemus nullo penè adhuc præsente. Quod si ad finem saltem persisterent ejusmodi tardigradi boves, aliquid hoc esset; sed quam multi sunt, qui responsum Angeli, id est Sacerdotis dimittentis plebem: (canendo: *Ita missa est*, q. d. ite plebs dimissa est:) non expectant, sed facta elevatione mox aufugiunt, quasi lupum vidissent? An non tales jubentur publicè confundi, de consecr. d. 1. c. missas? item excommunicari, cap. Sacerdote, ibid. Non discedebant à suis sacrificiis Ethnici nisi absolutis & publica præconis voce dimitterentur. An non igitur dedecus vinci ab Ethnicis in divino cultu? nisi responsum secundum expectassent Magi, ad Herodem divertissent, & grave periculum incurrissent. Idem timere possunt, qui Missæ finem non expectant.

D. III. *Diverterunt ad sapientes.*

Tertio. Diverterunt Ierosolymam ad Sapientes ut investigarent, ubi Christus nasceretur: licet suo præsenti periculo. Quomodo enim libenter audiret Herodes adesse in regno ejus, quod ipse per Tyrannidem invaserat interfecto Hircano, regem alienum, & Regem natum se majorem? quomodo non impendebat mortis periculum iis, qui alienum regem coram Herode vel nominarent? perrexere tamen intrepidi & posthabita vita sua, Martyrum instar, Christum liberrimè confessi sunt, & inquisierunt, ac præterea se illi devotos proclamarunt, dum dicebant: *Venimus cum muneribus adorare eum.* Designata est hæc eorum fortitudo in tribus illis ducib. Davidici exercitus, qui petenti aquam Regi de cisterna, quæ est in Bethlehem, irruerunt per media castra Philistinorum & attulerunt Regi aquam, quã tamen David bibere renuens effudit, quod sanguinis periculo constitisset, 2. Reg. 23. Ecce Magi, hi enim irruerunt per Christi hostes ad Christum, & attulerunt nobis aquam cognitionis Christi, & fidei, non dubitantes pro eo mori: Quid nos? Non est quod multum interrogemus, ubi Christus inveniatur. Ecce hic est Christus, in templo, in altari, in Bethlehem, id est domo panis candidissimus fasciis specierum panis & vini involutus: in sacris concionibus similiter monstratur à Sacerdotibus. Nec est quod periculum aliquod subeamus, si huc accedamus: est verò, si non accedamus. Et interim tamen cogi, & calcaribus huc agi, uti jumenta, debemus, quemadmodum ad Ergastulum inertes pueri, ad compedes damnati. Quid hoc ad Magorum exemplum? quid ad antiquorum Christianorum fervorem? illi ut sacram audire missam & concionem possent, speluncas intrabant, carceres penetrabant, mori potius se paratos dicebant, & offerebant proconsulibus quam eo beneficio destitui; Ut refert Cardin. Baron anno 253. & 303. Alii licet scirent, templi aditus à carnificibus obsideri, & ingredientibus cutem de capite abstrahi, non tamen abstinuerunt, sed martyrio se obtulerunt. Et quid nos? Ob vanissimos prætextus debito tardius vel omninò non accedimus: deinde modicum frigus ferre non possumus, &c. Et quomodo aliquando perferetis purgatorii pœnas, vel etiam inferni? *Qui timet pruinam*, inquit Iob c. 6. *irruet super eum nix.* Medium quadrantem sustinere non potestis, donec missa omnino finiatur; *& quis vestrum habitabit cum ardoribus sempiternis?* Isa. 33.

E. IV. *Proprias commoditates Christo postha-buerunt.*

Quartò, Propriam quietem & domesticas commoditates Christo post habuerunt Reges isti, & tam remotum asperumque iter susceperunt, nullius temporalis lucri gratia, sed potius maximis suis impensis: qua in re egregios se mundi contemptores exhibuerunt, & veros Dei sectatores: nimirum instar illius columbæ, Gen. 8. ad Christi Ecclesiam, vel ut arcam Noë, advolarunt, nolentes persistere super cadaver terrenorum bonorum, quemadmodum fecit corvus, videlicet Herodes & Scribæ. Ecce Magi: quid nos? Propter levissimam & non necessariam negotiationem à divinis abstrahimur & retinemur: pro exiguo lucro margaritam pretiosam dimittimus. O infelix negotiator! an non tu ille es, qui invitatus ad nuptias filii Regis; contemptis nuptiis, abis ad negotiationem tuam, Matth. 22. An non hodie nuptiæ omnium nostrum cum Christo? Audi Ecclesiam hodie canentem. *Hodie cœlesti Sponso juncta est Ecclesia; dum videlicet primitiæ gentium Christo per fidem desponsatæ sunt.* Currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias. Sed etiam quævis Missa nuptias Christi cum Ecclesia repræsentat. Et tu hodie dormitas, vel alio divertis, & cadaveri adhæres uti corvus? Quid quæso dixit Rex de talibus invitatis, non venientibus? *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati sunt non fuerunt digni.* Venerab. Beda in hi. Angl. narrat fabrum quendam sibi notum, cum audire Missam deberet, se inebriare solitum, qui tandem infirmatus dixit in agone: *sicut Stephanus vidit cœlos apertos, ita & nunc video infernum mihi apertum, & in medio Judæ, Caiphæ, Pilati & crucifixorum Christi locum mihi paratum*; Sicque obiit.

Vt suprad. in F. S. Stephani.

F. V. *Procidentes adoraverunt.*

Quintò. Procidentes adoraverunt Christum, adhuc puerulum, pauperem, abjectum. Et quale hoc spectaculum? videre Reges magno comitatu stipatos intrare stabulum, procidere ante pauperculum puerulum, quem nulla adhuc viderunt mira patrantem, nec cœlestia loquentem, nondum viderant resurrexisse à morte, ascendisse ad cœlum, misisse Spiritum sanctum, vicisse & convertisse mundum: quæ omnia nos facta scimus, &c. Ecce Magi, quid nos? Scimus nos quanta fecerit Christus, habemus innumera argumenta Deitatis ejus, quæ nondum habuere Reges illi: & interim ô quam irreligiosi sæpe apparemus in templo & extra, cum sacram Eucharistiam gestari videmus? An non condemnant nos Reges

ges illi? Magni illi in terris suis erant, ast ubi coram Christo erant, nihil se reputabant, ideò se ad terras abjecerunt, quomodo Rusticus aliquis in pago suo primarius, ubi in aulam Principis venit, nihil se esse cernit. Quod si Reges isti nihil se esse agnoverunt coram Christo, quis tu quæso coram eodem, qui nec regulus quidem es in terra? S. Chrysostomus sæpe vidit sanctos Angelos sub Missa assistentes magna cum reverentia, ut refert S. Nilus de eo. Quin & oviculæ S. Coletæ, & S. Francisci, Missæ cum summa modestia & adstabant, & ad elevationem sacræ hostiæ in genua provolvebantur: post iterum erigebantur, Sur. in vita.

Audi S. Chrysost. in c. 10. ep. ad Cor. hom. 24. hac de re loquentem: *Hoc corpus etiam jacens in præsepio*, inquit, *reveriti sunt Magi: & viri impii & Barbari, patria & domo relicta, & longam viam confecerunt, & cum venissent, cum multo metu & tremore adoraverunt. Imitemur ergò vel Barbaros nos cœlorum cives. Nam illi quidem cum in præsepi vidissent & in tugurio, neque tale quippiam vidissent, quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed Sacerdotem astantem, & spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita supervolantem.* Hæc Chrysost.

G. VI. *Legem ex ore sacerdotum requisierunt.*

Sextò, *Legem ex Sacerdotum ore requisierunt* juxta id Malach. 2. nec attenderunt ad exemplum illorum. Benè & verè consulebant Sacerdotes Magis, ipsi tamen Messiam non requirebant. Hoc inquam non curarunt Magi; sed contenti Sacerdotum responso, ad Christum constanter perrexerunt. Ita licet nos videamus non ita ambulare Sacerdotes & Prælatos, sicut nos ambulare docent & jubent, non ideò absterreri à proposito virtutum stadio & studio debemus. Sufficiat nobis, quod benè nobis consulant & prædicent. Quare ut isti Sacerdotes sanè intelligebant & docebant scripturam, licet non bene viverent: ita & nostri Sacerdotes ac Pontifices, licet forte non semper sint, quales esse debent, bene tamen semper docebunt.

H. VII. *Obtulerunt munera.*

Septimò. *Apertis thesauris suis obtulerunt Christo munera, aurum, thus & myrrham*: indecens enim putabant, comparere sine munere eoque exquisito & insigni, de thesauris extracto. Ecce magi: quid nos? Si indecens est coram Deo apparere sine munere, juxta id Exod. 32. *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Quid erit omninò non comparere? Et cerè is munera non tam corporalia, quàm spiritualia requirit à nobis. Satis magnum munus ei offerremus, si nos ipsos ei in templo crebrò præsentaremus, juxta id ad Rom. 12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum.* Satis magnum munus offerremus; si thus piæ orationis: si myrrham alicujus mortificationis, patientiæ, jejunii, &c. Rursum offer Deo una cum Sacerdote sacrificium altaris.

I. VIII. *Per aliam viam reversi sunt.*

Octavò. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam, non divertendo scilicet amplius ad Herodem, sed longius ab eo recedendo: sic conversatio Christianorum alia esse debet, quam fuerit in Gentilismo; uti admonet Apostolus ad Ephes. 4. gravissimis verbis, dicens: *Hoc igitur dico & testificor in Domino, Ut jam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, &c.* Et post pauca: *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, &c.* Idem clarius adhuc exponit Eusebius Emissenus hom. 1. de Epiph. dicens: *Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando superbiam suscepta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluptates & consuetudines pristinas ac desideria antiqua damnamus, &c.* Magi audito Dei responso & mandato, mox Deo potius obedire, quam hominibus, plarisque verbum facere quod à Deo audiebant, quam quo se Herodi obstrinxerant, decreverunt. Pari modò & nos, quidquid mundus oggànniat, quidquid fortè ei promiserimus, surda aure pertranseamus, & Dei potius voluntati nos & vitam nostram conformemus.

Itaque ô Christiani, *Attendite ad petram, unde excisi estis*, inquit Isa. cap. 51. (remittens Iudæos ad Abraham patrem eorum & Saram matrem) Attendite vos Christiani ad primitias vestras, tres Reges, quasi ad vestrum Abraham, Isaac & Iacob, ne dicatur vobis: *Quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus?* Thren. 1. Verendum sanè, ne tandem omninò perdamus Christum, qui tam frigidè eum requirimus. Si enim Iudæi, populus Dei electus, meruit eum perdere, quia dum præ foribus haberet, quærere non curavit, quomodo non idipsum metuimus, qui nihilo plus facimus?

CONCIO IV.

MAGICAE ARTES CUR detestandæ.

I. *Quia hæ artes impiæ.*
II. *Quia deceptoriæ.*
III. *Quia periculosæ* 1. Animæ. 2. Corpori etiam.
IV. *Quia Christiano indignæ.*

THEMA.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, Matth. 2.

A.

Consentiunt SS. Patres fuisse Magos istos, viros sapientes & Astrologiæ peritos: sed complures insuper volunt fuisse maleficos, magicis addictos artibus: siquidem à Matthæo infami hoc Mago-

Magorum notantur nomine, addunt tamen & hoc; deposuisse ad præsepe Christi, diabolicas præstigias una cum infidelitate, nec ad eas postea rediisse. Meritò sanè hoc: per aliam enim viam, teste Evangelista, regressi sunt in regionem suam. Idololatræ venerunt & Magi, sed redierunt Christiani & cultores veri Dei. Nec absque Dei consilio hoc factum est: indicabat enim, ut scribit S. Ignatius in Epist. ad Ephes. mundi sapientiam perituram, magicas artes abolendas, & tenebras ignorantiæ pellendas esse, ex quo vera lux, Dei sapientia, mundo apparuit. Inde Paulo prædicante Act.10. *Multi ex eis, qui fuerunt curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Inde S. Petrus oratione dejecit ex aere Simonem Magum volare præsumentem, ut testatur Egesippus lib. de excid. Ierosol. Inde Paulus Elymam Magum sibi resistentem verbo excœcavit, Actor.13. Quodque magis mirum, Tiberius Imperator Rom. Christo in terris degente & annum 18. agente decretum contra Magos & Astrologos judiciarios fecit, & exteros quidem necavit, cives verò his artibus addictos extorres fecit, qui verò destitissent, impunitatem consequebantur. Dio. lib. 57. Quæ res manifestè ostendit, Christum finem imponere voluisse diabolicis istis studiis, qui in orbem venerat ad conterendum Zabulum. Viderint igitur quid agant, qui etiamnum non desistunt his artibus studere, vel opera talium uti, cum tamen Christiani sint; qui ut ait Iob 3. cap. *Parati sunt suscitare Leviathan,* quoniam Christo & Christiano nomini faciant injuriam inferantque ignominiam. Certè Ecclesia præcipit Episcopis & Parochis cap.26. q. 5. cap. Episcopi; ut tales ejiciant è parochiis, velut communione fidelium indignos & diaboli mancipia. Conabimur itaque pro officio nostro ostendere, quàm detestandæ sint hæ artes.

B. I. *Quia hæ artes impiæ.* 1.

Primò. Quia hæ artes sunt impiæ & fidei Christianæ contrariæ, Primò, quia earum sectatores maximam Deo injuriam inferunt, dum cum ejus hoste diabolo conspirant, quem in auxilium suum vocant. Dicit autem lex Liberi cap. de inoffic. testamento: *Inimicus meus is etiam est, qui versatur cum inimicis meis.* Quantam quæso injuriam Christiano inferret nomini princeps aliquis Christianus, qui contra alios Christianos pugnaturus, suppetias à Turca Christiani nominis hoste peteret? Gravius Deum offendit, qui relicto eo, opem à dæmone ejusque cultoribus petit. *Si tu famulum tuum,* ait S. Chrysostomus l. contra Iudæos orat. 5. *flagris cæcideris, & ille 30. aut 50. plagis acceptis illico provocet ad libertatem aut deserat tuum Dominium, & ad alios quospiam sese conferat, qui te oderint, eosque in te concitet: dic mihi num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? nequaquam. Cur ita tandem? quoniam officium est heri punire talem famulum, &c.* Subdit simili modò non profugiendum in morbis & afflictionibus ad artes magicas earumque sectatores, sed potius ad Sanctos. Ideò 2. Par. 16. arguitur Rex Asa quòd Syriæ Regis, hostis Iudæorum, opem implorarit, contra Baasa, & punitur. Dixit enim illi Hanani Propheta: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo: idcircò evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua,* id est, feci ut elaberetur è manu tua, quem alioquin etiam delevisses; similiter quòd in ægritudine sua potius confisus sit in opere medicorum, quam in Domino, ideoque mortuus est, ibid. quanto magis peccant, qui in ope dæmonum confidunt?

2.

Deinde eo ipso videntur Deum facere impotentem aut immisericordem & Tyrannum: dum non ab eo, sed à creatura, & ipso Dei hoste diabolo medelam quærunt; quasi Deus non posset aut non vellet ipsos juvare. Hoc exprobrat Deus regi Ochoziæ per Eliam, 4. Reg. 1. Cum enim is cecidisset per cancellos cœnaculi & ægrotaret, misit ad Beelzebub Deum Accaron, ad consulendum super infirmitate sua, Angelus autem Domini locutus est ad Eliam; *Surge & ascende in occursum nuntiorum Regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non est Deus in Israel ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Qui & mortuus est juxta sermonem Domini. Et ita fit multoties justo Dei judicio ut pereant, qui relicto Deo ad præstigias currunt. Quemadmodum enim Valentis Imp. filiolus ob parentis peccatum in S. Basilium commissum gravi infirmitate tactus, cum ad eum vocatus esset Basilius convalescere cœpit: vocatis verò deinde hæreticis (quibus favebat Imperator) paulo post mortuus est, ut est in ejus vita: Ita sæpissimè evenit illis, qui magis in ope dæmonis aliarumque creaturarum perperam confidunt quam in Deo.

3.

Denique cultum Deo debitum auferunt, & dæmoni ac creaturis impendunt; dum vel effectus illis adscribunt, qui vires earum superant; vel variis ritibus ac quandoque rebus etiam sacratis dæmones venerantur, quo eorum operam emereantur; insuper etiam cum ipso se confœderant, pacto expresso vel tacito, & proprias animas ei devovent: siquidem media illa, quibus utuntur ad finem expetitum, non possunt esse causa effectuum, sed signa tantum sunt, quibus ex pacto evocatur dæmon ad præstandum id, quod ab ipsis præstari nequit. Quomodo ex insidiis latro aliquis per sibilum evocatur à socio, ad viatorem occidendum. Nam vel cum Dæmone pactum expressum ineunt per se vel per alium cum illo paciscendo, ut hoc vel illud præstet; tali vel tali conditione, & sic gravissimè peccant, committuntque actum Idololatricum, quandoque apostasiam aut hæresin. Vel implicitum: cum nimirum scientes ac volentes utuntur superstitiosis signis, quæ norunt vim talem ex natura sua non habere, hoc vel illud efficiendi; vel ignorantes utuntur magicis istiusmodi signis, ignorantia tamen culpabili

nec parati sunt ea relinquere moniti. Et hoc modo graviter etiam peccatur, sicut qui ex rapto vivit, licet non rapuerit, furti particeps fit. Nonne, si incederem vestibus Prædicanticis, licet nihil cum illis negotii habuissem, diceretis me correspondere cum Prædicantibus & Lutheranis? omninò. Posuit Deus ab initio inimicitias inter hominem & diabolum, Gen. 3. Reformatum & redintegratum est hoc bellum à Christo, velut à Patre patrato. Unde clamat Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, &c.* ad Eph. 6. Et 1. Cor. 10. *Nolo socios vos fieri dæmoniorum.* Idque nova quadam obstrictione promisimus in baptismo, patrinis pro nobis spondentibus iterum atque iterum; nos abrenuntiare Sathanæ & omnibus pompis ejus. An non igitur is, qui ejusmodi pactum aliquod & familiaritatem, qualemcunque cum Dei & hominum adversariis init, reus tam habebitur perfidiæ, transfugii, apostasiæ, quàm si Monachus votivam deserat professionem: quam si miles ad hostem transfugiat: quam si Christianus ad Mahumetismum vel Iudaismum se recipiat?

C. II. *Quia deceptoria.*

Secundò, Quia hæ artes sunt deceptoriæ, inanes & vanissimæ, uti & pacta cum dæmone inita; nam hominem quidem dæmoni obligant, & morti æternæ addicunt, non tamen vicissim dæmonem homini: nihil enim juris acquirit homo in dæmonem ex tali pacto: nihil item in signa, quibus ex condicto utendum. Unde perinde est tale pactum, ac si quis uxorem sibi desponderet ea lege, ut ipsa fidem servare marito debeat; Ipse verò uxori nequaquam. Promittit quidem spiritus mendax mutuam fidem & operam, sed ad hanc servandam nequaquam obligari potest ac vult, neque servat etiam, saltem ordinariè & constanter, qui irreconciliabili odio homines prosequitur, & ipsi Christo mentiri ausus est: *Hæc omnia tibi dabo.* Et Domino teste, *mendax est & pater mendacii*, Ioan. 8. De eodem ait Iob c. 40. *nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?* (ex animo videlicet & fide bona) *nunquid feriet tecum pactum & accipies eum quasi servum sempiternum? nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis, &c.* Scilicet parebit homini, qui maluit carere beatitudine æterna quàm parere Deo, & Verbum hominem factum adorare. Inprimis sæpissimè falsa pro veris exhibet, uti nummos adulterinos & fictitios pro veris. Hinc enim videmus hoc hominum magicorum genus nunquam ditari, sed eo nihil egenius & abjectius esse; & si prius divites erant, depauperari. Nimirum ita providit Divina bonitas, ut ne homines, qui alioqui lucri cupidi sunt, his artibus se addicerent, & fidem illis adhiberent. Sic Magister sententiarum lib. 2. d. 21. asserit, dæmoni in alia forma non permissum à Deo apparere & loqui Evæ, quam serpentis, ut sic ejus fraus & malitia non nimis occulta esset, sed facilè pateret, & ab Eva deprehendi posset. Unde prorsus stolidi & abjecti sunt censendi, qui à deliciis ejusmodi aniculis & rudissimis stolonibus consilia petunt, & opem à vilissimis & egenissimis. Quod si nummos invidet suis servis, & pro nummis testas, carbones, fimum & similia porrigit: quomodo sanitatem & meliora bona dabit? sic etiam fictitias epulas, fimum pro pane, mures pro avibus &c. suis exhibet.

Vide Delrium 2. disquisit. l. 2. q. 12.

Deinde mendaciis ut plurimum decipiunt, uti primos nostros parentes: *Eritis sicut Dii*, Gen. 3. & per hæc sæpe innocentes in crimen vocant. Atque ut mendaciis fallant, nonnunquam vera falsis admiscent. Cujus exemplum refert Delrius de rustico Misnensi l. 4. disq. mag. c. 2. q. 6. *Duo*, inquit, *recentiores scriptores, Germani de hac re commemorarunt fuisse in Misni rusticum quendam: hunc domum retulisse pecuniam visicæ suis inclusam & scamno imposuisse: cumque alio abivisset, Sus domestica ut vorax & multivorum est animal, in vesicam incidit, & ut vidit, devoravit. Rusticus rediens, quam non inveniebat, ab uxore deposcit, negat mulier vidisse se, quid agat? adit stolidus vetulam prope degentem, quam pro veteratrice habebant. Iubet muliercula virum in limine domus resistere, nec à linea, quam creta notarat, latum abire culmum: mox ingressa cubiculum, dæmonem suscitatur de fure, his verbis, arcam introspiciens: Quidam N. pecuniam suam domum reversus tali amisit die, quem ais furatum? respondit veterator ex arca (novo suo tripode) Sus comedit domestica. Tu tamen dicito, conjugem ejus, ut cum Sacerdote amasio eam abliguriret, clam sustulisse. Respondet illa rustico, quod à dæmone jussa, tacet de sue. Sed rusticus cuncta sciebat, nam nihil veritus anile interdictum, pedentim ac leniter illam fuerat subsecutus, & ante ostium cubiculi substiteuerat, ut quid malefica moliretur, accuratè per rimam observaret. Reversus domum uxori & amicis cuncta narrat; eorum consilio suem mactat, crumena potitur. Defert triveneficam ut calumniatricem, & dæmonis partiariam, magistratus portentum flammis expiavit.* Sic Cypriano mago promisit traditionem virginis Iustinæ; sed non præstitit nec præstare potuit.

Denique si vera narrant, amphibologiis tamen involvunt sæpe, ut ita decipiant; cujus rei plurima sunt exempla. Unum refert Holcot. in lib. sapientiæ lect. 190. de Episcopo, qui se tradiderat Necromantiæ, per quam adeptus est Episcopatum. Tandem cum haberet plurimos adversarios, & eosdem fugiens in Castello se includeret, quæsivit ex Cacodæmone: *Fugiamne an non? respondit dæmon amphibologicè: Non sta securè: venient enim inimici tui suaviter & domui tuæ subjicientur.* Hæc verba Episcopus ita intellexit: *Non, sta securè*, &c ut dixi: sed delusus est: venerunt enim inimici ejus & castrum succenderunt. Itaque exprobrare cœpit is diabolo, quòd eum decepisset. Negavit dæmon, & ait se ita intellexisse: Non sta securè: *venient enim inimici tui sua vi ter, & domui tuæ subjicient Ur*; quod est Chaldaicè, ignis. Sic Amilcari Carthaginensium Duci contra Agathoclem Syracusas obsidenti,

Plura exempla in Majol. to. 2. Canic. col. 2. fol. 70. seqq.

Aruſpex quidam prædixit, poſtridie Syracuſis cœnaturum. Ille verò dum Syracuſis ſe potiturum ſperat, eruptione civium captus, eo die invitus Syracuſis cœnavit & diris vexatus tormentis interiit. Diodor. l. 20. Neroni Imp. vix 30. annos ſupergreſſo reſpondit Delphicum oraculum, caveret annum 73. unde animo elatus, nihil non audere cœpit, quaſi ante id tempus mori non poſſet, ſed interim ſubito à ſuis derelictus, & ad necem quæſitus ſeipſum necavit, ſucceſſitque ei Galba qui annum 37. agebat, Petrarcha ex Suetonio. Tale eſt id oraculum Pyrrho ab Apolline datum: *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.* Et id Crœſo datum ab eodem Apolline: *Crœſus perdit Halym tranſgreſſus maxima regna.* Hæc enim ſenſum habent pro & contra: utrumvis eveniret, dicere poterat dæmoni; Hoc volebam.

Quæ omnia oſtendunt, quàm invideat dæmon hominibus veritatem, & omne bonum, ut merito de illo dicere & monere unumquemque poſſim: *non credas inimico tuo in æternum,* Eccl. 12.

D. III. *Quia periculoſæ.* *Vide Delrium l. 6. diſquiſit. c. 6. ſect. 1. q. 2. f. 152.* *1. Animæ.*

Tertiò. Quia ſunt periculoſiſſimæ, & qui eas ſectantur, corporis & animæ grandi ſe periculo exponunt: uti & pacta dæmoniaca periculoſa ſunt & pernitioſa, animæ & corporis exitium efferentia. Unde Dominus loco dicto ait Dæmonem *homicidam fuiſſe ab initio* S. Leo hom. 19. de paſſione Domini ait, beneficia dæmonum cunctis eſſe nocentiora vulneribus; & præſtare illorum odium quam pacem meruiſſe. Quid enim quæſo ſperemus boni ab hoſtibus nobis infenſiſſimis? Si quantum illi cupiunt, tantum nocere humano generi poſſent, actum eſſet de hominibus; citò enim mortales omnes interimerent, quod quia vident ſibi non licere, ideò aſſiduè hominibus animæ mortem moliuntur per varias & multiplices peccandi illecebras, ne, qua ipſi excidêre beatitudine, homines potiantur: Odii eorum magnitudo colligi poteſt ex vehementia & acerbitate cruciatuum & vexationum, quas intulere, quotieſcunque DEUS permiſit, S. Iobo, Saræ maritis, S. Antonio, &c. S. Chryſoſt. l. contra Iudæos orat. 5. ait: *Chriſtus permiſit illos irruere in illum gregem porcorum, ut intelligeres quod eadem facturi fuerint hominibus, ſtatimque perfeciſſent, ſi DEUS illis permiſiſſet adverſus eos propriâ potentiâ ac voluntate uti.* Itaque inprimis mortem animæ incurrit, qui remedium corporale à dæmone petit vel accipit. Et quid hoc eſt aliud quàm leve aliquod vulnus lethali alio velle ſanare? An non conſultius eſt DEO propitio emori, quàm DEO irato ſanari? *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ait Dominus. Audi Chryſoſtomum dicto loco: *Satius eſt,* inquit, *hoc pacto mori, quàm deſerere pietatem.* Ibidem etiam proximos poſt SS. Martyres ſtaturos ait in illo die, qui aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate ſeu magicis artibus, præoptarint moleſtiis immori, quàm cum impietate ſanari. *Quemadmodum enim illi,* inquit, *præoptarunt cædi flagris, torquerique ut ad honorem pervenirent: ita tu quoque hodie præoptaſti flagellari, torquerique à febri vulneribusque, ne abjiceres pietatem, non incantamentis, non amplicaturis ac ſpebus iſtiuſmodi nutritus, &c.* ſic ille. Itaque in talibus caſibus dicamus Deo cum Ioſaphat Rege; *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Valentinianus poſt Imp. congiarium ſeu munus imperatorium Iuliani reſpuit: quòd is Apoſtata eſſet: cur non magis reſpuenda opera dæmonum?

Matth. 8.

2. Corpori etiam.

Deinde non animæ tantùm, ſed corporis etiam exitium talibus imminet, eoſque peſſimo interitu ſæpe è medio tollit dæmon. Ruinam Simonis Magi audivimus, & Elymæ excœcationem. Addemus pauca alia. Concurrerant in Aulam Anglicanæ Reginæ duo Magi jucundum exhibituri ſpectaculum, paciſcuntur ſingularem una in re ſibi invicem parendi neceſſitatem. Prior jubet alterum per feneſtram deſpicere, quod cum facit, enatis ſubito cervinis ex capite cornibus, cunctorum ſannis & ludibriis fuit appetitus. Quare, quàm impotens injuriæ tam cupiens vindictæ atrocioris, pingit carbone humanam in pariete effigiem, tum priori Mago imperat, ſubire effigiem illam, & parietem ceſſurum ingredienti, mortem ſibi cernens præſentem, horrere hic, & deprecari. Urgere alter conventa; ſubit ergò coactus, & viſus corporis paries locum dare ingredienti: ſed ingreſſus nunquam poſteà comparuit, videlicet ſuperior dæmon eum occiderat, & corpus in deſertum, vel ſpeluncam alicubi abdiderat. Præſtigiator quidam Nobilis in diverſorio publico in N. hoſpitis famulum ita petentibus reliquis convivis decollavit, cum autem ei rurſus caput imponere vellet, animadvertit alium adeſſe magnum, qui eum in hoc propoſito impediret. Regat hic eum ne hoc faceret. Verum cum admonitioni repetitæ alter non pareret: præſtigiator in menſa lilium creſcere fecit, cui cum caput & flores amputaſſet, concidit ſtatim abſque capite de menſa magus ille, qui alterum impediverat, & præſtigiator abſque ullo impedimento famulo caput impoſuit è veſtigio & exhoſpitio urbeq; ne à magiſtratu propter commiſſum homicidium deprehenderetur, aufugit. Eundem exitum timere debent, qui magos conſulunt: nam faciens & conſentiens eadem pœna digni ſunt. Ideò non ſolum maleficos jubet lex exterminari, Exod. 22. ſed etjam delendos à Deo dicit, qui illos conſulunt, Deut. 18. Et Levit. 19. ubi dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos, &c. ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei.* Id expertus eſt Saul, quem propterea occidit Dominus, quod conſuluerit Pythoniſſam, 1. Par. 10. Ut enim non ſolum Lucifer, qui Deo ſe oppoſuit, detruſus eſt in infernum, ſed quotquot cum illo conſenſerunt angeli, factum approbando, &c. ſic non ſoli magi, ſed eorum quoq; conſultores eandem merentur pœnam.

Objectio. 1. Sed objiciet aliquis Primò, etiam Christum & Apostolos Satanæ imperasse, quid ab eo fieri vellent jubentes. Sed respondere imprimis possem, stulti ac superbi animi esse, velle Christum & Apostolos in prodigiis imitari : hanc enim Dei imitationem & similitudinem cùm appetiissent dæmones, & primi nostri parentes; inde illi de cœlo, hi de Paradyso exturbati sunt: Quod si aliqui Sancti dæmones coegerunt ad præstandum sibi operam, uti de S. Artidio Archiepiscopo Bisontino legitur, quod coegerit dæmonem ad se adsportandum Romam, & de exorcistis aliis commemorant historiæ : id factum à Deo per miraculum ob singularem zelum ac meritum alicujus Sancti, &c. non sunt autem hæc trahenda in exemplum, quia non sumus parium meritorum, non habemus eandem causam, fidem, zelum, &c. ex altera verò parte hostis est fortissimus & astutissimus, qui nisi Deo singulariter cooperante, compelli è nobis nequit. Deinde utebatur Christus & prisci illi Christiani imperio in dæmones (ut ait Tertullianus) *non invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione.* Unde magi & qui eos consulunt, non modo non imitantur Christum & Sanctos, sed potius contrarium faciunt. Nam hi non invocabant nec consulebant dæmones, nec eorum opera utebātur, sed increpabant, pellebant, torquebant, nec sinebant ea loqui, etiam cum vera dicerent.

2. Secundò, reipsa comprobari talia media effectum sortiri : Respond. non negari hoc, sed tanto magis cavenda esse talia dæmonum auxilia, quanto magis blandiuntur. & opem ferunt.

3. Tertiò, multa ac quandoque mera adhiberi sanctitatem redolentia, orationes, jejunia, vigilias, &c. Respond. tanto grandius esse hoc scelus, cum talia adhibentur, siquidem diabolus, Dei simia, ad sui cultum & orationem hæc adhibenda contendit. Dicunt, bona se hæc intentione facere. Sed respondeo & eos, qui Apostolos interficiebant, putasse se obsequium præstare Deo, gravissimè tamen errasse; neque bona intentione fieri possunt, quæ tam manifestè Dei præceptis contrariantur, qualia sunt illa.

4. Sed molesta est febris, ait alius. Respondet huic objectioni Chrysostomus dicto loco, *Verum, inquit, oppone illi incendium gehennæ, quod effugies omninò, si volueris istam febrim cum tolerantia perferre. Reputa tecum, quàm multa passi sunt Apostoli ! considera castos perpetuò in afflictionibus fuisse, &c.* Et infra : *Quàm multi frequenter optarunt martyrii coronam accipere ? hæc est parata martyrii corona. Non enim is modo martyrium peragit, qui jussus sacrificare potiùs ducit emori : Verùm etiam servare quod justum est, ac sponte propter Deum mortem accersere, manifestum est martyrium, &c.*

E. IV. *Quia Christiano indigna.* Quartò, Denique sunt hæ artes nomine Christiano indignissimæ. De nobis enim S. Petrus 1. Petri. ait : *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Lumen nimirum fidei, quod hodie illuxit gentibus, & duxit ad veri Dei cognitionem. Quæ sunt autem illæ virtutes Dei à nobis annuntiandæ, nisi illæ, de quibus Dominus ait: *Ecce dedit vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici & nihil vobis nocebit ?* Luc. 10. Quàm sæpe hoc demonstratum ? Quàm sæpe obmutuerunt dæmones ad præsentiam Sanctorum ? Apollo Daphnæus apud Antiochenos, ad præsentiam reliquiarum S. Babylæ martyris, Sozom. l. 5. hist. c. 18. Serapis ad præsentiam S. Apollinaris, ut in ejus vita apud Sur. 23. Iulii. Internuntius Iuliani Apostatæ in Occidentem missus, oratione publii monachi, per dies decem in quodam loco, ubi is orabat, sistebatur, ita ut progredi non posset, & re infecta redire cogeretur, remque Iuliano referret, apud Baron. Anno 363. Alias item sacrificanti Iuliano, præsente quodam Christiano, qui credebatur gentilis, omnia irrita cedebant, ipso & sacrificulo aliisque ministris horrore perfusis, aliis stupentibus & Iesum invocantibus, Prudentius in Apotheosi contra Iudæos. Irritæ igitur fiebant gentilium præstigiæ, divinationes & oracula, si quis solùm Christianus interesset, adeò ut oportuerit Idolorum Sacerdotes antequam oraculorum responsa exposcerent, altius proclamare: *Procul hinc sit lotus & unctus:* Christianus nimirum baptismate tinctus & confirmationis oleo inunctus. Quid igitur regiam hanc dignitatem, & virtutem tam fœdè commaculabimus, subjiciendo nos illi, quem sub pedibus nostris subjecit Deus ? Quid rursum post lucem abimus in tenebras ? Cur eruti à jugo dæmonis, iterum nos subjicimus ? Faciebant hoc aliqui Galatarum, quos arguit Apostolus & inter alia ait c. 5. *State & nolite iterum jugo servitutis contineri.* Stemus igitur & nos, & cum Magis hodiernis, primis nostris parentibus Christianis, deponamus ad pedes Christi omne id, quod fidei Christianæ repugnat : ut sic stella fidei Duce perducamur ad ipsum in gloriam.

CONCIO V.

DAMNANTUR SUPERSTITIONES SEU OBSERVANTIÆ EÆQUE MULTIPLICES.

I. *Observantur figuræ.*
II. *Observantur verba.*
III. *Observantur Dies.*
IV. *Observantur cætera omnia.*
V. *Observantur certæ actiones.*
VI. *Observantur res benedictæ.*
VII. *Observantur res abominabiles.*

THE-

THEMA.

Vidimus stellam ejus in Oriente, Matth. 2.

A. HOdierna dies, si quæ alia totius anni, maxima animi veneratione & lætitiâ suscipienda & adoranda est. Hæc enim illa dies est, quam expectabamus: quæ tenebras ignorantiæ nostræ discutiens, stellam fidei nobis accendit, ejusque luce ad Dei veri cultum & agnitionem nos adduxit. Ante istum diem discurrebamus in mundo non aliter atque in luto solent pueri, qui obvelato vultu socios latentes vel discurrentes inquirunt, & obvium quemque arripiunt, sed quem arripuerint ignorant. Sic in iis mundi tenebris olim discurrebamus, Deum nostrum inquirentes, & sæpè creaturas pro Deo amplectebamur, quia cœci eramus. Propterea tantopere clamavêre patres ad Deum: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Hodierna dies est quæ lucem nobis attulit & stella fidei Duce DEUM verum nobis ostendit. Hinc excitatura nos Ecclesia, ut relictis ignorantiæ & falsitatis tenebris stellam hanc sequamur, clamat in hodierna Epistola cum Propheta Isaia cap. 60. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est.* Sed heu miseriam sanguineis lachrymis deplorandam! (uti deplorat Christus Ioan. 3. dicens, *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*;) magna pars Christianorum est usque in hodiernum diem, qui deserta fidei luce, stellam aliam sequuntur, quæ non illuminat, sed excœcat; non movetur aut dirigitur ab Angelo lucis uti Magorum stella, sed à maligno spiritu; non ad Christum adducit sed ad Orcum, stellam superstitionis & vanissimarum observantiarum, cujus ductu commodum aliquod temporale sectantur, ut sanitatem, opes, scientiam, voluptatem, securitatem in periculis, &c. interim verò à via salutis abducuntur volentes ac lubentes, quia scientiã sequuntur non bonam, vanam & deceptoriam: Tales cum essent Galatæ, observantes videl. infirma & egena elementa (ad Gal. 4.) increpans eos Apost. *O insensati Galatæ*, ait ad Gal. 3. *quis vos fascinavit non obedire veritati; ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus?* Quomodo enim vos non præscribitis Iesum Christum, & denuò in vobis crucifigitis, qui cum fidem ei in baptismo voveritis, & diabolo renunciaveritis, nunc spreto Christo: dæmonibus communicatis, & cum iisdem paciscimini? Sed enim, quia multi sunt, qui nolunt agnoscere se à vera stella deflectere, & dæmonis ductum sequi, idcircò hoc per multa, quæ ferè nunc inter nostrates vigent, exempla ostendendum.

B. I. *Observātur figuræ*

Primò, observant aliqui figuras & imagines, sigilla, annulos, characteres, numeros, schedulas, &c. quarum interventu fortunam, securitates & multa alia sibi pollicentur: cum tamen naturaliter operativa non sint; (quid enim amplius v. g. posset quadrifolium, quàm trifolium, figura rotunda quàm quadrata?) Fraudes igitur hæ dæmonum sunt, qui hæc constituere signa & tesseras militares aut pacta conventa. Quemadmodum enim Iudas cum Iudæis pactum iniit, ut quem ipse oscularetur, ipsi apprehenderent & caperent, cum tamen osculum secundum se nullo modo sit sive causa, sive signum apprehensionis & offensionis, sed potius amoris & benevolentiæ: Ita & qui talibus utuntur figuris &c. ad effectus, quos ex vi sua producere nequeunt, signum dant dæmonibus, ut effectus illos ipsi producant. Nec refert, si non expressè paciscantur cum dæmone, & hoc signum ei constituant: sufficit enim quod ejusmodi rebus utantur, quæ natura sua, id quod volunt, efficere nequeunt, hoc ipso enim incipiunt fieri signa talia, quibus accersiti diaboli ad subventionem advocantur; Idque verum est, licet figuræ illæ & imagines &c. secundum se essent commendabiles, uti S. Crucis & Sanctorum; sicut enim osculari Christum secundum se fuit res laude dignissima; in proposito tamen Iudæ facto, nequissima & perversissima, quia ad malum finem directa: ita & figura crucis &c. cujus interventu, Christum velut Iudæ osculantur. Exemplum refert Abbas Spanhamensis, apud Majol. tom. 2. Canic. de sagis; de subulco quodam, qui in baculo suo pastorali schedulam nomine D. Blasii inscriptam habebat, cujus baculi vi porcos suos ab omni luporum rabie tutos credebat, etiam se absente. Quodam verò tempore, cum gregis pastor abesset, quidam juxta gregem ejus transiens dæmonem porcos illos custodientem vidit, pastore absente: qui interrogatus quid illic ageret qui hominum saluti insidiaretur? *porcos*, inquit, *custodio. Et cujus jussu?* inquit alter; dæmon verò: *stultæ pastoris confidentiæ. Schedulam enim quandam baculo suo inclusit, cui divinam adscribit virtutem, vel inde quod S. Blasio est inscripta, eamque ad porcorum custodiam valere existimat contra legem suam mihi falsa superstitione credens. Ego itaque cum Blasius ille sæpius à me multumque vocatus non comparuisset, me interim S. Blasii loco, huc ad custodiendum contuli, ut stultum hominem in sua vana confidentia retinerem & firmarem eoque tandem perducerem, ut schedulam hanc Deo aliquando præferat.* Vidén igitur qua ratione dæmon pro Sanctis advolet & operetur, si non per media debita, sed stulta & inefficacia invocentur Sancti.

Non est eadem ratio cum rebus ab Ecclesia benedici solitis, eæ enim vim quandam supernaturalem accipiunt à Deo propter orationem & benedictionem Ecclesiæ, quæ promissionem à Deo habet de audiendis suis precibus.

C. I. *Observātur verba*

Secundò. Alia in verbis observantia est cùm certis verbis & incantationibus commodum aliquod quæritur. Uti sunt, Irioni, Kyrioni, Ananisapta, Avigazit-

gazittor, Difmas & Gifmas. Idem Adam, Hanah, Cutz, Lilith: Senoi, Sanfenoi; Samangeloph, &c. Item Adonai, Urim, Thummim, Tetragrammaton, Ejufmodi etiam verba maledicta funt: Ante parante, Parante ante, &c. Hax, pax, max, &c. Abrac, Amon, &c. Darata, Daries, &c. Galbes, Galdes, &c. Gibel, Got, &c. Iao, Sabaoth, &c. & ut memini me vidiffe verba contra morfum canis rabidi. Ira, bira, lira, pira, &c. Hæc enim omnia nullam vim activitatis habent, five ex gratia & miraculo, quia Deus nihil tale illis promifit, nec Ecclefiæ revelavit; five ex natura fua, quia fcripta funt quid mortuum, nec vim habent, nifi fortè ab atramento & Charta: Ore verò prolata non poffunt nifi aërem verberare, uti & aliorum animalium foni; ac proinde unum altero efficacius non eft, quia fi quam habent vim, habent quantùm fonus funt & non aliter. Falfum ergò per incantationes vulnera & morbos curari, vel alia noxia repelli, quia fonus nequit immutare tactum, ficut nec calor auditum. Deinde quis non videt dæmonis veftigium in talibus incantationibus, ubi ferè femper peregrina admifcentur vocabula ficta & ignota, & pleraque dæmonum ac damnatorũ Birabbæ, Gifmæ, &c. Quemadmodum enim ipfe Dæmon, Deo difponente femper deprehenditur apparere cum aliquo defectu vel deformitate, unde agnofci queat, ut notat D. Chryfoft. homil. 4. de Lazaro, apud Delrium lib. 2. q. 28. capite 3. Ita etiam incantationes non funt fine ejufmodi peregrino aliquo, & diabolico verbo. Nam fi communibus & vulgaribus folum uteretur vocabulis, non facilè perfuaderet vim ineffe his nominibus. Ac licet his ipfis admifceantur etiam pia alioqui falutaria verba, uti Chrifti & Sanctorum, &c. nihilo tamen plus facienda, tum quia cum ingenti blafphemia ad peffimum finem applicantur, tum quia plerumque incantationes à Deo incipiunt, & cum dæmone finiunt, prout eorundem eft intentio. Quid igitur fit his verbis, quando ut fæpè fit, effectum dant? Diabolum ex infidiis latitantem advocant, ut ipfe operetur, quod verba operari videntur; quemadmodum enim latro unus in fylva viatori fe adjungit, & latroni focio in infidiis latenti fignum dat lingua peregrina vel alio modo, ut is viatorem Sclopeto trajiciat: ita faciunt qui ejufmodi incantationibus utuntur; dæmonem enim per ejufmodi voces evocant, etfi id aliquando non putant, ut medeantur morbo, &c. Exemplum recitat IC. quidam libro 5. de lamiis cap. 8. de vetula, quæ petierat à ftudiofo exfcribi fibi certa quædam verba incantatoria contra ophthalmiam, ftudiofus nihil aliud fcripfit quàm: *Diabolus huic vetulæ eruat oculos*; fimulque præclarum hoc phylacterium mulieri tradidit; quod illa gratanter fufcipiens ad collum appendit, & paulò poft fanata eft. Num fchedulæ hujus efficaciã putatis? Nimirum dæmon fuit, qui curationem fecit, ut mulierem in fuperftitione fua retineret. Itaque non modò non exercendæ funt incantationes, fed nec patiendæ, exemplo S. Bernhardi, qui puer adhuc, gravi capitis dolore vexatus, advocatam ad fe leniendo dolori incantatricem, cum idignatione repulit: & cum impetu furgens, mox à Deo fanitatem recuperavit, ut in ejus vita l. 1. c. 2. Quod fi ad illius exemplum recurfum noftrum ad Deum verum medicum haberemus, nunquam deftitueremur.

D. III. *Obfervantur dies.*

Tertiò obfervantur ab aliis dies, quafi alii faufti, alii infaufti, caufa bonorum vel malorum fint, horæ idem & penè minuta; Ut cum die S. Ioannis Bapt. olera & herbas colligunt; certis diebus olera fcopis tangunt contra vermes & erucas; qui metuunt ungues præfcindere die veneris, nere die Sabbathi, licet interim alia fervitia faciant: qui ova die Parafceves pofita toto affervant anno pro incendiis extinguendis. Qui obfervant duodecimam horam, ne in ea iter aggrediantur; qui falem & aquam benedictam in Dominicis poft quatuor tempora majoris putant efficaciæ; qui dies converfionis S. Pauli, Vincentii, Urbani obfervant, velut diutinæ pluviæ aut ferenitatis fubfecuturæ indices; qui diem S. Medardi, fi pluviofus fit, 30. dierum pluvias continuas prænuntiare volunt: denique qui Fefto S. Stephani equis fanguinem minuunt, tanquam die ad hoc felicisfimo. Qui omnes reprehenduntur inprimis ab Apoftolo ad Gallat. 4. dicente: *Dies obfervatis & menfes & tempora anni. Timeo vos, ne fortè fine caufa laboraverim in vobis.* Ubi infinuat, periculum effe, ne relabantur in Gentilifmum, vel Atheifmum, Necromantiam, &c. qui talia obfervant. Deinde DEO maximam faciunt injuriam, qui omnia bene fecit, ac proinde etiam dies omnes, nullam infelicem; quia ut in Pfalm. dicitur: *Tuus eft dies & tua eft nox, tu fabricatus es auroram & Solem.* Similiter etiam Sanctis, quorum Dies fefti talibus fuperftitionibus fœdantur magis; quàm vilo fervili opere, vel etiam peccatis aliis, quia per fe & directè dies illos ad peccatum fuum trahunt, præfertim verò inter alios intoleranda fit injuria in his terris Sancto Stephano, cujus die Miffa à quam plurimis negligitur. Et S. Medardo, cui non abfq; blafphemia adfcribuntur diuturnæ pluviæ, quæ circa illius feftum plerumque generantur, non quidem ob Sancti illius diem, ut mentiuntur, fed quia circa id tempus Sol Plejadum Hyadumque extimulat vires, quæ fydera turbulenta natura humidos flatus exfufcitant, & aliquot dierum continuis pluviis terram rigant, ut refert Majol. tom. 1. Canic. de prædict. phyf. Denique falfo & vanisfimè conjectantur. Unde enim quæfo colligas, diem unam alterâ feliciorem ad prædicta? Unde vis in una certa potior five naturalis, five fupernaturalis? Dices, experientia docet; fed unde tibi conftat eam non effe fallacem; & non ex pacto proficifci? Certè fallacem effe diceret Medicus ille, qui noctu ad ægrum vocatus, recufavit, quòd infauftus effet dies: qui paulò poftquam

hoc

hoc dixisset, de lecto cadens crus confregit. Non immeritò Deus permittit, ut ita aliquando contingit; sed in pœnam malorum, ut in laqueum cadant, quem sibimet fecerunt. Dices, devotio suadet. Sed non est devotio, quæ cum scandalo fit, & ad Dei Sanctorumque injuriam vergit, quæ suspecta & anilis, quæ ab Ecclesia non approbata.

E. IV.

Quartò. Observant alii omina, quasi nescio quæ fortunia vel infortunia portendant, cùm nec causæ, nec signa eorum sint: ut tinnitum aurium, indicare, de te sermonē fieri, bonum si dextera; malum si sinistra tinniat, si quis crus cruri superimponat: si corvus super tectum crocitet; & hæretici, si Monacho obvient, pro infausto habent. Vinum in mensa effusum, bonum: salem verò malum esse indicium. Inventionem soleæ equinæ cum omnibus clavis suis, bonam putant. Cuculi cantus, ad vitæ annos: coturnicis, ad frumenti pretium indagandum observatur. Lupus ante viatorem trans viam currens, bonum; lepus verò, malum. Sed lepores revera sunt isti: non dubium enim inprimis multa horum ab antiquis joco excogitata in omen transiisse, uti de lupo & lepore autumat Majolus tom. 2. canic. de vaticin. Quis enim non mallet lupum transcurrere quam adoriri se? leporem autem consistere & capi, nonne melius & optatius tibi esset, quàm fugere? sed vanissima hæc sunt omnia, quoniam cum iis, quæ portendere dicuntur, nullam prorsus habent connexionem. Quis enim cuculo diceret vel quomodo ipse capere posset, quanta sit mea ætas? quis auribus meis, quid alii de me loquantur? & sic de cæteris. Fieri quidem facilè potuit, ut initiò quis ejusmodi eventus casu acciderit, ut v. g. salis eversionem, corvi crocitationem super tectum alicujus, &c. sequeretur eventus malus, & inde hæc traherentur in omina per vanam persuasionem; deinde adhæc fieri potest, ut hæc consequantur, sed de pacto implicito & justa Dei permissione, qui sicut mulieri fideli dixit: *Fiat tibi sicut credidisti*: ita etiam dicit ejusmodi superstitiosis hominibus. Nihil igitur aliud hæc omina significant, quàm vanos & impios esse omnes eos, qui illa observant & metuunt: quemadmodum prædixit & comminatus est Deus Levit. 26. dicens: *Terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, &c.* Quemadmodum enim Cain quia male sibi conscius erat, semper timebat etjam ubi timendum nihil erat; unde ait, *Omnis qui invenerit me, occidet me*, Genes. 4. cum tamen præter ipsum & parentes ejus nemo adhuc in mundo esset: Ita etiam isti, qui malè sibi conscii, Dei iram metuunt, nihil non timent. Quod si fiduciam in Deum haberent, facile sibi persuaderent Deum fortiorem esse his omnibus. Propterea justi hæc minimè metuunt, sed dicunt cum Davide: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ita ambulabat Philippus Francorum Rex, qui audiens ceream quandam imaginem ita suo nomine incantatam, ut ea destructa, ipsi quoq; moriendum sit: assumpsit imaginem & in ignem abjecit: *Et videbimus*, inquit, *si potentior sit dæmon ad perdendum me: quàm Deus ad salvandum*; refert Gerson de erroribus circa artem magicam. Superstitiosa omnia si quem minantur aut sortiuntur eventum; per dæmonem sortiuntur; unde qui illa timet, majorem tribuit dæmoni potentiam quàm Deo: vel certè malè sibi conscius nullam in Deo habet fiduciam.

F. V. *Observantur certæ actiones.*

Quintò observantur certæ actiones, quasi proficuæ ad certa commoda, cùm tamen nihil minus efficere possint. Uti sunt certæ ligaturæ, ne vaccis lac subtrahatur: dentem si exciderit post tergum abiciunt, ut iterum crescat, vel alio deferunt: cum tonat tutum putant subter scalas confugere: febres alteri tradunt aut vendunt, morbis curam adhibent mediis non naturalibus, &c. quibus omnibus cum nihil ad propositum efficacitatis habeant, mirè illuduntur à diabolo, qui talia observant. Cum enim diabolus adhuc semper divinum honorem ambiat, sciatque Dei omnipotentiam ex quovis facere posse quidvis, & quemadmodum Christus fecit, luto posse illuminare oculos, &c. idcirco etiam actiones aliquibus suadet adhibendas, effectui nihil proportionatas: quo sic persuadeat, divinitatem aliquam rebus illis inesse. Sed decipit misere miseros, nec ista quæ exercentur, effectum dant, sed ipse clanculum activa passivis applicat & operatur; donec aliquando occasionem & potestatem acquirat, hominem perdendi. Exemplum de studioso Mago, qui amico suo febricitanti dixisse fertur, ut febrim suam alicui inimicorum suorum traderet, illo vero respondente, neminem sibi inimicum esse; *Da servo tuo*, inquit Magus. Cum hoc æger sibi religioni duceret; *da ergo eam mihi*, inquit. Dictum factum, æger liberatus; magus febri oppressus interiit. Refertur ab Autore dæmonomaniæ in Majolo lib. 2. Canic. de Sagis. Cùm enim diabolus perditioni animarum semper insidietur avidissimè, nihil quantumvis futilium & vilium officiorum detrectat, quicunque nugis ac gerris adesse curat ac gestit, omnibus sua servitia defert, ad omnia se paratum sistit, quemadmodum histriones lucri gratia omnibus joculantur & vilissimis ineptiis pro cujusque placito ludere & aliis placere student. Ac licet quandoque procuret homini sanitatem, opes, securitatem, prosperitatem; &c. alioqui homini infensissimus, facit tamen id, ut hominem in anima vulneret adeoque in æternum perdat, quod solum ipse quærit.

G. VI. *Observantur res benedictæ.*

Sextò observantur etiam res benedictæ & opera pia superstitioso fine, ut cùm aqua baptismalis & sacrū crisma, cera vel thura de cereo Paschali ad alia effecta magica adhibentur. Ita oblationem ex eleemosyna collectam efficaciorem putant, vel etiam crucem ex eleemosynis emptam. Volunt ut amuleta sacra, agni Dei, Evangelia, &c. tali vel modo involuta vel conscripta sint: gallinam, quæ offertur

S. vito, nigram esse debere & ter vertendam super altare. Quia in re mira cernitur dæmonis astutia, qui res alioqui salutares veneno aspergere conatur, ut noceant animabus quæ prodesse debebant: quemadmodum Iudæis scriptura sacra, quæ salutem eis afferre debebat, perperam intellecta perditionem attulit, quando ea contra Christum & ad tuenda vitia sua usi sunt, juxta id Psalm. 68. *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Ita serpentem æneum, qui Iudæis salutem attulerat, detorsit in eorum perniciem & proposuit adorandum velut Deum, uti legimus 4. Reg. 18. Ita ergo fontes Christianorum, è quibus salutem haurire deberent, veneno inficit; ut mortem inde hauriant. Cernitur etiam mira diaboli superbia, qui sicut non dubitavit petere à Christo Matth. 4. ut adoraretur: sic etiamnum Dei honorem effectat & homines allicit, ut ipsum rebus etiam sacris venerentur, easque in servitium ejus usurpent.

H. VII. *Observātur res abominabiles.*

Septimo, denique res etiam abominabiles observantur, ut ossa mortuorum, catenæ suspensorum & laquei, annulique ex iis facti & similia, quibus nititur dæmon efficere, ut hoc pacto homines pudorem & modestiam humanam timoremque exuant, quò faciliùs deinde iis absurdiora persuadere possit, eosque audaciores ad quævis nefanda reddere. Quemadmodum enim serpentum domitores, pueris cor serpentis comedendum præbent, quo deinceps serpentem nullum timeant, sed omnes capere & contrectare audeant: Ita etiam dæmon per ejusmodi inhumana & formidabilia disponit homines ad quævis in humana & putida perpetranda. Ab his & similibus, si verè Christiani esse velimus & hæredes cœli, summopere cavere debemus. Quia impossibile est servire Deo & diabolo: hæc autem omnia diaboli arma & ministeria sunt. Ac si quidem aliquis in istis dubitat, tenetur interrogare confessarium aut parochum suum; virosque doctos: Alioqui vincibilis ignorantia eum condemnabit, sicut cùm alicui peregrinus & nunquam gustatus cibus apponitur, priùs interrogat, qualis sit cibus & an innoxius: quod si non facit: culpa ipsius. Sic, *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*, ait Sanctus Ioannes 1. Ioan. capite quarto.

CONCIO VI.

VARIA DIVINATIONUM GEnera explorantur.

I. *Divinatio ex astris.*
 1. Astronomia bona & concessa. 2. Astrologia vana & vetita.

II. *Divinatio ex elementis.*

III. *Divinatio ex physiognomia.*

IV. *Divinatio ex somniis.*
 1. Ex divinis. 2. Ex naturalibus. 3. ex Diabolicis.

V. *Divinatio ex oraculis.*
 1. Hæc impia. 2. Stulta. 3. periculosa.

VI. *Divinatio ex sortibus.*
 1. Divisoria. 2. Consultoria. 3. Divinatoria.

THEMA.

Vidimus stellam ejus in Oriente, *Matth.* 2.

VIdentur sibi divinatores & qui eos consulant, artis seu potiùs vanitatis suæ non leve præsidium reperisse in hac stella, quæ duxit Magos ad præsepium. Sed ô inanes homines! Sciendum vobis est stellam hanc ejusq; ductum nequaquam fuisse naturalem, seu unam ex stellis cœli; sed longè diversam, siquidem non ut aliæ, movebatur ab ortu ad occasum, sed versus Bethlehem; deinde modo apparuit, modo disparuit: modo progressa est, modò stetit suprà ubi puer erat; denique cæteris elegantior, & terræ vicinior fuit; & quod Magis natum indicavit, nequaquam ex sua natura, sed ex mira Dei operatione habuit. Stellæ igitur hujus ductus, Dei ductus fuit, à quo ubi Magi paululum recesserunt & ad responsa hominum diverterunt, perdiderunt, ut advertit S. Bern. serm. 3. de Epiphan. cùm ait: *Hinc manifestè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, divinum amisere ducatum: & conversos ad terrenum documentum, signum cœleste deseruit.* Idem evenit iis, qui relicto Deo, à dæmone ejusque ministris Ariolis scientiam & Ducatum Dei, dum opem & ducatum dæmonis & aliarum creaturarum implorant: Hoc igitur ut caveamus, aures arrigamus.

B. I. *Divinatio ex astris.* 1. *Astronomia bona & concessa.* 2. *Astrologia vana & vetita.*

Primò. Divinant aliqui ex astris; sed duplici specie; quarum prior est Astronomia, quæ nititur universalibus & veris principiis & inde, nisi instrumenta vel supputatio fallant, verissimè prædicere potest revolutiones annorum, cursus syderum, ecclipses, aspectos varios planetarum, &c. ideoque licita est. Posterior Astrologia, tantùm differens à priore, quantum differt, conjux justa à pellice; quæ nititur principiis incertis & variabilibus, prædicitque futura contingentia, ideoque vana est & superstitiosa, si tanquam certò eventura prædicat; secus si cum suspicione tantùm & formidine oppositi: Ratio prioris est, quia quæ à voluntate divina & arbitrio hominum pendent, certo præsciri nequeunt. Talia autem sunt eventa & vicissitudines totius anni; Nativitates & quæ homini tota vita obtingent; electiones; quæ docent, quid in singulis rebus, vel diebus consulto & utiliter faciendum, v. g. quando equitandum, navigandum, ædificandum, capilli

capilli tondendi, &c. De hoc dicitur Ierem. 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* Etenim hæc nihil possunt in hominis arbitrium, multò minus in Dei voluntatem & gratiam, quæ cùm vult mutare hominem potest in virum alterum, eaque, quæ ad justum pertinent, pro libito disponere. Constat enim geminos sæpè diversissimarum esse naturarum & morum, uti patet de Esau & Iacob. Ratio posterioris est, quia si sæpè observatum est tales effectus subsecutos esse, adeoque hæc vel illa sydera inclinare naturas ad hoc vel illud, possunt formidinem & suspicionem gignere, tale quid eventurum, absque superstitione. Cæterum qui certos dies secundum certas planetarum stationes præscribunt adhibendis, vel omittendis pharmacis, venisectionibus, aliisque corporis evacuationibus per cucurbitulas &c. meritò reprobandi sunt ut suspecti; quia stellarum non est tanta vis in hæc inferiora; & si qua talis foret, ea posset & soleret aliarum particularium causarum concursu plane impediri; pendent enim hæc omnia non à cœlis tantum, sed ab aliis etiam pluribus causis, veluti à lumine, ventis, elementis, & aliis temere concurrentibus, & influxus cœlestes sæpe remorantibus, vel omnino impedientibus, quæ omnes præsciri minimè possunt.

Verum est, interdum contigisse, quæ ex astris conjectabantur futura contingentia; sed vel casu factum est, ut aliquando è centum mendaciis semel eventus responderet (quis enim toties jaculando non aliquando scopum vel casu tangat) vel in pœnam eorum, qui ab astris præsagia quæsierunt, ut evenit Pisano Archiepiscopo, sub Sixti IV. Pontificatu, qui cum de suo exitu Astrologos consuluisset, accepit responsum, suspendio se necandum: quod postea illi contigit, cum à factiosis repentino furore è Palatinis Florentiæ ædibus suspensus est; Ut habent annales Florentini, apud Majol. tom. 2. Canic. Col. 1. Nimirum castigavit humanam præsumptionem Deus, qui sibi hanc scientiam reservare voluit, ut legimus Isai. 41. *Annunciate,* inquit, *quæ ventura sunt in futurũ & dicemus quia Dei estis vos.*

C. II. *Divinatio ex elemẽtis.*

Secundò. Alii ex elementis. Quo in genere aliqui eventus naturales sunt, ideoque modo aliquo præsentiri possunt, ut interitus biliosorum (quales ferè magnates) ex cometis quod vaporum & exhalationum humiditatem absumant: Venti ex maris tumore: pestis ex fluviorum insolitis eluvionibus & terræ motibus, item ex violis sub autumnum iterum florentibus: messis abundantia ex amygdalorum copia, &c. Alii verò superstitiosi, uti id, quod quidam tradunt, sub autumnum duas vel tres glandes legendas, tum scindendas cultro, trium aliquod in his solere reperiri, muscam; vermem, araneam: muscam denotare dissidia eo anno futura, vermem fertilitatem, araneam mortalitatem.

D. III. *Divinatio ex Physiognomia.*

Tertiò. Alii ex Physiognomia hominis & Chiromantia. De quibus dicendum posse quidem aliquid ex Physiognomia probabiliter dijudicari & licitè, sed intra physicæ terminos sistendo: nam oculi, frons, vultus & incessus hominis judicant de illo; Cæterum judiciariam Physiognomiam & Chiromantiam prorsus vanam & illicitam esse, damnatamque à Sixto V. Pap. in Bulla contra eam edita; & merito. Ecquam enim habent connexionem partes cadaveris aut lineamenta manus cum futuris, quæ inde prædicuntur eventibus? Deinde cur non æquè pedum lineæ observantur? Et quis non videt linearum in manibus diversitatem per accidens resultare, ex manuum videlicet restrictione, unde sulcos illos seu lineas oriri æquè necesse est atque in Chirothecis? Et quia non omnes eodem modo claudunt & inflectunt manum, inde linearum diversitas. Denique cum non nisi viles & triobolares homines, ut Zingari, hanc ferè artem profiteantur, quis non advertit imposturam & mendacia profitentium?

E. IV. *Divinatio ex somniis*

Quartò, Alii ex somniis. Sed sciendum triplicia esse Somnia, divina, naturalia, dæmoniaca. Naturalia sunt duplicia; vel enim oriuntur à causa intrinseca, temperamento videlicet, & humore prædominante (sic biliosi somniant cædes, verbera, ignes: phlegmatici aquas, voragines, suffocationes, tarditatem: Sanguinei Musicam, convivia, prata, aves volatum: melancholici, atra, tristia, mortem, sepulchrum, Æthiopes, dæmones) vel à causa extrinseca, præteritis scilicet cogitationibus vel actionibus; sicut à fidibus pulsatis remanet aliquamdiu motio aliqua. Nunc ad rem, Primo licet observare somnia à Deo vel angelo immissa, sed ei, cui interpretatio quoque divinitus revelata est. Cum dubium divinane sint an Diabolica, contemnenda sunt, ut vana: quia cum Deus aliquem admonet per somnium, solet etiam eundem de somnij qualitate & certitudine certum reddere. 2. Ex somniis naturalibus licet colligere probabiliter temperamentum, affectum, sanitatem, morbos, in quantum colligi possunt causæ ex effectibus; somnia enim effectus sunt temperamenti, affectionum, cogitationum, studiorum, actionum, &c. 3. Reliqua somnia diabolica, vel superstitiosa, vel vana & futilia sunt; proinde qui hæc observat ac teruncio æstimat, teruncium non valet. Legimus enim Deut. 18. *Non inveniatur in te, qui observet somnia.*

1. Ex divinis. 2. Ex naturalibus. 3. Ex Diabolicis.

F. V. *Divinatio ex oraculis.*

Quintò, alii ex oraculis & responsis dæmonum, sive cum pacto explicito, invocando nimirum eos, aut expressis conceptis verbis, aut ipso facto & actione, quasi signo & tessera ad hoc designata: sive cum implicito, quærendo videlicet cognitionem Deo reservatam aliunde quàm à Deo & mediis indebitis; hoc ipso enim, quo tali modo talia indagant, volunt à dæmone edocere. Perinde autem est, an interrogetur dæmon per aquam, annulum, cristallum, &c. an sola voce. Porro his modis inter-

Hoc primo impia rogare vel facere interrogari dæmonem, 1. impium est & gravissimum peccatum, quia contempto Deo consilium aut auxilium quæritur ab hoste Dei & humani generis infensissimo. Ob quam causam Ochozias Rex ægrotus, quia contempto vero Deo suo, consuluit Deum Accoron, morte punitus est, ex oraculo Eliæ, 4. Regum 1. victurus alioquin, ut vult Abulensis, ibi, si Deum suum adijsset, idque indicatur à Domino ea voce. *Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*, q. d. propterea morieris, quia consuluisti Deum Accaron.

2. Stulta. Secundò, stultum est; nam inprimis futura contingentia, quæ omnino libere fiunt, nequit scire dæmon. Reliqua quæ à causis necessariis pendent, licet per conjecturas probabiliter scire possit, non est tamen illi fidendum, quia mendax est & callidus, quærens qua ratione homines circumveniat. Exemplum quæritis? Valente Orientis Imperatore successoris sui necandi percupido, vulgavit dæmon successoris nomen ab his 4. literis incipere. Θ.Ε.Ο.Δ. quo audito occidit Valens quotquot potuit Theophilos, Theophylactos, Theotimos, Theodoros, Theophanes, Theomenes, imo ex Hispania adduxit unum, nomine Theodosiolum, patricium, necavitque; interim verò successorem post se reliquit Gratianum, qui postea Theodosium creavit Orientis Imperatorem, Sozom. l. 6. cap. 35. Falsa multorum persuasio est, posse dæmones à Magis ligari in phialis, speculis annulisvè. Semper enim vel superior atque potentior dæmon cogit eos illis adesse, vel ipsi sponte sua & ex pacto adsunt ibique se continent. Præclarè itaque Henricus de Cassia in Genes. inquit: *Ipse simulat se captum, ut te capiat vinctum, ut te vinciat; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat: inclusum, ut contra te finaliter concludat: fingit se tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.*

3. Periculosa Tertiò, Periculosum est. Nam iterdum in ipsorum consulentium caput recidit malum, quod aliis machinantur, v. g. ut furi oculus excutiatur. Cujus exemplum refert Germanus quidam Iurisconsultus apud Delrium, lib. 4. Disquisit. cap. 2. q. 6. sect. 4. *Rostochii, inquit, quidam pecuniam in quodam loco seposuit. Cum autem eam postea invenire tam cito non potuisset, fabrum convenit ab eoque petiit, ut oculus furi excuteretur. Quo pacto statim ipse Dominus, qui fabri diabolica opera usu est, oculum amisit.* Subdit aliud: *Gustronii quidam cochlium argenteum amiserat: cum autem furem ex oculo quoque excusso cognoscere cuperet, fabrum adiit, ab eoque petiit, ut sua arte magica furem oculo privaret, quod & factum est, & statim filiolus illius, qui cochlium in quendam angulum conjecerat, oculum amisit.* Ex Chronico Scotorum narrat Delrius lib. 4. disquisit. cap. 2. quæst. 7. sect. 4. de Nathaloco rege Trigesimo, illum ipsum, à quo rex cæsus, ad divinos missum, ut de victoria, de vita Regis ac regno ejus percontaretur; responsum à quadam anu accepisse; Regem non diu victurum: nec periculum ab hoste, sed à familiaribus instare. Cum ille urgeret, A quo? Anum, A te, subjecisse. Ille mulierem execratus, cum domum rediret, subiit animum illa cogitatio: Nec responsum celari posse, nec edere tutum esse: ne se apud regem hominem pravum & sui timori indulgentem suspectum redderet; Itaque tutius est tyrannum cum multorum gratia interficere, quam cum gravissimo capitis proprii discrimine, incolumen servare. Statim ubi domum rediit, impetrato ad responsa divinorum expromenda secreto: Cæso rege, duodecimum Imperii annum ingresso, patriam servitio & se periculo exemit.

Periculosum verò est, cum ipsi Mago, quem Diabolus interdum aufert & vitæ aspectuique subtrahit, tum ipsis, qui curiose consulunt, qui nonnunquam de mente abalienantur, & malè pereunt. Fräciscus Picus Mirandula l. 4. de prænot. cap. 9. tradit, Magum quendam, ut ipse à Sociis adhuc vivis audierit, à Dæmone vivum ablatum nusquam comparuisse, dum curioso cuidã, & malè sano Principi Trojæ expugnationem repræsentare, quasi in scena pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes. Adhuc in hominum memoria est, quod accidit Ingolstadij in Bavaria ancillæ cuidam, quæ magica superstitione cum nocte quadam explorare vellet, quem aliquando sponsum habitura esset, à Dæmone perterrita & per fenestram vel expulsa vel dejecta est.

G. VI. Divinatio. Sextò, Alii ex sortibus. Triplex autem est sors, teste D. Thoma 2. 2. q. 93. a. 8. Divisoria, consultoria, divinatoria. *1. Divisoria* Divisoria licita est & adhiberi potest, quando non apparet ratio cur alter alteri in re utili vel difficili debeat præferri. v. g. quæ militum cohors prior invadere hostem aut urbem debeat: quis è pluribus capitis reis plecti debeat, in exemplum aliorum: quis è pluribus Sacerdotibus paris conditionis, remanere in urbe tempore pestis vel persecutionis debeat, qui fidelibus sacra & sacramenta administret.

2. Consultoria. Consultoria, quæ per sortem divinum inquirit consilium, ut sciatur quid agendum in re obscura, illicita est & sub anathemate prohibita. c. Sortes 26. q. 5. quia pertinet ad tentationem Dei, qui non vult nos suam voluntatem per sortes indagare, sed petere à doctrina Ecclesiæ, S. Scriptura, superiobus, &c. nisi ipse inspiret aut deficientibus aliis mediis humanis necessitas cogat illa uti, invocato divino auxilio; uti factum in electione Regis Saul. 1. Reg. 10. & Apostoli Matthiæ, Act. 1.

3. Divinatoria. Divinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis futuræ vel præsentis sed occultæ, similiter illicita est (nisi Deus inspiret illa utendum, uti Iof. 7. cum Achanis furtum indagabatur) & prohibita supra can. Nam hæc non possunt ita sciri sine Dæmonis auxilio

auxilio ideoque hic dupliciter peccatur, 1. quia initur commercium cum dæmone, isque quasi Doctor consulitur, qui mendax est, & pater mendacii. 2. quia prænotio futurorum, quæ soli Deo est propria, dæmoni tribuitur. Unde, dæmon tunc tacito quodam pacto & consensu invocatur, tum ut sortes regat, tum ut effectum procuret. Ac licet quis huic sorti minime fidem habeat, nihilominus tamen valde periculosum est, secundum illam dirigere actiones suas, quia per hoc dæmoni janua aperitur, ut in magis seriis decipiat & ad graviora pertrahat; nec raro tales malè pereunt, Divina ultione.

Ergo Auditores, dimissis illis vanis & profanis divinationum artibus convertamur ad Magos nostros, & inde addiscamus, quid potissimum, & quâ viâ indagare debeamus. Inquisierunt illi non futura contingentia, sed præsentia, Regem scilicet jam natum, ubinam inveniendus esset. Non scrutati sunt inania, verbi gratia, an & quantum ditandi essent, quas olim obtenturi conjuges, quàm fortunam subituri, quod genus mortis obituri, quomodo perdita recuperaturi, an de hostibus triumphaturi, &c. Nihil horum; Salvatorem indagarunt, salutem suam requisierunt, Deum nosse, adorare & muneribus honorare ac sibi conciliare venerunt. Deinde non ariolorum aut aruspicum, non pythonum & divinatorum responsa quæsierunt, sed angeli, qui in stella præibat, ductum secuti sunt. Hunc ubi perdiderunt, Ierosolymam ingressi Scribas, & Sapientes consuluerunt. Denique in somnis à Deo moniti non amplius per Herodis viam, sed per aliam regressi sunt in regionem suam. Hunc igitur in modum nos non tam inquiramus futura quam præsentia, quomodo scilicet præsens tempus bene collecemus & occasionibus bonis ad pœnitentiam, gratiam, merita paranda utamur. Quæramus Salvatorem, & salutem nostram, non inania, curiosa, noxia. Sequamur ductum & inspirationes angeli custodis, ejusque directionem in omnibus viis nostris postulemus. Adhæc interrogemus doctos & sapientes, Confessarios & patres spirituales: non Veterivarios, non Zingaros, non fabros, non anosas vetulas. Denique attendamus ad nosipsos & conscientiam nostram & 1. ruminemus præterita, cum Davide: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* 2. præsentia scrutemur, quî scilicet se habeat conscientia nostra, quinam in ea lateant hostes, peccata, vitia, habitus mali, ut per confessionem ejiciantur. Denique futura prævideamus, quam deinceps viam inituri simus. Num videlicet iterum ad Herodem & pristinas dæmonis insidias & laqueos regredi velimus, &c.

CONCIO VII.

DOCUMENTA EVANGELICA.

I. Regnorum brevitas & inconstantia.
II. Mala conscientia semper sibi timet.
III. Regis ad exemplum totus componitur orbis.
IV. In rebus fidei standum judicio Prælatorum & Conciliorum.
V. Varii modi legendi scripturam.
VI. Ingenium & studium filiorum sæculi.
VII. Rectè adoratur in Eucharistia Christus.
VIII. Conditiones oblationis.
IX. Providentia & solicitudo Dei de servis suis.
X. Dei consilium nequeunt eludi.
XI. Per aliam viam redeant, qui converti volunt.

THEMA.

Ecce Magi ab Oriente venerunt, Matth. 2.

A. IUre merito, Auditores, festivitas hodierna vocatur Epiphania græcè, latinè manifestatio. Multa enim & magna mysteria prius in lege vetere occultata, hodie manifesta facta sunt, & ut sanctus Leo ait: sermone 2. de Epiphan. *Exinde nobis Christum loquentia scripturarum arcana patuerunt.* Hodie tres filii Noe ingressi sunt in Arcam, quoniam Magi & cum illis gentes & omnes ingressi sunt in Ecclesiam Christi. Hodie exploratores venerunt in terram sanctam, & tulerunt inde ad suos botrum, quoniam Magi omnium gentium legati venerunt hodie ad Christum, & tulerunt inde ad suos fidem & cognitionem Christi. Hodie tres illi viri fortes irruperunt per castra hostium ad cisternam, quæ est in Bethlehem, & attulerunt Regi David potum aquæ, quoniam tres illi Magi sitienti gentilismo attulerunt gratiam, & spem vitæ æternæ. Hodie Rebecca adducta ad Isaac sponsum suum, descendit de camelo & obviat cum reverentia sponso suo, quoniam Gentilitas per stellam adducta ad Christum sponsum, descendit de camelis, & obviat sponso suo summa cum demissione. Hodie Regina Saba venit cum camelis portantibus aromata, aurum, gemmas, de finibus Austri ad Salomonem, audire sapientiam ejus, quia eadem gentilitas venit ad Christum, sapientiam ipsius auditura & visura. Hodie apparuit stella illa & illuminavit gentes quam orituram ex Iacob prædixit Baalam. Hodie visus est lapis ille angularis, qui facit utraque unum, conjungere binos illos parietes, Iudæos scilicet, & gentiles, & ex utrisque unam condere Ecclesiam. Siquidem Iudæos vocavit in pastoribus ipso nativitatis suæ die: hodie vocavit gentes in his Magis.

Gen. 7. Num. 13. 2. Reg. 23. Gen. 25. 3. Reg. 10. Num. 24. Ps. 117.

Quoniam igitur hodie multa mysteria patefacta sunt, aperiamus etiam nos, quæ hodiernum Evangelium tradit, documenta.

B. I. *Regnorum brevitas & inconstantia.*

Primò. Discite regnorum hujus sæculi brevitatem & inconstantiam. Nam tempus regni Herodis quod ad 37. annos se extendit, & tempore hodiernæ historiæ 30. circiter annorum erat, vocat sanctus Matthæus dies tantum. *In diebus Herodis regis, &c.* Sic etiam Prophetæ regum tempora per dies solent exprimere; quia nimirum, ut ait Ecclesiast. cap. 10. *Omnis potentatus vita brevis.* Ita de alio Rege ait Oseas cap. 10. *Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. Sicut spuma*, ait Hieronymus, *quæ super aquam est, citò dissolvitur, sic regnum 10. tribuum velociter finietur.* Bulla aquæ, quò magis intumescit, eò celerius evanescit: ita major regum inflatio & superbia, ferè celerioris ruinæ est argumentum. Id apparet manifestè in Herode, qui circa finem regni sui cùm inflaretur contra Christum, celeriꝰ obiit: membrorum tumore & vermium scaturigine. Ioseph. lib. 17. antiq. cap. 8. Nimirum in eo verificata est illa fabula, ranæ contra bovem se inflantis, adeò, donec creparet.

C. II. *Mala conscientia semper sibi timet.*

Secundò. Disce malam conscientiam semper sibi pavere. Cur enim turbatus est Herodes audito novi regis ortu, nisi quia sciebat se regnum Iudæorum velut alienigenam per Romanorum tyrannidem immeritò posside re? Cur etiam audito Legisperitorum concilio Herodes clam vocavit ad se Magos, ut disceret ab eis tempus stellæ, nisi quia sibi à Iudæis metuebat, utpote pessimè de illis meritus: Si enim Iudæi intellexissent, ipsum puero insidiari, timebat ne fortasse ipsum velut regem suum occultarent, vel sibi insidias struerent. Ita nimirum male conscii omnia clanculum agunt, quia undique sibi timent. Quidam parricida apud Plutarchum hirundines è nido deturbavit, quod metueret ne garritu suo parricidium ejus proderent. Metuit & Herodes, ne infans Christus suo vagitu tyrannidem ejus argueret.

D. III. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Tertiò, Disce regis ad exemplum componi subditos; siquidem turbato Herode, turbatur omnis Ierosolyma cum illo. Ita nimirum subditi primo placere student Principi, & ad ejus mores suos quoque accommodant: veluti imago in speculo relucens imitatur gestus corporis. Ita Æthiopes turpè existimant Rege claudo aut monoculo, non amicos omnes claudos aut monoculos esse I. Boëmus lib. 1. de morib. gent. c. 4.

Secundò sequuntur exemplum Principis: ut enim primum mobile rapit secum omnes inferiores cœlos: ita moto rege movetur tota regia ac regnum. Unde S. Bernardus serm. 3. de Epiphan. ait: *Misera civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ.* Ita Balthasare bibente è vasis sacris in convivio profano, bibebant & optimates ejus, Dan. 5.

E. IV. *In reb. fidei standum judicio Prælatorum & Conciliorum.*

Quartò, Disce in rebus fidei stare judicio Prælatorum & Conciliorum. Credi enim debet multitudini, auctoritati, & Doctorum eruditioni ac sanctitati. Omnia hæc in conciliis Ecclesiæ Catholicæ habitis reperiuntur. Et quidem Herodes fidem habendam putavit Principibus Sacerdotum congregatorum, nostri autem hæretici tot Patrum Conciliis nolunt fidem dare, sed iis omnibus volunt esse prudentiores.

F. V. *Varii modi legendi scripturam.*

Quintò, Disce varios modos scripturas legendi & scrutandi. Primo evolverunt eas Scribæ, ut alios docerent, non ut ipsi discerent, quod tamen facere debebant. Tales sunt qui alios docent bona, seipsos vero negligunt: similes corvis, qui aliis pluviam annunciant, ipsi tamen inde, licet sitibundi, non bibunt. Pierius lib. 23. hierogl. Unde S. Augustinus serm. 6. de Epiphan. ait de illis scribis: *Aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate, factique sunt eis tanquam lapides à miliario, qui viatoribus ambulantibus aliquod ostenderunt, sed ipsi solidi atq; immobiles remanserunt.* Sic Augustinus. Secundo investigavit easdem quodammodo Herodes, non ut sibi prodesset, sed ut Christo, si posset, obesset. Tales sunt hæretici, qui scrutantur scrutinio SS. literas, ut veram evertant fidem, & perfidiam suam stabiliant. Tertio inquirunt in eas Magi, sed ut inde instruantur: ita boni fideles.

G. VI. *Ingenium & studium filiorum sæculi.*

Sextò, Disce ingenium & indefessum studium filiorum hujus sæculi, ad nocendum. Etenim Herodes magis sedulus erat ad perdendum Christum, quàm Iudæi ad colendum. Inquirebat ille locum, tempus, personam; fingebat pietatem ut incautum opprimeret. Nihil horum curabant Iudæi, ut Messiam suum agnoscerent, colerent, servarent. Atque ita filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis. Mentitur Herodes pietatem, venatoriam vestem induit, ut aviculam decipiat, & in rete suum cogat. *Vulpi esurienti*, ut est in proverbio, *somnus obrepit*, quoniam urgente fame somnum simulat, ut allectas aves devoret. Herodes urgente regni cupiditate submissionem simulat, ut Christum comprehendat & extinguat. Quid si propterea Christus Herodem juniorem vocasset vulpem, quia vulpis hujus filius fuit.

H. VII. *Rectè adoratur in Eucharistia Christus.*

Septimò, Disce rectè & merito adorari Christum in Eucharistia, contra Lutherum oggannientem, quod Eucharistia non sit propterea instituta, ut adoretur. Licet enim hoc fit: non tamen ideò adorandus non est. Hac ratione Deus homo factus est, non ob id ut in mundo adoretur: nihilominus tamen merito ab hominibus adoratus fuit. Ita prodit Rex in publicum, non à ut subditis honoretur, sed propter alia negotia: rectè tamen interim honoratur ab universis.

I. VIII. *Conditiones oblationis.* 1.

Octavò, Disce conditiones oblationis quæ fit Deo. Nam primo obtulerunt de rebus suis optimis, de thesauris scilicet, ut aurum & liquores pretiosos. Ita quæ offeruntur Deo, alicujus pretii esse debent

debent & meliora. *Maledictus qui offert debile*, inquit Malach. c. 1.

2. Secundò. Obtulerunt syncerè apertis thesauris suis; non elegerunt clam deteriora. Clodoveus Francorum Rex cum Alaricum Visigothorum regem superasset, ac voti solvendi causa equum, cui victor insederat B. Martino Turonis obtulisset, transegit cum Ecclesia, ut equus centum aureis redemptus, sibi redderetur. At equus, quasi parvo nimis pretio æstimatum se advertisset, perstitit immobilis nec se reduci passus est, donec duplicatum esset pretium, Gregorius Turon. & ex eo Vincent. lib. 22. c. 23.

3. Tertiò, Obtulerunt de suo: *apertis thesauris suis*; juxta id videlicet Proverb. 3. *Honora Deum te tua substantia.* Hinc respuit Ecclesia oblationes raptorum, usurariorum manifestorum, eorum qui pauperes opprimunt: nec non meretricum publicarum, ne videatur Ecclesia favere istiusmodi peccatis. Cum Phryne metretrix Delphis Venerem auream dicasset, eam videns Diogenes adscripsit elogium: *Ex Græcorum intemperantia.* Laert. libr. 6. Iure igitur Ecclesia respuit oblationes, quæ fiunt à quæstu turpi.

4. Quartò, Obtulerunt cum humilitate & absque pompa, quia prostrati. Ita Constantinus Magnus licet plurimas Ecclesias splendidissimas extruxisset, & ingentibus donariis auxisset, nusquam tamen nomen aut insignia sua voluit apponi. Baron. ann. 324. simili modo non constat, quis è Magis illis obtulerit aurum, quis thus, quis myrrham: quia nullus eorum dono suo nomen aut insignia sua inscripsit: quod tamen nunc communiter fit.

5. Quintò, Obtulerunt una cor suum, quia prius se prostraverunt. Deus enim metitur munera ex corde. Hinc dicitur prius respexisse ad Abel, quam ad munera ejus: *quia non offerens à muneribus sed munera ab offerente placuerunt*, ut ait S. Gregorius in reg. Contra Caino ait, secundum translationem Hieronymi: *si rectè obtulisti, sed non rectè divisisti*, (cor videlicet ab externa oblatione) *peccasti.* S. Hieron. ep. ad Pammachium ait, *si quæ foris sunt, Deo; quæ intus sunt, diabolo demus, non est æqua partitio: & dicitur nobis: nonne si rectè offeras, & non rectè dividas, peccasti?*

K. IX. *Providentia & solicitudo Dei de servis suis*

Nonò, Disce providentiam & solicitudinem Dei de servis suis. Monuit enim Magos ne redirent ad Herodem; Primò ne vulpi illi proderent Christum, quem adorarant. Secundò ne ipsi etiam ob adoratum Christum, in Herodis indignationem inciderent. Dormiebant illi secure; vigilabat verò Herodes, quomodo illos perderet cum Christo. Sed vigilabat etiam Deus pro servis suis, & dormientibus viam evadendi monstrabat. Ita olim Moyses populo suo consternato ad conspectum Pharaonis persequentis eum, dixit: *Nolite timere, state & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultro videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, Exod. 14. Atque ita factum est: siquidem mare rubrum viam aperuit Israeli, demersit Pharaonem. Itaque confidenter ait David Ps. 26. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, &c.* Et S. Augustin. in Soliloq. c. 15. *In arduis & arctis*, inquit, *constanter Deo crede eique te totum committe; quantum potes: ita enim ipse te ad se sublevare non desinet nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Idque tunc præsertim facit Deus, cum in ejus servitio occupamur, uti in præsentia occupabantur Magi. Non patitur Deus ob suam causam quidquam mali nobis contingere. *Cogita tu de me, & ego cogitabo de te*, ait S. Catharinæ Senensi. S. Maclovius, ut scribit Sigebert. Gembl. in ejus vita: Surius tom. 6. cum aliquando in die paschæ, constitutus in mari, celebrare cuperet, viso colle (ut putabatur) peragendis sacris mysteriis percommodo, in illum se contulit cum omni comitatu, & sacris operatus est. Cum autem ad orationem Dominicam pervenisset, totus is locus commotus est. Erat autem cete in dorso pulveribus & herbis enascentibus adeò deformatum, ut collis putaretur. Hoc igitur advertentes, qui aderant, ad navem se recipere celerrimè conabantur, quos tamen S. Maclovius manere jussit, contestatus nemini imminere periculum, dum sacra peragerentur. Itaque peractum est sacrificium, hæsitque bellua, donec omnes ad naves suas redirent. Postquam abscesserunt, belluam demersam viderunt.

L. X. *Dei consilia nequeunt eludi.*

Decimò, Disce Dei consilia nequaquam eludi posse ab astutia humana: sed è contra hanc facillimo negotio ab illis posse. Et quid mirum? Intuebatur Deus cor Pharaonis, furentem bestiam catenâ ligatam retinebat, & cum volebat, dimittebat. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sed de hoc dictum in F. Innoc.

M. XI. *Per aliam viam redeant qui converti volunt.*

Undecimò, Disce per aliam viam redeundum esse illis qui ad eum converti, ejusque communione digni facti sunt. Processus enim Magorum modo aliquis similis est processui ad communionem. Illi venerunt de longè: Sic peccator de statu peccati, longissimè à Deo distante venit. Illi vocati sunt à stella: peccator vocatur à gratia excitante ad conversionem. Illi ante ingressum in Bethlehem, diverterunt ad Sacerdotes Ierosolymæ, ut ab illis dirigerentur ad Christum: peccator ante introitum in Bethlehem seu domum panis, id est, ante accessum ad Eucharistiam, divertere debet ad Sacerdotem, confitendo peccata sua & petendo ejus directionem. Illi prostrati adoraverunt Christum, & obtulerunt ei aurum, thus & myrrham, ita communicaturus primò adoret Christum, deinde offerat aurum, charitatem, cordis devotionem, memoriam passionis ejus, prostratus corpore & animo. Illi deinde per aliam viam, hoc est, non per viam quæ ducit ad Herodem, qua venerant, sed per aliam regressi sunt

in

in regionem suam: Ita post communionem redeundum ad patriam nostram, unde excidimus, per vitæ mutationem. Hoc olim præcepit Deus Israelitis, Deut. 17. *Nequaquam amplius per eandem viam revertamini*, scilicet in Ægyptum. Per viam Herodis redeunt, qui ad pristinas peccandi occasiones, & vitæ conversationem redeunt: qui absque dubio ab Herode diabolo intercipientur. Vitentur mundi, carnis, diaboli commercia, tendiculæ, colloquia, &c.

Denique in his omnibus *Cave ne Herodi*, inquit S.Chrysostomus homil.7. in Matthæum, *efficiaris similis & dicas: Ut & ego veniens adorem eum: cumq; veneris, interimere coneris. Hujus enim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterii. Reus est enim* (ait Paul.1.Cor.11.) *iste corporis & sanguinis Domini*, in quem Apostoli locum idem Chrysost. ait: *Reus est talis cædis Dominicæ, ac si Dominum occidisset & Christi sanguinem effudisset.* Viderit ergò qui cum peccato, vel sine emendationis proposito, ex mera simulatione, ne videlicet cæteris deterior judicetur, accedit ad mensam Christi: Absit ut è tanto communicantium numero vel unicus sit Herodes. Quid enim quæso esset, cum occultato gladio accedere ad Christum eumque interimere velle? Ad Turcarum Imperatorem, non modò vetitum est cum gladio intrare; sed etiam intraturis Legatis manus utrinque tenentur à stipatoribus, ne quid hostile attentare contra Principem queant. Aug. Busbeq. Legat.Turc.Epist.1. Quanto gravius igitur erit accedere ad regem cœli cum gladio peccati? Vidit VVidekindus Dux Saxoniæ, adhuc gentilis sub Missa in castris Caroli Magni communicantes suscipere pulchellum puerulum, & ad alios quidem venire gestientem ac ludibundum, ad alios verò renuentem & invitum. Albert.Cranz. l.2. Saxon. c. 23. & alii. Cogita nunc qua ratione posses gladio perimere istiusmodi infantem?

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA.

I. *Qui & quales hi Magi.*
II. *Cur per stellam vocati.*
III. *Unde noverunt è stella Christum natum.*
IV. *Cur diverterunt in Jerusalem.*
V. *Cur turbatus Herodes,*
VI. *Quando ad Christum Magi pervenerunt.*
VII. *Cur munera Christo tulerunt.*
VIII. *Quid significant ea munera.*

THEMA.

***Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam,* Matth. 2.**

A. SI quod Evangelium in anno est, quod attentionem à nobis requirit, hodiernum est. Continet enim primò gentium stupendam legationem ad præsepe Christi, deinde primordia religionis nostræ. Itaque S.Matthæus attentos nos facere volens, sic incipit. *Ecce Magi*, &c. q. d. Ecce rem miram & inusitatam: Gentiles veniunt ad Christum, Ecce ab Oriente veniunt Ierosolymam: Ecce nova & incognita stella duce veniunt. Ecce munera ferunt grandium mysteriorum. Ecce ante infantem procidunt, & ut Deum illum adorant. Nec minus momenti habet; quòd in eo describitur origo stemmatis Christiani à regibus exorti. Quis autem est vir nobilis, qui non avidus audiat originem suæ stirpis. Itaque vos Christiani, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit* (hodie) *in admirabile lumen suum*, 1. Petr. 2. audite & intelligite historiam Patrum vestrorum.

B. I. *Qui & quales hi Magi.*

Quæstio 1. Qui & quales fuerunt hi Magi? Respondetur primò, juxta sententiam probabiliorem non fuisse maleficos, sed viros sapientes, astrologiæ & philosophiæ vacantes moreque philosophico viventes. Tales enim fuisse Magos ap. Chaldæos & Persas testatur Hieronymus Dan. 2. Philo in l. quod omnis probus sit liber. Cyprian. &c. Favet Evangelium Syriacum, quod *Magusim* eos vocat, quod nomen honorificum erat. Accedit quòd non videbatur conveniens, ut malefici & præstigiatores, dæmonum mancipia ad præsepe Christi primi adducerentur, sed tales potius, qui juxta naturæ præscripta viverent. (1.)

Respondetur 2. fuisse etiam Reges seu regulos potius aut Toparchas; Ita sensit semper Christianus populus & ita eos pinxit: ita etiam communiter patres. Colligitur ex regiis eorum muneribus & thesaurorum apertura, quæ non est vulgarium hominum. Item quia in illis regionibus Magi in summo honore erant, & nulli ferè Reges nisi Magi erant. Accedit congruentia ex D. Thom. 3. p. q. 36. a. 3. Quia enim Christus venerat omnes gentes salvas facere, decebat ut natus non vocaret solum ad se pastores, viles, rudes, Iudæos, propè constitutos; sed etiam Magos qui essent reges, sapientes, gentiles longè positi, ut ita appareret neminem à Christo excludi. (2.)

Respondetur 3. Fuisse Arabes inter sinum Persicum & mare rubrum sitos ex Arabia Felice, quæ Saba dicitur, vel saltem Chaldæos seu Mesopotamios Persis vicinos. Colligitur ex Psalm. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; ut ibi explicat Bellarmin. Et Isa. 60. *Omnes de Saba veniunt, aurum & thus deferentes.* (Saba autem eadem est cum Arabia) ut ibi Cornel. à Lapide. Colligitur secundò ex eo, quòd ea potissimum regio sit auri, thuris, myrrhæ, balsami, cinnamomi &c. feracissima, unde Arabia Felix dicta. Tertiò quod inde etiam venerit Regina Saba cum muneribus ad Salomonem, veluti figura (3.)

primæ ex gentibus Ecclesiæ, quæ in Magis his ad Christum venit. Quarto quia ea regio ad orientalem Ierosolymæ plagam sita est, unde venisse dicuntur Magi à Matthæo. Denique quia juxta communem Patrum sententiam Magi isti, posteri vel successores erant Balaami. Is autem natione quidem Chaldæus seu Mesopotamius fuit, quando autem prophetabat de hac stella Num. 24. fuit in terra Moab, quæ est in Arabia.

Porrò ab Oriente potius seu orientali plaga vocati sunt gentiles ad Christum: quia ibi genus humanum lapsum est & ejectum è Paradiso. Unde bene jubentur Magi per aliam viam reverti: *Regio quippe nostra*, inquit Gregor. homil. 10. in Evangel. *Paradisus est, ad quam Iesu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus, sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus.* Sic Gregorius. Secundo quia inde dies nascitur: Christus autem verum attulit mundo diem. Unde Zach. 6. dicitur: *Ecce Oriens nomen ejus.* Et Luc. 1. *Visitavit nos oriens ex alto.*

Respondetur quartò ex recepta sententia fuisse tres. Colligitur ex numero munerum quæ obtulerunt. Beda in Collectaneis sic scribit: *Dicitur fuisse Melchior senex & canus, barba prolixa & capillis. Aurum obtulit Regi Domino. Secundus nomine Caspar, juvenis imberbis, rubicundus: Thure quasi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuscus, integrè barbatus, Balthasar nomine, per myrrham filium hominis moriturum professus est.* Sic ille. Ternarius verò hic tres orbis partes seu universitatem humani generis, quod per tres filios Noë propagatum est, significat ad Christum adducendam; vel etiam fidem SS. Trinitatis.

C. II. *Cur per stellam vocati.*

Quæstio 2. Cur per stellam indicem sunt vocati Magi? Respond. primo, quia Astrologi erant; ideo familiari sibi & amabili signo vocati sunt. Cum bovem ad te allicis, fœnum, non carnem ei porrigis; cum canem vocas, carnem, non fœnum ostentas. Condescendens itaque Dominus Magorum saluti, per id vocabat eos quod maximè delectabat. Secundo Pastores Iudæi vocati sunt per Angelum, qua Iudæi *acceperunt legem in dispositione Angelorum*, Act. 7. & ad Gal. 5. & habebant legem scriptam: Gentiles verò habebant tantum naturalem & per creaturas solum visibiles *invisibilia Dei cognoscere poterant*, ad Rom. 1. idcirco vocati sunt per stellam & cœleste indicium: Cœli autem maximè enarrant gloriam Dei. Illi per creaturam rationalem; velut rationales: hi per elementum tantum, quod ratione uti nescirent, ut vult S. Gregor. hom. 10. in Evang. Tertio ut indicaretur multiplicatio fidelium seu spiritualium filiorum Abrahæ, quæ ei promissa fuit, Gen. 15. *Suspice cœlum, & numera stellas si potes; sic erit semen tuum*, & Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Nuntiat ergo hæc stella, Christiano; & innumeros & spirituales ac cœlestis conversationis futuros.

D. III. *Unde noverunt è stella Christum notum.*

Quæstio 3. Unde agnoverunt stellam hanc esse indicem Christi nati? Respondetur inprimis potuisse eos habere oracula Sybillina, quæ Christum nasciturum prædicebant. Deinde percrebuerat etiam fama per Orientem teste Suetonio in Vespasiano, nasciturum in Iudæa Regem, qui rerum potiretur. Adhæc cum posteri vel successores essent Balaami, prophetiam ejus de Christo & hac stella noverant, Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, &c.* eamque videntur insinuare cum dicunt: *Vidimus stellam ejus*, q.d. indicem ejus expectatam. Ex quibus saltem cognoscere poterant magni regis ortum. Quis tamen & ubi ille esset, didicerunt absque dubio ex peculiari revelatione, & interno lumine. Quomodo enim absque hoc ad iter se accingere, Christum invenire, & pro Deo agnoscere ac venerari potuissent? Imo quomodo ibi regem alium inquirere, ubi aliquis jam regnaret, ausi fuissent?

E. IV. *Cur diverterunt in Ierusalem.*

Quæstio 4. Cur diverterunt in Ierusalem? Respondetur Primo, ut in urbe fierent certi etiam de prophetia adeoque in fide, & itinere suo prosequendo confirmarentur testimonio Iudæorum.

Secundo. Ut etiam Iudæi stellæ miraculo excitarentur ad credendum Mesiæ adventum eumque inquirendum: vel si id facere nollent, confunderentur. Unde patet inprimis magnanimitas Magorum, qui in alieno regno Regem alium inquirere non dubitarunt, id quod periculo plenum erat. Patet etiam stoliditas & ignavia Iudæorum, qui aliis monstrant, ubi Christus sit quærendus, ipsi interim non inquirunt; similes fabris illis, quia arcam Noë & filiis ejus fabricarunt: ipsi vero non ingressi sunt, nec aliam sibi fecerunt.

F. V. *Cur turbatus Herodes.*

Quæstio 5. Cur turbatus est Herodes nuntio Magorum? Respondetur primo quia timebat ereptum sibi iri regnum vel saltem filiis suis; nemo enim facile fert Regem alium in regno suo. Unde Alexander Magnus ad Darium ait. Neque cœlum duos soles, neque terram duos reges ferre posse. Sed frustra times Herodes. *Dominus mundi*, inquit S. Leo serm. in Epiphan. *temporale non quærit regnum, qui præstat æternum.* Et iterum serm. 4. de Epiphan. *Non capit Christum regia tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis.* Et sanctus Fulgentius: *Quid turbaris Herodes? Rex iste qui natus est, non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare: nec ideo natus est ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat: Venit, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus.* Sic ille.

Secundo, quia advertit Christi nati cœlestem dignitatem. Unde S. Gregor. in hom. 10. ait: *Cœli rege nato, rex terræ turbatus est: nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur.* Sic stellæ

ſtellæ occultant ſua lumina adventante ſole: ſic animalia quamvis efferа tremunt & turbantur præſente & rugiente Leone; Unde Amos 3. dicitur: *Leo rugiet quis non timebit?* Atqui Chriſtus Leo ille de tribu Iuda erat. Porro ſi turbatus eſt Herodes ob majeſtatem Chriſti nati jacentis in cunabulis: quantum in judicio turbabuntur mali ex aſpectu & præſentia Iudicis? *Quid erit tribunal judicantis*, inquit Auguſtin. *quando ſuperbos reges cuna terrebat infantis?* Serm.30.de temp.

3\. Tertiò quia vidit reges illos gentiles venire à longinquo ad adorandum Chriſtum, ſe verò ſecta Iudæum viciniſsimum in ſuo regno natum nec ſciviſſe nec adoraſſe. Hoc arbitror mire confundebat Herodem. In hunc modum quomodo non confundantur Chriſtiani, ſi vident fieri ab Ethnicis opera bona, quæ non faciunt ipſi? Sic confunduntur aut certe confundi debent, qui cum non habeant impedimenta, non frequentant templum, Confeſsionem, communionem, interim vident frequentes adhuc mechanicos & ruſticos. Sic confunduntur ſuperiores, cum vident ſubditos ſuos magis pios & devotos, quam ſunt ipſi.

4\. Quartò quia ut ait S. Leo, *non tantum Herodes in ſemetipſo turbabatur, quantum diabolus in Herode.* Timebat enim diabolus dejiciendum ſe ab imperio ſuo.

G. VI. *Quando ad Chriſtum Magi pervenerunt. Ex Vinc. Regio p. 1. dilucid. l. 1. c. 10.*

Quæſtio 6. Quando ad Chriſtum Magi pervenerunt? Reſpondetur, perveniſſe infra 13. dies adeoque decimo tertio à Nativitate Chriſti die, quo & celebratur hoc feſtum. Ita cum Ammonio Alexandrino in Harmon. Eccleſia ſentit. Sed quomodo tam paucis diebus eò pervenire potuerunt? Reſpondetur Arabiam Felicem, unde eos veniſſe diximus, diſtare à Bethlehem ad ſummum 300. leucis minoribus, quarum una eſt trium milliarium Italicorum, quæ faciunt milliaria Italica 900. Germanica verò 180. Iam ergo ſi computemus pro ſingulis diebus iter 18. miliarium Germanicorum, potuerunt eo venire die duodecimo. Sed quis inquies 18. milliaria conficiet uno die? Reſpondeo Iſaiam prædixiſſe cap. 60. Venturos cum Dromedariis, quorum ea regio fertilis eſt. Hi autem Hieronymo teſte, tantum itineris conficiunt uno die, quantum equi noſtri in tribus. Quod ſi ex Perſide, ut aliqui Patres volunt, veniſſent, potuiſſent intra 13. dies ad terminum venire. Cùm enim ex Perſide uſque Hieroſolymam ſint 40.dies itineris ſecundum Hieronymum, conſequenter potuerunt id conficere intra 13. dies. Cæterùm ſi remotiores alii interfuiſſe huic legationi traduntur, veluti Calecutii aut Abyſsinorum Rex, dicendum fuiſſe eos per id tempus in Arabia adeoque in comitatu Magorum noſtrorum.

H. VII. *Cur munera Chriſto tulerunt?*

Quæſtio 7. Cur munera Chriſto tulerunt? Reſpondetur, veterem conſuetudinem fuiſſe, ut nemo intraret ad regem abſque munere: in Perſia apud Cæl. Rhodigium l.13.c.16. In Parthia apud Senecam Epiſt. 17. In Arabia; inde enim veniens regina Saba tulit munera Salomoni, 3.Reg.10. In Chanaan. Gen. 43. Unde Iacob miſit munera Ioſeph in Ægyptum. In Iudæa: idcirco enim vocantur filii Belial, id eſt, abſque jugo ſeu exleges, qui non attulerunt Saulo noviter in Regem electo munera, 1.Reg.10. Unde patet hæreticos, qui ſacrificium Miſſæ ſuſtulerunt, filios Belial eſſe, ſiquidem nullum prorſus Deo offerunt munus aut ſacrificium.

I. VIII. *Quid ſignificant ea munera.*

Quæſtio 8. Quid ſibi volunt illa munera, *aurum, thus & myrrha?* Reſpondetur primò oſtendere id quod credebant Magi. Crediderunt Chriſtum eſſe regem, & ut tali attulerunt aurum. Crediderunt eſſe Deum & ut tali attulerunt thus, quod Deo ſolet incendi. Crediderunt eſſe hominem, & ut tali obtulerunt myrrham, qua corpora mortuorum condiuntur hominum. Totum hoc verbis illis expreſſerunt: *Ubi eſt qui natus eſt Rex? venimus adorare eum.* Dum dicunt natum, agnoſcunt hominem: dum volunt adorare, agnoſcunt Deum, Regem denique expreſſe vocant. Unde S. Gregor. homil.10.ait: *Eum, quem adorant, etiam myſticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem.*

2\. Secundo, S. Bernard. in Soliloq. ait, fortè aurum ob Chriſti paupertatem: myrrhæ unguentum, ob infantilis corporis teneritudinem: thuris odoramentum, ob ſordidam ſtabuli manſionem obtuliſſe. Utinam & nos ſimilibus muneribus miſeriam Chriſti nunc ſublevaremus: fœtorem thure orationis; teneritudinem infantilem mortificatione carnis & membrorum noſtrorum: paupertatem eleemoſyna.

3\. Denique obtulerunt id, quo ipſi in ſua regione abundabant. Similiter *Da Deo, quod habes, da quod es*, ait quidam pater: Præbe illi cor tuum per veram pœnitentiam. Da ea, quibus abundas. Sc. peccata tua per pœnitentiam. Denique da ſaltem quod ei debes. Quid autem debes? nonne ſaltem modeſtiam in externa converſatione hoc potiſsimum tempore? Nonne dies iſte Domini eſt? nonne ad obſequium ejus impendendus? Ad quid ergò profana illa lætitia, comeſſationes, ludi & ludicræ aliæ ineptiæ? Itane vero honoramus Chriſtum in cunis vagientem? An neſcimus illud: *Muſica in luctu importuna narratio?* Et illud Bernardi: *Adhucne ludam & lachrymas Chriſti deludam?* Quid ait Eccleſiaſticus cap. 34. *Unus ædificans & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? Unus orans & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus?* An non jure filii Belial vocabuntur, qui ea, quibus abundant, peccata ſua gravia hoc tempore per confeſsionem Chriſto non obtulerunt? An non & illi, qui etiam, quod ei debent, ſubtrahunt? Multi ita abundant peccatis per annum perpetratis, ut Dromedarios aliquot onerare poſſent, & tamen illi non ſentiunt hoc onus, nec confitentur hoc tempore, differunt ad paſcha. O filii Belial! Myſticè Deo offerimus thus, myrrham,

rham, aurum: quando offerimus ei animam per orationem, corpus per jejunium seu afflictiones corporales, & mortificationem, bona externa per eleemosynam.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

Evangelium Matth. 19.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Jesum. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter meum nomen: centuplum accipiet; & vitam æternam possidebit.

CONCIONES.

I. *S. Paulus Benjamino comparatur.*

II. *Quomodo etiam seculares sua relinquere possint ac debeant.*

III. *Qua in re consistat religiosorum centuplum.*

IV. *De Sanctorum cum Christo judicantium gloria, reproborum judicandorum confusione.*

V. *Documenta & Mysteria.*

CONCIO I.

S. PAULUS BENJAMINO comparatur.

I. *Quia Ecclesiam primo persecutus.*

II. *Quia specialibus prorogativis donatus.*

1. Animo alacri, intrepido.
2. Cœlesti sapientia.
3. Potentia spiritus.

III. *Quia persecutionibus magis exercitus.*

IV. *Quia lupus mane rapiens vespere prædam dividens.*

Spolia, quæ nobis divisit:

1. Lætitia singularis.
2. Splendor Religionis nostræ.
3. Robur fidei nostræ.
4. Spes & solatium nostrum.
5. Documentum.

THEMA.

Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & vesperè dividet spolia, Gen. 49.

A. OMnes ferè sancti Patres asserunt Benjaminum, ultimum Iacobi Patriarchæ filium, fuisse typum & figuram S. Pauli Apostoli. Nec immerito; Nam 1. Paulus asserit se oriundum è tribu Benjamin, ad Rom. 11. & ad Phil. 3. 2. Benjamin erat ultimus & minimus filiorum Iacobi: sic etiam S. Paulus ultimus omnium vocatus est ad Apostolatum, unde & minimum se vocat Apostolorum, 1. Cor. 15. 3. Quæ de Benjamino gesta narrantur in SS. Litteris, rectè quadrant in S. Paulum, uti mox videbimus.

B. I. *Quia Ecclesiam primo persecutus.* Primò. Gen. 35. causavit Benjamin matri suæ Rachel partus dolorem & difficultatem, imo mortem ipsam. Unde ea jam imminente vocavit eum mater Bennoni, sive filium doloris mei. Pater tamen postea appellavit eum Benjamin, i. e. filium dexteræ. Rachel secundum Isidorum & Eucherium significat Ecclesiam (uti Lya Lippa significat synagogam.) Hanc igitur magnis doloribus afflixit noster Benjamin, antequam Christo nasceretur, & in lucem ederetur Evangelii, inquirebat enim & alligabat, incarcerabat & condemnabat Christianos, uti fatetur ipse Act. 26. & patet vel in nece S. Stephani. Unde non immerito poterat eum Ecclesia tunc vocare filium doloris sui. Idcirco Ananias de eo dixit ad Christum: *Domine, audivi à multis quanta mala fecerit sanctis tuis,* Actor. 9. Nec diffitetur hoc ipsemet, siquidem propterea 1. Corinth. 15. vocat se *abortivum & minimum Apostolorum, qui non sit dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sit Ecclesiam Dei.* At vero postquam Christo natus est, & nova fidei luce perfusus, vocavit illum Dominus filium *dexteræ*, sive, fecit illum validum & fortem ad convincendos Iudæos. Unde mox ingressus synagogas,

convalescebat & confundebat Iudæos, Act.9. Fortem ad quævis adversa toleranda, juxta id: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, ibid. adhæc ipse ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Rursum transtulit eum à sinistra Reproborum ad dexteram Electorum, ab hædis ad oves, de persecutore fecit Apostolum, quæ certè mutatio dexteræ Excelsi est. Secundum Cyrillum Rachel significat synagogam. Hæc enim à filio suo Saulo postquam factus est Paulus & Christianus, mirum in modum torta & angustiata, imo prorsus enecta est, & quantum de ejus conceptione prius gavisa erat, tantum postea de ejus nativitate, ad Christianismum videlicet conversione indoluit. Inde Actor. 24. vocat eum, *hominem pestiferum*, quia nimirum agnovit eum pestem fore sectæ suæ, uti & factum est. Nam in omnibus suis concionibus & Epistolis docuit & ostendit legis abrogationem veteris, & novam promulgavit. At verò Christus, pater ejus vocavit eum filium dexteræ, hoc est, fecit eum à Iudæis transire ad gentes, ex doctore Iudæorum doctorem gentium, ex æmulatore Iudaismi æmulatorem Christianismi, ex Iudæo Romanum, & gentium Apostolum. Unde quamprimum designatus fuit gentium Apostolus, & convertit primum gentilem Sergium Paulum Proconsulem Cypri, mutavit nomen, & ex Saulo factus est Paulus, nomine Iudaico mutato in Romanum, ut videre est Act.13.

C. II. *Quia specialibus prærogativis donatus.*

Secundò, Gen. 43. & 45. tria singularia beneficia accepit à Iosepho fratre, Principe Ægypti. Primò enim in mensa plures accepit ab eo portiones, ita ut quinque partibus superaret fratres suos, Gen. 45. Secundò. Trecentos argenteos, Gen.45. Tertiò, quinque stolas optimas, cum cæteri ejus fratres accepissent singuli binas tantum, adeoque ultra sortem fratrum tria amplius accepit, nimirum quinq; portiones; trecentos denarios, & tres stolas. Ita S.Paulus tria peculiaria dona ad Evangelizandum, triplicemque gratiam ad persuadendum mirè efficacem accepit à Christo (cujus typus fuit Iosephe. *Salvator mundi* dictus à Pharaone.) Teste S.Chrysost.in epist. ad Eph.3. in Morali hom.6.

1. *Animo alacri, intrepido.*

Primò animum alacrem, audentem, ferventem, & ad omnia intrepidum. Unde in ipsis vinculis & in medio accusatorum, & coram præsidibus ac principibus confidentissimè loquebatur, & annuntiabat Christi fidem, gratiam & vocationem suam. Sanè coram Nerone, cum ob ferociam illius Imperatoris omnes eum deseruissent, ipse solus perstitit, & coram pavendo illius tribunali, libere se defendit, fidemque prædicavit, uti testatur ipse 2. ad Tim. 4. dicens; *In prima mea defensione, nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes! & liberatus sum de ore leonis*, id est Neronis: uti ex ponit Chrysost. & alii. Etenim ipse ferarum pellibus insutos homines canibus objecit; alios in usum nocturni luminis combussit, &c. teste Tacito libr.15. Agnosce hic in Paulo portiones cibi majores, quibus adeò confortatus fuit à Christo; quodque magis mirum, mox à conversione. Audi Lucam Actor.9. *Et cum accepisset cibum*, inquit, *confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per aliquot dies, & continuò ingressus synagogas prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, &c.*

2. *Cœlesti sapientia.*

Secundò, Cœlestem quandam sapientiam; quam designant trecenti illi argentei. Audi Paulum ipsum ad Ephes.3. *Mihi*, inquit, *omnium Sanctorum* (id est, Christianorum) *minimo data est gratia hæc in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ecce Angelos erudivit Paulus: nec mirum, quoniam & ipse in cœlum raptus, & in cœlesti schola eruditus audivit arcana verba, uti fatetur 2. Cor.12. ibique factus est Doctor orbis, nec non magister Angelorum. Quantæ sapientiæ divitiæ! Unde S. Dionysius ejus discipulus vocat eum *communem nostrum solem*: lib. de Divinis nominibus cap.7. Sol autem illuminat non solum infera sed & supera, & firmamenti ipsius stellas. Ideò S.Chrysost. Præfat. in Epist. ad Rom. monet, ut Paulus ab omnibus etiam laicis legatur, vel saltem audiatur explicatus.

3. *Potentia spiritus.*

Tertiò. Potentiam spiritus cum vita inculpata, quam significant stolæ illæ optimæ. Hac enim divina quodammodo dicendi efficacia, non humanæ sapientiæ ornatu vestitus fuit sermo S.Pauli. Unde ait 1.Cor.2. *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum: sed in virtute Dei, &c.* Ea verò tanta fuit, ut Felicem Præsidem, quantumvis impium & scelestum tremefecerit, Actor.24. & Lycaonios ita commoverit, ut dicerent ipsum de cœlo descendisse, & esse Mercurium, Actor. 14. & innumeras regiones Barbaras brevi tempore converterit: Ut denique S.August. ex relatione multorum inter alia tria optatissima nil magis optaverit, quam audire Paulum concionantem. *Sicut enim radiis solis orientibus*, inquit S.Chrysost.hom.4. de laudibus S. Pauli, *fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures & latrones: sic prædicatione fulgente, & Evangelium disseminante Paulo fugabatur error; veritasque remeabat; idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu fœda defecerunt atque consumpta sunt.*

D. III. *Quia persecutionibus magis exercitus.*

Tertiò. Gen. 44. In sacco Benjamini clanculum imponi jussit Ioseph scyphum suum argenteum, sicque dimisit fratres, moxque revocatos tanquam ablati scyphi reos in angustias redegit, comprimis verò Benjaminum, quem ob deprehensum in ejus sacco

facco scyphum, in servum sibi poposcit, solumque retinere contendit: quanquam id omne, non ex odio, sed potius ex amore & per ludum fecit. Ad hunc etiam modum egit Christus cum discipulis suis, quibus omnibus calicem passionis, persecutionum, calamitatum, tormentorum & martyrij hauriendum dedit, sed imprimis Paulo, quem pluribus & gravioribus ærumnis, ac persecutionibus voluit exercere. Idcirco enim de illo ad Ananiam dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel: ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Actor. 9. Nimirum voluit Christus elaborare illud vas pluribus malleis, tunsionibus & pressuris ut electum fieret: quemadmodum & scyphus, qui debet fieri elegans, sæpius igni adhibetur, magis elaboratur, &c. Hunc calicem se Christo libasse & sacrificasse non obscurè significat S. Paulus 2. Cor. 4. dum citat Psalmum 115. qui est de offerendo calice passionis. Clarius & plenius 2. Cor. 1. cum ait: *In laboribus pluribus, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, ter lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus, sæpè periculis fluminum, periculis Latronum, &c.* Hic fuit ludus veri illius Ioseph, cum nostro Benjamino: per quem eum ad tempus affligere & exercere voluit, ut postea tanto magis gaudiis perfunderet; sicut Ioseph idcircò tamdiu distulit & afflixit Benjaminum, ut postea ejus gaudium, cùm se fratrem ejus indicaret, tanto magis cumularet. Unde patet tribulationes signa esse amoris non odii, juxta id Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.*

E. IV. *Quia lupus manè rapiens, vesperè prædam dividens.*

Quartò, Genes. 49. Benedicens Iacob filio suo Benjamino, ait, *lupus rapax manè comedet prædam, & vespere dividet spolia.* Ejusmodi lupus & Paulus fuit, qui mane quidem, hoc est, ante conversionem fuit lupus diaboli, dum rapuit oves Christi, & dispersit ejus greges, Act. 8. Vesperè verò, hoc est, per conversionem factus est lupus Dei, dum eripuit diabolo, quam attulerat ei, prædam, & tulit ad Christum. Divisit spolia; cum sacra Evangelii eloquia gentibus dispertiit. Meritò autem Paulus comparatur lupo. Nam 1. lupus rapax & truculentum animal est, ac cruoris appetens, ex oculis ignem spirans. Talis etiam Paulus spirans minarum & cædis in discipulos Domini. 2. Lupus vastat integrum gregem, non contentus unam aut alteram laniasse ovem, reluctantes secum trahit. Ita Saulus devastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam, Actorum 8. 3. Lupus majorem bestiam aggressurus, ventrem onerat terra, ut majore vi ac mole eam retinere ac prosternere queat, Pier. lib. 11. Hierogl. Ita etiam Saulus, ut majore impetu, vi, & auctoritate raperet Christianos, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epistolas in Damascum, ut si quos ibi invenisset Christianos, vinctos perduceret in Ierusalem. Et talis quidem erat Saulus manè. Vesperè autem totus à se alius: non enim ignem tunc ex oculis spirabat, sed visu destituebatur. Non jam sanguinem appetebat, sed nec comedere quidem aut bibere per triduum valebat. Non modo, quos quærebat, non trahebat ad custodiam vinciendos: sed ipse, cum prostratus & nimio terrore consternatus incedere non posset, manibus trahebatur in Damascum. Non jam vastabat Christi gregem, sed ei aggregabatur, & ab una ovicularum frater appellabatur: *Saule frater*, inquit Ananias, Act. 9. Non jam Epistolis Iudæorum terrebat Christianos, sed mandato Christi præcordiis suis inscripto, impugnabat & confundebat Iudæos. Ecce Paulum vespere spolia dividentem.

F. *Spolia quæ nobis divisit.*

Sed quænam illa spolia, quæ divisit nobis?

1. *Lætitia singularis.*

1. Lætitia singularis, quia hodie è castris hostium, dux præclarissimus transiit ad nos & ad partes nostras. Sic lætatus erat David cum transiit ad eum Abner Princeps militiæ domus Saul, spondens se reducturum ad eum universum Israel: fecitque ei convivium, 2. Regum 3. cur ergò non & nos cum lætitia excipiamus transeuntem hodie ad nos Saulum, qui cum prius magnas nobis intulisset clades, nunc à parte nostra est, pro nobis pugnaturus? *Multos enim*, inquit Sanctus Bernardus 1. in hoc F. idem probare volens) *ab hac radice ramos prodiisse videmus. Conversus Paulus conversionis minister factus est universo mundo. Et multos quidem in carne adhuc, sed non secundum carnem ambulans prædicationis officio convertit ad Deum, nunc quoque in ipso felicius vivens & apud ipsum, ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: Dico autem exemplo, oratione, doctrina.* Sic Bernard. Certè ejus Epistola ad Rom. peperit nobis S. Augustinum.

2. *Splendor religion nostræ.*

Secundum, Gloria & splendor religionis nostræ. Non enim quomodocunque ad religionem nostram transiit, sed è cœlo vocatus mirabiliter, imò compulsus ab ipso Christo. Petierant olim à Christo signum de cœlo Pharisæi & Sadducæi, Matth. 16. Ecce nunc signum tale. Ecce tibi Christum de cœlo respicientem super Ecclesiam suam in præsentissimo periculo: (cùm scilicet lupus jam appropinquaret Damasco) eamque defendentem, quemadmodum & aquila tuetur nidum suum. Clamat de cœlo caput pro membris. Quænam alia gens, quæ habeat Deum ita propinquantem sibi? Hinc Christiani in Damasco tam solliciti fuere servare Paulum ab insidiis; ita ut per murum demiserint eum in sporta, ne comprehenderetur à Præposito urbis, quia testis erat religionis nostræ omni exceptione major.

3. *Robur fidei nostræ.*

Tertium, Robur & certitudo fidei nostræ. Qua enim ratione tantus Iudaicæ legis æmulator, & hostis Evangelii, qua, inquam, ratione tantus legis doctor, tam repente totus immutatus est, ut ex per-

persecutore fieret prædicator Evangelii, ex lupo rapaci Agnus mitissimus; nisi quia hæc mutatio fuit dexteræ Excelsi? Quomodo Saul nunc inter Prophetas, nisi quia Spiritus Domini irruit in eum, qui alioqui venerat perdere Davidem? Quomodo nunc Balaam benedicit populo Dei, qui venerat maledicere, nisi quia à Deo sic jussus & coactus est? Quomodo Saulus tam repente alius, convalescebat & confundebat Iudæos, nisi quia in fide nostra ab ipso Christo mirabiliter est edoctus.

4. *Spes & solatium nostrum.*

Quartum, Spes & consolatio nostra. Si enim tantus Dei hostis; tam citò ei reconciliatus est, & tantam adeptus est gratiam, ut vas electionis fieret: quis imposterum diffidat de Dei bonitate & misericordia? quis de gratiæ divinæ efficacia! Mirantur S. Ambrosius & S. Basilius, nec non Aristoteles & Plinius, Echineida, sive Remoram exiguum pisciculum, qui vastissimas naves, etiam ventorum vi agitatas, nullo suo labore, solum adhærendo sistit & remoratur. Quanto magis mirum uno Christi verbo hominem turbinibus iracundiæ in barathrum ruentem, tam repente sisti? ejus æstus inhiberi, imò in contrarium flecti? ad Christum quem cane pejus & angue oderat; tanto impetu trahi? eique per amorem arctissimè uniri? Hanc igitur in se Dei potentiam & misericordiam, cum stupore prædicat Apostolus, 1. ad Timoth. 1. dicens: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternã.* Quis nunc pœnitens non speret veniam & gratiam, cum Saulum blasphemum, & persecutorem Christi ab eo non solum in gratiam sed & ad Apostolatum intimamque amicitiam receptum videat?

5. *Documẽtum.*

Quintum est documentum, ut quamprimum audiamus vocem & inspirationem Dei nos vocantis:, arguentis, castigantis, & mox cum Paulo dicamus: *Domine quid me vis facere?* sed non est expectanda ipsiusmet Dei instructio, *ingredere civitatem*, ait illi Dominus, *& ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Audi Ananiam, Concionatorem, Confessarium tuum, illi tibi dicent, quid te oporteat facere, illi manum imponent, & visum restituent, & gratiam Spiritus sancti conferent. Ibi per triduum occupa te, primo die deplora peccata tua per contritionem. Secundo die exonera ea per confessionem. Tertio puni ea per satisfactionem, & ambula in novitate vitæ. Si manè rapuisti, noli rapere vespere, sed potius divide tua pauperibus. *Qui furabatur*, ait Apostolus ad Ephes. 4. *jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.* Id enim fecit etiam Paulus, quem si secuti sumus rapientem, sequamur etiam prædas dividentem.

CONCIO II.

QUOMODO ETIAM SÆCULARES relinquere omnia sua possunt, ac debeant.

I. Egestatem æquo animo ferendo.
II. Iacturam bonorum æqueferendo.
III. Solicitudinem & curas deponendo.
IV. Statuendo omnia potius relinquere quam Deum offendere.
V. Nosipsos mortificando.

THEMA.

Ecce reliquimus omnia & secuti sumus te, Matth. 19.

A.

Genesis 19. Legimus justum illum Loth ab angelis duobus monitum ut exiret de Sodoma, quã Dominus perditurus esset incendio, adeoque eductum esse de civitate, dicentibus angelis in itinere: *Salva animam tuam, ne stes in omni circum regione: Sed in monte salvum te fac.* Verum Loth senio confectus, & montis proclivitate territus, respondet: *Quæso Domine mi, non possum in monte salvari. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva & salvabor in ea.* Concesserunt Angeli, & inde vocata est illa civitas *Segor*, id est, *Parva.* Monet in hodierno Evangelio Dominus, ut de Sodoma exeamus, cupiditate videlicet terrenorum, si in illa perire nolumus, & ut montem perfectionis & paupertatis per contemptum mundi ascendamus, animasque nostras salvemus. Sed heu nimis debiles & infirmi sumus ad montem tam excelsum superandum. Quomodo enim sequamur robustos illos Domini discipulos dicentes: *Ecce reliquimus omnia?* Nunquid non alia via superest salvandi animas nostras ab incendio gehennæ? Est sanè, & quidem plana, etsi parvæ perfectionis. Est modus aliquis relinquendi patrem & matrem, fratrem & sorores, & filios, domum & agros, etsi minus perfectus, quo retineamus illa. Igitur si ad montem illum perfectæ paupertatis ascendere non possumus, divertamus in Segor, sequamur imperfectam. Quam saltem nisi sequamur, non video quomodo incendium gehennæ evadere possimus.

B. I. *Egestatem æquo animo ferendam.*

Primò. Cum egestatem & carentiam bonorum temporalium æquo animo ferimus, & paucis ac paupertate nostra contenti sumus: eamque sortem tam libenter acceptamus, ac si sponte elegissemus, nec plura, maximè aliena; concupiscimus, vel quærimus. Sic enim saltem superflua relinquimus, imò omnia divinæ dispensationi. Religiosus censetur

ſua reliquiſſe, ſi à Prælato ſuo libenter acceptet quidquid illi datur ad vitæ neceſsitatem, licet parum id ſit, & aliis religioſis longe plus dari ſoleat: ita ſuo modo etiam omnino relinquere dicetur, qui omnia gratanter accipit à Deo, licet parum ſit; quando cogitat paupertatem ſibi non caſu aliquo eveniſſe, ſed ordinatione & voluptate patris cœleſtis, cui merito omnes conformari debent. Ita filius, qui præ omnibus fratribus minimum accipit à patre patrimonium, ſi id acceptet lubens & cum gratiarum actione, nec murmuret ob inæqualitatem ſibi factam: nonne cenſebitur ſua reliquiſſe, utpote, quæ jure petere poterat? Hoc pacto reliquit Abraham univerſam terram cognato ſuo Loth, dum optionem eligendi, quam partem vellet, dedit, ipſe verò à Deo portionem ſuam expectavit, Gen. 13. Hoc modo reliquiſſe cenſendus eſt Lazarus, pompam & lautitiam Epulonis, ſiquidem micas tantum panis, non cupedias epulonis expetebat, cum interim ambo Deum patrem haberent: Epulo nimium, ipſe nimis parum, adeoque nec micas accepit, ſorte tamen ſua contentus, de divite non murmuravit. Imo in hunc etiam modum Petrus ſua reliquit. Quid enim putatis eum reliquiſſe? *quid aut quantum reliquit, qui penè nihil habuit?* inquit Greg. hom. 5. in Evang. quid enim præter rete & naviculam habuiſſe ſcribitur? ſed nimirum multum dimiſit, *qui etiam deſideria habendi dimiſit, multum dimiſit, qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentiis reſignavit*, ut ait Greg. unde ibidem applicat eis id Iſaiæ 60. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant? & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Quaſi columbæ ergo ad feneſtras ſuas ſunt* (ait) *qui nihil in hoc mundo concupiſcunt, qui omnia ſimpliciter aſpiciunt, & in hæc, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur. At contra milvus, & non columba ad feneſtras ſuas eſt, qui ad ea, quæ oculis ſuis conſiderat, rapinæ deſiderio anhelat.* Hæc ille.

A.

Igitur ſi quis parum habet, poteſt tamen multa concupiſcere & avide quærere, tandemque ſibi ſive per fas ſive per nefas comparare: ut ille Luc. 12. *Deſtruam horrea mea, & majora faciam.* Unde S. Bonavent. proceſſ. 6. relig. c. 31. ait, alia eſſe horrea cupiditatis ampla, quæ impleri nequeant, alia neceſsitatis anguſta, quæ facilè impleantur. Et facilè eſt, ut plurimum, relinquere ſua pauperes, ſed deſideria habendi & plura acquirendi non item. Igitur quemadmodũ religioſus merito diceretur renuntiaſſe omnibus dignitatibus, qui cederet juri ſuo, ne unquã eligeretur ad ullam dignitatem, nec ullam unquã quæreret: ita etiã, qui non quærit amplius, quã habet, & cætera omnia libenter relinquit aliis, nõ immeritò dicetur omnibus renuntiaſſe. Unde Gregor. ubi ſup. ait: *Multa fratres relinquitis, ſi deſideriis terrenis renuntiatis:* Potes igitur relinquere uxorem, cum aliam præter tuam non concupiſcis, filios, cum iis, quos habes, vel non habes, contentus es: Domum, cum ampliorem & ſplendidiorem non appetis: Agros, cum præter duos vel tres, quos habes, nullum concupiſcis. Atque utinam vel hoc modo bona temporalia relinqueremus; quia ſcriptum eſt: *Non concupiſces rem proximi tui*; nec licet tibi vel appetere, vel uſurpare, quam quod jure conſequi potes, quia ſub ordinatione ſupremi Rectoris contentus vivere debes; ſicut Religioſus ſub Prælato: & quemadmodum religioſus contra voluntatem prælati quidpiam ſibi aſſumens meretur ejici de monaſterio & ſepulturâ privari; quemadmodum alicui ſuo tempore factum ſcribit S. Greg. 4. dialog. c. 55. monacho proprietario: quem ſeorſum cum pecunia inventa ſepelientes fratres dixerunt: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, ita etjam meretur & punire ille, & ſepeliri in inferno cum epulone, qui ſua ſorte non contentus, etiam aliena quærit, uti contigit Achani Ioſ. 7. *Igitur ſi necdum poſſumus relinquere propria, ſaltem non concupiſcamus aliena*; inquit Gregorius loco cit.

B. I. *Egeſtatem æquo animo ferendam.*

C. II. *Iacturam bonorum æquo ferendo.*

Secundum. Cum bonorum temporalium jacturam æquo animo ferimus, nec ob eam indignamur: ut cum ſubſtantia tua perit, vel cum labore & induſtria tua parum vel nihil lucri facis, veluti ſi multum ſeminaveris & nihil metas, quia grandine, vel aliter periêre fruges. Nam in hoc etiam caſu potes ex neceſsitate facere virtutem: quia potes cogitare te jacturam hanc ob peccata tua commeritum eſſe, vel tibi valde utilem & neceſſariam eſſe, ne ſubſtantia illa, vel lucro abuti poſſes, & quo modo aviculæ truncantur pennæ, ne avolet, ita tibi Deum truncaſſe ſubſtantiam, ne incraſſatus in eum recalcitrares. Probatur autem hic modus relinquendi, quia ſi aufferenti tibi pallium non reſiſtis, neque verbere, neque verbo, nonne diceris pallium ei reliquiſſe? Cur ego non idem dicamus, ſi aufferenti tibi ſubſtantiam tuam Deo, vel diabolo, aut malis hominibus non obmurmuras, non obloqueris, ſed patienter fers? Sic enim S. Iob ſponte quidem non reliquit bona ſua, ſed aufferenti ea ſibi dæmoni nequaquam reſiſtit, nec verbum oblocutus eſt, etiam ſibi pellem abſtrahenti, ſed hoc totum Deo reſignavit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c.* Nec tamen minus laudatur in ſcriptura quam ſi illa omnia ſponte reliquiſſet, quin imo per hoc perfectionem voluntariæ paupertatis aſſecutus eſt, cum dixit: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc*, cap. 1. Sanctus Iuniperus poſt factam ſibi à Superiore inhibitionem, ne impoſterum veſtes ſuas ſibi detrahendo pauperibus daret, cuidam deinde petenti ſtipem, dixit: *Mihi nihil eſt, quod tibi porrigam, nec tunicam meam licet per præſides meos tibi impertiri, potes tamen, ſi placet, illa me ſpoliare*: ut refert Raderus in Virid. ſect. 5. p. 3. cap. 3. Idipſum nos Deo poſſumus & debemus dicere. S. Remigius collectis pro futura annonâ, quam prævidit, acervis tritici, & à malitioſis hominibus incenſis, eminus ad ignem ſtetit, quaſi ad eum ſe calefaciens, & oblatrantibus incenſoribus reſpondit, omni tempore bonum eſſe focum. Ut in Surio tom. 1. ex Hormiſdæ Epiſt. Potes & tu ſimiliter relinquere parentes, uxorem, liberos,

liberos, fratres, cum DEO eos repente voluntati DEI te conformas & patienter fers; potes domum, cum conflagrat; potes agros, cum grandine vastantur: Potes alia. Dic tantum cum Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis ejus, faciat*, 1. Reg. 3. Sed ô quam difficulter hoc aliqui possunt! quàm multi DEO oblatrant, & cum re fluxâ æternam sibi mercedem parere possent, utramque perdunt, & pœnam sibi adsciscunt? Utinam saltem in articulo mortis cum temporalia omnia necessario relinquere debemus, ea sic reliqueremus, antequam ab iis relinqueremur: & omnem nostram cogitationem à temporalibus ad æterna transferremus. Certè hoc docent Syri illi 4. Reg. 7. qui audientes sonitum in castris suis quasi curruum & equorum, & exercitus plurimi (quem sonitum Deus in terrorem eorum excitaverat) fugerunt in tenebris derelinquentes tentoria, equos & asinos, & omnia, animas tantum suas salvare cupientes. Ita etiam morituros sonitum audire facit Deus, tubæ videlicet illius terribilis: *Venite ad judicium, &c.* Et væ tibi nisi tunc vel saltem, quoad affectum relinquas opes tuas, capieris enim una cum illis, atque ita & opes perdes & animam. Ergo si sapis, cura ut hanc unam salves.

D. III. *Solicitudinem & curas deponendo.*

Tertio, cum solicitudinem & curas bonorum tuorum deponis, atque ita, ut Apostolus præcepit, uxorem habens quasi non habeas, & emens quasi non possideas, & utens hoc mundo, quasi non utaris. Et ut 1. Pet. 5. dicitur, *omnem solicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Sic enim Principes omnia sua committunt suis præfectis, ne ipsi soliciti esse debeant. Ita Putiphar ille Ægyptius herus omnia sua commisit dispensationi Iosephi, nec noverat aliquid in domo sua nisi panem, ut dicitur Genes. 39. id est, nullius rei curam gerebat, nisi ut accumberet mensæ, & frueretur iis, quæ parasset Ioseph. Ad eundem modum, licet filiofamilias sub patre adhuc degente plurima quotidie accrescant, vel decrescant, cum sit ipse futurus hæres; ipse tamen horum curam nullam agit, sed mensæ tantum assidet & comedit. Unde si diceretur tali filio: Ecce res tua periclitatur, pater tuus damnum patitur: ipse nihil tristaretur. Vel: ecce magna tibi hæreditas, magnum lucrum hodie patri accessit, ipse nihil gauderet; quia habens bona quasi non habet, dum nihil curat. Curæ & solicitudines pedisequæ sunt bonorum temporalium, & partus avaritiæ & cupiditatis, quæ si abessent, bona illa parum homini nocere possent; unde qui curas illas à se abigere novit, & relinquere, bona etiam sua relinquere censebitur: sicut qui fruges arborum suarū deserit juxta vias publicas sine custode, dicitur eas relinquere, non quod omnino relinquat, quia vult aliquando eas decerpere; sed quod non sit de iis solicitus, licet aliquid inde diripiatur. Qua in re non est necesse, ut omnem rerum tuarum curam deponas, sed ne nimium anxius sis, & ne cogitationes tuas omnes illis impendas: potius rebus divinis & animæ tuæ saluti vaces, illucque omnem curam & cogitationem convertas, reliqua Deo committas. Qua de re audiamus S. Gregorium Papam. hom. 36. *Admonere vos volo,* inquit, *ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur non possideat: ut sub mentis vestræ sit dominio, quod habetis: ne mens vestra dum terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio: sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur.*

E. IV. *Stat nenda omnia potius relinquere, quam Deum offendere.*

Quartò: cum semper parati sumus temporalia omnia potius derelinquere, quam Deum offendere. Sic enim virtualiter ea relinquimus, quia non nisi cum DEI voluntate retinere volumus, sic Religiosus, qui cum voluntate sui Prælati aliquid habet, quod contra illam minimè vult habere. Ita Ioseph tunicam suam reliquit, Gen. 39. malens privari suo, quàm contrectare alienum & contra Dominum suum peccare. Ita Benevolus ille scriniorum præsidens, cum juberetur ab Imperatore Valentiniano in gratiam Arrianorum contra Patrum fidem decretum aliquod scribere, nedum allici potuit novæ dignitatis pollicitatione, sed cingulum ad pedes impia præcipientium abjecit; officio suo resignavit, quo conscientiam suam illæsam servaret, Baron. anno 386. Potes igitur ac debes multoties hoc modo relinquere tua. Parentes, cum à DEO vocaris ad religionem, vel iniquum aliquid ipsi tibi præcipiunt. Fratres & amicos, cum scandalo tibi & impedimento ad salutem sunt. Potes ac debes relinquere uxorem ac liberos tuos, cum ipse te à justitiæ tramite retrahere conantur, quo modo fecit Thomas Morus, suadente ipsi uxore, ut saltem fictè impio Henrici regis decreto assentiretur. Domum, cum ratione illius ad hæresin acceptandam, vel retinendam cogeris: Agrum, cum malo titulo eum obtines, vel injusta hæreditate. S. Dorotheus Dositheo discipulo suo, quem videbat contra proprietatem monasticam valde amare cultrum aliquem, dixit: *Quid potius tibi vis? servus esse hujus cultri, an Christi?* lib. de puritate vitæ, cap. 4. Ita tibi dico; mavisne esse servus Christi, an creaturæ?

Vide in F. S. Laurentii.

F. V. *Nos ipsos mortificando.*

Quintò, cum nos ipsos mortificamus & sæcularia desideria, quæ per bona nostra temporalia facilè consequi possemus, nobis ultro interdicimus; adeoque in ipsa abundantia pauperem & religiosam vitam agimus, non ex avaritia similive causa, sed propter regnum cœlorum & amore Dei. Nam qui revera se bonis suis abdicant, & perfectionem sectantur, ideo abdicant, ne bonis suis abuti, & ad voluptates abstrahi possint. Unde si quis sibi ipsi tale frenum ingerat, ne ad pravos fines suis opibus abutatur, is censebitur reliquisse eas, siquidem relinquit voluptates illicitas, quas sibi poterat parare;

re; sicut cum aliquis in urbe manens se includit; non dissimilis est illi, qui urbem fugit & eremum petiit. Dominus Matth. 19. ait: *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Tales autem sunt non solum, qui castitatem ex voto servant, sed etiam, qui in dignitatibus, divitiis, & prosperitatibus constituti, amore virtutis sibi abscindunt delicatas epulas, splendidas vestes, pompam famulantium, equorum, canum, & similium copiam: recreationes vanas, choreas & fidicines, nominis celebritatem, favores non ambiunt, gloriam non quærunt, non superba ædificia, molliores lectos, nobilitatem, &c. Ita S. Hieronymus, qui sæpe ad summos honores evehi potuisset, si voluisset, de se in Epistola ad Eustochium scribit: *Ego ob gehennæ metum carcere isto* (deserti horribilis & antri deformis) *me ipse damnavi.* Ita Iob: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut nec cogitarem de virgine*, Iob 31. Modus hic relinquendi nostra videtur similiter necessarius, quia alioqui voluptates suffocant spiritum, ut spinæ semen (his enim comparat eas dominus) & ut vinum rationem turbat, & impedit, ne officium ea suum faciat: ita voluptates spiritum obruunt.

Quare, Auditores, si perfectionis montem ascendere non potestis; divertite in Segor, & saltem huic modicæ perfectioni studete, ne alioquin vos gehennæ incendium comprehendat; quod à nobis benigne avertat Deus.

CONCIO III.

QUA IN RE CONSISTAT RELIGIOSORUM CENTUPLUM.

I. In abundantia rerum temporalium.
II. In gaudio spirituali.
III. In securitate vitæ.
IV. In unione animorum.

THEMA.

Omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, Matth. 19.

A. DE Serapione Abbate scribit Palladius, quod, cum is jam omnibus se indumentis expoliasset, ut Christi membra contegeret, ac nudus sederet, rogatus: *Quis te pater spoliavit?* Prolato, quem sub axilla gerebat Evangeliorum codice responderit: *Hic me nudavit.* Quasi diceret: propter fidem Evangeliorum, in quibus tantæ fiunt promissiones iis, qui pro Christo omnia vendunt, & dant pauperibus, ita sum nudatus. Quod si ego quoque homines religiosos vellem interrogare. Quæso, boni viri, quis ita vos nudavit? nulla vobis domus propria, nulla vestis, nulla pecunia, nulla quidquam acquirendi facultas: denique nihil omninò vestium? quis ita vos nudavit? Non dubito; quin illi confestim promerent codicem Evangelii, & quidem hodierni, dicentes: hic liber, hoc Evangelium, ita nos nudavit. Siquidem in eo promittitur nobis primò centuplum in hoc sæculo, uti ex Marco & Luca clarius elucescit. Deinde in futuro vita æterna. *Illud in via* (inquit S. Bernardus in declam. super id: *Ecce nos reliquimus omnia*) *hæc in patria est. Imo hæc patria, illud via. Illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio est. Sic nimirum & operarius hujus sæculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militantibus & stipendia ministrantur pro necessitate laboris, & novissimè donativum majus erogatur pro quantitate laboris; sic & filiis Israel, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit.* Hæc Bernhard. *At forte* (subdit idem S. Pater) *adhuc ad hæc quispiam dicet: ostende mihi centuplum, quod promittis, & lubens universa relinquo.* Cui petitioni nunc pro modulo nostro respondebimus.

B. I. *In abundantia rerum temporalium.* Dico 1. consistere hoc centuplum modo aliquo in abundantia temporalium bonorum. Hoc enim sibi velle videntur Marcus & Lucas: & ita esse, ostendit Cassianus coll. ult. cap. ult. Religiosus enim 1. pro una, quam reliquit, domo, accepit centum aut plures domos, scil. quot sunt ejus religionis domus seu monasteria. Nemo secularium, cum peregrinatur longius, tot domos, aut arces in itinere habet, in quibus divertat: quot habet religiosus monasteria, in quibus humanissimè recipitur, & optimè habetur. Sanct. Bernh. cum sex fratribus germanis centum & sexaginta ædificavit monasteria, teste Sanct. Antonino tit. 17. cap. 5. Quis negat omnia hæc illius fuisse? Sanct. Luanus Monachus, ut scribit idem Sanct. Bernh. in vita Sanct. Malachiæ, centum monasteriorum fundator solus fuit.

2. Secundò, pro uno agro seu possessione centum accepit, quia omnes monasterii reditus vel eleemosynæ, adeoqui alieni etiam agri ipsius sunt, non quidem quoad dominium, quod nihil prodest: sed quoad usum; Iuxta id Apostoli: *nihil habentes & omnia possidentes*: nihil quoad proprietatem, omnia quoad usum. Vel potius, quia ita satis habet: ut nulla re indigeat. *Vere enim dives est, non qui multa habet, sed cui nihil deest.*

3. Tertio, pro uno servo centum acquirit, alium coquum, alium pistorem, alium sartorem, &c. qui omnes fidelissimè ei serviunt, & gratis quidem, quod nemo in sæculo habere potest. Imo cum dormit etjam custodem habet, cui incumbit silentii & quietis cura, ne quo strepitu excitetur: adeoque velut principes omnia sua ministeria constituta habet absque cura, vel impensa sua.

4. Quartò, Pro uno patre & paucis fratribus plurimos acquirit patres & fratres spirituales in sua religione, sibi devinctissimos, qui exhibent ipsi offi-

cium parentum, aut fratrum, multò exactius & perfectius, quam carnales, quos reliquit. Imo & ab aliis Christianis plerisque magis diligitur, quam si esset aut mansisset sæcularis.

5. Quinto, Pro parvo, quem contempsit honore, centies majorem recipit, etiam non quærens illum. Siquidem bonus Religiosus excipitur, colitur, consulitur, suspicitur, velut angelus aut Christus, & qui prius in sæculo infimus erat, nunc præponitur illis, qui longe majoris alioqui nobilitatis & dignitatis sunt. Ita Moyses contemnendo aulam & coronam Pharaonis, Deus ipsius factus est, uti docet S. Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. Si Iosepho credimus lib. 2. Antiquitat. c. 5. filia Pharaonis Moysen sibi filium adoptavit, & patri successorem fieri optavit, eoque fine patri infantem in manus imposuit At postquam acceptum ad pectus appresisset, filiæ gratificaturus comiter diadema suum ejus capiti imposuit. Moyses verò pueriliter prolabi in humum passus, pedibus etiam calcavit. Dum ergo coronam regiam calcat, ampliorem consequitur, & fit Deus Pharaonis. Ita S. Antonio Eremitæ, homini alio qui ignobili, se suosque liberos commendare per literas solebat Constant. Magnus, ejusque responsionibus & monitis mirificè lætari. Similiter *Abbas Ioannes perobscuris parentibus natus*, ut ait Cassianus loc. cit. *ita pro Christi nomine universo pene humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque rerum præsentium domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes etiam potentibus cunctis regibusq; terrori sunt, velut dominum vererentur, & oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes imperii sui apicem, & statum salutis bellorumque proventus illius orationibus meritisque committerent.* S. Bernar. dum sæculi gloriam, dum diversos Episcopatus sibi oblatos, Lingoniensem, Cathalaunensem, Ianuensem, Mediolanensem, Rhemensem repudiavit, centuplo majores honores inde consecutus est. Ei enim obediebant principes mundi, & ad ejus nutum in omni natione stabant Episcopi, ipsaque Romana Ecclesia ejus venerabatur consilia, ut in ejus vita lib. 2. c. 4. Conradus Rex Romanorum Spiræ illum ad hospitium deduxit, & Francofordiæ suis ulnis ob compressionem populi de Ecclesia exportavit. Ut in vita ejusdem l. 4. c. 4. Adhæc ex omnibus penè nationibus accurrerunt homines ad eum videndum lib. 1. c. 13. Ita. S. Helena Constantini mater, cum Hierosolymis moraretur, virginibus Deo sacris epulum præbuit, & familæ habitu succincta iisdem ministravit, & Regina orbis ac mater imperij, famularum Christi se famulam deputavit, ut scribit Rufinus lib. 5. c 8.

Cæterum hæc non principalis sed accessoria tantum illius mercedis pars est, & quoddam corollarium, ut religiosi deponentes hujusmodi rerum solicitudinem, omnem suam curam ponant in quærendis æternis.

C. II. *In gaudio spirituali.*

Dico ergo 2. consistere in gaudio spirituali, quod centies plus valet, quam ea, quæ relinquit, religiosus: est enim regnum Dei, in quantum haberi in hoc mundo potest. De quo Apostolus ad Rom. 14. ait, quod sit *justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Item S. Bernardus, qui loco cit. ait: *Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est, non utiq; esca vel potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Ibidem vocat S. Bernh. hoc centuplum rectissimè *manna absconditum*, quod promittitur vincenti, Apoc. 2. Quemadmodum enim manna, licet unicus cibus esset, omne tamen delectamentũ, & omnis saporis suavitatẽ eminenter in se continebat, ita ut desiderantibus panem, carnem, pisces, saperet ut panis, caro, pisces, Sapient. 16. cum majori dulcedine, quam in ipsismet rebus: Ita Evangelica perfectio religiosis, qui ex hoc mundo, velut ex Ægypto egressi, per desertum religionis tendunt ad terrã promissionis, tantam parit & adfert lætitiam & consolationem, ut tantum gaudeant in defectu bonorum temporalium, ac si ea omnia possiderent, imo centies magis. Nam ut ait Basil. in instit. Monast. c. 7. *Religiosi centies sunt lætiores & hilariores cum sua paupertate, quam divites cum suis divitiis: & magis quieti & pacati cum sua vilitate & abjectione, quam sint magni & excelsi cum sua amplitudine: & magis jucundi cum sua castitate quam sint conjugati cum sua sensualitate: & magis contenti cum paupere mensa, & vili toga, & ipsismet corporis doloribus, quam splendidi in sæculo manentes, cum abundantia & deliciis suorum ciborum & vestium*; ut verisime dixerit Dominus apud Marcum, se daturum hoc centuplum *cum persecutionibus*, id est, in ipsis persecutionibus, ut id, quod horret caro, sit etiam futurum pars quædam hujus centupli.

1. Sed unde, Dices, hæc tam varia & excedens, eminensque suavitas hujus Mannæ? Primo ex bona conscientia & secura mente, quæ Salomone teste

2. Proverb. 15. *est quasi juge convivium.* Secundo ex spe futuræ gloriæ, & promissi præmii. Quantum enim vel illud est, quod promisit Dominus religiosis, futuros illos judices aliorum hominum in die judicii, & assessores suos in thronis splendidissimis? Ter-

3. tio ex præsentia inhabitantis Christi, & gratiæ spiritus sancti. Unde S. Bern. loco cit. ait: *Annon centuplum habet omnium qui impletur Spiritu Sancto? qui Christum habet in pectore?* Christus est illis domus, ager, pater, frater, sponsus, pars, hæreditas. Quare, uti, qui aurum habet, cuprum contemnit, quia majus & melius quid cuprum habet: ita gaudium spirituale religiosorum includit & superat omnes sæculi divitias. Testes experti hujus rei afferri possunt tot, quot sunt religiosi Deo cum fervore spiritus servientes. Primo S. Ephrem, qui ob consolationis affluentiam subinde exclamabat: *Recede parumper*

rumper

rumper à me Domine, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest. Metaph. in vita apud Sur. 1. Febr. Idem S. Franciscus Xaverius inter Indicos labores adeo recreabatur hoc manna, ut diceret: *Satis est Domine: satis est: aut minue gaudia, aut tolle me de hac vita: nec enim cor mortale tanta gaudia ferre potest.* Tursel. lib. 6. c. 5. Abbas Ioannes, de quo Cassian. coll. 19. tanta perfundi solebat dulcedine interiori, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset. S. Bernard. ita ijsdem gaudiis absorbebatur, ut toto die Lausanensem lacum obequitans nunquam eum viderit: & Clarevelle usque Carthusiam in sella cultiore equitans nunquam eam adverterit: & toto anno in una cella degens, adhuc ignoraret, an ea cælaturam haberet; uti in ejus vita lib. 3. c. 1. & lib. 1. cap. 4. De quodam valde illustri viro nomine Arnulpho, quem S. Bernardus convertit, scribitur in lib. de viris illustribus Ordinis Cisterc. quod cum gravi quodam colicæ morbo premeretur, adeo ut extra se fieret; postea ad se reversus, cœpit subito magno clamore dicere: *Vera sunt, quæ dixisti bone Iesu, omnia; & cum sæpius eadem verba repeteret, interrogantibus monachis cur talia verba proferret; respondit: Quoniam Dominus in sacro Evangelio dixit: Quicunq; pro ejus amore renuntiaverit omnibus cognatorum suorum affectibus; recipiet centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Ita enim ego experior nunc in me ipso, & fateor me nunc centuplum ipsum in hac vita recipere. Ingens enim dolor, quo crucior, adeo mihi est dulcis, ob spem firmā mihi datam salutis meæ, ut nollem eam centuplo eorum, quæ in hoc mundo reliqui, communicare. Quod si ego tantus peccator tanto in meis calamitatibus afficior solatio: quantum accipient viri perfecti, etiam tempore suæ lætitiæ; nam verè spirituale gaudium, quo afficior, centies millies superat mundanum gaudium, quo in mundo afficiebar.* Cæterum bene dixit S. Bernard. Manna hoc esse absconditum, sæcularibus, videlicet, & qui in religione absque fervore & spiritu vivunt. Homines enim sæculares crucem quidem Religiosorum vident, ut ait. S. Bern. serm. 1. de dedicat. sed non etiam unctionem, sicuti onus quidem in curru videtur, sed non rotarum inunctio, qua mediante facilè trahitur illud onus.

D. III. *In securitate vitæ.*

Dico 3. Consistere in securitate vitæ & curarum vacuitate. Sæpius audivi dicentes, nulla ætate hominem jucundius vivere, quam puerili: siquidem ætas illa caret omni solicitudine & tutissimum habet præsidium & recursum ad parentes pro pane, vestibus & quibuscunque necessitatibus. Testatur idem experientia, nullos mortalium jucundiorem degere vitam, quam pueros & adolescentes. Atqui talis vita reperitur solum in religione, in qua nemo sollicitus est de quacunque re, sed omnes soli Deo vacantes, ad suum Superiorem securissimum habent recursum quacunque in necessitate. Unde meritò religionem Olympo monti altissimo comparavero, in cujus vertice, si quid reponatur, vel literæ in cinerem inscribantur, nec ventis difflantur, nec pluviis diluuntur, sed volvente anno integræ & immotæ reperiuntur: quia nimirum eam aeris regionem, quæ tempestates gignit, superat, ut scribit Solinus. Ita omninò status religionis à curis & anxietatibus sæculi remotus est ut facilimè Deo servire, & in bonis suis propositis perseverare queant, qui in illo degunt. Id certè magis intelligerent, si quæ infra hunc montem, in sæculo scilicet, sunt, procellas & turbines, fraudes, dolos, tribulationes, persecutiones, cædes, rapinas, querelas, & lamentationes, odia & inimicitias, insidias & pericula, mundum denique totum laqueis undique plenum cum sancto Antonio viderent. Sed quia non dubito sat illis hæc perspecta esse, existimo potius eos gratias Deo agere, quod hæc tam grandia & innumera mala hujus mundi nequeant intueri. Mares Chalcedonensis Episcopus, ut refert Sozom. lib. 6. cap. 6. Iuliano Apostatæ, exprobranti sibi cœcitatem, respondisse dicitur: *Gratias ago Deo, qui mihi oculos ademit, ne te impium & blasphemum viderem.* Hoc idem vos Religiosi rectè pessimo mundo dicitis, cum forte vobis exprobrat clausuram, humilitatem, paupertatem, &c. Testem adhibebimus omni exceptione majorem, Imperatorem Theodosium Iuniorem. Manebat quidam monachus Ægyptius in suburbano Constantinopolitanæ urbis, & dum transiret Theodosius Imperator per illam viam, reliquit omnes qui in obsequio ejus erant, & venit solus in cellam ejus, pulsans ad ostium Monachi, qui aperuit ei, & cognovit Imperatorem esse, dissimulavit tamen, & quasi militem suscepit: Fecerunt ergo una orationem & sederunt. Cœpit autem eum interrogare Imperator dicens: *Quomodo se habent Patres in Ægypto?* Cui ille: *Orant pro salute nostra omnes.* Imperator autem circumspiciebat in cella ejus, si quid haberet: & nihil ibi vidit, nisi parvam sportulam habentem modicum panis, & lagenam aquæ. Dixit ergo ei Monachus: *gusta parum*, & infundit ei panem & misit oleum & sal, & dedit ei aquam bibere. Dixit autem ei Imperator: *Scis quis sim ego?* & ille. *Deus te scit, quis sis:* cui Imperator: *Ego sum*, inquit, *Theodosius Imperator.* Mox igitur in genua procidens Monachus eum veneratus est. Tum Imperator: *Beati estis vos Monachi, qui securam vitam habetis, & non cogitatis de hoc sæculo: veritatem dico vobis, quia licet in Imperio natus sim, nunquam tamen adeo delectatus sum, sicut hodie pane & aqua: satis enim & libenter comedi.* Sicque discedens honorare illum cœpit. Monachus autem egrediens fugit & reversus est in Ægytum. Vitæ patrum p. 2. cap. 14. de humilitate, Baron. Anno 425. nimirum verissimum est illud Ecclesiast. 4. *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, & afflictione animi.*

E. IV. *In unione animorũ*

Dico 4. Consistere in unione animorum & participatione bonorum. Quidquid enim omnes habent, hoc & singuli, virtutes, scientias, dona & gratias datas: unus alterum ædificat, docet, monet, regit, corrigit, alit, juvat &c. ita ut quivis illorũ centum habeat adjutores, qui in sæculo vix unum aut alterum invenisset, adeoque tantùm possit & valeat, quantum alii centeni. Unde bene Dominus comparat eos dentibus, qui sunt *sicut greges tonsarũ*, Cant. 4. ut exponit S. Bernard. serm. 64. de parvis. Ut enim dentes se mutuo juvant ad masticationem, & singuli nihil prosunt, omnes autem totum corpus alunt; ita Religiosus unus absque altero nihil potest, omnes simul juncti omnia possunt. Et oves licet atonsæ, quando invicem adhærescunt, se mutuo calefaciunt; quæ tamen divisæ & singulæ frigus ferre non possent: ita Religiosi bonis omnibus exuti singuli perirent, omnes & uniti nihil non possunt facere. Habet quisque socium, qui medeatur, qui consuletur, qui tristem visitet, qui tempore tentationum & periculorum manum porrigat, qui rerum familiarium curam gerat, qui cibos emat, coquat & condiat, mensam sternat, & ad eam vocet, & quidem maxima cum delectatione & charitate: quod in mundo maximi principes habere nequeunt. Omnes sunt ejusdem nobilitatis, servitutis, libertatis, obedientiæ, honoris, opum, &c. quod in spiritu prævidens David exclamavit: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum, &c. quoniam illic mandavit benedictionem & vitam usque in sæculum.* Taceo alia quam plurima quæ hoc centuplum amplificant, participationem bonorum & meritorum, & qui inde nascuntur fructus, plenariam peccatorum remissionem in die professionis, & quasi alterum baptismum & in die obitus securissimam spem beatitudinis, qua nĩa haberi in hac vita potest. Nam ut ait S. Bernardus ad fratres de monte Dei: *A cella in cœlum sæpe ascenditur; vix aut nunquam à cella in infernum descenditur.*

Quæ cum ita sint, Auditores, quis non mecum felices prædicet eos, qui ad tam felicem statum à DEO vocati sunt, ut hoc centuplo frui possint, etiam si taceamus præmium vitæ æternæ? Benedictus à Domino fuit Isaac quando solo alieno, & anno sterilitatis sevit & invenit centuplum, Gen. 26. Quanto feliciores vos Religiosi, qui in vestra paupertate, terra aliena invenitis centuplum centuplo nobilius, quam fuerit illud Isaaci. Cludamus ergo cum Sanct. Gregorio Nazianzeno in carm. *Felix qui Christum fortunis omnibus emit.* Et cum S. August. serm. ult. de diversis: *Quid est gloriosius homini, quam sua vendere & Christum emere?* cui sit honor & gloria in sæcula.

CONCIO IV.

DE GLORIA ET GAUDIO JUDICANTIUM CUM CHRISTO SANCTORUM: JUDICANDORUM VERÒ AB EIS PERSECUTORUM SUORUM CONFUSIONE & DOLORE.

I. *Discernent hostes suos.*
II. *Recuperabunt ab eis honorem ablatum.*
III. *Videbunt suam exaltationem, hostium depressionem.*
IV. *Videbunt se imposterum ab hostibus securos.*
V. *Inimicos suos cum Christo condemnabunt.*

THEMA.

Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, Matth. 19.

A.

NEscio ferè, Auditores, utrum hodiernum Evangelium magis recreare & solari debeat electos, præsertim eos, qui sua reliquerunt, quam terrere roprobos, qui justis sua abstulerunt, eosq; persecuti sunt? Solari debet illos: quid enim excellentius, quam sedere cum Christo, & judicare orbem? Terrere debet istos, quia judicium absque misericordia timendum eis est, qui misericordiam in judices suos non fecerunt. Solari debet illos, quia promittit illis hostium suorum subjectionem, quam offensi solent avidè desiderare. Hinc enim Marc. 16. petijt Herodias caput Ioan. Baptistæ sibi adversantis præ dimidio regni. Hinc 3. Reg. 3. commendatur à Deo Salomon, quod optione sibi data petendi, quod vellet, non ptierit animas inimicorum suorum. Terrere debet illos, siquidem nil videtur esse calamitosius, quàm in hostium manus tradi. Hinc enim se occidere maluit Saul, quam in manus hostium suorum venire, 1. Reg. ult. Hinc Ethnicus Labeo Marsus se & filium interemit, ne vultum intueretur Octavii victoris sui, Pontan. de fortit. Bell. Hinc Cleopatra, ne in triumphum duceretur ab Augusto, brachium aspidi mordendum dedit, causa declinandæ ignominiæ. Quare in solatium Electorum, qui hic affliguntur, in terrorem impiorum, qui affligunt illos, dicemus in præsentiarum, unde illi se consolari, isti sibi timere debeant.

B. I. *Discernũt hostes suos*

Primò, Videbunt Sancti judicaturi hostes suos, qui, quot, quæ contra ipsos olim machinati sunt: & hæc omnia sigillatim intuebuntur, extorquebunt ex illis, & velut Iudices cognoscent; adducentur enim ad ipsorum pedes eorũ persecutores, & è tenebris in lucem corã ipsis producentur. Sic enim Episcopo Philadelphiæ nuntiat Deus, Apoc. 3. *Ecce faciam illos, ut veniant & adorent ante pedes tuos, & sciant quia ego dilexi te.* Quantam hoc affert Sanctis gloriam, ho-

stibus

stibus eorum confusionem? Vehementer angit homines, quod sæpe persecutores & oppressores suos agnoscere non possunt, imo sæpissimè advertunt, se tales habere in domo sua, alere ad mensam suam, raro tamen possunt indagare illos. Affligebat hoc regem Syriæ, qui 4. Reg. 6. ait: *Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel:* Videbunt ibi Sancti proditores suos, & ô quanto illorum tremore? Bruta animalia si post noxas capiantur & in lucem vel aspectum hominum producantur, horrent, tremunt, vultum submittunt, & aspectum hominum ferre nequeunt. Ita Lupi cum in foveis capti aspiciuntur. Ita fures & Pasquillorum confectores, qui diu clam nocuerunt, tandem deprehensi & in lucem ac conspectum eorum, quibus nocuerunt, producti, quo animo, quo tremore apparent? Existimo sanè Sanctorum persecutores modo aliquo magis terrendos & affligendos ex aspectu Sanctorum, quos persecuti sunt, quam Christi ipsius summi Iudicis. Nam eorum tantum, quos persequebantur, oculos metuebant, non item Dei, de quo nihil solliciti erant. Merito igitur fiet, ut in eorum conspectum producantur, quos maximè metuebant. Ita enim David post adulterium patratum, metuebat tantum homines ne ipsi rescirent factum. Ideo Uriam in domum remittere ad uxorem conatus est, ideo eum perimi mandavit: nihil de Deo cogitavit. Sed quid audit à Deo per prophetam Nathan? *Tu fecisti abscondité: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis*, 2. Reg. 12. Ita ergo Deus faciet in novissimo judicio Sanctis, singulis adducendo persecutores eorum. O quanto pudore afficientur ij præsertim, qui se amicos simulabant, qui beneficiis aucti fuerunt ab iis, quos vexabant? Quanta confusio occupavit Aman, cum audivit Regem interrogantem: *Quis est iste, & cujus potentiæ ut hæc audeat facere?* & Reginam respondentem: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman?* Hoc enim audiens illico obstupuit, *vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens*; inquit textus Esth. 7. simili eventu & anticipato indicio confusus & confectus est schismaticus ille princeps Bardas à Michaele Imperatore Constantinopolitano Cæsar appellatus; qui postquam Catholicos diu afflixisset, Ignatium virum innocentem de Patriarchali Throno dejecisset, post longam patientiam, ut refert Baron. anno 867. visus illi per somnium B. Petrus fuit, cui assistebant duo terribiles viri: & ad vestigia ejus procumbens Ignatius, & cum lachrymis clamans: *Claviger regni cœlorum, & Petra in qua Christus suam firmavit Ecclesiam: si nosti qua injuria affectus sim, consolare senectutem meam multam mala passam. Ostende*, inquit Petrus, *eum, qui te injuria affecit, & Deus faciet cum tentatione proventum.* Et conversus Ignatius dextera manu Bardam ostendit: dicens: *Hic me maximè omnium offendit, & necdum injuriis me afficere desinit.* Tum Beatus Petrus illi, qui ad dexteram sibi astabat, ait: *Assume Bardam istum execrandum, & extra atrium Ecclesiæ illum membratim concide quamprimum.* Tractus igitur ad necem Bardas. Visus autem illi præterea, quod manum vibrans adversus Imperatorem Petrus dixit: *Impie fili expecta parumper.* Cujus somni eventus post tres menses secutus est; perfidiæ enim accusatus, occisus est & membratim dissectus. O quam trement reprobi, cum Deus Sanctis dicet: *Ostendite eos qui vos persecuti sunt!*

A.

B. I.

C. II. *Recuperabunt ab eis honorem ablatum.*

Secundò. Recuperabunt à suis persecutoribus, vel nolentibus ablatum sibi honorem, bonaque cætera, quod maxime illustrabit eos: Ita Psal. 57. dicitur: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Ut unde ille cruentus magis*, ait D. Bernard. serm. in Psalmum. *Qui habitat: inde iste nitidior videatur: unde ille plus sordet, inde iste pulchrius elucescat.* Quis enim nescit homini Innocenti majori gloria restitui honorem ablatum, quã retineri nunquam ablatum? Hinc enim est tritum illud Senecæ: *Nondum felix es, si te turba non irriserit.* Multo majori cum gloria eductus est incolumis è laco leonum Daniel, viditque inimicos suos ab iis discerpi, quam si nunquam in illum missus fuisset, Dan. 6. Similiter & Susanna multo majori gloria liberata est à supplicio parato, viditque accusatores suos ei addictos, quam si nunquam addicta ei fuisset, Dan. 13. Celebre etiam hujus rei exemplum præbet S. Paphnutius, cui cum quidam suorum fratrum codicem suum furtim in cellam ejus inferens occultasset, ac postmodum furti coram fratribus accusasset: invento in ejus cella codice & Paphnutio propterea publicæ pœnitentiæ subjecto, & in Ecclesiæ limine prostrato: accusator ille à dæmone arreptus est, rem & fraudem ejus omnem detegente: quo diu vexatus, à nemine alio, quantumvis etiam potente alias in hac re, liberari potuit, præterquam à solo Paphnutio, Deo ad singularem ejus gloriam, & famæ restitutionem, hanc ei potestatem reservante, ut refert Raderus parte 3. Viridarii Sanctorum c. 11. tunc enim criminator nomen S. Paphnutii proclamare & exaltare: suum vero delictum damnare & confundere cœpit. Quod si hoc viventibus sæpe accidit sanctis, & ob rem tam vilem; quid fiet in die illa, cum omnes eorum oppressores ad eorum pedes adducentur, ut honorem eis cæteraque bona restituant, injurias revocent, delicta fateantur? si modo durissimum est hominibus injurias deprecari, & criminationes recantare coram Magistratu sæculari, quàm ægrè & violenter id fiet coram toto mundo ante pedes offensorum? De his enim Apoc. c. 16. ait S. Ioannes: *Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt & sanguinem eis dedisti bibere: Digni enim sunt.* Hoc est, injurias sanctis allatas in se transferre & devorare cogentur. Formam recantationis describit in persona eorum Sapiens cap. 5. dicens: *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes intra se, pœnitentiam agentes: & præ an-*

angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii: Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est? Ergo erravimus, &c.

D. III. *Videbunt suam exaltationem, hostium depressionem.*

Tertiò. Videbunt oculis suis exaltationem hostium suorum, id quod Sanctis maximam lætitiam & gloriam, impiis verò ingens dedecus & dolorem afferet. Hujus enim victoriæ lætitia promittitur in Psal. 90. *Veruntamen oculis tuis considerabis & retributionem peccatorum videbis.* Videbis, hoc est præsens intueberis, non per relationem tantum aut famam. *Oculis tuis*, ait, hoc est, illis ipsis, quibus olim tuam depresſionem & persecutorum tuorum insolentiam & superbiam furoremque in te exercitum videbas. Nihil magis optabant impii & optant adhuc, quam justorum, quibus infensi sunt, videre depresſionem & interitum. Nihil magis optabat Saul, quam videre interitum Davidis: Aman, quam suspendium Mardochæi, cui lignum jam paraverat: Diocletianus, Maximianus, Iulianus, quam interitum & desolationem Christianorum, &c. sed frustrati sunt spe sua. Contra verò continget, ut aliquando ipsorum interitum & depresſionem videant Sancti maxima sua gloria, illorum confusione. Sic etiam in vita David vidit interitum Saulis, Israelitæ cadavera Ægyptiorum submersorum in littore jacentium, Moyses & Aaron interitum & absorptionem Dathan & Abiron? Ezechias cadavera exercitus Senacherib prostrata: Iudith & populus Dei caput Holofernis amputatum & suspensum super muros suos, & exercitum ejus fusum & fugatum. Sic Constantin. Magnus tyrannum & hostem suum Maxentium in Tyberim de ponte Milvio divina vi præcipitatum: sic denique Mardochæus Amanem suspensum in ligno sibi ab illo parato. Verum in die ultionis multo magis hoc videbunt Sancti, majorem longe eorum depresſionem majori cum lætitia, quia non ob privatam sui ultionem, sed ob communis justitiæ splendorem & boni communis amorem. Tunc videbunt filios perditionis persecutores suos in stagnum ignis & sulphuris projici incredibili sua voluptate & gloria. Quod si Vitellius Imper. hostium suorum peremptione oculos, hostilium & cadaverum fœtore nares suas se pascere ajebat teste Fulgoso lib. 9. Quod si Nero & alii cæde & sanguine Martyrum festum sibi diem, eorum ejulatibus convivalem musicam, eorum combustione lucernas epulares excitabant aliquando magna sua oblectatione, quanto majori sua facient ipsis Sancti in illa die multo tristiora? quomodo & ipsi pascent suos oculos in eorum interitu? Certè Apoc. 15. Angeli illi vindictam in impios exercentes festivis leguntur induti vestibus, lino mundo & candido, & præcincti zonis aureis. Item Esaiæ 30. de die illa loquitur Deus ad Electos suos: *Canticum erit vobis, sicut vox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini. Spectabitur*, inquit S. Cyprian. ad Demetrianum, *illic tortor à Martyribus semper, qui martyres in suppliciis spectavit ad tempus.* Per unam noctem spectavit ignem Laurentii Valerianus Imperator: Laurentius ignem Valeriani tartareum semper intuebitur. Econtra verò quis vobis tunc erit animus ô impii, cum videritis vos ante oculos hostium vestrorum adeo humiliatos, confusos & afflictos: illos vero adeo exaltatos, & sedentes juxta Christum Iudicem in sedibus tam excelsis & honoratis? Dicat hoc vobis impius ille Aman, qui innocenti Mardochæo infensissimus, cum juberetur à rege illum imponere equo regio & circumducere per plateas civitatis eumque honorandum proclamare: *Lugens & operto capite festinavit in domum suam*, Esth. 6. Dicat vobis Epulo ille, Luc. 16. qui videns in sinu Abrahæ Lazarum, cur non ausus est rogare Lazarum pro aqua? cur potius ad Abrahamum direxit sermonem? nisi quia præ pudore & verecundia non est ausus compellare eum, quem contempsisse se meminerat? Ita enim respondent. S. Chrysost. Theophylact. Euthymius. Quod si graves erant illis ad videndum justi, dum viverent, & quidem abjecti & humiles: ut dicitur Sap. 2. quam graves illis erunt exaltati & juxta Christum sedentes? Quod non facerent aut paterentur, si saltem tormenta eorum non viderentur ab electis, inimicis suis, vel ipsi gloriam eorum intueri non cogerentur? *Tunc ergo incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus: operite nos*, inquit Dominus Luc. 23.

1. Reg. ult. Exod. 14. 4. Reg. 19. Iud. 14. Esth. 7.

E. IV. *Videbunt se impoſterum ab hostibus securos.*

Quartò. Securos se imposterum semper videbunt ab hostibus suis: Impii vicissim se inimicis suis amplius in æternum nocere, aut ultionem inferre non posse: Id quod illis maximam lætitiam, istis verò ingentem pariet fremitum & dolorem: Hoc describit David Psal. penul. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* (Ecce jam tuti erunt, & gaudebunt de securitate sua) sequitur paulo post: *ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis.* Ecce inimicos suos ligabunt, & ipsi clausi erunt: quid igitur timeant imposterum ab illis cum videbunt eos vinctos jamjam in æternum carcerem abducendos, & clave illa includendos, quæ claudit & nemo aperit? Apoc. 3. Qui hic injustè vexantur & exterminantur, si nihil aliud possunt, Deum saltem & creaturas in ultionem vocare possunt. Sic Ibycus dum à latronibus necaretur, prætervolitantes grues in ultionem vocans, eas ultrices habuit. Sic aliqui potentes à Tyrannis capti rotæ volubilitate se consolati sunt, quasi aliquando & ipsi superiores evadere & dominari hostibus suis possint. Ita Sancti omnes in hac vita tribulati, vocantur à Zacharia cap. 9. *Vincti spei*; sed non erit talis spes aut consolatio damnatis, rota non se vertet amplius. Similiter Electi metuere non possunt, ne ipsi aliquando deprimantur. Unde maxima horum consolatio, illorum desperatio existit.

Nam si unicum inimicum haberes, eumque ob flagitium quoddam ad carceres perpetuos condemnatum videres, & clavem carceris in mare projici: quam securus tibi imposterum videreris? Dicere isti possunt multò melius, quam Salomon olim dixerit: *Nunc non est Sathan, neque occursus malus*, 3. Reg. 5. suscitavit enim illi Dominus tandem adversarium, qui regnum ejus scinderet, ibid. cap. 11. sed non suscitabitur amplius Sathan electis. Festum instituerunt etsi nimis maturè Philistæi & convivium splendidissimum instruxerunt olim, eò quod tradidisset Deus in manus eorum Samsonem hostem illorum: quanto majus festum agent Sancti? siquidem de illis adhuc Samson gravissimè se ultus est. De Fulvia muliere Romana & Herodiade recenset S. Hieronymus in Apologia adversus Ruffinum, illam Ciceronis, hanc Ioannis Baptistæ capite plexi linguam acu discriminali confodisse, eo quod jam securas se videbant, & lingua eorum veridica impeti amplius non posse. Sed faciet aliquando Ioannes Herodiadi quod ab ea passus est longe tristiori spectaculo. Tunc enim cum sævire amplius in Sanctos se non posse videbunt, in se ipsos sævient: & cum in linguas Sanctorum insanire nequibunt, in suas debacchabuntur. Apoc. 16. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum Cœli pro doloribus & vulneribus suis*. Hinc ille veniet fremitus & stridor dentium, quem Dominus prædicit damnatis, & David. Ps. 111.

F. V. *Inimicos suos cum Christo condemnabunt.*

Quintò. Inimicos suos cum Christo condemnabunt, & sententiam in eos pronuntiabunt, ut habetur 3. part. d. 89. art. 1. Sententiam Christi, inquam, jam ab ipso latam & conscriptam juxta Psal. penult. *Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus*. Et: *Gladii ancipites in manibus eorum*. Item Malach. 4. *Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus*. Et Psal. 57. *lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas* (in Hebraico habetur *pedes suos*) *levabit in sanguine peccatoris*. Quæ omnia indicant cum lætitia & ira ad condemnationem malorum cooperaturos. Neque hoc mirum: siquidem in desperatos & obstinatos judicium exercebunt. Si quando nos videmus insignem reum, dum ducitur ad supplicium, prorsus esse obstinatum, qui nec orare, nec crucifixum intueri, nec quicquam boni audire velit, sed in homines fremat, crucifixum conspuat, blasphemet, &c. usque ad ultimum spiritum, ei non modo non compatiamur, sed potius vellemus ipsi ligna comportare ad ejus exterminium. Tales erunt reprobi omnes; unde non mirum, si gladio sententiæ ancipiti tam dirè in eos sævient cum Christo Sancti: sicut & in ipsos dæmones: peculiari vero ratione in suos persecutores. Si enim sæpe in vita eos terruerunt & prostraverunt, cum adhuc sperare eorum emendationem poterant; quid facient eis desperatis? De S. Benedicto legimus in ejus vita, apud Surium: quod cum aliquando crudelis & infidelis quidam Gothus, Galla nomine rusticum affligeret & prædam ab eo extorquere vellet, rusticusque responderet: se jam bona omnia sua transscripsisse S. Benedicto: Galla rusticum ligavit & Benedictum sibi ostendere coëgit, quem videns à longè Galla, prædam ab eo reposcebat. Sed vir sanctus unico aspectu & rusticum à vinculis solvit, & infidelem tremefactum ad terram dejecit, & viribus defectum veniam rogare compulit. Similiter in vita S. Bernardi legimus lib. 2. cap. 6. eum simili potentia Ducem Aquitaniæ, Guilielmum sceleratissimum & Catholicorum vexatorem dejecisse. Cum enim verbis nihil in ipsum proficeret, accepta tandem ab altari Eucharistia super patenam gestata, ducem præ foribus expectantem ita aggressus est: *Rogavimus te, & sprevisti nos. Adest nunc judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet: Nunquid & ipsum spernes? nunquid & ipsum sicut servos ejus contemnes?* Igitur mox membris dissolutis in terram dejicitur, & elevatus iterum in faciem ruit, viribus destitutus: quem sanctus vir pede pulsans, surgere jubet, & sententiam audire & offensis satisfacere, id quod restituto illo protinus obtinuit. Quod si tanta est in hac vita Sanctorum potestas in suos persecutores corrigibiles; quid putamus valituros in desperatos? quis tunc animus desperatis erit, cum audient contra se proferri ab inimicis suis verbum illud asperum & omni gladio penetrabilius? cum gladium illum utraque patre acutum ex ore Christi evaginari videbunt ab inimicis suis & in se vibrari? Iustinianus Secundus Imperator, ut refert Fulgosus l. 9. post recuperatum imperium, quo eum nasoque simul Leontius patritius privaverat, acerbissime injuriam ultus est. Nam quoties nasum emungeret, hostium suorum unum capite mulctabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat. Simili modo meritas dabunt pœnas Sanctis eorum hostes per omnem æternitatem.

Quare videant quid agant perversi, qui hic ad tempus vexare & premere volunt justos quia nosse debent, eos tandem & ultimò Iudices suos futuros. Similiter ne dejiciamini, ô Iusti; dum hic vexamini: Non est hæc dies ultionis vestræ, alia est, quam promisit Davidi in Saulem Dominus, 1. Reg. 24. dicentibus ei servis suis: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*. Non invenio hanc diem obtigisse Davidi viventi in Saulem: siquidem etiam, cum posset, nunquam se de Saule ultus est. Alia ergo dies est: & quænam, nisi quam Dominus in hodierno Evangelio designat: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, &c.* Ubi nos omnes secum consedere faciat, Amen.

CONCIO V.

DOCUMENTA ET Myſteria.

I. *Quomodo ait Petrus*: reliquimus omnia.
II. *Cur reſurrectio mortuorum regeneratio dicitur.*
III. *Quales erunt Chriſti & Apoſtolorum throni.*
IV. *Quomodo Apoſtoli judicabunt quadruplex judicium.*
V. *Qui judices aſſeſſores.*
VI. *Quinam ab illis judicandi.*
VII. *Quænam merces relinquentium omnia.*

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia, Matth.19.

A. SApientis verbum eſt: *Accipite diſciplinam meam & non pecuniam : Doctrinam magis quam aurum eligite,* Prov.8. Quod verbum,ſiquis unquam, Chriſtus dicere poteſt, cujus omnes ſermones aurei, & divini ſunt: & propterea ſive ſtaret, ſive ambularet,circumdabat eum turba,ut verba ejus audiret, imo ex ore ejus raperet, & memoriæ commendaret. Quemadmodum enim aurifabri ſcobem auro, vel argento detractam minimè negligunt, ſed in vas ſubjectum colligunt: ita, Auditores, faciendum nobis, cum audimus verba Chriſti: nihil ex iis negligendum, omnia colligenda ſunt; ſuo enim tempore ſua nobis commoda ferent. Fecit hoc inter alios S. Paulus, qui verba Chriſti ad ſe dicta: *Saule, Saule, &c.* alta mente repoſuit, & ſedulò ruminavit, nec timuit repetere coram Regibus & Principibus. Igitur & nos de hodierno Evangelio ſcobem auream & argenteam nobis colligamus.

B. I. *Quomodo ait Petrus: reliquimus omnia.* 1. Quæſtio 1. Quomodo potuit dicere Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia* cum pene nihil haberet? Reſpondet 1. Theophylactus: *Tametſi*, inquit, *videatur Petrus non dimiſiſſe magna aliqua utpote pauper, ſed diſce, quod re ipſa multum etiam ipſe reliquerit. Etenim & parvarum rerum magna tenemur affectione: ſed & omnes voluptates Petrus reliquit, & cum parentibus amorem carnis. Illæ enim affectiones non ſolum contra divites, ſed etiam pauperes militant.* In vita S. Gregorii Papæ cognomento Magni legimus Eremitam, qui pro Chriſto omnia reliquerat, revelationem accepiſſe, quod in Cœlo juxta Gregorium Papam manſionem ſuam habiturus eſſet. Ingemuit Eremita, quod ob paupertatis ſuæ ſtudium non plus præmii accepturus eſſet, quam Gregorius, qui maximis abundaret divitiis. Dum ergò hæc ſæpius mente revolvit vocem audivit talem: *Cum divitem non poſſeſſio divitiarum, ſed cupido faciat, cur audes paupertatem tuam Gregorii divitiis comparare, qui magis illum catum, quem habes, quotidie palpando diligere comprobaris, quam ille tantas divitias, quas non amando, ſed contemnendo, cunctiſque liberaliter largiendo diſpergit?* emendatus hac voce Monachus, rogare Deum cœpit, ut vel cum Gregorio præmium capere poſſet. Videmus ergò res viles etiam magno ſæpe affectu diligi à pauperibus.

2. Reſp. 2. Origenes hom.9.in Matth. *Etſi*, inquit, *Petrus minima cum fratre reliquit, ſed non minima ſunt æſtimata apud Deum conſiderantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt: ut etiamſi multas habuiſſent poſſeſſiones, omnia ſine dubio reliquiſſent,nec ab eis ullo modo retenti fuiſſent aut impediti, &c.* Loqui Petrus ſe ſciebat cum eo, qui cor & intentionem noſſet, & pro opere acceptaret: quoniam ergo intentione & affectu omnia, ſi haberet,relinquere paratus erat,omnia ſe reliquiſſe ait. Ita Gen.22. dixit Deus Abrahamo volenti immolare filium ſuum: *Quia feciſti rem hanc, & non peperciſti unigenito filio tuo propter me,&c.* Pepercerat ſanè Abraham filio ſuo juſſu Dei, nec ei quidquid mali intulerat: quomodo ergo Deus ait: *non peperciſti filio tuo?* Quia nimirum Deus viderat cor Abrahæ paratum, quantum in ipſo erat ad filium actu immolandum, ideo voluntatem ejus pro opere reputavit & præmiavit. Eodem modo Chriſtus dicturus eſt Electis,*Eſurivi & dediſtis mihi manducare,&c.* Licet plurimi Electorum nihil omnino habuerint, quod pauperibus erogarent. Videt enim illorum voluntatem & deſiderium paratiſsimum ad erogandum, ſi quid eis ſuppeteret.

3. Reſp.3. S.Auguſt. in Pſal.103.conc.5. *Multum dimiſit, fratres mei, multum dimiſit, qui non ſolum dimiſit quidquid habebat, ſed etiam quidquid habere cupiebat.* Et S.Gregor.hom.5.in Evang. *Certè nos*, inquit, *& habita cum amore poſſidemus & ea, quæ minimè habemus ex deſiderio quærimus. Multum ergò Petrus & Andreas dimiſit, quando uterq; etiam deſideria habendi dereliquit.* Poterant Apoſtoli ſperare in ſæculo dignitates, opes, delicias, tametſi eas nondum habebant: omnia ergò iſta cenſentur reliquiſſe. Idem dicendum de religioſis.

C. II. *Cur reſurrectio mortuorum, regeneratio dicitur.* Quæſtio 2. cur reſurrectio mortuorum vocatur regeneratio? Reſp. 1. quia eſt ſimilis primæ generationi, & nativitati, qua ex terra nati ſumus. Duplicem vitam habet homo, temporalem & æternam: proinde duplicem etiam nativitatem, primam, quâ naſcitur in hunc mundum: ſecundam, quà naſcetur in vitam immortalem, reſurgendo in extremo die judicii. Ad utramque vitam ex terra naſci dicitur; ad hanc temporalem; quia de terra corpus ejus formatum eſt: ad illam Immortalem: quia de ſepulchro quaſi de ventre terræ rurſum egredietur, qui cum moritur in uterum illum velut ſemen recluditur ſuo tempore gignendus. In utraq; nativititate terra mater noſtra eſt, Deus verò pater,

ter, qui uti initio mundi extraxit hominem de terra ad hanc vitam : ita in fine mundi extrahet omnes mortuos de sepulchris. Discimus ergò hinc duplici ratione nos terræ filios esse, quod utinam nunquam nobis excideret! S. Aug. l. 8. de civ. c. 13. refert fabulam Ethnicorum de Antæo, quem finxerunt terræ filium, è gremio ejus natum, qui omnes secum luctantes vincebat, ex eo quòd in matrem suam terram vel projectus vel se demittens vires à matre resumebat; quibus roboratus quemvis hostem superabat. Sciens istud Hercules cum eo in arenam descendit & miserum Antęum in sublime extulit, ne contingere matrem posset, atque inter brachia sua in aëre constrictum interemit. Studium hoc diaboli est, ut terræ filios in sublime efferat & à matre nostra terra quàm longissimè separet, persuadendo nobis, longe à nobis mortem distare: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, &c.* nobilis es, dives es, juvenis, & fortis, gratiosus apud homines &c. inde in superbiam & præsumptionem aliaque plurima vitia non nemo elevatur & miserè à dæmone jugulatur. Nos ergò si sapimus, ne patiamur nos in sublime tolli, locum nostrum ne dimittamus, terra nostram matrem mente contingamus, pulverem nos esse consideremus, dicamusque in nobis: quid superbis terra & cinis? quid pro fluxis rebus, quas cras es relicturus, vanè conturbaris, &c.

2\. Secundò. Quia similis est spirituali generationi per quam Christo in Baptismo renati sumus; in hac enim anima nostra abstersa est ab omnibus sordibus seu culpæ, seu pœnæ, & vestita est veste gratiæ gratiosissima, factaq; est nova creatura, & quasi Angelus quidam; ita & Electi in regeneratione altera resurgent impolluti & ab omni miseria seu corporis, seu animę liberi & imunes, insuper veste gloriæ induti, eruntq; deinceps sicut Angeli Dei in Cœlo. *Et ipsi populus ejus erunt*, inquit Ioannes Apoc. 21. *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus: & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, &c.*

D. III. *Quales erunt Christi & Apostolorum Throni.*

Quæstio 3. Quales erunt throni Christi, & sedes Apostolorum in judicio? Resp. valde probabile esse, thronum Christi fore nubem pulcherrimam, & splendidam instar solis: similiter sedes Apostolorum. De Christi throno scribit Ioannes Apoc. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam: & super nubem sedendem similem filio hominis, & habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Falx acuta Iudicem prodit, qui universum mundum demetet, & triticum quidem congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Nubes similiter denuntiat Electis salutiferam illam pluviam: *Venite benedicti*; Reprobis vicissim fulmineam illam grandinem: *Discedite à me maledicti.* Quod verò nubes futura est candida, indicat candorem Iudicis, atque in judicio illo nullum fore locum fucis & prætextibus, sed omnia manifesta & aperta futura.

Conc. Fabr. Fest.

E. IV. *Quomodo Apostoli judicabunt. Quadruplex judicium.*

Quæstio 4. Quomodo Apostoli judicabunt? Respondetur quadrupliciter posse mundum judicari. Primo. Iudicio comparationis, quo unus altero melior vel deterior judicatur, ut cum Ninivitæ, vel Regina Austri surgent in judicio condemnabunt incredulos. Et hoc judicium commune est Sanctis & Reprobis. 2. Iudicio Approbationis, quo sententia Christi judicis tam quæ in Reprobos, quam quæ in Electos lata approbatur. Et hoc commune est omnibus Beatis, qui Apoc. 19. simul exclamant: *Vera & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna &c.* 3. Iudicio assessionis, quo judicis assessores una cum ipso causas discutiunt, & à Iudice interrogati suffragia sua ferunt, & sententias dicunt; & hoc congruit & promittitur hic Apostolis. 4. Iudicio auctoritatis, quod solius Christi est, qui sententiam fert & pronuntiat, mandatque executioni. D. Thom. 3. p. q. 89. addit a. 1.

F. V. *Qui Iudices Assessores.*

Quæstio 5. Quinam judicabunt judicio assessionis? Respondetur. Ex communi sententia P. P. Augustini, Gregorii, Bedæ, Origenis, Glossæ, D. Thomæ 3. p. q. 89. addit a. 2. omnes illos cum Apostolis judicaturos, qui Apostolicam vitam secuti sunt, adeoque propter Christum omnia sua reliquerunt. Colligitur ex verbis Christi, & indicatur Iob 36. cum dicitur: *Judicium pauperibus tribuit.* Nec immerito 1. *ut sic, qui propter Christum se humiliat, exaltetur*, inquit D. Thom. loco citato. 2. Quia pauperes omnibus renuntiantes, soli Christo adhærent, & à Iustitia non deflectunt: ideo sunt ad judicandum idonei; quæ est altera ratio Divi Thomæ. 3. Quia cum pauperes deserendo omnia sua pateant hominum calumniis & oppressionibus (siquidem non habent quo se defendant) voluit hanc eis promittere potestatem Christus, ut caveant potentiores nocere Christi pauperibus, quos audiunt judices suos futuros. Hæc ergo promissio est eis pro muro vel lorica, vel melius pro salvo conductu, seu, ut vocamus, salvâ guardiâ.

G. VI. *Qui nam ab illis judicandi.*

Quæstio 6. Quinam ab his judicandi sunt? Respond. Omnes reliqui Christiani. Duodecim enim trib. Israel universam Ecclesiam hic significant, quemadmodum & domus Iacob Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* Ut enim domus Iacob ab ipso per duodecim ejus filios propagata est & aucta: ita Ecclesia à Christo per duodecim ejus Apostolos. Rursum, quia duodenarius est numerus perfectus & symbolum universitatis, ideo universam Ecclesiam indicat judicandam judicio scilicet discussionis. Nam qui non credunt, jam judicati sunt, id est, jam destinati ad pœnam. Discimus hinc honorare personas religiosas, & bene de illis sentire, utpote, quas audimus aliquando judici nostro assessuras, & suam in nos sententiam dicturas. Isacius Commenus Orientis Imperator cum monasteriorum bona fisco addixisset, & ex stipe monachos vivere coegisset, fulminum ictibus in se de Cœlo ab irato Deo jactis, coactus est ponere pur-

Mm puram

puram & monasticum habitum assumere, sicque inter monachos servilia munia obire, qui prius vexavit monachos. Curopalates apud Baronium Anno 1057. Ita Religiosi. *Erunt capientes eos, qui se ceperant, & subjicient exactores suos,* Isaiæ 14. in die Iudicii.

H. VII. *Quænam merces relinquentium omnia.*

Quæstio 7. Quænam illa merces relinquentium omnia: *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?* Resp. Esse duplicem, unam hujus vitæ, alteram futuræ. Cum enim benè noverit Dominus plurimum ad laborem nos excitari spe præmii, non satis existimavit, quod promitteret suis operariis salarium in fine diei, nisi etiam promitteret, sustentationem interim & mensam. Anima enim nostra duplicem habet statum: alterum in corpore mortali: alterum post mortem. In primo arat & seminat, laborat, pugnat vincit: in altera colligit laborum suorum fructum, & coronam victoriarum; sed ne spiritus & corpus in laboribus præsentibus deficeret, opus erat, aliquos etiam fructus præsentes colligere, & præmia recipere victoriarum. Ergò Christus in hoc sæculo dat Religiosis centuplum, ut expresse scribit S. Marcus: In altero vitam æternam. Non deserunt Religiosi, vel certè non debent deserere res terrenas, ut easdem in hoc mundo recipiant multiplicatas: (alias enim non tam deserere, quam quærere terram censendi forent) nihilominus tamen Christus suam liberalitatem erga ipsos in hoc sæculo ostendit, reddens ipsis pro aliquibus rebus à se relictis centuplum in eodem genere, ea tamen ratione, ut id ipsis non nocere, sed prodesse possit. Pro una enim domo, aut agro relicto, dat eis centum domos, vel agros, non quoad dominium (quia hoc eis obesset plus quam prodesset,) sed quoad usum ad sublevandas eorum necessitates; vel si nòn dat reditus annuos, dat saltem Eleemosynas nunquam deficientes. Similiter pro uno patre, vel matre, fratre, vel sorore, dat centum, qui exhibeant eis officium patrum, vel matrum, affectum fratrum vel sororum. Nemo igitur invideat monasteriis & monachis suos reditus vel divitias! à Christo ista possident & quidem absque læsione voluntariæ paupertatis. Quin potius conemur, ut etiam nos hujus promissionis participes fiamus, quod fieri posse ostendit nobis Apostolus 1. Tim. 4. cum ait: *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est! Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Si enim magni principes præter magnum stipendium quod suis aulicis dant in fine anni: dant quoque ordinariam quotidie portionem pro ipsorum mensa & equorum pabulo, pro cujusque officio vel dignitate, cur non id faciat Deus? vel enim dabit opes, & subsidia copiosa, vel dabit eis industriam ad bene dispensandum id quod habent modicum, ut sufficiat, vel certè defectum compensabit spiritualibus bonis, quibuscum eis bene sit etiam in inopia.

Ergò, Auditores, ut etiam nos centuplum capiamus in hac vita, & millecuplum in altera, pietatem sectemur, & quemadmodum Hercules clavam suam nunquam deposuisse fertur, ita pietatem amplectamur, ut nunquam deponamus.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

Evangelium Luc. 2.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: & ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel.

CONCIONES.

IV. Quo-

IV. Quousque voluntas nostra confirmanda sit divinæ.
V. Senes instruuntur exemplo Simeonis.
VI. De puritate doctrinæ Catholicæ & sectarum impuritate.
VII. De Cereorum significatis.
VIII. Documenta.
IX. Mysteria.

CONCIO I.

CUR CHRISTUS PRAESENTARI in templo & Deipara purificari voluerit.

I. Ut doceret obedientiam.
II. Ut doceret humilitatem.
III. Ut doceret gratitudinem.
IV. Ne cui scandali occasionem præberet.
V. Ut docerentur pueri à teneris Deo servire.
VI. Ut doceremur studere puritati.

THEMA.

Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, Luc.2.

A. CONveniunt SS. Patres neque Christum neque ejus Matrem legibus illis comprehensos fuisse, quæ in hodierno allegantur Evangelio; siquidem scriptura non obscure illos eximit. Lex prior erat, ut *mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda esset, &c.* quæ habetur Levit.12. Sed hic clare excipit Deiparam, quæ non suscepto semine, sed de Spititu sancto concepit filium. Altera erat: *Omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, &c.* quæ habetur Exod. 13. sed hic excipit Christum, qui dum nasceretur claustrum virginitatis non violavit: ut Ecclesia canit & semper docuit. Cum igitur, ô Deipara, nil tibi & filio tuo sit cum istis legibus, quò progrederis cum illo mulier amicta sole? Cur te purificatum, illum is oblatum? Audiamus.

B. I. *Ut doceret obedientiam.* Primò. Ut docerent nos obedientiam. Cum enim effrænis homo ægerrime submittat cervicem jugo legum divinarum & humanarum juxta id Ier. 2. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea & dixisti: non serviam:* Quasi diceret, ab initio & à primis tuis parentibus hæreditasti hoc vitium inobedientiæ: idcircò Deus ipsemet voluit se submittere jugo Legum suarum, licet ad eas tanquam supremus Legislator minimè obligaretur, & in ipsa lege minimè comprehenderetur, ut sic subditos suos ad earundem observationem invitaret & immorigeros confunderet. Refert Polyænus libro 4. quòd Alexander M. Tyrum oppugnans, cum amplam fossam mœnibus Tyriorum adjectam superare cuperet & milites cunctantes videret, primus ipse corbem arena plenum apportarit. Milites ergò cum Regem suis manibus imperata facientem viderent, abjectis chlamydibus regem imitati celeriter fossam æquarunt, atque ita tandem Tyrum occuparunt. Proposuit Deus diripiendum nobis regnum cœlorum, potissimum sub lege gratiæ. Sic enim Matth. 11. ait Dominus: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ad occupandum tamen illud necesse est implere fossam, quæ circumdat illud, id est, præcepta adimplenda, quorum impletione fiunt prava in directa & aspera in vias planas, quod faciendum prædicabat Ioannes. Hoc verò cum difficile hominibus videretur, idcircò Dei filius in mundum venit, ut in observatione mandatorum suorum præiret & exemplo suo nos animaret ad perficiendum id, quod non ipsi, sed nobis incumbebat. Itaque summus legislator, suæmet legi, quæ ipsum non concernebat, hodie (ut & alias in Circumcisione &c.) se subjecit, dum juxta legem Dei olim præscriptam offerri & redimi in templo voluit, quamvis ea lex cæremonialis tantum esset. Quis ergo nostrum modò, non alacriter imitetur exemplum regis nostri? quis molestum aut difficilem nedum impossibile dicere audeat servare Dei præcepta? Ejusdem obedientiæ exemplum nobis Deipara est, quæ cum lege purificationis non comprehenderetur, eam tamen exactissimè observavit; qui summus obedientiæ gradus est. Primus enim gradus est observantium præcepta sicut debent. Secundus observantium accuratius & cumulatius quàm debent. Tertius observantium ea, quæ omnino non debent. Summam igitur filii obedientiam & Mater imitata est. *Nec mirum,* ait D. Ambrosius de purificatione, *si mater observat legem, quam ejus filius non venerat solvere sed ad implere.* Quod si igitur Christus & Mater ejus observant, qui non debent: nos ea, quæ debemus, observare dubitabimus? Nimirum ea re demonstrare nobis volebant, quanta in veneratione habendæ essent divinæ leges, quantique momenti ac necessitatis sit vivere ad normam earum. Non enim frustrà ter repetitur in hodierno Evangelico legis præscriptum. Primò *secundum legem Moysi:* Secundò, *sicut scriptum est in lege Domini:* Tertiò, *secundum quod dictum est in lege Domini.* Hac enim legis inculcatione vobis insinuatur quàm omnes nostri cogitatus, sermones & actus conformari divinæ legi debeant, quemadmodum & Christus omnia sua voluntati patris conformabat: imo & legibus humanis, quia allegatur etiam Lex Moysis. Quàm turpiter errant igitur, qui legum fræna excutientes, noxiam libertatem quærunt, & omnia ex proprio sensu facere volunt? Quam turpiter & illi, qui potius mundi legibus ac moribus

bus regi, quàm divinis & sacris volunt? Lex mundi jubet injurias illatas non ferre sed ulcisci, contumelias replicare, pompam statui decoram ducere potius quàm debita solvere &c. Hæc sedulo observantur: sed præcepta Dei parvi penduntur, imo sectatores mundi pudet aliquo modo, ex præscripto legis divinæ aut Ecclesiasticæ agere quæ agunt: pulchrius enim reputant si ex proprio motu confiteantur, audiant sacrum, jejunent, &c. ne quasi compulsi plebejorum more coacti id facere videantur. Quæ sanè diabolica vesania est, & merito obedientiæ eos privat. Docentur & hoc exemplo Magistratus præire in servandis præceptis quæ vel ipsi sanciunt vel promulgant, ne similes sint Legislatoribus sedentibus super Cathedram Moysis, qui imponebant onera gravia, & digito suo nolebant ea movere: sed potius pastori bono; qui ante oves suas vadit, quemadmodum hodie Christus fecit.

C. II. *Vt doceret humilitatem.*

Secundò. Ut docerent nos humilitatem, quam etiam virtutem difficillimè addiscunt superba hominum capita. Christus quidem hanc docet; dum servorum legem subire & instar servi offerri voluit: siquidem ea potissimum de causa Deus primogenita offerri sibi voluit, Exod. 13. quòd ei in perpetuam servitutem addicta sint omnia. *Mea sunt enim omnia*, ait. Deipara verò dum, quasi non virgo; instar aliarum matrum purificatione opus haberet, per 40. dies templi ingressu juxta præceptum Domini Levit. 12. abstinere, se domi continere, & postmodum in templo purificandam exhibere, inter alias matres consistere, adeoque quasi purificationi obnoxia se sistere non dubitavit. Cum tamen in conceptu & partu Christi angelos puritate vinceret. Qua in re filius & Mater perfectissimum humilitatis gradum attigerunt. Sunt enim qui intellectu sunt humiles, sed non voluntate; fatentur enim se peccatores, defectibus obnoxios & omni supplicio dignos; sed nolunt tales ab aliis haberi, imo boni potius reputari: bona sua cupiunt prædicari, mala nesciri: Non sic Christus & Maria, qui etiam voluntate humiles fuerunt, quia etiam ab aliis vilipendi amaverunt: Etenim Christus in monte Thabor seorsim ostendit gloriam suam coram tribus tantum discipulis: passionis verò ignominiam pertulit in monte Calvariæ coram ingenti multitudine. Idem gloriosam nativitatem suam paucis tantum pastoribus voluit annuntiari, ministerio angelorum hodie verò ut servus voluit in templo publicè offerri. Similiter Maria non ore se prædicabat similem aliis matribus, sed reipsa talem se præferebat, ut nemo de ea aliter opinari posset, cum tamen longè diversa mater esset ab aliis matribus. Alii jure se humiliant, quia habent in se causam humilitatis, sordes peccatorum & defectus, vel notam servitutis alteriusvè debiti. Nihil horum in Christo, nihil in Maria: neque enim servus Christus, neque imunda erat Maria, nihilominus quasi tales in templo se sistunt: cum tamen ille Dominus, hæc virgo esset. Potuisset illa dicere, ut S. Bern. serm. 3. in purif. ait: *Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ dominum peperi templi? &c. Verè ô beata virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum.* Sic Bernard. Suetonius in Augusto, Refert Iuliam filiam Augusti de fastu nimio correctam, respondisse. *Quid? pater se Cæsarem esse oblitus est?* Sed quanto nobilior Dei mater filiâ Augusti? Sciebat illa se Dei matrem, dissimulabat tamen, & ita se gerebat ipso opere, ut nemo de ipsa amplius quid opinari posset, quam de aliis matribus. Et quantum hic Dei filius & mater nostram arguunt superbiam? Nos si vel modica re alios præcellimus, statim videri volumus, splendidius vestiri, honoratiori titulo insigniri, digniori loco consistere, priore loco incedere, nullis denique æquari; deinde verbis nos humiliamus & humiles videri volumus, sed ab aliis contemni, ut viles tractari, & vitia nostra nobis objecta audire nequaquam volumus. Sanè Deipara sciebat se matrem esse summi Regis, se gestare in sinu suo Regem cœlorum: Unde cogitare poterat: ô si scirent homines quanti Regis mater sum! quantum Dominum in brachiis gesto! quanta gloria & pompa cum filio me exciperent? Sed ipsa, quasi hæc omnia nesciret, velut una ex aliis fœminis, humiliter in templum venit, non prædicavit gloriam filii sui; ne videlicet suam quærere videretur.

D. III. *Vt doceret gratitudinem.*

Tertiò. Ut docerent nos gratitudinem erga Deum, divinaque beneficia. Altera enim ratio, cur primogenita Deus sibi offerri præciperet, erat; quod Hebræorum primogenita servarit, quando in Ægypto angelus Domini omnia Ægyptiorum primogenita percussit, Exod. 12. quam rationem subdidit Moyses Exod. 3. Ita propter hoc beneficium Iudæis olim à Dei impensum in gratiarum actionem sistit Deipara filium, nec non & filius seipsum coram Deo patre. Ubi docemur gratias agere Deo etiam pro beneficiis, quæ majoribus nostris impendit, veluti pro conservata majorum nostrorum fide, pro primis sanctis Episcopis patriæ nostræ datis, pro optimis & Catholicis principibus, pro constantia Martyrum, fundationibus monasteriorum & diœcesium, &c. Quemadmodum enim Israelitæ innumeri nunquam futuri erant, si primogenita Hebræorum in Ægypto occisa fuissent: Sic nisi nos habuissemus sanctos Episcopos & Prædicatores fidei, piissimos principes, & constantes in fide parentes, ubi nos essemus? Forte in hæresi aut Atheismo. Neque vero existimandum, factam esse hanc oblationem Christi tantum ob alienum illud beneficium, sed etiam ob proprium. Voluit enim Deipara sistere Deo filium suum quemadmodum Anna Samuelem, in gratiarum actionem, quòd ab eo illum acceperit ejusque beneficio hucusque in magna desolatione &

pau-

paupertate sustentarit, & in medio nationis pravæ alieno in territorio salvum conservarit; Christus etjam ipsemet sistere se patri suo voluit, gratias agendo pro eodem beneficio, secundum humanam naturam; & quemadmodum S. Bonaventura meditatur, una cum matre columbas offerebat. Docemur ergò hic quàm grati esse debeamus Deo pro beneficiis acceptis. Si vitæ suæ cursum quilibet examinare velit, inveniet se sæpius à Deo præservatum esse ab ingentibus periculis tam corporis quam animæ. Quoties succubuissemus in tentationibus, quoties mortem corporalem incurrissemus, nisi per Angelos suos aliaque auxilia Deus nos servasset? proinde animam & corpus nostrum Deo millies debemus. Et unde alia bona nostra animæ, corporis, fortunæ supernaturalia obtinemus nisi à Deo? Hæc omnia igitur sistere coram Domino debemus eiq; accepta ferre & dicere cum Davide 2. Reg. 7. *Domine Deus meus, adduxisti me hucusque!* q. d. evexisti me ad regiam dignitatem & Propheticam sapientiam ex vili domo & pastorali officio, per tot insidias, pericula, labores, servasti in prælio difficillimo cum Goliatho, defendisti me à Saule, &c. Deniq; spirituales etiam filios nostros, id est, omnia bona opera nostra Deo sistere debemus, tanquam ipsius dona & nequaquam nobis metipsis adscribere. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis*, ait Isaias ad Deum, cap. 26.

E. IV. *Ne cui scandali occasione præberet.*

Quartò, Ut ne scandali occasionem alicui præberent. Cum enim lateret adhuc homines Christi divinitas & Deiparæ Virginitas, poterant scandalizari, si vidissent eos præceptum Domini non observare; singularitas enim & nolle subjici præceptis valde scandalizat: unde timendum in populo murmur erat, si virgo se purificationi & filium oblationi non præsentasset. Maluit itaque honore sibi debito carere Christus & Maria, quàm offendiculi occasionem aliis præbere. Quantum hic arguuntur publicæ personæ, quæ nihil pensi habent quod sua libertate & præceptorum neglectione subditos & simplices scandalizent?

F. V. *Vt docerentur pueri à teneris servire*

Quintò, Ut doceret Christus pueros & adolescentes à teneris se offerre servitio divino: Deipara verò, parentes offerre liberos suos ad Dei cultum. Quantum hoc sit docebit nos historia, quam refert Gerardus de Fracheto in vitis FF. Prædicatorum, duorum juvenum ex ordine Prædicatorum, qui pari adipiscendæ perfectionis ardore excitati, relicta patria, à qua simul oriundi erant, religionem inierunt. Uterque & constantiam & virtutem & pietatem probavit suam. Altero tamen eorum morbo decumbente, spemque evadendi nullam relinquente. Alter cum se in aliena regione destitutum iri solatio existimaret, nutabundus tum demum insinuavit infirmo, sibi admodum fore difficile perseverare. Æger verò solari pusillum animum quod Deo ita visum esset, polliceri deinde ne vel à morte quidem se ei defuturum; reversurum quoque & de statu suo certiorem redditurum. Decessit ergò & oranti post mortem socio apparuit sub tristi specie. Quærenti vero quemadmodum se haberet. *Non optime*, ait, causamque sciscitanti: *patior*, inquit, *quippiam, non aliam ob causam, quàm quod cum novi socci, de more darentur fratribus, acceptis novis veteres occultabam, contra Regulæ statutum puritatemque paupertatis religiosæ*, dixit etiam eosdem latere etiamnum ad pedes lecticæ; rogare se ut eos ad superiorem deferat, isque reatum in capitulo expositum solvat, ac orationibus sacrificiisque expiari faciat. Factum hoc est, ut petiit. Lætissimus demum apparuit socio, magno splendore coruscans, eductumque foras ad planitiem dum solatur, & ad constantiam hortatur, ecce fulgentissimorum hominum cohors summo ordine magnas cruces humeris deferentium in montem trajiciens cœlum conscendebat. Novitius in admorationem raptus, illicò in felicissimam illam turbam oculos conjicit; & dum eos aspectu prosequitur: succedit deinde alius cuneus beatorum gestantium manibus triumphales cruces, quas nulla difficultate gestabant. Auxit admirationem juxta ac lætitiam hic ordo militum priores ponè sequentium, cœlorumque celsa petentium; sed continere præ gaudio se se vix potuit cùm tertius ordo successit, duplo major, nam singulis sua crux à florentissimo quodam juvene præferebatur; cumque præcedentes turmas sequerentur & Angelus defunctum novitium cum sua cruce ad jungendum se se aliis accerseret, socius ejus: *Non ita*, inquit, *abibis prinsquam rei gestæ seriem, triumque gloriosorum ordinum triumphos explicueris.* Beatus juvenis: *Quoscunque vidisti*, ait, *tribus hisce distinctos ordinibus, omnes beata civitate donatos esse certo scias. Qui primi comparuere insignes crucibus, quas bajulabant humeris, ij sunt, qui ætate provectiori sese DEI obsequio manciparunt; ideo longas latasque cruces præteritarum, scilicet, consuetudinum velut onera quædam, deportare coacti sunt. Secunda cohors est eorum, qui media ætate virtutem complexi sunt; & ij cruces gestant manibus, utpote portatu leviores. Qui verò agmen clauserunt, nec cruces, nec laborem sese tulisse insinuant, quia in tenera ætate, spretis mundi illecebris Perfectionis arcem ingressi, Angelicè vixerunt, totumque jugi Dominici pondus eorum Angeli sustinuerunt, non ipsi. Si perseveraveris, nobis adjungeris, & beatus eris: ego verò DEI gratia cum illis ascendo. Bene vale.* Quibus dictis, alios secutus est, Angelo suo duce ejusque crucem ferente.

G. VI. *Vt docemur studere puritati.*

Sextò, Ut doceret nos Deipara studere puritati & accuratæ purificationi animarum nostrarum. Tametsi enim ea purificandum nihil haberet, voluit tamen nihilominus purificari propter exemplum nostrum: quia scilicet nobis frequentior & accuratior purgatio necessaria est: Quotidie enim non modo sordes contrahimus peccatorum, sed etiam

etiam reatus pœnarum. Nihil autem coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, teste Domino Matth. 19. quia plateæ cœlorum sunt ex auro mundissimo: Ideo nemo calceatus, nemo sordidis admittitur pedibus. In hujus rei typum Moyses jubetur calceos exuere: antequam accedat ad Deum, Exod. 3. Porrò sicut Levit. 12. dies 40. præscripti erant fœminis ad purificationem, si masculum peperissent: Octoginta verò si fœminam quæ autem sterilis erat, maledicto subjacebat. Sic qui hic mascula, id est, perfecta pietatis edunt opera & viriles agunt pœnitentias, intra 40. dies, id est, hac vita purificabuntur Qui verò muliebria tantum & imperfecta peragunt virtutum & pœnitentiæ opera, duplum temporis exsolvere debebunt purgationis suæ, in hac scilicet vita, & postea in purgatorio. Masculi igitur sunt, qui perfectas & rigidas agunt pœnitentias & perfecta opera præstant: fœminæ verò qui imperfecta: Ut per ænigma Salomoni propositum declaratur. Refert enim Gregorius Cedrenus de Salomone Reginam Saba inter alia tentasse solertiam Salomonis hoc modo: Formosos pueros & formosas puellas eodem vestitu & ornatu instructos coram eo constituit petiitque, ut inter sexum internosceret. Rex omnes lavare faciem jussit, itaque discrimen sexus deprehendit, cum mares fortiter atque validè facies tergerent, fœmellæ teneriter & timide. Viri esse debent qui cœlum ingredi volunt, id est, laboribus assueti: non fœminæ seu molles & delicati (ideò in numero discumbentium non numerantur fœminæ in historia de multiplicatione panum) Vis autem scire quinam viri sint? illi sunt, qui fortiter & constanter arripiunt pœnitentiam, quique aspera subeunt virtutum opera, ut qui audacter arripiunt pecuniam & dant pauperibus, siquidem per Eleemosynam lavatur facies conscientiæ, *Date Eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*, Luc. 11. *Et Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam*, Tob. 12. Qui verò timidè & parcè largiuntur, delicatè jejunant, & respuunt pœnitentiæ opera, fœminæ sunt; nec computabuntur inter eos qui in cœlo discumbunt. Qui autem prorsus steriles sunt, camino tartareo commendabuntur. Quod si igitur nihil illuc purgandum inferre volumus, crebro & accuratè purgemur hic. Elephas certè singulis lunis novis in flumine se purificat, ut Pier. in hierogl. lib. 2. refert. Cur non item singulis mensibus unusquisque suam conscientiam? Quis in cello vel domo sua sordes diu tolerat? Nonne indusium mutas quovis octiduo? nonne hypocaustum verris omni Sabbatho? Cur non idem facis animæ & conscientiæ tuæ?

Ergò Auditores concipiamus hodie novum & serium propositum crebrius imposterum & accuratius purificandi animas nostras. Ad quid enim Ecclesia festum hoc aliaque per annum recolit, nisi ut eadem nos spiritualiter agamus in nobis; & quod olim gestum, nunc iterum in nobis fiet? Si ergo offerri Christus voluit; offeramus & nos Deo? si mater ejus purificari; purificemur etiam nos, si in manibus gestamus lumina, ne sint tenebræ in cordibus; si benedicamus candelas, benedictionem etiam nostri à Deo impenetremus.

CONCIO II.

QUÆ POTISSIMUM PRIMOGENITA à Deo offerenda sint

I. *Primogenitum cujuscunque operis.*
II. *Primogenitum studiorum & negotiorum.*
III. *Primogenitum diei seu initium.*
IV. *Primogenitum ætatis.*
V. *Primogenitum filiorum.*

THEMA.

Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, Luc. 2.

A. TAmetsi lex illa vetus de sanctificandis Deo primogenitis (uti & cæremoniales omnes) per legem Evangelii secundum literam abolita est; non tamen juxta mysticam intelligentiam. Ratio enim cur Deus olim primogenita petierit ab Hebræis est; tum quia omnia ipsius sunt ratione Creationis, tum quia eorum primogenita liberavit à percutiente Angelo, Exod. 12. ut indicatur Num. 8. Hæc autem ratio adhuc militat; omnia enim, quæ possidemus, Deo imprimis ut Creatori debemus. Deinde ut Redemptori. Ut Creator omnia nobis subjecit, quæ in mundo sunt; ut Redemptor etiam filium suum dedit primogenitum, & cum illo omnia, etiam quæ in cœlo sunt. Si sciremus donum Dei, quod nobis impertiit ut Creator, & quod rursum ut Redemptor, quando nimirum non tantum mundum nobis subjecit, sed etiam ex inferno, quem toties merebamur, nos redemit; clare intelligeremus non omnia tantum nostra, sed nosipsos etiam millies Deo deberi. Quid magni igitur à nobis petit, si primogenita nostra petit? Non petit jam à nobis primogenita filiorum aut jumentorum secundum literam intellecta, quemadmodum à Iudæis, sed tantum secundum Spiritum, quæ nemo non dare potest: Qua verò ratione danda sint videamus.

B. I. *Primogenitum cujuscunque operis.* Primò. Primogenitum operis cujuscunque, quod est intentio, quæ magis dirigit ad finem propositum omnes actiones. Ut enim collimatio præcedit jaculationem, sic intentio opus. Requirit hanc Apostolus 1. Cor. 10. cum ait, *Sive ergo manducatis, sive editis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* In negotiatione corporali, intentio videnti vel ementi parum aut nihil

hil confert, non enim inde merces aut pretia nobilitantur, at in negotiatione Spirituali plurimum, imo ex ea pendet mercis seu operis dignitas & pretium. Bona enim intentio operi (modo id ex se malum non sit) bonitatem tribuit ; mala malitiam, licet opus bonum ex se esset intentio nulla, inutile facit opus coram Deo. Unde sequitur frustrà laborare eum, qui operum suorum intentionem non offert Deo: similis illis qui mane proficiscuntur, egressi ex aliqua civitatis porta, antequam decreverint aut etiam cogitaverint, quonam sibi sit eundem; de quibus verificatur id Psalmi: *In circuitu impii ambulant*, id est frustra fatigantur & laborant, quia progressum non faciunt: sic enim multi nunquan cogitant; cur vivant, ad quem finem à Deo creati sint, & quid tandem sibi quærant omnibus suis studiis. Alii verò pravos sibi constituunt fines, opum, honorum, voluptatum copiam. Sed hi diabolo offerunt sua primogenita. Novimus Deo placuisse munus Abelis, non autem placuisse munus Cain, cum tamen exigua fuerit munerum differentia. Abel enim velut pastor obtulit de gregibus suis: Cain velut agricola obtulit de frugibus suis. *Sed varietas mentis, & voluntatis*, ait Chrysostomus in eum locum, *illius quidem acceptissimam fecit oblationem, hujus autem repudiatam, Deus enim acceptor personarum non est: sed à voluntate examinans, mentem & intentionem coronat.* Sic ille. Unde benedicitur Abel obtulisse adipem gregum suorum, id est, intentionem velut internam & optimam partem. Hunc enim adipem præcepit sibi offerri Deus Levitic. 3. ubi dicitur, *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo.* Et mox. *Neque adipem omnino comedetis.* Comedunt autem illum, qui non Dei gloriam: sed suum lucrum, commoditatem, gloriam quærunt in suis actionibus.

A.

S. Gregorius Nazianzenus iter facturus dicebat *Tibi Christo vivo; tibi loquor, tibi Christe sedeo, tibi incedo, quandoquidē me manu regis.* Dicat hoc Christianus quisque initio operis sui.

C. II. *Primogenitum studiorum & negotiorũ.*

Secundo. Primogenitum studiorum & negotiorum gravium, ut ea auspice Deo inchoentur & prosperentur. Docuit id facere in contractibus matrimonialibus Raphaël Tobiam, Tob. 8. ut nimirum postquam acceperit uxorem, ingressus cubiculum, contineret se ab ea & solis orationibus vocaret ; sic enim fore ut tertia transacta nocte benedictionem consequeretur, & filios procrearet incolumes, quod & factum, salutare hoc consilium sequi deberent conjuges, ut etiam admonet eos Ecclesia, eoipso quod præcepit ut ante conjunctionem Sacramento confessionis & Eucharistiæ se muniant.

Ab olim etiam Imperatores nuper electi, mox obsequium suum Romano deferebant Pontifici, quasi primitias Imperii. Inter alios cum Iustinus Imperator id faceret, rescribens ei Hormisda Pontifex: *Debitas*, ait, *B. Petro Apostolo imperii vestri primitias reddidistis.* Idem Iustinus Imperator electus non prius imperii insignia capessere voluit, quam ad templum progressus pias ad Deum preces fudisset. Post Canticum, *Benedictus, &c.* Patriarcha coronatus & in solio collocatus, orationem habiturus, prius frontem cruce consignat. Baron anno 565. similiter ejus successor Tiberius, antequam procederet coronandus, loca sacra obiit & completa oratione prodiit. Idem anno 582. Novimus etiam Iudith, quando arrepto gladio perimere voluit Holofernem, prius orasse cum lachrymis: *Confirma Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum*, Iudith 13. Sic ante prælium præcedere oratio debet: Exemplo illius Imperatoris, qui propè Ratisbonam conflicturus dixisse fertur, laſt uns ehe beten: Unde pagus eo loci situs usque hodie vocatur Ehebeten. Item ante actiones sacras, ut iis aspiret Deus. De his S. Dionysius c. 3. de divinis nominibus ait: *Omnis actio ab oratione inchoanda nobis est præsertim in Theologia*, hoc est, cum de Deo loqui volumus & rebus divinis.

Ratio 1. Quia omnes actiones nostræ Deo debentur tanquam auctori & directori earum.

Secundò, qui nisi à Deo dirigantur, pessum ibunt, & ab ultimo ac vero fine deviabunt. Unde in omnibus viis suis hanc directionem petiit David. Ps. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi &c.* Et Psal. 118. *gressus meos dirige.* Et Tobias docet filium suum dicens: *Omni tempore benedic DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat & omnia consilia tua in ipso permaneant*, Tob. 4. Idque faciens filius, in omnibus prosperatus est. Unde monet Cassianus collat 10. c. 10. in omnibus actionibus præmittendum esse illum versiculum ; *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Id quod Ecclesia facit ad omnes horas precum. Et Germani, cum ad initium operum dicunt: das walt Gott Ratio est, quia *cogitationes hominum timidæ & incertæ providentiæ nostræ*, ut ait Salomon Sap. 9. Solus autem Deus novit eventus futuros, & quid nobis prosit; ad cujus etiam unius providentiam spectat hominum inprimis actiones dirigere. Quoniam igitur plurimæ viæ dubiæ sunt, & quidem pleræq; ad perditionem ducunt, solusque Deus novit, quæ nobis viæ conducant, quæq; periculosæ sint, an non sedulò precari debemus Deum, ut ducat nos per illas, quæ scandalis, in quibus impingeremus, carent & quibus præscit nos ad gloriam perventuros? Hinc in omnibus suis negotiis prospere agebant Abraham, Iacob, Ioseph, Moyses, Iudas Machabæus, Theodosius, Constantinus M. Carolus Magnus, Carolus V. quia nimirum à Dei voluntate ejusque directione toti pendebant.

D. III. *Primogenitum diei seu initiũ.*

Tertiò, Primogenitum diei, ut nimirum diem à Deo semper incipiamus, & futuras actiones ipsi commendemus per devotam orationem ad instar avicularum, quæ & ipsæ manè, modo, quo possunt, Deo Laudes canunt. Hæc enim significatur per incessum & thymiama illud, quod jussit olim Deus

Deus manè adoleri & offerri ſibi ab Aarone, Exod. 30. *Per incenſum vis orationis intelligitur*, ait Sanct. Beda in eum locum, juxta illud: *Dirigatur oratio mea ſicut in incenſum in conſpectu tuo. Manè autem thymiama incenditur, quando in principio omnis boni, quod inſpirante Deo facere diſponimus, illius auxiliũ, quo perficiamus, invocamus.* Sic illi: Sed rectius ſenſu proprio per manè, principium diei intelligitur. In ejuſdem rei ſignificationem manè colligendum erat manna Iudæis, ut inde vivere poſſent, ſequenti die, alioquin *ſtatim ab exiguo radio ſolis*, ait Sapiens in l. Sap. cap. 16. *calefactum tabeſcebat, ut notum omnibus eſſet, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam* (Græcè *ad bonam gratiam tuam*, ſc. obtinendam) *& ad ortum lucis te adorare.* Videmus igitur bonam gratiam & benedictionem, id eſt, proſperum ſucceſſum promitti omnibus, qui principium diei per orationem Deo obtulerint. Sic enim & Iacob in aurora impetravit benedictionem ab Angelo, Gen. 32. Similiter & David Pſ. 5. *Manè exaudies vocem meam*, inquit. In quem locum S. Chryſoſt. *Oportet enim*, inquit, *ad gratias tibi agendas ſolem prævenire, & ante ortum lucis te interpellare. Tu autem in Imperatore quidem minimè patiaris eum, qui eſt inferior, ante te adorare, nunc autem ſole oriente ipſe dormis & cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam prævenis, quæ propter te facta eſt, ſed cur ſurgis, manus & faciem lavas, animam autem immundã negligis*, &c. Ideo ipſe David de manè ſemper ad Deum ſe convertit per orationem, ut pat Pſal. 62. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Similiter Caſſianus collat. 21. cap. 16. ait, tunc à nobis Deo primitias placitas & acceptabiles perſolvi, cum in principio diei, os Deo ſolvimus per orationem, & cætera membra ante omnia negotia, ad Dei obſequium & adorationem componimus, protenſione manuum, incurvatione genuum, & totius corporis proſtratione: *Quod devotionis genus*, inquit, *multi etiam ſæcularium ſumma cautione cuſtodiunt, qui ante lucem vel diluculo conſurgentes, nequaquam familiaribus ac neceſſariis mundi hujus actibus implicantur priuſquam cunctorum actuum ſuorum operationumq; primitias ad Eccleſiam concurrentes divino ſtudeant conſecrare conſpectui.* Rurſum qui id faciunt optimum fundamentum futuræ diei ponunt, teſte Chryſoſt. loco prædicto, *ſi os noſtrum*, inquit, *per orationem munierimus, diurnæ actionis pulchrum fundamentũ jecerimus.* Iacto hoc fundamento facile ſuperſtruuntur bonæ actiones, & vitantur malæ. Unde Sanct. Ephrem. tom. 1. ſer. de orando Deo: *ſi rationem operi præmiſeris*, inquit, *& ſurgens è lecto primorum motuum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.* Apollinij Tyanæi fuit hoc præceptũ. Adveniente aurora cum Dijs eſſe verſandum, teſte Philoſt. in ejus vita l. 1. c. 12. *A Jove principium*, canit Virgilius. Audi Ambroſium in Pſalm. 118. ſerm. 16. v. 16. *An neſcis, ô homo*, inquit, *quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas?* Audi Climachum gradu 26. *Eſt è ſpiritibus unus qui præcurſor dicitur, qui nos è ſomno ſurgentes protinus excipit, primumque noſtrum cogitatum inquinare nititur. Da Domine primitias de diei tuæ; erit enim tota ejus qui prior occupaverit. Memoriale verbum operarius quidam optimus locutus eſt: Ab ipſo matutino tempore*, inquit, *curſum totum meum dici ſcio.*

E. IV. *Primogenitum ætatis.*

Quartò. Primogenitum ætatis noſtræ, ut nimirum, quam primum ingredimur annos diſcretionis, incipiamus inſervire. Sic enim certa quædam ſpes eſt ſervituros nos eiſdem in ſenectute: ſicut flos arboris ſpes eſt ejusdem fructus. In hujus rei figuram præcepit Deus Lev. 12. ut mulier pro filio offerret anniculum & pullum columbæ, & Levit. 1. Vitulum ad placandum Deum, ut indicaret offerendam ſibi juventutem, tanquam vitæ partem tenerrimam & optimam, quando quis adhuc multos annos ſibi promittit, quando viribus integer eſt, quando laborum ferax, quando peccare, ſi vellet, poſſet. *Tales* ait Hugo de clauſtro animæ, c. 3. c. 10. *offerunt hoſtiam viventem*, *Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc ſenum ſera converſio, quibus ex defectu ſenectutis aures obdurantur, oculi turbantur, & ut cuncta breviter perſtringam, ipſi in ſe per ſe deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, ſed ut ita dicam, porcum curatum*, &c. Sic ille. Senes ſi ſe Deo offerant, quando non tam vitia deſerunt, quam à vitiis deſeruntur: quando ad Heroicos virtutum actus inepti ſunt, quid magnum Deo offerunt? contra ſi juventutem Deo offeras, omnem tuam vitam penè certò obtuliſti. Quid mirum ergo, ſi florem juventutis poſtulet à te Deus, cui totam vitam debes?

F. V. *Primogenitum filiorum.*

Quintò. Primogenitum filiorum etiam, hoc eſt, optimum & aptisſimum, juxta præceptum Exod. 13. certis in caſibus offerre Deo parentes debet, veluti cum advertunt aliquem filiorum ad ſtatum Eccleſiaſticum inclinari, & idoneum eſſe, ſeu talentis debitis inſtructum. Hæc enim aptitudo & inclinatio ſigna quædam & voces ſunt, quibus Deus aliquos ad certum ſtatum vocat. Quando itaque parentes hæc duo in liberis viderint, eos Deo tunc offerre obligantur, quia vocatos eſſe à Deo dubitare non debent, cui petita denegare nimis magna audacia foret. Scire etenim vellem, num regi aut reginæ eoſdem ad aulam ſuam evocanti denegarent: Non arbitror. Exemplo eſt Iſai, qui regi Sauli vocanti ad aulam ſuam Davidem filium, non modo non repugnavit, ſed munera etiam addidit, eumque ad regem ablegavit, 1. Reg. 16. Et quomodo tales parentes parati eſſe poſſunt cum Abrahamo ad immolandos DEO primogenitos ſuos, qui ne ut vivos quidem commodent, perſuaderi poſſunt; Quod enim eos DEO non tam immolent vel donent, quam commodent, teſtatur id ſancta illa mater Samuelis Anna, 1. Reg. 1. quæ poſt-

postquam filium Deo mancipasset, ait: *Ego communicavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.* Dispiciant itaque parentes, quænam sit liberorum ad hunc vel illum statum propensio & aptitudo: & meminerint illius appendicis veteris legis, quam Deus addidit legi de offerendis primogenitis, videl. *Primogeniti Asini mutabis ove*, Exod.13. Quæ verò causa, putatis, hujus unius exceptionis? Absque dubio, quia asinus stupidissimum & ignavissimum animal est, quod verberibus urgeri, nihilque facile edoceri potest, indicari voluit Deus tales liberos, qui stupidi sunt & indociles, ignavi etiam & aversi à statu Ecclesiastico, non esse ad illum promovendos vel adigendos, non est status, qui requirat majorem scientiam & virtutem, quàm Ecclesiasticus. Quisquis ergò inertes & stolidos ad eum intrudit, asinum Deo offert, & quasi ad lyram perdiscendam in ludum literarium mittit. Cæterum parentes, qui idoneos suos filios ad Dei cultum offerunt, sperare à Deo possunt plures alios cum fœnore sibi dandos ut testatur S. Hieronymus in Epist. ad Lætam. *Fidens loquor*, ait, *accepturam te filios, qui primum fœtum Domino reddidisti.* Experta id fuit Anna, quæ pro primogenito Samuele, Dei cultui oblato, obtinuit tres filios & duas filias: quod precatus Heli dicebat ejus marito Elcanæ. *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore, quod commodasti Domino*, 1. Reg. 2.

Deinde si divino cultui liberi offerri nequeant, offerantur saltem Ludimagistris, & bonis Præceptoribus, ut pro eorum nutu in timore & disciplina educentur, & informentur tam bonis moribus quàm litteris, neque parentes ægreferant, si ab eisdem quandoque castigentur. Certè Theodosius Imperator Arcadium filium Arsenio Præceptori erudiendum tradens, dixit Arsenio: *Posthac tu magis pater ejus, quam ego*, Surius in vita Arsenii 19. Iulii Baronius anno 383. Ita olim nobiles Parentes obtulerunt filios suos Sancto Benedicto, Sancto Martino & aliis in monasticæ disciplinæ rigore educandos.

Denique si per mortem avocet Deus liberos à parentibus, caveant Deo resistere per animi impatientiam. Dicant cum laudabili illo Principe Francisco Borgia, nunciata morte Isabellæ filiæ: *Depositum acceperam, repetijt Dominus. Ex quo enim me DEO dicavi, illi cor obtuli: ut nihil in humanis rebus turbare illud possit*, Ribald. libr. 4. cap. 6. Hæc sunt, Auditores, nostra primogenita, quæ si Deo offeramus, longe gratius munus dabimus, quam dederint olim Hebræi; fietque ut pro hoc exiguo immensum gloriæ pondus in cœlo nobis donetur.

CONCIO III.

PRIMOGENITUM HOMINIS cor, qua ratione Deo sit offerendum.

- I. *Per amorem Dei super omnia.*
- II. *Per contritionem.*
- III. *Per fiduciam in Deum.*
- IV. *Per bonam voluntatem.*

THEMA.

Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur, Luc. 2.

A. Religiosus vir Ordinis Cluniacensis, Raulinus in suo Quadragesimali Fer. 4. Cin. refert hostem generis humani apparuisse cuidam Monacho petenti à Deo cognoscere: per quid salvari posset; specieque boni Angeli dixisse: *Exaudita est oratio tua, & à Deo missus sum tibi dicere: Si conjunxeris Lunam novam Solis rotunditatem & quartam partem rotæ, Deoque obtuleris: salvus eris.* Quod expendens Monachus, reperit dæmonem tectè quidem & evidenter, more suo, verissimè tamen dixisse, offerendum esse Deo Cor, ut salvari posset. Vocula enim *Cor*, tribus constat literis, quarum prima C. formam Lunæ novæ, nondum dimidiatæ: secunda O. figuram Solis exprimit: tertia R. est una è quatuor literis Rotæ. Mendax quidem diabolus est, sæpe tamen accidit, ut veritatem dicere compulsus sit; quod in præsenti eum fecisse non est dubium. Id enim dudum attestatus est Spiritus sanctus per eos Sapientis, Proverb. 23. dicens: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Atqui hoc illud ipsum est, quod in hodierno Evangelio & Festo exigit à nobis Deus, tametsi & ipse sub mysterio & ænigmate; dum primogenitum nostrum petit. Quod autem hominis primogenitum sit, Aristoteles declarat, qui in lib. de juvent. & senect. ait, Cor in homine esse primum vivens & ultimum moriens. Primogenitum igitur nostrum cor est; Deo offerendum. At verò dicet aliquis, qua via & ratione Deo cor offerri potest? Audiamus.

B. I. *Per amorem Dei super omnia.* Primò. Per amorem Dei super omnia. In hujus rei significationem Iosue, Dux Hebræorum, elegit sibi in possessionem civitatem in medio populi sui, Thamnatsara nomine, & in ea habitavit, Iosf. 19. Quis autem est noster Iosue, qui eduxit nos è deserto in terram promissionis, è tenebris in lucem, è morte in vitam, nisi Iesus, eodem cum Iosue nomine? Et quam is, putatis, possessionem ac sedem postulat, nisi cor, quod est in medio nostri? Hanc

verò ei damus, cum ipsum super omnia amamus: quod utique ei debemus, quia & ipse nos plusquam se amavit, dum pro nostra vita suam dedit. Quemadmodum ergo nobili accipitri datur Cor aviculæ, quam prædatus est: ita etiam Christo jure cor debetur eiusq; summus amor, quia nos à potestate dæmonis eripuit, quando pro nobis Crucem ascendit. Porrò, sicut Iosue ædificavit civitatē illam, quia videlicet vel diruta vel ruinosa erat: ita rogandus Deus ut cor nostrum sibimet ædificet in acceptam sedem, dicendumq; cum Davide: *Cor mundum crea in me Deus*, Ps. 50. Deprehenderat enim cor suum dirutum fuisse, per illicitum Bethsabeæ amorem. Sed quemadmodum Iosue non solus, sed ope & opera populi sui urbem illam extruxit: ita etiam nos cooperari Deo debemus: siquidem ipse nobis Ezech. 18. dicit: *Facite vobis cor novum.* Ergo ædificamus ei regiam seu palatium, optando ei & quidem soli omne bonum, omnem gloriam, omnem pulchritudinem, omnes divitias, omnem potentiam; ut sc. agnoscatur, colatur, ametur & timeatur ab omnibus. Ædificemus ei propugnacula, ita ut pro ipsius gloria strenuè pugnemus, honorem ejus defendamus, &c. & si opus sit, pro eo cum Petro in carcerem & in mortem eamus. Erigamus muros fortissimorum propositorum, ita ut quidvis malorum pati malimus, quam ut eum offendere & hostem ejus in cor admittere velimus. Dicamus cum S. Agnete: *Posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam.* Erigamus turres, ut nimirum ipsius crebro recordemur, & per mentis elevationem ad ejus familiaritatem & colloquium frequenter ascendamus. Sic enim ipse dixit Matth. 6. *Ubi est thesaurus tuus: ibi est & cor tuum.* Non imitetur divitem illum avarum, in cujus exequiis concionatus S. Anton. de Padua dixit inter alia, *mortuus est hic dives & sepultus est in inferno; Ite ad thesaurum ejus & in medio illius inveneitis cor ejus.* Abierunt enim Auditores, & cor divitis jam sepulti adhuc calidum invenerunt medio in thesauro. Sur. in vita S. Antonij de Pad. Non sit in arca vel loculis, sed in cœlis thesaurus noster; & illic sit & cor nostrum.

C. II. *Per contritionem.*

Secundò. Per contritionem. De hac enim ait David Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Postquam ergo peccavimus, requirit à nobis Deus unicum hoc sacrificiū: cor contritum & humiliatū. Contritum per dolorem seu compunctionem, humiliatum per confessionem. Primo ergo conterendum & contribulandum, hoc est, multis quasi tribulis terendum & flagellandum cor, quod offenderit Deum, summum bonum, optimum patrem, maximum benefactorem: quod proximos non paucos, quod seipsum denique. Rursum quod cœlo se excluserit: quod inferno se addixerit: quod toties, tam graviter, tam turpiter ceciderit. &c. Ac licet pro peccatis satisfacere Deo nequeas: licet hæc, quæ dixi, voce non enuncies, sed mente solum cogites: licet alia pœnitentiæ opera peragere nequeas, sufficit Deo tuo cor contritum & contribulatum; quia ut ait S. Gregor. *Deus non attendit verba deprecantis, sed cor orantis.* Bonus ille latro quod sacrificium, quod opus bonum obtulit Deo, ut audire mereretur? *Hodie mecum eris in Paradiso*? Non obtulit ei pedes ad geniculandum vel peregrinandum: non manus ad supplicandum, vel erogandas Eleemosynas, quia tum hæ, quam illi cruci affixi erant; non os ad jejunandum, quia paucas vitæ horas sibi reliquas habuit: non oculos ad plorandum, quia doloris vehementia impedierat, & humor omnis à capite defluxerat, non linguam ad confitenda scelera, quia nec tempus, nec vires id ferebant: non facultates suas, quia omnes fisco cesserant, denique nec sanguinem, quia hunc pro peccatis suis judici pendebat. Unicum & solum cor liberum & solutum habuit, idque contritum Christo obtulit, dicens *Nos digna factis recipimus.* Et: *Memento mei Domine* Ritumque & acceptum habuit Christus hoc sacrificium, & pro eo paradisum confestim illi contulit. Hujus exemplo animatus Henricus Iunior Angliæ Rex, Henrici II. filius, cum multis patri injurias & bellum intulisset, nec tamen multum nocere posset, pecuniæ defectu: tandem ex mœrore & rancore in gravem incidit infirmitatem in villa *Martel*, prope civitatem Lemovicensem. Qui cum censisset mortem sibi imminere, misit ad patrem, volens ei reconciliari & injurias deprecari: Verum noluit venire paterti, mens insidias filii. Rex igitur filius, vocatis Episcopis & viris religiosis, qui aderant, primo secreto, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam & suorum recepit absolutionem peccatorum, & tradidit Wilhelmo Marescallo familiari suo crucem suam Ierosolymam deferendam. Deinde depositis mollioribus indumentis: cilicium induit, & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis & cæteris viris Religiosis circumstantibus. *Trado me peccatorem indignum, culpabilem & obnoxium per funem istum vobis ministris Dei, postulans ut Dominus noster Iesus Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit, per preces vestras & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ.* Postea jubens se trahi à lecto per illum funem, impositus lecto cinericio, quem sibi præparaverat, appositis capiti & pedibus suis, duobus lapidibus magnis quadratis, sumptoq; post hæc SS. Corporis & sanguinis Domini viatico in timore Domini emisit spiritum, quem pater corruens in terram, vehementer planxit, ut scribit Rogerius in Annalib. apud Baron. Anno 1183. Non poterat hic Rex resarcire damna data patri & Ecclesiis, quas spoliarat: non poterat à patre veniam postulare: unum tamen hoc potuit, cor contritum & humiliatum Deo præsentare: & in gratiam ejus receptus est, uti non dubitandum. Nequeo committere, quin hic etiam referam, quod viro gravi Romæ

me

me audisse memini; mulierem videlicet prostitutæ pudicitiæ venisse aliquando ad templum S. Mariæ super Minervam, & ibidem ante altare S. Catharinæ Senensis, suam turpidinem tot tantisque singultibus ac lachrymis deplorasse, ut mortua præ dolore conciderit. Defunctam igitur Medici secarunt, ut subitæ mortis causam indagarent, atque cor ejus diruptum, præ doloris utique vehementia repererunt. Hoc est, Auditores, cor contritum Deo offerre. Plus doluit Heli, quod arca Dei capta esset, quam quod proprii filii in prælio occisi, 1. Reg. 6. Ita vera contritio exigit, ut plus doleas Deum per peccata perditum, quam jacturam omnium aliorum bonorum.

Porrò si tempus & vires suppetunt cordi contrito jungendum est cor humiliatum, per confessionem, qua coram Sacerdote nos humiliamus & accusamus. Ubi attendendum, ut integrum cor offeramus, non partem ejus tantum. Partem ejus offerunt, qui id manu sua prehensum Sacerdoti monstrant quidem, sed ex parte contegunt. *Fili præbe mihi cor tuum*; inquit Dominus; mihi inspiciendum & ex integro rimandum. *Effunde sicut aquam cor tuum*, Thren. 2. ut nihil omnino fæcis aut fœtoris remaneat. Dic cum S. Petro: *Domine non tantum pedes: sed & manus & caput*, ablue videlicet.

D. III. *Per fiduciam in Deum.*

Tertiò, Per fiduciam in Deum ejusque providentiam, ita ut omnem nostram solicitudinem in ipsum projiciamus. Cor à cura dictum volunt; si ergo curas nostras superfluas & inutiles Deo transcribamus, cor ipsum offeremus. Quã in re non imprudenter ageremus, si pauperem illum Eudamidam Corinthum imitaremur; qui ut scribit Lucianus in Toxaride Dialogo, utens amicis duobus opulentis, Aretæo & Charixeno, cum ipse pauperrimus esset, mirificum fecit testamentum: Nimirum, *lego Arethæo quidem matrem meam alendam atque in senecta fovendam: Charixeno verò filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo dari maxima poterit. Si quid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque partem alter habeto.* Lectum cum risu testamentum. Cæterum Arethæus & Charixenus id omnino ratum habuerunt, & legatum exequebantur. Charixeno autem per quinque dies tantum superstite, Aretæus in totum successit, & tam matrem Eudamidæ aluit, quam filiam elocavit, parem cum sua filia dotem ei tribuens, & nuptias ambarum eodem die celebrans. Videmus in hac historia fiduciam Eudamidæ, minimè vanam fuisse, sed id omninò, quod sperabat, ei peperisse. Quis igitur non multò magis in Deo nostro, amicorum omnium maximo, ditissimo, fidelissimo, spem suam omnem collocet? Sanè eodem modo cum Deo egisse videtur David, quo Eudamidas cum amicis suis. Cum enim is exul à civitate & regia sua fugeret Absolonem, composuit Psalmum trigesimum, qui incipit, *In te Domine speravi, non confundar in æternum*; ut volunt Theodoretus & Euthymius. In eo verò quasi per enthusiasmum & extasin (uti præfert psalmi titulus) ita cum Deo paciscitur: *In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me*, q. d. Iustus es Domine & fidelis: non patieris me confundi & frustrari spe mea, dum peto ut liberes me, & mox: *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me & enutries me*. q. d. quia aliud refugium vel asylum non habeo præter te, idcirco tu me salvum deduces & in exilio nutries. Placuisse verò Deo hanc Davidis fiduciam, & quasi pactionem seu testamentum, colligitur ex eo, quod cum David ob repentinam illam fugam, neque quo iturus esset, sciret, neque unde alimenta conquireret: divina providentia factum est, ut ei Siba occurreret cum ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, centum passis palatarum (id est, ficuum compressarum) ac duobus utribus vini, ut habetur 2. Reg. 16. igitur & nos simili fiducia cum Deo paciscamur. Legemus illi matrem & filiam nostram, cor videlicet & curam; ita ut ipse nos deducat, ipse nos enutriat; & habebit absque dubio ratum & acceptum nostrum hoc legatum, quasi magnum quoddam donum: quod etiam indicat Psalm. 54. cum ait: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Quem locum ita aliqui legunt: *Projice in eum donum tuum, &c.* Quando ergo in Deum curam & solicitudinem nostram projicimus, donum ei damus, quia cor donamus.

E. IV. *Per bonã voluntatẽ*

Quartò. Per bonam voluntatem, ut quando aliud non habemus, parati simus ad quævis agenda & ferenda pro Dei gloria, & voluntatem nostram ipsi in omnibus conformandam. Præclarum Ethnici hominis exemplum recenset Seneca l. 1. de beneficiis cap. 7. de Æschine, qui, cum Socrati Præceptori multi multa pro suis quisque facultatibus offerrent, ipse pauper Auditor: *Nihil*, inquit, *dignum te, quod dare tibi possim, invenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque do tibi, quod unum habeo, meipsum: hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates: *Quidni tu*, inquit, *magnum munus dederis? nisi forte parvo te æstimes. Curabo ergo ut te meliorem tibi reddam quam accepi.* Quid nos igitur Christiani? Quid Deo dare possumus, quod maximè ei placeat? utique Nos ipsos, seu quod idem est, cor nostrum per bonam voluntatem, ad omnia paratum. Qua de re audiamus S. Gregorium hom. 5. super Evang. dicentem. *Psalmista dicit: In me sunt Deus vota tua: quæ reddam, laudationes tibi. Ac si aperte dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio, quod in ara tuæ laudis impono, quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius, voluntate bona. Voluntas autem bona est, sic adversa alterius, sicut nostra pertimescere; sic de prosperitate proximi,*

ximi; ſicut de noſtro profectu gratulari: Aliena damna noſtra credere: aliena lucra noſtra putare. Amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere. Inimicum etiam amando tolerare. Nulli, quod pati non vis, facere, nulli, quod tibi juſte impendi deſideras, denegare. Neceſſitati proximi non ſolum juxta vires ſuccurrere, ſed prodeſſe etiam ultra vires velle. Quid ergo hoc holocauſto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat, in ara cordis, anima ſemetipſam mactat? hæc Gregorius. Hoc ergo, Auditores, noſtrum ſit primogenitum. Deo offerendum cor nimirum; neque dubitemus curaturum optimum Deum, ut ipſum nobis melius reddat, quam à nobis accepit, quando in die retributionis etiam aquæ poculum ſibi oblatum cumulatisſimè perſolvet.

CONCIO IV.

QUOUSQUE VOLUNTAS NOſtra conformanda ſit divinæ.

I.	*Offerendo ſe ad omnem penuriam.*
II.	*Ad omnem contemptum.*
III.	*Ad omnem morbum.*
IV.	*Ad quamvis mortem.*
V.	*Ad mortem etiam chariſſimorum.*
VI.	*Ad omnem calamitatem.*

THEMA.

Tulerunt Ieſum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, Luc. 2.

A. DOmini vox eſt, verisſima & æquisſima: *Non eſt ſervus major Domino ſuo*, Ioan. 15. Atqui Dominum noſtrum audimus hodie oblatum fuiſſe Deo & patri ſuo, imò ſemetipſum ei obtuliſſe in ſervum, juxta legem, Exodi 13. Quod ſi igitur hoc fecit Dominus noſter, quanto magis convenit facere nos ſervos ejus? Et qua ratione melius Deo nos offeremus, quam ſi voluntatem noſtram divinæ ipſius voluntati per omnia conformemus? Sed quouſque hoc faciendum? Audiamus.

B. I. *Offerendo ſe ad omnem penuriam.* Primò. Offerat ergò ſe quiſque primo ad omnem penuriam. Hanc obviis ulnis excepit Sanct. Ioſephus ſponſus Deiparæ, cum audiit ab Angelo ad furorem Herodis declinandum, migrandum ſibi in exilium, ubi inter barbaros ſummam ſibi paupertatem tolerandam eſſe ſciebat. Ilico enim *de nocte conſurgens accepit puerum, & matrem ejus, &c.* Matth. 2. ſimiliter Sanct. Franciſcus, qui primo ad mitigandam patris iram ceſſit ultro bonis ſuis eaq; tranſcripſit patri adjectâ etiam tunicâ ſuâ. Exinde paupertatem ſibi dicta occaſione legatam adeo coluit, ut eam non niſi Dominam, ſponſam vel filiam vocaret. Adhæc ſi quando aliquem vidiſſet, à quo in paupertate vinceretur, ei quodammodo invidebat, & velut victus erubeſcebat. Aliquando tres mulieres vultu ſimillimæ, occurrentes ei, ſalutemque precatæ: *Bene veniat*, dicebant, *Domina paupertas:* Nimirum etiam Franciſcus, ſimili animo excipere ſolebat paupertatem. Dicat ergò hoc idem, quiſquis paupertate premitur. His accedit mirifica paupertatis cultrix Sanct. Eliſabetha, Regis filia & Thuringiæ Principis conjux, quæ defuncto marito, expulſa per ſummam injuriam è caſtro ſuo, deſcendit velut olim David regno pulſus in ſubjectum caſtro oppidum, omni ſuorum ope deſtituta cum paucis pediſſequis, incerta quo diverteret, ibiq; in caupona manſit ea nocte, donec ſignum daretur ad preces matutinas religioſorum Sancti Franciſci, ad quorum ædem ſe mox conferens, rogavit Chori præſides, ut vellent hymnum *Te Deum laudamus*, ſuo nomine canere, quod data ſibi eſſet occaſio aliquem paupertatis guſtũ cum Chriſto experiri, tantum abeſt ut indignatione mota, ſuis perſecutoribus male precaretur. Poſteà cum Marpurgi ultima inopia affictaretur, leguminibus tantum & olusculis victitaret, & lana facienda ſibi victum pararet, evocata ab Andrea patre, Hungarorum Rege, per legatum ad paternas ædes, renuit, & gratiis parenti actis, decretum ſibi reſpondit, ſpe melioris & æterni Regis recipiendi, cœptam vivendi rationem pergere, viam ſibi cœli Imperatorem præiviſſe, hanc ſequi, nec ab ea, quoad viveret, receſſuram, Matth. Raderus in Bau. ſ. p. 1.

C. II. *Ad omnem contemptum.* Secundò. Ad contemptum & ignominiam. Ita monet Apoſtolus 2. Cor. 6. dicens: *In omnibus exhibeamus nos ſicut DEI miniſtros, &c. per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam; ut ſeductores & veraces, &c.* Prævivit ad hoc & Chriſtus qui omnia contumeliarum genera à Iudæis ſibi illata ſilens patientisſimo animo excepit, velut cum Barrabæ comparatus & poſthabitus fuit, cum per urbem hinc inde tractus. & de tribunali ad tribunal raptus, cum latronibus aſſociatus & medius eorum crucifixus fuit, cum in cruce innumeras contumelias, probra, blaſphemias etiam à latronum uno audiens disſimulavit, &c. ut Pſalm. 37. dicitur: *factus eſt velut ſurdus & mutus.* Prævivit etiam ſanctisſima ejus mater, cum ob uterum Ioſepho ſuſpecta fuit reddita: perſtitit enim in ſilentio illamque de ſe opinionem eo uſque perferre ſtatuit, donec Deo placeret ſponſum informare. Hos ſecutus inprimis eſt Sanctus Emeramus Epiſcopus Ratiſponenſis, qui de gravisſimo ſtupri crimine falsò delatus, pertulit cum ſilentio acerbisſimum ſupplicium, quo membris omnibus articulatim præciſis, inſtar trunci relictus eſt. Surius in ejus vita. Qui & alteram nobis exhibet hujus viæ ſectatricem Sanct. Eliſabetham ſuperius laudatam. Hæc enim dum

cum castro suo, ut dictum, expulsa nescio quam oppidi viam alto cœno oblitam esset ingressa, occurrit illi anus, quam felix olim infelicem stipe aluerat, ægram medicamentis foverat, aliisque beneficiis affecerat: hæc vipera Elisabethæ non modo via non decessit, sed impulsam in medium lutum abjecit, ut omnem corporis cultum fœdissimè inquinaret, ipsaque se vestemque in flumine abluere cogeretur; nec interim tamen adversus lamiam indignata, risu etiam suam fortunam (supra quam fuerat) prosequebatur. Eadem cum à Thuringiæ proceribus ob spretum post viduitatem conjugium & omnem sæculi fastum, contemptui haberetur, fanatica & insana dictaretur, nec alloquio digna haberetur: magis sibi in his placuit, quam si exquisitissimis ceræmoniis coleretur. Quando igitur cernimus præisse nobis in hac oblatione Christum, Deiparam, Episcopum, Reginam, quid nos homunciones tergiversari volumus? Nunquid Christo meliores sumus, qui post resurrectionem glorioso vestitus corpore passus est se tangi etiam à mulieribus? (Quod enim dixit Magdalenæ: *Noli me tangere*; eo sensu dixit, secundum Barradium, & alios: Noli nunc immorari in me tangendo, festina potius nuntiare fratribus meis meam resurrectionem; erit postea tempus sæpius tangendi, nondum enim ascendi ad cœlum, nondum à vobis recessi.) At nos terræ gigantuli, qui non veste gloriæ sed ignominiæ potius & mille miseriarum obsordescimus, cum vel modico verbo carpimur, illico clamamus: *Noli me tangere.*

D. III. *Ad omnem morbum.*

Tertiò. Ad morbum quemcunque seu gravem, seu levem, seu diuturnum, seu brevem. Cogitare enim debemus, morbum esse flagellum, quo vel punimur ob peccata, vel excutimur & separamur à paleis veluti frumentum. Lupus Trecasinæ urbis Episcopus, Attila civitatem obsidente, interrogavit, quis hic esset, qui sic in se arma lacesseret? Ubi accepit, Attilam flagellum Dei, ingemiscens ait: *Et ego Lupus vastator gregis Dei, dignus flagello ejus.* Portas igitur ei reserari jussit, & Attilam per urbem eduxit, nihil prorsus in ea hostiliter molientem. Itaque à flagello liber fuit, qui se dignum flagello confessus est, Sur. tom. 4. Flagellum Dei, morbus est, undecunque proveniat. Ita enim plaga Hæmorrhoissæ in Græco textu vocatur flagellum, quasi ob peccata sua plagam à Deo acceperit, Matth. 9. Et Genes. 12. cum dicitur Deus flagellasse Pharaonem plagis maximis: Philo & Pererius censent id flagellum fuisse morbos & dolores gravissimos. Quando ergo hujusmodi Attila & flagellum Dei obsidet Domum, seu corpus nostrum: cogitemus nos esse Lupos dignos hoc flagello; itaque reseremus ei portas, admittamus hostem à Deo nobis missum; & quamdiu is nobiscum moratur, honorifice comitemur. Ita enim fiet, ut nihil nobis mali inferat, sed potius mala nostra auferat. Ita dixit Abacuc cap. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat* (q. d. putrescant ossa mea, & caro mea pus vomat scateatque vermibus, uti caro S. Iob.) Et quæ tam diræ imprecationis causa? *Ut requiescam*, inquit, *in die tribulationis: ut ascendam ad populum accinctum nostrum*, id est, ad electorum cuneum in die judicii, quando accincti erunt ad peregrinandum in cœlum, vel accincti gladiis ancipitibus *ad faciendam vindictam in nationibus*, Ps. 149.

E. IV. *Ad quamvis mortem.*

Quartò. Ad quamcunque mortem ita ut nec optemus diu vivere, neque cito mori: nec hoc vel illo mortis genere: Sed sicut Deo visum fuerit. Sicut enim *statutum omnibus hominibus semel mori:* (ad Hebr. 9.) ita etiam tempus & genus mortis. Frustra ergo & damno nostro obnitimur, cum hinc evocamur. Stat voluntas divina, & decretum mortis nostræ velut rupes immobilis. Ut ergo is qui Cymbam ad rupem alligavit, si funem identidem trahat & rupem ad se trahere conetur, frustra fatigabitur & ab omnibus ridebitur: ita etiam nos qui ad rupem divinæ voluntatis nexi sumus, si trahendo & reluctando, eam nobis obsequi velimus. Moriendum nobis scimus & mori aliquando volumus, sed plerique nondum. Unus cupit prius educare & nuptui tradere liberos suos: alius prius absolvere opus, quod incepit: alius desiderat prius videre Turcam devictum, vel hæresin extirpatam: alius aliud in desiderio habet, & cum mors pulsat, ante tempus adesse existimat importunum exactorem. Stulti, tunc moriendi tempus est quando Deo visum, mortis & vitæ Domino. Videte Senem illum Simeonem, qui cum responsum à Deo accepisset moriendum sibi esse, ubi Christum aspexisset: Christo infante viso statim se ad mortem offert: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*, Luc. 2. Poterat sane optare vitæ prorogationem, donec videret Christum etiam mira patrantem, concionantem, patientem, resurgentem, ad Cœlos ascendentem, (hoc enim videre cupiebant multi Reges & Prophetæ) sed quia Deo aliter visum esse sciebat, ideo: *Nunc dimittis*, inquit. Utinam hoc canticum omnnes addisceremus. Optime sane id norat inter alios Moyses, qui audiens in deserto Dei decretum: *Ascende in montem istum Abarim, & vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, & morere in monte*, Deut. 32. nihil tergiversatus est, non petiit à Deo, saltem eousque sibi vitam protrahi, donec etiam ipse videret terram promissam lacte & melle manantem: sed eodem die ascendit in montem & mortuus est, *sanus & vegetus*, Deut. 34. Econtra Elias vitæ tædio affectus ob gravissimam Iezabelis persecutionem petivit à Deo mortem: *sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Sed cum audiret Angelum sibi ad hæc dicentem: *Surge comede, grandis enim tibi restat via.* Cessit mox voto suo

& perrexit quò vocabatur, 3. Reg. 19. Similiter S. Martinus & vivere & mori paratus: *Domine*, inquit, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.*

F. V. *Ad mortem etiam charissimorum.*

Quintò. Ad mortem charissimorum æquo animo ferendam. Exemplum habemus primo in Davide, qui dum filium infantem ægrotare cerneret, deprecatus est pro eo Dominum, jejunavit & ingressus seorsum jacuit super terram. At ubi eum extinctum audiit, surrexit de terra, & lavit atque unxit se, induitque vestem genialem, & ingressus est Domum Domini adoraturus Deum, rediitque domum ad sumendum cibum, 2. Reg. 12. Ubi enim intellexit Deo sic placuisse, ut moreretur filius, ejus voluntati sese conformavit, & hilarem se exhibuit, nec amplius cum eo certandum esse jejuniis ac precibus existimavit; sed in eo lætandum quod Deus in suum ac filioli caput decrevisset. Secundo in S. Luca & aliis quibusdam de Cæsarea fidelibus, qui audientes ex Propheta Agabo, alligandum Ierosolymis Paulum & tradendum gentibus, si eo proficisceretur; rogabant eum, ne ascenderet Ierosolymam; sed cum ei hoc persuadere non possent, videntes in Paulo desiderium ardens patiendi & moriendi, quieverunt dicentes: *Domini voluntas fiat*, Act. 21. Ecce hi tenerrimè diligebant Paulum, eumque sibi diu superstitem esse summis optabant votis; ubi tamē intellexerunt Paulum à Deo aliò vocari, acquieverunt voluntati divinæ. Hæc enim est vera quies, quæ Dei voluntati acquiescit. Tertio in S. Elisabetha, quæ audiens Ludovicum maritum, qui sacram militiam professus cruceque signatus in Orientem moverat, defunctum in itinere, dicebat: *Mihi ergo*, inquit, *simul cum illo omnia mundi gaudia extincta sunto.* Postea cum defuncti corpus in patriam deferretur, eidem ipsa occurrens hunc in modum precabatur: *Gratias tibi ago Domine; ancillæ tuæ ingens, quod habui, desiderium in aspectu ossium dilecti mei adimplere & afflictam & desolatam animam meam dignatus es misericorditer consolari. Ipsum tibi à semetipso & à me in subsidium terræ tuæ sanctæ oblatum non invideo; licet eum dilexerim ex corde. Tu scis Deus, quod ejus desiderabilem præsentiam, mihi gratissimam, omnibus hujus mundi deliciis & gaudiis anteferrem, si ipsum mihi tua benignitas concessisset. Optaremque omni tempore vitæ meæ in egestate & mendicitate vivere, dummodo ejus frui contubernio de tuo beneplacito licuisset. Nunc verò ipsum & me tuæ voluntatis dispositioni committo. Nec enim, etiamsi possem, eum ad vitam revocare minimo mei capitis capillo, præter tuum beneplacitum vellem.* Rader. Vol. 1. Bax. S. in Elisabetha.

G. VI. *Ad omnem calamitatem.*

Sextò. Ad omnem prorsus calamitatem, qualiscunque illa sit. Lampades ex argento alioque metallo jam fiunt tam artificiose pendulæ, ea compage vertebrarum instructæ, ut quocunque & quomodocunque ferantur, nunquam invertantur: servant enim lumen suum semperque cœlum respiciunt. Tali Lampadi similis est, qui se in omnem Dei nutum, in omnes plagas ab eo sibi vel immissas vel immittendas vertere ita potest, ut nunquam evertatur aut cor à Deo avertat. Talis erat David, qui dicebat, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* Sanè cum exul Absolonem fugeret, incertus an regiæ suæ dignitati restituendus esset, in omnem se fortunam Deo resignavit, inquiens: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me & ostendet mihi eam* (arcam fœderis) *& tabernaculum suum; sin autem dixerit mihi: Non places: præsto sum; faciat quod bonum est coram se*, 2. Reg. 15. Quid est, *non places?* si dixerit Deus: Nolo te regem esse, *præsto sum, faciat quod bonum est.* Si dixerit: Volo te rursum exulem esse & loco tuo filium dominari, qui patris jugulum petat: *præsto sum, faciat quod bonum est.* Si dixerit. Volo te rursum subire speluncas, & mendicato vivere; *præsto sum, faciat quod bonum est.* Si dixerit: Volo te calumniis & lapidibus appeti etiam à tuis subditis; *præsto sum.* Si dixerit: Volo te rursum mulctare in filio, immatura & infami morte plectendo; *præsto sum*, &c. Nimirum placere Deo plus faciebat, quam libertatem, liberos, honorem, opes; regnum, vitam. Celebratur in Ecclesia 26. Octobr. S. Quod-vult-deus Episcopus Carthaginensis, qui una cum clero à Genserico Rege Ariano in navibus fractis absque remigiis & velis impositus, præter spem Neapolim appulit, ibique in exilio positus confessor occubuit. Hoc ego Christianis omnibus cuperem esse nomen & studium unicum: Quod-vult-Deus, cum paupertas premit, cum morbus exercet, cum ignominia urit, cum mors vocat, dicat, unusquisque: *Quod-vult-Deus.* Hoc nomine in medio mari licet fractis navibus, licet absque velis & remis, hoc est, licet fracto & infirmo corpore, licet destituti necessariis vitæ subsidiis, securi & salvi erimus; tandemque procul dubio in Neapolim, id est, novam civitatem illam cœlestem appellemus ibique non ut exules, sed ut cives in patria æternum vivemus.

CONCIO V.

SENES INSTRUUNTUR EXemplo Simeonis.

I. Spernant mundum.
II. Vitent Avaritiam.
III. Consilio aliis & exemplo præluceant.
IV. Pietati liberius vacent.
V. Præparent se ad mortem.
VI. Libenter hinc emigrent.

THE-

THEMA.

Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, Luc. 2.

A. Multa videmus lumina hoc die in Ecclesia: & penè nullus est qui non lumen aliquod gestet, vel gestare saltem deberet suis manibus. Quod si in hodiern. Evangelium conjicere velimus oculos, multa etiam ibi lumina cernemus, toto orbe rutilantia, & merito ab omnibus sedulò contemplanda. Maximum ibi lumen, Christus, inprimis cernitur, *qui lumen ad revelationem gentium* dicitur à Simeone: Lumen inquam omnium hominum, cujuscunque status sint, ad instructionem & imitationem propositum. Deinde Virgo Maria lumen apparet Virginum. Adhæc S. Ioseph sponsus Virginis lumen conjugatorum. Rursum S. Simeon lumen senectutis. Postremo subjicit S. Lucas eadem hora supervenisse S. Annam viduam; Et hæc est lumen viduarum. Nemo igitur est qui non habeat aliquod lumen in hodierno Evangelio statui suo conveniens, quo illustrari queat & accendi ad virtutem; Iuvenes, senes, viri, mulieres, conjugati; Virgines, viduæ. Quoniam igitur ex regula Christi, *nemo lumen accendit & sub modio ponit; sed supra candelabrũ ut qui ingrediuntur lumẽ videant:* idcircò in præsens unum ex illis luminibus seligendum existimavi, Simeonem videl. Senem, & ad exemplum senum supra candelabrum ponendum. Quanquam hoc non senes tantum sed juvenes contemplari debent, quia omnes cupiunt ad senectutem pervenire: colligant ergò in æstate juventutis doctrinam salutarem, qua vivere queant in hyeme senectutis.

B. I. *Spernant mundum.* Primò. Mundum ejusque pompam, opes, gaudia & illecebras contemnant. Docet hoc Simeon, quem nihil in mundo retinebat, nisi desiderium videndi Christum, quo viso statim dissolvi & extingui petiit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine*, q. d. hoc unum ego quæsivi ac desideravi, ut oculis te viderem: præter hoc nihil in mundo erat, quod amarem & quærerem. Itaque sicut qui accensa lucerna quærit rem amissam, eaque inventa lumen extinguit: Ita Simeon, postquam invenit, quem quæsivit, statim extingui petiit, quia nihil aliud in mundo petiit. Similem etiam senem reperimus l. 2. Regum c. 19. Bercellai Galaaditem, qui cum Regi Davidi Absalonem fugienti multum benefecisset, & propterea ab ipso in regnum restituto, vocaretur in aulam regiam, respondit Regi: *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum Rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave & amarum? aut delectare potest servum tuum cibus aut potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? &c. Sed obsecro ut revertatur servus tuus, & moriar in civitate mea, &c.* Et quid mirum si spernant senes mundum, à quo se spretos vident? An non mundus senes ridet, negligit, aversatur, fugit insuper & spoliare desiderat, & mortem eorum optat? Hinc certè Eccles. c. 25. ait: *Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum & insensatum.* Ratio est, quia isti ut tales sint, causam nullam habent. Pauper occasionem superbiendi non habet, sicut habet dives, neque mentiendi, sicut habet pauper, verbi gratia, artifex, vel alius qui labore manuum suarum vivit: Similiter etiam senex dandi se luxui & voluptatibus, quia senex nec idonei sunt nec natura proni ad has prosequendas, insuper à mundo ipso negliguntur, ridentur & spernuntur, præsertim quando ipsi placere cupiunt. Rectè igitur tales fatui & insensati vocantur. Quanto rectius itaque imitarentur S. Franciscum, qui cum à patre præsentaretur Episcopo, & cogeretur paternæ hæreditati cedere, rejectis etiam vestibus omnia concessit patri, dicens, sibi imposterum majorem fore occasionem dicendi: *Pater noster qui es in cœlis?* In hunc modum, inquam, agere cum mundo senes deberent, quia enim vident eum insidiari bonis suis, & auferri sibi indies magis quæcunque mundo amabilia sunt: deberent hoc ipso mundum quoque penitus aspernari, & jubere, ut res suas sibi habeat: ad Deum verò & vitam alteram se convertere, & cum Simeone Christum solum in ulnas suas accipere, cum eo se recreare, in eo consolationem suam quærere.

C. II. *Vident avaritiam.* Secundò. Maximè verò inter alias mundi illecebras ab avaritia sibi caveant, de qua S. Hieronymus in serm. quodam ait: *Cum cætera vitia senescente homine senescant, sola avaritia juvenescit.* Ergò sicut S. Simeon animum gerebat ab omni effectu terreno liberum, & cœlum tantum ac Christum cogitabat: Sic faciant & senes. Talis omnino fuit David, qui Psalm. 72. dixit: *Quid mihi est in Cœlo, & à te* (id est, præter te Deum) *quid volui in terra?* redditq; mox rationem: *Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*, q. d. Ad quid mihi multæ opes, regna, &c. quando ego jam senesco & deficio? solus mihi Deus hæreditas mea erit. Refert Stobæus serm. 112. de quodam, qui cum jam senex & annos plusquam 70. natus thesaurum fortè reperisset, sublato crure ipsum transcendit & præterivit, ut qui non amplius usui sibi futurus esset. Discant hic Christiani. Sed Ciceronem etiam audiamus. Hic in Catone Majore ait: *Avaritia senilis, quid sibi velit, non intelligo; potest enim quidquam esse absurdius, quàm quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?* Similiter etiam Seneca de moribus, *monstro similem*, ait, *avaritiam senilem, quæ via deficiente viaticum adauget.* Fuit Romæ nostro tempore Episcopus jam incanus, qui (ut ibidem vir gravis mihi narravit) cum opulentiorem Episcopatum sibi oblatum cum priore vellet commutare; amicus quidam illius sic eum affatus est: *Mane nobiscum Domine,*

mine, quoniam advesperascit. Quo verbo bonus senex videns se admonitum inclinantis ad mortem senectutis, statim acquievit, & loco suo perstitit. Utinam & omnes senes hæc verba secum perpenderent: fieret absque dubio, ut & ipsi finem imponerent suis desideriis & hujusmodi cupiditatibus. Hinc Orosius libro 3. capite ult. refert rem fœdissimi spectaculi fuisse cum duo Reges Lysimachus annos natus 84. & Seleucus annorum 77. de eripiendis alterutrum regnis concurrerunt, quippe cum orbem terrarum jam soli possiderent, nec tamen angustissimos vitæ suæ terminos cogitantes, angustiores regni sui terminos arbitrarentur.

D. III. *Consilio aliis & exemplo præluceant.*

Tertiò. Consilio & bono exemplo aliis præluceant ac prosint communitati. Sic enim & Simeon expectabat consolationem Israel, quæ erat redemptio ab hostibus Tartareis per Messiam facienda. Non ergò suam tantum, sed totius populi sui liberationem votis omnibus optabat, Deumque pro ejus acceleratione rogabat: Eodem modo senes promovere debent bonum communitatis, quomodo & Apostolus, qui dixit 1. Corinth. 10. *per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Omnia reipublicæ membra, quasi lapides esse debent unius ædificii, connexi & mutuò se retinentes: sed senes quasi columnæ sint, quibus fornix & innumeri lapides innitantur; hoc est, bonum commune promoveant: quod nisi fiat, brevi tota moles corruet; maxima enim pars quærit tantum quæ sua sunt. Item justitiæ & veritati patrocinentur, tanquam columnæ firmissimæ. Unde optime quidam Lucinus nomine, apud Polycratem lib. 4. capite 4. dixisse fertur, quòd senes tanquam medici inter homines conversari debeant, nunc consilia præbendo, nunc tristes consolando, nunc dolentibus compatiendo. Neque parcant etiam, cum opus est, correptioni, siquidem medicorum etiam est scindere & urere.

In omnibus verò præbeant se exemplum aliis in gravitate morum, & vitæ inculpabilitate: quemadmodum S. Simeon, qui erat in civitate Ierusalem *justus & timoratus.* Decet hoc venerandam eorum canitiem, de qua S. Chrysostom. super Epist. ad Heb. serm. 7. ait: *Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ canitiem decent: cum vero juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit.* Intellexit hoc Lacon, ille senex, qui rogatus cur barbam gestaret tam prolixam: *Ut*, inquit, *canos meos intuens, nihil committam illis indignum.*

Monet item mortis propinquitas: quæ meritò coercere illos deberet; si quid unquam; ne modestiæ limites transcenderent. Nam ut levioris est culpæ, pueros in ludo insolescere, absente præceptore; sed jamjam ipso imminente & præ foribus existente, nullo ejus metu ab insolentia desistere, argumentum est contemptus & malitiæ: Ita si juvenes insolescant & vitiis se dedant, qui absentem credunt mortem & non nisi à longe vident, culpabiles quidem sunt: sed multò magis senes, qui certo certius norunt, mortem prope esse. Eò pertinent verba Apostoli ad Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus enim propè est.* Notam omnibus hominibus vult modestiam inprimis seniorum, quia si juniores videant contemni à senioribus mortis & judicii certam vicinitatem, multo magis ipsi contemnent longam eorundem absentiam. Accedit quòd quæ juvenes fieri à senibus vident, hæc pulchra & æqua ducunt. Caveant itaque senes ne pusillis scandala præbeant, ne loquantur turpia, vel laudent vitia & peccata coram juvenibus: nisi incidere velint in terribile illud judicium Domini. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, &c.*

E. IV. *Pietati liberius vacent.*

Quartò. Deo & pietati liberius vacent, sicque libent Deo senectutem suam: prout Apostolus 2. Timoth. 4. ait: *Ego enim jam delibor*, oratione & contemplatione spiritum pascendo, templa frequentando, &c. Discunt hoc à Simeone, qui *in spiritu venit in templum*, hoc est, Spiritus sancti impulsu, qui in ipso habitans, velut Doctor ac Ductor monebat, & instigabat eum ad quærendum in templo Deum. Inde etiam græcè dicitur: εὐλαβὴς, id est, religiosus. Hunc spiritum habere senes deberent: quia ut S. Cyprianus ait: *plus omnibus religioni operam dare senibus convenit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit.* Et rursum ibidem: *Quid superest, nisi dum hujus vitæ defectus appropinquat, nil aliud cogitare, quàm quomodo futuræ aditus prosperitatis comprehendatur?* Quis nescit servos domesticos, cum vident dominos à se alienatos, seque ab ipsis brevi dimittendos, mox circumspicere & alios sibi Dominos quærere! Formicas ajunt cum senuerint, alas acquirere, & in eminentem locum evolare, ac deinceps, à laboribus liberam degere vitam, *Vade ergo piger ad formicam*, & disce ultimam vitæ tuæ scenam, quam potes agere optimè. Ferunt etiam oves avidius comedere ad vesperam, cum nox imminet: Ita etiam avidius pascere animas suas oratione & sacramentorum usu debent quo magis inclinatur ætas. *Venit enim nox, quando nemo poterit operari.* S. Chrysostomus in Epist. ad Hebr. cap. 4. hom. 7. ait: *Metæ vicinus non languet, sed cursum intendit: sic quo seniores & cœlo viciniores sumus, eo magis & concitatius currere debemus.* Habent profectò senes cur Deo gratias agant, qui tantum temporis eis concessit ad ferendos bonorum operum fructus, neque repentè eos sustulit è medio; sicut alios quam plurimos, sed tanto gravius inde judicabuntur, si etiam ad extremam usque senectutem steriles fuerint. Si enim ficulnea illa, quæ triennio fructum nullum fecit, jussa est exscindi à Domino, quod terram frustra occuparet, Luc. 13. Quid fiet illis hominibus, qui ad senectam usque steriles fuerunt?

Habent etiam una ex parte senes meliorem commoditatem vacandi rebus divinis, quia à carne & mun-

mũdo non adeo infestantur & perturbãtur, uti juvenes. Unde Senec. in Epist. ait: *Satis multum temporis sparsimus. Incipiamus vasa in senectute colligere: in freto viximus, moriamur in portu.* Etenim, ut S. Chrys. in hom. cũ presbyter esset designatus, ait: *Iuventus pelago furenti similis est, immitibus undis ac malis ventis referto. Canities verò velut in tranquillo portu fovet eorum animos, qui consenuerunt.*

F. V. *Præparent se ad mortem.*

Quintò. Præparent se ad mortem, ut brevi adventantem læti accipere queant. Cogitant illam Domini vocem ad se pertinere: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem,* Ioan. 4. Albi in capillis, incurvati quoque dorso; videant ut spicæ sint, refertæ bonis operibus, quando venerit mors cum falce sua. Hujusmodi præparationem docuit eos Simeon, cum ante obitum suum Christum in ulnas accepit: item cum ante prævidit mortem suam, quam ab ea videretur ut colligitur ex illis verbis: *responsum accepit Simeon, non visurum se mortem, nisi videret Christum*; quod est dicere: visurum eum mortem, sed ubi prius Christum vidisset. Mortem prius vident, qui eam sæpè præcogitantes parati exspectant: contra prius à morte videntur; qui absque prævia cogitatione & præparatione ab ea invaduntur. Itaque si verum est quod scribit Plinius lib. 8. cap. 22. & vulgo creditur, hominem à lupo prius visum, terrefieri, & voce ad præsens destitui: non item, si prior lupum videat: similis est mors lupo. Quoniam igitur norunt senes hunc sibi lupum semper insidiari, curent præmeditari illam & quasi omnibus momentis occursuram expectare: sic enim nihil eis nocere poterit, sed erit potius *obstetrix*; (ut loquitur S. Gregor. Nyssenus in orat. de mortuis) educens illos ad meliorem vitam. Dicant itaque cum Philosopho illo Alexi apud Sto. Ser. 15. ægrè præ senio incedente: *paulatim major.* Vel potius cum Apostolo 1. Corinth. 15. *quotidie morior*, hoc est, ita vivo; quasi quotidie moriturus: ita me armis munio, quasi omni die cum hoste conflicturus. Simplex ille accingere solebat gladium contra mensem Martium velut magis periculosum. Vos senes nulli mensi fidite omnes, omni tempore vobis insidiantur. Qui novit insidiari sibi hostem, nunquam sine armis incedit: pari modo senes Spiritualiter se arment tantoque studiosius, quanto periculosior conflictus illis imminet. Arma eorum scribit Apostolus ad Tit. 2. *Senes uti sobrii sint, pudici, prudentes* (id est, providentes) *sani in fide, dilectione, patientia.*) Inprimis cavere sibi à Crapula debent, uti etiam Dominus Luc. 21. *ne fortè superveniat in eos repentina dies illa tanquam laqueus.* Uti verò modicum lumen lampadis, largiore affusione olei facilè extinguitur, sic etiam senecta potu intemperantiore. Deinde crebrò inspiciant ephemerides conscientiæ suæ, & siquid ibi reperiant erroris, deleant: Noverint enim brevi se audituros: *Redde rationẽ villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare,* Luc. 16. proinde si tunc fodere per afflictiones corporales nequeant, si mendicare per orationem ægrè possint: faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, exemplo prudentis villici, nec non Gersonis illius Cancellarii Parisiensis, qui paulò ante obitum mille pauperes duxit ad summum templum B. Virgini sacrum, omnesque jussit post acceptam à se munificam eleemosynam in genua procidere atque hac communi voce aliquoties iterata divinam interpellare misericordiam. *Miserere Domine Deus Gersonis servi tui.* Chau. de Prud. lib. 4. Denique ante omnia Christum in ulnas suas accipiant cum S. Simeone priusquam hinc discedant. Id verò agent, cum non solum in Eucharistia illum suscipient, sed etiam cum amorem ac fiduciam suam omnem in illum convertent.

G. VI. *Libenter hinc emigrent.*

Sextò. Atque ita ad extremum fit ut placidè & lætanter ex hac vita abeant, adeoque cum Simeone mortem non modò non metuant, sed potius cantillent: *Nunc dimittis servum tuum Domine*: Et cum Davide: *paratus sum & non sum turbatus.* Ad quid enim mortem timeant, quæ omnibus bonis Christianis finis est malorum, & initium bonorum! Fabulantur cygnum aliquando interrogatum à ciconia, quamobrem moriens caneret suavius, quàm unquam alias in omni vita sua, cum cætera animalia adeò mortem horreant? Respondit cygnus: *quia post mortem neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam.* Sed leviusculum est hoc. Multo potior causa cantandi est homini seni, justo & timorato. Non enim finis tantum curarum, laborum & miseriarum erit illi mors, sed melioris vitæ initium; Imo Cicero lib. 1. de orat. ait, viros bonos & sapientes quasi cygnos cum laude & voluptate mori. Gaudeat itaque talis Senex quisque ille, quia de certamine vocatur ad coronam, de furenti pelago ad portum, de exilio ad patriam, de terra tendit ad cœlum.

CONCIO VI.

DE PURITATE DOCTRINÆ Catholicæ & sectarum impuritate.

I. Impuritas ethnicismi.
II. Impuritas legis Mahumetanæ.
III. Impuritas morum Judaicorum.
IV. Impuritas dogmatum hæreticorum.
V. Puritas fidei Catholicæ.
VI. Objectioni obviatur.

THEMA.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, Cant. 4.

A. PUrisſimam fuiſſe beatam virginem ante, in, & poſt partum dubitare non licet nobis. Etenim D. Thoma opuſc. 4. teſte, *angelis*; S. Ephremo teſte in orat. de laude virginis, *ſolis radio purior erat*; ita ut purificationis remedio nequaquam indiguerit. De ea enim dictum Cant. 4. *Tota pulchra es, &c.* Simili ratione Eccleſia Catholica & ipſa mater noſtra ac Chriſti ſponſa uſque quaque puriſſima eſt, ut de ea quoque dictum ſit illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, quia nimirum legem habet puriſſimam, & bonis moribus ac rationi conſonantiſſimam: Omnes verò aliæ ſectæ, etſi quædam vera & bona continent, certis tamen maculis & turpitudinibus ſcatent, quas dogmata eorum approbant. Quod ſi oſtendero, ſimul etiam probavero noſtram ſolam veram eſſe religionem. Quis enim ſibi perſuadeat Chriſtum habere velle pro ſponſa meretricem! *Tota pulchra es*, ait ad ſponſam ſuam, *& macula non eſt in te.*

B. I. *Impuritas Ethniciſmi.*

Nam inprimis Ethnici etſi multa rationi congrua placita habuerunt: quàm multa tamen etiam immania, turpia & crudelia? Romani inprimis qui cæteris prudentiores & æquiores habebantur, pluralitatem uxorum & repudia permittebant: patri jus occidendi filium impune dabant: ex lege 12. Tab. in antiquit. Rom. l. 8. cap. 6. Similiter Domino ſervum. Spectacula gladiatorum populo edebant, qui ſe mutuis vulneribus confoderent ad populum recreandum: Uti Trajanus qui ſemel decem millia, teſte Dione in Trajano, produxit in theatrum. Lacedæmonii Lycurgo legiſlatore hoſpites finibus pelli jubebant, pueros & fœminas proſtituebant, & leges nuptiales impunè violabant, apud Textorem in Offic. de legiſlatore. Ægyptii furta permittebant, teſte eodem de legibus Ægypt. Carthaginenſes & alii plurimi proprios filios jugulabant & immolabant. Maſſagetæ ſenes ſuos mactabant honoris gratia & devorabant. Scythæ mortuorum amantiſſimos vivos cum ipſis ſepeliebant. Hircani & Bactri ſenes ſuos canibus objiciebant, ad hoc enutritis. Indi diem fati prævenientes vivos ſe cremabant. Perſæ inceſtis nuptiis matribus miſcebantur; &c. Ut eſt apud Textorem & alios, iidem mentiri licitum volebant: Unde Darius Hyſtaſpis Rex Perſarum dixit: *Ubi mentiri expedit, mendacium dicatur.* Quin & legiſlatorum ſapientiſſimi Plato & Lycurgus turpiſſima multa permittebant. Hic adulteria & flagitia contra naturam, &c. Ille ut fœminæ nudæ in palæſtra exercerentur & poſt expletas libidines partum ſupprimerent: & præterea tales fore beatos ajebat. Ecce quales leges: Nimirum *evanuerunt in cogitationibus ſuis*, ait Apoſtolus ad Romanos cap. 1. *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Et paulo poſt: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.*

C. II.

Secundò, Lex Mahumetis impuriſſima eſt, & mores eorum plurimi bonis contrarii. I. Multitudinem uxorum & libellum repudii permittit, Domini mancipiis ſuis, prout volunt, abutuntur ad libidinem, teſte Ioanne Leone apud Bozium lib. 2. de ſig. Eccleſiæ, cap. 10. quin & ejuſmodi lex lata ab Eubocare Machometis ſucceſſore, licere Domino cuivis, uti ſervis ad quosvis uſus, apud eundem lib. 12. capite 20. Item mulieres paſſim obvias, quas poſſunt, violant in mediis viis, ubi libidinis eos impetus arripuerit; & inde illi ſe diviniſſimos, mulieres verò compreſſæ, conſecratas ſe exiſtimant: apud eundum ib. Adhæc Solenne eſt eorum ſatrapis fratres omnes occidere, quo ſecuriores ipſi imperent & diutius: hocque communi decreto ipſis ſancitum, uti cæteris filiis interemptis, unus regnet ibidem. Celebrantur quidem jejuniis Turcæ & ſobrietate: ſed ea ab ortu tantum uſque ad occaſum durant, ab occaſu verò inſatiabili aviditate totas ferè noctes (ubi ſe non cerni à ſole ſciunt) vorando & bibendo abſumunt, apud eundem l. 11. c. 4. idque liberum eſt cuique. Cum Epicuro item ſummam beatitudinem ponunt in amœnitate hortorum, cibo, potu & luxu. O igitur præclaram gentem, quæ ea tantum, quæ difficilia videbantur, è legibus ſuis expunxit, & iter ad laſciviam omne pandit! Si hæc eſt recta ad cœlum via & vera religio, certè nos omnes inſaniemus: inſaniet ſcriptura, quæ viam iſtam damnat: cœcus erit Deus, qui ſe ita decipi patiatur. Quis enim ſibi perſuadeat, per jugi omnis excuſſionem, per omnis generis diſſolutiones gloriam, honorem, beatitudinem acquiri poſſe? Annon hæc cum ratione & politia pugnant è diametro: Econtra eum, qui hic omnia diverſa ſuſtinet: nihil ſperare præmii debere: quis hæc credat? Chriſtus dicit *Tollite jugum meum ſuper vos*, Matth. 11. Iſti contra: excutite omne jugum, *& invenietis requiem animabus veſtris.*

Impuritas Legis Mahumetanæ.

D. III. *Impuritas morum Iudaicorũ.*

Tertiò. Iudæorum etiam mores olim non carebant maculis: Et hoc tempore perverſiſſimi ſunt. Erat etiam apud illos polygamia, libellus repudii, ex quibus omnis generis incommoditates oriebantur, quæ Chriſto teſte ad duritiem cordis eorum fuere tolerata. Similiter & uſura reſpectu externorum ſeu gentilium; permisſivè tantum, ex Deut. 23. ut D. Thom. 22. q. 78. a. 1. & alii Deinde paulatim pejora introducebant jura, quibus inimicos odiſſe, amicos tantum diligere jubebant: quibus actus interni adulterii & homicidii licitos putabant; quibus perjuria tantum vetabant, non juramenta, quemadmodum exprobrat eis Chriſtus, Matth. 5. Modernorum verò Iudæorum mores perverſos, quibus omnes penè impunè dediti ſunt, quis enumeret? Annon illi uſuras una cum donariis à Chriſtianis exigunt quaſi rem licitiſſimam? An non paſſim merces ſpurias pro bonis, veteres pro novis obtrudunt quanta poſſunt unanimitate? An non furtis & proſtibulis promptum præbent hoſpitium

tium

tium? an non monetas communi suffragio & auxilio adulterant & præscindunt? An non homines alios etiam Christianos ita immundos reputant, ut nec cibos ab eis coctos gustent, nec cultris eorum ad scindendum aut poculis ad bibendum nisi ter aut quater lota sint, utantur? An non Christianos fortè ad se adventantes ita salutant: Seth Wilkom, Seth, pro diabolo, quem significat usurpando? Testatur hæc Majol. tit. 3. canic. dier. col. 1. An hæc omnia bonis moribus concordent, judicare quis nesciat? An non in perniciem totius humanæ societatis, legum omnium tam civilium, quàm Ecclesiasticarum tendunt?

Impuritas Legis Mahumetanæ.

E. IV. *Impuritas dogmatũ hæreticorum.*

Quarto. Hæreticorum dogmata (de modernis loquemur, nam antiquæ suopte interitu convictæ sunt) quàm bonis moribus & rationi conveniat, patet. Lutherus enim in lib. de vita conjug. Conjugum fidem effringit & dat licentiam vocandi ancillam, si nolit uxor. Item uni plures simul uxores habendi in proposit. de bigam. editis anno 1528. propos. 65. 66. 62. Item non minus necessarium esse viro carnis negotium, ac spuere, excreare, mingere: in lib. de vita conjug. Item licere occultè misceri uxori cum leviro, etiam vivente marito, ex quo filios non habeat: ut è leviro suscipiat: atque ita maritum decipere. Idem vota Regularium effregit & irrita ac solvenda esse voluit, lib. de votis monast. Imo non licere virginitatem servare. Homines omnes pares ob Christianam libertatem; & neminem alteri subjectum esse. Opera bona rejiciunt, & non modo non necessaria ad salutem esse asserunt, verum etiam noxia & prohibita volunt, Luth. de servo arbitrio & de captivit. Babyl. Calvin. Inst. libro 3. capite 17. Item non esse necessariam remissionem peccatorum: Christianum etiamsi velit, salutem perdere non posse, quantuscunque peccator sit, dummodò credat se in via salutis esse: Vitare peccata obesse Christiano: quærendam potius bonorum quam malorum operum remissionem: ac quo liberior in cœlum aditus sit, oportere in scelerum & flagitiorum sordibus volutari, &c. Hinc jejuniorum, Festorum, Sanctorum, bonorumque operum abrogatio. Denique eo usque dementiæ pervenerunt, ut dicerent Deum malorum omnium autorem, & proditionem Iudæ æquè opus Dei esse ac vocationem Pauli: Deum solum esse verè peccatorem &c. Quid dicemus ad hæc? Annon Sanct. Hilarius si adesset, in verba illa sibi consueta prorumperet: *O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt!* Quid S. Polycarp. vir ille Apostolicus? annon pro more suo diceret: *O bone Deus, in quæ me tempora reservasti, ut hæc audirem!* Clamat Sapiens c. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Clamat S. Paulus ad Rom. 9. *nunquid iniquitas apud Deum? Absit: alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Nam quomodo puniet Deus scelera, quæ perpetrare jussit, imo ipsemet perpetravit, secundum istos? Clamat Ecclesiasticus

Videri potest dogma tum hæreticorum.

cap. 15. *Non dicas: ille (Deus) me implanavit,* id est, tortuosum, iniquum & malum fecit; quia, ut paulo post subdit: *Nemini mandavit impie agere.* Quis non videt per hæc dogmata aperiri januam omnibus sceleribus? si enim bona opera nihil prosunt, imo obsunt: si fidem Deo datam frangere licet: si remissio peccatorum nulla est, si salutem perdere nemo potest fidem habens, quantuscunque peccator; si peccata vitari nequeunt: si Deus peccatorum autor, instigator & patrator est; quid superest, nisi ut mundus totus flagitiis impleatur? ut justitia, ut politia, ut societates juraque omnia humana & divina sursum deorsum vertantur? Hæc ipsi jam præ oculis vident inter se fieri. Clamant castitatem esse impossibilem & frena fornicationibus laxant: homines omnes pares esse ob Christianam libertatem: hominem liberi arbitrii non esse; sed à Deo instigari & cogi ad peccandum: quid igitur superest nisi ut fornicationes & adulteria sequantur, obedientia & justitia corruat, & omnes temere nulloque metu effusissime peccent?

F. V. *Puritas fidei Catholicæ.*

Iam verò Catholicam religionem quo ad omnia dogmata purissimam esse & rationi ac bonis moribus convenientissimam facilè quivis cernere potest. Legantur scripturæ divinæ, quas incorruptas semper habuit habetque, rogantur Canones, Concilia, Patres, regulæ Ordinum, constitutiones Episcoporum, vitæ SS. Patrum. Et proferat quis vel momentum rationi, legi aut bonis moribus contrarium. Videbit sane Deum in omnibus honorificari, ut finem ultimum, & gloriam ejus quæri: vinculum Charitatis solidari inter fideles: Iustitiam servari, suum cuique tribui, nemini injuriam fieri, misericordiam inculcari, concilia vitæ perfectissimæ suaderi, mandata injungi, Dei cultum & orationem urgeri, virtutes laudari, vitia reprehendi. Cuius rei testes sunt tot viri sancti in omnibus statibus, regulis, institutis, qui mediante hac doctrina ad summum apicem virtutum & sanctitatem pervenere & pervenerunt in hodiernum; ut à nemine culpari possint: & dicere secure ac cum triumpho palam possimus de nostra Ecclesia: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Sunt quidem in nostra doctrina multa difficilia mysteria, quæ humanus intellectus assequi non potest: sed ea tamen talia sunt omnia, quæ cum naturali ratione minimè pugnant, multo minus contradictionem involvunt: ideodoque credenda voluit Dominus, non scienda. Quot mirabilia cernimus ante oculos, quæ intellectu comprehendere minime possumus? Nosti qualiter oculus tuus imagines rerum accipiat? quomodo phantasiæ tradat? quomodo per hanc intellectui? quomodo memoriæ? quomodo ibi asserventur species? quomodo pereant? quomodo recedant cum earum iterum recordaris? quomodo somnies & unde? Quod si hæc tam familiaria non capimus, quid mirum si supernaturalia non penetramus?

Sunt præterea, fatemur & hoc multa inter Catholicos vitia & flagitia omnis generis; ficut & in aliis fectis. Sed eane approbantur five per eorum doctrinam, five per fuperiorum tacitam vel expreffam autoritatem publicam? An non omnia taxantur in libris, concionibus, apud Magiftratum, à Parentibus: &c. annon ipfi ea nos perpetuo reprehendimus & corrigimus ac cenfuris aliifque pœnis mulctamus? unde igitur probabit aliquis, ea vitia fluere ex doctrina noftra? an non è diametro cum doctrina noftra pugnant? an non Ecclefia ea deplorat femper? Si ergò hæreticis mali noftri mores difplicent, cur non placent præcepta & placita, quæ eos prohibent & caftigant? Aliud eft fi dicas: Magiftratus in his nundinis, injuftas ulnas & menfuras mercatoribus diftribuit utendas: Et aliud: Mercatores jufta fibi data ulna, injuftè & deceptoriè ufi funt. Hoc non vituperat Magiftratum & ulnam: vituperat tantum mercatores aliquos, qui fraude ufi funt. Sed illud vituperat Magiftratum & ulnam. Similiter fi Canones & doctrina noftra mala vel turpia effent, haberent, quod nobis objicerent hæretici, vel exurerent Canones. Nunc autem non item. Sed nimirum ipfi mores noftros taxant, & interim etiam præcepta & Canones, qui eos prohibent, exterminant & explodunt, quæ eft hæc infania? Hac enim ratione Lutherus pravos Ecclefiafticorum mores pleno ore maxima contentione calumniabatur & arguebat: & interim SS. Canones PP. qui eofdem prohibent, proximè exurebat. Nimirum de iftis dictum videtur id Efa. 6. *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude ne forte videat oculis fuis, & auribus fuis audiat, & corde fuo intelligat, & convertatur & fanem eum.*

G. VI. *Objectioni obviatur.* Nos igitur Auditores gratulemur nobis de matre noftra ejufque puritate; & quam ipfa præ fe fert doctrinæ puritate, eam & nos filii in moribus oftendamus. Sed ut ita duo illa Symbola fummi Sacerdotis, *Urim* fcilicet *& Thummim*, id eft, doctrinam & veritatem, feu ut alii vertunt, *illuminationem & integritatem*, in pectore geramus, Exod. 28. illuminationem quoad doctrinam, integritatem quoad mores.

CONCIO VII.

DE CEREORUM SIGNIFICATIS.

I. Repræfentat Chriftum.

1. Ejus æternam generationem. 2. Et temporalem generationem. 3. Vitam & pafsionem.

II. Repræfentat B. V. Mariam.

III. Repræfentat quemvis fidelium.

1. Vitam ejus naturalem. 2. Vitam gratiæ 3. vitam gloriæ.

THEMA.

Parafti ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium, Luc. 2.

CAtholica Ecclefia, quia non omnibus per literas repræfentare myfteria fidei & hiftoriam Chrifti poteft, rudioribus per imagines quafdam proponit & infinuat, quo nimirum & ipfi modo aliquo, quæ geruntur in Ecclefia, intelligere pofsint. Sic inter cætera depingit hodiernum feftum per cereum ardentem, quem in templo benedicit & in manus fidelium dat, ut eo tanquam Enchiridio faltem rudi ad cognitionem eorum, quæ hodie commemorantur, inducantur. Quare ut omnibus pateat, quid fibi velint hodierni cerei; Id nunc exponendum reftat.

B. I. *Repræfentat Chriftum.* Primò. Cereus benedictus repræfentat nobis Chriftum, hodie in templo præfentatum, pro qua re facit, quod feftum hoc purificationis in vicem ludorum Cerealium, gentilibus Romanis ufitatorum, inftitutum effe fcribit Guil. Durandus in orat. lib. 7. c. 7. Fingebant illi à Februo feu Orco, qui & Pluto inferorum Deus habitus, raptam aliquando Proferpinam, Cereris filiam. Mater itaque quò perditam recuperatet filiam, plurimis accenfis facibus eam requirebat per montes & deferta. Ita autor antiquitat. Rom. lib. 2. c. 11. Quid verò Proferpina illa ab Orco rapta, nifi natura humana à Tartareo Plutone rapta perditaque? Sed non deferuit filiam fuam Ceres, id eft: providentia Divina; quin accenfa per incarnationem lampade, Chrifto videlicet, eamque undiq; per avia inviaq; requireret. Unde apud Ieremiam cap. 3. clamat: *Ufq; quo deliciis diffolveris filia vaga?* Idipfum teftatur hodie Simeon dicens: *Parafti ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium:* Et Luc. 19. ipfemet Dominus: *venit filius hominis quærere & falvum facere, quod perierat.* Adhæc recordamini illius mulieris Luc. 15. quæ drachmâ fuâ perditâ, accendit lucernam & everrit totam domum, quoufque inveniret eam. Mulier illa, Dei providentia eft, quæ accendit lucernam, Chriftum fcilicet incarnatum, nam ut S. Gregor. hom. 34. in Evangelium ait: *Lucerna lumen in tefta eft, lumen verò in tefta eft Divinitas in carne.* Hac igitur lucerna, hac facula quæfitus undique & undique homo eft: ideo tot ubique lumina & fplendores in Evangelio. Paftores circumfulfit lux magna, Luc. 2. Magos ftella duxit ad præfepium, Matth. 2. In transfiguratione *refplenduit facies* Chrifti *ficut fol*, Matth. 17. Quin & in hodierna Chrifti præfentatione apparuiffe B. Virginem divino lumine circumfufam in templo fentit Timotheus presbyter Ierofolymitanus in oratione de Simeone. Tandē ipfe de fe dicit: *Quamdiu fum in mūdo lux*

lux sum mundi, Ioan.cap.9. Quoniam igitur hodie lumen Beata Virgo brachiis suis in templum gestavit, gestamus etiam nos idipsum hodie externo cereorum typo ad publicam lætitiam indicandam. Cæterum aptissima est cerei cum Christo comparatio triplici ratione. Nam inprimis æternam Christi, qua Dei filius est, generationem modo aliquo repræsentat; Etenim D.Basilius lib.2.contra Eunominum ait: *Oportet divinam de Deo generationem intelligere impassibilem, impertibilem, indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis à luce radii.* Itaque uti radius à luce, seu lumen à corpore luminoso producitur in aëre, seu Diaphano sine omni, sive lucis, sive aëris corruptione: Ita filius Dei, qui ad Hebræos, 1. *Splendor gloriæ & figura Substantiæ Dei* vocatur, gignitur à patre absque ulla corruptionis labe. Deinde uti splendor luci est coævus, soli verbi gratia, & si sol ab æterno fuisset, ab æterno illuminasset: Ita etiam filius patri coæternus est. Denique uti non minuitur lux, quando producit lumen in medio; & cum cereus à cereo accenditur, nihil hic deperdit, sed manet tantus, quantus erat, prius quam alteri communicaretur: Pariter & filius, qui in symbolo Nicæno lumen de lumine appellatur, ita suam totam à patre recipit naturam, ut interim nihil ei demat. Cujus rei alterum simile affert S. Basilius loco supra citato de artis communicatione: *Nam tota*, inquit, *ex docentibus in discipulos immissa: Cum nihil desit docentibus: perfectio adsit iis qui didicerunt.*

1. *Ejus æternam generationem.*

B. I. *Repræsentat Christum.*

Secundò. Cereus temporalem etiam Christi nativitatem repræsentat; nam uti in cereo tria sunt, quæ candelam unam constituunt, lumen, cerea, stupa seu linum: ita & in Christo tres diversæ substantiæ unam constituunt Christi personam, divinitas, caro, anima. Lumen seu ignis Divinitatem notat, juxta id Deut.4. *Deus tuus ignis consumens est.* Quia ut elementum ignis superat omnia elementa claritate, subtilitate, levitate, activitate, situ seu altitudine: Sic Deus omnia creata. Cera carnem Christi denotat; ut enim cera ab apibus ex purissimo succo, quem ex odoriferis hausere floribus, sine ulla earum contaminatione aut noxa conficitur: ita caro Christi opera Spiritus sancti ex purissimo Deiparæ sanguine sine illius labe coagulata est. Linum denique cera tectum, animæ Christi typus est. Linum illud cum flammam concipit, ea totum ignitur, non ita cera: Sic & anima Christi ex prima sui cum Divinitate unione, beata & beatitudinis dotibus ornata fuit: non tamen corpus Christi, nisi post resurrectionem.

2. *Et temporalem generationem.*

Tertiò. Cereus Christi vitam & passionem indicat. Vitam quidem, quia sicut cereus illuminat, calefacit, purgat, accendit, consumit & in se convertit res alias, continuò ardet & splendet: Ita Christus cœcos & rudes illuminavit, infirmos fovit, leprosos mundavit, frigidos in charitate accendit, amorem mundi absumpsit, & in amorem se convertit, diu tandem noctuque nostri se causa fatigavit, denique fama sanctitatis, & miraculorum undique splenduit. Passionem verò, quia non tantum lucebat, uti Sol aut carbunculus, qui splendendo nihil patiuntur detrimenti, sed ardebat etiam & ardendo consumebatur, dum zelando pro gloria Dei & salute animarum, interim per vigilias, fatigationes, sitim, famem &c. & tandem in cruce per mortem prorsus consumptus est. Propterea discipuli accommodant Christo prophetiam illam Ps.68. *Zelus domus tuæ comedit me*, Ioan.2. (Symmachus legit, *consumpsit me*) ut enim ab igne cera paulatim exeditur & in naturam ignis convertitur: ita & vita Christi à Zelo, (qui à charitate procedit sicut ardor ab igne,) Præterea uti flamma denigrat candelæ stupam quantumvis candidam: ita Zelus Christi non solum absumpsit ejus carnem, sed præterea etiam vulneravit & quodammodo fœdavit animæ ejus partem inferiorem, dum omni gaudio (quod erat in parte animæ superiore) etiam destituit in cruce: quod illis verbis testatur Dominus: *Deus meus, Deus meus, ut quid reliquisti me?*

3. *Vitam & passionem.*

Secundò, Cereus benedictus Beat. Virginem nobis repræsentat. Erat alia gentilium Romanorum festivitas quædam, hoc ipso mense Februario, cum facibus accensis peragi solita, in memoriam Lupæ, (quæ Romulum lactaverat urbis conditorem & Faustuli Pastoris uxor erat) grati animi ergò. Ut habet Auctor antiq.Rom.l.4.cap.6. Alii volunt idem festum in honorem Iunonis, quæ idcirco Februata vocabatur, celebratum esse: Iuno autem Mater Martis erat, quem ex se sola solo contactu & olfactu florum concepisse ferebatur, ut refert idem Auctor lib. 2. c.10. Quidquid hac de re sit, rectè Ecclesia hoc festum sive à Lupa sive à Iunone abstulit velut iniquis possessoribus, & ad Mariam Virginem transtulit. Ipsa enim est, quæ Christum Ecclesiæ conditorem lactavit ubere de cœlo pleno, quæque eundem velut Martem nostrum, Inferni Domitorem & orbis, se sola Spiritus S. odore tantum afflata, genuit. Meritò igitur ad honorem ejus cereos ardentes hodie gestamus, ob triplicem ejus puritatem. Sicque protestamur eam purificatione legali minimè indiguisse. Primò. Quia pura erat à sordibus puerperii seu Secundinis, quas patiuntur aliæ mulieres in puerperio. Sic enim volunt plusquam ducenti patres in Trullana Synodo, & alii. Quemadmodum ergo ignis sine ullis sordibus purissimum ex se effundit radium; ita B. Virgo Christum genuit. Secundo, quia nulla unquam peccati labe inquinata, ex sententia omnium SS.Patrum. Unde recte per lumen repræsentatur & ignem, qui nihil impuri patitur, sed omnia purificat. Tertiò, quia corpore incorrupta & virgo ante, in & post partum. Typus enim castitatis cera est, quia opus apum, quæ commixtione non maculantur, sed virginali opere ceram conficiunt, quin etiam *mortuis ne floribus quidem, non modo corporibus insidunt*, ait Plinius lib.11.cap.8. Simili ratione in utero B. Virginis velut in alveari Spiri-

C. II. *Repræsentat B.V. Mariam.*

Spiritus ſanctus inſtar apis caſtiſſimæ confecit ceram & mel, id eſt, cum virginitate fœcunditatem, ſine ulla corruptionis macula. Propterea igitur hodie faciem ardentem manibus præferimus, ut Deiparæ puritatem publicè proteſtemur, & contra omnes ejus hoſtes toti mundo oſtentemus.

D. III. *Repræſentat quemvis fidelem.* *1. Vitam ejus naturalem.*

Tertiò. Cereus benedictus fidelem quemlibet & ejus vitam repræſentat, eamque triplicem. Primo vitam naturalem, quæ inſtar cerei, cera, id eſt, corpore, lychno, id eſt, anima: igne, id eſt, calore vitali conſtat. Si enim non ardet corpus noſtrum, unde, *fumus afflatus in naribus noſtris?* Sap. 2. Nonne is ignem intus latentem & perpetuò rodentem indicat? Quemadmodum igitur ignis paulatim depaſcit ceram ac tandem evaneſcit: ita in homine deficit paulatim calor vitalis, & cum eo vita quoque. *Quotidie morimur*, ait Senec. ep. 24. *quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde adoleſcentiam, uſque ad heſternum quidquid tranſit temporis, perit: hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus.* Hæc ille. Præterea uti cereus, ni ſedulo cuſtodiatur & ſæpius emungatur; facile extinguitur etiam antequam abſumatur: ſic & hominis vita. Alter alteri ſæpe vitam quaſi flatu lumen extinguit: alii quam multi quaſi candelam invertendo & lumen nimio gulæ pabulo obruendo, vitam ſibimet eripiunt: alios peſtifer aër quaſi flatus unus extinguit: omnes denique inſtar luminis deſtituti contabeſcimus & emorimur. Luſtrare igitur cereum ſuum quiſque debet, & quotidie perpendere brevitatem, ac fragilitatem vitæ ſuæ: quo loco conſiſtat: quo in periculo verſetur. Hoc ut cognoſcere poſſet, orabat David Pſalm. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt, ut ſciam quid deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos.* Chryſoſtomus ex Hebræo legit: *Ecce palmares*, id eſt, palmo uno menſurabiles, quam longa ſcilicet eſt candela una. Ex hac conſideratione fiet, ut facilè contemnas terrenas opes, honores, &c. tam citò perituras.

2. Vitam gratiæ.

Secundo vitam gratiæ. De hac enim Dominus dicit Luc. 12. *ſint lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Hoc lumen in baptiſmo accenditur, (unde & parvulis cereus ardens in manibus datur) ſervari porrò in vita jubetur, juxta id Levit. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit*, id eſt, gratia in corde; quo etiam fine hodie candelas geſtamus. Conſervari denique uſque ad mortem jubetur Matth. 25. ut cum iis venienti *ſponſo occurramus*; unde & morientibus lumen porrigitur. Porrò lumen hoc tanto frequentius perluſtrandum eſt, quanto facilius extinguitur quam illud prius: tanto diligentius, quanto eſt illo præſtantius. Propterea Dominus Luc. 11. ait: *Vide ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.* Et Apoc. 3. *ſcio opera tua, quia nomen habes, quod vivas & mortuus es.* Scit utique Dominus, ſed neſcimus nos an ardet cor noſtrum lumine gratiæ, nec ne. Certè uti candela niſi crebro emungatur, obſcurè lucet, & quandoque etiam extinguitur: ita & lumen gratiæ niſi id crebrò ſacramentorum uſu & peccatorum, etiam venialium, extirpatione renovemus. Venialia enim ardorem charitatis minuunt, & quandoque extinguunt, ad mortale deducendo. Denique cautè geſtandū, ne extinguatur; id quod docuit Gedeon Iudic. 7. qui lampades incluſit lagenis, & dedit eas in manibus ſingulorum militum, quas prælii tempore comploderent, ut lumen appareret hoſtibus in terrorem. Lagenæ includimus gratiam & virtutes, cum ab eis ventum vanæ gloriæ arcemus, quo earum ſplendor ſervetur nobis in diem mortis noſtræ, ad fugandos Cacodæmones.

3. Vitam gloriæ.

Tertiò. Vitam gloriæ, quæ per lumen gloriæ acquiritur & poſſidetur. Unde ſicut damnatorum animæ obſcuris apparere corporibus: ita beatorum animæ luminoſis ſolent. Ignis etenim beatorum dotes optimè repræſentat. Habet enim claritatem; habet ſubtilitatem, habet agilitatem, ut patet in fulmine, &c. Habet etiam modo aliquo impaſſibilitatem, quia maximè activus, & dominatur aliis elementis: Nihil horum habet vita præſens, ſed obſcura potius & tenebricoſa eſt; gravis & oneroſa eſt, tarda & tædioſa eſt: miſera & ærumnioſa eſt. Unde meritò id queritur Tobias inquiens: *Quale gaudium mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* cap. 5. Contra uti manè gaudent & cantant aviculæ: ita beatorum animæ illuſtratæ lumine beatificæ illius gloriæ. Atque *tunc erumpet quaſi manè lumen tuum*, ut c. 58. Iſa. Et c. 60. *Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: Et ambulabimus in lumine ejus.* Quoniam ergo cereus ille ut vidimus deſignat nobis præcipuè Ieſum & Mariam, hos corde & ore geſtemus, quemadmodum fecit Theodoſius Caniſius, Petri frater, apud Raderum in vita Petri Caniſii: Is enim cum ob mortem fratris nuntiatam conſternatus & apoplexiâ tactus, voce pariter & memoria omni privatus eſſet, duo tantum illa ſalutaria nomina Ieſus, Maria, deinceps & memoria retinuit, & expeditè pronuntiare potuit, eaque identidem enuntiavit maximè ſub finem vitæ, & cum jam ad utrumque amplius non ſufficeret, alterum effatus eſt, linguaque magis hebetata, cum integre Mariam non poſſet, inchoato nomine verbum tertiabat, dum elinguis deficeret. Hæc ergò & noſtra ſint ſymbola, noſtri Cerei, &c.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Diſcunt Presbyteri.
II. Diſcunt ſenes.
III. Diſcunt viduæ.

IV. Discunt virgines.
V. Discunt conjugati.
VI. Discunt pueri.

THEMA.

Parasti ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium, Luc. 2.

A. SOlet, Auditores, in hodierna festivitate candelas benedictas distribuere populo sacerdos, quod etiam Romæ facit ipse summus Pontifex. Huic ergò sacro ritui me accommodaturus, distribuam vobis candelas seu lumina spiritualia, quæ invenio in hodierno Evangelio, ut sic majore fructu gestemus cereos materiales.

B. I. *Discunt Presbyteri.* Primam Candelam jure merito damus Presbyteris, hoc est, sacerdotibus & senioribus: Sacerdotibus quidem, quia putant aliqui, ut Cyrillus in homil. de occursu Domini, & Epiphan. de vitis Prophet. Lyranus, Cajetanus, Canisius: Simeonem fuisse sacerdotem, siquidem benedixit Christi parentibus, quod erat sacerdotum munus, quod tamen utcunque se habeat, saltem senex fuit: Sacerdotes autem vocantur Presbyteri, id est, seniores. Iam verò S. Simeon *justus & timoratus* (græcè *religiosus*) erat, venit in spiritu in templum, & cum ingenti gaudio, consolatione & desiderio accepit Christum in ulnas suas. Hujus igitur exemplo sint Sacerdotes Primo Presbyteri in moribus. Senes non moventur facilè ad risum aut gesticulationem seu jocos, licet audiant & videant faceta & ludicra: non curant vestium splendorem, symphoniam, choreas, &c. Sic respondit Davidi Bercellai vocatus ab eo ad aulam regiam, 2. Reg. 19. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Ierusalem: Octogenarius sum hodie: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave & amarum? aut delectare potest servum tuum cibus & potus, vel audire possum ultra vocem cantorumatque cantatricum?* Ita dicat mundo Sacerdos, qui senex est dignitate, prudentia cæteros præcellens.

Secundò: Iusti sint & in Dei gratia: qui debent esse mediatores & internuncii inter Deum & peccatores; quomodo verò eos Deo conciliabunt, si ipsimet sint inimici? Unde S. Greg. 1. part. past. c. 12. ait: *Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Nec vulgarem tantum justitiam in iis requirit Deus sed perfectam & synceram, quæ etiam parvas simultates excludat. Iustum enim vulgò dicimus, quod omnes suos numeros habet & perfectè quadrat. v. g. Iustum calceum, qui aptè pedi quadrat. Et quemadmodum viri aulici strictos gerunt calceos & ocreas, in quibus nec minimum ferre lapillum possunt, qui pedi non mox doleat: cùm è contra piscatores & Agricolæ in suis laxis ocreis lapillos non sentiant, ita conscientia sacerdotum, qui sunt Dei aulici, justa, id est, tenera & syncera esse debet, ut nec peccata venialia paulò graviora toleret, sed mox exuto per confessionem calceo, conscientiam ab iis liberet: quod tamen à sæcularibus non requiritur.

Tertiò. Sint timorati, quia cum quotidie ad Christi mensam sedeant, tantò esse cautiores debent ne Dominum suum offendant, audiantque illud idem, quod David in persona Christi ait Iudæ, Psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: Tu vero homo unanimis Dux & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Et quid tandem? *Veniat mors super illos*, inquit, *& descendant in infernum viventes.* Quod fit, cum sacerdotes male viventes sciunt se in eo statu, in quo versantur, salvos esse non posse: vident enim infernum sibi apertum, & locum apud Iudam in eo sibi paratum.

Quartò, veniant in spiritu in templum, hoc est, 1. Ducti à Spiritu sancto, & studio divini cultus impulsi, non ambitione vel avaritia aut munusculorum gratia. 2. In Spiritu, id est, cum spiritu & fervore ad sacra peragenda. 3. In spiritu, id est, alacri & hilari animo non ex tristitia aut ex necessitate: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9. Sed cum Davide Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, id est animo promptissimo. Sic vocantur pauperes spiritu, qui voluntarie tales sunt propter Deum. 4. Accipiant Christum in ulnas suas, cum sacra scilicet peragunt, simili affectu amoris reverentiæ, quasi duobus brachiis Christum stringendo, venerando, mulcendo, &c.

C. II. *Discunt senes.* Secundam damus senibus, ob ætatis prærogativam. Habeant sibi hi eundem Simeonem, velut Senem. Fuit iste senex, justus, timoratus, (græce *Religiosus*) in spiritu templum adiens, Christum accipiens in ulnas, & tunc dimitti cupiens. Ecce vobis candelam, ecce vobis lumen, ad dirigendos pedes vestros. Sint ergo senes 1. Iusti & in statu gratiæ, siquidem in procinctu stant, & præstolantur adventum Christi indies: unde semper esse parati ad migrandum debent, ut dicere possint cum Davide: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? deficit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, Psal. 72. Quando spicæ segetum sese ad terram incurvant, messi propinquæ sunt. Itidem & senes cum ad terram incurvantur, noverint se à mortis falce procul non abesse: Ergò justi sint & spicæ, justitiæ operibus plenæ.

2. Secundo, Sint quasi religiosi inter sæculares, nuntium mittendo mundo, & dicando se totos cultui divino & orationi. Cur enim non spernant mundum à quo spernuntur ipsi? cur non deserant illum, à quo deseruntur ipsi? Iam mundo saturati sunt, jam dolos & miserias ejus experti: mirum ergo est, si adhuc diligere mundum possunt. Exeant de Sodoma cives suos perditura, nec respiciant retro ad præteritas peccatorum illecebras & delicias.

Ter-

3. Tertiò, Veniant crebro in templum, non corpore tantum, sed & spiritu: vel si corpore non possunt, veniant saltem spiritu. Ita Daniel, cum in captivitate Babylonica positus adire templum orationis causa non posset, ingressus domum, aperit fenestras versus Ierusalem tribus temporibus in die, flectebat genua sua, & adorabat coram Deo suo, Dan. 6. Quando ergo senes corpore impediuntur ab ingressu templi, ingrediantur domum cordis sui, & animi desiderio adsint missæ & concioni, fundantque orationes, quasi in templo adorarent: Sic venient in spiritu.

4. Quartò. Cupiant dissolvi & esse cum Christo, verum juxta Christi placitum, non ad nutum suum. Hoc enim est Pythagoræ Symbolum: *Injussu Imperatoris neminem debere de statione sua decedere.* Hoc idem voluit Simeon cum dimitti petiit. Expectent ergo mortem, sed tardantem non reprehendant. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur*, ait Apostolus ad Rom. 14.

5. Quintò. Quærant videre Christum & accipere in ulnas suas per communionem, antequam moriantur. Hic enim est baculus senectutis & peregrinationis eorum ad cœlum: qui reget & sustentabit eos. Ita enim de ea canit Ecclesia: *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.*

D. III. *Discunt viduæ.*

Tertiam, Debemus viduis, & his damus Annam, siquidem & ipsa huic actui interfuit, nec minimum lumen fuit. 1. Nam primo commendatur à castitate, quam coluit, non modo in ipso matrimonio, sed etiam ante & post illud. Magna laus est viduæ, si florem virginitatis suæ attulerit viro suo: nec minor, si eidem fidem servet in matrimonio: maxima, si post obitum viri alterum non desideret, sed viduitatem colat, præsertim, si cum sit adhuc juvenis, id virtutis amore faciat. Omnibus his nominibus commendatur S. Anna, quia & virgo viro nupsit, castè cum eo vixit, denique vidua mansit, quæ juvenis admodum fuisse debet cum vir ejus moreretur, siquidem octoginta quatuor annorum vixit in viduitate.

2. Secundò, Commendatur à cultu & servitio divino. Serviebat enim Deo conversando semper in templo. Ergò tempus suæ viduitatis non impendebat sæculo, non conventibus & confabulationibus, non vagabatur de domo in domum: sed vixit velut monialis soli templo addicta & reliquo tempore domui suæ inclusa. Sic enim vocatur à Cyrillo Catech. 10. *Religiosissima monialis.*

3. Tertiò, commendatur à studio Orationis, quo serviebat Deo sine intermissione. Nimirum vidua nemini securius loquitur, quam Deo: nec salubrius deponit suas querelas, quàm apud illum, qui pater & protector est viduarum:

4. Quartò, Commendatur à jejuniis: Non impendit ergo viduitatem suam deliciis & libertati, ne furi castitatis suæ januam recluderet. *Consideravit* ergo *semitas domus suæ*, ut ait Sapiens Prov. ult. & docuit viduas omnes, si thesaurum castitatis conservare velint, sæpire vias domus suæ spinis sobrietatis & jejunii.

5. Quintò; commendatur à perseverantia, siquidem his virtutum operibus institit continuo ad ultimam usque senectam. Et hæc felix illa clausula, quæ omnibus virtutibus coronidem imponit, imo sola coronatur.

E. IV. *Discunt virgines.*

Quartam, Capiant virgines, virginem Mariam. 1. Noverint primo hanc egressam esse de domo, non ad ludos & choreas, non ad forum aut convivium, sed ad templum, ut faceret secundum legis consuetudinem, quo facto rediit mox in civitatem & domum suam, ita decet virgines se continere, nec nisi ad templum & honestas occupationes in publicum prodire, iisque peractis statim in domum suam se recipere.

2. Noverint secundo virginem Mariam ex mera humilitate legi se subjecisse, cui nequaquam subjacebat. Gerebat se ut aliæ puerperæ: cum tamen virgo esset, ne in elationem scilicet vel ostentationem caderet, & thesaurum suum proderet. Altera hæc sera est, custodiendæ virginitati, humilitas videlicet, quam quædam non adhibentes thesaurum prodiderunt.

3. Noverint eam tertio Silentium servasse, & licet, quæ dicebantur ad ipsam pertinerent, nihil tamen locutam esse sed alios tantum audisse. Tertia hæc sera est & custos virginitatis. Nam virgo taciturna seriam se ostendit, prudentem & pudicam, ex quo fit, ut homines impudici tentare eam non audeant, quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Contra vero loquax leviculam se monstrat & quasi suspensâ foris hedera facilè vænalem. Quare juxta monitum Apostoli, 1. Tim. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione.*

4. Noverint eam quarto fidam & imperterritam. Cum enim hodie audisset à Propheta, suam ipsius animam gladio transfigendam, non propterea in terram concidit, non capillos sibi evulsit, sed immota constitit præparans haud dubiè animam suam ad tentationem. Sic vellem stare Virgines in proposito pudoris, cum ventus tentationis acrior insurgit, licet aliquis stricto gladio mortem eis minetur. Cujus constantiæ exemplum præbuit Romana quædam matrona in prima Urbis direptione, sub Alarico Rege, ubi miles quidam Gothus videns illam mulierem forma juventutis præcellentem, pudorem ejus tentavit. Sed cum illa piaculum aversaretur, miles stricto gladio mortem ei minatus, verum in collo tantum modicum inflixit vulnus. Mulier cruorem aspiciens, jugulum ferro præbuit malens mori quam fœdari. Visa hac animi constantia barbarus obstupuit, & matronam in templum D. Petri duxit Ecclesiæque custodibus eam commendavit, cum dono sex aureorum nummorum, ut eam viro suo illæsam servarent. Niceph. l. 13. cap. 35.

Quin-

F. V. *Discunt conjugati.*

Quintam Debemus conjugatis. Sumant hi Iosephum, conjugem Deiparæ, tametsi & ipse virgo erat, &c.

1. Primò, Discant ab hoc Conjuges præsentare Deo, non mundo, liberos suos, ducere ad templum, missam, catechismum, quam primum sapere incipiunt: item manuducant eos ad mandatorum Dei & Ecclesiæ observationem. Sic Tobias senior filium suum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato, Tob.1. Græci filios ad scholas mittebant discendarum literarum gratia. Persæ verò justitiæ discendæ gratia, Xenoph. lib.1. Cyripæd. Quantò æquius hoc observent Christiani parentes? Sane ad hoc eis liberi à Deo dati sunt, ut eosdem illi sistant, quos & ab eis repetet aliquando in judicio. Sibi dictum existiment illud 3.Reg.20. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Væ igitur parentibus, qui sistunt liberos Diabolo, docendo eos, quæ non decent, mundi vanitatem, superbiam, &c.

2. Secundò ab eo discant tolerare æquo animo paupertatem & de ea non erubescere. Ecce enim tibi in viro de regio stemmate oriundo, in nutritio filii Dei tantam rerum inopiam, ut non haberet agnum, quo filium redimeret. Si enim tantum possedisset, ut agnum emere posset, ex lege debuisset emere & offerre, Levit.12. signum ergo est, quod non invenerit manus ejus tantum pretii, quantum sufficiebat ad agnum coëmendum; siquidem obtulerunt tantum munus pauperum, par turturum vel columbarum. Non erubuit virtus tantus profiteri suam inopiam & fortunæ mutationem: quis ergo non cum illo libenter eandem ferat?

3. Tertiò. Ab eo discant largitatem in tribuendis eleemosynis, tametsi parum habeant. Quorsum enim putamus deposuit illud aurum quod Magi obtulere. Si ex illo aliquid tunc superfuisset, agnum obtulisset juxta legis formam. Quare non immeritò opinantur Doctores, Canus, S. Bonaventura, Abulensis totum illud aurum vel Deo consecratum, vel pauperibus distributum esse. Magna profectò laus tribuere egentibus, cum ipsemet indigeas. Ob hoc commendat Apostolus Macedones 2. Corinth.8. *quod altissima eorum paupertas abundarit in egentes,* hoc est, quod, cum ipsi pauperes essent, largissimè tribuerint.

G. VI. *Discunt pueri.*

1. Sextam: Damus pueris, puerum scilicet Iesum, qui, Primò. Cum in hodierna præsentatione legi patris se submiserit, cui subditus non erat, quomodo non docet Pueros obedire suis parentibus, deinde etiam mandatis Ecclesiæ & Dei? Neque vero, ut filius tantum, sed etiam ut servus obtulit se hodie, pretio redimendum. Sic filii serviant etiam his, qui se genuerunt, quasi Dominis, ut monet Eccles. cap.3.

2. Secundò. Si ab infantia Christus se Patri obtulit veluti in servum, cujus erat filius, & vos ô pueri hoc facite. Si enim magni evadere vultis, à puero incipite. Audite magnum illum Platonem lib.6. de legibus. *Assero,* inquit, *eos, qui præstantes viri in aliquo evasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere ad ipsum tam ludendo quam studendo in singulis ei negotio convenientibus meditari.* Hinc pleriq; maximi sancti à teneris inchoarunt sanctè & austerè vivere: uti Samuel, Ioan. Baptista, Paulus Eremita, Antonius, Benedictus, Maurus, Pacidus, Romualdus, Bernardus, Thomas Aquinas, Franciscus à Paula, aliique innumeri.

Proponat igitur quisque candelam suam & quemadmodum lumen à lumine accenditur, ad exemplum illius accendat & cor suum, quo nimirum *sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est:* ac demum sicut stellæ simul omnes in cœlo fulgeamus in perpetuas æternitates.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur Lex purificationis lata.
II. Cur primogenitorum oblatio præcepta.
III. Quæ hostia pro purificatione offerenda.
IV. Cur non agnus, sed columbæ à Deipara oblatæ.
V. An teneretur hac lege Deipara & Christus.
VI. Cur Simeon Christi testis electus.
VII. Cur viso Christo dimitti petiit.

THEMA.

Viderunt oculi mei salutare tuum,
Luc.2.

A. Tribus hominum generibus manifestavit suam infantiam Christus, Pastoribus, Magis, seniculis Simeoni & Annæ. Nec absque divino Mysterio, in his enim tribus personarum generibus, continetur omne hominum genus: Iudæi & Gentiles, viri & mulieres, pauperes & divites, simplices & sapientes, justi & injusti. Deinde hic ternarius continet tres modos divinæ illustrationis. Pastores cognoverunt Christum Angelico ministerio, Magi stellæ beneficio, Simeon & Anna solo interno Spiritus sancti Lumine. Ita enim alii illuminantur ab Angelis, alii per miracula, alii solo Spiritus sancti magisterio, qui postremus modus ordinarius est, & nobis communis, qui in templum convenimus, ut ibidem illustremur à Spiritu sancto docente per suos prædicatores. Attollamus igitur oculos & nos, mentemque advertamus ad hodiernum Evangelium, quo & ipsi cernere queamus salutare Dei.

B. I. *Cur lex Purificationis lata.* 1.

Quæritur primo cur lex purificationis à Deo lata? Respond. Primo. Propter immunditiam conceptus & partus humani, quæ ex peccato Originali profluit, velut pœna & index illius. Proinde castitatem conjugalem nequaquam accedere ad virgineam, quod illa sordibus scateat, ideoque purificatione indigeat.

2. Secundò, Tropologicè. Ut indicaretur omnes, quotquot peccatum pariunt purificatione pœnitentiæ indigere; & tum primum exacto die quadragesimo, id est, vitæ hujus cursu in templum gloriæ ascendere, Deoque sisti posse: dicuntur etiam bruta quædam sese purificare, velut Elephas, qui sub lunam novam flumine se purificat, & herbas versus cœlum jactat, Auctore Pierio lib. 2. Hierogl. docens suo exemplo nos, ut cor nostrum menstrua exomologesi purificemus. Cæterum lex illa non obligat mulieres Christianas, utpote cæremonialis; Et sic respondit Innocentius III. cap. unic. de purificatione post partum. Rectè tamen & istæ faciunt, si ad venerationem & imitationem B. Virginis per dies quadraginta abstinent.

C. II. *Cur primogenitorum oblatio præcepta.* 1.

Quæritur secundò. Cur primogenitorum oblatio præcepta? Lev. 12. Resp. 1. Quia titulo creationis & supremi dominii omnia Deo debentur, ideo primogenita saltem in recognitionem petiit. Hanc causam reddit Exod. 13. dicens: *Mea sunt enim omnia.*

2. Secundo. Titulo liberationis & redemptionis, qua Iudæorum primogenita tutatus est ab exterminatore Angelo, qui Ægyptiorum primogenita omnia occiderat. Hæc etiam ratio redditur loco citato paulo inferius.

3. Tertio. Ut moneamur exordia actionum nostrarum præsertim gravium Deo dicare, omniaque nostra à Deo ejusque opis imploratione ordiri, ut alias vidimus.

D. III. *Quæ hostia pro purificatione offerenda.* 1.

Quæritur tertiò. Quæ hostia offerenda erat pro purificatione matris? Resp. Si divites fuissent parentes, offerri debebat agnus anniculus, una cum pullo columbæ, vel turture. Si pauperes, duo pulli columbarum, vel duo turtures, Lev. 12. Ratio legis videtur fuisse. Primo ut puerpera gratias ageret Deo, quod periculum partus evaserit, quod notandum est prægnantibus ut ante partum se communiant salutaribus Sacramentis; quia periculum vitæ in partu subeunt.

2. Secundo. Ut hostia sua indice moneantur prolem suam ita educare, ut agninam innocentiam præ se ferat, & columbinam simplicitatem.

3. Tertio. Ut ipsa fidem conjugalem marito servet, quemadmodum & columbæ, de quibus scribit Plin. l. 10. c. 34. *Pudicitia columbis prima est, & neutri nota adulteria, tori fidem non violant, communemque servant domum, imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt.* Turtur in solitudine, columba inter homines degit, ut discant conjugatæ, utrique vitæ activæ & contemplativæ studere; & ab oneribus ad orationem & gemitus subinde se recipere.

E. IV. *Cur non agnus sed columba à Deipara oblata.* 1.

Quæritur quartò. Cur non agnum, sed par turturum, aut duos pullos columbarum obtulit Deipara?

Resp. 1. Ex paupertate, quia cum paupere filio pauper vivere voluit, ideo etiam pauperum hostiam dare. Dicet aliquis, ditatam fuisse ex auro oblato à Magis. Sed quid si aurum id non totum acceperit, sed modice delibarit? quid si id pauperibus mox erogarit? quid si pro fuga Ægyptiaca servasse voluisset? Denique licet id aliis retinuisset usibus, decens tamen erat, ut ipsa pauper pauperum, non divitum hostiam afferret.

2. Secundo. Ob Mysterium, quia Christus ipsemet erat agnus verus, quem præfigurabat ille typicus; debet autem umbra cedere veritati. Fuit igitur in hac oblatione Christus agnus matutinus, futurus postea vespertinus, in cruce scilicet immolandus, ut sic impleret figuram jugis sacrificii, Exod. 29. Ut docet S. Bernard. serm. 2. & 4. de Purificatione.

3. Tertio. *Quia talem hostiam*, inquit Eucherius Lugdun. hom. infra Octav. Nativitatis, *offerre debuit Virgo Maria, per quam castitas & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & castior & semper humilior extitit; & bene quidem non singula, sed paria obtulit, quæ non corpore tantum, sed corpore & animo casta & humilis erat.* Accedit S. Bernard. qui serm. 59. in Cant. ait: *quia columba libidinosa avis est, non decuit eam offerri in sacrificium Domini, nisi sanè ea ætate, qua nesciret libidinē. At turturis non assignatur ætas, quoniam agnoscitur castitas in quacunque ætate.*

F. V. *An tenetur hac lege Deipara & Christus.* 1.

Quæritur quintò. Tenebaturne Deipara lege Purificationis, & Christus lege primogenitorum.

Respondetur negative, ex communi Patrum sententia.

Ratio 1. quia Deipara non concepit Christum, *suscepto viri semine* (quod expresse apposuit lex, ut Deiparam hinc excluderet) sed opera Spiritus sancti: Deinde quia partus Virginis fuit purissimus, omnis sordis & fluxus sanguinis (ob quem videtur lex purificationis statuta esse, ut habetur Levit. 12. v. 4.) expers. Unde S. Augustinus libr. de 5. hæres. hær. 5. ait: *stulte, unde sordes in virgine matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?*

2. Ratio 2. est, quia Christus nascens *non aperuit vulvam matris*, (quod etiam expresse inseruit lex, Exod. 13. ut Christum hinc excluderet) sed clausum matris uterum penetrando prodiit in lucem.

G. VI. *Cur Simeon Christi testis electus.*

Quæritur sextò. Cur Simeon testis Christi electus, & cur in ejus præsentatione?

Respondetur Ad 1. Quia Simeon erat vir sanctissimus, & quia propheta, & quia maximè senex, & quia magno desiderio Christi adventum præstolabatur, doctus à Spiritu sancto eum se visurum: uti innuit Evangelium. Talis autem testis decebat Christum Dominum. Et tales etiam aliarum rerum testes

testes esse deberent, justi, timorati, & Spiritu sancto afflati.

Respond. Ad 2. Quia Christus tunc offerebatur veluti servus & peccator; in tanta igitur abjectione testem habere debuit suæ Divinitatis & sanctitatis. Observatum id est in aliis etiam Christi gestis, in quibus veluti unus è peccatoribus haberi poterat, veluti in circumcisione, in qua vel ipsum ejus nomen eum ab omni sceleris labe purum ostendit: in baptismo, in quo Spiritus sanctus in specie columbæ super eum sedens suspicionem labis abstersit: in cruce, in qua cœlum & elementa, ipse latro & centurio innocentiam ejus contestati sunt.

H. VII. *Cur viso Christo dimitti petiit.*

Quæritur septimò. Cur viso Christo dimitti petiit Simeon? Dic enim sancte senex, cur nunc dimitti vis, cum potius optare deberes vitam longiorem ut vita vera, quam in ulnis gestas, diutius frui posses? Sed audi: tria sunt, inquit, quæ meum animum ad id impellunt. Primum quidem, quia cum mors omnibus terrori sit, nunc dum vitam manibus, & sinu gesto, metus mihi omnis adimitur, nec elabi patior hanc tuto & cum gaudio moriendi opportunitatem. Cum quis manus plenas divitiis habet, vel in thesaurum incidit, locare illum in tuto loco statim cogitat: ita ego, ait, inventum hunc thesaurum, per mortem meam tutum in sempiternum reddere cogito, quem certe multis expositum periculis in hac vita non ignoro. Deinde vidi, inquit, vidi oculis meis tam ingens, tam præclarum bonum, ut nihil amplius exspectandum sit; quod videam, imo claudendi oculi sunt ne rebus istis humanis fœdentur, vel ne si forte in turpem aliquam rem, vel mœstam incurrant, contristentur, atque ita meam mihi hanc, quam hausi oculis pulchritudinem & mundissimum nitorem, qui me summopere recreat, atque confortat, vel eripiat prorsus, vel certe imminuat, & obscuret. Denique animadverto, ait, quanta puer olim passurus sit mala, quantam heu! vim sanguinis profusurus, quam horrendam, crudelemque mortem per meos etiam Iudæos (quis credat?) obiturus sit: ideo horrent oculi horum aspectum & in mortem claudi malunt, quam superstites esse: scies tamen tu filii hujus mater, cum *tuam ipsius animam pertransibit gladius* doloris, quam acerba sint hæc futura, quæ mente revolvo. Ego vero in modum cygni cœlesti cantu viam patrum lætus inibo; quem & nos ut sequamur simili clausula, rogemus, &c.

IN FESTO MATTHIÆ APOSTOLI.

Evangelium Matth. 2.

IN illo tempore, Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita pater quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo novit filium, nisi pater: neque patrem quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

CONCIONES.

I. *Quàm gravia sint Juga Judæorum, Gentilium, Mundi, Peccati, Diaboli.*

II. *Qua ratione jugum Christi, id est, mandatorum ejus suave sit.*

III. *Invitatoria ad jugum Diaboli trahendum dissuadentur.*

IV. *Jugum Quadragesimæ acceptandum.*

V. *Commendatur Mansuetudo & Humilitas.*

VI. *Cur Judas à Christo ad Apostolatum fuerit evectus.*

VII. *Neminem perturbari aut scandalizari debere, quod quandoque Iudas aliquis deserat Ecclesiam.*

VIII. *Documenta Evangelii.*

IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

QUAM GRAVIA SINT JUGA Judæorum, Gentilium, Mundi, Peccati, Diaboli.

I. Jugum legis Judaicæ. Grave erat.
II. Jugum gentilium.
III. Jugum mundi.
IV. Jugum peccati.
V. Jugum diaboli.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11.

A. NOstis, Auditores, arcam illam Noë, extra quam nulli salus fuit, typum Ecclesiæ fuisse. Nostis etiam columbam ex illa emissam fuisse, *quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam, extenditque Noë manum suam & apprehensam intulit in arcam*, Gen. 8. Sed quid est, quòd hæc columba non fugit manum Noë? cur se apprehendi passa est? Nimirum, quia extra nullum invenerat locum, ubi pedem figeret, non arborem, non turrim, non montem. Hinc reversa est ad Noën suum, suamque libertatem libens ei transcripsit, ut sub ejus imperio requiem inveniret. Ita res habet nobiscum, qui sumus in Ecclesia, sub jugo & disciplina Christi; in qua requiem obtinemus, quamdiu perstiterimus; ab hac si discedamus non inveniemus, quia omnia aquis plena, ubique jugum grave, & certus demum interitus: Quam rem si reipsa experiemur, quàm properè ad arcam nostram cum columba rediremus? quam libenter admitteremus manum nostri Noë, ejusque jugum ac disciplinam, ad quam invitat nos in hodierno Evangelio: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quare ut hoc intelligamus, evolemus paulisper alis contemplationis nostræ, & videamus num fortè extra Ecclesiam locus aliquis sit, in quo quieti esse & absque jugo possimus.

B. I. *Jugum legis Judaicæ. Grave erat.* Cernimus primò, Iugum legis Iudaicæ, quod tam grave erat, ut propterea id tollendum à cervicibus Christianorum statuerit S. Petrus & Apostoli in communi concilio, Act. 15. *Quid tentatis Deum*, inquit, *imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Grave autem ac penè importabile erat primo ob legum multitudinem. *1. Ob legum multitudinem.* Numerant enim Abulensis q. 1. super 26. cap. Deut. & q. 24. in 1. cap. Ruth. & Lyranus ibid. tredecim supra 600. præcepta Iudæorum. Ob quam causam de ea dictum fortè Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea.* Quia ut equi juncti curribus undique cinguntur & ambiuntur loris, funibus, catenis: ita Iudæi præceptis. *2. Ob legum difficultatem.* Secundo: propter difficultatem ipsorum præceptorum in cibo, tactu, sacrificiis, cæremoniis, judiciis. Verbi gratia, præceptum circumcisionis, Sabbathi tam strictè servandi, azymorum per octiduum edendorum, anni Sabbathici, multiplicium oblationum & sacrificiorum, quæ magno sæpe constabant. *3. Quia umbra tantum.* Tertiò, quia umbræ tantum legum & mysteriorum novi testamenti erant, unde nec gratiam conferebant, nec vim justificandi habebant. *4. Ob pœnarum gravitatem.* Quartò. Gravissimæ delinquentibus pœnæ erant statutæ. *5. Ob peccata ex ignorantia etiam punita.* Quintò. Multa etiam peccata ex ignorantia invincibili commissa, debebant expiari sacrificio. Quare cum quis ad Iudaismum vult accedere, præscribunt Rabbini duo hæc. Primum, ut proponantur ei præcepta legis graviora præsertim, & dicatur: O mi homo, qui proselytus esse vis, hactenus potuisti diebus Sabbathi quod libuit agere, nunc si opus in eo servile feceris, lapidaberis & sic de aliis. Alterum, ut si mas sit, tria hæc præstet, circumcidatur, baptizetur (more scilicet Iudaico) & in holocaustum offerat vel pecudem vel par turturum aut columbarum. Refert Serarius Iudith. c. 1. q. 33.

Quanto igitur leviora sint in his omnibus præcepta legis Evangelicæ, quis non videt? Hæc enim inprimis pauca sunt, decalogus, præcepta Sacramentorum, &c. præcepta Ecclesiæ: & qui clerum tantum concernunt, SS. Canones: impendiosa non sunt nec scrupulosa, gratiæ collativa sunt: non ita gravibus pœnis firmata: ignorantiam invincibilem non obligant. Adhæc ubi notabilis difficultas est præcepti servandi, facilis est Ecclesia ad dispensandum in præceptis suis, vel eximit omninò.

C. II. *Jugum gentilium.* Secundò, Iugum gentilium, quòd nisi gravius esset Christianorum jugo, non diceret Apostolus: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, 2. Cor. 6. Inprimis enim quam crudelia illis præstanda erant, cum expiari Deosque suos placare vellent? Iubebantur hominem occidere ut Rhodii & Salaminæ: hominẽ occisum membratim discerpere, ut Coi, amicissimũ hominem aut principis filium jugulare ac circum aram ducere, ut Phœnices: pueros ad templa strangulare, ut Curetes: puerum cæsum & strangulatum sub altari sepelire, ut Arabes: puellam Virginem mactare, ut Laodicenses & Chaldicenses: hospites & peregrinos interimere ut Arcini. Refert Ioan. Ant. Campanus orat. de circumcisione. Vin plura? Ammonitæ pueros Idolo Moloch comburendos immolabant, 4. Reg. 23. Plut. lib. de superstitione. In Pelasgorum regione ad sedandam pestem, petiit oraculum, hominum sibi decimas immolari, ut scribit Dion. Halicarn. lib. 1. & Euseb. l. 4. Evang. præparat. Carthaginenses liberos suos Saturno mactabant, vel si liberos non haberent, à patribus in hunc finem emebant: adstabant parentes, qui si ingemuissent, sine honore vitam in posterum ducebant. Plut. lib. de superstit. Proximè elapso sæculo apud Indos in una Mexicana urbe ad 20. millia puerorum & puellarum dæmoni quotannis immolabantur: & quandoque mille una die, Surius in Comment. ann. 1558. In Mechoacam urbe dæmon offerri sibi postulabat, id quod civibus erat Charissimum, uti sponsa vel infans

fans ſpecioſus; quod jugum tam crudele tandē exoſi Chriſto nomen dederunt. Teſtatur P. Ant. Mendoza in lit. Soc. Ind. Athenienſes quotannis duos immolabant homines pro civibus expiandis, unum pro maribus, alterum pro fœminis, Leon. 3. cap. 33. Apud Thraces præcipuè à viro dilecta, juxta defuncti rogum à ſuo propinquiſſimo mactabatur, quod ſibi maximo ducebat honori. Herodor. lib. 5. Taceo quod dæmon aliis infinitis modis miſerè eos eluſit & dementavit per oracula, vanas obſervantias, divinationes, auguria, &c. Quid de crudeli Dominorum in ſubditos & ſervos imperio dicemus? Servos dirè tractabant, ad funera mactabant, beſtiarum & Athletharum pugnæ objiciebant. Quam tyrannidem gentilium notavit Chriſtus cum dixit: *Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non ſic,* Luc. 22. Cogitate nunc quanto faciliori modo expiari poſſumus nos, & Deo reconciliari? quanto ſuavius dominium inter Chriſtianos.

D. III. *Iugum mundi.*

Tertiò, Iugum mundi grave eſſe teſtatur Eccleſiaſticus c. 4. dicens, *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam.* Hujuſmodi autem occupatio illa imprimis eſt, quâ miſeri mortales diſtinentur in mundi vanitatibus, in parandis opibus, honoribus, deliciis, in ſaginando & ornando corpore, in contentanda uxore, in promovendis & evehendis liberis, in acquirenda nominis celebritate, in vita proroganda & ſuaviter ducenda, &c. Quæ ſanè occupatio grave jugum eſt filiorum hujus ſæculi, nec diſſimile jugo illi, quod impoſuit Pharao Hebræis, cum occupavit eos perpetuis luti & laterum laboribus, nec non in paleis conquirendis, & penſo laborum augendo, ne poſſent reſpirare, & de ſacrificio ac ſervitio divino cogitare, Exod. 5. Et quid non imperat mundus ambitioſo, ut honores: avaro ut opes; laſcivo, ut voluptates, luxui dedito, ut cupidines conſequatur; parentibus ut liberos ſuos ditent, ornēt, exaltent? &c. quas adulationes, quæ obſequia, quas vigilias, quas curas, quos metus, quas invidias, quas ſimonias, quas fraudes, quas uſuras, quæ itinera, quos ſudores? *Ite ad onera veſtra* dicebat Pharao Hebræis, Exod. 5. Ita & mundus ſervis ſuis: adulamini, mentimini, ſimulate, fraudate, vigilate, currite, ſudate, &c. *Reſpicite fures & latrones,* inquit Gerſon (in tract. de verbis Domini: *Venite ad me omnes*) *prædones & adulteros; quantos labores, quantas Vigilias, quantas curas expendant, ut excogitatas nequitias ad effectum perducant? Reſpicite & eos qui & honeſtiora quodammodo videntur exercere negotia, diverſos dico mercatores mari terraque mercimonia ſua circumferentes, quanta incommoda ſuſtineant, ſubeant pericula, ut ad modica ſtipendia perituraſque divitias quandoque pertingant. Reſpicite deinde & ſervos militibus, milites principibus etiam ad illicita quæque ſervientes & in eundo, in currendo, in ſtando die noctuque laborantes.* Adhæc ſicuti Hebræi poſt diurnos Pharaonis labores in fine operis flagellati ſunt, Exod. 5. Ita mundi ſectatores, ubi multo & diurno labore multa effecerunt, multa compararunt, multa tolerarunt: ad extremum flagellantur, ſive cùm eunt cubitum, & reflectunt ſe ad labores ſuos, ſive cùm è vita migrant, vindice conſcientia undique ſauciata. Quemadmodum enim muli onuſti pretioſis mercibus habent quidem in itinere comites complures; criſtis ornati, tapetibus inſtrati, inaurato fræno incedunt: ſed ubi deventum eſt ad hoſpitium, ibi ſpoliantur omnibus ornamentis unaque onere pretioſo, ipſiſque adeo clitellis, & miſeri aſelli toti fatigati, ex onerum preſſura ſaucii, lividi & nudi ad ſtabulum abducuntur: ita & qui jugum mundi portant. Tametſi enim aliquantiſper pomposè incedunt & ſuſpiciuntur, ab hominibus, ad extremum tamen ubi ad hoſpitium mortis devenitur, & ſarcina ponenda eſt, ibi ſentiunt dolores, ibi vulnera conſcientiæ; ibi nudi & deſerti aſportantur in ſepulchrum.

Quanto igitur melius, levius & ſuavius eſt portare jugum Chriſti, quod nec ita onerat, nec in fine cruciat, ſed ſpe & gaudio implet? Unde Gerſon, loco citat. ſubdit: *Reſpicite è diverſo Dei miniſtros in cœnobio ſedentes, modicum quidem laborantes & plurimum pauſantes, inſuper & pro requie ſua quaſi pro labore maximo requiem æternam expectantes. Nonne illi multo difficiliore via deſcendunt ad inferna, quam iſti aſcendant ad regna ſuperna?* hæc ille. Nihilo mitius eſt jugum hæreticorum, quos Eraſmus Roterod. ſcripſit, pro jugo hominum & humanarum conſtitutionum jugum ſubiiſſe diaboli, apud Florim. Remund. de Orig. hæreſ. lib. 1. cap. ult. Quod ſi cui abſque jugo videntur, quia nullis Eccleſiæ præceptis ſubjacent, non adeò feliciores ſunt. Ipſi ſunt Belial, de quibus Oſe. 7. dicitur, *Reverſi ſunt* (ſcilicet ab Eccleſia diſcedendo) *ut eſſent abſque jugo.* Sed quemadmodum boves, qui non trahunt jugum in periculo ſunt lanienæ: non item, qui trahunt: ita illi ad lanienam inferni deſtinati ſunt: non qui Eccleſiæ jugum portant. Dicuntur boves Ungarici jugum detrectare: unde cum ex Ungaria ad noſtram aguntur patriam, non niſi ad macellum eunt. Talis eſt Hæreticorum vita: iter eſt exlegum hominum ad diaboli lanienam.

E. IV. *Iugum peccati.*

Quarto. Iugum peccati, cujus gravitatem ſatis explicavit expertus ille David, qui Pſ. 37. ait: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Scripſit eum Pſalmum David paulò poſt commiſſum adulterium, in rememorationem de Sabbatho (ut habet titulus) hoc eſt, in rememorationem priſtinæ quietis, quam habuit in ſtatu gratiæ antequam peccaret. Conſiderans ergo præſentis ſtatus ſui miſeriam, ſentiebat onus grave impoſitum ſibi à peccato, veluti à Tyranno. Nec vanè. *Omnis enim qui facit peccatum ſervus eſt peccati,* ait Dominus Ioan. 8. Ideo Apoſtolus hortatur ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Sed

qua in re afflixit aut gravavit Davidem, iugum hoc peccati? Explicat accuratè. Primo grassabatur in eius voluntatem dum eam rapiebat quasi impetu quodam de peccato in peccatum. Nam primò comminiscitur eius imperio David fraudes, quibus tegat peccatum suum; vocat Uriam & iubet ire domum ad uxorem, ut sic fœtus adulterinus, legitimus credatur quasi prognatus à patre. Deinde cum non iret Urias, inebriavit eum, ut ab ebrio obtineret, quod non poterat à sobrio. Tertio iussit eum per literas constitui in acie prælii, ut percussus & desertus interiret. Quarto hoc ipso magni alicuius sceleris reum ipsum insimulavit, quasi hanc necem & desertionem meruisset. Quintò eundem innocentem & fidelem servum suum Uriam exhibuit fatalium literarum latorem adeoque mortis suæ ministrum. Denique factum Ioabi perperam probavit, ejus necem & suorum fugam ac cædem non doluit, sed omnia devoravit, ut suam tegeret libidinem. Ecce in quas malorum voragines coactus est vir tam sanctus olim, unius peccati tyrannico imperio! Bene igitur dixit: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Sed non desiit hic tyrannis; grassabatur etiam in intellectum & synderesin, unde subdit: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, q. d. ex hoc factus sum tam insipiens, ut non adverterem vulnera mea, nec medica vi curarem, sed oblivione tecta sinerem putrescere, & fœtere, indeque affligi animam meam, quia non erat expressus sanguis peccati corruptus. Ideò paulò ante dixit: *Non est pax in ossibus meis in facie peccatorum meorum.* Tertio grassabatur etiam in phanthasiam & memoriam, dũ eas ad pecunias tantum, voluptates volvendas & revolvendas inclinabat, divinarum rerum gustum omnino tollebat, unde subdit: *Miser factus sum & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Quarto grassabatur in ejus carnem, quam ex peccato depravatam stimulabat & inflammabat ad pruritum & rebellionem. Ideo addit: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Denique grassabatur etiam in ipsam Regis dignitatem & existimationem, siquidem is ob peccatum istud militem sibi subditum, quem offenderat, debuit timere ne ipsi proderetur. Unde S. Chrysostomus hom. 1. in Ps. 50. tom. 1. ait: *Videte & admiramini fratres quantum malum sit delictis & peccatis obnoxium fieri; Rex militem timet & formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat, & confusionis opprobria metuebat. Nonne tu Imperator? Nonne gladii potestatem habes? Habeo,* inquit, *sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem.* Ideo sequitur in Psalmo illo: *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Habes igitur in Davide depictum peccati jugum & tyrannidem. Præcipit enim primo peccata multiplicare, sed quam fieri potest tectissimè, tum peccata palliare, & à se in alios rejicere. Post sine rubore delinquere, denique vi & armis nullo Dei hominumque respectu habito, uti, obvios quosque sternere, quò conceptam peccandi libidinem queat explere. His peractis sævire incipit in autorem ipsum, in ejus animi vires, in carnem, famam, substantiam, vitam. Iam verò si Christus ea tibi præciperet, quæ præcipit peccatum: quid diceres: si præciperet tibi solicitare & violare uxorem alienam: interim peccatum illud omni modo tegere, maritum ejus occidere, ita tamen ut nemo advertat: conscientiæ remorsum contemnere; famam tuam negligere: nonnè reclamares, durissimam hanc esse legem & periculis plenam? Quid si juberet te prædari, furari, latrocinari: Non præcipit hæc Christus, sed ut quietam ducas vitam, nulli malum inferas, ne malum ab altero timeas.

F. V. *Iugum Diaboli.*

Quinto. Iugum Diaboli, cujus gravitas elucet ex Isaia, qui id c. 9. *Jugum oneris*, vocat, q.d. jugum onerosissimum juxta phrasin Hebræam. Est autem triplex ejus jugum. 1. Onus, quo premit. 2. Virga, quâ percutit. 3. Sceptrum, quo tyrannicè imperat & exigit. Quæ omnia attigit Isaias, cum ait: *Jugum oneris ejus, virgam humeri ejus & Sceptrum exactoris ejus superasti.* Iugo suos premit imperando eis durissima & abominanda, quæ dum præstant, dæmoni arant & serunt. Virgâ cædit, si imperata non fecerint, vel ab ipso discedere voluerint. Scepro Imperii sui exigit ab eis peccata gravissima velut tributum, ita ut perpetuò noceant hominibus, animalibus, frugibus, &c. In Lotharingia nuper prædiviti nobilique matronæ decem liberos artibus suis nefandis occidit quædam Venefica, in quam illa semper fuerat beneficentissima. Deprehensa tandem ingrata fœmina & rogo adjudicata, ultrò prodidit eam se esse, quæ liberis illis omnibus mortem attulerat: Interrogata autem, quomodo non exhorruisset tam liberalem in se Dominã tanto damnõ injuriaq; afficere? respondit: Ad hoc minis gravissimis ac etiam baculo adegit me diabolus, quo gravius esset scelus meum propter ingratitudinẽ. Refert R. Baldus Chavasius, qui Dominam illam novit, de perf. prud. l. 3. c. 5. Idem experiuntur in hac vita & aliæ maleficæ: quæ ad gravissima quæque patranda scelera ab eo adiguntur, ita ut omni turpitudini servire, Charissimos quosque ipsosque adeò interimere liberos, occisos exhumare & comedere, ipsum Beelzebub supplices adorare, & (proh dolor!) fœdissimum ejus anum deosculari, verum Deum abnegare, Eucharistiam, SS. crucem & sacra omnia pedibus conculcare cogantur: quæ nisi fecerint, dire ab eodem flagellantur. Denique perpetuò ab eis exigit, quod peccent; ut verissimum in illis sit quod dicitur Ierm. 16. *Servietis Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

Experiuntur ad finem vitæ Magi & necromantici & quotquot cum illo pactum habuere, quam crudeli Domino servierint, dum vel repente vivi abripiuntur, vel in partes lacerantur, vel præcipitantur, vel aliter miserè pereunt.

Sed

Sed in inferno demum exiget ab eis tributum pœnarum, quod jugum erit omnium gravissimum. Roboam cæcidit subditos scorpionibus, qui patris sui flagellum ferre noluerunt, 3. Reg. 12. ita qui Christi jugum ferre nolunt, ferent aliquando gravissimum illud Diaboli. Qua de re S. August. Ser. 22. de Verb. Apostoli ait: *Scito onus Diaboli infinitis partibus gravius esse: minimus ejus digitus grossior est dorso patris (DEI.) Ille posuit judicio tuo perverso jugum grave: hic addit super jugum tuum; ille cæcidit te flagellis: hic cædit te scorpionibus in sæcolorum sæcula!* Sic ille. Viderint igitur filii Belial, id est, qui absque jugo vivere volunt, quid agant. Contra Christus habet quidem & ipse suum jugum, ut in hodierno Evangelio, virgam & sceptrum, sed suave, de quibus Ps. 22. dicitur: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Iugum nobis imponit, ut nobis aremus & occemus: Virga nos impellit ad virtutis progressum & errantes revocat: sceptro seu baculo lassos sustentat. Et hæc omnia nos consolentur, quia ostendunt profectum & salutem nostram curæ esse Deo.

Ergò ad istud jugum recipiamus nos Auditores, revertamur ad arcam nostri Noe, Christi, nec fugiamus manum disciplinæ ejus, ibi tuti erimus & inveniemus requiem animabus nostris. Sic monet Ecclesi. c. 51. inquiens: *Collum vestrum subjicite jugo, & suscipiet anima vestra disciplinam.*

CONCIO II.

QUA RATIONE JUGUM CHRISTI, id est, mandatorum ejus suave sit.

- *I.* *Consideratum in se.*
- *II.* *Propter gratiam adjuvantem.*
- *III.* *Propter exemplum Christi.*
- *IV.* *Ob charitatis adminiculum.*
- *V.* *Ob considerationem præmii.*
- *VI.* *Quia ab optimo patre impositum.*
- *VII.* *Ob consolationem divinam adjunctam.*
- *VIII.* *Alleviatur usu.*

THEMA.

Iugum meum suave est, & onus meum leve, Matth. 11.

A. CErtare secum ipsa videtur S. Scriptura, imo etjam hodiernum Evangelium. Alicubi enim ait: Iugum Dei grave esse. Nam Ecclesi. 40. dicitur: *Grave jugum impositum est super filios Adam.* Deinde passim Dominus onus suum, crucem vocat. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me*, &c. jubet etiam relinquere omnia, odisse patrem & matrem, & fratres & sorores, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam; hæc enim onus sunt, & quidem non leve nec suave. Rursum etiam viam cœli arctam, & portam ejus angustam esse, asserit idem Dominus Matth. 7. David etiam Ps. 16. vias Domini duras vocat: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Ex quibus omnibus hæretici nostri temporis sibi persuaserunt, jugum Christi prorsus importabile esse. Alibi verò scriptura ait grave non esse, ut Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, &c.* Et Psal. 28. Iudicia Domini dicuntur *desiderabilia super aurum & argentum, & dulciora super mel & favum.* Et 1. Ioan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Imò & hodiernum Evangelium videtur secum pugnare; si enim jugum est, quomodo suave? si onus, quomodo leve? Sed audiamus Christum litis hujus diremptorem. Fatetur enim hic jugum suum, iugum quidem esse, ne tanquam nimis facilè contemneres: sed adiecit, idipsum leve esse, ne tanquam nimis laboriosum fugeres. Id verò leve redditur à Christo, multis modis; quod nunc audiamus.

B. *Suave est I. Considera tum in se.* Suave & leve est iugum Christi I. In se consideratum. Iugum enim Christi seu mandatorum eius, nihil est aliud, quàm iustè & piè vivere. Adhoc autem inclinat hominem ipsa eius natura & ratio: ita ut vivere secundum rationem, idem fit ac honestè & bene vivere; male autem vivere fit contra rationem. Annon cuivis homini sensato suadet ratio, colere Deum ac parentes, proximum amare, succurrere afflictis, &c. Annon dissuadet idololatriam, cultum Diaboli, furta, latrocinia, fraudes, mendacia, &c. Hinc Deut. 30. dixit Deus ad Moysen & per hunc ad populum, *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, &c. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.* Quia nimirum omnia legis præcepta, ut ait ibi Lyranus, sint quodammodo de dictamine iuris naturalis, & per consequens scripta sunt aliquo modo in cordibus humanis, secundum quod dicitur ad Rom. 2. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Verum quidem est post peccatum multum imminutam esse hanc inclinationem in homine, ob tyrannidem concupiscentiæ, quæ ad illicita trahit hominem, ita ut jam magis secundum carnem, quam secundum spiritum & rationem vivere quærat? id tamen non ex natura & difficultate vitæ honestæ seu mandatorum divinorum, quibus ea continetur, provenit, sed ex vitio & ignavia nostra, ut docet S. Chrysostomus, manet interim igniculus rationis ad virtutem & honestatem inclinans. Quid esse potest melle dulcius? ægroto tamen amarum persæpè videtur. Ad eundem modum lex onerosa non tam sua natura, quam nostra fit pigritia. Quod verò domare etiam concupiscentiam possimus, probant illa Dei verba Genesis 4.

Sub te erit appetitus tuus,& tu dominaberis illius. Ad quod juvant quæ dicemus.

C. II. *Propter gratiam adjuvantem.*

Secundò. Propter gratiam adjuvantem. Non enim soli prorsus jubemur Dei legem constanter observare, sed una cum gratia Dei, quæ passim nobis offertur. Hoc præfiguratum est in adjutorio illo, quod præstitit Deus Levitis in gestatione arcæ fœderis ad domum David, *1.* Par. 15. Hoc est denique quod Apostolus ad Corinthios 1. Cor. 15. scribens, cum dixisset se plus omnibus laborasse, dixit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Vult dicere: Non ego solus, sed una cum Dei gratia. Hujus auxilii tantam expertus est potentiam, ut ad Philip. 4. dicere non dubitarit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Porrò varii modi possunt assignari, quibus gratia Dei nos adjuvat ad portandum istud jugum: Modò enim vires nostras corroberat, & quodammodo ex ferro vel cupro chalybem facit; quomodo ad Ieremiam dixit: *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream & in murum æreum super omnẽ terram, &c.* Ierem. 1. Hæc multos Eremitas ita confortavit, ut sæpè integras hebdomadas & amplius sine omni cibo transfigerent: martyres, ut omnia adversa tolerarent.

Modo occasiones peccandi removet & hostes nostros reprimit. Quod enim Hebræis legem servantibus ad literam promisit Levit. 26. *Dabo pacem in finibus vestris: Dormietis & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias & gladius non transibit terminos vestros*; hoc spiritualiter etiam præstat iis sæpè insciis, qui ipsius jugo colla submittunt.

Modo tentationes reprimit ac mitigat, subindeque internis Spiritus S. consolationibus nos attollit. Designatum est hoc auxilium in vento roris flante in media fornace, ignem restinguente, ne tribus illis pueris noceret, Dan. 3. Hoc enim sæpissimè nobis facit in tentationum incendiis.

Igitur quemadmodum pondus gravissimum, beneficio multarum rotularum & funium, uno digite trahi in altum potest: ita beneficio gratiæ, quæ plurimis funibus adjuvat, lex facilè servari.

Quod si igitur solus trahere hoc jugum nequeas, postula sociam gratiam à Deo, qui dat omnibus affluenter. Reges quidem terræ potestatem condendarum legum habent, non dant tamen, nec dare possunt auxila, præsertim spiritualia ad earum observationem necessaria. Non ita agit Deus, qui novit vires nostras, & suas quoque addit, ut ferre possimus quod imponit jugum.

D. III. *Propter exemplum Christi.*

Tertio. Propter exemplum Christi imprimis, deinde Sanctorum innumerabilium. Quem enim *1.* non animet exemplum ipsius Christi in suarummet legum rigidissima observatione præeuntis? Tanti est hoc exemplum, ut onus maximè alleviet, quod prædixit Sophonias cap. 3. fore nimirum aliquando, ut homines serviant Deo *humero uno*, quia nimirum ipse suppositurus erat humerum alterum, juxta prædictionem Isaiæ c. 9. *Factus est principatus super humerum ejus.* Quo loco Paraphrastes Chaldaicus per principatum legem intelligit, quam, quia Dominus opere implevit, super humerum portasse dicitur. Quis ergo non libentissimè supponat humerum alterum, quando considerat Christum supposuisse primum? Tantam habuit vim exemplum S. Petri ad gentes sibi conformandas, ut Sanctus Paulus eum redarguens diceret: *Quomodo gentes cogis judaizare?* ad Gal. 2. Multo ergo magis cogere nos debet exemplum Christi ad jugum ejus ferendum. Signum enim est, quod non adeo durum sit, quod ipse, qui supra leges est, subire non detrectavit: ut taceam, quod ipsa societas tanti regis jugum alleviare debeat. S. Clemens relegatus in Insulam quandam à Trajano, cum ibi ad duo millia Christianorũ invenisset, ad secanda marmora eò relegatorum: adeo recreatus fuit, ut indignum se reputaret: qui coronæ illorum particeps fieret: *Non meis meritis*, inquit, *misit me Dominus vestræ coronæ participem me fieri.* Quis igitur non libenter ferat jugum Christi, quod vidit ab ipso & tot millibus Sanctorum ejus alacriter portari? Certè sancti quippe non erant contenti Christi jugo, quasi levius id esset, quã optarent, Unde onus sibi addiderunt, servando etiam consilia & plurima supererogationis opera faciendo.

E. IV. *Ob charitatis adminiculũ.*

Quartò, Ob chraritatis adminiculum, quo tanquam pulvinari suffultum est jugum. Constat enim, ut ostendit S. Augustinus de sancta Virginitate, nullo modo onerosos esse labores animantium, sed ipsos delectare: sicut venantium, aucupantium & piscantium. *In eo enim quod amatur*, ait, *aut non laboratur, aut labor amatur.* Ut ergo labor venantium aut piscantium, &c. ipsemet est delectatio laborantibus: sic Deum amantibus jugum Christi. Unde optimè idem S. Pater serm. 22. de verbis Apostoli, onus hoc comparat alis avium, quæ potiùs sublevant, quàm onerent. *Hæc Sarcina*, inquit, *quæ esse putatur: non est pondus onerati, sed alæ volaturi*; *habent enim & aves pennarum Sarcinas: portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo*, &c. Quin & M. Aurelius Imperator scribit ad uxorem: *Leges tum juga sunt, sub quibus mali arant*; *tum alæ: quibus boni volitant, & libero cœlo fruuntur.* Quid facit ut matres tot labores & molestias devorent gratia filiorum? amor. Quæ causa est, cur aves tanta industria nidificent, ciborum oblitæ ovis incumbent, pro pullis suis pugnent? amor. Vide igitur ut amore Dei ardeas, & in eo semper crescas: tunc invenies quod dico, jugum Christi semper magis & magis leve. Quando quis brumæ tempore: onus aliquod ferre humeris nequit, imponit illud trahæ, & nullo negotio trahit. Videtur quidem onus augeri dum traha ei adjungitur: sed hæc ipsa levius facit onus: Simili modo dicere quis posset, duplicari onus, dum amorem etiam requirimus ad mandatorum observantiam? Sed hæc ipsa rheda vel traha magnoperè eam levigat. Si ergò Christum legislatorem nostrum ex corde amaremus, onus ejus parum sentiremus.

Quin-

F. V. *Ob considerationem præmii.*

Quintò. Ob considerationem præmii, quod jugo Christi annexum est. Si enim agricola tolerat labores plurimos ob spem frugum & messis: si operarius portat pondus diei & æstus ob denarium diurnum: si miles se innumeris exponit vitæ periculis ob spem prædæ vel gloriæ, mercator periculis maris ob spem lucri, & his omnibus sine tædio: quomodo asperum esse potest, pro æterna gloria portare jugum Christi brevi hujus vitæ curriculo? obtulit se Iacob ad serviendum pro Rachaele septem annis in pastorali munere; *Et videbantur illi pauci dies*, inquit Scriptura, *præ amoris magnitudine*, Gen. 29. Cur non ergò similiter leve nobis erit jugum id, quod parvo tempore gerimus pro æterna felicitate? Propterea Apost. ad Ephes. c. 1. tam vehementer orat, *ut Deus*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, &c.* Non enim dubitavit Apostolus, omnem nostrum laborem suavem nobis & levem fore, si illuminatis oculis intueremur divitias gloriæ laborantibus præparatas. In prato spirituali (quem librum S. Nicæna Synod. approbavit) legitur Monachum quendam cellulam sibi construxisse, duodecim passuum millibus ab aqua dissitam. Quadam die egressus ad eam apportandam animo ex lassitudine linqui cœpit, recollectis nonnihil viribus, seipsum stultitiæ damnat, quòd loco tam incommodo domicilium sibi delegerit: ergò dum variis mens cogitationum fluctibus quatitur: *Benè habet*, inquit, *vicinior aquis cellæ locus quærenti non deerit.* Hæc dum animo versat, ecce tibi ponè illum quasi hominis vox (cœlo sine dubio delapsa) unum, duo, tria, articulatè in aëre efformans. Versus in stuporem monachus in omnem partem oculus circumferens, curiosus num quem in solitudine fortasse videret metientem quidpiam, deprehendit neminem; iter ergò prosequitur suum, urgetque designatum mente tuguriolum: redit, ut ante vox altera, eosdem numeros ingeminans. Incassum denuò frater respicit: adest tertio, ternarium iterans, qua vix finita, juvenis adstat speciosissimus, itaque virum alloquitur. *Ne turbere, Angelus è cœlo mittor, passus tuos singulos studiosissimè numerans, sua ut cuique merces, eaque amplissima olim solvatur*, finit, & ex oculis Monachi se subducit. Hic verò quid? errorem corrigit, mentem mutat, & cui animo sederat, accedere aquæ propiùs, statuit ab eadem (quod & fecit) multo adhuc recedere longius; didicerat scilicet auctis laboribus auctius vicissim in pulchra illa æternitate præmium respondere.

Alexander M. cum in itinere videret Macedonem Agasonem, qui mulum defessum auro onustum agebat, à mulo in humeros suos sarcinam transtulisse; ne id forte perderet, sciens esse Alexandri, & tamen ipsum quoque Agasonem sub onere deficientem, progredi non posse. Agasoni vicinior factus dixit: *Ut tibi hic labor minus gravis sit, in tabernaculum tuum hoc aurum deferes, quia jam ex hac hora tuum esse jubeo.* Fulgos. lib. 4. Quis dubitat hunc Macedonem facilius deinde gestasse hoc aurum in domum suam? Idem ait nobis Deus. Lex ejus saccus est plenus auro gloriæ cœlestis; Si ad eum deferamus saccum hunc, donat nobis aurum. Ut nobis labor minus gravis sit; nobis enim laboramus, nobis aurum gestamus. Unde Isidor. Clarius orat. 9. tom. 3. ait: Videtur mihi Evangelicæ legis jugum ac onus persimile esse, ut si quis torquem maximi ponderis ac immensi pretii collo circumponat, vel ingentem auri massam, quam dono acceperit, humeris ferat: utrumque onus est, sed minimè sentitur ob metalli speciem atque pretium: quin ij qui ea ferunt, lætantur ac gestiunt, sibique in eis placent. Idem cernimus viris Evangelicis usu venisse, qui *gloriabantur*, ut aiebat Paulus, *in afflictionibus, & omne gaudium existimabant, cum in varias tentationes incidissent.* Sic Isidorus.

G. VI. *Quia ab optimo patre impositum.*

Sextò. Suavitas etiam hujus jugi vel exinde sumi potest, quod ab optimo & amantissimo patre Christo nobis impositum sit. Gravissima videri Isaaco sarcina illa lignorum poterat, quam imposuit ei pater ferendam, Gen. 22. nisi eam sciret à benignissimo patre sibi impositam. Quanto æquius ferendum onus, quod imposuit nobis Christus, qui novit exactissimè quid & quantum nobis imponat, quamque id necessarium & salutare nobis sit; tantum abest, ut vires nostras opprimere velle importabili jugo existimandus sit. Quomodo enim non omni Tyranno crudelior & stolidior foret, si impossibilia præcepisset & importabilia imposuisset: Taceo quod nullum peccatum foret non implere, quæ non possis?

H. VII. *Ob consolationem divinam conjunctam.*

Septimò. Ob consolationem divinam, quæ est instar unguinis, quo inunctus currus facili vi trahitur. De quo Isa. 10. dicitur: *Computrescet*, id est, mollescet, *jugum à facie olei.* Et 2. Cor. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quam grave jugum putatis jacuisse in dorso S. Andreæ, cum biduo in cruce penderet? Et tamen ille, cum venissent, qui deponerent eum, rogavit Dominum, ne id permitteret: *Ne me permittas Domine*, inquit, *descendere vivum.* Quid quæso emollivit & putrefecit hoc tam grave ejus jugum; nisi consolatio interna, quâ abundabat? Non ita jugum eorum, qui mundo serviunt, inunctum est: stridet currus eorum, quia unctione ista caret.

I. VIII. *Alleviatur usu.*

Octavò. Ultimo alleviatur usu & consuetudine. Sic currus in ipso progressu facilius trahitur quam initio. Sic pueri etiam parvi magnas campanas pulsant dum illæ sunt in motu, non ante. *Subito procedent, de umbra ad solem*, ait S. Bernard. Epist. 5. *de otio ad laborem. Grave cernitur omne quod incipit: Sed postquam ab his dissuescere & ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facilè esse, quod impossibile ante puta-*

putavit, &c. Denique jugum Christi simile est herbæ Moly; quam Ulysses difficillimam navigationem instituens, secum accepisse contra præstigias Circes scribitur ab Homero, ejus enim radix erat nigerrima, flores autem candidissimi: Simili modo virtus præsentissimum remedium in hujus vitæ navigatione contra Dæmonum insidias, initio quidem horrida est homini inassueto, postea verò paulatim vertitur in suavissimi odoris flosculum. Quare Auditores, ne dubitemus jugo Christi subjicere cervices nostras: tametsi enim in hoc tempore deformitatem & asperitatem aliquam continet, progignet tamen ad finem temporis & initium æternitatis candidissimum æternæ felicitatis florem, &c.

CONCIO III.

INVITATORIA AD JUGUM DIABOLI trahendum dissuadentur.

I. Invitat per superbos.
II. Invitat per avaros.
III. Invitat per obscœnos.
IV. Invitat per invidos.
V. Invitat per iracundos.
VI. Invitat per gulosos.
VII. Invitat per otiosos.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. 11.

A. Traditur Hyæna sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum foras laceret, ut scribit Plinius lib. 8. cap. 30. Quo Schemate rectè delineari potest humani generis hostis; siquidem & ipse humanam supremi pastoris nostri Christi vocem & loquendi modum imitatur, ut ita incautos homines ad se evocatos perimat. Invitat nos Dominus in hodierno Evangelio ad suave Iugum suum suavissimis illis verbis: *Venite ad me omnes, &c.* & passim alibi in SS. literis per os Spiritus sancti: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, Psal. 33. Et: *Venite, comedite panem meum*, Prov. 9. &c. Sed ecce, hanc eandem vocem imitatur dæmon, & à suavi Christi jugo, ad gravissimum suum evocat homines non tam sua quam suorum mancipiorum humana voce. Modò enim clamat: *Venite faciamus nobis civitatem & turrim*, Genes. 11. Modò: *Venite sapienter opprimamus eum*, Exod. 1. Modò: *Venite fruamur bonis, &c.* Sap. 2. Modò: *Venite percutiamus eum lingua*, Ierem. 10. Modò: *Venite & occidamus eum*, Matth. 11. Modo: *Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate*, Isai. 56. Modò: *Venite mittamus sortes*, Ion. 1. Et quidem si unquam alias deceptorias has emittit voces, tum maximè his diebus, quibus imminent Bacchanalia. A quibus nos paternè dehortatur Sapiens Prov. 1. *Fili mi*, inquit, *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem & integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.* (Quis in istis verbis non agnoscit vocem Bacchantium?) *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt.* Videat igitur unusquisque cujus vocem audiat, Christi invitantis ad refectionem, an diaboli invitantis ad perditionem: Christi invitantis ad jugum suave, an diaboli invitantis ad jugum grave & importabile. Qua in re ne quis decipiatur, examinabimus accuratius voces cacodæmonis, & jugum ad quod vocat.

B. I. *Invitat per superbos.* Primò. Per superbos & ambitiosos clamat: *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum & celebremus nomen nostrum.* His verbis invitavit filios Noë ad ædificandam turrim Babel, Gen. 11. Tum ut eo ædificio nomen sibi facerent, tum ut in eo diluvium (si quod deinceps iterum fieret) effugere possent, ut tradit Iosephus. Sed quorsum te hi invitant? Nonne ad laborem immensum? Nonne ad jugum grave? Conantur ambitiosi acquirere sibi nomen & erigere titulos, statuas, gloriam & celebritatem: Sed quantæ impensæ & laboris id est? Alii serviunt multis annis, nihil quantumvis vilium obsequiorum detrectant: blandiuntur, munera adjiciunt, ut sperata potiantur dignitate. Alii maxima adeunt pericula, in equis currunt, hastiludia exercent, &c. ut videantur & celebrentur. Alii militiam tolerant & in ea durissima quæque latera hostibus objiciunt, ut aliquod munus obtineant: Alii libros componunt, diu noctuque student, &c. Alii maximas hoc tempore impensas faciunt ut pompa & splendore alios larvatos superent & ab omnibus suspiciantur. Sed quid tandem efficiunt? Inprimis sæpe frustra laborant & confunduntur dum in medio opere abripiuntur è vita, vel turpiter spe sua frustrantur, ita ut omnia eorum obsequia non observentur aut curentur à magnatibus, quibus blandiuntur: Ac sicut ædificatores Babel cum fortè peterent ligna, alii præbuerunt lapides, cum peterent trullam, alii porrexerunt malleum: Ita fit ambitiosis & contigit arrogantissimo illi Ablavio, qui à Constantino Imperatore ad tantam gratiam evectus erat, ut pene Imperatore plus posset: postea Constantius filius Constantini eum imperio exuit, & satellites cum litteris honorariis ad eum misit, ut eum interficerent. Qui primo litteras ad pedes provoluti exhibent; quibus perlectis omnique metu

solutus, purpuram magno fastu in literis oblatam poposcit: At illi nihil se amplius in mandatis habere professi, pro foribus stare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt: Intromissi virumque adorti, pro stola purpurea necem illi purpuream obtulerunt, frustatim dissecto in modum pecudis. Testatur Eunapius in vita philosoph. Deinde licet adipiscantur, quod quærunt, tamen se ideo deceptos adhuc vident, quia non evadunt (quod sperabant) commune diluvium seu communes hominum miserias, curas, labores, ægritudines, inimicitias, molestias, morbos, mortem. Æque enim frigent, esuriunt, ægrotant, spernuntur, traducuntur, anguntur & moriuntur ut ante. Neque & nomen suum celebrarunt, sed potius conspurcarunt: Quia scilicet fœtorem nominis sui post se relinquunt & ludibrio habentur: Quemadmodum & nunc larvati seipsos risui exponunt. Denique non satiantur dignitatibus vel honoribus partis, sed sicut infinitus labor foret, ad cœlum usque ædificare: Sic infinitum est ambitiosorum desiderium. Pervenit quis ad gradum signiferi, nunquid ibi quiescit? Minimè verò, sed illico quærit esse Capitaneus. Huc ubi pervenit, vult esse Belli Dux. Deinde Princeps, postea Imperator. Hic orbis totius affectat imperium, & si illud obtinuerit, dolebit cum Alexandro Magno esse plures orbes, quibus necdum imperet vel non esse plures, quibus imperare queat.

B. I. *Invitat per avaros.*

Secundo. Clamat per avaros: *Venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur.* Quod dicebat Pharao de populo Hebræo, idque sedulo faciebat atterendo eum laboribus. Idem faciunt avari apprimendo pauperes. Sed quemadmodum illi res pessimè successit: ita solet & istis: Nam propterea Pharao, ejusque populus decem gravissimis plagis infestatus, & à Deo castigatus, deinde ab Hebræis spoliatus, ac denique in mari rubro submersus est, Exod.14. Et de avaris ait Apost.1.Tim.6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Avari enim postquam induerunt se laqueis avaritiæ, perpetuis anguntur desideriis sua scilicet conservandi & plura cumulandi; unde sapienter opprimunt alios, id est, multis technis, fraudibus & mendaciis emungunt illis pecunias & bona sua: currunt, equitant, navigant, somnum arcent, eviscerant se ut araneæ, variaque retia tendunt ad capiendos nummos: & tamen nil nisi majores curas & muscas capiunt: atque ita dum ipsi laqueos tendunt opibus, interim cadunt in laqueum diaboli. Itaque *desideria eorum sunt inutilia*, ait Apostolus, quia inprimis sæpe non acquirunt prædam speratam. Unde Sapiens Prov.23. ait: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ & volabunt in cœlum.* Deinde licet acquirant, adhuc non satiabuntur, quia dives cupidus semper se judicat esse pauperem. Et præterea *nociva* etiam sunt avarorum desideria, Apostolo teste, non solum animæ habentis, sed etiam cæteris hominibus, quibus student auferre bona: Uti Iacobi 4. dicitur, *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc: ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non potestis adipisci: ligatis & belligeratis, & non habetis.* Inde percutiuntur avari probris, detractionibus, furtis, invidia, &c. præter intestinas eorum plagas. Habent curarum muscas perpetuò eos infestantes, cyniphes, id est, conscientiæ stimulos: ranas, id est, aliorum detractiones: tenebras, id est, metum judicii: ulcera, id est, peccata gravia: sanguinem scilicet pauperum clamantem in cœlum: locustas, id est, fures: mortem primogenitorum, id est, perditos & prodigos liberos. Tandem ut Ægyptii bonis suis vasis scil. aureis & argenteis spoliati sunt, & deinde in mari submersi: sic & avari spoliantur in morte amarissima omnibus suis bonis, & fortè ab alienis & ingratis, *merguntur que in interitum & perditionem*, Apostolo testante.

B. I. *Invitat per superbos.*

D. III. *Invitat per obscœnos.*

Tertio. Clamat per libidinosos: *Venite & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ita loquuntur impii Sap.2. ubi tamen mox subjungitur: *Hæc cogitarunt & erraverunt: excœcavit enim illos malitia eorum.* Et cap.5. sequenti ipsimet fatentur: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus, &c.* Errant ergo isti & ex verissimis propositionib. falsissima concludunt multipliciter. 1. enim desiderant multo tempore frui deliciis, unde dicunt: *Venite & fruamur bonis, & utamur creatura tanquam in juventute:* id est, ita nos delectemus: ut nunquam consenescamus: ut ibi Lorinus; interim tamen delicias suas ipsi sibi præscindunt per intemperantiam libidinis. Deinde quia tempus breve est, ipsi id deliciis dare volunt: *non prætereat nos flos temporis*, inquiunt: cum tamen longè aliter cum Apostolo concludere deberent 1.Cor.7. *Fratres, tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint, &c. & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi:* Rursum cum dicunt: *Coronemus nos rosis*, plurimum aberrant, pro rosis enim inveniunt spinas sua in libidine, siquidem morbos sibi conciliant, veluti spectra incedunt: inde diffamantur & omnibus odio sunt ac contemptui: loculos insuper suos exhaustos vident cum prodigo filio? amor etiam obscœnus citò in odium vertitur. Quot vulnera sibi infligit qui rosas illas carpit? Denique in eo errant, quod omne pratum percursuros se sperent sua luxu-

luxuria, undique enim impedimenta inveniunt; æmuli insidiantur, Magistratus punit, Deus castigat. Atque ita sicut qui per prata equitant aut currunt, intercipiuntur & mulctantur, sic fit obscœnis amatoribus, ut dum noctu quærunt veneres suas, intercipiantur,&c. Unde merito tandem exclamant: *Ergo erravimus.*

E. IV. *Invitat per invidos.*

Quartò, Clamat per Invidos: *Venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes.* Et: *Venite & percutiamus eum linguâ,* Ier. 18. Et invenit sanè multos Dæmon; qui ei obsequantur præsertim in conviviis, quæ celebrantur his maximè diebus. Ibi enim certatur detractionibus & nemo non laceratur: ita ut si quis confiteri cupiens, peccata sua non recordetur, eat ad convivium Bacchi, & ibi ea diligentissimè enumerari audiet. Ibi excogitantur etiam falsa, quæ dicantur in odium aliorum & ad placitum convivantium. Sed interim ipsi etiam grave jugum Diaboli gerunt, dolent enim ob aliorum prosperitatem aut excellentiam, & vanos se perversosque produnt coram sapientibus, dum aliorum vitia produnt. Unde Eccles. 19. dicitur de invido: *Sagitta infixa fæmori carnis, sic verbum in ore stulti.* Talis enim sagitta ostendit canem esse saucium, & continuum ei dolorem affert: Sic verbum detractorium, ostendit detractorem ipsummet esse peccatorem, & affligit eum donec evomat quod de aliis malè audivit. Horridum foret aspicere convivantes Antropophagos, qui homines membratim concidunt & vorant. Et quid aliud faciunt detractores? nonne & ipsi deartuant devorantque homines, cum eorum famam rodunt? Unde Apostolus ad Gal. 5. ait: *Quod si invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem consumamini.* Grave etiam sibi onus imponunt restituendi videlicet honorem ablatum, quod ægrè admodum fit.

Itaque detractores primo torquentur donec undique detrahant. Secundo seipsos magis quam alios feriunt. Tertio difficilè curam admittunt.

Certè his imprecatur Ieremias, eod. cap. *Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.* Quibus verbis non tam imprecatur invidis, quàm denuntiat eos esse incurabiles: quia resistunt reprehensioni, nec volunt fateri se aliis detraxisse: Ut enim canis mordet etiam eum, qui vult ei sagittam è pede extrahere, sic detractor.

F. V. *Invitat per iracundos.*

Quintò, Clamat per iracundos: *Venite occidamus eum.* Sicut clamavit per Scribas & Pharisæos Christum persequentes, Matth. 21. Hoc verbo invitat dæmon homines ad vindictam exercendam, ad rabiem suam etiam in innoxios exonerandam, & sanè hoc tempore plurimos invenit sectatores, qui videlicet armati de nocte grassantur per plateas & nil aliud optant quàm vulnera aut infligere aut recipere. Qui sanè in jugo diaboli trahendo non infimi sunt: sibi ipsis enim imponunt onus gravе perturbationis & damnorum emergentium. Sive enim vulnerent, sive vulnerentur, sive occidant, sive occidantur, an non sibi nocebunt? Quam stulti forent illi milites, qui volentes duello certare, id à suo Duce nequaquam obtinerent nisi hac lege, ut qui alterum occideret, & ipse occideretur? Atqui hoc norunt iracundi, sibi videlicet sive lædant sive lædantur parem imminere cladem. Quemadmodum ergò Iudæi malè perierunt & acerbissimè puniti sunt in excidio Ierosolymitano ob Christi necem: sic etiam iracundi supplicium sibi afferunt. Eleazarus ille, cum subter Elephantem ingressus esset & gladium in ventrem ejus adegisset, bestiam quidem prostravit, sed ipse etiam victor à corruente bestia oppressus est, 1. Macc. c. 6. simili pugna decertant Elephas & Draco pari utriusque exitio. Draco in Elephantem insilit & sanguinem ejus ebibit, demum Elephas exsanguis concidit & Draconem inebriatum opprimit ac commoritur, ut refert Plin. lib. 8. c. 12. Ita evenit etiam Iudæis: occiderunt illi Christum & sanguinem ejus suxerunt, cum clamarunt: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros,* Matth. 27. Itaque venit super eos, quando videlicet post 38. annos in obsidione miserrimè obtriti & exterminati sunt. Idipsum evenit iracundis & gladiatoribus: vel enim occidunt, & tunc ipsi quoque ad necem quæruntur: vel sauciant tantum, & pœnæ obnoxii sunt; habentque insuper hostem perpetuum; conscientiam item postmodum inquietam & feram pœnitudinem: vindictam Dei sibi imminentem, &c.

G. VI. *Invitat per gulosos.*

Sextò, Clamat per gulosos: *Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras & multo amplius.* Sic clamat apud Isaiam cap. 56. Ad quam vocem plurimi sanè his diebus maximè diaboli jugo se subjiciunt. Sed quàm grave est hoc jugum, nonne sibi ipsis pœnas afferunt ebriosi? Et nonne magna pœna foret, si quis quotidie inebriari deberet? Quid quod aliqui ita assuescunt ebrietati & intemperantiæ, ut semper sitiant, quia scilicet hepar inflammatum habent? an non isti mancipia ventris sunt.

Multum verò decipiuntur in eo, dum sibi promittunt diutinam vitam, dicentes: *Erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius.* Ipsi enim sibi præcidunt vitam, & merentur ut præcidat eis Deus. Unde dicit Iob c. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* Alius enim in ebrietate per scalam cadit & extinguitur: *in puncto ad infernum descendit.* Alius confoditur: *in puncto, &c.* Alius mane in lecto mortuus reperitur: *in puncto, &c.* Alius apoplexiâ tangitur: *in puncto, &c.* Etsi tale quid vel uni tantum ex nobis eventurum sciremus, nonne omnes metuere deberemus?

H. VII. *Invitat per otiosos.*

Septimò clamat per otiosos: *Venite & mittamus sortes.* Sic dicebant nautæ periclitantes in mari Ion. 1. Idem otiosi dicunt Bacchanaliorum maxime tempo-

tempore. Cum enim honestas alias recreationes, multò magis verò laborem fastidiant, ludos & aleas proferunt. Et siquidem ludus esset moderatus, utcunque tolerari posset. Sed nimis excedit limites, & ferè ita luditur ut non tam recreatio, quam amaritudo in ludo percipiatur. Ut enim in charta lusoria quatuor sunt figuræ, ita & lusorum quatuor mala sunt. Primum est perpetuus perdendi metus, quia & perpetuum periculum: designatur per folia, quæ in arbore semper tremunt. Sic enim dum pecunia est sub alea semper trepidat lusor, ita ut quandoque lusores postquam omnes facultates suas & uxoris perdiderunt, vitam sibi eripiant. Secundum insatiabilis ludi cupiditas, ita ut nec cibum capere, nec somnum queant, interdum designatur per cordis figuras, quia scilicet lusus consuetior; cor mentemque occupat, & eo interdum abripit, ut tota ejus familia pessum eat. Tertium, infamia & dedecus: siquidem malè sonat, sive dicaris magnam summam lucratus esse, sive perdidisse: utrobique temeritatis convinceris & levitatis, uti multis accidit. Et hoc per nolas, stultorum insignia, designatur. Est enim ingens stultitia, quòd quis pecuniam multo labore partam unius aleæ jactui credat, aut folio chartaceo. Et nonnè magna stultitia eorum est, qui postquam sua perdiderint, solent ipsas chartas dentibus lacerare; quanto rectius sibi ipsis irascerentur, qui chartas non abjecerunt; Quartum inopia, quæ plerumque comitatur aut sequitur lusores, designatur per glandes, quæ sunt porcorum cibus: Nimirum tunc cum prodigo filio eo rediguntur ut glandes tandem & porcorum siliquas comedere cogantur. Tametsi verò lucreris, parum id ibi proderit, quia caret Dei benedictione tale lucrum.

Cæterum super hæc omnia, gravissimum superest jugum, obligatio videlicet reddendæ rationis coram Deo.

Ad extremum igitur Christus à diaboli jugo nos avocaturus, clamat: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Clamat mundus: ego deficio: Clamat caro: Ego inficio; Clamat diabolus: Ego interficio. Clamat Christus: ego reficio. Quē malumus audire? Et certè nisi nunc audiamus dicentem & vocantē? *Venite ad me omnes*; Et *Tollite jugum meum super vos*: Non audiemus ibi dicentem: *Venite benedicti patris mei.* Itaque; *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione.*

CONCIO IV.

JUGUM QUADRAGESIMALE acceptandum.

I. *Jejunium quadragesimæ*
II. *Modestia & honestas major.*
III. *Pœnitentia*
IV. *Majus studium audiendi verbum Dei.*
V. *Fuga peccatorum major.*
VI. *S. Communio paschalis.*

THEMA.

Tollite jugum meum super vos, & discite à me, Matth. 11.

A. Faustus fuit hic dies Apostoli Matthiæ Carolo V. Imperatori laudatissimo, quoniam eo die natus est, ea Gallorum Regem devicit captivumque fecit in memorabili pugna apud Ticinum Insubriæ Urbem, eo denique Augustale diadema de manu Pontificis Romani Bononiæ suscepit, Majol. tom. 1. Canic. coll. 4. Unde gloriabatur optimus Princeps, quod hoc die non solum vitam, sed & sortem imperii, felicitatis & victoriarum accepisset. Nobis etiam, Auditores, faustum illum diem non immeritò reputamus, quia nimirum plerumque in capite Quadragesimæ solet nobis occurrere, eamque nuntiare. Quid autem est Quadragesima, nisi tempus in quo secundum animam renascimur per pœnitentiam? Quid nisi tempus & occasio plurimarum victoriarum, quas de mundo, carne, dæmone possumus reportare? Quid nisi tempus gloriæ, in quo, si unquam alias, suave Christi jugum veluti coronam imperialem (*quia servire Deo regnare est*) capiti nostro imponimus? sed video Auditores multos esse, qui diei hujus felicitatem dictam parum apprehendant, quia hoc jugum timent. Idcircò pondus hoc nonnihil alleviabimus.

B. I. *Iejunium Quadragesimæ.* Iugum 1. est jejunium quadragesimale. Et hoc quam leve? quam suffultum? Præcipitur abstinentia à carnibus: quantulum id est? Nunquid in solo carnis esu vivit homo? Quomodo enim ante diluvium per annos 1600. vixerunt homines & quidem usque ad 900. annos, qui tamen carne & vino abstinuerunt juxta communiorem PP. & DD. sententiam? & quomodo extra jejunia multi nullo negotio carnibus abstinent, imò esum earum tandem fastidiunt, & alios cibos præferunt? quomodo villani, cum vix quater in anno carnes edant, interim tamen robusti sunt & longævi? Sed nimirum rectè dixit Abacuc cap. 1. *homines esse velut pisces maris.* Nam uti pisces qui in nassa sunt egressum quærunt, & qui extra, ingressum: ita nos in vetitum nitimur, & cum licet edere carnes, fastidimus: & cum non licet, desideramus. Unde hæc persuasio, nisi ab illo, qui vetitam arborem suasit Evæ, quasi cæteris meliorem & salubriorem, cum esset omnibus pestilentior? Quis non dicat levissimum fuisse præceptum, ut abstineret Adam ab unica illa arbore, cæteris omnibus concessis, similiter quis audeat dicere grave hoc esse jugum aut præceptum, solis carnibus abstinere ad tempus, cæteris omnibus cibis permissis.

Deinde præcipitur jejunium, id est, unica in die refectio. Et quid hoc difficile? Nonnè sat superque suffulcit hoc jugum Ecclesia? permittit collatiunculam vespertinam: Non interdicit potum: anticipavit nonnihil refectionem: non culpat paulò liberaliorem refectionem: excipit à jejunio dies Dominicos, excipit juniores usque ad annum 21. completum: excipit senes, viribus destitutos: excipit pauperes, qui non habent, quod sufficiat vel refectioni: excipit eos qui duriore occupantur labore: excipit infirmos, fœminas gravidas & lactantes: denique si quis probabili motus ratione impotentem se existimat ad jejunia juxta rigorem Ecclesiasticum, facile acceptat ejus excusationem, qua tamen in re confessarius aut vir prudens consulendus; quia universim cum gravi alicujus damno neminem intendit obligare. Quid blandissima mater nostra facere nobis amplius poterat? Considerate exemplum Christi & videte, utrum æquum sit Christo jejunante nos ventri indulgere? *Discite à me*, inquit. Nescimusne quid evenerit populo Hebræo, quando Moyse in monte jejunante 40. diebus ipse sedit manducare & bibere, & surrexit ludere? Exod 32. Et cur jejunavit Christus, nonne propter nos solummodò. Sanctissimus ipse erat, non indigebat hac medicina: sed propter nos eam sibi applicavit, ut nos adhiberemus. Si Medicus videns ægrum abhorrere à cauterio sibi necessario, candens ferrum arriperet, & sana licet in carne sua ustionem prior faceret, solùm ea causa, ut persuaderet ægro ustionem illi necessariam: nonnè qui ulcus habet, ferrum è manu medici rapere deberet & ulceri suo infigere? vel saltem cauterium libenter accipere? Præeunte rege Ninive ad jejunium & pœnitentiam, facilè subsecuta est tota civitas, tametsi id sua causa faceret rex: Cur ergò non sequamur Christum jejunantem propter nos? Demum viderit unusquisque ne si ad modicum tempus ejusmodi cupedine renuat privari, in æternum ea privetur? quo modo legimus comminatum aliquando Deum Hebræis, si noluerunt dare terræ Sabbathum anni septimi, fore ut ea ejectis & in captivitatem ductis Hebræis perpetuò sabbatizet, Levit. 26. *Tunc placebunt*, inquit, *terræ Sabbatha sua & requiescet in Sabbathis solicitudinis suæ, eò quod non requieverit in Sabbathis vestris.* Veniet tempus cùm præ omnibus cibis desipiet nobis caro in morbo nimirum, & quid si tibi cum epulone aliquando æternum abstinendum sit; Ven. Beda scribit l. 5. hist. Angl. c. 3. Drithelmum Anglum, postquam mortuus vidisset inferni & purgatorii pœnas intolerandas, postmodum vitæ restitutum, incredibili austeritate corpus suum vexasse, jejuniis præsertim, & in fluminibus gelu concretis orasse. Dicentibus verò fratribus: *Mirum frater Drithelme quòd tantam frigoris asperitatis ulla ratione tolerare prævales*: respondebat ille: *Frigidiora ego vidi.* Et cum dicerent: *mirum quod tam austeram tenere continentiam velis*, respondebat ille: *austeriora ego vidi.* Sic usque ad mortem afflixit se. Quare meritò dixit S. Chrysost. in 2. ad Thess. 2. *Si terribile aliquid videris, cogita gehennam & illud deridebis.*

C. II. *Modestiæ & honestas major*

Secundum. Est modestia, quies & morum honestas major, abstinentia à nugis & vanitatibus sæculis. Tametsi verò hæc modestia decet Christianos omni tempore (utpote, qui Apostolo teste ad Rom. 13. non amplius in tenebris ignorantiæ & impietatis, sed in luce Evangelii ambulant, adeoque *sicuti in die honestè ambulare debent*) maximè tamen hoc tempore, quo Christi passionem recolimus, eidemque ad nos venturo in Eucharistia obviamus. Genesis 24. legimus Rebeccam, cum à longè vidisset Isaac Dominum & sponsum suum, descendisse mox de camelo & pallio se operuisse, ut sic debita cum honestate obviaret Domino suo. Ita facere nos nunc decet, si priùs ante & per Bacchanalia absque honestatis pallio immodestè, superbè & petulanter incessimus, nunc in terram descendamus & Christo decenter obviemus. Nobis dictum existimemus id Apostoli ad Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est.* Neque hoc jugum grave esse cuiquam debet; quoniam Christi passi memoria honestatem & gravitatem istam exigit. Qui parentem luget, graviores mores induit, non adit nuptias aut choreas, non induit vestes multicolores, &c. Nos autem hoc tempore lugemus parentem nostrum optimum & maximum Christum. *Musica in luctu importuna narratio*, ait Eccles. c. 22. Nunc autẽ totus Orbis Christianus luget. Ideò altaria lugubri amictu nũc cernũtur. Et quomodo os rideat aut cachinetur, manus gesticulẽtur, pedes saltent, capite afflicto & languẽte.

D. III. *Pœnitẽtia*

Tertium Pœnitentia, quæ non tam jugum est, quàm jugi depositio, peccatorum videlicet, de quibus queritur S. David: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Quis autem bajulus non gaudet cùm eò appropinquat, ubi onus deponendum est? Et licet hoc onus non deponatur absque molestia, ea tamen levis est. Quemadmodum virga Moysis abjecta in terram serpens apparuit terruitque Moysen; resumpta verò virga fuit & nihil terroris habuit, Exod. 2, ita & pœnitentia à longè quidem visa & cogitata, serpens quidam terribilis putatur: sed arrepta, non nisi virga est eaque admodum salutaris ad excutiendam conscientiæ nostræ vestem à pulvere & sordibus peccatorum. Unde Apostolus ad Hebr. 12. *Omnis disciplina*, inquit, *in præsenti quidem videtur non esse gaudij sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

Quòd si cui grave hoc jugum videtur, meminerit alterius longe gravioris, quod in gehenna expectat impœnitentes. Audiat S. Bern. in Psal. 90. *Si jugum*, inquit, *pœnitentiæ suave non creditis in seipso, vel hoc non ignoratis, quia suavissimum est, comparatione illius, de quo dicitur: Ite in ignem æternum.*

Zachar.

Zachar. 12. ait Dominus: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum.* Virga Decor, pœnitentia est, quia decorem & gloriam affert: Virga verò, quæ funiculus seu flagellum dicitur, gehennam denotat, quia ad internecionem cædit & ligat in perpetuum. Elige tibi nunc, quam vis.

Sed forte est aliquis, qui dicat, inquit S. August. ser. 57. de tempore, *Ego in militia positus sum; Uxorem habeo, & ideo pœnitentiã agere quomodo possum? Quasi nos, quando pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre, & non peccata dimittere: & vestimenta potius evellat quam mores. Qui hac dissimulatione decipere se magis quam excusare conatur, attendat, quia Regem David nec honor regni, nec dignitas vestimenti ad pœnitentiã agendam potuit impedire,* Hæc August.

E. IV. *Majus studium audiendi verbum Dei.*

Quartum, Majus studium audiendi verbum Dei, orandi, legendi, aliorumque piorum operum. Qua de re audiamus Augustinum in capite jejunii quadrag. sic concionantem ser. 57. de tempore: *Sicut tempore messium vel vindemiarum: unde caro nostra possit sustentari, colligitur, ita in diebus quadragesimæ, quasi in spiritali vindemiarum vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregetur. Quia sicut negligens quisque se opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium fame torquebitur: ita qui hoc tempore Spirituale triticum & cœleste mustum, jejunando, legendo, orando in horreis animæ suæ providere & congregare neglexerit, in æternum durissimam sitim & crudelem inopiam sustinebit.* Hæc August. ex quo discimus quadragesimam tempus esse spiritualis messis; Unde initio quadragesimæ canit Ecclesia in Epistola: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Idcircò in Quadragesima crebriores undique conciones habentur, quas qui contempserint ac neglexerint, viderint ne gravius sibi jugum accersant, & aliquando eo deveniant, quando non erit tempus metendi amplius: & quando nec ipsi à Deo audientur, qui verbum ejus audire noluerint. Refert Herodotus lib. 1. Cyrum. cum Iones pacis conditiones, quas prius repudiarant, ab eo reposcerent, dixisse eis Apologum tibicinis, qui ad alliciendos pisces tibia cecinerat, sed cùm nihil proficeret, sagenam in mare misit multosque ea conclusos ad terram traxit, quos cùm palpitantes videret: *temperate*, ait, *jam à saltationibus, quia me canente saltare noluistis.* Hunc in modũ Deus tempore quadragesimæ per suos prædicatores quasi tibia nobis canit, ut nos ad se pelliceat: Sed si illos audire nolumus, trahet aliquando & obruet cum sagena mortis, & fortasse tunc non audiet palpitantes & inducias petentes. Certe S. Augustinus serm. 57. de tempore ait: *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Quid mirum si jam non audiantur, qui prius audire noluerunt? Luc. 7. ait Dominus. *Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus & non plorastis.* Clamant undiq; nunc concionatores & frangunt sibi caput, ut in rete Christi pertrahant mundi hujus pisces. *Ecce nunc tempus acceptabile*, nunc tempus acceptandi pacis conditiones, quas per illos offert Deus. Sed si eas repudient homines, & saltare ad has tibias nolunt, forsitan aliquando saltare cum volent & agere pœnitentiam non poterunt.

F. V. *Fuga peccatorum major.*

Quintum, Fuga peccatorum impensior. *Quid enim prodest,* ait S. August. serm. 1. Dom. 1. Quadrag. *vacuare corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid enim prodest, pallidum esse jejuniis, si odio & invidia livescas? Quid enim prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent & faciamus illa, quæ nunquam licent?* Sic August. Unde Isai. c. 58. quæritur Dominus, quòd in jejuniis nostris inveniatur voluntas nostra; additq; *Nonne est hoc magis jejuniũ quod elegi? dissolve colligationes impietatis, dissolve fasciculos deprimentes, &c.* Id est usuras & iniquos contractus. Spiritualiter, peccata quælibet veluti vincula ligant hominem, & quasi fasciculi deprimunt: Et quid magnum hic à nobis petitur? non utiq; ut oculos nobis eruamus, sed ut ab illicitis aspectibus eos coerceamus. Non ut aures & linguam abscindamus, sed ne eas detractionibus occupemus, nugis, jocis, blasphemiis, &c. Non ut manus resecemus, sed ne ad furta & rapinas extendamus. Non ut ventrem exhauriamus, sed ne obruamus: non ut nos præcipitemus, sed ne in peccata gravia saltem præcipites ruamus.

G. VI. *S. Communio paschalis.*

Sextum, S. Communio ad finem quadragesimæ, quæ non video quid oneris habeat, nisi vocemus onus præparationem illam, quæ adhibetur ab ituris ad nuptias vel convivia magnatum. Quis enim hoc jugum vocaret, si ad mensam principis quotannis vocaretur, ita tamen ut decenter vestitus accederet? Quis non magno studio & alacritate ad illum diem se adornaret? quis non gauderet eo adventante? Atque ut rem clarius intelligas, ponamus invitatum te esse à rege ad mensam. Tunc primo te excusares ex humilitate, quod indignum te diceres regio convivio. Deinde si rursum per nuntium seriissimè vocareris, tum obedientem te fore & pariturum jussui regis, diceres: Tertio, hora adventante, vestem tuam mundares scopis. Postmodũ cum desiderio regiorum ciborum accederes. Deinde videns regem tibi obviam ire, & descendere per omnes palatii scalas, cum summa demissione ei occurreres, manum oscularereris, & Regis humilitatem atque humanitatem extolleres. Ad mensam collocatus, maxima cum verecundia, timore & modestia ibi certè sederes. Inter refectionem mirareris epularum splendorem & præstantiam. Refectus & à mensa surgens, expectares regium mandatum, offerres illi omnia tua servitia, & cum maxima gratiarum actione recederes, semperque ei devotus

maneres,

maneres, &c. Sanè hoc tu non jugum sed gratiam existimares. Nihil aliud à te Christus petit in communione. Ergò primo vocatus ad communionem dic cum Miphiboseth vocato ad mensam Davidis: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* 2. Reg. 19. Secundo vocatus, cum Deipara. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Tertio purga vestem animæ tuæ & dic cum Davide: *Exercitabar & scopebam spiritum meum.* Quarto adveniente hora rursum, cum Davide: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domũ Domini ibimus.* Et cum S. Maria de Oignies: *Ibimus in sancta sanctorũ dulcissima clementia.* Et quid sunt sancta sanctorum? Quintò cum vides obviantem tibi Christum & per tot cœlorum scalas ad te descendentem, dic cum Ioanne Baptista: *Tu venis ad me?* ego ad te habeo venire. In ipsa sumptione, verecundus & venerabundus esto. Postea lauda Deũ cum Daniele: *Recordatus es mei Deus & non dereliquisti diligentes te,* Dan. 14. Et cum S. Paulo Eremita ad Antoniũ dicente: *Eja frater Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors.* Denique offer illa servitia tua cum Davide: *O Domine quia ego servus tuus, &c.*

Prædicta quadragesimæ juga qui adhuc gravia existimat, cogitet inter alia mercedis immensitatem, ferentibus decretam. Quid non tolerat agricola spe messis semel in anno colligendæ? Ergò si nunc per quadragesimam aremus, occemus, seminemus, erit aliquando tempus, cùm etiam metemus. Experiemur imprimis hujus jugi suavitatem in articulo mortis. Tunc audiemus illam Christi vocem: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

CONCIO V.

COMMENDATUR MANSUETUDO & humilitas.

I. *A natura.*
II. *A sui pulchritudine.*
III. *A sui necessitate.*
IV. *A suis fructibus.*
V. *Ab exemplo Christi.*

THEMA.

Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, Matth. 11.

A. Magna esse debet cognatio inter has virtutes, mansuetudinem & humilitatem; siquidem in sacris literis sæpius copulantur. Imprimis à Christo Domino in hodierno Evangelio: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Deinde à sancto Paulo ad Ephes. 4. *Dignè ambuletis,* inquit, *vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine.* Denique apud S. Petr. ep. 1. c. 5. pro eodem sumi videntur. Ubi enim nos legimus: *Omnes invicem humilitatem insinuate;* Syrus vertit: *Circumamicti estote mansuetudine animi, unus erga alium.* Nimirum sicut pater & filius; mater & filia, unum quodammodo sunt & pro eodem sumi possunt: ita mansuetudo & humilitas; quia mansuetudo filia est humilitatis. Quisquis enim humilis est, mansuetè cum omnibus agit & loquitur: sicut è contrà, qui asper & iracundus est, superbum se esse prodit. Sed & inter utramque virtutem certamen esse videtur de præcellentia. Etenim Christus in sermonis contextu præponit mansuetudinem humilitati. Apostolus è contra humilitatem mansuetudini. Ex quo colligere licet tantam esse utriusque præstantiam ut neutra alteri cedat. Utramq; ergo inspiciamus & discamus.

Commendantur Humilitas & Mansuetudo

B. I. *A natura*

Commendatur homini Primò à Natura Humilitas quidem, quia homo & factus & dictus est ab humo: natus præterea ad innumeras miserias, omnibusque vivit expositus, plus quam ulla animantia. Mansuetudo verò, quia ferè solus inter animantia sine armis nascitur. Alia enim animalia cornibus, alia unguibus, alia dentibus, alia calcibus, alia rostris, alia veneno, alia pedum vel pennarum pernicitate instructa sunt. Homo nullo horum armatus est. Voluit ergo Deus ut his omnibus abstineret, nisi urgente necessitate aliunde paratis armis cogeretur se munire. Proinde homines mansuetudine distituti, non tam homines quam feræ sunt.

C. II. *A sui pulchritudine.*

Secundò: A sui pulchritudine. Humilitas quidem ut omnibus grata, ita superbia exosa est. Quam Deo placeat humilitas, ex eo rectè colligunt aliqui: quod Cant. 7. sponsa, postquam c. 5. laudasset sponsum & incepisset ab eo, quod in ipso summum ac præcipuum erat, caput videlicet Divinitatis ejus: ipsa vicissim ab eo laudari cœpit de pedibus: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Quare sicut sponsæ nihil ita placuit in sponso sicut caput Divinitatis: ita sponso præ aliis omnibus in sponsa placuere pedes humilitatis. Unde ajebat S. Ludovicus Episcopus Tolosanus. *Nihil tam gratum Deo, quam si vitæ merito magna humilitate simus infimi; cum tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum sibi est vilior.* Cum humilibus ludit Deus sicut lusit Ioseph cum Benjamin, Gen. 44. quẽ initio quasi furem premere ac vincire se velle simulavit; Posteà verò totum hoc joco factum ostendit, eumque amplexens cæteris fratribus prætulit: ita Deus humiles contemni, affligi, vexari finit; sed si hoc patienter & humiliter ferant, blandietur eis, ac tanto magis exaltabit eos, quanto magis fuerint depressi. Nec minor est laus & pulchritudo mansuetudinis. De ea enim Ecclesiasticus cap. 3. scribit: *Fili*

Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriã hominum diligeris. Hinc ea virtus in Moyse adeo commendatur, Num. 11. ut pro ipso Deus se opposuerit ejus inimicis. S. Chrysost. hom. 33. ait: *Tantum est mansuetudinis robur, ut sola hæc virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus efferre, imo omni hominum generi præferre.* Certè Saul ex eo solo prædixit ac prævidit Regem fore Davidem, quod vidisset in eo regios Spiritus, id est, clementes, cum sibi ab eo parsum esset, 1. Reg. 24. Unde ea potissimum virtus prædicatur in Davide, Psalm. 131. *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus.* Mansuetudo ergò regia virtus est. Nec immeritò, qui enim semetipsum regere & hostem ferocissimum, iracundiam, edomare potest, dignus est imperio. Cui non videatur fortissimus, qui feram edomare potest omnium truculentissimam? Talis non est ursus, non leo, aper, tygris aut lupus, sed iracundia, quandoquidem huic cessere Alexander Magnus, Hercules & plerique alii illarum Domitores.

D. III. *A sui necessitate.*

Tertiò, A sui necessitate: humilitatis necessitas inde patet, quod ea virtus sit fundamentum totius doctrinæ Evangelicæ, de quo August. hom. 20. de verbis Domini ait: *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis, &c.* Cui congruit illa Chrysostomi sententia. Orat. de humilit. animi, tom. 5. *Si decies millena sursum extruas, ut eleemosynam, ut precationem, ut jejunium, ut omnem virtutem; nisi hanc prius fundamenti vice jeceris, omnia abs te frustra superstruuntur: nihil esse enim in nostris rectè factis, quod sine ea stare possit, &c.* Purpura piscis ascendit ad regium ornamentum; ea tamẽ prius quæri in imo pelago debet, ubi solum invenitur, teste Pierio. 27. hierogl.

Magna enim necessitas est mansuetudinis. Ipsa enim est velut antemurale in castro animæ, lapides & ictus verborum asperorum, contumeliarum, detractionum, injuriarum leniter excipiens & frustrans, hominemque à læsione servans. Vasa vitrea nisi in fœno vel re alia molli involvantur, facillimè franguntur, cum alio deportantur: Similiter & animus levi injuria tactus vel commotus, citò per iram frangitur, nisi mansuetudine muniatur.

E. IV. *A suis fructibus effectus Humilitatis.*

Quartò, A suis fructibus quàm plurimis. Humilitas primo gratiam Dei sibi conciliat & de cœlo cœlestia bona attrahit. Sicut enim pluvia & flumina in valles defluunt: sic gratia Dei in humilem animam depluit & descendit. Hinc Esaias cap. 40. cum jussisset parari viam Domino, mox clamare jussus est: *Omnis caro fœnum.* Docens humilitatem & sui contemptum esse complanationem viæ Domini ad nos tendentis. *Dum enim*, ait ibi Sanchetz, *humilis in se omnia videt aut videre se putat vacua atq; profunda, id efficit ut Deus, qui ut in naturalium sic etiã in spiritualium rerum universo nihil patitur esse vacuum, id compleat, quod vacuum in se deprehendit submissa cogitatio.*

2. Evaditque laqueos diaboli, patet ex historia S. Anton. qui cum vidisset aërem & mundum plenum laqueis, quibus capiebantur animæ in altum evolantes, ideoq; ingemisceret, dicens: *Domine, quis evadet hosce laqueos?* audivit: *Humilitas.* Hæc enim sub laqueis demittendo se elabitur: dum se terram, pulverem & nihil reputat. Mirari aliquis posset, quomodo parvi maris pisces à grandibus illis cetis non omnes devorentur, cum in mari nequaquam ea latibula haberi possint, quæ habent animalcula terrestria, ne à feris potentioribus exterminentur. Porro piscibus illis occurrit natura, ut scribit auctor incognitus in illud Psam. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. Cetus, inquit, piscis est magnus corpore, multo egens cibo, unde insequitur alios pisces, ut eos devoret: qui videntes eum, fugiunt naturali instinctu versus littus maris, ubi cetus ipsos vorare non potest propter paucitatem aquæ: imo ipsos insequens impingit in terram & non valens ibi natare, occiditur à piscatoribus & sic ab aliis piscibus ei illuditur.* Hunc in modum dæmonem nos non modo evadere, verum & ridere possimus, si per humilitatem confugiamus ad terram & littus, id est, si cogitemus finem nostrum, quod terra & in terram ituri, adeoque nihil simus.

3. Tertio, Servat & custodit virtutes alias, sicut cortex arborem. Superbia velut locusta corticem illum depascit & arborem morti exponit. Unde de locustarum grege scribit Ioel c. 1. *ficum meam decorticavit.* Spiritualiter S. Greg. l. 8. mor. c. 50. ait: *Ficum Dei gens ista (dæmonum) decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen, quo vestitur, ei humilitatis tollit eamque nudans expoliat, &c.* Denique ut cætera præteream, *tota Christianæ sapientiæ doctrina*, ait S. Leo Serm. 7. de Epiph. *non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit.*

Effectus mansuetudinis 1.

Mansuetuto 1. lenit iram Dei & facile impetrat quòd vult. Hinc enim dicitur Soph. 1. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ.* Qualis fuit Moyses, qui, si quis unquam potuit iram Dei placare, propter suam mansuetudinem. Adhæc *Hebræorum tradit historia*, inquit S. Dionys. ep. 8. ad Demophilum, *Mosen eximiæ mansuetudinis merito divina amicitia & familiaritate dignatum: ac si quando ipsum divino aspectu excidisse commemorat, non id ei priusquam à mansuetudine, defecerit, contigisse, describit. Erat enim mansuetus valde, &c.* Et infra; *Noverat enim oportere eũ, qui Deo bono familiariter jungitur, quàm maximè conari ei pro viribus simillimum fieri.*

2. Secundo. Lenit etiam iram proximi. Est enim instar Valli urbem munientis, quod ictus & globos tormentorum molliter excipit & frustratur: qui si in murum inciderent, facile eum quassarent. Unde Ecclesi. cap. 10. suadet: *Fili in mansuetudine serva animam tuam.*

Conc. Fabr. Fest.

3. Tertiò, Facit cor docile & capax verbi divini juxta id Iac. 1. *In mansuetudine suscipite insitum verbū*, Et Ecclesl. 5. *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* Mansuetudo enim est quasi aqua limpida vel speculum tersum, in quo rerum imagines clarè perspiciuntur. Est mentis serenitas & tranquillitas, quæ facile capit sapientiam.

Denique ubi est mansuetudo, ibi est & Deus. Hinc enim Elias iratus cultoribus Baal, vidit Deum non in specie turbinis, sed auræ lenis, 3. Reg. 19. *Quia ubi est ira, ibi non est Dominus, sed amica Sathanæ*, inquit S. Clemens l. 2. Constit. c. 37.

F. V. *Ab exemplo Christi.* Quintò. Ab exemplo Christi. Quid enim in Christo videas nisi humilitatem? nisi mansuetudinem? Quis in stabulo jacuit & præsepio, diversorio aliis concesso? Quis una contentus tunica? Quis pedibus semper incessit, semel tantum asino vectus? Quis ad ægros vocatus mox descendit? Quis cœcum illum Marc. 8. manu apprehensum duxit extra vicum ad sanandum? quis medio latronum suspensus? quis cum Deus esset, filium hominis tantum se vocavit? Nonne Christus?

Mansuetudinem porrò si quærimus; Nonne cum rudibus discipulis pacatè semper egit? Nonne eorum indocilitatem & defectus alios mansuetudine vicit? Num latroni se convitianti respondit? Num se de hostibus suis Iudæis ultus est? Nonne *sicut ovis ad occisionem ductus est, & cum malediceretur, non maledicebat, &c.*

Ergo Auditores, duæ hæ virtutes tam necessariæ, quam cognatæ, sint nobis velut annuli duo sibi mutuo implexi, eosque in manu nostra perpetuo gestemus. Commenti sunt Hebræi (quod ideò refero, ne quis huic fabulæ, quàm magister historiæ Eccl. super Exodum refert pro re gesta, facile fidem præbeat) Moysen ex Madian redeuntem in Ægyptum, cum videret uxorem patria nolle excedere, fabricasse duos annulos gemmis insignes, in quarum una sculpserit imaginem oblivionis; in altera imaginem memoriæ: priorem illum annulum uxori dedisse, ut patriæ oblivisceretur; hunc verò secum tulisse. Nobis hi annelli duo sunt mansuetudo & humilitas: illa annulus & monile oblivionis, quo admoneamur oblivisci, dissimulare, & tolerare & surda aure pertransire injurias: hæc verò annulus memoriæ, quo memoremur nos terram esse & pulverem. Ita fiet ut è mundi hujus deserto facile & expeditè pergamus in terram lacte & melle manantem, quam nobis in cœlo tribuat, qui nobis in hodierno Evangelio duos istos annulos præbuit Christus.

CONCIO VI.

CUR JUDAS A CHRISTO ad Apostolatum fuerit evectus.

I. *Quia cum eligeretur dignus erat.*
II. *Quia etiam in perditissimis omnia tentanda.*
III. *Ut pateret Christi veritatem non labefactari posse.*
IV. *Quia dignitas status non significat hominē.*
V. *Ut sciamus mirum non esse si inter bonos sit quis malus.*
VI. *Ut sciamus malos etiam inter bonos tolerare.*

THEMA.

Episcopatum ejus accipiat alter, Actor. 1.

A. PLurimi semper mirabantur & mirantur in hodiernum, quid causæ tandem fuerit, quod in societatem Apostolorum, adeoque suam quoque elegerit Christus Iudam, quem sciebat furem, proditorem, Diabolum. Nam inprimis in discrimen vocasse saltem rudioribus scientiam suam videtur, dum elegit illum, quem nemo unquam hominum sociaturus sibi fuisset, si furem, proditorem suum fore præscivisset. Pharisæus ille Christi scientiam in dubium revocavit, quod Magdalenam admiserit ad humilitatis officia, Luc. 7. dicendo: *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est hæc mulier, quia peccatrix est*: At majus multo est evectum fuisse Iudam ad Apostolatum. Deinde in discrimen etiam Christi veracitas venit. Nam Ioan. 7. dicitur: *Multi crediderunt in nomine ejus: Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes: ipse enim sciebat quid esset in homine, &c.* Quod si illis se non credidit, quia imperfectos illos & instabiles fore vidit, ut exponit ibi Chrysostomus, quomodo credidit se Iudæ, quem sciebat fore pessimū? Sane absque magno & sapientissimo consilio id nequaquam fecit: hoc itaque nunc disquiramus.

B. I. *Quia cum eligeretur, dignus erat.* Primò. Ideo ad Apostolatum evectus est Iudas, quia tunc, cum eligebatur dignus erat, ut vult S. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. c. 2. & alii. Indicare videtur hoc ipse Dominus, cum Ioan. 6. ait: *Nonne ego vos eligi duodecim, & ex vobis unus diabolus est?* Non ait: Diabolus *erat*, sed *est*: quia postmodum primū factus. Quid hic discendum venit? *Deus præsensentia judicat; non futura*, ait Hieronymus dicto loco contra Pelag. *neque condemnat ex præscientia quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat. Sed tantæ bonitatis est & ineffabilis clementiæ ut eligat eum, quē interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis, &c.* Nimirum qualem invenit servum, talem & judicat Deus; Unde sicut tunc electus est in Apostolum Iudas, quando bonus, ita tunc damnatus est, quando reprobus inventus. Non impedivit ejus Apostolatum, quod aliquando futurus esset malus, nec impedivit ejus damnationem, quod fortè pœnitentiam acturus esset, si diutius vixisset. Tremendum hoc Dei justumque judicium in ficu illa describitur, quam in

transitu

transitu arefecit Dominus, quod fructum in ea non invenisset, Matth. 21. Licet enim tunc, ut scribit Marcus cap. 11. ficorum tempus non esset, quia tamen ficus, quod cæteris arboribus feracior sit, & ter quaterque per annos singulos fructum gignat, ut refert Anglicus l. 17. c. 61. hominem designat, qui sicut omni tempore fructificare potest, si vult, ita nunquam non tenetur;ideo sicut eam invenit,ita judicavit Dominus. Electus in Apostolum Iudas fuit, quando frugifer inventus: arefactus & damnatus est, quando sterilis repertus. Ut non sit abs Mysterio, quod in ficu se suspenderit,ut scribit Beda de locis sanctis, c.4. utpote ficus ipse sterilis, quia sic inventus est, sic & arefactus.

C. II. *Quia etiã in perditissimis omnia tentanda.*

Secundò. Ex Ambros. in c. 6. Lucæ. Dionys. Carthus. in cap.6. Ioan. Ut doceret in homine etiam perditissimo tentãda esse omnia media,quibus converti possit, licet pro desperato habeatur. Si peccatores desererentur,& remedio omni destituerentur, existimarent multi, eos natura, non voluntate malos esse,siquidem deseruntur tanquam incurabiles. Nullus est in homine spiritualis morbus natura sua talis, nisi obstinata voluntate talis efficiatur. Et quemadmodum arbusta, quæ tali loco vel cœlo, sterilescunt;alia transplantata,ad mitius nempe cœlum, sæpe fœcundantur, ita & peccator, qui inter malos malus est, sæpe inter bonos bonus fit: Omnia tentavit Dominus,ut Iudam ad flagitia pronum, ab ijs avocaret, & in bono conservaret, ideò è mundi consortio ad sanctissimum illud Apostolorum collegium evexit, velut ad mitissimum cœli locum,ubi perverti nemo posse videbatur. Qua in re Dominus *judicium suum apud homines periclitari maluit, quam affectum*, ut ait Ambros. in c. 6. Luc. Adhibuit ibidem illi omnem operam & solicitudinem,ita ut esset inexcusabilis. Nam uti palmes putatur, fulcitur,lavatur, sanguine denique humano (quo emortuæ etiam arbores vivificantur) rigatur: Ita Iudam Dominus cultro comminationis terruit semel, iterum tertio. Verbis suavissimis fulcivit vocando eum amicum, q. d. nihil verearis,redi in amicitiam, quia facile potes, si velis esse amicus: Et en modo me tibi in amicum offero: nil superest,nisi ut acceptes. Lavit ejus pedes procidens ad illos, tersit, osculatus est, ac tenuit quodam̃odo ne ad scelus currerent. Denique corpore & sanguine suo(ut multi PP. volunt) non bucella tantum & mensa communi cibavit & rigavit. Inter hæc tamen omnia *non est recordatus facere misericordiam & persecutus est hominem inopem*, &c. David. Psalm. 108. q. d. tot tantisque modis non potuit excitari mens illius. Unde S. Bernard. serm.de passione Domini mirabundus de Iuda ait: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti: civium cœli socius & verbi Divini conviva: quomodo reputatus es inter filios tenebrarum: Qui nutriebaris in croceis, cur amplexatus es stercora?* hæc ille. Quo malorum devenisset Iudas, si mediis his caruisset? Non adeò mirarer furem & proditorem, si procul à Christo fuisset: Quemadmodum nec miror hominem illum qui triginta & octo annis infirmatur, Ioan. 5. quia dicebat ipse: *hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Sed num tu ô Iuda dicere poteras:Hominẽ non habeo? annon quotidie habebas? annon brachiis tuis amplexabaris?an non ore contingebas; annon amicum audiebas? quin igitur descendisti in piscinam? cur ivisti ad Iudæos potius, quam ad Discipulos? ad laqueum, quam ad fletum? Videtis igitur jam voluntatis esse culpam, non naturæ vitium, si quisquam obstinatus pergat ad interitum. Tantum enim abest ut peccatorem Deus privet auxilio, ut potius innumera adhibeat, quæ multoties omnia nihil profutura novit.

D. III. *Ut pateret Christi veritatem non labefactari posse.*

Tertiò. Ex D. Ambros. in cap. 6. Luc. Ut doceret veritatis suæ firmitatem labefactari non posse, etiamsi unus deficeret, vel plures defecissent. Duodecim solum Duces elegit Christus, quibus totum sibi subjugare & invertere mundum statuit. Parvus sane numerus & exigua manus: sed: *nolite timere pusillus grex*, ait Dominus Luc. 12. *quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Lugebat Samuel Saulem,quod à Domino defecisset, 1.Reg.15. Sed audi quid dicat Dominus, mox seq. cap. *Usquequo tu luges Saul*, ait, *cum ego projecerim eum?* q. d. non sum ego instar hominis, qui doleam vicem meam ob amissum Ducem, quia promptum mihi est, alios excitare.Unde mox subjungit: *Imple cornu tuum oleo & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi regem.* Similiter in locum Iudæ electus est Matthias.Non dolet Deo, ô Apostatæ, quod ab ipso recesseritis: non corruit Ecclesia, licet integræ nationes abscedant: *potens est filios Abrahæ ex lapidibus suscitare*, Matth. 3. Nihil aliud requiritur, nisi ut impleatur cornu oleo, & exteræ nationes Evangelio imbuantur, & statim aderunt alii. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*, ait Dominus Matth. 23. nimirum tam mali, quam boni.Ruat Prælatus, ruat Episcopus, ruat rex & regnum, non ruet Ecclesiæ Cathedra, & Dei ordinatio.Quin imo, non modo nihil obest divinæ providentiæ ruina reproborum:verum adeò potens Deus est,ut malitia istorum uti bene possit. Delinquit nauta in navi: factum benè: redigatur in servitutem,trahat remos,ut navis promoveatur. Delinquit in prælio miles? factum bene: cogatur appendere arietem portis obsessorum: accendere minas & cuniculos pulvere oppletos ad hostium excidium. Sic agit etiam Deus, Lapsus est Lucifer? creatus est homo.Lapsus est homo? Deus incarnatus est. Fur & Diabolus erat Iudas; permittatur Christum tradere, quo portæ inferi disrumpantur: passionis incendium inflammare, quo synagoga devastetur.

Quartò, Ex S. Thoma Aquin. in Matth. 10. Ut doceret dignitatem status non sanctificare hominem. Ostende mihi locum, quo non penetraverit peccatum? Unde nemo sit lapsus; in cœlo? Lapsus est inde Lucifer, cum angelis innumeris. In paradiso? lapsus est inde Adam & Eva. In Cathedra Pontificum? lapsus inde Heli. In Throno Regio? lapsus inde Saul. *Ne respicias vultum ejus* (ait ad Samuelem de Saule Dominus, 1. Reg. 16.) *neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico.* Sed cur abjecisti Domine? Respondet idem per Samuelem Sauli, c. 15. *Pro eo quod abjecisti Sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis Rex.* Quando enim quis curam sui abjicere incipit, (quemadmodum de Iuda scripsit Chrysost. homil. 10. de pœnitentia, cum licet primò bonus esset, per negligentiam tamen & pigritiam paulatim decidisse) fit ut ipse quoque quantumvis excelsus & Deo acceptus fuerit ab illo abjiciatur. Sic enim de Iechonia quoque Ierem. 22. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Joachim Regis Juda, annulus in manu dextræ meæ, inde evellā eum.* Arctisimè junctus, velut digito annulus videbatur Christo Iudas, ut qui Christi dispensator in re familiari fuit: Sed avulsus est hic annulus, quia vacillando & pigritando Christi digito malè adhærebat. Utinam fecisset ipse, quod suaserat suis asseclis: *Tenete eum, & ducite cautè*, Marc. 14. Si tenuisses miser & duxisses illum cautè nec ab eo avulsus, nec morti æternæ traditus esses. Restat igitur ut quicunque in dignitate sunt, ne nimium sibi fidant, sed teneant quod habent, & caute Christum ducant. Id quod præcipit Ioannes Episcopo Philadelphiæ Apoc. 3. dicens: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Abstulit Matthias coronam Iudæ, dum in ejus subvectus est locum, & velut annulus pretiosus manibus Christi arctisimè insertus: Vide tu, qui in apice sedes, ne similem culpa tua patiaris jacturam.

F. V. *Vt sciamus mirū non esse si inter bonos sit quis malus.*

Quintò. Ex eodem D. Thoma ibidem. Ut intelligamus mirum non esse si in magna societate reperiatur aliquis Iudas. Duodecim erant Apostoli: quantulum est hoc Collegium? Et tamen Iudam habuit. Percurrito scripturam & nil aliud reperies. *Nam & in angelis suis reperit pravitatem Deus*, Iob. 4. & in domo Adæ fuit Cain. In domo Noe Cham: in domo Abrahæ Ismael. In domo Isaac Esau. In domo Iacob, præter Ioseph & Benjam omnes rei. Quare Augustinus epist. 137. ut habetur 47. dist. c quantumlibet ait: *quamtumlibet vigilet disciplina domus meæ homo sum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, quòd domus mea melior sit quam Arca Noe, ubi inter octo tantum homines, unus reprobus inventus est: aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est: Ejice ancillam & filium ejus: aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui; aut melior sit quam domus Jacob ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt:* Igitur inique agunt, qui bonam societatem ob unum alterumve putridum membrum oderunt, calumniis appetunt & informant. Ejusmodi sceleſtum caput insectatur David Ps. 51. Doeg. videlicet illum, qui propter unum David, quem Achimelech sacerdos receperat in suam domum accusavit & infamavit apud Regem Saul sacerdotem & omnem domum ejus, nec non ad extremum interfecit cum 84. sacerdotibus propinquis, ut habetur 1. Reg. 22. Quid igitur ait David ad Doeg? *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum*; id est, diu cogitasti contra me ut posses loqui & occasione arrepta accusare me. Sed quid fecisti? Dum me solum insequeris, alios etiam innocentes uti Achimelech ejusq; domum calumniaris & occidis. Quemadmodum enim acuta novacula, non pilos tantum radit, quod solum deberet; sed cutem etiam & carnem simul aufert atque adeò vulnerat, ut exponit S. Hilarius in eo Ps. ita tu qui me velut capillum persequeris, simul etiam innoxios illos calumniaris & occidis. Capilli licet ex corpore prodeant, corporis tamē pars non sunt, sed tantum excrementa: Ita de Apostatis 1. Ioan. 2. dicitur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Quemadmodum igitur perperam & dolosè agit tonsor, qui vocatus ut radat pilos, radit etjam cutem & carnem; ita perversus sit necesse est, qui propter unum alterumve Iudam vituperat Collegium.

G. VI. *Vt sciamus malo etiam inter bonos tolerare.*

Sextò. Ex S. August. in Psalm. 34. & 18. de civit. c. 49. Ut doceamur malos etiam inter bonos tolerare. Maximam sine dubio afflictionem Christo pariebat Iudas, quod tam diu secum versaretur, interim tamen semper ad interitum vergeret, adeoq; proditionem machinaretur. Venerat enim Dominus ut id quod perierat salvum faceret: Iam verò dum operam suam in illo se perdere advertebat, qui proximus illi erat, quid cogitatis, habuisse afflictionis Dominum Zelo plenum? Poterat de Iuda dicere, quod Moyses de Israelitis dixit: *Ecce filii Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao*: Exod. 6. Existimo ego Iudam Angelum Sathanæ fuisse Christo, qui eum obstinata sua voluntate colaphizaret, ut non immeritò Ioan. 6. vocet illum Diabolum. Inde enim est, quod cum de eo mentionem facit, turbatur spiritu & protestatur quasi vim patiens, Ioan. 13. Inde est quod tam aspere sentit ejus præsentiam, dicens: *Manus tradentis mecum est*, Luc. 22. Et iterum: *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet*, Matth. 26. Et iterum: *Ecce qui me tradet, prope est*, Marc. 14. Assumpserat eum semel iterumque

rumque Diabolus & per aerem vexit: modò ad pinnaculum templi, modo in montem excelsum, ut habetur Matth. 4. & tenent communiter Expositores cum D. Gregor. hom. 16. in Evangelia: *id quod refugit mens credere humana, hoc audire aures expavescunt*, ut ait ibid. Gregor. Origenes vero hom. 31. in Luc. incredibile putat: ut scilicet Diabolus duceret filium Dei & ille sequeretur. Id tamen asperè non accepit Christus, nec ullo pacto inde turbatus est. Quid est ergo quod ob Iudæ præsentiam turbatur & toties protestatur quasi vim passus? Nimirum major erat Christo pœna sedere & manducare cum homine impœnitente, quam cum ipso Diabolo. Et tamen interim non repulit eum à se vel collegio suo: non extinxit morte subita, sed toleravit, pavit, monuit. Argumentare jam tu Christiane & dic: Si hominem adeo infensum toleravit tam patienter Christus, & nequaquam à se repulit, donec ipsemet jugum illius suave excuteret; quid indignaris tu, si fortè cum perverso vivendum tibi scias? En tibi cum Cain Abel: cum Ismaele Isaac, cum Esau Iacob, cum Saule David: cum Iuda Christus. Et si sic Magister: æqui & boni consule; si patiaris hoc Discipulus.

CONCIO VII.

NEMINEM PERTURBARI AUT scandalizari debere, quod quandoque Judas aliquis deserat Ecclesiam.

I. *Quia talis casus non est novus.*
II. *Quia non mirum si è multis bonis sit malus.*
III. *Quia dæmon fortioribus magis insidiatur.*
IV. *Quia non tam ob fidei difficultatem, quam ob pravos mores.*
V. *Quia de hoc præmonuit nos Deus.*
VI. *Quia supra petram fidei non super personas fundati sumus.*

THEMA.

Prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum, Act. 1.

A. GRavis quidem & expavescendus fuit Iudæ casus, cum se desperatus suspendit: fuit tamen ipsi soli exitiosus & probrosus. Non enim legimus ex Apostolis vel discipulis aut etiam infirmioribus fidelibus vel unum propter Iudam aut fidem abnegasse, aut se quoque suspendisse, sed potius paulo post conventu habito pro eo Matthiam elegisse. Quæ singularis Dei erga suos fideles providentia est, ut ob casum unius licet in Ecclesia Herois, non patiatur facilè labi infirmiores. Putant quidem Hæretici cum quis Doctor à nostris ad ipsos deficit, jam nutare fidem nostram, & nos cum ipso casuros, laqueumque gulæ propriæ injecturos: Sed frustra hoc à nobis expectant: quia videmus etiam cum Iuda neminem alium se suspendisse, vel propter ipsum defecisse. Ne tamen pusillanimes aliqui in ejusmodi lapide offendant: Videbimus causas, cur nemo propterea moveri debeat.

B. I. *Quia talis casus non est novus.* Primo. Quia ejusmodi casus non est novus, aut in Ecclesia inauditus: omnibus enim sæculis fuerunt aliqui Iudæ & Ecclesiæ desertores, à Deo labi permissi, ut per eos omni tempore exercitaretur Ecclesia, nec tamen propterea Ecclesia cum corruentibus illis corruit, utpote quæ non super ipsos, sed supra firmam petram est ædificata; Estque instar fenestræ in domo divitis, in qua si rotula una frangatur, mox alia ejus loco instituitur: siquidem Deus vase uno confracto, mox aliud facere potest, ut indicavit Hierem. c. 18. cum eum jussit ire in domum figuli: qui eo spectante fecit vas, quod dissipatum est: moxque fecit pro eo alterum sicut placuerat illi: Et tunc Dominus: *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere?* Sic inprimis loco Iudæ (licet ipse iniquissimo tempore, quo videlicet, Christus juxta prædictionem suam, omnia ad se tracturus erat, à Christo defecerit) statim in cruce confessus est latro, & demum substitutus est Matthias. Loco Petri negantis confitetur Centurio; loco Discipulorum, qui in Christi passione fugerant & scandalizati erant, Iudæi qui prius blasphemabant, *revertuntur percutientes pectora sua.* Non igitur evertit Ecclesiam talium ruina. Inprimis Ioan. 6. Christo disserente de Eucharistia, multi ex discipulis ejus scandalizati sunt, abieruntque retro & jam non cum illo ambulabant. Unde isti scandalizati; inde duodecim Apostoli confirmati fuere, interrogatis enim illis: *nunquid & vos vultis abire?* Respondit pro omnibus Petrus: *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Quis in Ecclesia Græcorum olim celebrior Origene? Quis apud latinos Tertulliano? uterque antiquissimus Doctor sæculo tertio, & primo quidem acerrimus hæreticorum & Ecclesiæ hostium insectator & eversor, multorumque sanctorum Confessorum & Martyrum Doctor. Et tamen uterque tandem ab Ecclesia ad hæresin defecit, nihilque ob id mota est Ecclesia. Sapricius presbyter sub Imperatore Valeriano, celebris in Ecclesia, cum jam ad Martyrium duceretur, jamjam plectendus, fidem negat, Diis immolat: Cujus tamen ruinam mox Nicephorus, qui ab infenso sibi Sapricio veniam impetrare non poterat, resarcivit suam præbendo cervicem, apud Sur. tom. 1. & Baron. Ann. 260. Osius Constantini Magni Ductor & Monitor celeberrimus quibusque Ecclesiæ muneribus & legationibus perfunctus, tandem Nicæni Consilii proditor

ditor adeoque vera fide hostis & Arianus factus est. Non tamen ideo Ecclesia collapsa est, sed dum is negat, hostes fidei confitentur Ariani: ablegata siquidem ab Osio in filio divina substantia, eadem ab ejus impugnatoribus restituitur, prædicat denique ipse Constantinus Imp. publicisque edictis demoliendum curat, quod Osius una cum aliis impiè ædificarat, ut scribit Baron. Anno 357. Ex 40. illis militibus martyribus ad Sebasten sub Licinio Imperatore uno deficiente, & in proximum tepefactum balneum à frigidissimo lacu desiliente, mox fide Christi accensus janitor, pro illo numerum implevit & Christianum se confessus martyribus adjunxit: ut in eorum Festo Lect. 4. Ita S. Franciscus cum initio ordinis sui pauci essent & aliqui deficerent, ideoque timeret ne ordo ejus rueret, hæc à Christo audivit: Quid turbaris Francisce aut quid angeris, cum tuorum fratrum quispiam vel Ordinem deserit vel in ordine scandalum concitat? An fortè existimas, ita te rectorem hujus gregis constitutum, ut non me intelligas Superiorem ejus rectorem? si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo &c. Bonav. in vita. Idem à potiori præstat Christus Ecclesiæ suæ, quia hæc interire nequit.

C. II. *Quia non mirum si è multis bonis sit quis malus.*

Secundo, Quia non mirum ex tanto bonorum numero unum vel aliquos esse reprobos. Quemadmodum enim nullum est malogranatum, in quo non sit aliquod granum putre, ut scribit Pier. lib. 54. Hierogl. Ita nulla communitas in qua non sit ovis aliqua scabiosa. Fuit in domo Noe, Cham reprobus: In Domo Abrahæ, filius Ismael: In domo Isaac, Esau: In domo Christi, Iudas: quid mirum si in Ecclesia tam longè lateque diffusa, inveniantur etiam reprobi? Prædixit hoc sæpe Dominus; In eadem area scilicet, fore etiam paleas: In eadem nassa pisces bonos & malos: in eodem agro triticum & Zizania: inter ipsas Ecclesiæ virgines, alias prudentes, alias fatuas. Quis ergo hoc miretur vel ob id reprobet Ecclesiam? Num ideo mare navigiis mercatorum destituitur, quia aliquorum navigia interiere? Num ideo uxores non ducuntur, quia aliquæ earum inventæ sunt adulteræ? Num ideo in lecto non accumbitur, quia videntur in eo multi mori? Non ideo alterum non ascendis equum, quia in priore corruisti? certe S. Matthias non dubitavit succedere Iudæ, nec id in opprobrium ei cessit, sed potius in honorem: sicut cum cadente & interfecto vexillifero, alius statim ex sociis apprehendit vexillum, & gerit: id quod certatim faciunt milites. Illud potius mirandum, quod inter sæculares tot sint mali: non, quod inter religiosos plurimos tantum unus vel alter sit malus.

D. III. *Quia dæmon fortioribus magis insidiatur.*

Tertio. Quia diabolus cum sit fortis armatus fortioribus spiritu magis insidiatur; siquidem ipsum Christum tentationibus aggressus est; & inter filios Dei adfuit ante Deum Iob. 2. Et ad Petrum Lucæ 22. ait Dominus: *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Ut enim si triticum diu fortiterque cribretur, multa grana minora decidunt per cribrum, quæ alias remansissent: ita cum doctiores & religiosiores fortiter tentantur, non mirum si reperiuntur, qui minus habent & decidunt. De eodem dicitur Iob. 40. *absorbebit fluvium & non mirabitur & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* In quem locum S. Gregor. ait: *pro magno non æstimat si eos devorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt; sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur.* Non magis mirandum, si fortis fortem dejiciat, quam si infirmus infirmum: & si civitas munita occupetur à magno exercitu, quam si immunita parva manu. Atque excelsiores Dæmon libentius tentat; sunt enim cibus ejus electus, ut habetur Abacuc cap. 1. Gratulentur sibi hac ex parte simplices & rudes, quia falconi illi in alto prædanti minus sunt expositi.

E. IV. *Quia non tam ob fidei difficultatem quam ob pravos mores discesserunt.*

Quarto. Quia quicunque tales ab Ecclesia digressi sunt, non tam ob fidei difficultatem, quam ob pravos suos mores discesserunt, ut sic minus mirum sit, si à Diabolo superati & præcipitati sint. Etenim de illo ait S. Iob. *Halitus ejus prunas ardere facit, cap. 41.* Quis autem nescit prunas esse ad ignem concipiendum valde dispositas, utpote quæ jam prius ignem viderunt & ab eo maceratæ opera carbonarii sunt? Unde 1. Ioan. 2. dicitur: *Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Iam verò mali eorum mores, negligentia, tædium vitæ spiritualis, concupiscentia carnis, oculorum & superbia vitæ ostendunt non fuisse ex nobis. Originem superbia & elatio de sua scientia & præsumptione, qua se plus omnibus sapere putavit, dejecit, ut scribit Vincent. Lyrin. c. 23. contra hæres. Similiter Hilarius Diaconus ob gloriam confessionis, cum jam verbera, carceres & exilium tolerasset, spernens eos qui ceciderant, & recipere ad Ecclesiam nolens, Schisma primo fecit, deinde hæresin addidit. Baron. anno 362. Iovinianus quod ferre monasticam vitam delicatulus non posset, quam & impurè vixerat, ut testatur S. Hier. lib. 1. contra Iovinian. Quia igitur tales paleæ fuerunt, non triticum, non mirum si de area Ecclesiæ avolarint. Hinc de Iuda ait S. Petrus in hodierna epistola prævaricatum esse, *ut abiret in locum suum.* Locus autem illius quo scilicet semper spectabat & arboris instar propendebat, erat suspendium, ut ait Oecumenius: vel potius infernus, ad quem velut ad terminum suam direxerat vitam; potius igitur laudandus est Deus, qui Ecclesiam suam ab ejusmodi Zizaniis purgare solet, & dicendum: *Sic pereant peccatores.* Vel cum Diogene, qui cum aliquando malam vetulam in arbore vidisset pendulam: *Utinam,* inquit, *omnes arbores ferrent tales fructus.* Et tantum abest ut ejusmodi Apostatæ fidei nostræ derogent, ut ejus potius sanctitatem confirment: nam uti mare ejicit mortuos, ita religio nostra reprobos & incorrigibiles. Nemo deficit à nobis ad Lutheranos, ut melius

vacare

vacare posit orationi, jejunio, castitati; nemo ut mundum contemnat, ut illecebras fœminarum fugiat, ut magis voluntatem suam abdicet & superiori subdat, &c. Sed contra, ut libertatem & apertam viam habeat ad libidinem suam implendam. Unde nondum habent à nobis hæretici nisi reprobos, refractarios, &c. nec ullus adhuc ex illis catalogo sanctorum accensitus fuit. Quia ut cani ante macellum stanti non adjicitur nisi caro fœda & inutilis: Ita de Ecclesia non projicit Deus in os diaboli, quod est hæresis, nisi reprobos.

F. V. *Quia de hoc præmonuit nos Deus.*

Quinto. Quia præmonuit Deus talia scandala nobis sæpius obventura; proinde ne moveamur, Deut. 13. *Si surrexerit in medio tui Propheta,* ait Moyses, *aut qui somnium se vidisse dicat, &c. Non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra.* Præmonuit & Paulus Act. 20. dicens: *Ego scio quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate, memoria retinentes, &c.* Unde Augustinus Ep. 137. ait: *Manifestum est quidem, quia ista in Ecclesia non accidunt, sine gravi tristitia sanctorum atque fidelium, veruntamen consoletur nos qui cuncta prædixit, atque ut abundantia iniquitatis non refrigescamus, sed usque in finem perseveremus, ut salvi esse possimus, admonuit,* hæc ille. Iam si nauta prævidens certo in loco navem agitandam fluctibus, præmoneat eos, qui in navi sunt ne terreantur, aut locis suis cedant, sed suis quisque locis sedeant, fluctuaturam quidem navim, sed nihil timendum esse: Tunc omnes sibi attendunt & locis suis firmius adhærent, quam antea: Hoc ergo faciamus & nos.

C. II. *Quia supra petram fidei, non super personas fundati sumus.*

Sexto. Quia nos supra Petram fundati sumus, non supra hos vel illos Doctores; & adhæremus Ecclesiæ Romanæ, quæ à Christo accepit promissionem non defecturam ejus fidem: non Doctoribus qui errare singuli possunt, quia hanc promissionem non acceperunt. Unde cum Ecclesia Doctores quidem recipimus, non tamen cum Doctoribus Ecclesiam deserimus. Errarunt multa Doctorum concilia vel potius conciliabula, quia à summo Ecclesiæ pastore non fuerunt approbata. Quare qui ob unius vel plurimorum Doctorum ab Ecclesia defectionem scandalizantur vel nutare incipiunt, ostendunt se radices non habere, ut qui in tempore tentationis recedunt: nec super Petram sed super arenam fundatos; quod prius nesciebamus. Quemadmodum enim canis cum duobus currens nescitur utrius sit, nisi postquam illi ab invicem separantur: Ita aliqui adhærent tantum Ecclesiæ Romanæ, quia vident majorem partem & plures ei adhærere Doctores, atque ita sequuntur potius Doctores, quam Ecclesiam; quod ostendunt, cum discedentibus ab Ecclesia Doctoribus, sequuntur ipsos, non Ecclesiam; Nos autem non sic: sed si Angelus de cœlo aliud evangelizaret, præter id quod nobis prædicat Cathedra Petri, nequaquam audiremus.

Sic Abbas quidam in vitis PP. l. 5. c. 7. de patientia num. 35. rogatus quomodo religiosus non debeat scandalizari, cum videt aliquos retro ad sæculum redire, sed progredi ad perfectionem religionis, respondit: *Intueri debet canes, qui venantur lepores; & sicut unus ex eis videns leporem, insequitur, cæteri autem tantummodo canem videntes currentem aliquamdiu cum ipso currunt, postea vero lassati post se revertuntur: solus autem ille qui vidit leporem, sequitur donec comprehendat, neque exemplo revertentium, nec præcipitiis, nec sylvis, nec vepribus retardatur, sed spinis pungitur & non quiescit, donec comprehendat: ita & Monachus vel qui Dominum Jesum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia præteriens, donec ad Christum perveniat.* Sic ille.

Deus Opt. Max. det nobis, ut non modo per tales tentationes non dejiciamur aut moveamur, sed fortius stare incipiamus, & Ecclesiæ firmius adhærere, juxta id Iob 41. *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli & territi purgabuntur.*

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. *Docemur exultare in spiritu ob conversionem proximorum.*
II. *Conformare nos divinæ voluntati.*
III. *Sectari humilitatem.*
IV. *Non temere scrutari Dei judicia.*
V. *Quorsum nobis fugiendum cum laboramus.*
VI. *Portare jugum Christi.*

THEMA.

Discite à me, &c. Et invenietis requiem animabus vestris, Matth. 11.

A.

Sanctus Iustinus ex Philosopho gentili Christianus & martyr, narrat in principio Dialogi cum Tryphone, qua ratione veræ sapientiæ, quæ ad Deum ducit, avidus, mirabili circulo sectas quasque Philosophorum illustriorum frustra pervagatus, in Christiana demum SS. literarum Ethica, tanquam sola solida conquieverit. Cum enim modo Stoicum, modo Peripateticum, modo Pythagoricum, denique Platonicum nactus esset Magistrum, & inani sapientiæ quæsitæ spe ab omnibus delusus esset, tandem in divinum quempiam philosophum, sive hominem, sive Angelum incidit, à quo monebatur, ut abdicata omni illa circulari disciplina, propheta-

phetarum oracula, & qui de Christo scripti sunt sermones legeret. Quod cum ipse fecisset; eam solam philosophiam comperit esse tutam & utilem. Additque: *Optarim autem eandem mentem & cæteris, ne à servatoris verbis discederent; possunt enim religionem incutere à via recta deflectentibus & meditantes ipsa reficere quiete jucundissima.* Sic ille. Quare Audit. si & vos similiter requiem invenire animabus vestris in aliqua scientia vultis, in S. Evangelio & verbis ac gestis Christi potestis. Aliæ scientiæ temporale aliquid præstant, sed requiem non afferunt. De verbis autem Christi S. Petrus ait: *Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Et Dominus in hodierno Evangelio apertè id confirmat, cum inquit: *Discite à me, & invenietis requiem animabus vestris.* Quare audiamus Christum nos Docentem.

B. I. *Docemur exultare in spiritu, ob conversionem proximorum.*

Docet nos primo Christus exultare in spiritu & laudare Deum, quando videmus proximorum conversionem & profectum salutis. Hanc enim ob causam exultans in Spiritu sancto, ut scribit S. Lucas, dixit: *Confiteor tibi pater.* Cum enim reversi ad ipsum essent 70. discipuli cum gaudio dicentes: *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* In ipsa hora, ait S. Lucas, exultavit in Spiritu sancto & dixit: *Confiteor tibi pater &c.* Proposuit enim sibi Christus tunc ob oculos ingentem Evangelii sui fructum, quo partim dæmones tyrannide sua, quam in homines exercebant, exuendi erant, & jam exui incipiebant; partim innumeræ gentes jugum Evangelii suscepturæ erant. Atque hinc exultans laudem cecinit Patri; Docens interim nos, non in terrenis rebus exultare, sed in iis quæ ad Dei gloriam & salutem animarum pertinent. *Sicut pater bonus*, inquit Theophylactus Luc. 10. *cum viderit filios recta quædam opera gessisse: ita & Salvator exultat, quia talia bona assecuti erant Apostoli.* Gaudeant igitur parentes non cum vident filios suos prosperari in bonis terrenis, sed cum vident eos proficere ad salutem. Sic lætabatur S. Ioannes de filiorum suorum spiritualium profectu. Ait enim in Epist. 3. *Majorem horum non habeo gratiam* (Syrus habet, lætitiam: alia Biblia gaudium) *ut audiam filios meos in veritate*, id est, fidei & morum synceritate, *ambulare.* Gaudeamus etiam nos cum videmus proximos nostros resipiscere, gentes barbaras & hæreticas ad fidem veram converti, quemadmodum nunc passim fieri videmus.

Celebrat S. Hieronymus in cap. 5. ad Ephesios, axioma Christi: *Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in Charitate.* Videmus autem passim plurimos ab hæresi redire ad veram fidem & charitatem Christi. Sed & videmus rebelles & superbos hæreticos passim humiliari, Ducibusque Catholicorum succumbere, quod non minoris gaudii & laudis divinæ materiam nobis subministrat; siquidem Christus in hoc Evangelio laudem canit Patri suo, quod superbos humiliarit & à fidei suæ arcanis removerit. Nec enim minus est laudandus Deus, cum humiliat superbos & damnat impios, quam cum exaltat humiles & præmiat bonos. Si hoc misericordiæ, ita illud opus est justitiæ. Nec minus decorum est, ut dici solet, videre furem in patibulo, quam sacerdotem in altari. Sanè ob demersum Pharaonis exercitum, cecinere Deo laudes Israelitæ, Exod. 15. Ob demersam in infernum meretricem magnam, *laudaverunt Deum sancti & dixerunt Alleluja*, Apoc. 19. & 18.

C. II. *Conformare nos divinæ voluntati.*

Docet nos secundo consentire & conformare nos divinæ voluntati per omnia, cum ait: *Confiteor tibi Pater* (confiteor enim sonat hic, simul fateor, assentior, concordo) rursum cum addit; *Ita Pater quia sic placitum fuit ante te.* Hoc verbo respondit Christus voluntati patris sui in omnibus suis actibus, cum in præsepium reclinatus est, cum in Oliveto captus & vinctus, cum ad columnam alligatus, cum affixus cruci, cum denique inclinato capite tradidit spiritum. Ad omnia tam aspera & difficilia assentiens dixit: *ita pater, quia sic placitum fuit ante te.* Quod si Dei filius hoc fecit, cur non faciet servus? In mundo certè plurimi inveniuntur, qui ut potentioribus placeant, omnia eorum dicta approbant, licet sæpe stulta & falsa, quemadmodum fecit Mamuchan Consiliarius Assueri, qui videns regem iratum contra uxorem, ut regi se accommodaret, dixit: *Justa est regis indignatio*, Esther. 1. Rectius ac sanius hoc fit Deo, cujus voluntatem semper approbare & laudare oportet, quia nunquam errat, sed ipsa est regula totius æquitatis. Quare sicut in civitatibus ad primarium horologium diriguntur horologia reliqua: ita prorsus æquissimum est ut nostra nos horologia, suam quisque voluntatem, ad illud supremum & cœleste horologium Primam divinam voluntatem attemperemus. Quo pacto securissimè Dei favorem & benevolentiam aucupari possumus; quam & obtinuit Mauritius Imp. pœnas peccati luens, cum quinque filios suos parvulos coram se interimi jussu Phocæ videns, Davidicum illud protulit: *Justus es Domine & rectum judicium tuum.* Eodem modo divinæ voluntati se conformavit Theodosius filius ejus primogenitus, cum à Phoca interceptus Nicææ, ac capite damnatus, gratiis Deo actis, lapide ter pectus percutiens: *Domine Jesu Christe*, inquit, *tu scis me nulli hominum injuriam fecisse: Nunc autem mihi evenit, ut tua jubet potentia.* Baron. anno 602. Hunc igitur in modum, cum quid adversi nobis contingit, conformemus nos voluntati Dei, licet ejus causam non intelligamus. Sic Numer. 4. jussit Deus omnia vasa sanctuarii gestari à Levitis involuta pallio hyacinthino, ne quis ea videret. Sic vult nos ferre ea, quæ imponit nobis onera: non inspici cur imponat, sufficit ea velo voluntatis divinæ vestita esse.

D. III. *Sectari humilitatem.*

Docet nos tertio, Sectari humilitatem & superbiam detestari: siquidem superbis abscondit Deus veram sapientiam & viam vitæ æternæ, parvulis au-

tem

item revelat, hoc est, humiliter sentientibus & judicium suum Deo subjicientibus. Sic Iacob. 4. dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Proverb. 9. *Si quis est parvulus veniat ad me, &c.* Ratio est, quia superbia non dat locum sapientiæ, ob tumorem suum. In valles defluit imber ex montibus, quia valles habent alveum ad eum recipiendum; montes non habent. Humiles vasa vacua sunt, superbi vasa repleta. Scimus autem Elisæum petiisse vacua vasa, quæ impleret oleo. Sic Dydimus Alexandro Magno dixisse fertur: *Paratus est Deus ad dandam tibi sapientiam, sed non habes, ubi eam recipias.* Putant enim inprimis se jam sapientia plenos; unde nolunt amplius erudiri, aut aliis subjicere humiliter intellectũ suum. Vir nobilis cum divertit in domum pauperis agricolæ, multis obsequiis excipitur & honoratur, sedulò curatur ejus equus, parantur ei & promuntur optima quæque, quæ in domo sunt, inservitur ei ad nutum. Cum verò ad domum potentioris se divertit, parum honoratur & curatur. Sic Deus à superbis parvi æstimatur, magni ab humilibus. Deinde displicet illis sapientiæ divinæ humilitas & Doctorum ejus. Amara fuit Pharisæis Christi humilitas & paupertas, si venisset splendidus & opulentus, placuisset. Ita pariter superbis displicet communiter concionum & concionatorum humilitas. Sic aliqui filii Belial despexerunt Saulem datum sibi in regem, dicentes: *Num salvare nos poterit iste?* 1. Reg. 10.

E. IV. *Non temere scrutari Dei judicia.*

Docet nos 4. Non temere scrutari Dei judicia & consilia, v. g. *cur*, ut ait S. Gregor. l. 25. mor. 13. *stante Judaico populo, dudum in infidelitate gentilitas jacuit, & cur ad fidem gentilitate surgente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit, nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito, &c.* Sic Gregor. Rursum cur Iapones, Chinenses, Brasilii &c. tanto tempore sint in tenebris infidelitatis derelicti, & tam sero ad fidem vocati, &c. Horum enim omnium ratio principalis unica est, quam assignat hic Christus: *quia sic placitum fuit ante Deum.* Sufficit nobis scire, quod nemini fiat injuria. Siquis non illuminatur, adscribat suis demeritis: siquis illuminatur, adscribat Dono Dei. Scimus præ Iosepho Matthiam esse electum ad Apostolatum, sed nescimus causam. Videntur sane meritis ita fuisse pares, ut Apostoli nescirent: utrum eligere, adeoque electionem hanc sorti & divinæ dispositioni committere deberent. Videbatur autem (nostro sensu) eligendus Ioseph, quia cognomento Iustus, ab insigni videlicet sanctitate & justitia: rursum quia, ut multi volunt, Christi propinquus & frater S. Iacobi Majoris erat, & quia prior nominatur: sed aliter sors cecidit & electus est Matthias, (quæ vox sonat donum Dei) ut sciamus ex Dei dono, non ex meritis nostris dari nobis gratiam. Ita S. Franciscus è multis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, quod à Deo ad tantum sanctitatis & authoritatis fastigiũ esset exaltatus, ut totum mundum ad se suique amorem ac venerationem traheret. Tu enim ajebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus: quî ergò totus mundus post te currit: Respondit: *idcircò Deus me ad hoc elegit, quia nihil habeo, in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis sed Dei*, refert Cor. à lap. in Act. c. 1. Agnoscamus ergò nos à nobis nihil esse, si volumus magni esse.

F. V. *Quorsum nobis fugiendum cum laboramur.*

Docet nos 5. Quorsum fugere debeamus, cùm laboramus & onerati sumus, seu mole peccatorum seu aliarum calamitatum. Ad se enim nos invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Idque duplici ratione suadet. Primò quia omnia potest: *omnia enim*, inquit, *mihi tradita sunt à patre meo.* Secundo quia vult: *Quia mitis*, inquit, *sum & humilis corde*: Unde & vocat nos ad se, & quidem omnes, nemine excluso. Maximum miserorum solatium. Ad homines si confugiamus vel illi non possunt pellere nostras miserias, saltem omnes: vel si possint, sæpe nolunt, saltem gratis. Christum habemus omnipotentem, & habemus patrem. Quid amplius desideremus? si cum Christo nondum sumus, ad illum accedamus per mentis conversionem, per desiderium Deo placendi, per veram contritionem & propositum emendationis, per confidentiã in ipsum per vitæ imitationem, &c. Vel si jam cum Christo sumus, quid nobis deesse potest, vel qua ratione tristes esse possumus, qui habentem omnia habemus? quàm igitur aberrant, qui in suis calamitatibus confugiunt ad præstigias dæmonum, ad fraudes, ad arma & violentiam, ad maledicta & blasphemias, ad laqueum denique & suiipsius internecionem? Hoc enim quid est nisi de sartagine in ignem exsilire, & veneno sumpto morbum velle pellere?

Porrò nisi ad Christum recurrerimus, requiem non inveniemus: in Christo inveniemus. Quemadmodum enim acus nautica non quiescit, nisi aciem direxerit versus plagam septentrionalem: ita & anima nostra non nisi in Deo. Unde August. in Confess. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Quies autem ista consistit in pace conscientiæ & spe futurorum bonorum; quando canere potest homo id Psal. Davidici, *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi &c. placebo Domino in regione vivorum*

G. VI. *Portare jugum Christi.*

Sextò. Docet nos exemplo suo portare jugum & onus ejus, id est, legem Evangelicam & crucem tribulationum & tentationum, quæ Christianismo est annexa. Modum autem portandi indicat, per mansuetudinem & humilitatem. Facit enim humilitas, ut jugum Christi libenter suscipiamus & de eo non erubescamus: facit mansuetudo, ut patienter id gestemus nec recalcitremus, cum id humeros nostros premit, vel cum variis tentationibus inter eundem quasi flagellis & calcaribus exitamur & stimulamur. Vin videre exemplum Christi? Audi S. Petrum epist. 1. c. 2. *Passus est pro nobis*, inquit, *vobis* relin-

relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit: Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, (ecce mansuetudinem) *tradebat autem judicanti se injustè* (ecce humilitatem) quia cum esset Dominus gloriæ, tradidit se servis, quasi esset eorum subditus.

Atque hæc est, Auditores, vera Philosophia, vera sapientia, sola tuta & utilis, quam sanctus ille Martyr Iustinus diu quæsitam tandem invenit in Christianismo, quamque omnibus optavit, laudare scilicet Deum, conformare se ejus voluntati per omnia, sectari humilitatem, mirari non scrutari arcana Dei, confugere ad Deum unicum adjutorem in nostris tribulationibus, portare jugum Christi. Hanc ergò Philosophiam, hanc mentem ego cum S. Iustino vobis opto ne à verbis Salvatoris discedatis; possunt enim (ut ille dicebat) religionem incurrere à via recta deflectentibus, & meditantes ipsa resicere quiete jucundissima, quam nobis donet Deus.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I.	*Cur respondet Christus.*
II.	*Quid respondet.*
III.	*Cur Deum vocat patrem & Dominum.*
IV.	*Qui sapientes & qui parvuli.*
V.	*Quomodo & cur abscondit arcana sua sapientibus.*
VI.	*Quomodo novit patrem nisi filius.*
VII.	*Quinam illi qui laborant & onerati sunt.*
VIII.	*Quomodo reficiuntur onerati.*
IX.	*Quid jugum & onus Christi.*
X.	*Cur hic humilitatem tantùm & mansuetudinem proponit imitandam.*

THEMA.

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, Matth. 11.

A.

SAnctus Augustinus in Epist. 56. ad Dioscorum scribit; *Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatis viam invenias: quàm quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem.* Alludens ad Demosthenis sententiam, qui interrogatus, quid esset potissimum in eloquentiæ præceptis, respondit: *Pronuntiatio.* Secundo & Tertio interrogatus, nihil aliud respondit, quam *pronuntiatio.* Hoc est, Auditores, quod in hodierno Evangelio docuit nos Christus, non esse aliam viam perveniendi ad veram & arcanam Dei sapientiam, præter humilitatem. *Abscondisti hæc à sapientibus,* inquit, *& revelasti ea parvulis.* Quoniam igitur in hodierno Evangelio non pauca sunt arcana, parvuli fiamus, ut ea nobis Deus dignetur revelare.

B. I. *Cui respondet Christus.*

Quæst. Prima Cui respondit Christus verbis illis: *Confiteor tibi Pater*: cùm nemo interrogarit? Resp. Porrò non alicui personæ, sed rei factæ respondisse juxta Hebraismum. Sic dicitur respondisse ficui sterili, in qua fructum non invenerat, Marc. 11. respondit enim ejus sterilitati. Sic Petrus in monte Thabor, respondens dixit ad Iesum: *Domine bonum est*, &c. Matth. 17.

Secundò Mysticè, respondit æterno suo patri, qui jam ante octingentos annos dixerat ei per os Isaiæ cap. 24. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Hoc est, ut mihi reconciliares morte tua, & luce Evangelii tui illuminares non tantùm populum Iudaicum, sed barbaras etiam gentes, adeoque mundum universum. Hoc igitur decreto patris filius hic respondet, primo gratias agendo: *Confiteor tibi Pater.* Secundò eidem se conformando, & voluntatem patris amplectendo, cùm addit: *Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Hunc in modum nos, cum ad hoc vel illud præceptum implendum, vel virtutem exercendam vocamur aut movemur, cùm à vitio aliquo revocamur, cùm quid adversi patimur? cùm ægrotamus, cùm morimur: cogitemus id nobis Deum ab æterno decrevisse ac quodammodo dixisse: Dedi te in religiosum, in sacerdotem, rectorem, subditum, militem, agricolam, &c. ut esses Christianus, ut alios doceres, ut multa adversa tolerares, ut sic & sic ægrotares, ut hoc vel illo tempore morereris, &c. eique ad singula hæc respondeamus: *Ita pater, ita: quoniam sic placitum fuit ante te?* nolo à tuo decreto vel ad latum unguem recedere: placet etiam mihi, quod placitum fuit ante te.

C. IV. *Quid respondet.*

Quæritur Secundo, Quid respondet Christus, cùm ait: *Confiteor tibi pater*? Respond. Confiteri in SS. literis significare modò laudem, modò gratiarum actionem, & potest hic utrovis sensu capi. Sed si cum Chrysostomo sumas pro gratiarum actione: tunc intelligendus est Christus, gratias agere non pro eo, quod sapientibus abscondit Deus fidei suæ arcana: sed pro eo, quod revelarit ea parvulis; quia gratias agimus pro beneficiis, non pro illatis malis, uti notat hic S. Chrysostomus, sed si laude capias, intelligendus Christus est laudare Deum pro utroque, quia Dei opus est laude dignissimum: illud quidem justitiæ, quo abscondit sua arcana ab indignis; hoc misericordiæ, quo aperuit ea dignis.

D. III. *Cur. Deū vocat patrem & Dominū,*

Quæritur Tertiò. Cur Deum appellat patrem & Dominum? *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ?* Resp. primo propter se, quia duplicem naturam habuit, divinam & humanam? ratione primæ vocat eum

eum patrem, ratione secundæ Dominum. Dominū autem vocat non suum, sed cœli & terræ, ut separet se à creaturis; quarum etiam ipse Dominus est.

Resp. Secundo, propter nos, ut ex una parte invocemus & amemus Deum, velut patrem, ex altera colamus & metuamus velut Dominum. Unde Lactant. Firm. l. 4. de vera sap. c: 4. ait: *Deus qui unus est, quoniam utramq; personam sustinet, & patris & Domini, & amare eum debemus, quia filii sumus & timere, quia servi.* Patrem se ostendit, cum revelavit arcana fidei suæ parvulis: Dominum, cùm abscondit ea prudentulis. Dominum se ostendit Adamo, cum ejecit eum è paradiso: patrem, cum vestivit eum pellibus. Dominum se ostendit Iobo, cum percussit eum ulcere: Patrem, cum sanavit eum.

E. IV. *Qui sapiētes & qui parvuli.*

Quæritur Quartò. Qui sapientes & prudentes, & qui parvuli? Resp. S. August. Serm. 48. de temp. dicens: *Sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus, falsò grandibus, verè autem tumentibus opposuit non sapientes, non prudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli? humiles*, &c. Et S. Greg. c. 3. l. 4. in 1. Reg. *Sapientes quidem superbos, & alta de se sentientes, parvulos dixit humiles*, &c. Non ergò per sapientes intelligendi sunt literati Doctores & Magistri, nec per parvulos Idiotæ, quemadmodum fingunt Hæretici aliqui, qui proinde contendunt rudibus datum esse scripturarum intellectum, doctis verò negatum, ideoque munus concionandi concedunt illiteratis, tonsoribus & sartoribus, alicubi etiam scholas clauserunt; (quam enim hoc fœdum & indecorum esset in Ecclesia?) Bene fieri potest, ut quis Doctor sit, & interim parvulus humilitate: sicut è contra multi rudes & illiterati sunt, interim tamen sapientes apud semetipsos vel in rebus sæcularibus. *Multos*, inquit S. Greg. lib. 14. moral. c. 26. *obtusi sensus homines cernimus, & tamē eos in malis actibus astutos videmus: propheta quoque attestante, qui ait, sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt*, Ieremiæ 4.

F. V. *Quomodo & cur absconditarcana sua sapientib.*

Quæritur 5. Quomodo & cur abscondit Deus fidei suæ arcana sapientibus? Resp. Quia negavit illis auxilia superabundantia & ipsis congruentia quibus illuminati fuissent, si ea accepissent. Non acceperunt autem propter suam superbiam, contumaciam & arbitrii repugnantiam. Sint duæ cœci, vel vulnerati, quos illuminare vel curare intendit Medicus: sed unus agnoscit suam miseriam & acceptat curam; alter non agnoscit, sed repellit & contemnit Medicum: quare Medicus huic quidem non impendit pharmaca sua, alteri impendit. Unde August. ser. cit. ait: *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, lumen se putantibus; & tenebræ erant, & eò quod tenebræ erant, & lumen se putabant, nec illuminari potuerunt, illi autem tenebræ erant*, & *tenebras se esse confitebantur, parvuli erant & non magni, humiles erant & non superbi: Rectè ergò dicebant: Tu illuminabis lucernam meam Domine,* Sic August.

G. VI. *Quomodo novit patrem nisi filius.*

Quæritur 6. Quomodo nemo novit patrem nisi filius, & nemo filium nisi pater? Resp. Scientia naturali & comprehensiva nemo novit patrem nisi filius & contra: Non excluditur tamen hinc Spiritus Sanctus. Sed non fit ejus mentio, quia nondum fuit datus, nec mundo adhuc cognitus. Sicut nec excluditur cognitio sui ipsius, tam in patre, quàm in filio, sed ea supponitur. Nos per Christi revelationem Deum cognoscimus cognitione tantum revelata & supernaturali. Hebræi ante Christum, cognoverunt quidem Deum, licet eam cognitionem à Christo non acceperint; Sed non cognoverunt eum quantum attinet ad verbi œconomiam & fidei mysteria, quæ Christus primum aperuit.

H. VII. *Quinā illi qui laborant & onerati sunt.*

Quæritur 7. Quinam illi, qui laborant & onerati sunt?

Resp. I. qui sub jugo legis veteris gravi & importabili ingemiscebant & adhuc ingemiscunt; de quo dicitur Actor. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum?* &c. Item qui jugum Idololatricæ superstitionis sustinent.

Secundo. Qui sub onere peccatorum gemunt, & quandoq; ad desperationem aguntur. Quemadmodum Cain & Iudas sub hoc onere conciderunt. De hoc Ps. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Tertiò. Qui grave illud Adæ jugum portant, de quo Eccl. 40. *Iugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usq; in diem sepulturæ.* Sunt autem omnes vitæ humanæ miseriæ & calamitates. Ex his labores sunt ij, quos in agendo sponte suscipimus, onera verò morbi cæteraque quæ inviti toleramus. Sub hoc etiam jugo multi pereunt, ut qui curarum impatientia, vel debitorum gravitate pressi sibi ipsis mortem inferunt: *Venite igitur ad me omnes*, &c.

I. VIII. *Quomodo reficiātur onerati.*

Quæritur 8. Quomodo reficiuntur onerati, qui ad Christum veniunt? Resp. primos oneratos refici in eo, dum ablato ab eorum humeris jugo gravi & importabili veteris legis & servitutis Dæmoniacæ in gentilismo, imponitur eis jugum Legis Evangelicæ leve & suave. Secundos in eo, dum à peccatorum onere & conscientiæ carnificina expediti & liberati, spem salutis acquirunt, & jam in tuto extra laqueos Dæmonis positos se vident.

Tertios in eo, dum à Deo vires accipiunt, & dexteritatem quasi tolerandi cum gaudio omnes adversitates; scientes, *quia tribulatio spem operatur, spes autem non confundit.* Non tollit quidem hoc onus (non enim ait: *exonerabo* vos) sed reficit oneratos, ut onus facile & hilariter gestent, utpote cum maximo suo fructu & merito, &c. ac quemadmodum jugum boum in aliquibus locis molli culcitra suffulcitur: ita jugum illud à Christo lenitur consolationibus. Ecce tibi, juxta Christum duo pendebant latrones, uterque in cruce sua: sed uni in cruce bene erat cum Christo: alteri verò malè.

Unus in cruce patiens erat; quia *digna factis recipimus*, inquit, alter verò impatiens: *salvum fac te & nos*, inquit. Ille Christum laudabat & confitebatur, iste verò blasphemabat. Nimirum ille jugum Christi gerebat, hic verò jugum Diaboli.

K IX. *Quid jugũ & onus Christi.* Quæritur 9. Quid sit jugum & onus Christi? Resp. Lex est Evangelica, continens præcepta fidei, sacramentorum & rerum quæ ad mores Christianos pertinent. Dicitur autem jugum, Primo, quia accedentibus ad Christum imponitur, eosque comprimit & constringit, ne quandoque carni & apetitui libuerit, sequantur. Secundò: quia nos ad Christum per amorem & servitutem, & ad proximum vinculo Charitatis alligat.

Potest etiam distingui jugum ab onere, ita ut jugi nomine intelligamus legem Evangelicam; oneris nomine persecutiones, tentationes & tribulationes, per quas premi & ingredi oportet fideles in regnum cœlorum. Utrumque expresit Apostolus 2. Tim. 3. cùm ait: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

L. X. *Cur hic humilitatem tantũ & mansuetudinem proponit imitandã.* Quæritur 10. Cur hoc loco Christus humilitatem tantum & mansuetudinem imitandam nobis proponit? Resp. quia duæ hæ virtutes maximè necessariæ sunt suscepturo jugum Christi. Vocaverat Christus laborantes & oneratos; laborantibus proponit jugum suave, oneratis onus leve. Nunc ut jugum legis Evangelicæ laborantibus suave fiat, suadet illis humilitatem: ut onus tribulationum oneratis leve fiat, suadet illis mansuetudinem. Sunt ergò Duæ hæ sorores admodum necessariæ homini Christiano, humilitas ad suscipiendam & observandam Christi legem: mansuetudo ad superandas tentationes & vitæ hujus calamitates. Idcircò etiam Apostolus binas has virtutes Ephesiis ad fidem vocatis vehementer commendat, ad Ephes. 4. *Obsecro vos*, inquit, *ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.* Bos jugo alligandus non solũ flectere collũ debet ad jugum suscipiendũ, sed nec recalcitrare debet, cùm stimulis urgetur. Duæ ergò hæ rotæ currui Evangelicæ legis trahendo necessariæ & utilissimæ sunt: *Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus*, inquit S. Leo serm. 5. de Epiph. Hæ duæ alæ sunt, quibus ad requiem evolare possimus; quam nobis donet Deus.

IN FESTO S. JOSEPHI SPONSI B. VIRGINIS.

CONCIONES.

CONCIO I.

S. JOSEPH GENUINUS filius David.

I. *Quia fuit adeps separatus à carne, uti David.*
II. *Quia fuit Lucerna Israel, uti David.*
III. *Quia fuit vir secundùm cor Dei, uti David.*
IV. *Quia fuit quasi Angelus Dei, uti David.*
V. *Quia fuit ligni Vermiculus, uti David.*

THEMA.

Joseph filii David, Matth. 1.

Ioseph sãguine & virtute filius David. Dio Chrysostomus orat. 4. refert, familiam quandam Spartanorum apud Thebanos fuisse nobilem, quæ hæreditario quodam jure lanceæ speciem corpori à natura inustam seu impressam gereret: qua qui carerent, pro illegitimis habebantur. Fuit ea res documento cæteris Spartanorum nobilibus, ut si verè nobiles esse vellent, majorum suorum bellicositatem ac virtutem sibi etiam impressam ostenderent: sin minus illegitimi & spurii haberentur. Hujusmodi nobilis genere & virtute fuit S. Ioseph, ab Angelo *filius David* appellatus; non eo tantùm nomine, quòd à stirpe & sanguine regio David oriundus, sed quòd ejusdem virtutum insignibus exornatus, adeoque & sanguinis & sanctitatis hæres esset. Ita enim de ipso scribit S. Bernardus hom. 2. super missus est: *Verè de domo David, verè ex regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior, planè filius David, non degenerans à patre suo Davide: prorsus, inquam, filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione*, atque hoc voluisse Lucam Evangelistam dicere, cùm ait fuisse eum de domo David: verum scilicet hæredem Davidis & sanguine & virtute. Magnũ certè hoc est encomium Iosephi; quis enim & quantus fuerit Rex David, quis est qui nesciat? Igitur nunc videamus, qua ratione similis fuerit patri filius.

Varia

Varia Davidis encomia refert celebratque S. Scriptura, quæ Iosepho nostro perquam aptè conveniunt, velut genuino ejus filio.

I. *Fuit adeps separatus à carne uti David.*

Inprimis Ecclesiasticus c. 47. ait: *quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israel.* Notum est ex Lev. 3. adipem ex hostia pacifica à carne separari Deoque immolari ac cremari debuisse. Dum ergò Davidem hujusmodi adipem appellat Ecclesiasticus, *ostendit*, ait Rabanus, *eum gratia Spiritus S. repletum, à carnalium & peccatorum hominum consortio in moribus & vita sequestratum esse & alienum.*

1. *Deo dicatus.*

Totum enim se Dei obsequio addixit, non quærens unquam, quæ sua sunt, sed quæ Dei. Unde Ps. 115. ter se Dei servum appellat: *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Multò verius convenit hoc encomiũ S. Iosepho, ipse enim totus, quantus quantus fuit, Dei & Christi filii ejus, hujus denique matris obsequio addictus fuit. Dei, quia velut creatori suo ad omnes ejus voluntates faciendas paratum semper se exhibuit, ut ex Evangelio liquet: Filii ejus, quia totus incubuit, ut ipsum educaret, suo opificio sustẽtaret, sua solicitudine defenderet ab ira Herodis & malevolorum: Matris ejus, quia eam accepit in conjugem, non ut thori consors esset, vel ex patrimonio ejus viveret, sed ut virginalem ipsius maternitatem tueretur ac custodiret, mariti quidem personam quasi thori consortem gerens (sed nequaquam exhibens;) ne ipsa velut adultera à Iudæis haberetur & puniretur. Itaque verissimè dicere poterat: *O Domine ego servus tuus,* (Dei inquam Patris:) *ego servus tuus.* (Filii tui:) & filius *ancillæ tuæ*, quæ dixit: *Ecce ancilla Domini.* Huic novæ Triadi quasi novus religiosus Ioseph in adipem separatum & holocaustum se devovit, ita ut omnes suos labores, sermones, cogitationes, curas & intentiones ei dedicaret: Neq; enim in hoc statu opes, honores aut delicias quærere poterat, cum sciret Christum ab his alienum fore. Magnum hoc holocaustum est, (quemadmodum & adeps in hostia est pars selectissima & suavissima) Deo nimirum transcribere intellectum per fidem, voluntatem per obedientiam, memoriam, omnes sensus, curas, labores, intentiones, quemadmodum fecit Ioseph: Porrò adeps cremari in altari sicq; Deo offerri debuit; quòd certè etiam contigit Davidi, cujus penè tota vita continuum martyrium fuit.

2. *Et crematus.*

Puer pastoritius dum patris oves pascebat, uti gelu & æstu debuit. Assumptus in aulam Saulis utebatur ejus invidia: ita ut ab ejus ira & lancea nusquam tutus esset. Exul deinde vagabatur hinc inde per solitudines, declinans persecutorem, nunquam non insidiantem & imminentem sibi. Constitutus inter hostes pati obtrectationes velut Iudæus à Gentilib. & simulare insaniam debuit. Rex cum esset quid non calamitatum ferre & videre in filiis suis cogitur, dum unus alterum occidit, ipse à filio ad necem quæritur, filia à fratre comprimitur? Non ab similis patri fuit Ioseph, filius David. Hic enim inprimis cum suspensus animo hæreret, quid accidisset sponsæ suæ, factæ gravidæ ac si fortè culpam ea incurrisset, ne eam traducere cogeretur, fugam potius eligere & in exilio solus atque in ærumnis vitam degere cogitabat; quod sanè martyrii instar est. Deinde postquam filium Dei in paternam curam suscepit; quid non solicitudinis pro eo sustinuit? Fuga ejus in Ægyptum & septennalis in ea commoratio inter Idololatras & barbaros, in summa rerum inopia quomodo non adeps Deo crematus fuit? Taceo metum Herodis in reditu: amissionem filii in templo, cum dolore quæsiti: obtrectationes Iudæorum.

II. *Fuit lucerna Israel, uti David.*

II. David appellatur *Lucerna Israel*, 2. Reg. 21. Sic enim ejus consiliarii ad ipsum: *Non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.* Erat enim David populo suo viva quædam lex, & lucerna præcedens sapientia & justitia vitæque exemplo, quo extincto in tenebris ambularent & pessum irent, nihilque aliud forent quàm mundus sine Sole, corpus destitutum oculis. Quis non videt etiam lucernam pauperculæ Christi familiæ fuisse Iosephum? Erat enim ipse Rector in ea domo, quæ quidem complectebatur Christum velut Solem, Deiparam velut Lunam: sed quia Christus velut parvulus lucem abscondit: mater ex humilitate & decentia, nec non ex reverentia erga maritum regi voluit, non regere: unum hoc supererat & verè conveniebat, ut Iosephus imperaret, ac velut Hesperus Soli, & Lunæ lucernam præferret. Erat autem lucerna, non sola intelligentiæ luce, qua divinitus illustratus & à conjuge quoque edoctus fuit, sed etiam vitæ sanctissimæ exemplo, adeoque viva lex & speculum omnium virtutum. Absque eo fuisset, quid paupercula illa familia agere debuisset? unde victum quærere? ubi securitatem invenire? quomodo longinqua & difficillima itinera conficere? quomodo malevolis obsistere? Erat ergò *lucerna lucens & ardens*: lucens sapientia, ardens charitate. Consiliarii aliique nobiles ex consortio Principum sublimem acquirunt rerum plurimarum cognitionem. Moyses ex consortio sermonis Dei splendidam accepit faciem, Exod. 34. Quid non sapientiæ existimamus mutuasse sanctum Iosephum ex consortio & colloquio filii sapientissimi, nec non matris ejus? Si enim ruborem contrahunt, qui prope ignem hærent: si odorem, qui in pharmacopolio: si candorem, qui in molendino: quomodo non cum Sole & Luna tamdiu hærens Iosephus, cœlesti luce imbutus imò perfusus est? Cæterum uti lucerna solet extingui, quando Sol ascendens suos radios diffundit: ita etiam sanctus Iosephus mortem oppetit, ut verosimilius creditur, quando Christus circa baptismum suum mundo se manifestare cœpit: tunc enim opera Iosephi non amplius indigebat.

III. *Fuit vir secundum cor Dei, uti David.*

III. David appellatur *vir secundum cor Dei*, à Samuele, 1. Reg. 13. & à S. Paulo Actor. 13. qui causam addere videtur, dum addit: *Qui faciet omnes voluntates meas*, quantum videlicet ad specialia mandata sibi à Deo injuncta, quæ omnia exactè perfecit, ut

ut patet 2.Reg.5. & 7. non imperfectè, uti fecerat Saul: tametsi à generalibus Dei mandatis subinde declinavit. Iam si eo non obstanti dici potuit *vir secundum cor Dei*, multò magis Ioseph, qui per omnia & in omnibus Dei voluntatem fecisse jure merito censetur, cum in Evangelio legamus eum omnia & singula Dei mandata exactè adimplevisse, sine exceptione, sine querela, sine omni mora. Iubetur in hodierno Evangelio persistere cum conjuge prægnante, persistit: jubetur filium nuncupare nomine Iesu, nuncupat: jubetur edicto Imperatoris pergere in Bethlehem & profiteri subjectionem Cæsari, pergit & profitetur: jubetur lege Moysis circumcidere & offerre filium, circumcidit & offert: jubetur surgere è somno & fugere in Ægyptum, surgit & fugit: jubetur redire in terram Israel, redit: jubetur secedere in Galilæam, secedit: jubetur ter in anno ascendere Ierosolymam, ascendit. Nulla tergiversatio, nulla subductio, nulla mora. Quanto igitur rectius de ipso dicere poterat Deus: *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas?* Non placent Regibus subditi aut ministri, qui ab eorum voluntate vel in minimo discedunt. Athenienses olim plectebant reos, non modo si totam legem, sed etiam si vel unam syllabam transgressi fuissent, teste Alex. ab Alexandr. l.3. cap.5. Et Romani olim capite damnabant eum, qui Magistratum absolventes, non statim successori cederent, sed per unum alterumve diem retinerent, eodem auct. lib.4. cap.6. Si mandata sua ita observari homines volunt, quid mirum si velit Deus? Atque hinc ejus indignationem incurrit & reprobatus fuit Saul, quod non ad internecionem, ut ei præceptum erat à Deo, deleverit Amalec, sed pinguiora reservarit; tametsi, ut ajebat, ad Dei sacrificium; quasi gratius obsequium ei præstiturus, quam si imperata faceret, 1. Reg. 15. Quæ res magnum nobis addere calcar debet, ut si placere Deo volumus, voluntatem Dei per omnia perfectè adimpleamus. Id quod inculcat & terribili exemplo confirmat B. Petrus Damiani epist.72. quæ est Archipresbyterum. *Unum est*, inquit, *quod mens cujusque fidelis debet assidue solerter attendere, & intra semetipsum solicita semper inquisitione versare: scilicet utrum placeat Deo quod egit, & an in ejus vita Deus, vel operibus delectetur. Quod enim prodest, quidquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Sic de David dicitur: Quæsivit sibi Deus virum juxta cor suum. Nam si nunc Conditor non delectatur in homine; homo postmodum non poterit delectari in Conditore. Unde legitur in vita Patrum, quia cum falsus quidam famosus, & magni nominis solitarius propinquaret ad exitum, tartareus ad eum spiritus venit, qui tridentem igneum in manibus attulit; & ecce vox ad eum facta est: sicut, inquit, anima ista vel una hora me in se requiescere non permisit, sic neque tu miserearis evellens eam. Tunc nequam spiritus tridentem igneum cordi morientis infixit, & animum ejus, sicut erat jussus, evulsit.*

IV. David à Thecuite illa appellatur *Angelus Dei*, 2.Reg.14. *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex*, inquit. Et rursum: *Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Dixit autem hoc, quando pro Absalonis reductione in patris gratiam, preces interposuit, commendans Regem à fidelitate & constantia in præstanda promissione, deinde à sapientia. Pari modo Mephiboseth ei dixit: *Tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi*, 2.Reg.19. commendans eum ab æquitatis amore. Meritò ob has virtutes Angelus vocatus est: debent enim Reges esse quidam Angeli custodes regnorum suorum; ideoque non solum sapientes, sed & fideles, & recti æquique amantes, qualis etiam David erat. Neque solum David, sed & Ioseph filius David, verus ac syncerus. Positus enim à Deo fuit velut Angelus custos Deiparæ filii ejus. Custos inprimis virginitatis Mariæ, ne pro adultera vel saltem fornicaria (cujusmodi lapidari jubentur Deut. 22. *Si non est in puella inventa virginitas, lapidibus obruant eam, &c.*) lapidaretur: deinde familiæ in provisione victus: denique vitæ, in defensione ab hostium insidiis; quin etiam famæ & honoris Christi Domini, ne si mater ejus innupta fuisset, ipse tanquam spurius & illegitimus haberetur; quam rationem adducit S. Thomas 3.p.qu.29.art.1. ex quo futurum erat, ut ab incredulis Iudæis multò minus reciperetur pro Messia. Consentiunt Doctores cum S.Thoma 1. p. q. 113. a.4. ad 1. Christum Dominum non habuisse Angelum custodem, sed fuisse potius custodem Angelorum; negari tamen non potest S. Iosephum fuisse ejus custodem, donec adolesceret, adeoque quoad hoc, ipsos Angelos longè præcelluisse. Scimus Regum filiis non dari Magistros & præfectos nisi in omni doctrinæ & virtutis genere excellentissimos ac fidelissimos, magna parentum solicitudine, quia rari tales inveniuntur. Testis Alphonsus Rex Aragonum, qui Catalaunis *optimum fore censentibus, si Regi eorum adhuc juvenculo septem viri ad gubernandas res publicas adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates tenerent sub fræno, neque donis, neque muneribus tangerentur; laudavit consilium ac dixit: si hujuscemodi non dico septem, sed unum aliquem mihi virum dederit is ò amici, continuò illi & regimen & regnum ipse concessero.* Panorm. l.4. de rebus Alph. c.14. Atqui talem per omnia fuisse Iosephum, non est in dubium revocandum; cum utique Deus filio suo optimum custodem deligere voluerit. Stabat Herodes velut *draco ignitus*, (id enim significat) qualis describitur Apoc.12. antè mulierem Sole amictam, parturientē, expectans editam prolem ad devorandum. Verum Angelus iste custos in tempore subtraxit illi Christū & deportavit in Ægyptum, delusitq; draconem. Iam si Tobias non satis æstimare nec remunerari se posse dicebat beneficium acceptum à ductore Raphaele, Tob.12. quid non putamus Iosepho retribuisse Christum pro tam fida custodia? *Qui servat ficū*, ait Sap. Prov. 27. *comedet ex ea, & qui custos est Domini sui, glori-*

IV. **Fuit quasi Angelus Dei, ut David.**

glori-

glorificabitur. Lignum vitæ servavit Ioseph, & custos fuit Domini sui: quomodo igitur non ab eo maximopere glorificabitur in cœlis? Certè cum adhuc in terra degens hoc officium gereret, ita eum Deus honorabat, ut per Angelum suum alloqueretur & dirigeret, quod plus esse agnoscit sanctus Hieronymus Matth.2. quam si per inspirationem tantum, uti Magi, moneretur; quia Rex majore honore afficit subditum, si legatum ad eum mittat, quam si epistolam ableget. *Qui munera obtulerunt Domino,* ait, *consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Ioseph privilegium demonstraretur.*

V. Fuit ligni vermiculus, uti David.

V. David, juxta aliquorum sententiam (cui favet latina versio) appellatur 1.Reg.23. *ligni vermiculus. David sedens in cathedra* (quod alii pro nomine proprio Iesbaam accipiunt) *sapientissimus princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Causam similitudinis hanc dat Rabanus, quia sicut vermiculus ligni tener quidem & fragilis ac parvus, fortissimum tamen lignum terebrat & consumit: Sic David domi affabilis, quietus & humilis, in certamine robustum se & intolerabilem hostibus exhibebat. Quid ni etiam Iosephum hujusmodi vermiculum dixerim? Vermiculus in ligno dentibus laborans, victum sibi quærit: Iosephus etiam in ligno velut faber lignarius operans, victum sibi suisque parabat. Quid abjectius vermiculo? quid humilius fabro lignario? Hinc ejus vilitatem Christo objiciunt Iudæi: *Nunquid hic est fabri filius?* Matth.13. Interim tamen robustissimus & hostium triumphator fuit. Quorum? inquies. David adhuc juvenis pastorculus tria maximè specimina fortitudinis suæ edidit. Ursum, & leonem, ac denique fastuosum illum Goliathum occidit, 1.Reg.17. S.Iosephus tres & ipse hostes, humano generi nocentissimos occidit, *concupiscentiam carnis* seu libidinem, *concupiscentiā oculorum,* seu avaritiam, & *superbiam vitæ.* Primum, quando carnem suam voto continentiæ alligavit adeoque edomuit, ut cum Virgine virgo, sine omni concupiscentiæ sensu aut motu, velut si Angelus esset, conversaretur. Quis virorum ante ipsum hoc fecisse legitur? Sic ergò leonem, igne libidinis ardentem stravit. Secundum, quando in paupertate sua, habens secum & sub regimine suo ditissimum Dei filium, qui omnis generis divitias comparare poterat, vitam toleravit; ita ut ab eo nullas sibi opes vel minimas postularet; sic contemptor divitiarum avaritiam quasi turpem ursum (qui mel in sano amore sicut avarus nummos quærit) jugulavit. Tertium, quando ex humilitate tanta sponsa, quam factam Dei matrem suspicabatur, se indignum reputans, timuit eam accipere. Sic ergò Goliathum & superbiam vitæ stravit. Quis jam negabit S.Iosephum æquè ac Davidem *tenerrimi ligni vermiculum* fuisse, domi quidem in suos tenerum & mitem, foris verò ergo Dæmonem & pompam ejus robustum & terribilem?

Stet ergò comprobatum, quòd initio diximus, S. Iosephum verè filium David & nomine & re fuisse, qui non modo sanguinis, sed virtutum etiam Davidicarum legitimus hæres fuerit. Hunc ergò & nos imitari contendamus, ut & ipsi veri ac synceri filii David simus & nominemur.

CONCIO II.

QUA RATIONE S. JOSEPH CREverit in eximiam sanctitatem.

I. Crevit per tribulationes.
II. Per patientiam & silentium.
III. Per promptam obedientiam.
IV. Per fidelitatem.

THEMA.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu, Gen.49.

NOmen Iesu Salvatori nostro divina dispensatione impositum esse docet Angelus in hodierno Evangelio. Idem mihi persuadeo de nomine patris ejus Ioseph. Neque enim credendum absque Dei consilio hoc nomen esse sortitum, qui Christi custos & nutricius, quasi pater, erat futurus. Ergò Iosephi illius Patriarchæ nomen accepit, quia eidem, ut S.Bernardus hom.2. super missus est, ostendit, non in paucis similis fuit. De illo pater ait: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens:* iterata voce, phrasi Hebræa; quia vehementer crevit, & eminenter superavit fratres suos, quando è cisterna & carcere sublatus est ad principatum regiæ Pharaonis, unde ait: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ,* Gen.41. Hic etiam nonne crevit, quando è paupere fabro factus Christi nutricius, jam in cœlo, post sponsam super omnes SS. (ut Suarez. 3. p. probat) Christo vicinus, appellatur ejus pater? Iam verò qua potissimum ratione uterque in tantum virum creverit, videndum.

I. Crevit per tribulationes.

I. Per tribulationes. Notum de Iosepho illo veteri, quomodo eum pater amarit, fratres verò oderint, & mortem ei machinati sint. Intervenit tamen Ruben, & vitam ei impetravit. Missus in cisternam iterum eripitur interventu Iudæ & venditur in Ægyptum. Ibi charissimus fit domino: sed mox rursum mutatur fortuna, & falso accusatus detruditur in carcerem. Inde etiam eripitur & fit princeps in Ægypto. En, quot tribulationibus exerceri debuit, donec magnus fieret! Non aliter contigit Iosepho nostro. Post desponsationem lætissimam, en tristitiam: uterum sponsæ tumescentem; unde fugiendum sibi putat. Sed recreat illum Angelus, & filium Dei de cœlo dandum ac nutriendum ei nuntiat. In Bethlehem locum non reperit in diversorio, ad stabulum diver-

divertere cogitur; sed brevi recreatur Magorum adventu & muneribus. Videns puerum natum & adoratum à Magis gaudio repletur: sed mox Herodes insidiatur, & ipse fugam de nocte inire cogitur. Nuntiatur ei in Ægypto mors Herodis & inimicorum, novo gaudio. Sed reversus in terram Israel audit Archelaum regnare in Iudæa, mali corvi malum ovum, novo timore. Sed recreatur iterum ab Angelo, & jubetur ire in Galilæam & patriam civitatem, securam ab hoste. Denique perdit filium duodennem: novo rursum dolore. Sed post triduum eum reperit, recenti gaudio. Quæ omnia expendens S. Chrysostom. hom. 8. in Matth. ait: *Tum de prosperis, tum ex adversis justorum vitam admirabili varietate contexit Deus.* Bene itaque Ezechias Deum vitæ nostræ textorem facit Isa. 38. *Præcisa est velut à texente vita mea.* Telæ enim fila non eodem omnia tendunt, sed alia recta, (der Zettel) alia transversa sunt, (der Eintrag) ita Deus per adversa & prospera vita justorum perrexit. Iacob filio suo Iosepho, velut omnium charissimo vestem polymitam seu multicolorem fecit, Gen. 37. quæ variam ejus fortunam significabat, per quam excoqui & exaltari debuit. Multum ea vestis à multis pati debuit, donec in bysinam mutaretur: abstracta est puero à fratribus, intincta in sanguine hædi, monstrata parenti. In Ægypto etiam vestis ei ablata à domina, monstrata est hero ad reum agendum miserum Iosephum. Sic ipse demum meruit purpuram & byssum. Ita & Iosephus noster, quia justus Deoque charissimus erat vestitus est à Deo varia tribulatione: deserere domum & supellectilem suam debuit ac migrare in Ægyptum. Inde iterum remeare, & quæ ibi paraverat, relinquere, perpetuus peregrinus. Quis dubitat ipsum jam in cœlo bysso vestitum & purpura?

II. *Per patientiam & silentium.*

II. Per patientiam & silentium. Iosephus ille tentatus à domina, noluit eam accusare apud dominum, tanquam insidiatricem & calumniatricem; utiq; ne dissidium inter conjuges crearet, & ipsam vitæ discrimini exponeret: sed maluit ipse velut reus in carcerem compingi, licet probatæ fidei servus apud Dominum. Sic enim scribit Iosephus lib. 2. antiq. c. 3. *Iosephus autem innocentiam suam Deo committens, neque se defendere curavit, neque rem, ita ut gesta erat, indicare, sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, una spe consolabatur, nimirum potentiorem esse Deum his, qui se vinxerant, cujus providentiam mox est expertus, &c.* Ideò ei Deus gratiam interpretandi somnia dedit, sicque eum non modò è carcere eripuit, sed etiam in aula Regis exaltavit. Ita sanctus noster Ioseph cum videret gravidam sponsam, nec sciret unde id esset, noluit eam traducere apud homines, multò minus accusare apud Iudices: sed maluit fugam eligere, eaq; se tanquam sponsum fugitivum infamiæ objicere, ut sponsæ famæ consuleret. Quamobrem ab Angelo in somno edoceri meruit & recreari læto nuntio. Fuit hæc heroica patientia simul & dilectio, notanda præsertim conjugibus, ut unus alterius magis quam proprio bono consulat & honori; uti fecit Iacob, pater Iosephi, qui obvians fratri Esau, infenso sibi, non tam suæ quam uxorum saluti timuit: *Valde eum timeo*, inquit, *ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis*, Gen. 32.

Trip. Dom. 2. post Epiphan. C. 8. H.

III. *Per promptam obedientiam.*

III. Per promptam obedientiam. Hanc exhibuit inprimis Ioseph ille; qui missus à patre suo ad fratres, sibi licet infestos, (Gen. 37.) mox obediens, *præsto sum*, ait; viaque satis longa atque incognita, de saltu in saltum errabundus perrexit, nec subitò regressus domum est, ex fastidio itineris vel desperatione, quando eos non mox invenit. Pari modo Ioseph noster totus dependebat ab ore & imperio Dei. Iussus manere cum conjuge, statim mansit: surgere nocte & fugere in Ægyptum ad barbaros, Gentiles, Iudæorum inimicos, *non ait: incerta ista res est, ac prorsus ambigua: Tu paulò ante dicebas, quia salvabit populum suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculo liberare*, (ait Chrysostom. hom. 3. in Matth.) sed longissimo & fastidioso itinere fugit. Ibi jussus hærere, donec moneretur, hæsit: inde redire, rediit, in Galilæam deflectere, deflexit. Nihil excipit, non contradicit, non requiritur de amissione domus & supellectilis. Quare sicut ille Ioseph ob meritum obedientiæ omnia superavit pericula: ita etiam noster iste.

Dices: Si Ioseph ille opposuisset se parentis mandato, non incidisset in insidias fratrum, non fuisset venditus in Ægyptum, non conjectus triennio in carcerem. Respondeo: verum est hoc; sed nec fuisset unquam evectus in principatum, nec salvasset domum suam, uti nec Ægyptum. Itaque per obedientiam & depressionem exaltatus est: sicut qui in altum saltare vult, prius in imum se deprimat necesse est. Quando ergò magni esse volumus, prius per obedientiam erga Ecclesiam & superiores nos humiliemus.

IV. *Per fidelitatem.*

IV. Per fidelitatem, qua & res & uxorem Putipharis, deinde aulam atque opes Pharaonis servavit inprimis Ioseph ille, dispensavit, administravit. Ideo uti Putiphari dilectus fuit, sic & Pharaoni: & uterque ei omnia sua commisit. Talis & Iosephus noster, cui Deus filium suum cum matre ejus servandum atque alendum tradidit: quod planè signum apertissimum est, fidissimum custodem fuisse. Unde de eo S. Bernardus serm. 2. super missus est, ait: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus matris suæ solatium, suæ carnis nutritium.* Servus planè, quia uti servus potius serviit Christo & matri ejus, quam ut pater & conjux. Videtur ergò ipsum connotare id Cant. septimo. *Venter tuus* (Maria) *sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Ventrem enim sponsæ illibatum servavit Ioseph noster sua castitate, cui per votum se alligavit, (ideo lilia appinguntur ejus manibus.) De Christo verò Cant. sexto rectissimè etiam dictum: *Qui pascitur inter lilia*, hoc est, inter Mariam & Iosephum. Triticum Ioseph servavit Pharaoni pro Ægypto & vicinis terris, regiis in horreis:

Ioseph

Ioseph sua industria panem cœlestem in utero Virginis pro toto mundo. Quare sicut Pharao Iosepho omnia commisit, & quicunque aliquid peterent, ad Iosephum omnes remisit velut ad plenissimæ potestatis dispensatorem: *Ite ad Ioseph & quidquid ipse vobis dixerit, facite*, Gen. 41. Sic non dubitandum S. Iosephum, in cœlo exaltatum, accepisse plenissimam potestatem dispertiendi nobis dona cœlestia; ut bene dicere possit cum Iosepho jam exaltato; *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*. Quid enim putatis esse, videre fabrum lignarium inter summos cœli principes? quantum hoc incrementũ! Quomodò ergo non audiet mater Dei sponsum suum? quomodo non matrem filius? Liceat enim simili modo argumentari, quo Themistocles Atheniensium Dux filium suum, quem mater in deliciis habebat, plurimum omnium Græcorum posse colligebat hac ratione: *Athenienses dominantur Græcis: ego Atheniensibus dominor, mihi mater, matri filius; ergo filius Græcis*, Plut. in Græc. Apohteg. Christus dominatur orbi: mater (suo quodam jure) filio: Ioseph matri: ergò & ipse (suo modo) orbi. Quin imò Ioseph etiam quadam ratione imperare poterat Christo, quia etsi non ab ipso, natus est tamen ipsi ex conjuge, supra naturæ vires, de Spiritu sancto. *Quod* autem *nascitur in agro meo, meum est*, ait Iurisconsultus. Quare non dissimili modo, sicut audiet filius in cœlo matrem, sic audiet & patrem. Unde Io. Gerson in sua Iosephina: *Quanta*, inquit, *fiducia Iosephi! quanta in eo vis impetrandi! quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur*. Vulgò dicitur: *Amicus, qui rogat, jubet: qui jubet, cogit*. Iosephus non Amicus tantum, sed pater plus quã adoptivus Christi fuit; cum ergò rogabit filium, quasi jubebit: si jubebit, quasi coget. Quare siqua in necessitate constituti estis, ô fideles; si in fame, belli periculo, peste, persecutione: *ite ad Ioseph, & quidquid* ille *dixerit*, quid quid à Christo petierit, utique id fiet. Sancta virgo Theresia, non ita pridem inter Sanctos relata asserebat, se mira & magna, imo omnia, quæ habebat, per ejus intercessionem obtinuisse; quodque amplius est, ab ipsa Dei matre ad Iosephum remissa fuit, quasi per ipsius interventum nihil non impetratura. Quam ob causam illius cultum in sacro suo Ordine, passim extructis ad ejus honorem templis, mirificè instauravit, auxit, promovit, ut in ejus vita l. 1. c. 15. & alibi videre est.

CONCIO III.

NOBILIUM SYMBOLA ET MONITA, applicata etiam veris Christianis.

I. Cor monet, ut sint cordati.
II. Annulus aureus monet, ut ingenuis & honestis operibus vacent.
III. Aurea bulla admonet fragilitatis humanæ.
IV. Lunulæ in calceis, monent ut curam proximorum habeant.
V. Aureus Torques, admonet submissionis & obedientiæ.

THEMA.

Ioseph fili David, noli timere, Matth. 1.

NOn sine magna ratione compellat Angelus Iosephum nomine *filii David*. Rem etenim magnam persuadere ei voluit, ut nimirum conjugem, uterum ferentem, nec tamen à se cognitam, constanter retineret, & nequaquam, uti jam moliebatur, derelinqueret. Quo igitur argumento rem tam difficilem Angelus persuasit? non alio, nisi insinuando ei ingenitam nobilitatem, tractam è familia Divid: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: quasi dicat: memento nobilitatis & regii sanguinis tui, ut ne inuras tuo nomini, & conjugi tuæ tam præcelsæ Deoque adeò charæ, hanc ignominiæ notam, ut eam deseras. Habent ergò hîc nobiles inprimis stimulum virtutis, ut ne ab æquo & recto discedant, memores sanguinis sui à nobilibus tracti majoribus. Habent etiam suo modo cæteri Christiani, qui & ipsi in baptismo Dei filii adeoque veri nobiles effecti sunt, in Christo non inferiores illis, qui sanguine sunt nobiles. Ita enim S. Chrysostomus hom. 20. in Matth. *Cunctis*, inquit, *unam atque eandem nobilitatem donavit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari*. Et S. Augustinus libro altero de serm. Dom. in monte: *Admonentur hic divites*, inquit, *vel genere nobiles secundum sæculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo: Pater noster; quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant*. Domus enim David Ecclesia universa est: Quotquot ergò veri ac pii Christiani sunt, ij de domo David sunt. Quæ cum ita sint, nunc videndum restat, quid nobilitati Christianorum incumbat, quod hîc dicemus.

Cognosci potest hoc ex nobilitatis symbolis compluribus, quorum

I. Primum Cor apud veteres nobilium insigne fuit; quare ingenui adolescentes apud Romanos cordis figuram in pectore appensam gerebant, teste Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6. Plin. lib. 33. cap. 1. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. Quid autem cor nisi hominem cordatum & magnanimum designat? De timido enim & pusillanimi dicere solemus, non habere eum cor. Nobiles ergò præ cæteris cordatos se demonstrant ac magnanimos, timiditatem sibi dedecori ducunt. Hinc antiquitus *milites* appellari, quòd inter primarios pro patria militarent, Germanicè vom Adel/ de aquila dicuntur, quòd victrices aquilas Romanaque signa sequi solerent, ut scribit Adamus Conzen libro

I. Cor monet ut sint cordati.

libro octavo Politic. cap. 22. adeoque aciem anteibant. Nominati & scutiferi, Knaben vom Schild / eod. Auctor. ibid. In scutis etiam symbola fortitudinem militarem præseferentia gerebant. Imò ob hanc eorum fortitudinem censebantur esse clypei patriæ & Ecclesiæ; quemadmodum etiam Debora in suo Cantico Iudic. 5. ait: *Cor meum diligit principes Israel*; seu ut Procopius legit: *clypeos Israel.* Ut enim clypeus defendit corpus: ita nobiles patriam. Unde mos dejiciendi clypeum, cum nobilis familia extinguitur. Ergò Christiani, qui ad veram aspirant nobilitatem, cor se habere monstrent, pro defendendo Dei honore, Christi Ecclesia & salute sua & proximorum. Pro exemplo habent inprimis Iosephum ab Arimathæa, quem sanctus Marcus appellat *nobilem Centurionem.* Hic cum esset occultus Iesu discipulus, ipso in cruce mortuo, *introivit audacter ad Pilatum & petiit corpus Iesu*, Marci 15. De quo sanctus Chrysostomus hom. 89. in Matth. ait: *Hic erat Ioseph, qui quamvis prius occultabatur, rem tamen post mortem Christi subiit arduam. Non enim ignobilis quidam erat neque ignotus, sed ex Consilio unus atque insignis: unde fortitudo ejus maximè admiranda est, cum propter amorem Iesu periculum mortis susceperit & universorum se odio tradiderit: exanime quippe corpus petere ausus non antè destitit, quàm impetravit.* Quo etiam facto suo Iudæorum scelus facilè redarguit atque condemnavit. Nihilo hoc inferior fuit noster Iosephus, cujus hodie festum agimus. Hic enim pro defensione & amore Christi, (suo modo filii sui) non uni se periculo commisit, quando eum Ierosolymam, Herode jam insidias & iras coquente, præsentandum in templum duxit, & in Ægyptum subduxit: adhæc in conjugio virginalem castitatem una cum conjuge servavit, quod usque ad id temporis inauditum planè erat. Ignobiles sunt illi, qui thesaurum pudicitiæ contra insidiatores non tuentur; uti & parentes, qui liberos suos Herodi non subducunt, sed perverti patiuntur ac seduci; similes Hebræis illis, de quibus, Ose. 7. dicitur: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Columba est tam vecors, ut sine omni resistentia ac doloris sensu sibi patiatur eripi & jugulari pullos, cum aliæ aves omnes pro suis pugnent toto conatu. Sic vecordes erant Hebræi multi, qui permittebant liberos suos cremari Idolo Moloch, absque sensu doloris, redeuntes nihilominus ad Idola sua. Quid autem aliud agunt parentes, qui salutem liberorum suorum & pudicitiam prostituunt aut negligunt?

II. *Annulus aureus monet, ut ingenuis & honestis operibus vacent.*

II. Aureus annulus nobilitatis etiam insigne erat. Patet primò ex epistola S. Iacobi cap. 2. *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens.* Ita nobilem describit. Olim enim soli Senatores & Equites annulis utebantur, teste Dione libro 48. Antonium quoque Musam Medicum, quòd Augustum Imperatorem jam conclamatum, sanitati restituisset, aureo annulo donatum refert Cælius lib. 6. cap. 21. Antiq. lect. Manibus, quia pleraque opera peragimus, operationes hominum ubique in sacra Scriptura designantur. Ut ergò manus annulis aureis ornantur & quasi nobilitantur: ita hominum opera condecorantur honestate & virtute; inde aureus annulus nobilibus monitum hoc dabat, ut non nisi virtuosis, liberalibus & ingenuis actionibus se impenderent, adeoq; quasi opera aurea, se digna, perpetrarent. Deridendos sese orbi exposuerunt Principes illi, qui ludicris se dabant rebus, cum seriis & magnis deberent, uti Domitianus, qui certum horarum pensum muscis acuto stylo configendis dabat, teste Suetonio. Hartabus Hyrcanorum Rex, qui talpas capiebat: Bias Lydorum, qui ranas filo trajiciebat; Æropus Macedonum item Rex laternas faciens: Parthorum Reges telorum cuspides exacuentes, apud Plut. in Demetrio: Persarum reges arborum cortices seu philyria cultello scindentes, teste Æliano lib. 14. cap. 12. Indigna prorsus sunt ista nobilissimo sanguine: pueris magis & mulieribus, quàm viris ingenuis convenientia. Unde Marcus Antonius Triumvir & potentissimi dux exercitus, cum Alexandriæ una cum Cleopatra Regina exisset ad piscandum hamo, & quidam urinatores constituti essent, ut pisces hamo affigerent, eorumque unus sumatum affixisset, eo cum risu extracto audiit à Cleopatra: *Alexandrinorum est, Antoni Imperator fortissime, piscari: tuum verò bellando vincere.* Plut. in Antonio. Non minùs quàm hoc, dedecet inprimis nobiles deinde etiam omnes Christianos cœlo & cœlestibus rebus in baptismo natos, nugis & crepundiis puerilibus tempus impendere, ut est, verbi gratia, blandiri uni puellæ, stare ante speculum, crines & barbam pectere ac demulcere, tibialia & ocreas diligenter attrahere & mundare, fascias crurales pedibus, & rosas variculores calceis aptare, reticulo & pilâ ludere, jocos & facetias fundere, ad numerum scitè saltare, aleas jacere, comessari & helluari, dictis alios proscindere. Vel (quod ad sexum fœmineum attinet) novas quotidie vestes & vestiendi modos inquirere, in speculo se toties contueri, pilos capitis concinnare, fucum vultui inducere, delicias perquirere, in rhedis se ostentare, stulta & nugatoria nuntia mittere, vanissimos sermones de somniis & somno miscere, & his similia. De quibus arguuntur Psal. 4. *Filii hominum usquequò gravi corde* (secundum Hieronymum) *usquequò inclyti mei ad ignominiam diligitis vanitatem & quæritis mendacium!* Cogitate quot millia in gehennæ flammis, nullis maribus extinguendis jam lamententur ob tempus tam nobile tam ignobiliter impensum. Et quid illi acturi essent, si vel ad unum diem daretur reditus ad superos! quàm longè alia agerent! Et quî scitis, quàm propè ab illis abstis? Vel nostrum Iosephum aspicite, qui cum esset faber opificio, utique fabrilia velut sibi convenientia tractabat, quo victum sibi suisque pararet. Qualia verò fuerint, colligimus ex sancto Iustino, antiquissimo auctore

& martyre, qui in Dial. cum Tryphone ait, solitum Christum, *aratra fabricare jugaque, ut per has figuras justitiam doceret,& reipsa fugam otii.* In his ergò patrem secutus, eadem agentem adjuvabat. Quid autem humano generi utilius & honestius, quam agriculturam promovere? Neque tamen hoc præcipuum Iosephi exercitium fuisse arbitrandum est, quin multò plus impenderit virtutum & pietatis studio, quod non modò à sanctissima conjuge, sed à Sancto sanctorum filio edoceri poterat, tametsi jam prius justus & sanctus.

III. *Aurea bulla: admonens fragilitatis humanæ.*

III. Aurea quoque bulla è collo dependens, nobilium erat signum, teste Plinio libro trigesimo tertio capite primo. Macrob. 1. Saturn. c. 6. habens uti nomen, ita similitudinem bullæ, quæ in aquis natat, vel à pueris in nucis cortice ex aqua & sapone per flatum excitatur: quæ ad momentum quidem è calamo dependet & pueros delectat, subitò tamen dissolvitur & evanescit. Monebantur huj9 bullæ monili nobiles, ut memores fragilitatis humanæ naturæ, quam cum plebeis communem habent, supra seipsos non insolenter extollerent, sed pares eis nascendi & moriendi conditione intelligerent. Qua in re mirè insaniunt nobiles Malabares, qui si ab ignobili tangantur, pollui se existimant; quare obviantes sibi ignobiles à via jubent deflectere; alioquin malè tractant; teste Osor. lib. 2. Rerum Emman. Sed quid mirum si Gentiles ita delirent: cùm & inter Christianos hujusmodi non desint? Vulgari antiquorum parœmia *homo bulla* appellabatur; quæ æquè principes & nobiles, atque plebejos comprehendit. Ita enim Oseæ 10. dicitur: *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam maris super faciem aquæ.* Ergò sicut triumphator triumphali curru Romam ingrediens præconis voce à tergo monebatur: *Respice post te: hominem memento te:* (Auct. antiq. Rom. libro decimo, capite vigesimo nono) ita etiam nobiles humilitatis admonebantur aspectu illius bullæ; ne, quod proclive est nobilitati, alios contemnerent. Qua de re etiam sanctus Hieronymus nobilem fœminam epistola decima quarta sic hortatur: *Nulli te unquam generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque & humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: servum & nobilem de moribus pronuntiat.* Et mox: *Nihil est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus, propter quod Scriptura dicit: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam,* Eccles. 3. Imagines ex umbra circumposita pulchriores elucent: ita nobilitas ex umbra humilitatis splendidior evadit. Id confirmat de sancta Melania nobili simul & humili matrona Romana sanctus Paulinus epistola decima. *Nobilitatem quoque,* inquit, *ad operis sui gloriam Dominus illi contulit, quò magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur: ut quò vanitas hominum ad contemptum Dei utitur, ista potius ad contemptum mundi uteretur: simul ut major salutaris exempli proderetur autoritas humiliandis superborum oculis.* Præit hac in re exemplo suo S. Ioseph noster, qui ex sententia Origenis, Matth. 1. & S. Basilii hom. 25. tom. 1. nec non S. Bernardi hom. 2. super missus est, ex humilitate voluit deserere conjugem suam gravidam, ubi rescivit, vel (quod verius videtur) suspicatus est eam divinitus gravidam factam, quòd indignum se reputaret, qui tali virgini cohabitaret, non dico in thoro, (quod nunquam intendit) sed etiam in domo. Audiamus Originem: *Timens ejusmodi mulieris vir nominari, clanculum ipsam dimittere voluit, &c.* Sanctus Bernardus verò: *Indignum & peccatorem se reputans dicebat intra se: à tali & à tanta non debere sibi ultra familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem, &c.* Præit etiam nobilis ille Decurio, Ioseph alter, qui non habita ratione nobilitatis suæ crucem, Iudæis probrosam, ascendit, & Christum inde deposuit immortali & stupendo sanè humilitatis exemplo, non solum omnibus nobilibus, sed magis adhuc cæteris fidelibus, ut ne pro Christi amore erubescant quascunque sustinere confusiones. Pictores in suis imaginibus montes umbra attollunt, & aliarum rerum summitates prominentes faciunt: pari modo nobilitas tam fidei quàm sanguinis, beneficio humilitatis ad cœlum attolletur & gloriosa coram Deo & hominibus apparebit.

IV. *Lunulæ in calceis: monentes ut curam proximorum habent.*

IV. Lunulæ in calceis corniculatæ nobiles designabant & à cæteris distinguebant, uti scribit Plutarchus in quæst. Rom. ubi de causis ejus symboli divinat, & rectè quidem sentit admoneri eos fortunæ inconstantis, & instabilitatis suæ, qualis cernitur in Luna, nunc plena, nunc obscura, nunc crescente, nunc deficiente: & visa est in familia Davidis, à baculo pastoritio ad sceptrum evecta, inde rursum in Iosepho nostro ad securim depressa. Sed meo judicio potior illa causa est, quòd sicuti Luna rectrix & protectrix est rerum sublunarium, in easque maximam habet influentiam, (unde *Dea seminum & sylvarum appellatur*) dominatur etiam in maria & ipsa humana corpora: ita nobiles ferè dominantur orbi, regunt plebem & protegunt, in eamque influunt sua prudentia, fortitudine, auctoritate, liberalitate: certè influere deberent, cum ferè ipsi in dignitatibus constituti, mundum gubernent. Hoc ni fallor indicare voluit Henricus II. Galliæ Rex, qui crescentem Lunam in symbolo suo prætulit, ea inscriptione: *Donec totum impleat orbem.* Beyrl. in Theatro V. stemma, S. Vilebrordi Episcopi Traject. mater, eo gravida, visa est sibi Lunam novam crescentem, usque dum plena fieret, utero gestare: quòd filius genti in tenebris positæ lumen allaturus esset, ut in ejus vita. 7. Nov. apud Sur. Tales ergò Lunæ sunt vel esse deberent nobiles Christiani, defendere pupillos, alere pauperes, dirigere errantes, fugare tenebriones, solari mœ-

mœstos, recipere in tutelam omnes oppressos; eosque suo modo æmulari omnes Christiani. Habent exemplum in sancto Iosepho, qui hoc uno fine matri Dei conjux à Deo datus & destinatus est, ut ejus virginitatis custos & servator, ipsius denique & Christi filii nutritius esset. Si enim sub ejus umbra Deipara non latuisset, ex lege forsan velut adultera à Iudæis lapidata fuisset; unde ipse personam veri & naturalis Christi patris sustinere debuit, ne & mater infamis,& filius illegitimus haberetur.Ipse denique pauperem illam familiam suo labore sustentavit,non sibi tantum sed toti mundo. Accenseri potest ipsi alter ille Ioseph, nobilis Decurio, qui Christum in cruce mortuum suam suscepit in protectionem ac sepulchrum lapideum.Absque eo fuisset,quò,putatis, Hebræi Christi corpus abjecissent ? num illud sepelissent?nonne potius in monte Calvariæ feris avibusq; in prædam dedissent ? At hoc passus non est sanctus ille Ioseph, sed suum ipsi sepulchrum, novum & impollutum cesit. Quanta hæc ejus gloria ? quantam in cœlo remunerationem meruisse putamus ! Idem cum pauperibus subditis, pupillis, oppresis agant nobiles, & cæteri Christiani : sic verè nobiles erunt.

V. *Torques aureus monile submissionis & obedientiæ.*

V. Denique torques aureus nobiles distinxit semper ab ignobilibus,& distinguit hodieque. Porrò sicut ferrea vincula injiciuntur immorigeris, ita torques aureus præmium est morigerorum, ut colligimus ex capite primo Prov. *Audi fili mi disciplinam patris tui & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo.* Suo ergò torque nobiles demonstrant se ad Dei legem observandam primos & studiosissimos esse velle ac debere. Atque ita legimus,1.Par.18. *Porrò filii David primi ad manum Regis*, hoc est, promptissimi omnium ad Regis imperium implendum. Si isti primi ad manum Regis : quantò æquius nos primi ad manum Dei ? Scimus etiam Num. decimo, à Deo Moysi dictum : *Si semel clangueris* (tuba) *venient ad te principes & capita multitudinis Israel.* Ubi Procopius : *Unius tubæ sonitu convocabantur Principes,acutius cernentes & citius obedientes. At verò plebs convocabatur ad tabernaculum Domini à Moyse repetito clamore.* Ornamentum hoc est nobilium, si ad primum statim campanæ pulsum adeoque primi fint ad templum adeundum,Dei legem audiendam & servandam; eo enim demonstrant se liberè, (quod nobilium est) & non coactè (quod servorum & vulgi) Deo se subjicere. Hinc eos laudat regius vates, Psalm. 67. dicens : *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus.* Vides eorum diligentiam in divino cultu ? Hæc laus etiam debetur sancto nostro Iosepho, qui in lege Dei observanda accuratissimus & promptissimus semper fuit. Patet ex circumciso & præsentato in templo Christo, datoque pro eo munere, secundùm legem Moysis : patet ex fuga in Ægyptum, quam mox, ut mandatam sibi accipit, de nocte consurgens arripuit : patet ex perseverantia cum Maria conjuge, uterum ferente; quam juxta Angeli monitum, nullatenus deseruit, tametsi se non esse patrem, sed nutritium tantum prolis futurum scivit. Effecit hæc ejus parendi alacritas, ut in posterum ab Angelo per omnes suas vias dirigeretur & moneretur.

Quando igitur vidimus nobilium tam secundum sanguinem, quam secundum spiritum, notas & insignia, superest ut non ij tantum, qui generis splendorem à parentibus traxerunt; sed & omnes Christiani : qui nobilitatem spiritus è baptismo hauserunt, vitam & mores suos insignibus his accommodent. Frustrà & ridiculè gerit nomen Nobilis, qui mores habet ignobiles. *Nomen habes quod vivas, & mortuus es*, ait S. Ioannes Episcopo Sardiensi. *In mente ergò habe, qualiter acceperis & audieris, & serva*, Apoc.3.

CONCIO IV.

VIRTUTEM MAGIS NOBILITARE, quàm sanguinem ostenditur.

I. Quia sanguinis nobilitas confert libertatem, magis tamen virtus.

II. Quia sanguinis nobilitas confert honorem, multò magis virtus.

III. Quia nobilitas generis promovet ad honores, multò magis virtus.

IV. Quia sanguinis nobilitas dat opes, magis tamen virtus.

THEMA.

Ioseph autem vir ejus, cum esset justus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, Matth.1.

DUplici nobilitatis titulo ornatur S. Ioseph in hodierno Evangelio; virtutis & prosapiæ. Virtutis, cum asseritur à Matthæo *justus*: prosapiæ, cum ab Angelo vocatur *filius David.* Pulchrum utrumque ornamentum; sed utrum altero præstantius?Certè de justitia prius commendatur Ioseph, de prosapia posterius: & ne fœdam rem committeret, infamando conjugem innocentissimam ac sanctissimam, non prosapia intercesit regia, sed virtus & justitia: *Ioseph enim cum esset justus* : inquit Matthæus,& (proinde) *nollet eam traducere,&c.* Iustitia ergò ejus prohibuit ne innocentem conjugem læderet: id quod sola ejus nobilitas certè non prohibuisset,sed dictasset potius. Præclarior igitur est virtutis quam sanguinis nobilitas: id quod non Christiani solum, sed Ethnici agnoverunt. Ex illis sanctus Hiero-

Hieronymus ad Celantiam epist. 14. *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* Sanctus Ambrosius lib. de Arca & Noë capite quarto. *Probati viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus, homines: ita animarum genus, virtutes sunt.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 11. *Nobilitas vera est divinæ imaginis conservatio atque archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt.* Et orat. 19. de Gregorio patre: *Unam nobilitatem*, inquit, *in pietate sitam esse censebat.* Cassianus collat. 2. cap. 10. *Nobilitas sola est atque unica virtus. Nobilissimus Deo est clarissimus virtutibus. Aliena laudat, qui genus laudat suum.* Ex his verò Seneca lib. 5. epist. 44. *Quis ergò generosus?* inquit, *Ad virtutem bene à natura compositus. Hoc unum est intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus &c.* Diogenes rogatus, quinam hominum essent nobilissimi; respondit: *Qui divitias, gloriam, voluptatem, denique vitam contemnunt, & vincunt contraria, paupertatem, infamiam, dolorem & mortem.* Qui Taprobanam insulam incolunt gentes, Regem eligunt, non qui nobilitate, sed qui virtute cæteris præstet, teste Solino cap. 66. Testes audivimus hujus veritatis, quia tamen ea difficilè persuadetur iis, qui sanguinis nobilitatem jactant & omnibus aliis præferunt, ideo ad oculum magis comprobanda est.

I. Sanguinis nobilitas confert libertatem.

I. Nobilitas prosapiæ confert aut certè conferre existimatur homini quandam agendi libertatem & ingenuitatem; ita ut subjacere & cogi legibus nolit, sed sponte ac libere, quod rectum est, agere velit. Hac verò libertate sæpissimè abutitur sanguinis nobilitas, adeò etiam, ut Dei & Ecclesiæ leges spernat, quasi illis superior sit. Virtus autem confert homini verissimam libertatem & ingenuitatem, qua omne id, quod secundum Deum, æquum & honestum est, sua sponte & alacriter agit, tametsi leges id non præscriberent: Quare nihil metuit, nullum adversarium curat, nec tristitiam admittit. *Virtus* enim ait Cicero 2. Tuscul. *à viro appellata est: viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio.* Hebraicè virtus vocatur *tumma*, h. e. *perfectio* seu *integritas*; quia vel sola homini satis superque est. Unde Antisthenes dicebat, virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico: virtutem enim esse armaturam, quæ detrahi non possit. Ensis namque & clypeus excutiuntur: sapiens autem ac virtute præditus nunquam non armatus est, ideoque vinci non potest. Quare negabat sapientem vivere juxta leges ab hominibus institutas, sed juxta normam virtutis. Epicteto apud Stob ser. 1. anima dedita virtuti similis est perennni fonti, cujus aqua est pura, imperturbata, dulcis, accepta, copiosa, ab omni noxa & pernicie aliena. Socrati virtus est statua quædam in sua basi. S. Chrysostomus vero hom. 28. in Gen. *Sicut is*, inquit, *qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu dis-*

Magis tamē virtus.

rumpi, & protinus in spumam solvi, ita & virtuti vacans in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis; sed tranquillus animo & quietus sedet, intelligitque res hujus vitæ nihil differre ab omnium fluentis tam rapido cursu transeuntibus. Exemplo est. Hilarion, qui circumventus à latronibus & rogatus: *Quid faceres, si ad te latrones venirent? nudus*, respondit, *latrones non timet.* Et illi: *Certè occidi potes. Possum*, inquit, *& ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum.* Hieronym. in ejus vita. Abbas ille Macarius in sepulchro paganorum pernoctans, cum mortui cadaver pro cervicali supposuisset capiti, & dæmones ex eo voces ad terrendum ipsum ederent, diabolo fidenter dixit: *Surge, vade quò potes.* Similia legimus de S. Martino, Francisco & aliis. Adhæc, ut dixi, virtute præditus liberè & sponte agit, quæ virtutis sunt. Ut enim *alacer equus suapte sponte facile currit: ita qui ardet amore virtutis non eget admonitore*, ait Plut. in mor. apud Anton. in Melissa serm. 31.

Non est hæc libertas & securitas in sanguinis nobilitate. Tametsi enim illa homines parum aut nihil timet, Deum tamen judicem ac peccatorum vindicem cogitur metuere; vel hoc ipso, quod humanas & divinas leges parvi pendens, facile nimis transgredi soleat. Hinc Iudex ille in quadam civitate à Christo in parabolam adductus, Luc. 18. dicebat intra se: *Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam* (illius jus ab oppressione adversarii, illudq; viduæ restituam) *ne in novissimo veniens sugillet me*, h. est, ne me tandem infamet & apud principem me accuset aut saltem in novissimo judicii die publicè confundat: At nihil horum metuere facit nobilitas virtutis, quæ Deum Iudicem pro se stantem habet. Hinc Saul duobus primis annis, quibus in regimine innocens vixit, nullo præsidiariorum militum, sed virtutum tantum præsidio munitus fuit; at ubi se virtutibus exuit, ad externa munimina, quibus se armaret, recurrit; ut advertit Genebrard. l. 1. Chronol. anno mundi 3106.

II. Sanguinis nobilitas confert honorem.

II. Nobilitas sanguinis confert honorem, æstimationem, authoritatem apud homines alios. Hinc enim dicti sunt *nobiles*, à *noscendo* quasi *noscibiles*, quod velut lumina quædam, aut culmina omnium oculis pateant præ cæteris. Hinc primas in conventu sedes obtinent, honorificis titulis compellantur; de via obviis ceditur, caput aperitur, honores deferuntur. At hoc ipsum multo magis præstat nobilitas virtutis. Quod inprimis testantur sacræ literæ, uti Proverb. 4. *Accipe sapientiam* (seu quod idem est, virtutem) *& exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Rursum Prov. 31. *Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* Ubi etiã Salomõ, postquã mulieris fortis virtutes expressisset, statim subjicit: *surrexerunt filii ejus & beatissimam prædicaverunt: vir ejus & laudavit eam.* Quod inprimis

Multò magis virtus.

testatur eadem scriptura de Iuditha, quæ etsi genere nobilis, virtute tamen longè nobilior, indeque longè famosior erat. *Erat*, inquit, *hæc in omnibus famosissima* (non ob generis prosapiam,) *sed quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Accedit Sanctus Chrysostomus hom. 15. in Matth. *Nihil est*, inquit, *quod sic hominem faciat insignem atque conspicuum, etiamsi magno ambitu optet latere: ut splendor iste virtutis. Sicut enim ipso Sole circumdatus, ita utique clarus refulget, nec in terram solummodo lucis radios emittit, sed supra ipsum etiam cœlum proprio fulgore radiabit.* Io. Cassianus coll. 24. capite ultimo. *Nonne obsecro*, inquit, *etiam in centuplum gratiarum evidentissimè qui fideliter Christo deserviunt, consequuntur, dum pro nomine ejus à summis principibus honorantur? ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in persecutionum angustiis, judicibus cunctis ac potestatibus fiunt; quorum vilitas etiam mediocribus forsan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione servili, si in sæculari conversatione mansissent.* Et paulo post: *Quid evidentius in Abbate Joanne, qui in illo eremo, qui Lyco oppido adjacebat, commoratur, possumus approbare? qui perobscuris natus majoribus, ita pro Christi nomine, universo penè humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque rerum præsentium Domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis, regibusque terrori sunt, velut dominum venerentur & oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes, imperii sui apicem & statum salutis bellorumque proventus illius orationibus meritisq; committant?* hucusque Cassian. Quis autem nescit quanto in honore habitus sit Antonius à Constantino M. adeo ut sibi honori duceret, vel perbreves litteras ab eo accipere? S. Martinus ab Imperatore Maximo, ut pro magno haberet, sibi ab eo poculum propinari? Ab ejusdem conjuge, ut ad mensam ei administrare posset? S. Franciscus à Cardinalibus, ut se felices reputarent, si cum ipsis pranderet vel loqueretur? Neque solum boni & virtutum amantes id honoris impenderunt virtuosis hominibus; sed etiam reprobi, qui virtutem non coluerunt. Unde S. Chrysostomus hom. 5. in Gen. *Tanta virtutis est*, inquit, *ut revereantur & multum laudent eam, etiam qui illa carent.* Exemplo id ostendit Nabuchodonosoris (hom. 6. ad pop.) qui *antea quando dixerunt:* (tres pueri) *Diis tuis non servimus, fornace sævius accensus est: postquam vero per ipsa opera hæc ostenderunt, non tantum non indignatus est, sed laudavit & admiratus est, quod sibi non obedissent. Tantum virtus bonum, quod & ipsos hostes habet admiratores & laudatores. Benedictus, inquit, Deus, qui misit Angelum suum & eruit servos suos, quia crediderunt in eum, & verbum Regis immutaverunt & tradiderunt corpora sua, ne servirent Diis alienis*, Dan. 3. Sanctus Bernardus idipsum ostendit testimonio Balaami, serm. 7. in Psal. *Qui habitat Pseudoprophetam*, inquit, *Balaam recolite. Et ipse iniquus mortem justorum optabat & novissima sua horum similia apprecabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis & injustis.* Idem comprobatur facto illius Laban; qui, licet impius, justum tamen Iacob amabat & detinere apud se conatus est; etiam per fas & nefas, dum ei pro Rachele Liam substravit: ut in posterum etiam pro Rachele ipsi serviret, cujus amore flagrabat: pro Lia non serviturus, uti observat S. Chrysost. in cap. 29. Gen. hom. 56. Iam verò ubi aliquando in tanto pretio & honore fuit sanguinis nobilitas carens virtutibus? *Ostende mihi de scripturis*, inquit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Levit. *ubi aliquis peccator aut parvi meriti* (licet nobilissimæ prosapiæ) *magnus appellatus sit? nusquam, opinor, invenies. Audi verò qui sunt, qui magni appellantur: Moyses, Joannes Baptista, &c.* Moyses quidem Exod. 11. *Fuit Moyses vir magnus valde in terra Ægypti.* Io. Baptist. Luc. 1. *Erit magnus coram Domino.* Iudith in ejus lib. c. 6. *Magna facta est in Bethulia.* Isaac Gen 26. *Magnus vehementer effectus est.*

III. Nobilitas generis promovet ad honores. Multo magis virtus

III. Nobilitas generis promovet ad honores, Magistratus, aulas Principum, eisque proximè adhærere facit. At longè magis virtus, quæ hominem Deo conjungit proximumque facit; adeo ut major homine, & quasi Angelus aut etiam Deus esse videatur. Ita Sapiens testatur Sap. 6. *Custodia legum consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Qua in re excessere Lystrenses, qui videntes Pauli & Barnabæ virtutes clamabant: *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.* Et vocabant Barnabam *Jovem*, Paulum verò *Mercurium*: volebantq; etiam ipsis sacrificare. Non hucusque se extendit virtutis nobilitas: ideoq; sapienter responderunt hunc honorem Apostoli, ad alios tamen honores & quidem summos virtus evehit sui cultores Deoq; proximos facit, ut patet in Moyse, quem ob ejus virtutem ex pastore ducem innumerabilis Hebræorum populi & thaumaturgum fecit nec non *Deum Pharaonis*, uti ipse Deus dixit Exod. 7. In Davide: quem itidem ex pastorculo ad dignitatem regiam provexit & *virum secundum cor Dei*, quasi intimum Dei amicum constituit. In Iosepho, quem ex servo principem in Ægypto fecit, & *Salvatorem mundi* appellavit. In Mardochæo, quem ex palatii excubitore ad primam in aula Assueri dignitatem extulit. In Daniele, quem ad summos honores apud Reges Babylonis: deniq; in viris novæ legis penè innumeris; siquidem ea jubet illos præ cæteris elegi ad dignitates & prælaturas, qui virtute cæteris præstant. Aruncani in ponderoso ligno ferendo regem futurum experiebantur, illumque eligebant, qui diutius id gestasset, in tractu Peruano. Apud Medos quoque fortior: in Meroë, qui validiore erat corpore: in Lybia, qui cursu celerior, à Catheis formosior: à Gordiis obesior: Ab Æthiopibus ditior in Regem eligebatur,

batur, teste Alex. ab Alex. l. 4. c. 23. In Ecclesia verò Christi illum ad Prælaturas assumi jubet Spiritus S. qui virtuosior; idque *postulat gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8. ac nisi fiat, arguit mundum & expostulat cum eo.

IV. Sanguinis nobilitas adfert secum aut certè ad se trahit opes & divitias; sed fluxas & perituras, ac multoties perniciosas. Nobilas virtutis & ipsa ditat hominem, sed veris ac solidis opibus. Testatur id inprimis senex ille Tobias cap. 4. *Noli timere fili mi, pauperem quidam vitam gerimus*, inquit, *sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum*. Hebr. *Dabit tibi Deus divitias magnas; si requisieris eum in toto corde tuo*, idque ipsi evenit, quando nobilem & ditissimam sponsam Angeli ductu sortitus est. Item universum de omnibus dicitur Ps. 33. *Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficiunt omni bono*. Salomon utique ditissimus erat, & tamen in suis opibus nihil se reperisse nisi vanitatem & afflictionem lamentatur, Ecclesiastis 2. Idem Regi Hiram 20. oppida dedit; ea tamen ipsi adeò non placuerunt, ut appellaret ea *terram Chabul*, h. e. *lutosam*, vel *displicentiæ*. Audiamus Chrysostomum l. 2. adversus vituperatores vitæ monasticæ. *Tantæ sunt virtutis opes*, inquit. *ac copiæ adeoq; quam vestræ dulciores & amœniores, ut qui has habuerint, nunquam eas velle possint cum universa terra commutare; ne si illa quidem aurum fiat, cum mari & fluminibus & montibus*. Et mox: *Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, siquidem ille voluisset accipere? sed noluit. At ille nixibus totis contendebat cunctaq; moliebatur, ut hujus virtutibus propius accederet*, sic ille. Hinc idem dixisse fertur: *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem*, præferens ejus virtutes (tametsi insolidas & futiles) omnibus divitiis. Ratio est, quia opes cæteræ rapiuntur à morte: virtutes diripi non possunt, sed comitantur hominem ad sepulchrum & vitam alteram. Ut enim fulmen præter laurum omnes ferit arbores, teste Plinio l. 2. ita mors & calamitas omnia auferre potest præter virtutem. Unde S. Ambros. l. 7. in cap. 12. Lucæ, *Sola virtus*, inquit, *comes est defunctorum*. Et S. Chrysostomus hom. 23. in Gen. *Divites his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantum malitia vestiti & peccatorum, omnibus inde collectis At longè secus habet virtus, quæ hic quoque potentior est insidiatoribus, & planè invictos facit suos, continuamque præbet voluptatem, & ne sentire quidem sinit rerum istarum inæqualitatem: sed & hinc emigrantibus comitem se addit, & tunc potissimum, cum ejus subsidio egemus. Adhæc in die illo terribili magnum nobis præstat auxilium placans judicem. Et sicut hic ab ingruentibus infortuniis, ita & futuro se colentes à tormentis illis eripit*. Idem hom. 63. ad pop. confirmat his verbis: *Si vultis hoc discere*, inquit, *hinc migraturum interrogemus vel senio confectum, & commonefacientes eū lautæ mensæ, qua quondam oblectabatur: & honoris & gloriæ, & bonorum operum, quæ unquam fecit; rogemus in quibus magis exultat. Et in illis quidem videbimus erubescentem & se celantem: in his verò gestientem & exultantem. Sic etiam Ezechias cum ægrotavit, non gloriæ, non regni, non opiparæ meminit mensæ, sed justitiæ: ait enim: Memento Domine, quomodo ambulaverim in conspectu tuo, in via recta. Vide & Paulum ex his exultantem: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Cum apud Forum Iulium hybernaret Carolus M. Imp. ac videret Francos exoticos pelles, peregrina vestimenta à Venetis Mercatoribus magno emptitare: omnes uti vestiti erant, secum venatum pluvia imminente proficisci imperavit, vestibusque hisce imbre corruptis, dilaniatis, sanguine oblitis domum reverti jussit, universosque mox secum eodem habitu cœnare, ob frigus tum omnibus ad focum certatim considentibus, convivium ad multam noctem protraxit. Postridie iisdem indutos amictibus cunctos apparere jubet. Tum ubi hujusmodi indumenta partim imbre, pluvia, sentibus dilacerata, cruore oblita; partim ab igne rugis constricta, & proinde rupta discussaque conspexit, lupinas suas pelles integras ostendit, &: *Stolidissimi mortalium*, inquit, *quod vestimentum nunc utilius pretiosiusve est? Meumme drachama comparatum, an vestra tot libris, atque integro patrimonio coempta?* Aventinus l. 4. Annalium Bojorum. Simillimum quid continget in articulo mortis, frigidoque illo judicii die. Hirsuta Caroli M. vestis virtutis habitum indicat, vilem quidem aspectu & asperum; verum utilem & durabilem. Sericæ vestes & odoriferæ pelles nobilitatem sanguinis referunt, quæ in venatione mortis nec durant nec protegunt, sed heu frigori divini judicii miseros exponunt.

IV. Sanguinis nobilitas dat opes. Magis tamē virtus

Quare Audit. si veram, stabilem & solidam nobilitatem concupiscitis, virtutem adamate & comparate. Iosephum vobis proponite, qui in arte sua fabrili centies millies majorem consecutus est ex virtute nobilitatem, gloriam & honorem, quam omnes hujus mundi nobiles; quia horum prosapia nisi virtuti conjuncta sit, nihil in cœlo valet; virtus sola in pretio est.

IN FE-

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V.

Evangelium Luc. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Gallileæ cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait ei Angelus: ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM, hic erit magnus & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CONCIONES.

CONCIO I.

CONGRUENTIÆ INCARNATIONIS DIVINÆ

I. *Gloria Dei.*
II. *Victoria Domini.*
III. *Miseria hominum.*
IV. *Salus.*
V. *Perfectio universi.*
VI. *Gloria Sanctorum.*

THEMA.

Quomodo fiet istud, Luc. 1.

A.

STupendum & omnibus sæculis inauditũ nuntium hodie de cœlo in terras allatum est, Deum videlicet omnium creatorem & rectorem de cœlo in terram descensurum. DEUM inquam, qui ab æterno fuit, in tempore nasciturum: Deum invisibilem, videndum inter homines: Deum immensum & incomprehensibilem concludendum utero Virginis: Deum impassibilem fore hominem passibilem: Deum immortalem, mortalem fore & moriturum, Deum universitatis Dominum servuli forma appariturum. Quis hic cum Maria non exclamet: *Quomodo fiet istud?* Et si non est impossibile apud DEUM omne adeoque & hoc verbum: quomodo decet istud supremam illam majestatem, ut adeo se demittat, ad homines divertat, & inter servos & creaturas suas advena esse velit? Miratur hoc Salomon. *Ergone putandum est*, inquit, *quod verè Deus habitet super terram?* 3. Reg. 8. Miratur hoc Ierem. cap. 14. dicens: *Quare*

Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Cui interrogationi respondet Ecclesia quotidie in Missa canens: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Quam verò istud congruum & divinam Majestatem decens fuerit, nunc audiemus.

B. I. *Gloria Dei.*

Congruentissima fuit incarnatio Dei primo gloriæ Dei amplificandæ: quia sic aperuit & communicavit mundo modo præstantissimo divitias bonitatis suæ: Si enim reges regia dant munera, sua majestate digna: congruebat etiam ut Deus modo eminentissimo se communicaret hominibus, quia bonum est sui communicativum; ergò summum bonum summo modo communicandum videbatur. Unde ad Titum c. 2. vocat eum Apostolus: *Magnum Deum, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret.* Creaturis aliis communicavit se per naturæ dona: hominibus & Angelis per dona supernaturalia, restabat ut communicaret se etiam personaliter, quod factum in incarnatione est. Porrò in hoc eminentissimo modo ostendit suam bonitatem, propter quod Apostolus ad Titum c. 3. ait: *Aparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Iustitia divina per eminentiam apparebit in die judicii, velut proprio & destinato loco. Adhæc *apparuerat antè potentia in rerum creatione: apparebat sapientia in earum gubernatione: Sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate*, inquit S. Bern. serm. 1. in die Nativitatis Domini. Quanta enim & quam gloriosa est ista bonitas, quod creator noster non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed tandem vestem induit, quâ nos primitùs contexit. Deinde quod Rex noster tanto naturæ intervallo à nobis dissitus, non est dedignatus visitare plebem suā, cum illis loqui, vesci, ambulare, &c. tanquam unus ex nobis, imò per omnia similis nobis factus, peccato excepto?

C. II. *Victoria Dæmonis.*

Secundo. Dæmoni vincendo. Cum enim is Tyrannici usurparet mundum: & penè omnem suæ ditioni subjiceret, hominesque à cultu veri Dei ad sui cultum traheret, quid hic fieri congruebat, nisi quod à regibus solet, qui cum advertunt ab aliquo invasore subditos à se averti, & tyrannicè tractari, mittunt primò Legationes, Duces, milites, qui subditos reducant, & ab iniquo Dominatore liberent, seductores puniant; Hoc verò si nihil proficiat; ipsimet eo pergunt, vel filium mittunt qui maxima sua potestate & auctoritate regnum patri recuperet? In hunc ergo modum misit Deus I. suos patriarchas, qui mundum à sequela Dæmonis averterent & reducerent ad Deum verbis, minis, plagis. Sed cum eos mundus non modo non audiret, verum etiam interficeret & subsannaret; ad extremum misit Deus filium suum; qui quidem abductis & seductis hominibus gratiam, veniam, & misericordiam offerret, si resipiscerent? de seductore vero Dæmone vindictam sumeret. Decebat autem ut non alius nisi Dei filius hanc tam difficilem provinciam susciperet, quia agebatur de honore & regno patris ejus, de salute innumerabilium animarum, imo totius mundi. Hoc est, quod per Isaiam cap. 52. expresserat Deus, cùm dixit: *Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? quoniam ablatus est populus meus gratis: Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomē meū in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Idipsū figuratè expressit Exod. 3. dicens: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Hæc denique clarius edixit in parabola cultorum vineæ, ad quos cum misisset paterfamilias servos suos ut acciperent fructum, & hi male ab illis tractati fuissent, dicebat: *Verebuntur forte filium meum*; & misit illum ad eos, Matth. 21. Potuisset quidem mittere angelum vel hominem cum plena potestate &c. Sed magis decens fuit ut veniret ipse in filio suo. *Neq; enim illos reges admirari,* inquit Theodoretus Serm. 6. de Græc. affect. cura, *& laudibus ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis enutriti molliter omni deliciarum genere perfrui solent, sed quibus grave non est pro subditis hominibus caput periculis objectare, quiq; armis obtecti in prima acie cum hoste fortiter pugnant.*

D. III. *Miseria hominum*

Tertiò. Miseriæ hominum sublevandæ, quæ tanta fuit, ut nequaquam indecens, sed decentissimum fuerit Deo, quod ad eam tollendam de cœlo ipse descenderit. Nam inprimis *decebat Deum*, inquit Theodoretus loco cit. *hominem liberare, propter quem lunam, solem, stellas & terram creavit.* Sed cur in propria persona? Audi eundem mox subjicientem: *Medicos illos maxime laudare soletis, non quidem qui nos ministris suis curandos ægros committunt, sed qui pallium deponunt, linteolumque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt vulnusq; si sit opus, incidunt, nec fœtorem ulceris aversantur, imo autem profluentem saniem excipiunt atque unguentis compingunt.* Sic ille. Hujusmodi autem medicum se esse ostendit Christus, quando in ultima cœna posuit vestimenta sua, & linteo præcinctus cœpit lavare pedes Discipulis & tergere sordes eorum. Indicavit enim eo facto, se ideo de cœlo venisse, ut peccatorum nostrorum sordes suismet manibus ablueret. Decet quidem ut æger ipse accedat medicum, quando potest. Sed cum adeo infirmus est, ut stare & incedere nequeat, tunc bonus & prudens Medicus eo se demittit ut ad ægrum veniat Audi Bern. serm. 1. de adventu. *Jacentes paralytici in grabato*, inquit, *divinam illam non poteramus attingere celsitudinem, propterea benignissimus Salvator, & Medicus animarum descendit ab altitudine sua.* Non decet quidem regem absque ulla causa domum subditi adire, illumque invisere; si tamen id faciat cùm subditus ægrotat (quod fecère Trajanus & A-

& Adrianus Imperatores Ethnici: plures ex Catholicis, uti Ludovicus Rex, Gratianus Imperator, &c.) non modo regem non dedecet, sed perhonorificum ipsi est. Non fuit Alexandro Macedoni indecorum detrahere de capite suo diadema, ut Lysimachi vulnus obligaret, quia tunc aliud, quo obligaretur, non erat: nisi hæc necessitas se obtulisset, illud Alexander non fecisset. Morbus igitur naturæ humanæ, quæ ex fragilitate ceciderat, causa fuit cur divinus Medicus illam invisere voluerit. *Si bonus paterfamilias*, ait D. Thomas 1.p.q.30. art.4.ad 2. *aliquid pretiosius dat servo ægrotanti, quod non dat filio sano.*

E. IV. *Salus.*

Quartò. Saluti hominum procurandæ. Quo enim aptiore & efficaciore modo potuisset Deus homines accendere ad fidem, spem, charitatem & virtutum omniũ studium, quàm hoc ipso? Quis enim non firmissimè credat, quod Deus ipse nobiscum visibiliter versatus docuit & confirmavit? Quis non erigatur ad spem, cùm Deum tanta & tam difficilia pro se fecisse videt? Quis non excitetur ad dilectionem ejus, qui prior adeò dilexit nos? Quis non ad studium virtutum, quarum illa in vita sua dedit clarissima exempla? Quis tantum Ducem non libenter sequatur? Atque hic est ventus ille urens, de quo Oseæ 13. dicitur: *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem* (id est, Christum de utero virginis prodeuntem) *& siccabit venas ejus, & desolabit fortem ejus.* Etenim Deus homo factus velut urens ventus accendit & impulit homines ad virtutum amplexum, sitim ac desiderium, ut à dæmonis servitio fugientes reciperent se ad Christum, ad fidem, ad religionem & monasteria, &c.

Similiter quo meliori modo coercere potuisset vitæ veteris in concupiscentiis enutritæ licentiam, & peccandi libidinem, superbiam, avaritiam, &c. quam si Deus ipse immensus, æternus, sublimissimus, ditissimus se demitteret in uterum virginis, nasceretur in tempore, versaretur inter homines, sectaretur paupertatem? Id certè futurum prædixit Isaias cap. 64. dicens: *Utinam dirumperes cœlos & descenderes: à facie tua montes defluerent* (id est, ad intuitum hujus tuæ humiliationis, superba etiam corda demitterent se utique) *& aquæ arderent igni*, (id est, frigidi in tui amorem utique exardescerent) Hoc idem inculcat Ierem. cap.31. dicens: *Usquequo diliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum*, q. d. non incipies tu laxam & dissolutam vivendi rationem Evangelica disciplina stringere & coercere, quando Deus tantam novitatem est effecturus, ut filium suum hominem propter homines factum, uteri virginalis angustiis concludat? Arctet se superbus, densetque & restringat animi sui celsitudinem, suum fastum, iram, invidiam, quando Deus altus & immensus ad virginis uterum & corpus infantile se arctavit, depressit & restrinxit. Pari modo gulosus stringat & refrænet suam gulam, lascivus suam libidinem, avarus sitim auri, &c.

F. V. *Perfectio universi.*

Quintò Perfectioni universi, quia sic primo totum universum quodammodo assumptum est à Deo; siquidem homo est microcosmus, continens omnes rerum gradus. Secundo, quia sic universum accepit Rectorem sibi congruentem & connaturalem, sive natura corporea spectetur, sive incorporea. Tertio, quia sic additus est universo supremus & perfectissimus gradus divinæ communionis, qui est unio hypostatica, ut p. 1. vidimus: Itaque per incarnationem Deus operi suo ultimam manum imposuit, idque ad supremum perfectionis & dignitatis gradum extulit, dum id sibi in homine hypostaticè conjunxit. Eò respexisse videtur Abacuc c.3. cum dixit: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Quemadmodum enim prima illa lineamenta, quibus pictor in tabella imaginem designat, quodammodo mortua sunt, & posteà cum superinductis coloribus illustrantur, vivificari dicuntur: ita per creationem universi Deus imaginem suam in illo descripsit, quasi rudibus lineamentis, quam ad extremum per incarnationem vivis quasi coloribus illustravit, & quodammodo Deificavit. Hinc sicut in Christi ortu & Nativitate exultavit universum, dum variis prodigiis Creatoris sui adventum nuntiavit, ut cum Romæ fons Olei fluxit, tres soles in Hispania apparuere, vineæ Engaddi floruere, Angeli propè Bethlehem Salvatoris adventum pastoribus cum jubilo annuntiarunt, &c. Ita in ejusdem morte suo etiam modo luxerunt, quando petræ scissæ, monumenta aperta, sol obscuratus, & terra mota est.

G. VI. *Gloria Sanctorũ.*

Sextò, Gloria Sanctorum, quia hæc tam illustri opere mirificè est aucta. Nam ut animæ Beatorum pro primario beatitudinis objecto habent Divinitatem: ita condecens erat, ut etiam corpora illorum suum haberent proportionatum beatitudinis objectum. Et hoc est humanitas Christi, è cujus intuitu, & præsentia plus gaudii percipiunt, quàm ex tota omnium Angelorum & Sanctorum Societate.

Quamobrem in hac die jure meritoque benedicimus, laudamus, & glorificamus te, ô beata Trinitas, te inprimis Patrem, quia misisti nobis filium: Te filium, qui ad liberandum suscepturus hominem non horrusti Virginis uterum: Te Spiritum Sanctum, quia tua obumbratione hoc opus perfecisti. Benedicimus, inquam, te Deus, quia hodie aperuisti nobis thesaurum bonitatis tuæ: Benedicimus, laudamus & glorificamus te, quia hodie visitasti super Leviathan: Benedicimus te, quia hodie ad nos paralycos de cœlo descendisti Medicus: Benedicimus te, quia hodie cœpisti ad salutem nos perducere, imò trahere & quasi cogere. Benedicunt te omnes creaturæ quidquid est, vivit, sentit, intelligit: Benedicunt te omnes Sancti & Electi, &c.

CON-

CONCIO II.

BENEFICIUM INCARNATIONIS declaratur per figuras.

I. *Insinuatum Noe.*
II. *Iacob.*
III. *Moysi*
IV. *Gedeoni.*
V. *Elisæo.*
VI. *Ezechiæ.*

THEMA.

Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, Isaiæ 7.

TAntum est beneficium Incarnationis divinæ, ut ejus memoriam nullo unquam tempore voluerit perire Deus, sed variis modis omnibus sæculis inculcare. Nam inprimis servis suis in veteri testamento sub variis typis & prophetiis illud insinuavit; imo etiam reprobis, quemadmodum Regi Agaz in ep. hod. Deinde in lege nova facta jam incarnatione inculcavit eam fidelibus memoriâ hujus summi beneficii, dum Ecclesia doctrice genuflectimus, quoties audimus: *Et verbum caro factum est:* rursum cum ter quotidie Campanam in memoriam angelicæ salutationis pulsamus: & cùm festum hodiernum eadem intentione solenniter celebramus.

A.

Primò, Insinuavit Noe Genes. 9. cum sublato diluvio constituit Deus Iridem pro signo reconciliationis & fœderis inter Deum & homines, quod videlicet imposterum nollet eos perdere altero diluvio. Iris hæc repræsentat Verbum incarnatum, quia sicut Iris est splendor solis in nube receptus: ita Christus est splendor & figura patris in carne humana. 2. Quia sicut iris symbolum pacis fuit, de non repetendo diluvio: ita Christus in signum reconciliationis mundi cum Deo positus est, *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* 3. Duo Iridis cornua, duas Christi naturas indicant. 4. Triplex color Iridis, cœruleus, viridis, rubeus, conversationem Christi notat; quæ fuit partim cœlestis, partim terrestris hominum fragilitati se accommodans, partim doloribus & passione plena; vel significat mysteria vitæ ejus, gaudiosa in viridi, dolorosa in rubicundo, gloriosa in cœruleo. 5. *Tradunt*, inquit Plin. lib. 2. c. 24. *in quocunque frutice curvetur arcus cœlestis, eandem quæ sit in aspalatho suavitatem odoris existere, sed in aspalatho* (aspalathus spina alba florem rosæ habet) *inenarrabilem quandã*, ita Christus ubicunque versabatur, ibi suavitatem odoris sanctitatis, virtutum, miraculorum spargebat, & non animis tantum hominum, sed etiam locis aspergebat, inprimis verò utero B. Virginis, in quem se curvavit. 6. Iris arcus vocatur à Deo, & arcum repræsentat: ita Christus velut arcus, jaculis amoris sauciavit orbem. Denique Iris cornua in terram, arcus verò versus cœlum se convertunt, in signũ pacis & fœderis cum hominibus, quos nolit ferire imposterum Deus. Unde sicut de Iride dixit Deus: *Erit arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni:* ita respicit semper in faciem Christi sui ejusque intuitu relaxat nobis peccata & pœnas diluvii Acherontici. *Vide* igitur hunc *arcum & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo*, ait Eccles. cap. 43. Sed vide interim & hoc, nec tu pugnes contra Deum, quemadmodum fecêre homines, qui perierunt in diluvio. Tametsi enim Deus non immissurus est diluvium, valet tamen immittere incendium, aliasque clades innumeras, ipsam denique gehennam ni desinas peccare.

B. I. *Insinuavit Noe.*

Secundo, Insinuavit Iacobo Gen. 28. cum ei dormienti ostendit scalam stantem super terram, & cacumine suo cœlum contingentem, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Christi incarnati & per varios generationis gradus ab Adamo usque ad Deiparam descendentis generatio hic designatur: Quà cœlum scala tangebat, divinitatem Christi: quâ terra attingebat, ejusdem humanitatem denotabat. Duo scalæ latera, misericordia sunt & veritas seu fidelitas de promisso Mesia: Angeli descendentes deferebant divinam naturam ad humanam, ascendentes verò evehebant idiomata naturæ humanæ ad divinam, ita ut filius Dei verus cœperit esse & dici homo, passibilis & mortalis: & vicissim verus homo cœperit esse & dici verus Deus, impassibilis & immortalis: vel ascensus & descensus Angelorum significat nuntia Angelorum, quæ ferebant Christo in terram & rursum ferebant in cœlum. Gradus, Christi sunt virtutes, quas docuit nos exemplo suo unaque viam ad cœlum; uti humilitatem in incarnatione; paupertatem in nativitate; Charitatem in vitæ progressu, miraculis, doctrina; patientiam in passione; obedientiam in morte. Hanc ergo scalam applicuit nobis Christus ad cœlum, ut sequendo ipsius vestigia post ipsum ascenderemus. Neque dum amota est hæc scala: prostat omnibus ascendere volentibus.

C. II. *Iacob.*

Tertiò, Insinuavit Moysi Exod. 3. quando ei ostendit rubum ardentem in combustum. Significabat enim Deũ (qui ignis consumens dicitur, ob subtilitatem, luciditatẽ, puritatem, activitatem &c.) in virgine conceptum illæsa ejus virginitate: Unde Ecclesia canit: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilẽ virginitatem.* Rectè autem virginitas comparatur rubo, quia per humilitatem & vitæ asperitatẽ conservari debet,

D. III. *Moysi.*

debet, alioquin in periculo est. Sic per ignem probavit suam castitatem S. Cunegundis marito suo S. Henrico Imp. ambulando super vomeres candentes: Et Abbas quidam gestando prunas in tunica sine adustione; in vita S. Ioan. Eleemosynarii. Rectè etiam ignis in rubo, Deum in carne significat: quemadmodum enim rubus ignem ferre non potest: ita nec humanitas divinitatē: in Christo tamen per miraculum hæc duo convenerunt, & mansit utraq; natura, divina & humana illæsa & confusa, quasi ignis in rubo. Ad literam significabat is rubus populum Hebræorum, incendendum quidem igne tribulationis & afflictions ab Ægyptiis, sed non consumendum. Ita decet nos persistere in tribulationibus sine læsione animi, juxta id Apost. 2. Corinth. 4. *Humiliamur sed non confundimur, dejicimur sed non perimus.*

E. IV. *Gedeoni.*

Quartò. Insinuavit Gedeoni, Iudic. 6. quando in signum liberationis populi de hostium manibus dedit ei tale signum, ut prima quidem nocte descenderet ros super vellus, totum madefaciens, area circumjacente undique sicca permanente. Altera nocte contrà tota area rore impleretur, vellere ipso sicco permanente. Sic descendit primo Christus ad Iudæos, quasi in vellus, tota gentilium terra remanente arida, juxta id Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* De hoc rore patres dicebant: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*, Isa. 45. Deinde descendit ad gentes per Apostolorum prædicationem, quasi in aream, & vellus Iudaismi relictum est aridum & durum, quemadmodum & remansit usq; in hodiernum diem. Ita S. August. & alii. Rursum descendit ros in vellus, quando Dei filius descendit in uterum virginis; & tunc alibi terrarum nusquam erat ille ros, secundum humanitatem. Post nativitatem Christi fuit ros iste in terra sancta ubi Christus versabatur; non fuit amplius in vellere, seu utero matris. Qua de re canit David Ps. 71. *Sicut pluvia in vellus descendisti ut salvum faceres genus humanum.* Designavit verò hoc miraculo liberandum esse genus humanum ab hostibus suis, dæmonibus. Adhæc sicut ros ille placidè sine strepitu, aut læsione velleris in id descendit, ita verbū descendit in Virginem instar cœlestis roris absque ullo integritatis ejus præjudicio. Porrò Verbum rori comparatur primo, quia uti generatio roris occulta est, ita & Verbi. Secundo ros suavem auram aspirat viventibus & terræ fœcunditatem affert: sic Christus.

F. V. *Elisæo.*

Quintò insinuavit Elisæo, lib. 4. Reg. c. 4. quando Elisæus suscitaturus puerum mortuum, ad quem frustra miserat servum cum baculo suo, ipsemet descendit, & posuit ac coarctavit se super corpus pueri, ut oculi ejus oculis pueri, os ori, manibus manus correspondērent. Hac enim ratione calefacta est caro pueri, & rediit Spiritus ejus. Hoc fecit in Incarnatione Deus. *Venit ipse grandis ad parvulum*, ait S. August. serm. 11. de verb. Apost. *salvator ad salvandum, vivus ad mortuum. Et quid fecit? juvenilia membra contraxit, tanquam semetipsum exinaniens, ut formam servi susciperet, parvum se parvo cooptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Sicut ergò ab Elisæo suscitatus est mortuus: sic à Christo justificatus est impius:* Hinc refert S. Bernard. serm. 1. de Nativit. *Quid magis indignum, quid detestandum amplius; quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis imprudentia est, ut ubi se exinanivit majestas, vermiculus infletur & intumescat.* Ad hæc quando Deus adeo se inclinavit, ad humanum genus, quomodo fieri potest, ut hoc non calefiat tanto beneficio, Deumque redamare studeat? Audi Apostolum 1. Cor. 16. *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema: Maranatha*, id est, *Dominus vester venit.* Quod græci legunt in præterito ἦλθεν, q. d. veniā indignum & execrandum esse, qui postquam Dominus in humilitate venit, eundem non amat.

V. C. *Ezechiæ.*

Sextò Ezech. 4. Reg. 20. quando Ezehias Rex ad mortem ægrotabat; sed donata & prolongata vita accepit à Deo signum, quo sol ejusque umbra in horologio Achaz retrocessit decem lineis. Denotabat enim hoc Christum descensurum decem lineis, id est, infra Angelorum & hominum Choros (quia formam peccatoris assumpsit) inde rursum ascensurum ad patrem. Factum est autem hoc prodigium, ut humanum genus, quod ad mortem ægrotabat, rursum convalesceret, & de lecto vitiorum surgeret; uti Dominus languido illi dixit: *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*, Ioan. 5. Et August. Serm. 9. de verbis Apostoli, *cum audis*, inquit, *Christum venisse in hunc mundum, ut peccatores salvos faceret, noli dormire in dulci strato peccati, sed audi Paulum dicentem: Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.*

Deinde si Deus nostri causa tanta via retrorsum ivit: cur non & nos via qua erravimus, retrocedemus per pœnitentiam?

Denique de hoc beneficio prophetavit Ierm. c. 31. dicens: *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Factum id est hoc die, quando Deipara suo utero circumdedit Christum, eumque virum. Primò, quia cum Deus esset nullis terminis poterat concludi. Secundo, quia à primò suæ conceptionis instanti erat sapientia, gratia & gloria perfectus. Tertiò, quia jam tū occultè debellabat Dæmonem & spoliabat infernum. Hinc verò rectè infert propheta consentaneum esse, ut homines ex eo tempore, abdicatis vitiis, & vitæ dissolutione, novam & arctam vivendi rationem ineant, quando ipsemet DEUS immensus in utero Virgineo adeo se constrinxit & inclusit tam angustis limitibus. Ne ergò detrectet homo restringere se ad legem Evangelicam, ad disciplinam Ecclesiasticam, civilem, domesticam, religiosam: si non vult audire; *usque-*

Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Quando princeps aliquis se & aulam suam incipit restringere, imminuendo famulatum, victum, vestitum, equitatum, luxum, mores denique ipsos: tota familia sequitur exemplum ejus, imo & subditi omnes. Fecit hoc Deus noster, faciamus idem & nos. An volumus helluari, esuriente Domino nostro? &c.

Fit hoc etiamnum, quoties communicamus. Tunc enim corpore nostro circumdamus Deum nostrum. Quantum hoc miraculum! Quis non obstupescat, & in arctum se restringat, videns tantum Dominum coarctatum in suo corpore? Ibi se contraxit in corpusculum infantile: hic se magis contrahit, in exigui panis speciem. Ibi se univit carni quidem humanæ, sed maternæ tantum: hic vero sese unit carni singulorum. Ibi frater noster factus est: hic caro quodammodo nostra fit: *Agnosce ô Christiane,* inquit S. Leo Serm. 1. de Nativit. Domini, *dignitatem tuam; & divinæ consors factus naturæ, noli inveterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, & cujus corporis sis membrum.* Quod multo adhuc magis cogitandum, cum communicamus, &c.

CONCIO III.

QUOMODO PER INCARNAtionem roborata sit in hominibus

I. Fides.
II. Spes.
III. Charitas.

THEMA.

Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, Isa. 7.

A. INter alios Patres antiquos adventum Dei in Carne desiderabat Salom. Cant. 8. cum ait: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?* Quibus verbis desiderat Salomon videre Deum fratrem suum nasciturum, sugentem ubera matris suæ, Deiparæ videlicet, quæ mater est omnium nostrum. Hoc verò, quod desiderabat Salomon, postea promissum est Regi Achaz, ut habetur Isa. 7. à Deo dicente: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Emmanuel idem est ac, nobiscum Deus. Cum autem Deus est nobiscum, tunc invenimus eum foris, carne videlicet humana vestitum. Id quod hodierna die impletum est, cum virgo concepit Dei filium: Ut meritò nunc omnes gaudere & exultare debeamus. Sed quamobrem Salomon tam ardenter petiit hunc Dei adventum? Id ipse verbis suis insinuavit, ut videbimus.

Tres cœlestes plantæ sunt, quæ in horto nostro non crescunt, sed è cœlo tantum afferri debent, omnibus hominibus cumprimis necessariæ ad obtinendam beatitudinem: Fides nimirum, spes & charitas. Nam imprimis credere debemus in Deum, quod sit summè bonus, sapiens, potens, justus, sanctus, dives, immensus, æternus, &c. quia nisi hoc credamus, non possumus ab eo aliquid sperare, nec eum diligere, & omninò in tenebris ambulamus. Sperare etiam debemus, consequi nos posse Deum & beatitudinem: alioquin nihil operaremur: sicut patet vel in canibus venaticis, qui mox desinunt à cursu, cum prædæ consequendæ spem amittunt. Diligere denique debemus, quia nisi diligamus, non possumus, nec meremur cum Deo uniri, & ab eo coronam gloriæ accipere. Iam verò hæc ante incarnationem admodum difficilia erant homini, credere videl. in eum, quem nullis omnino sensibus deprehendere poteramus, sperare item quod non satis noveramus, tantum præsertim bonum, qualis est beatitudo & inhabitatio cœlorum; cum non appareret, quomodo tantum præmium promereri possemus, & peccatis nostris verbera potius meremur, & odium. Similiter amare illum, quem nunquam videramus, Deum videlicet longissimè à sensibus nostris disquisitum. Quo factum ut hæ virtutes tam necessariæ ante Incarnationem in paucis & valde imperfectæ reperirentur. Propterea itaque Salomon Dei incarnationem desiderabat. *Ut inveniam te foris,* inquit, id est, ut cognoscam Divinitatis tuæ attributa & naturam in specie visibili, sicque lumen fidei in me roboretur. Secundò, *ut deosculer te,* id est, ut seriò & ex animo diligere te possim, tecum loqui, te videre, te audire, sequi præeuntem, &c. Tertiò ut jam me nemo despiciat, id est, ut nemo amplius illudere mihi possit, quasi vana facta sit spes mea: mihique dicere: ubi est Deus tuus, ubi est spes tua.

B. I. *Fides.* Fides roborata est, quia post incarnationē Deum ejusque attributa quodammodo oculis cernere & sensibus deprehendere potuimus. Desiderabat olim Moyses videre faciem Dei, Exod. 33. *Ostende mihi faciem tuam,* inquit, *ut sciam te,* q. d. ostende mihi quisnam sis: Sed respondit Dominus. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, ut vivet. Ecce,* inquit, *est locus apud me & stabis supra petram: Cumque transibit gloria mea ponam te in foramine petræ: & videbis posteriora mea.* Quo transeunte dicebat: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis & verax: Qui custodis misericordiam in millia: &c.* Quasi hæc in dorso Dei legisset. Præstitit hoc rursum Deus, quo die Verbum caro factum est: tunc enim ostendit non quidem faciem suam, id est, ipsam Divinitatem: quam in cœlo solis ostendit Beatis: sed posteriora sua, id est, opera & signa Divinitatis suæ clarissima, quæ Christus edidit,

dit, dum in hoc mundo quaſi tranſiret: Et hæc videre poſſunt illi ſoli, qui in Petra Eccleſiæ ſtant & per foramen fidei proſpiciunt. Videre, inquam, Dei ipſi9 bonitatem, miſericordiam, charitatem, ſapientiam, providentiam, potentiam, juſtitiam, immenſitatem, divitias, ſanctitatem, &c. Videmus igitur nos in Chriſto primo Dei bonitatem, quam exhibuit Chriſtus omnibus miſeris & afflictis, nemini enim petenti beneficium aliquod negavit, ſed ultrò potiùs obtulit dicendo. *Quid vis ut faciam tibi?* Adhæc *pertranſiit benefaciendo:* ſicuti terram perambulat ſol, ut undique eam calore & lumine ſuo foveat, illuminet & fœcundet: Sic Chriſtus lumen doctrinæ, & calorem gratiæ ſuæ omnibus obtulit & obicem non ponentibus impertiit.

Secundò, Dei miſericordiam, quia publicanos etiam & peccatores recepit, & cum illis manducavit. Videns item humanum genus à Dæmonibus ſauciatum, miſericordia motus ſuper eo appropiavit inſtar optimi illius Samaritani, & alligavit vulnera ejus ſublatumque in equum corporis ſui (dum pro illo ſatisfecit) duxit in diverſorium Eccleſiæ.

Tertiò, Dei charitatem, dum ſeipſum in Sacramento Euchariſtiæ nobis reliquit, dum pro noſtra ſalute mori non dubitavit, &c.

Quartò, Dei ſapientiam, quia vidimus Chriſtum αὐτοδίδακτον & καρδιογνώστην, ſapientum ora obturantem, præteritorum & futurorum cognitorem. Ipſe humanas aſtutias & induſtrias omnes eludebat, ut in Herode & legisperitis patuit. Ipſe virtutes prius neglectas & odio habitas fecit amabiles, glorioſas, & honoratas, quod ſummæ eſt ſapientiæ.

Quintò, Dei providentiam, quia eſurientes innumeros, pauculis panibus liberaliſsimè pavit, & mirabiliter ſatiavit.

Sextò, Dei potentiam, quia vidimus in cunis adoratum à Magis, Herodi metum injicientem: mirabilia innumera patrantem, dæmones coercentem & vincientem, mortem & morbos pellentem, Ventis & mari imperantem, integram cohortem uno verbo proſternentem; propria virtute à mortuis reſurgentem & cœlos penetrantem.

Septimò, Dei juſtitiam, quia ementes & vendentes è templo ejecit, pœnitentes verò in templo abſolvit. Latronem pœnitentem in paradiſum aſſumpſit, impœnitentem verò reliquit: humiles & parvulos ſuſcepit ad ſe venientes, ſuperbos verò Phariſæos rejecit. Petrum flentem recepit, Iudam impœnitentem & deſperantem deſeruit:

Octavò, Immenſitatem, quia vidimus etiam abſentem curaſſe infirmos, æque ac præſentem.

Nonò, Divitias; ſiquidem cum voluit, piſces ſubito adduxit, & capiendos præbuit, ſtaterem quoque piſcis ore geſtum. Deinde divitias gloriæ ſuæ oſtendit in transfiguratione ſua.

Decimò, Sanctitatem, dum omni omnino culpa vacuus fuit: Unde dixit: *Quis veſtrum arguet me de peccato?* propter hæc itaque dixit Dominus Philippo: *Philippe qui videt me, videt & patrem meum,* & Ioannes: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre:* Hocque deſignabat ſcala illa; quam viderat Iacob in ſomno, de cœlo ad terram pertingens, cui deſuper incubabat Deus, Gen. 28. Chriſtus namque ſcala hæc eſt, cujus duo latera, natura divina & humana: gradus vero operationes ejus ſunt, per quas ad cognitionem Dei ſummi aſcenditur. Unde canit Eccleſia: *Quia per incarnati verbi myſterium nova mentis noſtræ oculis lux tua claritatis infulſit.*

C. II. *Spes.*

Secundò, Spes roborata eſt, Primo, quia ſi filius Dei homo factus eſt; ſpes eſt etiam hominem fieri filium Dei poſſe, ſaltem communicatione gratiæ & gloriæ. Quod enim majus beneficium hominibus à Deo conferri potuit quàm quod Deus humanam aſſumere naturam voluit? Et ſi Deus non dedignatus eſt verſari cum hominibus in exilio, quanto minus dedignabitur cum illis vivere in ſua gloria? Hoc per figuram oſtendit Deus 4. Reg. 20. in ſigno illo mirabili, quod dedit Ezechiæ regi in horologio Achaz, ut erigeret eum ad ſpem recuperandæ ſanitatis, poſtquam primò quidem mortis ſententiam ſuper eum tuliſſet, poſtea vero revocaſſet. Dicebat enim Ezechias ad Iſaiam: *Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini?* Datum ergo eſt ei ſignum, quo umbra adeoque ſol ipſe quoque in cœlo, ut dicitur Eccleſ. 48. decem lineis retrocederet in horologio Achaz, uti petebat Ezechias. Quæ res ſignificabat quod filius Dei ſol juſtitiæ decem gradibus erat retroceſſurus infra novem videl. Choros angelorum, & infra ipſum hominem; ſi quidem *opprobrium hominum & abjectio plebis* factus eſt, Pſ. 21. ut apparuit, cum Barrabæ homicidæ fuit poſthabitus, & cum in cruce pendens prætereuntiũ execrationi & blaſphemiæ velut malefactor indubitatus, fuit expoſitus. Unde eodem Pſalmo ait: *Ego autem ſum vermis, & non homo.* Apparuit, cum ipſemet Dominus ſe infra hominem humiliavit, dum concedendo diverſoria hominibus ipſe in ſpelunca Bethlemitica manere voluit. Sed ad quid factum tam mirabile ſignum? Ut firmam conciperemus ſpem, quòd Deus voluerit revocare mortis ſententiam in nos latam, vitam gratiæ nobis reſtituere, & quod tertia die, retributionis videlicet (nam prima dies vita præſens, ſecunda mors, tertia vita alterius ſæculi) ad templum gloriæ Dei ſimus aſcenſuri. Neque enim putandum eſt, quòd tam ſtupendum & inauditum opus, quale eſt Incarnatio, ob temporalem tantum vitam & proſperitatem hominum factum à Deo ſit: quod ſtultè putabant Iudæi.

Confirmatur hoc ex Dei propenſione & deſiderio ad hoc myſterium peragendum, ſiquidem Iſa. 7. Deus per prophetam optionem dedit regi Achaz, patri Ezechiæ, ut peteret ſignum aliquod ſive de cœlo, ſive de terra. Cùm autem Achaz petere ſignum nollet; Dominus ultrò promiſit ſignum incarnationis futuræ & quaſi iratus dixit: *Propter hoc dabit*

dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Quo loco præcludit Dominus viam diffidentiæ nostræ, vultque ut intelligamus, quam propensus fuerit ad salutem nostram. Iam si Rex quispiam ad domum & familiam pauperem descenderet, & inde sibi sponsam eligeret, eamque desponderet; quomodo posset ea familia de favore & benevolentia Regis diffidere, licet antea in illius gratiâ non fuisset: Quomodo non potius in spem erigeretur, quod ad summos honores evehenda, & ab agris ad aulam transferenda esset à rege, cujus nunc sanguini conjunctam se videret. Itaque licet nullas haberemus Dei in veteri, & Christi in novo testamento promissiones, de cœlesti hæreditate: hoc solum nobis satis esse deberet, ad firmiter sperandum, quod aliquando in suam nos aulam evocaturus, qui de familia nostra sponsam sibi eligere adeoque frater noster fieri dignatus est. Quod si fratres, sorores & parentes illius filiæ ad regnum evectæ, nihil amplius sperarent à rege, quàm novas vestes, vel divitem Eleemosynam: nonne delirare eos diceremus. Ad quid enim tanta regis dignatio, si nil præstantius eis conferre vellet? Ad regiam ergo suam assumet illos, facietque comites & Barones, regni & aulæ suæ præfectos; Hoc sibi certò promittere poterunt. Similiter & nos sperare à Deo ampliora dona debemus quàm sint temporalia, postquam frater noster esse dignatus est. Quid enim magnum est Deo conferre temporalem prosperitatem vel regnum opulentum? num propterea de cœlo decuit eum descendere? non sanè. Errarunt ergò Iudæi dum à Messia suo non sperarunt nisi temporalis regni exaltationem & prosperitatem.

D. III. Charitas.

Tertio, Accenditur charitas in homine erga Deum. Ita enim S. Bern. serm. 21. super Cant. ait: *Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit, carne videri & cum hominib. homo conversari, ut carnalium videl. qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atq; ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem.* Sic ille. Referunt Suetonius & Tacitus, inter alias Neronis Tyrannides, eum homines aliquos canibus dilacerandos in theatro objecisse: Sed cùm canes illis parcerent, corpora Sanctorum nudata, ferarum pellibus insui mandasse, & ita canum morsibus exponi, ut hac assuetudine canes acerbati audacius imposterum homines invaderent. Non tam crudelis Nero, quin magis pius Deus, qui similem quidem sed laudabiliorem invenit artem, ut homines in illum conciti ferrentur, non morsu, sed amore; vestivit enim se humana carne, in qua tot amorum stimulos invenimus, quot in ea passus pro nobis ambulavit. Cujus fructus testes sunt, tot millia contemplativorum: qui instar apum floribus mysteriorum vitæ Christi, à præsepi usque ad crucem perpetuo insident, pascuntur, & in amore Dei crescunt. Vident enim isti & considerant se dilectos esse à Deo tenero quodam amore, dum propter eos homo & infans factus est, cum iisdem familiarissimè conversari dignatus; dum innumera eis beneficia impendit, & longè præstantiora bona in futurum promisit, dum denique pro ipsorum redemptione omnia extrema pati, & mortem subire voluit. Hæc amoris argumenta talia sunt, ut palpari possunt, & quodvis cor etiam efferatum emollire. Nam multa quidem olim Deus beneficia hominibus impendit, sed non talia. Per Angelos eos docuit, sed non per se ipsum; multa illis bona dedit, sed non seipsum; propter ipsos cœlum & terram facit, sed nihil adhuc mali passus est; quæ nos beneficia per incarnationem ejus accepimus.

Sequitur ex hoc capite, quod post incarnationem longè magis detestari & odisse vitia debeamus, quam si ante illam vixissemus: propterea enim Dominus venit in carne, ut amorem nostrum à vitiis abstrahamus & ipsi impendamus; Conatus est hoc etiam in veteri lege Deus efficere, sed non adhibuit medium tam efficax, ibi enim per minas & castigationes coercebat à peccatis homines, hic autem per amoris exhibitionem: idcircò lex vetus timoris, nova autem amoris est. Fabulati sunt veteres ortam aliquando contentionem inter Solem & Aquilonem, uter prius altero viatorem spoliare vestibus posset. Cœpit Aquilo pedestrem viatorem vehementer impetere, uti penè galerum una cum pallio homini abstraheret. Sed is contra ventum fortius se muniebat, galerum & pallium corpori aptabat, manibusque retinebat, adeoque de Aquilone victor evasit. Sol vero potentiam suam ostendens, ardentes radios suos tam acriter in eum dirigebat, ut viator incalescere & pallium deponere, mox thoracem etiam exuere inceperit: Quid aliud quærit Deus, nisi ut deponamus *veterem hominem secundum pristinam conversationem*? Ephes. 4. Cæterum ut hoc obtineret Deus, primò quidem per Aquilonem minarum & correptionum homines tentavit. Sed cum illi obstinatiores fierent, adhibuit tandem remedium amoris, dum justitiæ solem misit, qui radio incarnationis suæ nos pelliceret ad abjicienda tenebrarum opera, & induenda arma lucis. De quo cum dixisset Psalmista: *In sole posuit tabernaculum suum*; subjunxit: *nec est, qui se abscondet à calore ejus.* Et de hac re etiam Dominus dixit: Luc. 21. *Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi ut accendatur?* Et Apost. 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos.*

Quando igitur, Auditores: Charitas Christi urget nos, abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis, fidem, spem charitatem, &c.

CONCIO IV.

EXPOSITIO ANGELICÆ Salutationis.

I. Ave.

I. Ave.
II. Gratia plena.
III. Dominus tecum.
IV. Benedicta tu in mulieribus,

THEMA.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, Luc. 1.

A. GEnesis 22. legimus Abrahamum quæsiturum filio suo Isaac uxorem, misisse servum suum Eliezer in terram cognationis suæ in Haram Mesopotamiæ, ut acciperet inde, & adduceret filio suo uxorem. Ea verò erat Rebecca, virgo decora nimis; Sed antequam consentiret cum illo proficisci, protulit Eliezer vasa argentea & aurea & vestes, deditque Rebeccæ pro munere: quo facto mox consentiens Rebecca Isaaco adducta & desponsata est. Non dissimilem instituit hodie legationem Deus cum Angelum suum ad Mariam virginem misit, volens eam in filii sui matrem eligere. Hæc ipsa enim decora nimis virgoque pulcherrima erat, omni scil. virtutum genere adornata. Cæterum antequam ejus requireretur consensus, voluit eam suis quoque decorare muneribus. Protulit ergò Gabriel munera, vasa argentea, gratiæ inhabitantis plenitudinem: Aurum, Dei ipsius assistentis perpetuum auxilium: vestes, gloriam, decorem & felicitatem, qua super omnium hominum & Angelorum dignitatem evehebatur. Primum tangit Angelus, cum ait: *Gratia plena.* Secundum, cum dicit: *Dominus tecum.* Tertium, cum: *Benedicta tu in mulieribus.* Porrò quam pretiosa sint hæc munera mox videbimus.

B. I. *Ave.* *Ave.* Tripliciter redditur hæc vox. Iansenius hebraicè vult salutatam fuisse virginem ab Angelo, & quidem verbis illis. Salom leca, id est, *pax tibi.* Græcè redditur à Luca χαῖρε, quod, *Gaude*, significat. Latina versio, *Ave*, reddit: quæ salutationis vox benevolentiam & amicitiam insinuat: Nec absque mysterio factum ut Latinè verteretur *Ave*, quia invertit uti nomen, ita & calamitates Evæ. Non dubito tamen, quin hæc omnia virgini nuntiare voluerit Angelus, pacem scilicet, gaudium, benevolentiam, quandoquidem hæc uti perdiderat Eva, ita recuperavit Maria generi humano. Perdidit enim Eva per peccatum tria insignia Dei dona. Benevolentiam & amicitiam Dei, id est, gratiam gratum facientem, & incidit in maledictum. Perdidit deinde lumen intelligentiæ, quo ultimum finem perfectè cognoscere & actiones suas ad eum dirigere facilè poterat, atque adeò gaudium, & incidit in tenebras tristitiæ; & cum ipsa nos omnes. Perdidit denique pacem, quam habebat cum Deo, cum seipsa, cum animantibus & creaturis aliis; & incidit in rebellionem, ex quo undique impugnari cœpit, à Deo, se ipsa, hominibus, brutis. Iam verò hæc omnia Beatæ Virgini reddita esse, atque adeò per eam generi humano, docet hæc salutatio. Ob primum, dicitur: *Ave.* Ob secundum. *Gaude.* Ob tertium. *Pax tibi.*

1. *Ave* igitur inprimis ô Virgo, neque enim tu anathemate illo Evæ, & filiorum ejus teneris: quin potius invenisti gratiam apud Deum, qui tibi dicit, *Ave*, & benevolentiam suam nuntiat. Inaudita erat in eam usque horam ista salutatio: nec mirum, quia sub anathemate tenebatur homo. Et quemadmodum inimicis & excommunicatis, *Ave*, non dicimus: Iuxta id 2. Ioan. *Nec ave illi dixeritis:* sed vultu averso eos declinamus: ita fecerat ante Incarnationem Deus. Absque prævia enim salutatione terribiliter apparere, & terribilia loqui solebat, v. g. ad Adam: *Ubi es?* ad Evam: *Quare hoc fecisti?* ad Cain: *quid fecisti?* Ad peccatores omnes: *Dixi, ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Quis respondere ad ejusmodi salutationes Dei posset? Certè Adam & Eva se abscondit: Cain fugit: S. Iob in inferno protegi cupivit, ne vocem Dei audiret. Sed hodie mutare cœpit stylum Deus, cum virgini, & per eam generi humano primum *Ave* dixit, certissimo reconciliationis signo. Hodie Assuerus prius iratꝰ genti Iudæorum, sceptrum ad Esther protendit, (quod erat signum benevolentiæ,) & placatur mutatque sententiam, Esth. 5.

2. Deinde gaude ô Virgo, quia auferentur hodie tenebræ illæ Cimmeriæ, in quibus hactenus jacebat genus humanum; si quidem hodie illucescit illa gratissima, & tot annorum serie desiderata aurora, paulò post justitiæ solem allatura. Quid quæso essemus, nisi Christum Magistrum, & lucem mundi habuissemus? quis nobis viam ad beatitudinem, & media eò perveniendi aperuisset? Quemadmodum ergò in tenebris omnia sunt tristia & languida: ita adveniente luce omnia læta. Veteres illi Patres dicere poterant cum Tobia: *Quale gaudium mihi, qui in tenebris sedeo?* At verò nos, qui lucem mundi aspicimus, meritò gaudemus.

3. Denique pax tibi; siquidem jamjam gladius divinæ Ultionis in vaginam recondetur, tuo interventu: & ecce offert tibi totique humano generi Deus pacis osculum, id est, salutem & prosperitatem: Hic enim salutandi modus apud Hebræos, prosperitatem & felicitatem consignabat. Ut illud, *Estne pax puero Absoloni?* id est, Estne bene illi? Antiquo Romanorum more bellum alteri indicturi per Fæcialem suum hastam ferratam, vel sanguine infectam in hostium fines jaciebant, teste Livio lib. 1. sicut contra olivæ ramus manu prætentus, pacem, fœdus & felicitatem designabat, ut Pererius in cap. 8. Gen. scribit. Quis numeret hastas & ancilia, quibus ante hunc diem infestatum est genus humanum ab omni hostium & calamitatum genere? Quot ejusmodi hastas sanguineas immisit vel in ipsum suum populum olim Deus? Hodie verò per Fæcialem cœlestem prætenditur humano generi ramus olivæ, pax & prosperitas, mediante Virgine. Ut meritò cum audimus

vel proferimus illud *Ave*, in genua procidere deberemus, siquidem id nobis gratiam, lucem, prosperitatem & pacem à Deo attulit.

C. II. *Gratia plena.*

Gratia plena. Tria hactenus declarata dona communia sunt B. V. & humano generi, ut ita non tantum Rebeccæ, sed & fratribus ejus dona dedisse Elizerum appareat: sequuntur nunc munera alia tria Virgini propria: unum in ordine ad Deum, alterum in ordine ad se, Tertium in ordine ad homines. Primum vas argenteum, gratiæ plenitudo, quâ super omnia creata Virgo repleta erat. Ea vero duplex hic insinuatur. Prima gratiæ habitualis inhabitantis. Secunda gratiæ illius qua Deo in omnibus actionibus suis singulariter placebat. Primam insinuat Angelus, cum ait: *Gratia plena.* Secunda, cum dicit: *Invenisti gratiam apud Deum*; utramq; in verbo Græco κεχαριτωμένη, id est, gratificata, seu gratiosa facta. Nec enim Beata Virgo splendidissimis tantum gratiæ & virtutum vestibus induta erat, sed præterea in eo vestitu gratiosissima erat, id est, omnes suas actiones gratia condiebat, eaque ad omnia dexterrimè utebatur, ita ut Deo in omnibus singulariter placeret. Hinc enim à sponso laudatur tota à calceis usque ad verticem Cant. 7. idque verum esse apparet ex hodierno Evangelio. Quam gratiosi ejus pedes, qui sæculi tumultus fugiunt, & in conclavi suo se continent? Quam gratiosa genua, humilitas, inquam, ejus, quæ cadens ingenua ait: *Ecce ancilla Domini*? Quam gratiosus venter virginis, quæ ait: *Quoniam virum non cognosco*? Quam gratiosa ejus labia, quæ tam parcè, tam prudenter loquuntur? Quàm gratiosi ejus oculi, qui tam cautè circumspiciunt, dum ait: *Quomodo fiet istud*? Quam gratiosum collum obedientiæ, cum ait: *Fiat mihi*? Quam gratiosa frons verecundiæ, quæ turbatur ob suas laudes? Quam gratiosi capilli cogitationum, quę res sanctas tantum cogitant, qualis nimirum esset ista salutatio? Quam gratiosum caput, quod intellectum suum ad fidem tam facile inclinat in re tam difficili? Hæc nimirum sunt quæ placuere sponso in sponsa, non partes illæ corporeæ.

Debebatur autem ei gratiæ plenitudo, quia mater filii Dei fieri debebat. Quòd si templum Salomonis tam magnificè extructum est, ut nihil esset in eo, quod non auro tegeretur, ut dicitur 3. Reg. 6. Omnia lapidibus pretiosis & Cedro plena essent: eam ob causam tantum, ut Arcæ fœderis dignum fieret habitaculum: quomodo non item templum filii Dei, quod erat Deipara, omni gratiarum genere adornetur.

Sed lubet nunc inquirere quid causæ sit, cur non & nos impleamur gratia: sed, quod miserandum & mirandum, tam aridi, tam egeni simus, cum tot habeamus media gratiam impetrandi? An non & nos modo aliquo matres filii Dei sumus, cum Christum in Eucharistia suscipimus? an non eundem illum, quem Deipara in utero gestavit, nos etiam intra viscera nostra condimus? Nam ut Ignatius Martyr Ep. ad Romanos ait: *Vere homo ille, qui ex Maria natus est, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus.* Quid igitur est quod ita egeni gratiâ sumus? Nimirum virginem matrem non imitamur. Primo, quia non quærimus Dei gratiam, quemadmodum ipsa quæsivit: sed vel humanam potius vel alias nugas. *At prudens virgo*, inquit Bern. *non sapientiam sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam quærebat. Sola est gratia quâ salvemur: quid nos alia cupimus*? Certè nisi gratiam Dei quæsivisset, quomodo ei diceretur: *Invenisti enim gratiam apud Deum*? Itaque si Maria gratia plena facta est, quia gratiam quæsivit; si Salomon sapientia plenus, quia sapientiam à Deo petiit & quæsivit? Non dubium quin & nos gratiam obtineremus, si eam quæreremus. Quemadmodum enim viator sitibundus, qui vini aut cerevisiæ potum nec scit nec appetit, ex proxima quavis lacuna aut puteo bibit aquam, quantumvis insipidam & turbidam: Alter vero vini appetens abstinet, donec ad tabernam veniat, ubi vinum vænit: ita mundani plerique gratiam non obtinent, quia non appetunt, sed ex turbidis hujus mundi aquis bibunt sitimque extinguunt. Ita mulier illa Samaritana donum Dei, id est, aquam vivam seu gratiam Spiritus S. non appetiit, quia non agnovit, unde à Christo audit Ioa. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui tibi dicit: Da mihi bibere, tu forsitan petisses, & dedisset tibi aquam vivam.* Implentur homines mundani aqua stante, turbida & putrida, quia aquam vivam & salientem non appetunt.

Deinde non evacuamus vas cordis à terrenis affectibus & desideriis. Evacuavit certè Maria vas cordis sui ab omni vanitate, siquidem clauso super se cubiculo suo mundana gaudia exclusit. Nos verò apertis undique fenestris, aditum eis præbemus, & pleni sumus vanitatibus. Alius intentus est varietati & novitati vestium: alius studet omni generi instrumentorum Musicorum & cantionum amatoriarum; Alius totus est in multiplicanda supellectile & re familiari; Alius sibi adornat armarium omni genere armorum instructum: alius venatione delectatur, & plurimos conquirit alitque canes: Alius gaudet equis: alii omni genere ludorum: alii ambitiosis cogitationibus pleni sunt. Nemo facilè auditur, qui dicat se recreari lectione sacrorum librorum, templi frequentatione, meditatione, solitudine animæ. Quasi verò tempus nobis datum esset ad nugandum & ridendum, & non potius ad deflenda peccata nostra & seria agenda. Inde fit, ut gratia Dei locum in nobis non inveniat. In cujus rei figuram Elisæus ditaturus viduam oleo 4. Reg. 4. præcepit ut vasa vacua non pauca afferret & clauderet super se ostium suum, oleumque in ea infunderet. Quæ impletis vasis vacuis, petiit vas aliud: sed cum id in promptu non esset, stetit oleum: Non dubito quin multa in domo habuerit vasa viliorib. rebus, quàm esset oleum, plena: sed quid vacua non erant; oleo im-

impleta non sunt. Ita enim & adolescens ille Matth. 19. quia erat multarum possessionum, gratiam perfectionis oblatam non recepit, sed abiit tristis. Non ideò stetit oleum, quòd non superesset: Sed quia non aderat vas vacuum. Ita etiam non est abbrevita manus Domini, ut implearis gratia, si à mundi vanitatibus vacuus fueris. Fortè etiam ideò non replemur, quia non sufficienter evacuamus conscientiam per confessionem.

D. III. *Dominus tecum.*

Dominus tecum. Aureum est hoc vas, ut enim aurum argento, sic Dei personalis assistentia gratiæ inhabitanti præstat. Qua gratiarum copia donata sit Rebecca nostra, jam vidimus: sed non sufficiebat illa ad tam difficile negotium, quod postulaturus erat Angelus; majora requirebantur & frequentiora gratiæ auxilia, idcircò ut à Virgine omnem excluderet diffidentiam, divinam ei annuntiavit assistentiam, cujus ope nihil non facillimè perficitur. Sic enim & & multi in scriptura, quibuscum Dominus fuisse dicitur, ardua quæque & difficillima peragebant. Iosue cum dixisset ei Dominus: *Noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus,* Ios. 1. terram promissionis facilè occupavit, & hostes ex ea innumeros fugavit ac profligavit. Gedeon cum Angelus ei dixisset: *Dominus tecum virorum fortissime,* Iud. 6. licet replicaret Gedeon familiam suam infimam esse, & se minimum in domo patris sui; liberavit tamen nullo negotio Israelem à Madianitis, & exiguis copiis innumeros Madianitas sola lagenarum fictilium concussione fugavit ac fudit, Iud. 7. Moyses cum audisset à Deo; *Ego ero tecum,* Exod. 2. fortiter liberavit Israelem de manu Pharaonis & traduxit per desertum, licet id sibi impossibile putaret. David, cum dixisset ei Saul: *Vade & Dominus tecum sit,* uno lapidis jactu prostravit Goliathum, 1. Reg. 17. Iudith quoque, cum dixisset ei Ozias: *Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum.* Iudith 8. duplici pugionis ictu amputavit Holoferni caput, Iud. 13. En, quid nō facit Dei assistentia? Non poterat nescire B. V. multa sibi difficilia superanda esse, si mater Dei esse vellet, quibus tamen omnibus absterrita non est, quia non suo sed Dei auxilio freta ea aggressa est. Timere inprimis poterat ne voto suo contrairet, si mater fieret: deinde ne maritum offenderet, si in consulto illo: Tertiò, ne adulterii suspicionem incurreret, atque adeò lapidaretur. Quartò, ne parum decenter & pro dignitate tantum educare, & nutrire filium considerata sua paupertate posset. Quintò, ne à Iudæis ingentes calumnias & persecutiones pateretur, quos noverat filium ad necem daturos. Denique ne ipsa, si fortè in re quapiam delinqueret, filii sui majestatem nota aliqua maculave aspergeret, &c. His tamen omnibus non obstantibus fortiter aggressa est negotium, quia intellexerat nimirum: Dominum esse & fore secum: non quia suis fideret viribus; idcircò ea omnia superare meruit. An non mirabile est Deiparam tota vita nulli suspicioni unquam fuisse obnoxiam? in maxima paupertate nunquam eguisse? inter plurimos filii hostes nihil unquam adversi pertulisse, ab iis etiam sub cruce assistentem, ubi filius innumeris appetebatur calumniis? in hoc mundi turbulento pelago illæsam pertransiisse? via mundi lutosa & sordibus plena, ubi alii ad verticem usque commaculantur, fœminam iter facere, & nihil sordis ne venialis quidem contrahere? Sic enim testantur SS.PP. Ambrosius super Ps. 118. Augustin. l. de natura & gratia, c. 36. Bern. epist. ad Canon. Lugdun. & alii: Aderat quidem & aliis sanctis Deus, sed non ita, ut B. V. Cum aliis sanctis sat præclarè agitur, si à mortali lapsu atque adeò collisione serventur: at cum Maria ita actum, ut nec venialiter laberetur.

E. IV. *Benedicta tu in mulieribus.*

Benedicta tu in mulieribus. Hæc vestis illa pretiosa est, quæ Mariam gloria & decore induit, & super hominum atque angelorum felicitatem extollit: hæc purpura, quæ eam Reginam cœli facit. Quatuor dicuntur mulieres in vetere lege benedictæ. 1. Iahel, Iud. 5. *Benedicta inter mulieres Iahel.* Sed magis multò Maria, quæ Sisaram Ducem, id est, hæresiarchas & hæreses omnes interemit: lumen veritatis nobis pariendo. 2. Ruth dicitur à Booz: *Benedicta tu à Domino:* sed magis Maria, quæ derelicto mundo secuta est Deum, eique desponsari meruit. 3. Abigail dicitur benedicta à Davide 1. Reg. 25. Sed magis Maria, quæ Deum flexit, ut iram conceptam contra stultum Nabal, id est, hominem deponeret. 4. Iudith dicitur benedicta à contribulibus, Iud. 15. Sed magis Maria, quæ draconis caput conculcavit & contrivit. Primo igitur benedicta, in mulieribus, id est, sola ex omnibus mulieribus; ut quæ earum maledictiones sola non incurrit. Virgines enim & steriles incurrebant maledictionem legis: Matres verò maledictionem Evæ. Maria sola nec sterilis fuit, nec cum dolore peperit. Secundo, Benedicta, id est, benedictionibus exornata. Duplex enim præcipua mulierum benedictio, virginitas & fœcunditas. Maria flore virginitatis & fructu fœcunditatis prædita est. Sed dices: qualis est ista fœcunditas, quam in Maria prædicamus, quæ unum tantum peperit filium? Verum id quidem est, sed illo uno filio innumeros sibi peperit filios & filias. Nam si omnes illi Christi fratres & sorores sunt, ipsomet testante, qui faciunt voluntatem patris ejus, isti vero innumeri sunt; an non sequitur omnes illos esse filios Mariæ? Huc enim respexisse videtur Matthæus cap. 1. & Lucas c. 2. cum dixerunt, Mariam peperisse filium suum *primogenitum.* Si enim peperit primogenitum, dices eam habere plures natos. Non habuit uterinos ergò spirituales: quomodo scil. & Verbum vocatur primogenitus patris Rom. 8. Tertiò, benedicta, id est, laudibus celebrata, exaltata, & super omnes evecta: si enim & Iudith c. 13. dicitur benedicta. Verissimum sanè & hoc. Quomodo enim non laudatissima sit, quæ ad salutem & redemptionem nostram cooperata est?

Dicamus ergò ad Mariam, quod ad Iudith dixit Ozias?

Ozias? *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus in æternum; benedictus Dominus qui creavit cœlum & terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum.*

CONCIO V.

RESOLUTIO VIRGINIS.

I. Ecce Ancilla Domini.
II. Fiat mihi.
III. Secundum verbum tuum.

THEMA.

Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum, Luc. 1.

A. Legimus Gen. 24. Abraham jam senem misisse servũ suum Eliezer cum Camelis & donariis ad longinquam Mesopotamiæ terram, ut acciperet uxorem filio suo Isaac (non enim voluit ei uxorem dare è Chananæis, inter quos habitabat.) Eliezer ergò, ut conjugem Domino suo dignam, & virtuosam indagaret, secum ita constituit, ut à puella, quæ sibi juxta fontem occurreret, haustum aquæ peteret, si puella responderet: *Bibe; quin & Camelis tuis potum dabo*; certum id indicium fore, quod puella illa destinata esset Domino suo Isaac à Deo, quodque ipso digna esset, utpote virtutibus ornata, affabilis, hospitalis, providia, strenua, &c. Secundum Chrysost. & alios in Gen. Venit ergò Rebecca dum sic loquitur Eliezer, *virgo pulcherrima & puella decora nimis: cum hydria in scapula, volens haurire.* Petiit ille pauxillum aquæ ad bibendum de ejus hydria. Quæ mox respondit: *Bibe Domine mi*; celeriterque deposuit hydriam & dedit ei potum, adjecitque, *Quin & Camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, ut hauriret aquam, & haustam omnibus Camelis dedit.* Mox ille munusculis eam remuneratus est, & re cum parentibus collata despondit eam Domino suo. D. Aug. hom. 79. de tempore (seu quis alius hujus Homiliæ auctor) scribit, hic denotari per Abraham Deum patrem, qui sponsam filio suo, Christo, non de vicina sibi angelica natura, sed de longinqua cognatione, humana videlicet voluit accipere. Sponsa hæc Maria est (Siquidem in utero Virginis etiam matrimonium quoddam peractum est, Dei cum natura humana, quam dum ex Virgine assumpsit, quasi cum illa se despondit, ut sic Maria & sponsa & mater filii Dei, dici alio & alio respectu possit.) Hanc ut filio suo acciperet in sponsam, misit servum suum angelum Gabrielem in terras, ut ejus assensum peteret. Sed unde colligi poterat, hanc fore tanto filio dignam sponsam & simul matrem? Ex paucis ejus verbis omni virtute refertissimis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hæc enim brevissima sententia tantam continet Virginis prudentiam, affabilitatem, humilitatem, castitatem, &c. ut sufficiens argumentum sit, dignissimam esse inter homines, quæ mater filii Dei foret.

B. Primum verbum: *Ecce ancilla Domini.* Vide hic Primò promptitudinem, & alacritatem ad consentiendum & parendum divinæ voluntati. Videtur enim dicere illud Ps. 122. *Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi mei ad Dominum Deum meum*, q. d. oculi mei semper ad manus Domini respiciunt, ut quidquid vult fieri, subitò id agam: velut enim ancilla ad omnia obsequia quantumcumque difficilia me præsento. Sed vide prius Virgo quid petat à te Angelus; rem quippe difficilem postulat. Filius enim tuus tametsi Deus erit, pauperculus tamen erit, & plurimas persecutiones patietur, quæ omnes in te redundabunt: In propria veniet, & sui eum non recipient: posthæc ab Herode quæretur ad necem, & tibi cum eo fugiendum erit: ad extremum ipse crucifigetur; & tibi sub cruce standum erit, ubi tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Sed hæ difficultates & aliæ quamplurimæ, quas absque dubio divinitus sibi revelatas prævidebat Virgo, nihil eam moverunt, aut ab obediendi promptitudine retinuerunt: *Ecce ancilla Domini*, inquit. Nimirum vidit Dei filium & suum mox futurum, eadem promptitudine se obtulisse ad incarnationem, crucem & passionem. Ipse enim quando decrevit Deus, nolle se admittere sacrificia veteris legis pro expiatione peccati, tunc dixit: *Ecce venio*; ut nimirum per sacrificium corporis & sanguinis mei reconciliatio fiat, Psalm. 39. Disce hic Christiane ad Dei obdientiam te omnimodè resignare, sine exceptione, ut paratus sis in quocunque ancillari opere. Tu enim fortè vis servire quidem Deo, sed in aula tantum, non etiam in stabulo: vis confiteri & communicare, jejunare, audire sacrum, sed non ita, sicut Ecclesia vult & consuevit. Non ergo es ancilla Domini.

I. *Ecce ancill. Domini.* 1.

2. Secundo vide humilitatem. Angelus eam salutat gratia plenam, & jamjam futuram asserit Dei matrem. Et respondit ipsa: *Ecce ancilla Domini.* Nimirũ gratiæ divinæ familiaris semper est humilitas: sicut spicæ hoc ipso, quo granis refertæ sunt, ad terram sese incurvant, vacuæ vero se erigunt: ita & Maria quo pleniorem se gratiâ audivit, tanto se ea indigniorem reputavit, magisque humiliavit. Considerat enim humilitas primo non tam quòd habeat, quàm quod præter meritum habeat. Secundo cogitat potius quid ex se sit, quàm quid ex alterius gratia. Tertio considerat potius quæ non habet & habere meritò deberet, quàm quæ habet. Quarto considerat potius defectus suos, quàm ea quibus excellit,

lit, ficut virgo nobilis & dives, fed gibbofa vel clauda potius cogitat de fua deformitate&defectu,quam de opibus & genere. Quinto attendit potius ad eos, à quibus fuperatur, quam quos fuperat. Sicut balistarii & curfores non curant eos, quos præcellunt, fed eos à quibus præcelluntur. Sic ergo virgo noftra non convertit fe ad ea, quæ in ejus laudem ab Angelo dicebantur (hæc enim ut aliena intuebatur) fed ad ea tantum quæ ex fe habebat.

Agnofce hic illam Noëmi Ruth. 1. dicentem: *Ne vocetis me Noemi, id eft pulchram: Sed vocate me Mara, id eft, amaram.* Sic etiam S. Gregorius cum ab aliis laudabatur, refpondere folebat: *Nolite me vocare Noemi, id eft, pulchrum, fed vocate me mara, id eft, amarum, quia amaritudine plenus fum,* l. 2. Ep. 63. l. 7. Epift. 125. l. 1. Epift. 6. Ita S. Digna virgo Monialis dicebat cæteris fororibus: *Nolite me Dignam vocare, fed magis Indignam, quia cujus meriti fum, etiam nomine debeo infigniri.* Eulogius memor. Sanct. l. 3. c. 7. Difce prius altum fodere fundamentum humilitatis, fi turrim perfectionis exftruere, & ad virtutum faftigium pertingere velis. Mundus inftar fraudulenti artificis eft, quia altum extruit ædificium, non jacto prius humilitatis fundamento: inde ædificium corruat neceffe eft.

Difce etiam quanta humilitate accedere ad Euchariftiam debeas. Etenim Deipara Deum hofpitem in utero fuo exceptura, in tam humilia prorumpit verba: *Ecce ancilla Domini.* Tu ergò eundem Deum ore tuo fumpturus, quomodo non exclamas: *O Domine, quia ego fervus tuus, ego fervus tuus & filius ancillæ tuæ?*

C. II. *Fiat mihi.*

Secundum, *Fiat mihi.* Vide primo verborum moderationem & loquendi parcitatem: Ter locutus erat angelus Mariæ 1. cum eam falutavit: *Ave gratia plena, &c.* Secundum cum negotium legationis fuæ expofuit: *Ecce concipies & paries, &c.* Tertio cum arcanum & mirandum modum concipiendi abfque virginitatis detrimentuo edocuit: *Spiritus fanctus obumbrabit tibi, &c.* His quafi literis acceptis & perlectis, ad fingula refpondet, fed tribus verbis Maria, ad hunc modum: Tu ô magne Dei Angele, gratiam plenam me vocafti: *& ecce ancilla Domini,* inquam. Tu divinum mihi conceptum nunciafti: *fiat igitur mihi.* Tu denique addidifti, futurum hoc, Spiritus fancti mirabilia fuperventu: ita *fiat fecundum verbum tuum.* Vide quam paucis verbis ad tam multas graviffimas propofitiones refpondeat Virgo prudentiffima. Difce hic loquacitatem vitare & linguam moderari, breviter fed prudenter loqui. Sic uno verbo *Fiat,* fecit omnia Deus. Eodem ufa eft Maria, & ad verbum illud, *Deus homo factus eft, & in uterum ejus defcendit.* Septies tantum locutam invenimus Mariam; & quam parcè femper? Difcant ergò mulieres maximè virtutem hanc ab illa: fi confervare fe à mundi fordibus & laqueis volunt. Non enim fruftra ftatuit Deus, Num. 19. *Vas quod non habuerit operculum & ligaturam defuper immundum erit. Quafi enim vas fine operculo,* inquit S. Gregorius 6. moral. cap. 17. *vel ligatura polluitur, qui per ftudium oftentationis patens nullo velamine taciturnitatis operitur.*

Difce etiam ante & poft communionem filentio vacare, pauca loqui, & cum folo Deo tuo dulciter converfari, ne alioquin virtus hujus facramenti citò evaporet.

Vide 2. Fiduciam in Deum & humilem magnanimitatem, quia cum dicit: *Fiat mihi;* fe totam Deo commifit; & pro falute generis humani, Deiparentis dignitatem acceptavit. Non refpondit Angelo: Quid parentes mei dicent, quos prius hac de re confulere oportet? Neque etiam objecit: Quid Sponfus meus dicet, fi gravidam me viderit? Et fi dixero Spiritum S. mihi obumbraffe, & prolem hanc dediffe: quomodo mihi credet? quomodo me non deferet velut fœdifragam & fornicariam: quomodo non blafphemam dicet? Non petiit ab Angelo, ut arcanum hoc Iofepho prius intimaret; neque fuam oppofuit inopiam, cui difficile erat, alere, ut par erat ejufmodi infantem. Nimirum erat cor ejus fiduciam habens in Domino, & parata erat fuftinere pro filio quæcunque opprobria, pericula, exilia, ftipem denique pro ipfo colligere.

Difce Chriftiane confidere in Deo, & magno animo aggredi, quæ poftulat à te. Tu fi fortè juberis opus pium facere, fæpius confiteri, publicum pietatis exemplum dare, pauperibus largè tribuere; citò replicabis: Et quid dicent homines? Et quid fiet de meis liberis? Ejufmodi difficultates innumeras oppones, quafi nihil ad Deum pertineret tibi providere. *Quid in te ftas? projice te in eum: noli metuere, ne fe fubtrahat ut cadas, projice te fecurus, excipiet te & fanabit te;* inquit S. Auguft. lib. 8. confeff. c. 11.

Difce etiam ad menfam Euchariftiæ cum fiducia accedere: tametfi enim cum timore & verecundia ad menfam illius principis ire nos oportet, uti folent pauperes peregrini venire ad menfam Papæ: non tamen dejici debemus, aut animis concidere, rei difficultate deterriti: quia Deus eft, qui nos vocat. Quare fi facimus quod in nobis eft, nullum imminet nobis periculum, fed magnum reportabimus fructum.

Nec folum cum fiducia, fed etiam cum fame & defiderio; quemadmodum vox illa Mariæ, *Fiat mihi, &c.* non folum eft vox afferentis, fed votum etiam optantis & affectus defiderantis: fecundum Ambrof. & Bern.

D. III. *Secundum verbum tuum.*

Tertium, *Secundum verbum tuum.* Vide inprimis fidem nihil dubitantem de tam difficili & ufque ad id tempus inaudito myfterio. Credidit enim inprimis Deum fore hominem, & quidem in utero ipfius, & ex ipfa nafciturum fine viri opera. Deinde quod Virgo effet paritura & poft partum permanfura adeoq; mater fimul & Virgo futura. Quis ante illum diem audivit unquam talia? Quare fi magna

prædi-

prædicatur ab Apostolo fides Abrahæ, qui *contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, nec consideravit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, &c.* Rom. 4. multò major Fides Virginis, quæ non credidit senem generare, sed Virginem parere posse, quòd longe mirabilius est?

Disce hic tu parem fidem exercere in sumptione & adoratione S. Eucharistiæ (non enim difficiliora creditu sunt, quæ fides docet de illa, quàm quæ Maria credidit.) Et certè si firma illa esset, facile obtineremus rem & virtutem illius Sacramenti. Ut enim Mariæ dixit Elisabeth: *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino:* Sic etiam beatus qui firmissimè, & quasi practicè credit mysterium Eucharistiæ. Hinc enim perficientur in nobis, quæ ad ejus salutarem usum & effectum participandum requiruntur, puritas conscientiæ, reverentia, humilitas, desiderium, fames spiritualis, amor, &c.

Vide secundo virginitatis amorem, dum assentitur Virgo Angelo, sed juxta verbum ejus, quod dixerat, sine detrimento virginitatis eam parituram: alioquin enim nisi de hoc secura & certa facta esset, non electuram fuisse Dei maternitatem sentit D. Bernardin. Senes. serm. de concept. probarique potest ex eo, quod virgo non priùs assensum præbuit, quam ab Angelo audiret: *Spiritus S. superveniet in te*, &c. Sed nimirum vidit talem omnino matrem, Virginem scil. & non aliam requiri à Dei filio, neque enim alia mater nisi virgo Dei filium docuit. Virginem matrem voluit, ex cujus purissimo sanguine velut è florum sapore se lectissimo, interventu mirificæ illius apis & artificis Spiritus S. concipi voluit.

Disce hinc Christiane quanta cum puritate & castitate accedere te oporteat ad S. Communionem. Qui enim horruit uterum conjugio vitiatum: nonne magis horrebit fornicarium? vel aliis sceleribus sordentem?

CONCIO VI.

QUOT MODIS FUERIT DOminus cum Beata Virgine.

I. *Per operationem potentiæ.*
II. *Per directionem singularem.*
III. *Per protectionem.*
IV. *Per provisionem rerum necessariarum.*
V. *Per consolationem*
VI. *Per consensionem voluntatis.*
VII. *Per eminentiam gratiæ.*

THEMA.

Dominus tecum, Luc. 1.

MUltis modis intelligi potest, quomodo Dominus sit cum aliquo. Primò per operationem suæ potentiæ, uti Dominus cum servo. Et hoc sensu, cum Moyses diceret: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem & educam filios Israel de Ægypto?* respondit Dom. *Ego tecum ero*; manu scil. potenti ad liberationem populi de Ægyptiaca servitute, Exod. 3. Secundo per directionem, uti nauclerus cum nave. Sic dicebat Iosuæ monens ut servaret legem Moysis, & induceret filios Israel in terram promissionis: *Noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæcunque perrexeris*, Ios. 1. Tertiò per protectionem à periculis. Uti aquila cum nido suo, quem defixo oculo respicit. Sic dicebat Israeli: *Cum transieris per aquas tecum ero: & flumina non operient te*, Is. 43. Quarto per provisionem rerum necessariarum, sicut pastor adest ovibus. Hoc sensu dicebat Iacob: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum, quo operiar, erit mihi Dominus in Deum, &c.* Gen. 28. Quintò per consolationem, velut nutrix cum infante: quo sensu ait Ps. 90. *Cum ipso sum in tribulatione:* Sextò per consensum & concordiam, velut sponsus cum sponsa tempore desponsationis. In hunc sensum dixit Nathan ad Davidem: *Omne quod est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum est*, 2. Reg. 7. Septimo per amicitiam & gratiã, ut amicus cum amico. Sic dicebat Isacco: *Noli timere, quia ego tecum sum, benedicam tibi, &c.* Gen. 26. Nihil aberravero, si dixero his omnibus modis fuisse Dominum cum Maria, quia ejusmodi assistentia Dei per omnia illi debebatur, velut matri Dei.

B. I. *Per operationem potentiæ.*

Primò: Debebatur ei talis assistentia potentiæ divinæ, ut virginitatem suam cum Maternitate conservaret, aliaque in ipsa præter naturæ ordinem perficerentur. Fuit ergò cum ea Primo per operationem suæ potentiæ, per quam omnia facilè perficeret in ea, quæ ad mysterium incarnationis & virginitatem ejus conservandam pertinerent, quæque alioqui naturaliter fieri nequeunt: quo modo Dominus dicitur esse cum servo, quando ea illi præstat, quæ ipse per se obtinere non posset. Hinc Angelus dixit: *Dominus tecum*, id est, qui dominatur naturæ universæ, & potest eam invertere & mutare pro suo libitu. Hanc assistentiam fatetur ipsamet, cum ait: *Fecit in me magna qui potens est.*

C. II. *Per directionem singularē.*

Secundò: Debebatur ei peculiaris directio in omnibus operibus, ne in re aliqua delinqueret, & filii sui majestatem labe aliqua aspergeret. Fuit ergo secundo cum ea per singularem directionem, ne vel in minimo unquam offenderet aut erraret: Ut nauclerum cum nave. Hoc sensu Esaiæ c. 43. Israeli dicit Dominus: *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Illos flumina operiunt*, ait S. Gregorius l. 6. Epist. 169. ad Cyriacum: *Quos actiones hujus sæculi mentis perturbatione confundunt.*

fundunt. Nam qui ſancti Spiritus gratiam tenet in mente, tranſit aquas, & tamen fluminibus non operitur, quia etiam inter medias populorum turmas, ſic peragit greſſus ſui itineris, ut non ſubmittat actionibus ſæculi caput mentis. Sic ille. Id verò cernere eſt in Deipara, quæ ita in ſæculo nequam per annos 63. eſt verſata, ut ne minimo unquam peccato ſe contaminaverit. Quid hoc aliud quam ambulare per undas & non madefieri? ambulare per lutum & non infici & maculari? Adhæc dum in ſtatu matrimonii fuit, quodammodo in igne fuit: ibi tamen virginitatis ſuæ propoſitum exactisſimè ſervavit. Quid hoc aliud, quàm in igne non aduri? Hinc ab Eccleſia vocatur *rubus ardens & incombuſtus*, Exod. 3. Item *lilium inter ſpinas*, Cant. 4. Cùm cæteris Sanctis ſat præclare agitur, ſi à mortali lapſu atque adeò à colliſione ſerventur: at cum Maria ſic agi conveniebat, ut nec venialiter laberetur. *Decuit nimirum*, ait S. Bernardus in ep. ad Canon. Lugdun. *Reginam Virginum ſingularis privilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam.*

D. III. *Per Protectionem.*

Tertiò. Debebatur ei protectio talis, qua tantum filium ſecurè educare, eiq; ſervire per omnia poſſet. Fuit ergò tertio cùm illa per ſingularem protectionem à periculis, inſidiis, contumeliis, &c. Quomodo Aquila licet à nido longius avolans, oculum tamen ad illum ſemper intendere dicitur, ne quid damni aut inſidiarum is patiatur. Maria nidulus Chriſti erat, & lectulus Salomonis, in quo placuit ei quieſcere; & ſicut lectum Salomonis ſexaginta fortes cingebant ex fortisſimis Iſrael, Cant. 3. Ita Dominus tecum ô Maria. Hinc licet Chriſtus ſemper inſidiatores haberet Iudæos: ipſa tamen ab eis nihil offenſa legitur, etiam cùm in medio rabidorum canum & oblatrantium Iudæorum ſub cruce illæſa ſtetit. Et unde ei dices, hic animus, ut eo loco ac tempore comparere auderet, ubi à longè ſtabant omnes noti Chriſti? Nimirum cogitabat illud Pſal. 22. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quomodo ergò timeret? *Scapulis ſuis obumbrabit tibi & ſub pennis ejus ſperabis*, ô Deipara. Antigonus navali pugna contra Ptolomæi milites præliaturus, cum moneretur à Gubernatore plures eſſe hoſtium naves, reſpondit: *Pro quot navibus ſupputas me, qui hic præſto ſum?* Plut. in regum & Imperaorum apophthegm. Fremebat circa Mariam in monte Calvariæ cohors militum & carnificum, nec non Principum & Sacerdotun: Cur ergò non timet Maria in medio illorum? Si enim juvenem illum, qui ſequebatur Chriſtũ captum comprehendere volebant: ſi Petrum tenere negantem: quanto magis inſidiarentur Matri? ſed nimirùm Dominus cum illa fuit, fortior omnibus. *Præceperat Deus*, Deut. 22. ut invento nido, pulli quidem tolli poſſent, mater tamen immunis avolare ſineretur. Num de aviculis Deo cura eſt? matrem ergò ſuam voluit à militibus intactam relinqui, ſe verò tolli.

E. IV. *Per proviſionem rerum neceſſariarum.*

Quartò. Debebatur ei tanquam paupérculæ talis proviſio, qua tantum ſuſtentare filium & ſeipſam poſſet. Fuit ergò cum ea. Quarto per proviſionem rerum neceſſariarum, ſpiritualium & temporalium: ſicut paſtor adeſt oviculæ, ad paſcua eam ducens ac reducens, nec non ab incurſu beſtiarum defendens. Sic enim quando Ioſeph volebat eam clam deſerere, quod prægnantem videret (unde Virgo in periculũ famis & lapidationis conjecta fuiſſet) mox adfuit ei Dominus, & monuit Ioſeph per Angelum, ut perſiſteret cum conjuge; quod enim in utero gereret, à Spiritu S. eſſe. Quis eam cuſtodivit in fuga Ægyptiaca? quis duxit & reduxit itinere tam aſpero & longo? quis in Ægypto aluit, terra ignota & hoſtili? Deus utique qui cum illa erat. Adhæc dum in Bethlehem, ſolo alieno puerpera diverſabatur, difficile erat Ioſepho labore manuum eam ibi ſuſtentare. Itaque Dei ductu adveniunt Magi, & aurum illi adferunt. Denique cùm orbaretur filio ſuo, Ioannes ei pro Nutritio asſignatur.

F. V. *Per conſolationem.*

Quintò. Debebatur ei ſpecialis conſolatio, quod majores afflictiones propter filium, quam ullus mortalium ſuſtinere deberet. Fuit ergò cum ea quinto, per ſuavisſimam conſolationem, velut nutrix cum infante. Sic adfuit asſiſtenti ſibi juxta crucem: *Stabat* enim ipſa *juxta crucem*, ait Ioannes, non lapſa eſt in terram, non laceravit crines, non eſt paſſa deliquiũ, non eſt vociferata: quod aliæ fœminæ feciſſent: Sed heroico animo ſtetit & dolorẽ modeſtè preſſit. Unde tantus illi animus? ex præſentia filii, qui eam ſic firmabat & conſolatione perfundebat.

Hac ratione Iulius Cæſar, cùm aliquando in maris tempeſtate periclitaretur, gubernatori, animum deſpondenti, iterum reddidit, ſuam illi præſentiam aperiens: *Confide fortunæ*, inquit, *ſciaſque te Cæſarem vehere.* Plut. in apoph. Quemadmodum Aſſuerus Eſtheram ex ſui reſpectu perturbatam & deficientẽ ſuſtentavit ulnis ſuis, & verbis blandè conſolabatur, Eſth. 15. ita ſuſtentavit matrem filius, ex aſpectu ſui triſtisſimo, vehementisſimè perturbatam, ne omnino præ triſtitia deficeret, corrueret & moreretur.

G. VI. *Per conſenſionem voluntatis.*

Sextò. Debebatur ei talis poteſtas, ut quod ipſa ageret cum filio ejuſque ſervis ratum eſſet. Fuit ergò cum ea ſexto per voluntatis conſenſionem; ut ſcribit Bern. ſerm. 3. ſuper *Miſſus:* quomodo ſponſus eſt cũ ſponſa. Quemadmodum Aſſuerus dedit poteſtatem Eſtheræ ſcribendi Epiſtolas pro ſuæ gentis ſalute, quas vellet, & ſignandi annulo regio, Eſth. 8. ita & Deus Mariæ. Quid enim ei negavit unquam? Nonne ad ejus petitionem, deficiente in nuptiis vino, primũ & ſtupendum fecit miraculum? Ioan. 2. Nonne cum ea deſcendit in Nazaret, & erat ſubditus illi? Luc. 2.

Septimò: Debebatur ei tanquam Matri Dei, ſingularis gratiæ & gloriæ prærogativa. Fuit ergò cum illa per ſingularis gratiæ eminentiam ſuper omnes creaturas, velut amicus cum amico: imò ut filius cum Matre. Nam ut advertit Petrus Damian.

Card. Deus dicitur esse in justis per gratiam, & in Sanctis per gloriam, non dicitur esse cum illis. Singgularem ergo gratiæ prærogativam indicant hæc verba. Certè D. August. serm. de nativit. Virginis in persona Gabrielis ita loquitur: *Dominus tecum, sed magis, quàm mecum; in tuo est corde, in tuo est utero, implet ventrem, adimplet mentem.* Ubi merito quærat aliquis, qua ratione verum hoc sit, cum Domino teste, Luc. 4. qui minor est in regno cœlorum, major sit Ioanne Baptista in terris degente, ac proinde quovis justo vivente? Resp. plus esse Deum habere in ventre, quam per gratiam solùm: hinc enim modus ordinarius est, ille extraordinariùs. Per hunc constituimus filii Dei adoptivi, per illum Virgo Maria facta est Mater filii Dei naturalis; & præterea modo etiam aliquo filia Dei patris & sponsa Spiritûs S. Deinde etiam per gratiam magis erat cum Maria, quàm cum Gabriele, quia licet Gabriel possideret jam hæreditatem cœlestem, Maria tamen jam nunc gratiam ampliorem, hoc est, pignus & hypothecam certissimam habuit ad præstantiorem gloriam, quàm Angelus habebat de facto. Fuit Gabriel quasi aureum quoddam vas, Maria Argenteũ, sed pretiosissimis gratiæ & virtutum gemmis undique exornatum: quis autem neget gemmas, etsi de facto aurum non sunt formaliter, esse tamen eminenter & facilè ex illis plus auri comparari posse, si vendantur, quàm si aureæ forent?

Sed dices, hæc quæ diximus ad Dei potius, quàm Mariæ gloriam pertinere. Respondeo, pertinere etiam ad gloriam Mariæ. Ad hanc enim Dei assistentiam sese cum Dei gratia disposuit adeoque dignam fecit. Nam inprimis credidit, quòd ea in se mirabiliter perficienda essent, quæ dicta sunt ei à Domino, ob quam fidem *beata* prædicatur ab Elisabetha, Luc. 1. Secũdò directioni Dei in omnibus se submisit. Tertio ad Deum in omni sua tribulatione vel periculo confugit. Quartò in sua inopia confisa est in Dono ejusque providentia. Quintò particeps & socia tribulationum ejus fuit, unde & consolationis. Sextò voluntati ejus suam ad amussim accommodavit. Denique Deum toto corde amavit.

Quare ad extremum dicamus, cum Abimelech ejusque sociis, ad Mariam, quod illi dicebant ad servum Dei Iacob: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus: sit juramentum inter nos & ineamus fœdus: ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet*, Gen. 26. Promittamus Dei matri, nos eam nunquam derelicturos, nec contra eam unquam aliquid dicturos aut facturos, neque permissuros, ut à nostris subditis contra eam aliquid agatur: ita enim ipsa non modò nihil mali nobis faciet, sed plurimum potius boni.

CONCIO VII.

PROPUGNACULA PUDICITIÆ extructa à Maria Virgine.

I. *Amor solicitudinis.*
II. *Humilitas & verecundia.*
III. *Taciturnitas.*
IV. *Prudentia.*
V. *Votum aut firmum propositum virginitatis.*

THEMA.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1.

A.

Qui murum civitatis ab hoste tueri volunt, in eo plura ædificant propugnacula, ut eorum præsidio hostem depellere à muro queant. Hoc certè intellexit optimè B. Virgo, quæ virginitatis suæ murum ut mordicus tueretur, plura circa eum ædificavit propugnacula, plura virtutum aliarum subsidia, quæ virginitatem ejus securam & invictam redderent. Ut de ea meritò dixisse videatur SS. Trinitas Cant. 8. *Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* à Gabriele scil. in annuntiatione, ut sentit Hugo Cardinalis hic, *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Murus erat fortissimus B. V. virginitas, sed præterea ab ea roboratus erat & munitus variis propugnaculis: ut videbimus.

B. I. *Amor solitudinis.*

Primum pugnaculum erat solitudinis amor. Ubi enim putatis inventam esse ab Angelo B. Virginem? Num in plateis vagabundam? aut in foro vel campo? aut domo aliqua ubi convivium, fidicines & choreæ? Minimè verò. In cubiculo suo inventa est. Hoc enim volunt sibi verba illa: *Ingressus ad eam Angelus. Sola in penetralibus*, inquit S. Ambrosius lib. 2. in Lucam, *quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret.* Et S. Bern. Serm. 3. Super Missus est, ait: *Clauserat illa hora suum super se habitaculum virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis.* Discant hic mulieres, virgines præsertim non vagari in plateis, conviviis & choreis, si pudicitiam conservare, si Angelorum & Dei consortio frui & gratia repleri cupiunt: ne contingat illis, quod Civibus urbis Hai, qui ab Israelitis simulata fuga evocati, urbem apertam reliquerunt: mox enim latentes à tergo insidiæ urbẽ ceperunt & succenderunt, Iosu. 8. Ad eundem enim modum evocant mali Genii mulieres à penetralibus ad choreas, nuptias, colloquia, &c. ut dum ipsæ domi non habitant, & ostia sensuũ suorũ aperta relinquunt, capiantur & pervertantur saltẽ animo, si non corpore, dum malis occupantur

pantur & fervent desideriis. Quis est qui nesciat arbores in viis constitutas maximas pati injurias, à transeuntibus vellicari, baculis impeti, lacerari? Arbores verò in horto clausas, nihil horum pati? similiter & fontem omnibus patulum & communem pluribus sordibus conspurcari: signatum contra aut ferreis cancellis septum, limpidissimum semper perseverare? Audi Ecclesiast. c. 36. *ubi non est sepes, diripietur possessio.* Hujusmodi fons & arbor erat Maria, quemadmodum Cant. 4. dicitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Illius modi verò erat Dina, quæ egressa ad videndas mulieres regionis exteræ, quæ tunc magno numero & ornatæ ad festum convenerant, (si credimus Iosepho) à Sichem rapta & oppressa est, Gen. 34. Volebat videre tantum, sed visa & ipsa est. Videre voluit mulieres tantum; sed offendit juvenem. Ita multæ putant, nihil esse periculi, si ad choreas eant ad sui similes, &c. & fit ut, quod Martialis cecinit, *redeant Helenæ*, id est, meretrices, quæ egrediebantur Penelopes, id est, Virgines. Unde antiquitus novas nuptas, cùm in domum sponsi deducerentur, Colus compta cum stamine & fuso secuta est: ut monerentur domi cum tali exercitio se continere, ut docet ex Plutarcho & Plinio Brissonius de ritu nuptiarum. Optimè igitur S. Martinus dicebat: *Mulier intra murorum munimenta se contineat, cujus hæc prima virtus & consummatio victoriæ est, non videri*; refert Sulpitius dial. 2.

C. II. *Humilitas & verecundia.*

Secundùm: Humilitas & verecundia. Enituit hæc in virgine, dum audiens salutationem Angeli turbata est; turbata inquam ex humilitate, quia tantis se laudibus prædicari & omnibus mulieribus anteponi audiebat, cum ipsa nihil ejusmodi in se agnosceret, sed potius amaret nesciri & omnibus postponi. Utinam hoc adverterent omnes mulieres, quæ dedecori sibi ducunt, si cultu & vestitu ab aliis superentur, si non in omnium oculis versentur: quid enim hæ aliud faciunt, quàm quod murum pudoris destruant, & hostes suos ad se admittant imo alliciant? Non repræhendo ornatum illum, qui intra certos limites, pro cujusque statu & facultatibus, ac intra patrium morem se continet: sed de illo loquor, qui vel modum excedit, vel novitates & vanitates invehit, & qui vel ad captandam vanam gloriam, vel ad oculos hominum trahendos & illaqueandos est compositus. Hic enim non tantum aliis lapis offensionis est, sed & proprio subjecto interitum machinatur, & hostes ad se trahit; ad eum ferè modum, quo Florentiæ ante paucos annos puer quidem in atrio, ubi sævæ custodiuntur bestiæ, dum pallio ad Lynces de misso, ad saltum eos provocat, & unum eorum, qui fortè pallium unguibus & dentibus fortiter retinebat, cum pallio de cavea extrahit, ab eodem mox occisus est, ut ibidem certa fide mihi narratum est. Quid enim aliud faciunt superbæ & comptulæ fœminæ, quàm quòd formæ & cultus sui pulchritudine illice lascivos ad se trahunt oculos lynceis acutiores, qui pudori earum insidientur, & tandem exitium offerant? Sic Bethsabee lavando se super solarium, ubi conspici potuit, pudicitiam suam Davidi prostituit. Considerate reginam Iezabel, quæ dum prætereunte Iehu fenestram aperit, stabio pingit oculos & ornat caput suum, prospiciens ut Iehu prætereunti placeret, jubente Iehu de fenestra præcipitata est, & à canibus devorata, ut prætereuntes dicerent; *Haccine est illa Iezabel?* 4. Reg. 7. Ad eundem enim modum illæ quæ se ostentare & aliis placere student; ab ijsdem tandem præcipitantur, etsi modo longe graviori, nimirum de fastigio pudoris, in foveam impudicitiæ, & sic canibus tandem diabolicis, id est, scortatoribus cibum adornant, se ipsas prostituendo, & omnibus tandem prætereuntibus fabula & contemptus fiunt. Quare ne quid tale experiantur, ad exemplum virginis sese velo humilitatis operiant, dilaudari & aliis anteponi metuant, turbentur cum decorem speciemve suam celebrari audiunt.

D. III. *Taciturnitas.*

Tertium. Taciturnitas, quia non statim respondit Angelo, sed cogitabat prius, qualis ista esset salutatio: Nec etiam nisi secundo compellata respondit, adeoque ad duas allocutiones semel tantum & brevissimè, quasi memor illius præcepti apud Eccles. cap. 23. *Si bis interrogatus fueris: habeat caput responsum tuum.* Nimirum haud assueverat multiloquio, præsertim cum viris & adolescentibus: Angelus autem haud dubiè forma speciosissimi adolescentis apparuit. Unde S. Ambros. lib. 2. in Lucam ait, *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari.* Hæc ille. Iam si virgo sanctissima trepidavit loqui cum Angelo, quanto magis trepidare & timere debent loqui juvenculæ cum juvenibus, & contra? Idem S. Ambros. rectè comparat hominem loquacem speculo, quia *ut speculum omnes faciei defectus inspicienti repræsentat: ita & lingua loquax cordis sui prava desideria, & animi levitatem prodit.* Dic verò, quis Castelli Dux adeò væsanus erit, ut hostem, à quo obsidetur, in Castellum introducat, & omnes suas munitiones, cuniculos, & arcana indicet? Hoc enim si faceret, facilè inveniret hostis, quomodo Castellũ illud expugnaret. Idipsum etiam timendum est, si per loquendi libertatem juveni animi sui sensa juvenculæ communicent. Neq; dicas te loqui tantũ juvenibus honestis, quia quantumvis honesti ambo sitis, adest tamen colloquio vestro medius dæmon, malorum incentor, cujus *halitus prunas ardere facit*, ut ait Iob. c. 41. *& flamma de ore ejus egreditur.* Loquebatur Maria cum Angelo, & tamen loqui trepidavit. Esto, honestus sit juvenis, honesta puella, caro tamen sunt, stupa sunt & ignis. Unde Senior quidam apud Evitatum in prato spirituali c. 119. ajebat: *filioli Sal ex aqua est, & si appropinquaverit aquæ, continuò solvitur & deficit. Ita vir ex muliere est: unde si familiari nimis conversatione se mi-*

se miscuerint, facilè in alterius laqueos trahuntur. Neque dicas etiam, de rebus honestis te sermocinari, quia miraculum foret, si in tali conversatione nihil unquam prodiret obscæni. Multa mirabilia patravit Moyses, de nullo tamen dubitavit præterquam de eductione aquæ ex petra, Num. 20. Sciebat enim Moyses ignem potius prosilire ex percussione petræ, quam aquam: Ita nimis temerarium est, ex tali conversatione honestatem elicere cùm potius contrarium, ignis scilicet concupiscentiæ per illas generetur. Nec satis est si dicas, te non habere malam intentionem: qui enim nosti, quid patiatur persona illa, qua cum loqueris? Num tu factum excusares, si ignem alicujus domui subjiciens diceres, te id bona intentione facere?

E. IV. *Prudentia*

Quartum, Prudentia & circumspectio, quia non temerè assentiri voluit Angelo, sed doceri quomodo fieri posset, ne in aliquo impingeret, sciens se voto virginitatis adstrictam: Igitur, *Quomodo fiet istud?* inquit, modum scilicet inquirens & ordinem, ut ait S. Bern. serm. 4. super *Missus est*. Ac licet sciret Maria ex scripturis Messiæ matrem virginem permansuram, idipsum tamẽ ab angelo confirmari cupiebat, quo doceret posteros thesaurum pudicitiæ maxima cura servare. Unde bene de ea dicitur Cant. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra:* quia Hebræis Thur est considerare: ergo Turtur, est bis considerare, quod fecit hic Maria antequam se resolveret. Primo *cogitabat, qualis esset ista salutatio?* Deinde: *Quomodo fiet istud?* Non satis est obsessis habere mœnia, munitiones & propugnacula, se præterea super hæc omnia constituuntur custodes, qui undiq; circumspiciant, ne quà hostis ingruat.

Et si quidem ignotus aliquis accedat, statim examinatur, & si hostis fuerit, mox in fugam agitur aut occiditur. Plurimos hostes habet pudicitia, quam propterea S. Ambros. lib. 1. de virginibus ait, significari per fructum illum vineæ, Cant. 8. quem mille ducenti servant; & per lectulum illum Salomonis, quem 60. fortes custodiunt, Cant. 3. Ponat igitur juvenis, ponat virgo, ponat pudica matrona, super omnes sensuum portas singulos custodes, qui adventantia quævis sensuum objecta sedulò examinent, hostesnè sint necnè. Et si quidem insidiari pudicitiæ possunt, eos mox jugulent dicantq;: *Quomodo fiet istud?* Propterea severas se exhibeant erga eos, qui de impudicis rebus loquuntur, qui risus & ineptias tractent; &c. Cogitent quantum sibi mali creaturi sint, si hostem admittant, quàm graviter in Deum, proximum, parentes, seipsos peccaturi: dicantq; cum Demosthene, qui scorto à se exigenti mille drachmas pro pretio, dixit: *Non emo tanti pœnitere.* Cogitent pudicitiam esse lilium inter spinas, nec sine multis vulneribus animæ & corporis attrectari & decerpi posse. Quod si hoc fecisset Eva, si inquam, prius pomum bene examinasset & serpenti dixisset: *Quomodo fiet istud?* Quomodo fieri potest, ut per esum fructus vetiti simus quasi Dij? &c. non emisset tanti pœnitere, nec tot vulneribus se & nos cruentasset: hæc verò quia non fecit, in mille spinas & tribulos incidit. Multi sanè juvenes, multæ puellæ & matronæ similibus suasionibus inescantur, quia nimium leves & credulæ sunt: quasi multum boni consecuturæ sint, si pudicitiam suam tentantibus divendant; sed miseræ, quid inde referunt, nisi vulnera conscieniæ urentia, confusionem & ignominiam, bonorum omnium dispendium? Imitentur igitur potius adolescentem illum Ioseph, qui à Domina ad scelus sollicitatus: rem melius examinavit dicens: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Gen. 39. Quomodo fiet istud: ut peccem adeò in Deum, meipsum, parentes, fratres, proximos?

F. V. *Votũ aut firmũ propositũ Virginitatis.*

Quintum, Votum, aut firmum propositum pudicitiæ conservandæ. Vovisse enim Deiparam virginitatem colligunt SS.PP. apertè ex hoc, quod subjunxit: *Quoniam virum non cognosco:* Sic enim & Religiosi Carthusiani dicerent, nos carnibus non vescimur. Et nos Christiani dicimus: falsos Deos non adoramus. Votum autem hoc æternum & fixum fuisse facilè colligimus: Si enim cùm tantus ei promitteretur filius, Deus scilicet ipse à virginitate dimoveri noluit, sed eam sibi salvam reservari voluit: quibus quæso machinis aut blanditiis flecti ab hominibus potuisset? Nonne si puella aliqua obscuris natalibus regis conjugium sibi oblatum respuat, rectè colliges, eam ad conjugium ineundum nunquam inducendam? Discant hic virgines, imò & viduæ ac conjugatæ, quantopere custodire debeant castitatem suam. Nam si virgo Maria tanta proposita dignitate, noluit in legitimum thorum assentire; num permovendam fuisse putatis, ut consentiret in stuprum vel adulterium? Firmum igitur propugnaculum omnes, castitati suæ servandæ ædificent, propositum scilicet immobile: Virgines quidem & viduæ, ut antequam legitimè contrahant, nullum se agnoscere quidem virum velint; conjugatæ verò ut præter maritos proprios agnoscant nullum. Dicant omnes: *Quoniam virum non cognosco.* Inspiciant exemplum Qualdratæ illius puellæ Florentinæ, quæ ab Ottone IV. Imp. tum Florentiæ degente ad deosculandum expetita, respondit: *Nullius me hercle, quàm ejus quem maritum habitura sum suavium accipiam.* Placuit ea vox principi, & puella Guidoni Germano viro inclito in matrimonium data est, Fulg. l. 6. c. 1.

Atque hæc sunt, quæ promisimus, propugnacula castitatis & pudicitiæ, à SS. Trinitate in Deipara ædificata ad tuendam ejus virginitatem: nec non ad instructionem nostram. *Habemus thesaurum* istum (castitatis) *in vasis fictilibus*, ait Apostolus 2. Cor. 4. idcircò cautè gestandum. S. Hier. Ep. 140. ad Principiam ait, virgines à gentilibus fingi solere armatas, propterea quod virginitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Idem dico de castitate conjugum & viduarum, quæ suos etiam hostes habent.

Tueatur unusquisque murum & thesaurum suum hujuscemodi propugnaculis, ut suæ castitatis lauream capiat in cœlo.

CONCIO VIII.

VIRGINITAS DEIPARÆ ANte-in- & post partum ostenditur.

I. Virgo in conceptu.
II. In partu.
III. Post partum.

THEMA.

Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Luc. 1.

A. INgentia prodigia contigerunt isto die, Auditores. Quæ enim olim Hebræis magnalia DEI monstrata fuerunt, hodie repetita sunt; imò quæ illis per imagines & figuras delineata fuerunt, hodie re ipsa demonstrata sunt. Hodie enim Adam de *terra virgine*, ut S. Ambrosius serm 37. de quadrag. loquitur, hoc est, nondum proscissa formatus est, quia Christus matre virgine procreatus. Hodie rubus ardens, sed incombustus visus est, quia ignem illum alioqui consumentem, Deut. 4. Deum concepit Maria salvo integritatis virgineæ virore. Hodie lex divina scripta est, *sine graphio*, ut ait S. August. serm. 14. de Natali, in tabula lapidea solo Dei digito, quia sola operatione spiritus sancti concepit virgo Christum. Hodie *Virga Aaron annis siccata plurimis, sine aqua revixit, in templo floruit, nuces produxit*, inquit S. August. loco cit. quia fœmina absq; omni cultura humana filium concepit. Hodie descendit ros in vellus Gedeonis, area circum jacente prorsus nihil perfusa, quia verbum Dei ita in uterum virginis descendit, ut claustra virginitatis ejus intacta permanerent. Hodie *novum creavit Dominus super terram: fœmina circumdedit virum*, quia sola virgo sine viro concepit Christum, qui adhuc in utero matris virili perfectione non caruit. Hodie lapis abscissus est de monte sine manibus, quia lapis angularis Christus sine virili opera de purissimo virginis sanguine formatus est. Denique hodie signum illud Achabo datum contigit, dum virgo concepit filium. Verum sunt nonnulli de Calvini secta, qui his prodigiis fidem abnuunt, quibus proinde hæc veritas pluribus adstruenda est.

Gen. 1. — Exod. 3. — Exod. 31. — Num. 17. — Iudic. 6. — Ierem. 31. — Dan. 2. — Isaia. 7.

B. I. *Virgo in conceptu.* Primò. Virgo fuit in conceptu. Probatur primo ex hodierno Evangelio, ubi habemus, eam absque viri complexu opera tantum Spiritus sancti supra naturam concepisse; adeoque illæsa virginitate, quam sibi salvam reservaverat Deipara. Rursum ex Matth. cap. ubi Iosepho ait Angelus: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*; subditque prædictionem hujus rei per Isaiam cap. 7. *ut impleretur*, inquit, *quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, &c.* Qui vel solus Isaiæ locus huic rei comprobandæ sufficere potest. Ibi enim ponitur vox *Alma*, quæ Hebræis virginem significat, præsertim si cum articulo *ha* ponitur, uti fit ibi. Neque dicat Calvinus, prædici quidem virginem parituram, sed in sensu diviso, scilicet post copulam; quia refellit hoc inprimis Matthæus loco cit. dicens: quod in ea natum est, non de viro, sed de Spiritu sancto esse. Deinde ipse contextus Isaiæ, qui conceptum & partum illum virginis adducit pro prodigio à Deo statuendo. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, &c.* Quale autem hoc esset signum vel prodigium, quod virgo jam corrupta conciperet? His accedunt vaticinia Prophetarum hoc idem symbolicè prædicentia, uti illud Psalm. 17. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quemadmodum enim ros in vellus Gedeonis placidissimè summo silentio descendit: ita Dei filius placide & asque strepitu, seu læsione Virginei uteri in eum descendit.

Secundo ex vaticiniis Sibyllarum & gentilium, quia enim virginitas fœcunda miraculum est longè maximum, idcircò etiam gentilibus, id modo aliquo demonstrare voluit; inprimis per Sibyllas, è quibus Phrygia ita canit:

Virginis in corpus voluit demittere cœlo
Ipse Deus prolem, cum nuntiat Angelus almæ
Matri, quæ miseros contracta sorde levabit.

Cumana item apud Virgil. ecloga 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Jam redit & virgo, redeunt Saturnia sæcla,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Clara Deum sobolis, magnū Jovis incrementū, &c.

Tametsi hoc vaticinium Virgilius ad Asinium Romani consulis filium poëtico & adulatorio stylo detorsit. Sane id ad Christum pertinere non solum animadvertit S. August. lib. 10. de civit. c. 27. & Constantinus M. Orat. ad S. cœtum, verùm etiam gentiles illi Christianorum hostes. Secundianus vir eloquentissimus præfecti assessor, Marcellian. orator, & Verianus pictor, qui eo lecto & expenso, non tantum fidem Christianam amplexi sunt, verum etiam pro eadem, sub Decio Imperatore illustre martyrium subierunt, apud Surium 9. Augusti.

Deinde scribit Paulus Diaconus, Sigebertus; D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 7. & alii Constantini & Irenes tempore inventum esse sepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, cum hac inscriptione: *Christus nascetur ex virgine, & ego credo in eum; ô sol sub Irene & Constantini temporibus iterum me videbis.* Carnuti item in Gallia Druides sapientia clara, aram dedicarunt virgini pariturae

ubi

ubi nunc magnifica Deiparæ Basilica extructa est. Ægyptii item ante Christi adventum virginem in lecto & infantem in præsepio collocare, & adorare consuerunt, quia ex Ieremia, qui apud eos exulârat audissent, ruitura eorum simulachra, cum virgo infantem enixa, cum eo ingressura esset Ægyptum, quæ videri possunt apud Canisiũ l. 2. de P. Virg. c. 17.

3. Tertiò. Ex naturalibus exemplis animalium, quæ absque sexus commixtione procreant, adeoque suadent neutiquam impossibilem esse virginis fœcunditatem. Hujusmodi enim sunt inprimis apes, quæ absque concubitu multiplicantur teste Virgil. lib. 4. Georgicorum. Deinde vultures, de quibus Ambros. lib. 5. Hexam. c. 10. scribit: *Impossibiléne putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit, & nullus refellit, & quia viro desponsata Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem.* Rursum S. August. lib. 21. de civit. c. 5. *in Cappadocia*, inquit, *perhibent vento equas concipere.* Quod etiam testatur Solinus, Culumella, & alii. Similiter *Concha solo cœlesti rore perfusa margaritam gignit*, ait S. Hiero. Epist. 22. & S. Ambros. in Psal. 21. *Vermis*, inquit, *nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur; ideò illum comparatum Domino (puto) quoniam & ipse Salvator de sola & pura Maria generatur.* Cum ergò talis conceptio non sit impossibilis, ex alia etiam parte maximè decuerit, ut conceptio Salvatoris prorsus intemerata & sancta esset; ut alias vidimus; quis eam virgini negare ausit?

Quartò. Ex congruentiis, quæ ostendunt, omnino decuisse, ut Dei filium non nisi virgo conciperet & pareret. Prima stat ex parte patris, quia non decebat ut Christus præter patrem cœlestem haberet alium terrestrem. Secunda. Ex parte filii, quia est verbum patris; verbum enim in corde concipitur, absq; omni ejus corruptione. Tertia ex parte carnis Christi, quæ necessario contraxisse peccatum originale, si ex concubitu prognata fuisset, teste S. August. lib. de nuptiis & concupiscent.

C. II. *In partu.* 1. Secundo: Virgo fuit in partu. Probatur primo ex Isaia loco. supra cit. qui ait: *Ecce virgo concipiet & pariet filium.*

2. Secundo: Ex sermone quodam Concilii Ephesini, in quo dicitur: *Gratia & parientem Dei matrem fecit, & virginitati non nociva fuit.*

3. Tertio: Ex miraculo, quo ostenditur clauso matris utero Christum nasci potuisse. Refert enim S. August. lib. 22. de civit. c. 8. de Petronia clarissima fœmina, quæ ex desperato morbo precibus S. Stephani sanata fuit. Cum enim pro remedio annulum superstitiosum à Iudæo prius accepisset, quem capillitiæ Zonæ insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, pergente illa ad S. Stephanum annulus integer, integra & illæsa Zona ad pedes ejus exsiliit: quod miraculum ipsa futuræ salutis pignus accepit *Non credunt hoc*, inquit S. August. *qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt, sed hoc certè quærant, & si hoc invenerint, credant; clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta Carthagine habitat, &c.*

4. Quartò, Ex similibus: *Solis radius speculum penetrat*, inquit S. Augustinus serm. 3. de adventu, *& soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit, &c. Speculum ergò non rumpit radius solis, integritatem virginis ingressus aut regressus nunquit vitiare potuit Deitatis?* Quo pertinet vaticinium Isaiæ cap. 62. *Non quiescã donec egrediatur ut splendor justus ejus, Salvator ejus, ut lampas accẽdatur.* Ut enim splendor luminis transit per fenestram sine ejus læsione, prodit etiam à sole, sine solaris orbis corruptione & lampas accenditur ex admoto igne sine detrimento luminis ejus: Ita Christus ex virgine ortus est. Et S. Ambrosius Epist. 81. ad Siricium Papam ait: *Non excedit fidem, quod homo exivit de virgine, quando Petra fontem profluum scaturivit, &c.* Rursum germen & fructus prodit ex arbore, absque ejus divisione vel læsione: Sic à virgine Christus. vnde Esaiæ cap. 45. dicitur: *Aperiatur terra & germinet salvatorem.*

5. 1. Quintò: Ex congruentiis. Primo enim si verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam ex corde procedit, decebat ut verbum Dei etiam nasceretur absque ulla læsione matris.

2. Secundò. Quia Christus venerat, ut nostram corruptionem tolleret; ergò non decebat, ut aliquid corrumperet, præsertim integritatem matris. Unde S. Augustinus in serm. de nativitate Domini apud D. Thomam 3. p. q. 28. a. 2. ait: *Fas non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta.*

D. III. *Post partum.* 1. Tertiò, Virgo mansit post partum. Probatur primo ex cap. 44. Ezechielis, ubi de beata Virgine ita vaticinatur: *Convertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem: & erat clausa, & dixit Dominus ad me: Porta hac clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi: Princeps ipse sedebit in ea.* Quem locũ de virginitate Deiparæ, maximè post partum, intellexit S. Hieron. in Comment. super Ezechielem, S. Ambros. in lib. de Instit. virg. c. 8. S. August. serm. 2. de nativitate Domini, & alii. Clausa igitur erat porta omnibus, quia nemo unquam cum Deipara carnis commercium habuit. Soli Dei filio reservata erat in habitaculum novem mensium: sed ita, ut & ipsi clausa esset, quia per uterum virginis clausus mirabiliter egressus est. Nec sine mysterio ter repetitur esse clausa, quia scilicet virgo erat ante-in-& post partũ. Quare detestandus est Helvidius, qui dicebat Dei matrem post partum à Ioseph filios obtulisse.

2. 1. Secundo rationibus. 1. Id congruebat dignitati, & perfectioni Christi, qui sicut unigenitus est patris, ita decebat ut esset unigenitus & matris.

2. Secundo uterus virginis sacrarium fuit Spiritus Sancti.

Sancti. Non decebat igitur, ut ab homine violaretur.

Tertio ingratissima fuisset Deipara, si tanto filio contenta non fuisset. Et si virginitatem tanto miraculo sibi conservatam, sponte perdere voluisset.

Quarto ipse S. Ioseph à temeritatis nota immunis non esset, si eam, quam à Spiritu Sancto concepisse intellexerat per Angelum, violare ausus fuisset.

Nec juvat Helvidium, quod dicitur Matth. 2. *Antequam convenirent* (Ioseph & Maria) *inventa est in utero habens.* Et paulò post: *Non cognoscebat eam* (Ioseph) *donec peperit filium suum primogenitum*; quasi tres illæ voces, *Antequam, Donec*, & *Primogenitum* insinuarent virginem plures sustulisse liberos. Nam prima illa vox, *Antequam*, usurpari etiam solet, cùm nihil sequitur, v. g. cùm dicimus: Iudex tulit sententiam, antequam cognosceret causam. Non sequitur enim, quod cognoverit causam postea. Altera vox, *Donec*, quandoque significat infinitum tempus, sic Gen. 8. dicitur corvus non reversus, *Donec siccarentur aquæ*; qui tamen nunquam fuit reversus. Rursus Deus Pater dicit filio: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, sedebit autem æternum. Tertia vox, *Primogeniti*, significat hic filium, ante quem nullus erat natus; tametsi ille erat unicus. Idem ergò est hic, quod unigenitus. Quilibet enim unigenitus gaudet jure primogenituræ; adeoque erat etiam primogenitus, licet nullos haberet fratres.

At extremum contra obtrectatores hæreticos voluit Deus triplicem hanc Deiparæ virginitatem miraculo illustrare. In vita namque S. Ægydii socii S. Francisci narratur 23. Aprilis quendam doctorem ordinis S. Dominici dubitantem de virginitate Deiparæ, cogitasse hac de re consulere S. Ægydium; cumque eum eminus videret S. Ægydius prævenit, terramque pulsans dixit: *Frater prædicator, sancta Deipara Maria virgo est ante partum*; statimque ut hæc dixit, pulcherrimum ibi exortum est lilium. Iterum percussa humo repetit: *Frater prædicator, sancta Maria virgo est in partu*; & confestim secundum exortum est lilium. Tertio feriens baculo terram: *Frater*, inquit, *concionator, sancta Maria virgo est post partum*, simulque tertium extitit lilium, candoris & speciei admirandæ. Ita prædicatori illi exemit omnem scrupulum.

Super est nunc ut cum Ecclesia exclamemus: *Sancta & immaculata virginitas: quibus te laudibus efferam, nescio, quia, quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.*

CONCIO IX.

CIRCUMSTANTIÆ LEGATIONIS ANGELICÆ.

I. Quando facta hæc legatio?
II. Per quem facta?
III. Quorsum?
IV. Ad quem?

THEMA.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, &c. Luc. 1.

A. Genes. 8. Legimus Noën, postquam imminutæ sunt aquæ diluvii, emisisse columbam, quæ ad vesperam rediens ad arcam, tulit ore ramum olivæ virentibus foliis, ex quo collegit Noë siccatam esse terram, & cessasse aquas diluvii. Repræsentavit hoc diluvium justissimam Dei iram, qua humanum genus post lapsum primorum parentum punivit, & in peccatis suis mersit. Sed hodie emisit Deus columbam, Angelum inquam è cœlo, qui ramum olivæ virentibus foliis, id est pacis & reconciliationis verba in ore gestans, mundo annuntiavit. gratiam, misericordiam, redemptionem. Non est facta, neque fiet talis legatio ab orbe condito usque ad ejus interitum. Qui enim Legatum mittit, Deus est. Legatus Archangelorum princeps est. Negotium tractandum pax est inter cœlum & terram.

B. I. *Quando facta hæc Legatio.* Quær. Quando facta hæc est Legatio? In mense sexto à conceptu Ioannis, qui erat Martius; die 25. qui erat Veneris, ut tenet Ecclesia cum S. August. l. 4. de Trinit. c. 5. & aliis.

1. Primò. Tempore verno; quia tunc incipiunt omnia virere & florere, ac quodammodo reviviscere, quemadmodum in adventu Christi revixit mundus & vestitus est novis gratiæ, virtutum, legum, sacramentorum, cæremoniarum, sacrificiorum floribus. Contra Ioannes Baptista in autumno conceptus est, quando collectione frugum finis imponitur, & terra atque arbores virore suo spoliantur, quia cum Ioanne lex vetus, cujus ille typus est, interire cœpit.

2. Secundo, In æquinoctio verno, quia tunc incipiunt dies esse majores noctibus: ad indicandum quod per adventum Christi lux vera; id est, cognitio veri Dei majora in dies incrementa sumptura esset. Ioannes verò typus Synagogæ & Sapientiæ mundi in æquinoctio autumnali conceptus est, à quo incipiunt dies breviores fieri noctibus, quia tunc decrescere incepit lux Synagogæ, & Philosophia mundana. In eodem æquinoctio verno mundus creatus creditur, ut sentit Concilium Palæstinum sub Victore anno 193. tametsi provinciale tantum, additque 25. Martij die creatum. Rectè ergo eodem tempore & die mundus recreatur, ut id conc. habet.

3. Tertio in Novilunio, teste Florido lib. de passionis die, quia ut in Novilunio sol conjungitur Lunæ, sic

sic eo temporis articulo, Christus sol justitiæ Lunæ, id est; Mariæ per carnis assumptionem se conjunxit. Unde S. Bernard. in serm. de Virgin. ait, tunc amictam sole fuisse Mariam, quando concepit Christum. Et sicut tunc luna ob præsentiam solis obscura est: sic Maria, cum Christus ejus uterum jamjam ingredi vellet, ipsa profundissimè se humiliavit, Dicens: *Ecce ancilla Domini.*

4. Quarto: In Martio, quia hic primus mundi mensis fuit, ut diximus: rectè ergo in eodem mundus recreari cœpit. Quinto: Die Veneris, probabilius; ut sic eodem die formaretur novus Adam, quo formatus ille vetus fuit. Et sicut prior ille eodem die creationis suæ peccavit & ejectus è paradiso est: ita Christus eodem die reparationis nostræ initium fecit, cum in eo conceptus: & finem, cum in eo passus est.

C. II. *Per quem facta.* Quæritur 2. Per quem facta est? Resp. Per Angelum Gabrielem quidem primo. Quia tantum matrimonium tantus decebat paranymphus, & ut ex dignitate legati, dignitas mittentis colligeretur.

1. 2. Secundo. Quia Angeli mali opera & instigatione genus humanum cecidit, interveniente colloquio inter colubrum illum tortuosum & Evam: decuit ergo ut Angeli boni opera & hortatu idipsum repararetur, adhibito etiam colloquio cum Maria. Quare uti infernus olim motus est ad interitum nobis afferendum, malum mittendo Angelum, qui Evam in paradiso circumveniret: ita cœlum etiam motum ad salutem nobis reddendam, mittendo Angelum bonum, qui Mariam salutaret, eiq; rationem aperiret, qua per Dei potentiam mater & virgo esse posset.

3. Tertio. Quia talis nuntius decebat talem virginem, mox futuram Dei matrem. Unde Hieronymus in serm. de Assumpt. (si tamen Autor est) ait: *Benè Angelus ad Mariam Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas, profectò in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Sic ille.

4. Quarto. Quia Angelorum ruina mediante incarnatione restauranda erat, & deinceps major amicitia & necessitudo inter homines & Angelos sancienda, propter eandem incarnationem, qua humanum genus exaltatum est modo aliquo super Angelos. Hinc secuta tot lætissima Angelorum nuntia ad solatium nostrum, in Nativitate, in morte Herodis, in resurrectione, in ascensione Christi.

Per Gabrielem vero, quia idem Gabriel fuit, qui olim Danieli tempus Incarnationis futuræ exposuit, Dan. 9. Consonat huic negotio nomen Gabriel, quod Deum & hominem significat, (si Proclo Episcopo credimus) nuntiabat enim Deum futurum hominem. Secundum alios sonat: *fortitudo Dei.* Et hoc etiam apposite; est enim opus Incarnationis, opus fortitudinis divinæ. Quanta enim Dei fortitudine opus erat, ut Virgo pareret, immensus in utero Virginis conderetur, in duabus naturis una persona fieret, &c.

D. III. *Quorsum?* Quæritur 3. Quorsum facta est? In civitatem Galileæ, cui nomen *Nazareth.* In civitatem primo, quia tunc incipiebat homo ab agro ad civitatem, id est, ab agresti & inculta ad cultiorem, & politiorem vitam revocari.

2. Secundo, quia venit conversari cum hominibus, quorum major est frequentia in Civitate. Medici non solent habitare in pagis, sed civitatibus, quia ibi major medendi occasio & campus latior. Christus ad nos de cœlo venit tanquam Medicus noster.

1. In Galileam primò, quia Galilea sonat confinium, eratque confinis terræ gentilium: quo indicetur finem legis Mosaicæ tunc fuisse. Terminus erat Christus. Erat autem ea Galilea gentium, quia in ea gentes Iudæis permixti habitabant, ut indicetur Christum venisse ad utriusque populi redemptionem, & unionem faciendam.

2. Secundo, quia Galilea erat vilissima pars terræ Hebræorum, & vilia incultaque oppida habuit, ideoque Hiram regi Tyri donata à Salomone non placuerunt, unde & terram Chabul vocavit, id est, vilem & ignobilem, 3. Reg. 9. Atque idcirco Iudæi & Iulianus vocarunt Christianos *Galileos.* Sed quod non placuit regi terreno, placuit regi cœlesti, qui quæ contemptibilia sunt elegit, & Luce Divinitatis suæ illustravit, uti prædixit Isaias cap. 9. & impletum esse scribit Matth. c. 9.

1. In Nazareth 1. quia juxta communem sententiam exponitur florida, à radice *Netser*, id est, flos. Nazareth à Christo in ea concepto florida dici debet, quia Christus est ille flos, de quo Isaias c. 11. prædixit: *Egredietur Virga* (id est Maria) *de radice* (id est, familia jam quasi emortua & succisa) *Jesse, & flos* (Hebr. Netser) Christus scilicet, *de radice ejus ascendet.* Hieronym. vertit: *Et Nazaræus de radice ejus crescet.* Chaldæus: *Egredietur rex de filiis Jesse & Christus de filiis filiorum ejus ungetur.* Meritò autem Christus dicitur flos, quia *fœtorem mundanæ colluvionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit*, inquit S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. 4. Item, quia ipse floridam fecit civitatem Nazareth, imò mundum totum, & ver novum attulit tamdiu à patribus expectatum, Cant. 7. *Videamus si floruit Vinea.* Et Cant. 2. *flores apparuerunt in terra nostra.* Tertiò, *quia sicut flos de flore sine mixtione, de matre salvo Virginitatis decore processit*, inquit Albertus M. super *Missus est*, cap. 33.

2. Secundo. Quia Nazareth civitas parva, obscura & contempta erat; Unde Nathanael ad Philippum dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ioan. 1. quia videlicet neque Reges, neque Prophetas, neque alios viros illustres unquam protulisset. Christus autem venit in hunc mundum, non ut regnaret, sed ut serviret, & per contemptum & crucem ad gloriam ascenderet, nosque per eandem viam ad gloriam suam alliceret & duceret.

E. IV. *Ad quem?* Quæritur 4. Ad quem facta est? *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph.* Ad Virginem 1. Ne Chri-

Christus duos haberet patres, quod turpe videri poterat. Ergo sicut in cœlo habebat patrem sine matre, sic decebat ut in terris haberet matrem sine patre. Decebat etiam Deum nova, insolita, propria & sublimis generatio qualis est ex Virgine.

2. Secundo. Ut quartus & ultimus modus generationis divinæ potentiæ subjectus ostenderetur. Primus in Adamo, qui nec patrem habuit nec matrem. Secundus in Eva, quæ patrem habuit sine matre. Tertius in cæteris hominibus, qui patrem habent & matrem. Quintus est Christus, qui matrem in terris habuit, sine patre terreno.

3. Tertio. Quia hujusmodi conceptus, miraculosus videlicet & simul purissimus, decebat Dei filium, qui omnes homines erat purificaturus, & ex hominibus velut Angelos effecturus.

4. Quarto. Ne contraheret peccati Originalis obligationem, qui venerat tollere peccata mundi. Nam si vulgari modo conceptus fuisset, licet à peccato originali præservatus fuisset, sicut Beata virgo: subjacuisset tamen aliquando obligationi contrahendi peccatum, quod non decebat Dei filium.

5. Quintò. *Ut significaret membra sua de Virgine Ecclesia, secundum spiritum nascitura*, inquit S. Augustin. l. de virg. c. 6.

6. Sextò: Ut pulcherrimam illam virtutem, virginitatem extolleret olim despectam, & commodaret nobis, seque & matrem suam exemplum ejus proponeret imitandum.

1. Ad desponsatam viro primo. Ne adultera putaretur ab iis, quibus hoc mysterium occultum erat, & tanquam adultera lapidaretur. Maluit ergò Christus videri ex matrimonio natus, quam matrem sua causa quidpiam mali pati. *Nec decuit*, inquit S. Ambros. lib. 2. in Luc. *Sinistra virginibus opinione viventibus, velamen excusationis relinqui, quod infamata mater quoq; Domini videretur.*

2. Secundo. Ut haberet tutorem, & solatium comitis, cum erat fugiendum in Ægyptum aliaque toleranda.

3. Tertio. Ut haberet testem pudicitiæ suæ gravissimum fideque dignissimum: Unde S. Bernard. hom. 2. super *Missus* ait: *Sicut Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est resurrectionis Confessor: Ita Joseph Mariam sibi desponsando ejus conversationem studiosius comprobando factus, est pudicitiæ fidelissimus testis.*

4. Quarto. Ut sic uterque status, virginitatis & matrimonii per Christum honoraretur & significaretur.

5. Quinto. Ut partus mysterium celaretur diabolo: hoc enim modo facilius impediebatur, ne id cognosceret.

Desponsata autem fuit Iosepho, qui uti nomine ita vita quoque repræsentavit Iosephum Patriarcham, teste S. Bernard. qui hom. 2. super *Missus*, ait: *Ille Joseph fraterna ex invidia venditus, & ductus in Ægyptum Christi venditionem præfiguravit: Iste Joseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille Domino suo fidem servans, Dominæ noluit commisceri: Iste Dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum, isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium Sacramentorum. Ille frumenta servat non sibi, sed omni populo; iste panem vivum è cœlo servandum accepit tam sibi, quam toti mundo.* Hæc Bernardus.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. *Cur turbata B. Virgo ad salutationem Angeli?*

II. *Cur non resalutavit?*

III. *Cur Christus dicitur sessurus in solio David, &c.*

IV. *Cur interrogavit B. Virgo*, quomodo fiet istud?

V. *Cur adducitur Exemplum Elisabetæ?*

VI. *Cur virginis consensus requisitus?*

VII. *Cur filius potius carnem assumpsit.*

THEMA.

Cogitabat, qualis esset ista salutatio, Luc. 1.

A. FEstum hodiernum, Auditores, nequaquam minimum est in festis aliis, sed de dignitate cum omnibus certare videtur, quia parens quædam, fons, & origo omnium cæterorum Christi festorum, ut quæ primum verbi Incarnati mysterium demonstrat. Unde huic festo accommodari potest, quod Num. 18. dicitur de prima die Paschatis: *Dies prima venerabilis & sancta erit.* Hæc enim eadem est dies prima mundi, in qua Deus creavit lucem, scilicet 25. Martii æquinoctialis, ut sensit Concilium Palæstinum habitum sub Victore Pontifice, Præside Theophilo anno Christi 198. apud Bedam lib. de æquinoctio verno. (Tametsi illius concilii, utpote particularis tantum, definitiones de fide non sunt.) In qua ergo die mundus creatus, in eadem recreatus est: in qua lux corporea formata est in cœli vel aeris parte aliqua densiore, in eadem & lux mundi Spiritualis formata est in utero virginali: in qua lux à tenebris, & Angeli boni à reprobis divisi sunt, in eadem lex nova à veteri, fides ab infidelitate separata est. Nos igitur mysterium, quod hac die peractum est, curiosius intueamur.

Quæ-

B. I. *Cur turbata B. V. salutationem Angeli?*

Quæritur 1. cur turbata fuit Maria audita salutatione Angeli? Respondetur 1. Ex aspectu (græcè enim habetur, *cum vidisset,*) Angeli humana & virili specie apparentis; siquidem aspectibus hujusmodi, solitariis præsertim, assueta non erat. Unde S. Ambros. l. 2. in Lucam, ait: *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.*

Secundò, Ex sermone Angeli; uti expressit S. Lucas; cum videlicet audisset, tanta de se prædicari, tam insolitas sibi laudes tribui, ut quæ nihil altum de se cogitarat unquam, sed modestissima & humillima semper erat. Fuit ergo illa turbatio partim timor partim verecundia, partim admiratio. *Cæterum turbata fuit, sed non perturbata*, inquit S. Bern. hom. 3. quia sibi interim mente præsens cogitabat, qualis esset ista salutatio, ut mox sequitur.

C. II. *Cur non resalutavit?*

Quæritur 2. Cur non resalutavit Angelum, sed tacita cogitavit, qualis esset ista salutatio?

Respondetur 1. ob hæsitationem initio conceptam, qua secum expendebat, essetne bonus an malus Angelus, qui tam amicam & suavem afferret salutationem, ut sensit S. Bernard. serm. 3. super *Missus est*. Noverat enim virgo etiam Angelum Sathanæ transformare se in angelum lucis posse.

Secundò, Ob virginalem verecundiam, ex S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 18. Erat enim purissimæ virginis tacere coram salutante, in pudicitiæ argumentum, & in aliorum, præsertim virginum, exemplum.

Tertiò, Ob singularem animi prudentiam, dum nondum intelligebat, quo spectaret illa salutatio. Ita docuit Eccles. 11. cap. *Priusquam audias, ne respondeas.*

D. III. *Cur Christus dicitur sessurus in solio David.*

Quæritur 3. Cur dicitur Christus sessurus in solio David, & cur regnaturus in domo Iacob? Respond. Quia regnum Davidis sæculare typus erat regni Christi spiritualis & æterni, quod Davidi in Christo ejus semine promissum erat: Similiter domus Iacob typus Ecclesiæ, primo, quia sicut David initio regnavit super Iudam tantum, 2. Reg. 2. postea verò super universum Israel: ita Christus primò regnavit sceptro suo spirituali solum in Iudæa, postea in universo orbe; Et sicut omnes Israelitæ descenderunt ab Israel, seu Iacob per duodecim ejus filios: ita Ecclesia universa prognata est à Christo per duodecim ejus Apostolos. Comparatus autem domui Iacob Ecclesia, non domui Abraham, aut Isaac, quia ex his prodierunt infideles, Ismaelitæ ab Ismaele, Edomitæ ab Esau. Regnum ergo Christi extendit se super omnes credentes.

Secundò, Quia David multo ante unctus, regnum multis exagitatus laboribus; & persecutionibus exercitus, tandem victis hostibus obtinuit: ita Christus à nativitate quidem unctus est spiritu sancto à Patre, & Rex populi sui destinatus (unde hunc titulum sibi dari passus est à Iudæis, nec abnuit coram Pilato) rex agnosci tamen, & quasi cum honore evehi in regem, non nisi post multos labores & varias persecutiones voluit. Davidem sustulit Deus de gregibus ovium, de post fætantes accepit eum: & Christum de stabulo, & de cruce evexit ad regiam. Rursum sicut Iacob viginti annis servire debuit socero suo, & pascere ejus greges, antequam filias ejus Lyam & Rachaelem obtineret, & ex illis progeniem suam, totum Israeliticum populum: Ita etiam Christus servire mundo debuit annis triginta tribus, antequam sibi desponsaret Lyam, id est, synagogam, & Rachelem, id est, gentilitatem, & ex iis totam procrearet Ecclesiam.

E. IV. *Cur interrogavit B. V. Quomodo fiet istud?*

Quæritur 4. Cur Maria interrogavit: *Quomodo fiet istud?* Resp. Eam non dubitasse de veritate nuntii Angelici, sed modum tantum quæsivisse, quo concipere posset, servata, quam noverat, virginitate. Unde S. Augustinus l. 6. de civit. cap. 24. ait: *Non est virginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod enim futurum esset, certa erat, modum, quo fieret, inquirebat, &c.* Credendum quidem est legisse, & intellexisse eam illum Isaiæ locum: *Ecce virgo concipiet*, &c. sed facilè fieri potuit, ut tunc non statim adverterit omnia: an ad se pertineret, quæ ipsi agenda forent, &c. Sed cur modum indagavit?

Respond. primò, Ut cognosceret, quæ suæ partes, quidve agendum foret. Secundò, ut modus intemeratæ hujus conceptionis, Angelico, imo divino testimonio confirmatus firmius crederetur.

Tertio, Ut hac seria quæstione omnibus testatum faceret, quanti faceret virginitatem, ejusque præsertim votum, vel propositum saltem fixum & immobile. Modus porro iste erat, Spiritus sancti superventus, & obumbratio virtutis Altissimi, hoc est, mira Spiritus sancti operatio, qua absque omni viri complexu, è purissimo Virginis sanguine selegit velut apis è flore materiam & semen sanctissimæ illius prolis; modo nimirum sanctissimo, castissimo; Unde Spiritui sancto attribuitur.

F. V. *Cur adducitur exemplum Elisabethæ.*

Quæritur 5. Cur adducit Angelus exemplum Elisabethæ? Resp. 1. Ut fidem Virginis, licet jam credentis, eo exemplo tametsi minoris miraculi confirmaret solidaretque; quo modo nos fidei veritates sæpe rationibus naturalibus confirmamus. Hoc autem miraculum partus Elisabethæ minus quidem erat partu virginis; erat tamen ei non absimile. Tam enim sterilem & senem parere, quàm virginem, contra naturam videtur; & virgo cum sterili rectè conferri potest.

Secundo. Ut hoc nuntio excitaret virginem ad visendam Elisabetham, ejusque filium Ioannem in utero sanctificandum; ut qui jam adesset præcursor Messiæ futurus.

G. VI. *Cur virginis consensus requisitus?*

Quærit. 6. Cur virginis consensus requisitus fuit.

Resp. 1. Quia hic sponsalia Dei patris cum B. Virgine, item filii Dei cum humana natura, denique Christi cum Ecclesia celebranda erant, decuit ergò ut consensus utrinque adesset.

Secun-

2. Secundo. Quia nos una mulier malè consentiendo perdiderat, decuit ut altera benè consentiendo nos pristino statui restitueret.

3. Tertio. Quia non sicut absque nostra voluntate nos creaverat Deus, ita & recreare statuit; sed cum illa potius: unde de dormiente quidem Adamo Eva educta est; sed non item caro Christi de dormiente virgine. Qui creavit te sine te, non redimet te sine te.

4. Quartò, Ut eo consensu Maria virtutes suas depromeret, & pauculis verbis ostenderet, quam meritò ad hanc dignitatem, præ omnibus aliis electa esset.

5. Quintò Denique, ut Deiparæ arctius obstringeremur nos, quorum salus suo modo dependebat etiam à Deiparâ, quæ in illo consensu personam gessit totius naturæ humanæ, ut asserit S. Thomas 3. p. q. 30. a. 1. Quantas igitur ei gratias debemus?

H. VII. *Cur filius potius carnem assumpsit.*

Quæritur 7. Cur filius potius, quam pater aut Spiritus sanctus carnem assumpsit?

1. Resp. 1. S. Bernard. serm. 2. hoc in Festo. *Altissimum est mysterium, nec nos oportet temerè super hujusmodi præcipitare sententiam. Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum, ut is specialiter filius fieret, qui filius erat, nequid ambiguitatis esset in nomine. Denique ipsa est virginis nostræ gloria singularis & excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eundemque, cum Deo patre meruit habere communem.* Hæc Bernard.

2. Secundo, Quia personam carne vestiendam oportebat agere mediatorem inter Deum & hominem; hoc autem soli conveniebat filio, tum quia media persona est inter Patrem & Spiritum sanctum, tum quia filii est intercedere & patrocinari apud Patrem.

3. Quia persona mittenda debebat non solum redimere, sed docere etiam & illuminare mundum. Ideo rectè missus est filius, qui est verbum & sapientia Patris.

4. Quarto, Quia homo peccati fœditate deformatus erat, qui ad imaginem Dei factus fuerat; Ideo per eum, qui est splendor & imago bonitatis illius congruè reformandus erat.

IN FESTO S. GEORGII.

Evangelium Joannis 15.

EGo sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit; mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

CONCIONES.

CONCIO I.

QUOMODO CHRISTUS vitis.

I. *Natura.*
II. *Palmitibus.*
III. *Fructu.*
IV. *Cultura.*

THEMA.

Ego sum vitis vera, Joan.15.

A. INter alias quæstiones Christo à Pilato propositas, una sanè permagni momenti fuit, tametsi responsionem Christi Pilatus non exspectavit. Cum enim dixisset Christus se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, quæsivit Pilatus: *Quid est veritas?* Ioan.18. Sed continuo exiit foras, & responsum non exspectavit. Nimirum filii hujus sæculi, qui diligunt vanitatem & quærunt mendacium, ægrè audiunt: Quid sit veritas. Expectasset paulum Pilatus: & tunc utique audivisset, mundi regna non esse vera & solida regna, sed inania & fucata: divitias hujus sæculi, non esse veras divitias: libertatem carnis non esse veram libertatem: captivitatem carnis non esse veram captivitatem: & universim corporalia & terrena sive bona sive mala, non esse vera bona seu mala; sola verò spiritualia bona vera esse bona; sola spiritualia mala, vera esse mala. Hoc sensu dicit Dominus se vitem esse veram, vitem scil. spiritualem, cujus respectu, vitis materialis non est vera vitis. Ista enim fructum parit, qui carnem tantum fovet; Christus vero vinum, quod animam vivificat, sustentat & beatificat. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam* ait Dominus Ioan.6. cum de hoc vino sermocinaretur. Christus ergò vitis vera est, quia quæ fiunt circa vitem corporaliter, ea fiunt circa Christum spiritualiter, uti docet S. Bern. in tractatu de passione, super hæc verba, cujus vestigia hic sequemur.

B. I. *Natura.* Christus est vera vitis, primò si consideremus ipsius vitis naturam. Nam primo plantari solet vitis in terra, non seminari, translata de sua vite, ita Christus Deus de Deo, Filius de Patre, coæternus & consubstantialis ei, de quo genitus est. Sed ut majorem faceret fructum, plantatus est in terra, id est, in Virgine Maria conceptus. *Hæc est terra,* inquit S. Bernard. in tractatu de passione domini, *de qua scriptum est. Terram non operabatur quisquam, sed irrigabatur à fonte ascendente de Paradiso, Gen.2. Terra quippe hæc non accepit operationem humanam, ut conciperetur in ea filius Dei; sed aquâ Spiritus sancti irrigata fuit. Ita enim legis: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Rursum de hac terra scriptum est. Aperiatur terra & germinabit Salvatorem, Isa. 45. Aperta quippe fuit per fidem, credens & obediens Angelo, germinavitque vitam salutarem, Salvatorem nostrum æternæ vitæ præmia largientem.* Hæc Bern. Adde: Aperta fuit (licet porta semper clausa fuerit) quia aperuit & attulit nobis vernum tempus, cum prius velut hyemali frigore omnia concreta essent.

Secundò, *lignum vitis aliis arborum lignis deformius invenitur & quasi penitus inutile videtur & abjectum, nec ipso aspectu amabile, aut usui accommodatum,* inquit S. Bern. ubi supra c. 5. Ita & Christus, de quo Isaias ait: c. 53. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum* (id est non desideravimus) *despectum & novissimum virorum,* quasi dicat, sicut virgultum natum in loco arido squalet, non habet speciem nec decorem: sic Christus natus in Nazareth (de qua dicunt Iudæi: *A Nazareth potest aliquid boni esse?*) de Virgine paupere vixit humilis, ignobilis, despectus, unde & fabri filius dictus. Et multò magis in passione, ubi flagellis, livore & vulneribus fuit deformatus, ac sicut vitis pene omni cortice, ita ipse pene omni cute, omnique veste nudatus fuit. Nimirum tunc se gallinam illam exhibuit, quæ propter pullos generandos toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo & omnibus membris infirma facta est. Verum talis in hyeme mortalitatis suæ fuit. Cæterum post resurrectionem longe alius. Ut enim vitis quæ in hyeme velut mortua & arida jacet, in æstate se explicat, & pulcherrimis uvis vestitur, suoque decore alias arbores superat: ita Christus post resurrectionem, immortalitatis vestem induit, & pulcherrimis botris, id est, dotibus gloriosis vestitus fuit. Ibi botrus claritatis, botrus impassibilitatis, botrus subtilitatis, botrus agilitatis, aliæque dotes animi.

Tertio, *Non est ligno ulli æternior natura,* inquit Plinius lib.14. cap.1. *quàm viti*: Ita præ omnibus Doctoribus & Legislatoribus nemo æternior Christo. Cæteri perierunt, præsertim Hæresiarchæ: *Jesus Christus autem heri & hodie, ipse & in sæcula,* inquit Apostolus ad Hebr.13. Unde & subdit: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci,* quasi dicat: Qui varia peregrinaque docent, peribunt: sed non ita Christus. Memorat dicto loco Plinius ad hujus rei probationem, Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis stetisse, & tectum Ephesiæ Dianæ etiam nunc scandi vite una Cypria. Talis item Christus, in quo fundata Ecclesia stetit firma usque nunc, stabitque imposterum. Hanc scalam etiamnum scandimus ad templum gloriæ.

C. II. *Palmitibus.* Secundo: Si consideremus ejus palmites. Nam primò sicut palmes extra vitem nihil potest fructificare, quia nec succum extrahere: ita sine Christo ejusque gratiæ succo nihil possumus facere, quod mereatur vitam æternam: nihil sine peculiari ejus auxilio, quod conducat ad salutem. Quantum igitur connitendum, ut semper in Dei gratia perseveremus? Qui vera fide caret, à vite hac prorsus abscissus & alienus est: Qui fidem habens extra statum gratiæ est, viti quidem inhæret, sed velut palmes aridus, qui nihil à vite trahit, ideoque tandem à Vinitore excidetur, ni reviviscat.

2. Secundo. Sicut vitis totum succum dat palmitibus, nihil verò ab illis accipit: Ita Christus totum nobis dedit, nihil vero à nobis accepit. Dedit primo totum doctrinæ succum: *Omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis*, Ioan.15. Secundo: totum sanguinis sui pretium, vitam, & quidquid habuit. Tertio, omnes suas virtutes & opera. Palmites à vite accipiunt folia, flores, fructus, virorem: sic nos à Christo doctrinam, virtutes, merita & gratiam. A nobis nihil recepit: sive enim oramus, nobis oramus: sive jejunamus, nobis jejunamus: sive Eleemosynam damus, nobis damus. Nobis serimus, nobis metimus.

3. Tertiò, Sicut latissimè se pandunt vites, & alicubi totas villas & domos ambiunt, adhæc nullo fine crescunt ut scribit Plin. loco citato: Ita Christus in suis membris per totum mundum se expandit, eumque ambit, juxta id Psal. 71. *dominabitur à meridie usque ad mare, &c.* Adhæc nullo fine crescit, quia semper ulterius propagabitur Christi Evangelium & regnum, usque ad mundi finem.

Cæterum sicut vitis à contrariis sibi plantis, brassica, raphano, &c. Authore Plinio lib.17.c.24. palmites suos avertit: ita Christus servos & prædicatores suos à populis & Civitatibus impiis, & carni servientibus abstrahit, & ad exteras nationes dirigit: uti factum cum Germaniæ partibus quibusdam, Anglia, &c. à quibus Evangelii sui præcones avocavit, & in Orbem novum misit. Mandavit Christus suis discipulis ut si qua domus aut civitas eos non reciperet, excusso pedum pulvere discederent: Ita actum cum Aquilonaribus. Abiêre Christi servi, remansit in illis pulvis & fex.

D. III. Fructu. 1. Tertio, Si consideremus ejus fructum. Nam primo: nulla arbor vite feracior, si ejus tenuitatem spectes, adeoque prona est ad fœcunditatem, *ut parere malit quam vivere*, inquit Plinius l.17.c.22. Unde quidquid per mutationem illi adimitur, fructui accedit: Ita Christus maluit parere nos spiritualiter, quam vivere. Hinc enim coram Præsidibus contra falsos accusatores non se defendit, sed tacuit: hinc gladium Petri inhibuit: hinc de cruce jussus descendere, noluit: sed pati & putari quodammodo adeoque mori voluit, ut nos pareret, quia non peperisset, nisi mortuus fuisset.

2. Secundò: Sicut vitis præ cæteris plantis pretiosissimum gignit liquorem, vinum scil. *quod lætificat Deum, & homines*, Iud.9. Ita Christus effudit pretiosissimum sanguinem, cujus unica gutta suffecisset ad redimendos infinitos mundos; quo pretiosissimo liquore emit & redemit totum mundum, unaque lætificavit Deum & homines. Deum, quia Deus non vult mortem nostram, sed ut vivamus? Hinc in cœlo festum diem instituit cum Angelis suis, ob recuperatam ovem perditam, ob reversionem filii prodigi. Lætificavit homines; quomodo enim non gaudeYent, qui de supplicio æternæ mortis erepti cœlo sunt inserti? In hoc vino lavamur, quoties volumus, à sordibus & peccatis nostris, hoc vino inebriamur, &c. in sanctis Sacramentis.

3. Tertiò: Vitis aquam vertit in vinum: ita fecit Christus. Vitis uvis suis cibat homines & potat: ita caro Christi cibus est & potus. Botrum qui edit, idem simul bibit: ita qui corpus Christi sub panis specie edit, idem est ac si idipsum sub specie vini bibat. Vitis aquam bibit, sed nobis propinat vinum, ita fecit Christus. Ipse aquam, fel & acetum bibit, omnisque generis dolores exhausit, nobis verò Sacramenta protulit & propinavit, suavia, salutaria: post hæc gratiam & gloriam sempiternam.

E. IV. Cultura. 1. Quartò: Si consideremus ejus culturam. Nam primò vitis præciditur: Ita Christus præcisus fuit, primò corporaliter in circumcisione statim pro nobis effundendo sanguinem & lachrymas, quemadmodum & vitis præcisa lachrymari solet. Deinde in passione sua quoties incisus fuit.

2. Secundo: figuratè, in decursu vitæ, dum seipsum *exinanivit formam servi accipiens, &c.* Phil.2. Amputata enim quodammodo à se gloria, subjectus est ignominiæ: amputata potentia subjectus est infirmitati: amputata sapientia, factus est quasi insipiens: amputata rerum omnium possessione, factus est pauperrimus: amputata omni voluptate, & ipsa demum beatitudinis dulcedine (quantum ad inferiorem animæ partem attinet) subjectus est doloribus acerrimis: amputatis denique in passione omnibus amicis, & ab ipso adeo Patre in cruce derelictus, torcular calcavit solus.

Tertiò. In morte quando *abscissus est de terra viventium*, Isaiæ 53. Sed quemadmodum vitis præcisa plus germinat, ita Christus moriendo Pater factus est omnium gentium. Id indicavit Isaias quando dixit c.53. *Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium.* En causam tantæ sobolis.

Secundo vitis circumfoditur. Ita Christus. Nam primò Iudæi foderunt circa ipsum, quando captiosis interrogationibus eum tentaverunt, uti de condemnatione adulteræ, & de tributo Cæsari dando; sed ita ut ipsi confunderentur, Christo nihil nocerent. Unde potuit Christus dicere: *Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam*, Psalm 56. Quia ergo sic nihil profecerunt, foderunt secundò manus & pedes ejus, ipsumque latus lancea perforarunt, quod jam ante perforatum & vulneratum erat amoris lancea à sponsa Cant.4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.*

3. Tertiò, Vitis alligatur ad palum. Sic Christus alligatus fuit primo ad uterum Virginis. Secundo ad præsepium. Tertio ad columnam cum flagellaretur. Quarto ad Crucem. Atque ad hæc alligatus fuit vinculis charitatis, quâ amavit nos. Videte nunc Christiani, annon æquissimum sit, ut & ipsi alligemus

nos

nos ad præcepta Dei, adeoque ipsi Christo? De ipso enim dicitur Gen. 49. Quod ligaturus sit asinam ad vitem, id est, mundum ad seipsum.

Porrò si Christo alligari & in ipso manere volumus, mandata ejus servemus; Ait enim Dominus in fine Evangelii hujus: *Si manseritis in me & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis.*

CONCIO II.

QUAM SIT PERICULOSUM relabi in peccatum.

I. Propter temeritatem.
II. Propter ingratitudinem.
III. Propter insipientiam.
IV. Propter vilitatem.
V. Propter offensionem Dei.

THEMA.

Manete in me, & ego in vobis, Ioan. 15.

A. PRæcepit olim Deus per Ezechielem cap. 48. ut populus templum ingrediens, non reverteretur per eandem viam & portam, per quam est ingressus, sed è regione illius per aliam portam egrederetur: Ratio hujus præcepti videtur fuisse: quia non decebat, ut quis propitiatorio terga verteret; quod faciendum erat, si per eandem portam quis egrederetur. Spirituali sensu nobis hoc indicat, ne postquam ad Deum semel accessimus, eique reconciliati sumus, postmodum terga vertamus, ab eodem recedendo ad pristina peccata, unde digressi sumus. Siquidem omne peccatum est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Non ita pridem omnes nos ingressi sumus templum Domini, & accessimus ad propitiationem Dei, per confessionem & communionem. Cavendum ergo inprimis, ne egrediamur ad viam prioris nostræ conversationis, unde ingressi sumus, adeoque ne tergum Domino Deo iterum vertamus. Licet quidem nobis egredi ad negotia nostra etiam sæcularia; sed per aliam portam: Ita videlicet, ut ne dorsum Deo vertamus, ipsumque offendamus. Hoc est, quod hodierno in Evangelio commendat nobis Dominus, cum ait: *Manete in me, & ego in vobis.* Cæterum ut in Christo maneamus, & retrorsum non eamus, multa sunt quæ nos movent.

B. I. *Propter temeritatem.* Relapsus continet primo ingentem prodigalitatem & temeritatem, quia unico actu destruit & perdit totum pœnitentiæ laborem. Cogitet quisque quantopere secum ipse pugnarit, donec peccata sua in memoriam revocarit, per confessionem manifestarit; donec dolorem super illis & propositum emendationis conceperit: donec alia pœnitentiæ & satisfactionis opera peregerit. Et hos tamen labores omnes destruit relapsus. *Contigit enim eis*, inquit S. Petrus 2 Pet. 2. *illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Ut enim canis æger, quo sibi medeatur, vim infert propriæ naturæ, comedendo gramen, unde vomitum provocet, interim vero dum ad vomitum revertitur, totum id resorbet, quod violenter expulit. Similiter sus multa coactione, & verberibus in aquam impulsa ad lotionem, si mox iterum in lutum se projiciat, totum lotionis laborem perdit: Sic ad unguem homo, qui post peractam pœnitentiam (in qua peccata difficulter evomuit, & sanguine Christi lotus est, nec non multis adhortationibus ad eam impulsus) revertitur ad peccata. Non exigua nec ferenda est prodigalitas & temeritas militum quorundam, qui vix acceptum unius aut plurium mensium stipendium, uno aleæ jactu perdunt: uti nec illorum operariorum, qui mercedem totius hebdomadis aut mensis una ingurgatione perdunt. Sed multo gravior est illa, qui totius pœnitentiæ fructum uno relapsu perdit. Referunt Guil. Paris. & Medina aliique, Albertum Magnum construxisse aliquando caput hominis æneum, tanto artificio, ut articulate loqui videretur. Quod cum vidisset audissetque discipulus ejus, Thom. de Aquino, ratus subesse aliquid magici, arrepto malleo confregit. Id audiens Albertus, indoluisse & dixisse fertur: *Prô quid fecisti? opus multorum annorum perdidisti.* Quanto labore sudatur, ut ex peccatore fiat vir justus? & hunc tamen omnem laborem perdidit unicum peccatum.

Deinde perdit totum id, quod per pœnitentiam acquisivit, gratiam scil. & virtutes, ac merita: idemque illi contingit, quod militibus Caroli Magni, qui cum Aigolandi Saraceni exercitum centum millium fudisset, quidam milites Christiani gazarum cupidi mortuorum, nocte illa retroierunt Carolo ignorante in Campum prælii, in quo mortui jacebant, & auro argentoque atque diversis gazis onustati redire cœperunt; Illico Altumajor Cordubæ qui erat absconditus inter montes cum aliis Saracenis qui de prælio fugerant, peremit illos omnes usque ad unum, millenos circiter. Ut refert Ioan. Turpinus Episcopus Remensis in vita Caroli Magni cap. 14. Sic postquam per pœnitentiam peccata delevimus, si ad eadem postea revertamur, delectationis vel lucri gratia, totum, quod lucrati fuimus, perdimus, & mortem insuper animæ (quod longe gravissimum est) incurrimus.

C. II. *Propter ingratitudinem.* Secundo continet maximam ingratitudinem, ob peccata paulo ante dimissa: illud enim beneficium quodammodo retractat. Unde Chrysostom. sermone de lapsu primo hominis ait: *Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui seipsum postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat.*

dat. Et paulo infra: *Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit.* Sic ille. Certè serv9 ille, qui condonato sibi debito à Domino egressus statim cōtraxit novum, tenendo & suffocando conservum, retractus & in carcerem missus est, cum gravi illa exprobratione. *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, &c.* Qua in re verum quidem, peccata remissa secundum se non redire, per sequentem transgressionem (siquidem *sine pœnitentia sunt dona Dei*, teste Apostolo ad Rom. 11.) computantur tamen aliquo modo, quia efficiunt ut peccatum post remissionem commissum gravius sit, & severius puniatur. Velut cum Ludimoderator puero indulget semel iterumq; aliquod erratum, sed item repetentem acrius dein punit. Interroget seipsum quilibet, annon idipsum facere soleat cum servis & subditis suis: ut nimirum acrius excandescat & sæviat in delinquentem, quo sæpius deliquit servus? & videbit idipsum jure Deum facere posse ac debere cum relapsis: atque ita ex ore suo seipsum judicabit. Et quis quæso hominum toleraret eadem peccata, toties liberaliter remissa, toties in se repeti? Unde tandem qui toties recidit, veniâ indignus est. Siquidem Ierem. 15. ait Dominus. *Quis miserebitur tui Ierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua.* Quia scil. talis omnium fidem fallit, Dei & hominum, ideo nullus etiam Sanctorum pro tali spondere audet. *Tu reliquisti me dicit Dominus, retrorsum abiisti: & extendam manum meam super te, & interficiam te.* Patet hoc pluribus S. Scripturæ exemplis. David ob adulterium punitus fuit morte unius filii. Relapsus deinde, quamvis ad minus peccatum, superbiæ scil. in numeratione populi commissæ, peste multorum millium, 2.Reg.12.& 24. Sic Achab ob injuriam Naboth illatam, veniam consecutus est, sed ubi deinde Michæam incarceravit, occisus in bello est, 3.Reg.21.& 22. Unde Dominus monet paralyticum sanatum: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.*

D. III. *Propter Insipientiam.*

Tertio continet maximam insipientiam, siquidem bestiæ, pisces & aves in easdem pedicas non redeunt. Audi Chrysostomum Homilia 15. ad populum Antiochenum: *Avicula*, inquit, *semel capta laqueo mox elapsa, & cervus in rete decidens & effugiens, iisdem iterum difficile capientur. Nam cuique sit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti in eadem cadimus.* Sic ille. Quin etiam ut refert Clemens Alexandrinus l.1.Strom. Aliqui pisces sunt, uti scauri, è quorum specie si quis laqueo captus, rupto illo fortè evadat, eo die nullus prorsus ejus generis piscis illo loco invenietur: quasi cæteri unius periculo edocti sibi caveant. Quanto magis homines cavere sibi deberent, proprio edocti periculo, ne in eadem peccata recidant? An nescimus per peccatum incidere hominem in laqueum diaboli, imò ingredi quodammodo diabolum in hominem? Et quis nisi insipientissimus, semel expulsum tam nefarium hostem, iterum recipiat? Spiritus ille nequam, qui cœcum, surdum & mutum reddidit hominem, Luc.11. expulsus ab illo, ait equidem: *Revertar in domum meam.* Sed quis hospitem hunc recipiat? Cogita tecum ipse, quid molestiæ tibi attulerint peccata tua, antequam ea per confessionem ejiceres: quantum timoris, & inquietudinis ex remorsu conscientiæ senseris. Deinde si forte parum aut nihil sensisti, nosse tamen debes, quod ait ipsa veritas Christus: *Quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Itaque invisibili quodam compede ligatus es in statu peccati & diaboli sis mancipium. Quis autem è servitute Turcæ fugiens, non maximè sibi cavet ne deprehensus retrahatur, annon devia loca quærit? annon currit? annon de die latitat, & de nocte fugit? Idipsum ergò faceremus absque dubio, si bene cognosceremus quid sit esse servum peccati.

Deinde, quia vita nostra brevis & incerta est, non est tempus retrocedendi, sed ad anteriora se extendendi. Unde Dominus Luc.9. ait: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* An non fatuus esset, qui dum hostes fugientem insequuntur, modo regredi vellet, modo progredi? Quid enim ait Dominus Luc. 9. de obsidionis Ierosolymitanæ tempore? *Qui fuerit in tecto*, inquit, *& vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa, & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote Vxoris Loth.* Vult dicere, non esse retrogrediendum tempore, quo est fugiendum, quia periculum est, ne subito præoccupati irâ Dei fugere per pœnitentiam nequeamus: quemadmodum uxor Loth respiciens, subitò in statuam salis versa est. *Quæ uxor Loth*, inquit S. Prosper. de promissionibus & prædictionibus p. 1. cap. 16. *præcepta condemnens retroque respiciens statua salis effecta, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto quo tendunt, noxia curiositate retro non respicere.* Sic Prosper. Noli ergo dicere vel cogitare: agam iterum pœnitentiam: quia forte morte præoccupatus mutaberis repente in statuam, id est, cadaver.

E. IV. *Propter Vilitatem.*

Quarto continet maximam utilitatem, teste Ierem. c.2. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* Signum enim levis, inanis & muliebris animi est, facilè relabi in pristina peccata: cujusmodi homines arundini vento agitatæ comparantur à Christo: quia scil. firmitate propositi carent, & vacui sunt virtutibus, quarum adminiculo cavere peccata possent: & idcirco ab omni tentationum vento circumferuntur, & prosternuntur. Pro dedecore habetur apud homines, cum quis inconstans ostenditur manus inversione & reversione. Et quid hoc erit coram Deo? Hinc meritò Ecebolius toties relapsus ad infidelitatem seipsum vocavit salem infatuatum, omnium pedibus proculcandum, ideoque se pro foribus Ecclesiæ projecit, orans ut reciperetur ad eam, Baronius anno 362.

Deinde turpe est, militibus ad primum conspectum, aut congressum cum hostibus arma abjicere

& terga vertere. Sæpè enim tales milites mulcti & magnis notabantur infamiis, ut refert Majolus tom. 3. coll. 2. Marcus Marcellus, ut refert Livius, publico edicto jussit omnes, qui in pugna amiserant vexilla, hordeo cibari, & cingulo spoliatos gladios in manibus gestare: Sempronius Gracchus milites, qui timidius rem gesserant, stando cibum sumere cogebat. Spartani nemini, quicunq; etiam foret, qui fuga sibi consuluisset, uxorem ducere permittebant, imò cogebant dissecta variique coloris pallia gestare, semiraso vertice: permissum insuper cuivis eos percutere & moestare. Annon ergo similiter turpe est Christiano, postquam arma militiæ Christianæ assumpsit, & fidem Christo supremo duci dedit, mox ad primam hostis tentationem fugere & manus dare? Annon de talibus meritò dici potest, quod de Israelitis toties relabentibus ad desperationem & murmurationem; Psalm. 77. dictum est: *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.*

F. V. Propter offensionem Dei.

Quintò continet maximam Dei offensionem. Qui enim relabitur ad peccata commissa, primò contristat Deum, sicut cum moritur infans patri, magis eum contristat sua morte, quam recrearit sua nativitate. Unde S. Greg. lib. 1. ep. 16. inquit, *sicut gradientem per devia, denuò carpentem rectè tramitem, tota Dominus aviditate complectitur: ita demum de deserente cognitâ veritatis viam majori mœrore, quam gaudio, quo de convertente lætatus fuerat, contristatur.* Porro quia infans non moritur culpa sua, nec aberrans à recto tramite aberrat culpâ suâ, ideo non tam iracundiam, quam commiserationem mœretur. At qui post veniam iterum delinquit, iracundiam Dei movet, quia sponte moritur, & à via salutis ultro aberrat. Ideo de illo ait Deus per os Ecclesiast. c. 26. *In duobus contristatũ est cor meum, & in tertio iracundia mihi venit: Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus, & qui transgreditur à justitia ad peccatum: Deus paravit eum ad romphæam*; id est, ad supplicium æternum, ut volunt Iansen. & Dionys. Carthusian. Romphæa enim bis acuta visa egredi ex ore Iudicis, Apoc. primo. Ratio, quia facilè relabi & sæpius, est signum aliquod reprobationis: sicut sæpè relabi in morbum, signum vicinæ mortis. Sic vitia incorrigibilia securi excindenda: caligæ multoties resartæ, tandem suturam non recipiunt, nec tenent, ideoque abjiciuntur.

Deinde eum quodammodo irridet & contemnit, dum toties fidem illi datam fallit, quod non auderet facere viro cordato & potenti. Imò talis secundum S. Chrysost. conculcat filium Dei: *Quomodo conculcat quisquam filium Dei*, inquit hom. 26. in Epist. ad Hebr. *Quando qui particeps est cum ipso in mysteriis, peccatum committit, nonne illum conculcat? nonne illum contemnit? sicut enim quæ conculcamus, nullius momenti pendimus: Sic & qui peccant, Christum nullius momenti existimant.* Sic ille. Tales autem ait Apostolus ad Hebr. 10. graviora mereri supplicia, quam qui irritam faciunt legem Moysis. *Sed nolite errare*, inquit Apostolus: *Deus non irridetur*, ad Gal. 6. multo minus conculcatur. Ipse verius in interitu illorum ridebit, Prov. 1.

Vertunt isti dorsum Domino Deo, juxta id Ierem. 2. *Vertunt ad me tergum & non faciem.* Vertet iisdem aliquando dorsum Dominus, uti minatur eis Ierem. 18. *Dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* O si exactè penetraremus, quid sibi velint ista, quàm nobis attenderemus ne in peccata relaberemur? Quid enim Romphæa illa nisi longus æternitatis ensis, animam & corpus feriens, utpote bis acutus? Quid est risus Dei super reprobos, nisi exultatio de eorum supplicio & extrema eorum confusio? Quid est vertere illis dorsum & non faciẽ, quam inexorabilem & lapideum fore Deum peccatoribus & damnatis, ita ut in æternum non modo non conspectum sui beatificum eis præbeat, sed ne aspectu quidem vel momentaneo eos dignetur? Hac cogitatione si assiduè armaremur, non difficulter à relapsu pedem nostrum servaremus. *Quis mihi hoc tribuat*, inquit Iob. c. 14. *ut in inferno protegas me?* Siccine in inferno, O Iob, est aliqua protectio? omnino: Si nimirum per considerationem descendamus sæpè viventes in infernum, pensantes quid sit: Dorsum & non faciem vertam illis, hoc enim pacto fiet ut à relapso protegamur.

CONCIO III.

QUÆ DAMNA CONSEQUANTUR RELAPSOS SEU RECIDIVOS.

I. *Mittentur foras.*
II. *Arescent.*
III. *Colligentur.*
IV. *In ignem mittentur.*
V. *Ardent.*

THEMA.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet, Ioan. 15.

A.

MAgna quidem res est potentum amicitia, periculosa tamen; quia quo majus bonum est Principi adhærere per amicitiam, tanto majus periculum ab eodẽ culpa sua discedere. Utrũq; indicat Dominus in hodierno Evangelio: Primum cum ait: *Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum* (Pater meus) *ut fructum plus afferat.* Secundum cum ait, *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem* mit-

mittent. Itaque ligna vitis, ait, S. August. in hoc Evangelium Tract. 81. in Ioan. *tanto sunt contemptibiliora, si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint.* Cæterum verba hæc Dominus locutus est, cum ab ultima cœna surrexisset, stans adhuc in cœnaculo, quasi moniturus eos, qui Iudæ instar post acceptam S. Eucharistiæ gratiam denuò relabuntur & prodûnt Christum, ut videant quid agant. Sumus nos elapso Paschali tempore, omnes (ut sperare licet) Christi corpori per sacram communionem velut palmites quidam inserti; & amici ejus intimi, imò unum quodammodo cum ipso facti. Sed væ nobis si in ipso non manserimus, & à tanto nostro amico recesserimus. Audimus enim in hodierno Evangelio horrenda fulmina, & tonitrua in eos detonantia, qui in dimissa scelera recidunt. Quæ ut corda nostra salutari pavore impleant, distinctius audiemus.

B. I. *Mitterentur foras.*

Recidivi primo *mittentur foras sicut palmes*: id est, à Deo ejusq; domo & paterna cura abjicientur, ita ut eorum vel exiguam, vel deniq; etiam nullam omnino curam gerat amplius Deus, subtrahendo illis auxilia supernaturalia, specialia & efficacia. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, & velut palmites trunco inserti, ab ipso vitam, influxum, robur, flores & fructū habent. Ubi verò se ab eo separant, merentur abjici, omni influxu gratiæ destitui: ad eum utiq; modum, quo æger aliquis filius, qui opera medici à Patre vocati sæpius curatus, contra ejus præscripta iterum noxia comedit ac bibit, denuoq; infirmatur, deseritur tandem à Patre, jubente ne deinceps Medicus advocetur, atque ita filius mori finitur. Contigit hoc Babyloni, à qua ut incurabili revocavit Deus Angelos suos, Medicos illius, Ierem, 51. ubi dicunt: *Curavimus Babylonem & non est sanata: derelinquamus eam.* Idem evenit Sauli, qui quoniam mandatum Dei iterato transgressus erat, & Samuelem Medicum sibi à Deo datum non audierat, projectus est à Deo, ejusque protectione & adjutorio destitutus: ita ut eum Samuel non corriperet amplius, imò etiam lugere prohiberetur, 1. Reg. 16. dicente Deo: *Usq; quo tu luges Saul, cum ego projecrim eum?* Quam abjectionem Præcessoris sui metuens David orabat: *Ne projicias me à facie tua*, Psal, 50. Fit enim interdum (quod multi Doctores tradunt) ut qui sæpius relabuntur in graviora scelera, tandem à Deo deserantur, & sibi relinquantur juxta id Psal. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis.* Cujusmodi existimare licet eos, qui annuatim quidem aut sæpius expiantur sacra confessione, interim verò nihilo meliores facti eadem peccata perpetrant, quibus proinde à Deo nulli mittuntur Medici, tribulationes, morbi, correptores, concionatores, Confessarii prudentes, &c. Neque in hoc injuria ipsis fit, cum ipsi prius toties abjiciant Dei gratiam sibi oblatam & datam. Hinc enim Samuel ad Saulem dixit, 1. Reg. 15. *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus.* Quomodo non abjiciunt sermonem Domini recidivi, qui in confessione totius audierunt, *vade & amplius noli peccare*: quique Christum post Communionem adeoq; etiā Spiritum S. è cordibus suis toties abjiciunt?

C. II. *Arescent.*

Secundò, *Arescent*, dum sibi ipsis, depravatæ suæ naturæ & propriæ voluntati relicti paulò post deficient, & semper in pejus ruent, ac tandem in profundum abripientur. Quemadmodum enim ramus ab arbore præcisus, & soli expositus citò arescit, & durus ac inflexibilis fit, qui prius mollis & flexilis erat: ac licet aqua interdum affusa reviréscere videatur, nequaquam tamen durat: ita enim recidivi, quia humore gratiæ destituti, & à Christo præcisi, tametsi interdum Sacramentorum usu revivíscere videantur, revera tamen semper ad interitum tendunt. Quis nescit febricitantem si à Medico desertus propriæ voluntati relinquatur, semper ægriorem fieri? & si accidat eum convalescere, iterum tamen immoderatè vivere, iterumque resurgere: quis dubitat eum interim semper debilitari magis & periculosius laborare? sunt sanè quam plurimi instar quorundam qui nixi pharmacis, audacius se ingurgitant, eò quòd una potione medelam sibi promittant, cum tamen interim non advertant talibus purgationibus stomachum magis ac magis debilitari ad instar alicujus linteaminis, quod quidem toties nitorem recuperat, quoties lotionem subit, interim tamen semper obsoletum & fragile redditur. Ut enim medicina & lotio non restaurat totum vigorem ægro & linteo: ita etiam sacramentorum usus non restituit omnimodè pristinam sanitatem, quia non aufert habitus malos, quos tu recidendo semper auges. Non mirum si in autumno arborum fructus & folia decidant, ipsæque quasi aridæ per hyemem maneant, quia sol ab eis longius recedit: ita nec mirum, *si quis in sordibus est, sordescat adhuc*, & magis magisque arescat, quia Christus sol longius recessit per specialem suum gratiæ influxum: quemadmodum dixit Pharisæis obduratis. *Ego vado & in peccato vestro moriemini*, Ioan. 8. Hoc idem est, quod Deus olim vineæ suæ, synagogæ, minatus est, Isaiæ 5. *Diruam maceriam ejus* (id est, Angelorum præsidium) *& erit in conculcationem. Non putabitur* (tribulationibus, correctionibus, castigationibus) *& non fodietur*(meditatione novissimorum, exemplis &c.) *& ascendent vepres & spinæ* (id est, vitia invalescent) *& nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem* (piarum exhortationum; divinarum inspirationum; sacramentorum perceptionem.) Meritò autem hoc evenit, quia ipsi prius à Christo recedunt per voluntatem. Meritò deseritur, qui de navi in mare prosilit; aut æger, qui expulso Medico sibi ipsi vult mederi, aut medicinam omnem respuit.

D. III. *Colligentur.*

Tertio, *Colligentur* à Dæmonibus, quia ab eis, à quibus transfugerunt, relapsi arctius ligantur, & cautius servantur, ne rursum elabantur. Civitas quæ aliquando Principi suo rebellavit, recepta exarmatur,

armatur, & arctiori jugo adstringitur, ne imposterum rebellare posit: Ita etiam fur in carcere primò parum sedulo custoditur: ubi tamen elapsus est, & denuò in carcerem reductus, pluribus catenis ligatur & omnes vitæ evadendi ei præcluduntur. Similiter si tu semel è Dæmonis captivitate fugeris, ridere eum poteris: sed si iterum redeas, ipse te ridebit, & si primo te negligenter custodivit, postea diligentus custodiet, si prius una catena te vinxit, postea duas vel tres addet, omnes quoque occasiones evadendi auferet, si confiteri volueris variè te impediet, si conciones audire, alio mentem tuam avertet: si piorum societate & consiliis uti, alia tibi negotia facesseret. Et hoc est, quod Luc. 11. Dominus dixit: *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* De hujusmodi homine videtur posse dici, quod dicitur de Achab rege, 3. Reg. 21. Scilicet vænundatum esse, ut faciat malum. Ut enim Achab sua levitate, & peccandi pronitate, vendidit se quodammodo Diabolo, ita ut jam non sui juris, sed Diaboli esse videretur, à quo illudi & seduci pro Dæmonis arbitrio, modo per uxorem, modo per Pseudoprophetas posset. & in quævis scelera præcipitari: ita qui se toties Dæmoni addicit, toties & tam facilè in dimissa peccata recidit, an non dicemus eum vænundatum esse Diabolo? Alii qui raro cadunt & fortuito, non permittuntur pleno Dæmonis dominio, sed facilè redimuntur: non ita qui in eadem vitia frequenter relabuntur. Filius ob furtum prima vice incarceratus à patre forsan redimitur, & redimendus ei conceditur; sed si sæpius rediderit, nec Pater curabit eum redimere, nec si vellet, facile ei concederetur. Certè Romani milites suos, qui sua culpa in potestatem hostium venerant, redimere neutiquam curarunt, imo nec permutare cum aliis captivis, ut refert Majol. Tom. 3. Canic. colloq. 2. Quomodo igitur Deus injuriam faciet illis, qui in eadem vitia post tot redemptiones toties relabuntur, si eos demum in potestate Dæmonum penitus relinquat? Ponamus enim prodigum illum postquam ad extremam miseriam redactus, ad patrem rediit & humanissimè acceptus est, iterum ab eo discedere, & ad pristinam vitam redire, ac denique in eandem miseriam incidere, in quam prius devenerat culpa sua, posteaque iterum ad Patrem suum redire: num putatis eum denuò à patre acceptandum & osculo accipiendum? Ego haud existimo: In nos enim si quis eodem modo iterum, vel tertio delinquat, post datam aliquoties veniam, eandem à nobis facile non impetrat: *Et in bello non licet bis peccare*, ut dixit Lamachus Centurio militi veniam petenti, apud Plutarch. in Lacon. Quanto minus igitur venia dignus, qui post tot venias, eadem peccata repetit? Exemplum de Gomachario Comite refert S. Gregorius Turonensis de gloria Martyrum l. 1. c. 79. qui Agathensis Ecclesiæ agrum usurpabat, & cum in febrim incidisset, & ad orationem Leonis Episcopi, quem rogarat ut pro se oraret, agro restituto convaluisset, rursum agrum abstulit, & insuper Leoni vindictam aliam interminanti minitabatur; igitur rursum correptus febri cum frustra pro se orari precaretur, & duplum restitueret, animam exhalavit.

E. IV. *In Ignem mittentur*

Quartò, *In ignem mittentur*? qui enim frequenter & mox in eadem vitia recidunt, incorrigibiles videntur, & millies lapsuri, si millies absolverentur: ideo ad nihil aliud apti videntur, quàm ad ignem. Si ventus arbustum tibi in horto prostravit, quod tamen iterum & iterum erigas ac fulcias, manè verò semper relapsum invenias, nonne id exscindis, & in ignem projicis? Similiter & reus, qui primo virgis cæditur, secundo rediens auribus truncatur: tertio suspenditur, licet non graviora sed eadem crimina sæpius commiserit. Multa possunt hujus rei afferri exempla. Pharao inprimis, qui tot plagis exagitatus sæpius quidem promisit emendationem, semper tamen ad ingenium suum rediit, & promissa fefellit, tandem in mare rubrum demersus est. Audi quid dicat Deus populo Israelitico volenti reverti in Ægyptum Num. 14. *Usquequo detrahet mihi populus iste? quousq; non credet mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentiæ atque consumam.* Patet igitur recidivos, quia nullis emendantur correctionibus necessario ad suppliciũ reservari, & quia Dei misericordiam illustrare nolunt, in ejus justitiam cadere, ut saltẽ hanc illustrare cogantur. *Et quia mittentes manum ad aratrum & respicientes retro, apti non sunt ad regnum cœlorum*, Luc. 17. sequitur aptos esse ad infernum debere. Vitis natura quidem sua ad fructum ferendum facta est, uti & omne lignum frugiferum, nequaquam vero ad ignem, uti ligna infrugifera: si tamen fructum nullum ferant, ignem fovere debent, ut saltem consumptione prosint, quæ sua prodesse conservatione noluerunt. Ita etiam licet homo à Deo pro cœlo factus sit, ut sit ejus civis, non pro inferno ut ejus ignem foveat: qui tamen ad primum ineptus est, ad secundũ applicandus est, ut in eo fulgeat Dei justitia, in quo misericordia locum non invenit. Unde August. in tract. 81. in Ioan. egregiè dixit? *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit.* Quod si verò alicui abusus videatur hominẽ adhiberi ad nutrimẽtum ignis infernalis, ne miretur, quia etiam peccator abutitur Dei misericordia, toties recidendo post veniam concessam. Unde Ierem. cap. 18. non dubitavit dicere Deo: *In tempore furoris tui abutere eis.* Hebræis videlicet, ad ignominiam & excidium, quos creaverat in gloriam & felicitatem, quia ipsa Ierusalem quasi meretrix abusa est tua patientiâ. Sic Deus abutitur impiis, dum eos tradit in infernum cruciandos, quos creaverat cœlo glorificandos. Ut in eum locum scribit Alphonsus à Castro.

Quintò

Quintò, *Ardent*; quia tales sæpenumero justo Dei judicio subita & inopinata morte pereunt. Videtur enim Dominus periculum enuntiasse in tempore præsenti (cum alia omnia in futuro pronuntiasset) quod repente & inexspectato relabentes obruat, quia sæpè curati, sæpè moniti sunt, & sæpè emendationem promiserunt: Unde si toties fidem fallant, subitò cum minus putabunt, ardebunt, antequam arsuros se existimabunt. Apertius hoc indicavit Dominus, cùm Ioan. 5. paralytico illi, qui triginta octo annis infirmus erat, à se sanato dixit: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quid enim deterius ei contingere poterat, quia jam 38. annis paralyticus erat, & ad piscinam jacebat, nisi repentinus interitus, & supplicium extremum? *Quid est, deterius contingere*, inquit Pineda in c. 22. Iob. *Quam subito & inopinato supplicio affici, cum minus expectatur, non dato triginta annorum vel plurium spatio?* Accedit illud Psal. 54. *Dolosi non dimidiabunt dies suos.* Qui autem magis dolosi quam recidivi, qui toties asserunt in confessione se & dolere & odisse peccata, & promittunt emendationem, mox tamen peccata repetunt? Quis etiam sibi persuadeat istos vere proposuisse recedere à peccatis? Figuram hujus periculi exhibuit Semei, qui post peccatum suum impetrata à Salomone venia, habitare permissus est in Ierusalem; ita tamen ut civitatem non egrederetur, quàm conditionem Semei libenter acceptavit dicens: *Bonus sermo: sicut locutus est Dominus meus rex, sic faciet servus tuus.* Sed post tres annos insequitur Semei fugitivos servos suos, & egreditur civitatem, qui mox vocatus ad Salomonem audiit: *Nonne testificatus sum tibi per Dominũ, & prædixi tibi: Quacunque die egressus fueris huc & illuc, scito te esse moriturum: & respondisti mihi: bonus sermo, quẽ audivi; quare ergo non custodisti jusjurandum Domini?* Sicque mox coram se occidi eum fecit, 3. Reg. 2. Quilibet nostrum in proxima confessione promisit se deinceps non egressurum imposterum de limitibus justitiæ & mandatorum Dei, & hoc pacto veniam impetravimus peccatorum nostrorũ à Deo. Sed heu quam plurimi vix tres expectant dies (quid enim annos dicam?) & mox egrediuntur descriptũ sibi scamma. Non putatis igitur meritò expositos esse vindictæ divinæ recidivos semper & in omni loco? an non ex vi promissionis suæ ipsi in se quodamodo sententiam pronuntiarunt? an nõ ipso facto, non expectato alio processu reos se constituunt? Simile exemplum historiæ Semei recenset Thomas Cantipratensis l. 2. c. 40. de quodam hujus farinæ viro, qui tandem coram Confessario divinam sibi vindictam imprecatus est, si denuò relaberetur. Et quid actum? In feriis Paschalibus iterum relapsus. mox horrendum clamare cœpit: *Vindicta Dei super me*; & ita dira morte periit. Non requiritur quidem à nobis, ut nos obligemus expresso juramento: requiritur tamen ut firmiter proponamus, atque etjam promittamus præterita peccata vitare, quia ut sanctus Gregorius hom. 34. in Evangelia ait: *Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, plangenda non perpetrare.* Tacite igitur saltem vindictam Dei in nos vocamus, si fidem fallamus; & ad dimissa peccata redeamus. Hanc enim ob caussam ait Durandus Episcopus in rationali de feriis rogationum l. 6. c. 102. Romanos tempore S. Gregorii Magni tam sæva peste mulctatos (ad quam arcendam processio instituta est à Gregorio) ut sola sternutatione & oscitatione homines repente morerentur ingenti numero, quia post peractam in paschate pœnitentiam mox ad pristina studia, ludos, fornicationes, comessationes rediissent. Isti sine dubio non sunt imprecati sibi hanc vindictam, si reciderent: & tamen eam experti sunt: quia nimirum: *Deus non irridetur*, ad Gal. 6. promittere autem ipsi emendationem sæpius, nec præstare, Deum irridere est. *Memores estote uxoris Loth*, ait Dominus Luc. 17. quæ contra præceptum Angeli retrospiciens mox in statuam versa est salis, ut condiret mentem nostram. Denique verbo illo, *ardet*, jstum & commensuratum recidivorum indicitur supplicium: quia enim ipsi æstuabant peccandi desideriis & ardebant igne concupiscentiæ, meritò ardent in inferno. Et quia semper æstuabant talibus desideriis, semper etiam ardent. Hoc enim indicat præsentis temporis verbum: *Ardet.* Uti enim præsens tempus de Deo enuntiatur, uti Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, ob ejus æternitatem: Ita similiter rectè dicitur de damnatis: *Ardent*: quia semper ardebunt. Speciali verò titulo competit hoc relapsis. Nam si heri interrogasses ejusmodi homines ante confessionem, quæso, quid facit ille? responsum fuisset? scortatur, inebriatur, blasphemat, &c. si hodie post confessionem: Idipsum respondebitur: si cras interroges, idem audies; si post confessionem decem, idem dicetur: si post 30. Idem responsum habebis. Æquum igitur est, ut similiter de ipso dicatur in inferno: quid facit post 100. annos? ardet. Quid post mille? ardet. Quid post centum millia? ardet. Quid in æternum? ardet. Exemplum scribit S. Greg. l. 4. dialogorum cap. 54. de Tinctore quodam, qui sepultus in templo S. Laurentii, noctu è sepulchro clamavit: *Ardeo, ardeo.* Cumque sepulchrum inspicerent, vestes ejus viderunt, at corpus non invenerunt.

F. V. *Ardent.*

Caveamus igitur dilectissimi, ardorem vitiorum, ne incidamus in ardorem ignium æternorum.

CONCIO IV.

CUR VOLUERIT CHRISTUS Ecclesiam martyrum sanguine rigare.

I. Ad confirmandam fidem.

II. Ad amplificandam Christi gloriam.

III. Ad fortitudinem militum Christi ostendendam.
IV. Ad cœlum ornandum.
V. Ad honorandos ipsos martyres.
VI. Ad excitandos alios.

THEMA.

Ego sum vitis, vos palmites, Joan. 15.

A. SAnctus Augustinus super hunc Evangelii locum, tract. 80. in Ioannem scribit: *Iste locus Evangelicus: fratres, ubi se dicit Dominus vitem, & discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus.* Vnde ex sententia illius, vitis illa Ecclesiam significat, cujus quidem truncus Christus est, palmites verò fideles. Qua in re illud mirandum venit, quamobrem cœlestis Agricola vitem istam, quæ ab initio sanguine CHRISTI plantata est, postmodum rigare etiam sanguine tot Martyrum voluerit? cum enim absque hoc tam difficili medio propagare Ecclesiam suam Deus potuisset, & sola verbi sui prædicatione mundum convertere; quomodo ad unam Ionæ vocem Ninivem convertit, & præterea super ejusdem caput hederam æstuante sole, absque pluvia crescere fecit, ut Ecclesia ipsius absque nova sanguinis pluvia extenderet palmites suos usque ad orbis terminos? ad istam quæstionem, quia non caret fructu, respondebimus in præsentiarum.

B. I. *Ad confirmandã fidem.* Primo voluit hoc Deus, ut fides confirmaretur, Sic Hieronymus ad Hedibiam q. 12. *Triumphus*, inquit, *Dei est passio Martyrum, & pro Christi nomine Cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare Martyres atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata & divitiis studens ac secura confessio est, sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate & siti. Hic triumphus est Dei, Apostolorumque victoria*, Sic ille. Imprimis enim mortem terribilium omnium terribilissimum esse constat, quam omnia animantia naturaliter fugiunt & horrent, inprimis verò homo, qui illius sensum exactè percipit. Et hanc tamen innumerabiles pro Christi nomine per exquisitissima tormenta diu continuata fortiter subiere viri ac fœminæ: non robusti tantum, sed & qui teneræ erant ætatis, juvenes ac puellæ: non plebei modò, sed & nobilissimi & eruditissimi quique: idque læto & hilari animo, ita ut alii gratias agerent pro lata in se mortis sententia, alii carnifices oscularentur, alii nummos eis numerari juberent, alii ultrò se proderent, alii dolerent, cùm dimitterentur & vita donarentur, alii plectendos comitarentur, & ad constantiam hortarentur, &c. Hæc igitur videntes alii quomodo non infideles ad fidem amplectendam, fideles verò ad eam retinendam promoveri debuerunt? Si enim fides hæc à Deo non esset & divina, si hic digitus DEI non fuisset, quomodo tot, tales, tanta mortis discrimina tàm hilariter adiissent? Existimabant quidem Tyranni cessaturos Christianos à fidei suæ prædicatione, cùm tormenta in medium proferēda essent, quemadmodum Paschasius Præfectus Luciæ Virgini laudes fidei Christianæ celebranti dixit: *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera.* Sed frustra. Quo enim magis torquebantur, eo magis in fide confirmabantur; uti & S. Lucia quæ Paschasio respondit: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cùm steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quando, aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis.* Nisi ventum esset ad verbera, non adeo eluceret fides. Quare uti ædificia diu duratura vino calci admisto extruuntur: Sic Ecclesia, nunquam expugnanda, Martyrum sanguine extrui debuit. Itaque dum fidei causa in tot millibus tam severè à tot Academiis quodammodo examinata fuit, & semper invicta & constans reperta, quis explicet, quanta hinc accessio Christianæ Reipubl. facta sit? Meritò itaque Apostolus dixit, 2. Corinth. 10. *Mors in nobis operatur, vita autem in vobis:* quasi dicat, mors nostra, est vita vestra; dum enim nos pro Fide patimur & occidimur, interim vos in fide statis & erigimini. Et Tertullianus Apolog. ult. *Semen est sanguis Christianorum*; quia dum grana singula in terram cadunt per Martyrium: eadem postea, sed multiplicata resurgunt. Et S. Cyprianus Martyr, de laude Martyrii: *Si quoties ferro*, inquit, *vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur.* Nec non Theodoret. serm. 9. de græcarum affectationum curatione. *Martyrum interfectores*, inquit, *similes sunt his, qui flammam quidem extinguere petunt, oleum pro aqua instillantes, ardentiorem illam efficiunt.*

C. II. *Ad amplificandam Christi gloriam.* Secundo. Vt gloriam suam amplificaret. Licèt enim omnes Creaturæ, singulæ in suo gradu Creatorem suum glorificent, juxta id Psalm. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*: Nihil tamen adeo fini huic deservit, ac Martyrum fortitudo & constantia. Nam si inanimes Creaturæ gloriã DEI sui ostendunt, naturale hoc illis est, & nulla in eis resistentia. *Stellæ vocatæ sunt*, inquit Baruch. c. 3. *Et dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Angeli etiam boni tametsi strenuos se exhibuerunt, dum Michaelem secuti, Deo suo adhæserunt, & Lucifero restiterunt, id tamen factum est in instanti, & parum aut nihil difficultatis habuit. At verò SS. Martyres in mortali & sensibili carne, per omnes animi vires, & corporis sensus exquisitissimis doloribus exagitati & tentati sunt, ut à DEO suo recede-

cederent, nec tamen ab eo vel latum unguem defecerunt aut separari potuerunt. Hoc est quod allegat David coram Deo Psal. 16. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Hoc est quod Ecclesia de Sancto Laurentio prædicat: *In craticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus te dominum Iesum Christum confessus sum.* Hæc enim passio Martyrum, testimonium erat de Dei bonitate, veritate, divitiis, fidelitate erga servos suos, &c. longè efficacius & præstantius, quàm quod ore fertur: & longè luculentius loquebantur Martyres linguis exsectis DEI gloriam, quam alii illæsis; adeo ut in hoc ipsos etiam Angelos altissimos superarint. Illi enim verbis & obsequiis, Martyres verò vulneribus, & morte sua testimonium Deo dederunt, quod nimirum tantus Dominus sit, ut nihil non pro ipsius gloria, etiam gratis sustinere oporteat. Vnde ipsi per Antonomasiam Martyres, id est, testes vocantur, quia non verbo tantum, sed & opere ipso efficacissimum DEO Testimonium dederunt, velut S. Gines, qui postquam Virgis dirè cæsus esset, & caro ejus uncis ferreis sulcata, accensis quoque facibus adusta, sua in confessione fortissimè perseverans exclamavit? *Non est alius Rex quam Christus, pro quo etiam millies mori mihi constitutum est: hunc mihi nec ab ore, nec à corde auferre poteritis.* Qua confessione quid præclarius ad Dei gloriam proferri poterat? *O vocem gloriosam,* ait S. Basil. *qua aër, qui illam excepit, fuit sanctificatus: quam Angeli audientes exultarunt, diaboli cum suis copiis ulularunt, quam DEVS suis digitis in cœlo scripsit.*

D. III. *Ad fortitudinem militum Christi ostendendam.*

Tertiò, ut militum suorum fortitudinem mundo ostenderet, & hinc appareret, quid possit DEI gratia. Sic enim Apostolus 1. Cor. 4. de se suique similibus Martyribus morti destinatis ait: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*: alludens ad illos Martyres, qui Romæ & alibi caveis inclusi spectante populo, bestiis objiciebantur, à Tyrannis quidem ut laniarentur; ut Deo verò, ut eorum fortitudo & gratiæ divinæ potentia in ipsis spectaretur. Hujus rei figura videtur fuisse lusus, id est, pugna illa inter milites David, & milites Saul, dicente horum Duce Abnero: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* Sed fugatus est Abner cum suis à militibus Davidis, & vocatus locus ille *Agerrobustorum,* 2. Reg. 2. Talem lusum excitavit inter gentiles & milites CHRISTI diabolus, & fuit hic lusus jucundum mundo spectaculum; vicerunt enim Milites CHRISTI, & fugârunt Ethnicos.

Atque uti fugato Saulis exercitu David regnum obtinuit; sic fugatis diaboli satellitibus, Idololatris, Christus in mundo regnum obtinuit. Gloriari videbatur olim DEus in servi sui Iob constantia & innocentia, qui nullis plagis dimoveri à charitate poterat. Dixit enim ad Satan: *Nunquid considerasti Servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra; Vir simplex & rectus ac timens DEum?* Iob. 2. Quia verò longè copiosior ac potentior est Dei gratia in novam legem effusa, idcirco magis etiam ea ostendi debuit. Gloriabatur Scipio Africanus, quod inter suos milites haberet trecentos, quorum quilibet eo jubente, de turri se in mare præcipitaturus esset, teste Plutarcho in Apopht. Sed quis mortalium numerari unquam potuit, quot ejusmodi milites habuerit Deus, qui injussi pro DEO se tradiderunt exactissimis tormentis? Ex innumeris trecentos alios spectemus. Scribit enim Pontius diaconus in vita S. Cypriani Martyris paulo ante Martyrium Cypriani, clibanum calcis à præside accensum, & in ore illius prunas cum thure exhibitas fuisse, ac Præsidem dixisse Trecentis Christianis: *Eligite è duobus unum, aut thura hic offerre Iovi, aut in calcem demergi.* Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, CHRISTVM DEI filium confitentes, conjecerunt in ignem, & inter vapores calcis pulvereæ sunt demersi. Nec verò in primitiva tantùm Ecclesia tam strenuos milites habuit CHRISTVS, habet etiam nunc in Iaponia & novo orbe, primis illis martyribus nihilo inferiores. Ibi enim cum Anno Millesimo sexcentesimo decimo tertio gravis in Christianos exarsisset Regis & Principum ira ac persecutio, Christiani permulti etiam à prima nobilitate, bonis omnibus exuti, in exilium pulsi sunt. Quam mulctam non tantum libenter pro Christo pertulere, sed etiam nomina sua Gubernatori detulere Christianos se professi: & interea sodalitatem Martyrum instituere, cujus prima regula erit: *Si pro fide Christi bona adimantur; hoc spolium forti & libenti animo tolerato.* Secunda: *pari constantia & animo exilium & mortem pro Christianismo excipito.* Id quod re ipsa plurimi præstiterunt. Arimæ regulus cædi Christianorum tribunal erexerat, diem dixerat: mox ad viginti Christianorum millia ultrò se Arimæ stiterunt, ut se Christianos profiterentur, & martyria tum spectarent, tum obirent. Territus Tyrannus esset, & paucorum nec suum furorem satiavit. Ex illis octo vivos cremari jussit, inter eos erat Pater & Mater cum filio & filia. Filia Magdalena nomine, Virgo viginti annorum, exultans in mediis flammis, carbones ardentes capiti imposuit [quod apud Iapones magnæ reverentiæ est signum] ut se prunis illis, quasi purpureis Rosis, aut candentibus carbunculis coronaret. Frater ejus Iacobus duodennis, solutis igne vinculis, prunas quas vicerat, festivus calcans, ad matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque sanctissima nomina IEsu & Maria contentiori voce inclamans, beatæ matris gaudia cumulans, ad ejus latus extinctus corruit. Refert Nicolaus in triumphis Iapon. l. 2. c. 15.

E. IV.

Quarto: Vt cœlestem suam Ierusalem, hoc Martyrum ornamento condecoraret. Quemadmodum

Ad cœlum ornandum.

dum enim in regio Palatio, lapides alii communes & rudes sunt, è quibus extruuntur muri; alii verò expoliti & in varias figuras incisi, qui ponuntur in frontispiciis portarum ad decorem: ita in cœlesti quoque Palatio [cujus lapides omnes sunt beati] necessarii erant etiam tales lapides, qui tunsionibus & pressuris expoliti, celebriori ponerentur loco. Inter alia enim cœli bona, unum est varietas & differentia gloriæ accidentalis ac præmiorum, sine qua domus illa perfectum decorem non haberet. Vnde Apostolus, 1. Corinth. 15. ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Quare ut aliqui excelsiorem in cœlo locum occuparent, & majorem charitatem obtinerent, perpoliri debuerunt variis quidem horrendis tormentis & cruciatibus. Quod nullam inter Sanctos parit invidiam. Regnum enim cœlorum à diebus Ioannis Baptistæ vim patitur, ut ait Dominus, Matth. 7. hoc est, prædæ expositum est, qui plus prædari vult, majora discrimina subeat necesse est: qui plures expilare domos, plura sustineat verbera. Ad eminentem in cœlo locum destinatus erat Paulus: *Vas electionis est mihi iste*, ait Christus ad Ananiam: sed antequam eo collocaretur, dictum est à Christo & hoc: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro meo nomine pati*, Act. 9.

F. V. *Ad honorandes ipsos Martyres.*

Quintò, Vt hoc glorioso certamine honoraret milites suos. Tametsi enim Martyrum pugnæ ultimatè ad Dei gloriam cedunt, sibi tamen interim illi magis quam Deo pugnant. Deus enim servitio nostro non indiget: nos indigemus. Inprimis

1\. quanta est hominum gloria, quod pro DEO suo pati & mori possint? quid hac re gloriosius excogitari potest? Arbitror sanè, si invidia in sanctos Angelos cadere posset, fore ut hominibus gloriam hanc inviderent. In Scala illa, quàm vidit Iacob Genes. 28. protensam à terra ad cœlum, descendebant Angeli & ascendebant: quod significabat, angelos nihil officii detrectare sive descendendum sit ad obsequium hominum, sive ascendendum ad laudes Deo dicendas: & nunquam non occupari in divino servitio ad exequenda ea, quæ ad gloriam Dei faciunt. Quàm ergò exultarent, si per scalam Martyrii descendere ad mortem, & inde ad aureolam Martyrum possent? At non licet hoc illis: nobis autem licet. Hinc olim Christiani tanta ambitione ad Martyrium perrexerunt. De persecutione sub Diocletiano & Maximiano, scribit Severus lib. 2. *Hac tempestate omni fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est: quippe certamin gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus ambitionibus appetuntur*, sic ille.

2\. Denique *gloria magna est sequi Dominum*, ait Ecclesiast. cap. 23. Quia ergò Christus pro Ecclesia sanguinem fudit, vult & ipsa pro eo sanguinem fundere, partim ut ipsum hoc pacto imitetur, eiq; quo modo potest, similis fiat: partim ut compensationem aliquam sponso suo faciat, eique simile monetæ genus rependat. Ratione primi dicebat Sanctus Ignatius cum ad bestias duceretur: *Nunc incipio CHRISTI esse discipulus.* Ratione secundi dixit David: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*: illum nimirum de quo Dominus, Matth. 20. *Potestis bibere calicem*, &c. quasi dicat: cum nihil habeam præstantius quod ipsi retribuam pro tantis bonis, omnia amara & mortem ipsam pro eo libenter sustinebo.

3\. Denique fructus Martyrii incomparabilis est, & ut Apostolus loquitur, *Id quod præsenti momentaneum est & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur.* Quid enim est hoc, quod Christus ait, Luc. 12. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quid hoc, quod ait S. Cyprianus in Epist. ad Mart. & Confess. *sanguinem Martyrum flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopire*: Certùm est per Martyrium dimitti omnes culpas & pœnas veluti per baptismum, & pandi cœli januas, sive prævio purgatorio; quod ex passione S. Stephani discere possumus: *Vidit enim cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei*, Actor. 7. Vnde S. Augustin. serm. 17. de verbis Apostoli ait: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Et Tert. Apologia ultima: *Omnia huic operi delicta donantur: cum damnamur à vobis, à Deo absolvimur.* Quid, quod eosdem in cœlo summa exspectat gloria; sicut enim *majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, Ioan. 15. ita nemo majorem gloriam.

G. IV. *Ad excitandos alios.*

Sexto: Vt eorum exemplo cæteros excitaret, ad mandatorum saltem sedulam observationem. Si enim tam innumerabiles Martyres, tanto pretio, corporum videlicet suorum tam dira dilaceratione, tam promptè & gaudenter emerunt regnum cœlorum: quam stolidi sumus nos & quantis versamur in tenebris, si eam suavi mandatorum observatione, sine sanguine emere nobis nolimus? si videres aliquos pro una margarita mille ducatos pendere: num tu decem pendere nolles? Annon meritò timere posses, ne eam Mercator præ indignatione tolleret, & nullo amplius pretio tibi daret? Videtur enim mihi Christus instar mercatoris alicujus merces huic mundo pretiosissimas vænum exposuisse. Et initio quidem magno pretio vendidit: ad finem verò nundinarum triplo minus exigit, nec tamen emptores invenit. Vnde jure timendum, ne tandem indignatus merces suas recondat, & ad alias nundinas transferat.

Itaque evigilemus tandem, vel hoc Martyrum exemplo; nec contenti simus simplici mandatorum observantia, sed præterea etiam pro amore Christi

sti spirituale saltem aliquod Martyrii genus subeamus, quod sanguine non constat. Triplex nobis ejusmodi Martyrium sine ferro, exhibet Bernardus in sententiis, suntque Parcitas in ubertate, qualis fuit in Davide & Iob: Largitas in paupertate, qualis in Tobia & vidua: Castitas in juventute, qualis in sancto illo Ioseph Iacobi filio. Magnum quid præstiterimus si aliquod istorum. Adhæc non desunt nobis hostes intra nos, & extra, quibuscum decertemus: frenemus pasiones nostras, iram nostram, propriam voluntatem nostram, sensualitatem nostram, cæterasque cupiditates: Sic occidemus nosmetipsos, & offeremus Deo in odorem suavitatis gravissimum sacrificium.

CONCIO V.

MARTYRES SPIRITUALES QUI?

I. Martyrium desiderantes.
II. Injuriarum patientes.
III, Pauperes.
IV. Virgines.
V. Charitatis opera exercentes.
VI. Qui corpus castigant.
VII. Qui seipsos vincunt.

THEMA.

Ego sum vitis, vos palmites, Joan. 15.

A. NOsti, Auditores, eandem esse naturam & conditionē vitis & palmitum: proinde cum putatur vitis, putari & palmites, & cum vitis putata fundit quasi lachrymas, lachrymari etiam palmites. Vitem audivimus esse Christum, nos vero esse palmites. Ergò si Dominus noster cultro pasionis putatus & *abscissus est de terra viventum*, ut loquitur Isaias] si ipse fudit sanguinem: quod superest nisi ut nos, si palmites ejus sumus, similiter potemur, & sanguinē fundamus? Audite vitem loquentem ad palmites: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et in hodierno Evangelio: *Omnem palmitem, qui fert fructum* (in me) *purgabit eum.* Præclarum istjusmodi palmitem hodie celebramus, Martyrem Georgium. Sed qua ratione non sanguinem profundere, & Martyres esse possumus? Bono animo simus. *Duo quippe sunt Martyris genera,* inquit S. Gregorius, hom. 35. in Evang. *Unum in mente, aliud in mente simul & actione. Itaque esse Martyres possumus etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur.* Sic Greg. Eleganter hoc expressum habemus in illa visione facta Zachariæ cap. 1. ubi vidit virum ascendentem super equum rufum, & post eum equos rufos, varios & albos. Vir in equo rufo præcedens Christum: equus rufus humilitatem ejus in pasione rubicundam & sanguine respersam denotat. Equi variorum colorum sequentes illum, Sanctos repræsentant, qui variis rationibus pasionem ejus imitari studebant. *Quæ vel Martyrio rubi,* ait S. Ambrosius in symb. Apost. tom. 4. *vel sturnini in volatu* [sic enim legit Ambros.] hoc est varii in virtutibus; *vel candidi in virginitate monstrantur.* Ergò Martyres esse possumus, tametsi sanguinem non fundimus, id verò, qua ratione fieri queat, videbimus.

B. I. *Martyri desiderantes.* Primò: per Martyrii desiderium, præsertim cùm Martyrii periculum vel mortis discrimen pro DEI gloria, vel animarum salute adimus. Ratio, quia Deus cor & voluntatem hominis aspicit. Unde ait quidam sanctus Doctor: *Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissimè.* Hac ratione Martyr excellentissima fuit Deipara stans sub Cruce, quia utique toto corde, tota intentione & toto desiderio desiderabat pati pro, vel cum filio. Eandem ob causam de sancto Martino canit Ecclesia: *O sacratissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit,* nam [ut multis ostendit S. Bernardus in ejus festo] inter alia, quòd fidem Arrianam impugnaret, publicè virgis cæsus & ejectus fuit: cùm gentilis gladium in eum stringeret, nudam cervicem prebuit percussuro: &c. Hoc titulo etiam S. Franciscus Martyr vocari potest, quia cupiens sibi aliquam dari Martyrii occasionem, navigavit in Syriam: ubi tamen à Rege Soldano liberalissimè tractatus, cùm nihil proficeret, rediit in Italiam. Ita sanctus Romualdus, qui Martyrii cupiditate flagrans profectus est in Pannoniam; divinitus tamen retractus, morbo, quo affictabatur cum progrederetur, levabatur cùm recedere. Ita S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, qui ardentibus votis optabat, sua morte repræsentare Sinarum salutem, ultima etiam vitæ discrimina ad Moluccas aliasque regiones barbaras adire non dubitavit. Hi ergò & similes sancti non carnifici defuere, sed defuit illis carnifex, qui Martyrii palmam daret.

C. II. *Injuriarum patientes.* Secundò: Per patientiam injuriarum. Audi S. Gregorium homil. supra citata. *Ferre contumelias,* inquit; *odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* Et S. Bernardus de hac patientia loquens ait: lib. de modo bene vivendi Serm. 40. *Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter conservaris.* Ratio est, quia, inquit S. Chrysostomus homil. 31. in Acta, *durius multo est opprobrium & convitium Viro strenuo, quam corporis vulnus & plaga: non hæc præcipue corpus illud animum transfigit & pungit.* Idque patet in Davide, Iob & Christo ipso, quos dæmon ad extremum cùm plagis vincere non posset, opprobriis aggressus est, velut jaculis fortissimis; Davidem quidem per convitia Semei, Iobum per convitium Uxoris, Chri-

Christum per convitia latronis & aliorum dicentium: *Si filius DEI es, descende de Cruce.* Ergò ejusmodi Martyres erant David & Iob: Ille, quia contumeliis Semei sibi objecti, non modò non irritabatur, sed potiùs pasci & delectari videbatur. Dicebat enim: *Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si fortè respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac,* 2. Reg. 16. *Contumeliosa verba,* inquit S. Gregorius l. 31. Moral. cap. 17. *non tam convitia, quàm adjutoria credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse judicavit.* Iste, quia stultæ uxoris pessimam imprecationem forti animo pertulit. Aliud exemplum affert S. Gregorius hom. 35. citata, de quodam monasterii juxta Reatinæ urbis mœnia constituti patre, sui temporis viro noto, qui tam erat patiens, ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud, quàm adjutores æstimabat. Ad hunc morientem angeli corporeis oculis ingredi visi sunt. Subdit deinde Gregorius: *Quibus hunc credamus, nisi Sanctis Martyribus sociatum? quem attestantibus corporeis quoq; oculis, à beatis spiritibus constat esse susceptum? Nullo iste gladio percussus occubuit, & tamen coronam patientiæ, quam in mente tenuit, in egressione percepit.* Talis Sanctus Stephanus Rex Vngariæ, qui æquo animo tulit, imò gratias DEO egit, quando ei barba à pauperibus evulsa fuit, cum divideret eis Eleemosynam, ut alibi diximus.

D. III. *Pauperes.*

Tertiò: Per tolerantiam Paupertatis, præsertim voluntariè assumptæ. Sic enim testatur S. Bernardus sermon. 1. In Festo omnium Sanctorum. *Quod sibi vult,* inquit, *quod eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus* (quando videlicet Christus dixit: *Beati pauperes Spiritu; & beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*) *nisi quia veri Martyrij genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod gloriosius est) de seipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem?* Sic ille. Insignes fuere in hoc genere Martyres. S. Alexius Romæ, & Ioannes Chalybita Constantinopoli, qui summa in paupertate ac contemptu vixêre ignoti, & precariò velut mendici in paternis ædibus amplissimis & ditissimis.

Possunt adhunc gradum etiam pertingere, quos necessitas pauperes facit, si de necessitate, ut dici solet, faciant virtutem, & de ipsa sua inopia DEO gratias agant. Non minùs Martyr Isaac, qui passus est se ligari & componi ad mortem, quàm si ultrò se obtulisset: Ita, qui calamitatem à DEO sibi immissam, prompto excipit animo, Martyr vocari potest. Quis enim è spiritualium martyrum numero excludat Lazarum illum mendicum? quis Servulum illum, qui in summa paupertate & doloribus & hymnos DEO canebat, & aliis pauperibus suas Eleemosynas communicabat, ut alibi vidimus e x S. Gregorio? Quis Tobiam seniorem, quia Sennacherib fortunis omnibus spoliatus, inops & nudus extra Niniven in latebra vixit? Tob. 1. Quis Iobum rebus omnibus exutum, interim DEO gratias agentem? Quis Elisabetham viduam de Principatu ejectam cum liberis inopem & contemptam, quæ ita exilium suum & paupertatem adamavit, ut aulæ paternæ præponeret; ad quam vocata venire noluit? Conradus in ejus vita.

E. IV. *Virgines.*

Quartò: Virginitatis conservationem. De hac enim S. Hieronymus Epist. 8. ad Demetriadem scribit: *Habet & pudicitia servata Martyrium suum,* Et S. Bernardus in sententiis, martyrium vocat castitatem in juventute. Nec immeritò, quia operosum est & arduum, mortali carne infestissimo spiritus hoste circumlatum, arcem integritatis tueri inconcussam; præsertim in juventute, ubi acriora sunt certamina, & rarior victoria. Talis martyr fuit S. Ioseph adolescens, cùm impuram & impudicam fugit dominam. Chrysostomus ait, magis se mirari factum Iosephi, quàm tres pueros Hebræos in fornace Babylonica illæsos permansisse. Talis Nicetas juvenis ætate florens, qui Decio & Valeriano imperantibus in horto, molli adstrictus lecto, immissæ & sollicitanti se meretrici, linguam morsu præcisam expuit in faciem, ac sic libidinis sensum oppressit: ut scribit S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ cap. 3. Talis juvenis fuit S. Bernardus, qui cum aliquando dæmonis instinctu puella nuda in lectum ejus injecta fuisset ad tentandam ejus pudicitiam, ille dissimulans, in latus aliud se convertit, relicto puellæ lecto penè toto, & ita immotus ac quasi saxeus dum jacuit puellam recedere compulit. Alias etiam matronam ad se noctu clam accedentem clamore fugavit: *Latrones, latrones,* exclamans. Vt est in ejus vita l. 1. c. 3. Talis Franciscus, qui dolio inclusus ad meretricem, in focum se injiciens, mulierem eò ad se vocavit, sicque consternatam terrore simul & pudore affecit. Talis Vincentius ille ex ordine S. Dominici, cui in simili tentatione Victori acclamarunt dæmones: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti.* Vti alibi recensuimus. Talis item juvenis S. Thomas Aquinas, qui immissam ad se mulierculam titione fugavit, &c.

F. V. *Charitatis opera Exercentes.*

Quintò: Per charitatis opera. Ita enim S. Bernardus in sententiis Martyrum appellat largitatem in paupertate, qualem habuit Tobias, & vidua Evangelica. Et Ecclesia adnumerat Martyribus eos, qui morbo laborantibus ministrantes ex charitate,

 eodem

eodem afflantur & moriuntur. Sic enim habet in Martyrologio Romano die 28. Febr. ubi legit: *Alexandriæ commemoratio sanctorum Presbyterorum, Diaconorum & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit.* De iisdem illis Martyribus scribens S. Dionysius Alexandrin⁹ Episcopus, Epist. ad Hieracem, ait, illud mortis genus nihil videri à Martyrii splendore abesse. Apud Baronium ib. Talis S. Paulinus Nolanus, qui seipsum in servitutem vendidit, ut viduæ filium redimeret, apud Gregorium lib. 3. Dialog. cap. 1. Et Petrus Telonearius, qui ut aliorum inopiam sublevaret, seipsum vænum dedit. Invitis patrum. Talis Simon Monachus, qui cœnula sua abstinens, servabat aliis, ipse inediam interim passus, apud Evag. histor. Eccles. libro 4. cap. 23.

G. VI. *Qui corpus castigant.*

Sextò: Per voluntarias castigationes. Sic enim S. Bernardus testatur in serm. 5. de octava Paschæ; *Est Martyrij genus*, inquit, *& quædam affusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione.* Nec malè. Quid enim interest, an carnifex eliciat sanguinem, an tu ex te ipso, per disciplinas aliasque castigationes, vel alia ratione corpus tuum vexes? Certè non minus fuit Christum ultrò sanguinem sudare in monte Oliveti, quàm fundere sub flagellis & ictibus lictorum. Quis non dicat Martyrem fuisse S. Martinum Episcopum, qui non nisi hispida induebatur veste, non nisi in nuda humo, cilicio injecto consueverat cubare? Sane cum aliquando in quandam suæ diœcesis villam venisset, & clerici ei lectum de stramine præparassent, & insuetam lecti mollitiem aversatus, stramentum omne sustulit, & in humum se projiciens dormivit more sibi consueto. Quis non Paulum primum Eremitam, qui à juventute ad centesimum & decimum tertium ætatis annum vixit in Eremo, una cum palma & victum præbente & amictum? Quis non Anachoretas? quis non Benedictum, Dominicum loricatum aliosque innumeros, qui cum occasio Martyrii deesset, in seipsos sævierunt?

H. VII. *Qui seipsos vincunt.*

Septimò. Per assiduam mortificationem & victoriam suiipsius, cùm videlicet contra pravos animi motus quotidie insurgentes, & peccata ipsa pugnamus, nosque ipsos immaculatos custodimus ab hoc sæculo. Docet hoc inprimis S. Augustinus Serm. 250. de tempore, cùm ait: *Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non deesse.* Et Serm. 32. de Sanctis: *Martyr græcè, latinè testis dicitur. Igitur quotiescunque bonis actibus mandatum Christi facimus: toties Christo testimonium perhibemus. Vnde & Crux Domini non tantùm illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur: sed & illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium.* Sic Augustinus. Idem docet S. Chrysostomus homil. 11. in Epist. ad Hebr. cap. 6. *Mortifica,* inquit, *corpus tuum, & crucifige, & accipies tu hujus martyrij coronam.* Et S. Bernardus Serm. 30. in Cant. *Genus martyrij est*, ait, *spiritu facta carnis mortificare.* Idem in sententiis martyrium vocat *parcitatem in ubertate.* Et S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium scribens: *Mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyriũ habet.* Talis enim immolat Deo voluntatem & vires suas omnes: mactat passiones suas, &c. Quare sapienter S. Pachomius Abbas cuidam Monacho ad captandum martyrium egredi volenti respondit: *Frater, Monachi certamen fortiter & strenuè sustine, & cùm vitam tuam nulli reprehensioni affinem ita gesseris, ut Christo placeas, habebis in cœlis communicationem martyrij.* Vt in ejus vita. Idem ferè respondebit B. Alberto Monacho Abbas Superioris Altahæ in Bavaria, petenti licentiam adeundi barbaras gentes, & imbuendi sacris Christi legibus. Respondit enim satis tormentorum habiturum, si cœptum religiosę exercitationis stadium ad metam usque decurreret: viros religiosos assiduo obedientiæ jugo pressos, diurnis excubiis, nocturnis vigiliis, abstinentia ciborum continentiaque haustos, non minus martyres dici crediq; posse & debere, quam qui ictu ferri momento temporis, laboribus vitæ brevissimum finem imponunt, &c. Vti refert P. Raderus in Bav. sancta. p. 2. Sic habere possunt conjuges martyrium in suo conjugio, uti S. Monica, quę difficilem & iracundum maritum patientissimè toleravit, nnnquam ei dissentiens, nunquam obloquens; & tandem DEO lucrata est. Denique spiritualia hæc martyria *tametsi molliora, molestiora tamen sunt, quia diuturniora*, ut ait *S.* Bernardus Serm. 30. in Cant.

Quando ergò tot viæ sunt sequendi Christum passum; Conemur sequi, Auditores, pro modulo saltem nostro. Sanè illa centum quadraginta quatuor millia Sanctorum, Apoc. 14. dicuntur à Ioanne sequi Agnum quocunque ierit. Cur non ergo & nos sequamur Agnum ad aliquem saltem passionis gradum? An nescimus omnes nos Christi milites esse? Sequi igitur ducem debemus. Quid ait Apostolus? 2. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*, inquit (pro labora, græcè habetur: κακοπάθησον id est, mala perfer, dura tolera.) Hoc idem sibi dictum existimet Christianus. Miles, qui nihil molestiæ pertulit, nulli prælio interfuit, nullum vulnus accepit, quanti æstimatur? an non erubescit coram aliis militibus expertis & probatis? Ita pudeat & nos nulla omninò ratione martyribus æquari. Dux noster *vir dolorum est, & sciens infirmitatem*; pudeat ergò nos sub spinoso capite membra inveniri delicata.

CONCIO VI.

MARTYRES DIABOLI.

I. Infideles.
II. Hæretici.
III. Venefici.
IV. Hypocritæ.
V. Adulatores.
VI. Mundani.
VII. Invidi.
VIII. Coacti mala perpeti.
IX. Malè conscii.
X. Interfectores sui.

THEMA.

Sine me nihil potestis facere, Joan. 15.

A. LEgimus tertio Regum 18. Certamen sacrificiorum inter Eliam Dei Prophetam, & Prophetas Baal, ut ostenderent utra pars verum coleret Deum. Sumpserunt Pseudo-Prophetæ bovem unum; & in frustra concisum rogo imposuerunt, clamaveruntque ad Deum suum, quin & lanceis se vulnerarunt direque cruentarunt, uti eorum Deus sacrificium acceptare, & audire eos vellet: Sed nulla Dei responsio, nullum acceptabilis sacrificii indicium est ostensum. Concidit ergò Elias quoque bovem suum, & rogo suo imposuit; ad cujus orationem mox descendit ignis de cœlo, & devoravit victimam una cum rogo universo. Quid hac re docemur, Auditores? Certè videmus Deum habere victimam suam, habere & Diabolum suam. Mactarunt Baalitæ bovem suum, mactavit & Elias suum: illum respuit Deus, istum acceptavit. Ille Martyres diaboli significat, iste Martyres Dei. Martyres Diaboli affligunt, cruciant, mactant bovem suum, id est, carnem suam: Sed incassum. Neque enim Deo placent istud faciendo, sed diabolo. Martyres Dei & ipsi mactant corpus suum, & odoratur hoc sacrificium Deus. Quæ causa? Quia hi in Christo manent: illi verò nequaquam; quibus dicitur in hodierno Evangelio: *Sine me nihil potestis facere*. Ergò ne Baalitis illis similes fiamus, videamus & fugiamus Martyres Diaboli.

B. I. Infideles. Primo: tales sunt infideles, qui se ad cultum & honorem Idolorum vel dæmonum suorum cruciant & affligunt, uti olim Romanorum Vestales, quæ Vestæ Deæ ignem perpetuum fovere, & virginitatem servare obligatæ erant, & si qua voti rea deprehendebatur, viva sepeliebatur. Item Philosophi gentiles aliqui, uti Diogenes, qui, omnibus deliciis & divitiis spretis, pauperrimus vivere elegit: Crates, qui suas opes in mare abjecit, &c. Item Magi Persarum, qui ut Author est Eubulius apud S. Hieronymum in Reg. Monach. excepta farina & olere, in cibo nihil amplius sumebant. Item adolescentes Lacedæmoniorum, qui teste Tertulliano l. ad Martyres, ante aram flagellis cæsi, animam priùs inter verbera exhalabant, quàm ob corporis dolorem succumberent. Item qui in Armuzia Pagodibus (nationis idola sunt) immolantur: & ipsimet cultris ac novaculis se incidunt, donec ex curru, in quo vehũtur, mortui decidant; & qui de populo sub rotas curruum sese ultro conjiciunt & comminuunt, quod nihil gratius suis se diis facturos sibi persuadeant, quàm si eo lethi genere se mactent iisque sacrificent; ac rursum uxores, quæ viris mortuis vivæ comburebantur una cum defunctis. Vt est in hist. societatis p.1.l.9. num.156. Item sacrificuli gentilium in America, velut Mexicana provincia, qui se contundi faciebant saxis, subulis pedes perforabant, flagellis se concidebant, antequam fides superiore sæculo eo inferretur: item peregrini, qui ibidem ex altissimo promontorio in bilancem expositi cogebantur confiteri omnia sua scelera, alioquin è bilance excutiendi in præcipitium, aliaque horribilia, ut refert Iosephus Acosta.

C. II. *Hæretici.* Secundò: Hæretici, qui tametsi alioquin carnis suæ indulgentissimi, subeunt tamen aliqua diaboli Martyria, ut cùm aliquas faciunt, pro suo tamen placito, abstinentias, velut cùm abstinent à carnibus die Paschatis & Dominicis, in odium Catholicorum: item cùm à media quadragesima carnibus se privant, iisque non omnibus, sed bubulis tantùm (uti solent facere in quibusdam locis) pro ut illis Spiritus dictat. Item cùm eo audaciæ aliquando abripiuntur, ut pro sua secta vitam perdere audeant, quod tamen est rarissimum. Fecerunt id olim Donatistæ summa ambitione mortem oppetentes, & ubi occisor abfuit, necem sibimet quandoque inferentes; quod se vidisse testatur S. August. Similiter in Concilio Constantiensi Ioannes Hussius, & Hieronymus Pragensis, qui ibidem flammis exusti sunt ob pertinaciam hæreseos. Qui licet in ipso incendio cantasse ferantur laudes & hymnos, nihilo propterea meliores habendi sunt, quia ut ait de hæreticis S. Cyprianus in l. de unitate Ecclesiæ: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis. Animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.* Rationem prodit S. August. l.1. de serm. Domini in monte, dum ait: *Nam multi hæretici nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideò excluduntur ab illa mercede, quia non dictum est tantum: Beati, qui persecutionem patiuntur, sed additum est, propter justitiam: Vbi autẽ sana fides non est, ibi non potest esse justitia, quia justus ex fide vivit.* Idem Ep. 204. Donatum hæreticum sic alloquitur: *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à cõpage vanitatis & vinculo charitatis, æterno supplicio punireris, etiãsi pro Christi nomine vivus incendereris.*

Vide Florim. Remund. de origine hær. l.2. cap. 3.

Denique

Denique huc spectant quotquot extra Catholicam Ecclesiam constituti, bonis operibus vacant. Similes enim sunt nauclero ignoranti quo naviget, tametsi is alioqui peritus sit navigandi: vel viatori fortiter ambulanti, qui à recto itinere abductus, nescit quo vadat, nec ad destinatum terminum venit.

D. III. *Venefica.*

Tertiò: Veneficæ, quæ se dæmonis servitio mancipant & pro mercede servitutis ab eodem dirissimè tractantur, decipiuntur, subsannantur, cæduntur, abominandis rebus cibantur, coguntur nocere suismet bonis, agnis, pecudibus, liberis, consanguineis, maritis, &c. Quibus à Ieremia dici videtur: Ierem. 56. *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Hic cædunt eas flagellis & ibi scorpionibus: hic exurunt igne temporali, ibi, nisi resipiscant, igne æterno. An forsitan hoc non est martyrium Diaboli?

E. IV. *Hypocritæ.*

Quartò. Hypocritæ, qui ut hominum applausum captent, aspera quæquè tolerant & subeunt, nec inde tamen aliud nisi gehennam sibi acquirunt: similes Eleazaro illi, 1. Machab. 6. qui in hostium agmen irruens ivit sub pedes Elephantis (in quo regem esse putabat) & supposuit se ei & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum & mortuus est illic; ut habetur ibi. *Quos*, ait S. Gregorius l. 19. moral. cap. 13. *Eleazarus iste significat, quem victoria sua oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ista, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt?* Hujusmodi fuit Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus, dictus Iejunator, qui jejuniis & eleemosynis vitæque austeritate magnum sibi nomen comparavit, ita ut à quibusdam sanctus haberetur, interim tamen superbiâ tumidissimus fuit, & nomen Oecumenici, seu Vniversalis Patriarchæ sibi arrogavit; ut videre est in Baron. anno 596. Quid illi profuit durè cubuisse ligneo in lecto, crebro jejunasse, sua erogasse: qui his suismet operibus ad plausum hominum factis misere tandem est oppressus, & à Deo condemnatus?

F. V. *Adulatores.*

Quintò, Adulatores illi, qui ut magnatibus placeant, omnia amara devorant, ut assentatores Dionysii Tyranni, qui sputante rege faciem sputo conspergendam objiciebant, salivam & quæ vomitu egesserat, delingentes, eaque melle dulciora esse affirmantes, Athænæus l. 6. Talis erat anno Domini 766. Pseudopatriarcha Constantinopolitanus nomine Constantinus, qui ab Imperatore Constantino Copronymo exauctoratus, & in Insulam relegatus, quod Imperatoris secretum (quo significaret se neque Christum pro Deo, neque matrem ejus pro Deipara habere) enuntiasset, retractus Constantinopolim, nudatus, rasus, asino aversus impositus, consputus, pulvere aspersus, calcatus, omnique ludibrii genere affectus, demum obtruncatus & pedibus suspensus est. Qui cum interrogaretur, quid de Imperatoris fide sentiret, infelix eam adulatoriè probavit, quam improbando & Catholicam fidem confitendo, omnia illa tormenta sibi in gloriam sempiternam convertere potuisset, Baron. ibi.

G. VI. *Mundani.*

Sextò, Qui ut mundo serviant eique se accommodent, seipsos affligunt, onerant, consumunt, veluti Candelæ, quæ ut aliis luceat, seipsam vorat. Tales sunt qui toti sunt addicti suis dominis & negotiis eorum, negotium interim salutis suæ negligunt. Item qui ad honorem & placitum Magnatum immoderatos haustus faciunt, & vino sese obruunt, vitamque sibi demetunt. Item nobiles puellæ, quæ ut teneræ, graciles & pallidæ appareant, nescio quæ absurda & noxia vorant, tolerantq; molesta quædam, quæ inclusæ in monasterio nequaquam tolerarent. Itaque se & carnem suam in gratiam Diaboli macerant. Et quemadmodum gesticulatores ac circulatores ad captandum risum & hominum admirationem tota die nugas agitant, in grallis ambulant, saltus edunt, funes inambulãt, &c. Vesperè autem lassi & viribus exhausti, modico lucro parto, recumbunt: ita qui ad hominum auram & favorem acquirendum totos se impendunt, præter modicam pecuniolam nihil aliud lucrantur, nisi destitutam viribus & virtutibus animam. Verè martyres Diaboli; quales illi, qui Sap. 5. dicunt; *lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.*

H. VII. *Invidi.*

Septimò: Invidi, quibus sua invidia, perpetua est carnificina. Quot enim invidiosus percipit beneficia, quot habet laudatores, tot habet invidus tormenta. *Sicut rubigo est venenum ferri, sic invidia cordis humani, & sicut viperas dicunt abrupto ventre matris nasci: sic invidia concipientem se animam corrodit & tabefacit,* ait S. Basil. homil. de invidia.

I. VIII. *Coacti Mala pati.*

Octavò: Qui inviti & coacti faciunt aut tolerant ea, quæ debent facere aut tolerare. Habent enim pœnam suam, dum ea faciunt aut sustinent, & pro mercede sua rursum accipient aliam à Dæmone majorem. Talis fuit Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis, qui Henrici VIII. Regis flagitiis favit & subscripsit, eaque conditione Episcopus ab eo factus est: is ob hæresin aliaque flagitia rogo adjudicatus, cœlum & terram detestari cœpit, & in hæresin, quam abjuraverat, relapsus est ex animi impatientia & desperatione: in ipso vero rogo horribiles ululatus edidit, ac contra Deum & Sanctos mille blasphemias evomuit. Florim. Remund. de Orig. Hær. lib. 6. cap. 8. Similes isti sunt latroni illi impœnitenti, qui in Cruce pendens, impatiens & blasphemus in Christum extitit, ideoque de Cruce lignea translatus est ad Crucem igneam & perpetuam.

K. IX. *Mali conscii.*

Nonò, Qui sauciæ conscientiæ morsibus cruciantur, nec illi tamen interim medentur. Verè enim S. August. ait: *Iussisti Domine & sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus.* Tales enim sunt instar furis incarcerati, qui quoties audit custodem carceris

carceris circa fores strepere cum clavibus, toties expavescit metuens se ad furcam abducendum.

X. L. *Interfectores sui.* Decimò, Qui vitam sibimet eripiunt. Hi enim Dæmoni litant seipsos in holocaustum ignis æterni; qua insania quæ major excogitari potest.

Nos verò rogemus Deum, ut nos ab hisce abominandis martyriis paternè præservare, & stultissimos istos martyres ad sanam mentem revocare dignetur.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Christiani palmites.
II. In Christo manendum.
III. Bonum inhærere Christo.
IV. Malum à Christo separari.
V. Laborandum, ut in Christo maneamus.

THEMA.

***Ego sum vitis, vos palmites,* Joan. 15.**

Accidit non raro ut quis ab amicis optimis discessurus, post convivium cum illis habitum surgat, & antequam eis valedicat, unum adhuc poculum arripiat, iisque in signum amoris propinet. Aliquid hujusmodi fecisse mihi videtur Dominus in ultima sua cœna habita cum discipulis sibi charissimis. Cùm enim ea durante præclarum eis apposuisset vinum pulcherrimæ & amantissimæ concionis; postmodum à cœna surrexit, dicens: *Surgite eamus hinc*; uti legimus Ioan. 14. Et tamen post hæc mox inchoat stans novum & prolixum sermonem, qui initium sumit ab hodierno Evangelio, in quo velut ultimo amoris poculo efficacissimis rationibus commendat eis unionem, & amicitiam, ut in ipso constanter permaneant. Ex hoc salutari philtro nos quoque, Auditores, aliquid delibabimus.

B. I. *Christiani palmites.* 1. Docet Christus primò Christianos omnes esse palmites viniferos adeoque vites partiales: *Ego sum vitis, vos palmites.* Quare sicut vitis primò amœnitatem vineæ vel ornamentum ædibus, quibus adhæret, & emolumentum præstat succumque acceptissimum, vinum scilicet quod lætificat Deum & homines, ut dicebat Ionatham Iud. 9. Sic fidelis quisque Christum & Ecclesiam ejus ornare sua externa conversatione debet, *providens bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus,* ut ait Apostolus ad Rom. 12. Vt externi, qui eos vident, inde ædificentur & dicant: *Isti sunt semen cui benedixit dominus*, quod futurum prædixit Isaias cap. 16. Debet deinde fructus ferre copiosos bonorum operum; nec qualiumcunque, sed supernaturalium inprimis, quibus lętificet Deum & homines, adeoque mereatur vitam æternam. Non sit contentus policitis tantùm exercitiis: hæc enim & gentiles obeunt cum laude. Plerique hominum mare nunc contenti sunt cum vitibus, quod anno 1628. præterito uvas immaturas, adeoque vinum perquam acidum protulerint. Quid si hoc per aliquot annos facerent; quid si vinum prætereà noxium & pestilens progignerent? Et mirabimur si nobiscum Deus malè contentus sit? qui ab ipso summo studio plantati & exculti beneficiis, exspectati ut faceremus uvas, facimus labruscas; nec uno tantum anno, sed multis sæpè continuis, nec inutile tantum vinum sed pestilens etiam gravissimorum scelerum proferimus. Inventus fuit anno 1580. Nechershovii homo perditus, qui vinum acidum Deo præbibens, dixit: *Tibi Deus; si melius fecisses hoc anno vinum, melius biberes.* Mox tamen blasphemiæ pœnas luit, cum ita obriguit, & immobilis factus est, ut dimoveri loco non posset. Vt refert Gabriel Prateolus in Chron. anno 1580. Impiè sanè iste; quia servus Domino, creatura Creatori nequaquam insultare debuit. Sed piè ac justè Deus dicere nobis servis & creaturis suis potest, cùm propinat nobis calicem indignationis suæ, famem, pestem, bellum aliasque plagas, ipsum etiam carnificem ad plectendos maleficos & veneficos: vocis hunc haustum; *si melius protulissetis, melius biberetis vinum.* Labruscas attulistis scelerum, bibite ergò nunc acetum calamitatum.

2. Secundò, Sicut lignum vitis foris vile & contemptum est, intus verò, pretiosum gerit succum: ita Christianus quisque decorem non in corpore, sed in anima gestare: nec gloriam suam in ore hominum ponere: sed intra conscientiam contegere debet. Vita etiam ejus foris aspera & austera sit, ac coram mundi amatoribus vilis & contempta: sed intus tamen gratiæ succo prædita, quo alios inebriet & ad DEI amorem inflammet.

3. Tertiò, Sicut palmites vitis putantur seu purgantur, ut in hodierno Evangelio dicitur, quo copiosiorem fructum afferant: ita & fideles cultro mortificationis & tribulationis indigent, eumque proinde libenter admittere debent: alioquin enim facilè in vitia luxuriabunt, uti palmites in frondes, nisi putentur. Quare si tibi Deus abscidit parentes aut liberos: si sanitatem, si divitias, ne mireris: cogita te palmitem esse, proinde purgandum fuisse ut fructum plus afferres.

C. II. *In Christo manendum.* Docet secundò Christus, quàm necessarium sit in ipso manere, per fidem scilicet & charitatem. Quemadmodum enim maximè necessarium est palmitibus, viti adhærere: sic maximè necessarium est Christianis adhærere Christo; omne enim palmitis bonum ex vite pendet. Nisi vitis succum suum jugiter influat in palmites, nec vivere poterunt, nec fructum ullum producere; & nisi Christus gratiam habitualem continuò infundat in animam

animam justificatam, veluti Sol lumen suum in aerem, nec vivere in Deo, nec merita vitæ æternæ poterit producere. Hoc est, quod ait Christus in hodierno Evangelio: *Sicut palmes non potest proferre fructus à semetipso, nisi manserit in vite: Sic nec vos, nisi manseritis in me.* Item, *sine me nihil potestis facere*; quod videlicet pertineat ad vitam æternam. Vnum hominem assumpsit Deus in filium naturalem, Christum, qui necessariò ipsi placet: de quo & dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit,* Matth. 3. Per hunc adoptat & filios suos adoptivos efficit omnes eos, qui illi homini per fidem & sacramenta tanquam rami trunco, & palmites viti inseruntur. Quam primum quis inseritur, & adhærescit Christo, illicò animatur & vivit à spiritu & Divinitate ejus, quamprimum quis ab eo separatur, moritur spiritualiter. Ita docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. cum ait: *Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur: & sine qua nullo pacto DEO grata & meritoria esse possent.* Christus ergò fons est totius vitæ supernaturalis: sicut anima corpori unita fons est totius vitæ naturalis: per hanc omnia membra vivunt, per illum omnes justi. Et sicut in æstate Sol nobis vicinus calore suo terram vivificat, & fœcundat: in hyeme contra longè positus omnia obrigescere & emori facit: ita Christus gratiâ suâ nobis inhabitans, vitam dat & merita vitæ æternæ: absens verò tollit. Absque solis luce, tenebris terra completur: absque Christi gratia jugiter influente, caligine obscuratur anima. Hinc Dominus Ioan. 17. *Ego charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus.*

D. III. *Bonum inhærere Christo.*

Docet tertiò: Quam bonum sit in ipso, & in vera & viva vite manere ipsique inhærere. Nam primo, *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,* inquit: Fructus autem est primò vitare peccata. Secundo vacare operibus sanctitatis. Tertiò ædificare etiam alios. Denique sperare præmium supernaturale, non qualecunque, sed quale debetur filiis, visio DEI & hæreditas regni ejus. Illuc enim una cum vite palmites inferuntur: quomodo latro pœnitens & Christo adhærens, unà cum ipso intravit paradisum, attestante Domino: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso,* Luc. 23.

2. Secundò; per ipsum omnia poterunt, qui in ipso manent. Vt enim sine ipso nihil possunt, ita cum ipso omnia possunt. Israelitæ fuderunt hostes suos, quamdiu adhæserunt Deo suo: ubi verò recesserunt ab eo, corruerunt coram illis: ita cum Domino potentes erimus, sine ipso invalidi. Comitetur nos DEI gratia, sicut columna ignis Hebræos: & nullum timebimus Pharaonem. Non sine causa pastor bonus dicitur à Domino sustulisse ovem in humeros suos; voluit enim insinuare, nihil timendum oviculæ, quæ insidet humeris CHRISTI. *Omnia possum in eo, qui me confortat,* inquit Apost. ad Ephes. 4.

3. Tertiò, nihil non impetrabunt: *Si manseritis in me,* inquit, *& verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis & fiet vobis.* Qui enim dicta ratione in Christo manent, constituuntur filii Dei adoptivi, adeoque in longè excellentiori statu, quam sint ipsi Angeli: Iam ergò sicut Pater filium charissimum aliquid petentem, quod sit ipsi proficuum, utique exaudiet: Ita DEVS justos. Eò pertinent verba illa Christi: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Luc. 11.

E. IV. *Malum à Christo separari.*

Docet quartò: Quam sit malum ab ipso separari: Ait enim Dominus: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Separantur autem aliqui à Christo secundum charitatem, qui labuntur in peccatum mortiferum; & hi si resurgere differant vel contemnant, vel si sæpius relabantur, meritò timere possunt, ne mittantur foras & arescant, &c. uti alias ostendimus, sunt tamen isti non omnino à Christo resecati, sed inhærent ipsi saltem per fidem velut palmes infœcundus, habens tantùm virorem fidei & folia verborum. In morte verò, nisi resipiscant; omninò separabuntur atque veluti aridi & inutiles rami in ignem abjicientur. Separantur alii secundum fidem, qui labuntur in hæresin; & hi omnem etiam virorem perdunt ac prorsus resecantur. Tales mittuntur primò foras, quia communiter à Deo deseruntur, & sibi ipsis relinquuntur. Secundò, arescunt in semetipsis, dum destituuntur humore & ope Sacramentorum, verbi Dei, precum Ecclesiæ, bonorum exemplorum, &c. Vnde perdunt omnem devotionem, omnemque Dei timorem. Tertio colliguntur à dæmonibus, dum eorum fraude & impulsu plurimis involvuntur sceleribus, ut jam nullum ad Ecclesiam repetendam ostium invenire queant. Separantur alii secundum communionem Sanctorum per censuram; qui videlicet ob contumaciam ab Ecclesia excommunicantur, & velut membra putrida, resecantur, donec resipiscant. Hi etiam primò mittuntur foras, dum non solum à Dei gratia, & speciali protectione excidunt, verum etiam à corpore ejus, quod est Ecclesia separantur. Vnde S. Chrysostomus de communicato loquens, ait: *Dejiciebatur à communi fidelium cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus luporum patebat & prodebatur occursibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat Spiritus sancti gratia.*

Secun-

2. Secundò. Exarescunt, dum Ecclesiæ precibus, usu Sacramentorum, sacræ missæ auditione, SS. Indulgentiis & bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt, communione destituuntur. Experientia etiam sæpissimè demonstravit, tales spoliari robore & prospero rerum successu, fierique prædam hostibus, vel alias miserè interire, si pergant in pertinacia. Ita factum Ios. 7. Vbi Dominus, ad Iosue dixit: *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate.* Experti sunt hoc plures Imperatores anathemate percussi.

3. Tertiò, Traduntur dæmonibus & ab eis colliguntur. Destituti enim orationibus, suffragiis, sacramentis, DEI protectione & cura pastorali, patent incursibus & tyrannidi diaboli. Hinc Apostolus 1. Corinth. 5. & 1. Timoth. 1. tales se tradidisse Satanæ ait? non ut prorsus pereant, sed ut ab eo ad tempus afflicti, confusi item & ab omnibus deserti resipiscant. Tradunt certè sancti Patres, uti Ambrosius & Theodoretus in cap. 1. ad Timoth. 1. tales olim crebrò à dæmonibus vexatos, & quasi possessos fuisse. Et hinc forsitan phrasis illa Apostolica manavit. Exempla crebra sunt in Vitis Patrum, & nominatim in vita S. Ambrosii apud Paulinum. Cum enim Ambrosius quendam Sathanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cœpit. Zosimus ab Arianis in Episcopatum Neopolitanum intrusus, cum sententiam anathematis accepisset à Maximo legitimo ejus loci Episcopo, sed ab Arianis in exilium pulso; quoties Ecclesiam intravit, toties lingua ejus fœdum in modum ex ore propendere cœpit, uti bos anhelus facit: donec cessit Episcopatu. Baron. anno 359. Denique Theodoretus loco citato ait: *Ab Ecclesiastico corpore separati & divina gratia nudati, ab adversario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles affectiones & alias calamitates, &c.*

Hinc quicunque DEVM timuerunt, excommunicationem quoque vehementer pertimescebant; uti Theodosius Senior, qui ab Ambrosio excommunicatus, non priùs lachrymis abstinuit, quàm ab eodem absolveretur, ut narrat Theodoretus lib. 5. histor. cap. 17. Idem cap. 36. refert, Theodosium Iuniorem à quodam audaciore Monacho, cujus petitionem Imperator rejecisset, excommunicatum, expensa domi excommunicationis gravitate, cibum recusasse, donec absolveretur. Ac licet Patriarcha responderet, nullam & evanidam fuisse illam censuram, non tamen acquievit Imperator; sed Monachum tota urbe conquisitum, accersivit & rogavit ut absolveretur; sicque conquievit. Sed neque cum excommunicatis communicare ulla ratione volebant ac poterant Christiani, cujus exemplum refert Beda in histor. Angli. lib. 3. cap. 22. apud Baronium anno 655. Cùm enim Cedd. Episcopus excommunicasset comitem quendam ob illicitum conjugium, Osuvi Rex ab eo invitatus, cum illo est epulatus. Inde digrediens obvius fit Episcopo; quo viso tremefactus, ex equo desiliens seque ad ejus pedes prosternens veniam petit. Iratus autem Regi Episcopus, virgâ, quam manu tenebat, eum tangens & Pontificali authoritate protestans: *dico tibi*, inquit, *quia noluisti te continere à domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes.* Idque ei contigit, cum à duobus propinquis necatus est, rex alioqui mitissimus, in expiationem illius peccati & nimiæ indulgentiæ. Denique S. Gregor. Papa in epist. ad Theoctistam Imperatoris sororem lib. 9. Epist. cap. 36. contemptores excommunicationis negat esse Christianos. Studeat ergo, quisquis est excommunicatus, ad Ecclesiam reverti, cum Agar illa, & humiliari sub manu dominæ suæ, & cum columba illa ex arca dimissa, quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad arcam, Genes. 8.

F. V. *Laborandum ut in Christo maneamus.*

Docet Quinto: Quantum nobis laborandum sit, ut in ipso maneamus. Si enim tam necessarium est, & utile nobis ipsi inhærere, si tam periculosum & tremendum, ab ipso separari: cogitate Auditores, an non sedulò ei obsequi per omnia, & incessanter orare debeamus, ne exscindat nos & projiciat à se? Adhæc ipsemet quodammodo nos rogat in hodierno Evangelio, Ait enim: *Manete in me, & ego in vobis*; maneam videlicet, uti plerique exponunt: Perinde ac si cui pauperculo diceret Rex Hispaniæ: Quæso esto meus amicus, & patere me esse amicum tuum. Nobis tantùm utile est, tam quòd Christus in nobis, quam quod nos in Christo maneamus, Christo nihil accedit, nisi gloria tantum extrinseca, & gaudium accidentale. Iam ergo quomodo non insaniunt, qui in Christum, à quo gestantur veluti palmites à vite, injurii sunt? Nonne si filius matrem, à qua gestatur, pugnis impeteret, & cederet in faciem, mereretur abjici in angulum & derelinqui? Nonne sponsa recederet à sponso, quem videret aliàs mulierculas ad se inducere, & adamare: Pari jure DEVS abjicit à se illum, qui non desinit eum offendere, quique in ejus odium introducit amasias alienas, voluptatem, avaritiam, ambitionem, gulam, &c. iisque adhæret. Quare ne hoc contingat nobis; vitemus peccata, & oremus quantum fieri potest, sine intermissione, cum regio Psalmista David ex Psalm. 50. *Ne projicias me à facie tua & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

Mane in nobis Domine & nos in te maneamus.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur vitis Christus.
II. Cur vitis vera.
III. Quomodo Deus pater agricola?
IV. An Christus etiam agricola?
V. Quomodo palmites, id est, Christiani sunt in Christo, veluti in vite.
VI. Quomodo tollatur palmes non referens fructum.
VII. Quomodo palmitem ferentem fructum purget Deus?
VIII. Palmes quomodo cultro persecutionis purgetur?

THEMA.

Ego sum vitis vera, & pater meus Agricola est, Joan. 15.

A. MErito hoc Evangelium legit Ecclesia in festis sanctorum Martyrum: describit enim arctissimam inhæsionem Sanctorum in Christo. Tametsi verò omnes electi palmites quidam sunt, Christo tanquam viti implantati & inhærentes, præsertim tamen Martyres. In eorum enim persona ait Apostolus ad Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Itaque licet cultro seu gladio persecutionis ita putati sint, ut ex eorum membris sanguis undique manaret, non tamen amputari à Christo potuerunt, sed fortius ei adhæserunt, & majorem fructum tulerunt. Quotusquisque nostrum est, qui si proferretur culter, ad scindendum corpus, nonne perterrefieret, & nutare inciperet? Sed non ita S. Georgius, non ita Martyres reliqui, qui quo magis putabantur, eò præclariorem virtutum succum emittebant. Quos ut imitari discamus, doctrinam Evangelii audiamus.

B. I. *Cur vitis Christus.* Quæst. prima: Cur vitem se vocat Christus? Respond. primo, ob multitudinem & dilatationem credentium. Vt enim vitis plurimos habet palmites: Ita Christus plurimos fideles sibi inhærentes; Vitis etiam palmites suos latissimè extendit, ita Christus Ecclesiam suam per universum orbem.

Secundo, Quia optatissimum & pretiosissimum fructum mundo attulit, *vinum, quod lætificat DEVM & homines*, Iudic. 9. sanguinem scilicet suum, quo à peccatis abluimur, & potamur in Sacramentis. Quanquam iste succus magni ipsum constitit, & exprimi torculari crucis debuit, sicut in benedictione Iudæ de Christo prædixit Iacob: *Lavabit in vino stolam suam*, id est, humanitatem suam: & *in sanguine uvæ pallium suum*, id est, Ecclesiam, Genes. 49. Ex hoc succo (meritorum CHRISTI) omnia ejus membra vivunt & fructum gignunt: quia omnia nostra opera bona, inde meritum vitæ trahunt. inde omnia Sacramenta vim & efficaciam. Sed quemadmodum vinum non prodest nec lætificat nisi potatum, & succus in vite nisi à palmitibus attractus, & quodammodo potatus; sic nec CHRISTI sanguis, nisi nobis applicatus, per Sacramenta & bona opera.

II. C. *Cur Viti Vera.* 1. Quæst. secunda: Cur se vitem veram dicit? Resp. primo: Veram, id est synceram & genuinam, quæ continet & tradit suis palmitibus succum veræ fidei & pietatis: non adulterinam aut agrestem, quæ fructum nullum aut certè amarum proferat infidelitatis, Apostasiæ, aliorumque scelerum. Ita dicitur de synagoga Ierem. 2. *Plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Quod idem de hæresiarchis dici potest; qui in Ecclesia & religione plantati, vites factæ sunt pravæ & adulterinæ, ut Lutherus, Zvvinglius, Oecolampadius, &c. Plantaverat in illis Ecclesia semen verbi DEI verum: sed illi id depravarunt & depravatum aliis tradiderunt.

2. Secundò veram, id est, perfectam & eximiam, quæ optimas propagines & optimum gignit fructum, omniaque illa præstat, quæ à bona vite exspectantur, sic Ioan. 1. dicitur *lux vera:* & Nathanael *verè Israëlita*, Ioan. 2. Multi etiam viri sancti vites sunt, & palmites ex se gignunt, uti inprimis ordinum fundatores, gentium aut urbium Apostoli. Sed hi fructum & palmites non ex se (uti Christus) sed ex Christo ejusque adjutorio proferunt.

D. III. *Quomodo Deus Pater agricola?* 1. Quæstio tertia: Quomodo Deus pater agricola est? Resp. Pater, id est, tota SS. Trinitas agricola est. Primò, quia plantavit vitem humanæ Christi naturæ in utero B. M. virginis: stercoravit, quando eam pinguedine Spiritus sancti & omnibus ejus donis implevit: Circumfodit, cum Iudæos illi hostes & insidiatores dedit, qui foderent foveam animæ ejus: putavit, cum ei in passione decorem omnem præcidit, gloriam, potentiam, sapientiam, regiam dignitatem, nominis celebritatem, beatitudinem animæ, qua redundabat in partem ejus inferiorem, &c. Palo alligavit seu pastinavit, cum affixit cruci: Pampinavit, cum ibidem ostendit per miracula botrum Divinitatis ejus. Pressit in torculari, cum mortis doloribus oppressit; excoluit, cùm post hyemem passionis in vere resurrectionis redivivum ostendit.

Secundò.

Secundò. Quia etiam circa palmites occupatur & operatur usque modo, plantando, rigando, fodiendo, purgando, alligando per verbum Dei, per Sacramenta, per præcepta, per tentationes, denique fœcundando, & incrementum dando. Vnde Apostolus, 1. Cor. 3. ait: *Dei agricultura estis: Dei ædificatio estis:* Ibidem se & alios Evangelii Ministros, cooperatores Dei vocat, quasi famulos magni illius agricolæ.

E. IV. *An Christus etiam agricola?*

Quæst. quarta: Nonne etiam Christus est agricola, cum ipse & pater unum sint? & paulò post ipse testatur se agricolam esse, cum ait: *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis?* Cur ergo patrem tantum vocat agricolam? Respond. primo id facere, ut servet decorem parabolæ, & simul accommodet se captui audiëtium. Quia in humanis non solet esse idem, vitis & agricolâ, unde & Auditores difficile intellexissent, quomodo Christus simul esset vitis & agricola. Vbi discunt Concionatores intelligentiæ Auditorum se accommodare.

Secundò ut doceat nos humilia nostra proloqui, sublimia tacere, & alteri potius gloriam quam nobis tribuere: licet nobis etiam debeatur. Nos defectus nostros occultamus, dona quibus excellimus, ostentamus: nos ipsos prædicamus, aliorum gloriam tacemus. Sed non ita Christus, qui sibi humilitatem vitis, quæ culturâ alienâ indiget, patri cultoris dignitatem tribuit, licet hanc & ipse habuerit.

F. V. *Quomodo Palmites, id est, Christiani sunt in Christo, velut in vite?*

Quæst. quinta: Quomodo Palmites, id est, Christiani sunt in Christo velut in vite? Respondetur per fidem & charitatem. Aliqui enim per solam fidem ei adhærent, quia nimirum veram fidem habent, (nam qui veram non habent, prorsus non adhærent vinculo scilicet supernaturali, seu fide divina, sed humana tantùm, quomodo scopæ adhærent baculo] sed in statu peccati sunt, & charitate carent. Et hi similes sunt surculis, qui in optimo trunco insiti virent quidem, sed fructum nullum aut certè malum & agrestem afferunt, quibus proinde velut infrugiferæ illi ficui imminet excidium & gehenna. Habent isti folia, id est, fidei confessionem, sed non habent fructum: cujusmodi erat illa Os. 10. *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei.* Ejusmodi ficum maledixit Dominus. Alii per charitatem etiam eidem Christo adhærent, & sunt fideles in gratia constituti: & hi fructum ferunt bonorum operum, unaque cum vite sua cœlo inferentur. Porro in hac implantatione duo mira, & naturali implantationi contraria reperiuntur, ut advertit Aug. in Psalm. 72. Primo surculus agrestis inseritur viti urbanæ seu nobili, id est, Christo: cùm è contra in natura trunco sylvestri inseratur surculus nobilis, ut oliva oleastro: ut scribit Apostolus ad Rom. 11. *Tu ex naturali excisus es oleastro*, inquit, *& contra naturam insertus es in bonam olivam.* Secundo, surculus agrestis Christo insertus, non fert fructum agrestem, sed nobilem: cùm in natura Surculus insertus non ferat fructum trunci, cui est insertus, sed suum. Itaque oleaster olivæ insertus naturaliter oleastri, non olivæ fructum fert; sed contrarium fit in insitione spirituali. Vnde Christiani facti Christiana opera facere debent, non qualia in Gentilismo vel hæresi facere assueti sunt.

G. VI. *Quomodo tollatur palmes non ferens fructum.*

Quæstio sexta: Quomodo agricola noster palmitem in Christo non ferentem fructum tollit? Respondetur primo; quando inutiles Christianos, qui sola fide ei adhærent & nullum fructum bonum, sed potius malum ferunt, finit labi in hæresin. Tunc enim mittitur foras palmes, id est, extra Ecclesiam, tunc arescit, & omni gratiæ humore destituitur, tunc colligetur à dæmonibus, sicut inutilis caro projecta extra marcellum colligitur à canibus foris exspectantibus, tandemque in ignem mittitur. Non dico cum hæreticis, peccantes illicò perdere fidem: sed facilitatem ac consuetudinem peccandi graviter esse gradum ad hæresin & excisionem à corpore Christi. Non enim est difficilè persuadere luxuriosis, castitatem esse impossibilem: rebellibus obedientiam & vota non servanda: gulosis jejunia non prodesse: delicatis, frustrà esse satisfactionis & mortificationis opera. Et hac ex causa omnes hæresiarchæ & eorum sectatores à vite Christo excisi sunt. Secundo cum aliquem deserit, & nullam ei culturam adhibet, uti minatur vineæ sterili Synagogæ, Isa. 5. *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem, non putabitur & non fodietur, &c.* Quod deprecatur David Psal. 50. *Ne projicias me à facie tua.*

Tertiò. Quando infructuosos ramos è vite exterminat, & in infernum præcipitat: *Descedite à me maledicti.* O separationem terribilem! Quid enim est separari à summo bono, ab omnibus electis? Sic facere intendit ficui illi infrugiferæ, Luc. 13. qui per triennium fructum nullum tulit. Nec immerito, si enim in hortis nostris non toleramus arbores inutiles, & infœcundas, nec corpore membra putrida, quid mirum si in filio suo Deus non ferat inutiles Christianos? Tolerat quidem aliquamdiu, & exspectat eos ad pœnitentiam & fructificationem sed væ illis, si abutantur ea indulgentia ad peccandum. *Nemini dedit Deus spatium peccandi.* ait Eccles. cap. 15. sed pœnitendi & fructum afferendi. Notandum præterea, si sterilis in palmes & fructum bonum non ferens tollitur & in ignem mittitur, quid fiet ferenti malos & noxios fructus?

H. VII. *Quomodo palmitem ferentem fructum purget Deus.*

Quæst. septima: Quomodo palmitem ferentem fructum purgat Deus? Respondent. primo, tunc purgare, quando ea, quæ noxia sunt palmitibus ab iis resecat, ut peccata venialia, cupiditates rerum terrenarum & affectus inordinatos, peccandi occasiones, &c. Sic vinitor putat palmites, cum virgas excrescentes & luxuriantes ab eis resecat, ne pro fructibus folia tantum & rami gignantur. Ejusmodi autem falces, quibus putantur Christiani, sunt frequens Sacramentorum usus, tentationes, & morbi,

bi, quibus reſecantur creaturæ amatæ, verbum Dei & admonitiones ſalutares, exempla, quæ dant boni, vel quæ dat Deus præmiando bonos & puniendo malos. Gauderet ſanè vitis cum putatur, ſi ratione prædita eſſet: gaudeat & Chriſtianus cum his falcibus purgaturus. *S*anctus Iacobus cognomento, *intercisus*, cùm digiti & cætera membra ei abſcinderentur juſſu Regis Perſarum, abſciſſo primo digito dixit: *Liberator Nazarene ſuſcipe ramum arboris miſericordiæ tuæ. Nam à cultore vineæ ſarmentum abſcinditur vitis, ut potius germinet & uberius coronetur.* Cumque inſtaret illi carnifex, ut fidem abnegaret, reſpondit: *Nonne proſpexiſti ſtipitem vitis, quia, cum amputantur ſarmenta, ille nodus qui remanet, in ſuo tempore, cum terra caleſcere incipit, per ſingula abſciſſionis loca producit germina? Si ergò vitis putatur, viciſſitudine temporis ut germinet, quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Chriſto compactus eſt?* Sic ille, qui & per ſingulas mutilationes membrorum ſingulis ſententiis Deum benedixit, Similiter & tu vitem te eſſe cogita, cum Deus abſcindit tibi ſanitatem. Sic ſentiebat Eremita ille, qui cùm uno anno à morbo immunis fuiſſet, dixit: *Domine Deus cur me deſeris? cur me deſolatum hoc anno non viſitaſti?* Et religioſus ille infirmo adoleſcenti ſanitatem deſideranti: *Rem tibi neceſſariam,* inquit *cupis auferri: ſi enim aurum es per ignem probaris: ſi ferrum, rubignem amittis.* Ex vitis Patrum referunt Simon Goulart. & Ludov. Granat. ſerm. de commemoratione Animarum. Item cum tibi abſcindit per mortem liberos vel amicos. Sic Sancta Melania cum marito nondum humato, binos inſuper amiſiſſet liberos, nihil aliud dixiit, quam: *Magis expeditè tibi ſervitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti,* Hieron. in Epiſt. ad Paulam. Item cum per incendium, rapinam vel ſimilem afflictionem opes tibi adimit. Ita S. Franciſc. bonis ſuis exutus à parente, dixit, ſibi in poſterum majorem facultatem fore dicendi: *Pater noſter, qui es in cœlis.*

*S*ecundò Verbo Dei, & ſalutaribus admonitionibus, quaſi lavacro quodam. Vnde ſubjicit Dominus: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Laverat paulo ante pedes ſuis diſcipulis, non tamen ob id mundos ait, ſed propter ſermonem, quem poſtea ad eos fecit; itaque illa lotio figura hujus fuiſſe videtur. Nemo igitur detrectet ad ſpirituale concionis balneum venire, quia ibi ſordes ablui ſolent. Ad balneum ſingulis ferè Sabbathis itur, & lixivium admittitur: cur non potius id præſtamus animæ? ſed nimirum uti capita ſcabioſa horrent lixivium & pectinem: Ita qui ſibi malè conſcii ſunt, fugiunt conciones. Multi exiſtimant non poſſe ſe eſſe ſanos, nihil ſemel in hebdomada ſe lavent: à balneo verò concionum ſæpe multis hebdomadibus ac menſibus abſtinere poſſunt; quos certè neceſſe eſt, ſordibus ſcatere.

Tertiò: Pœnitentiâ & lachrymis, quæ ſunt inſtar ſacrificationis, quâ ſuperfluus redundans ſanguis emittitur, & niſi emittatur, quandoque graves & lethales morbos gignit. Eadem ratio cum pœnitentia. Crebrò aperiantur conſcientiæ confeſſariis, ut emittatur ſanguis noxius peccatorum, David certè cum per novem ferè menſes in peccato hæſiſſet & pœnitere omiſiſſet, tandem noxio ſanguine gravatus exclamat, Pſal. 50. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Ac niſi veniſſet Nathã, qui quaſi ſacrificando conſcientiam ejus ſauciavit, & ſanguinem elicuit, forte periiſſet: Nemo igitur ægrè ferat, ſi idem etiam confeſſarii faciant. Et quemadmodum ſacrificatio fit ferè ſingulis menſibus, ſic deberet fieri confeſsio.

Quarto exemplis honorum, nec non iis, quæ ipſe Deus dat miſericordiæ vel vindictæ, quaſi venæ inciſionibus: Vt enim unius venæ inciſione purgatur ſanguis in venis aliis toto corpore: Sic quando Deus incidit aliquando venam unam, cum tollit repente è medio noſtri amicum unum, &c. Cogitemus tunc: *Hodie tibi, cras mihi*, & vitam, ſi ſapimus, emendamus. Purgemus ergò conſcientias noſtras, & emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne ſubito præoccupati die mortis queramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus.

I. VIII. *Palmes quomod[o] cultro p[er]ſecution[is] purgetur*

Quæſt. octava: Itane omnem palmitem purgat cultro perſecutionis? Reſpondetur, id affirmari & confirmari ab Apoſtolo 2. Tim. 3. cum ait: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Primo, quia ſemper adſunt difficultates in ſuperandis vitiis, & concupiſcentiis propriis frœnandis: Vnde S. Leo ſerm. 9. de quadrageſima ait: *Sicut totius eſt corporis pie vivere, ita totius eſt, temporis crucem ferre.* Secundo, Quia diabolus neminem non tentat & impugnat. In quem ſenſum S. Auguſtin. in Pſalm. 127. ait: *Si mortuus eſt diabolus, mortuæ ſunt perſecutiones. Si autem ille adverſarius noſter vivit, unde non tentationes ſuggerit? Vnde non minas & ſcandala procurat?* Tertio: Quia quicunque piè vivunt, habent obtrectatores, irriſores, ludiones, fraudatores, detractores. *Impoſſibile enim eſt, ut qui malis bellum indixerit, preſſuris careat,* inquit S. Chryſoſtomus in dictum Apoſtoli locum

[margin: 1. 2. 3.]

IN FESTO SANCTI MARCI.

Evangelium.

Salutat vos Marcus Filius meus, 1. Petr. 5.

CONCIONES.

I. *Sectatores alii terræ, alii cœli.*
II. *In Processionibus quomodo eundum.*
III. *Qui potissimum operarii à Deo postulandi.*
IV. *In processionibus quænam observanda.*

CONCIO I.

SECTATORES ALII TERRÆ, alii cæli.

Sectatores terræ sunt I. Qui in vestitu gloriam suam quærunt.
II. Qui in corradendis opibus suam fælicitatem quærunt.
III. Qui è vindicta gloriam quærunt.
IV. Qui pro libertate carnis pugnant.
Sectatores Cœli sunt I. Qui sua libenter communicant.
II. Qui cultum animæ potius quàm corporis quærunt.
III. Qui juramentis abstinent.
IV. Qui inter se unanimes sunt.

THEMA.

Salutat vos Marcus filius meus, 1. Petr. 5.

NOn exigua laus est S. Marci, quòd à Principe Apostolorum Petro *filius* appelletur illis verbis: *Salutat vos Marcus filius meus*, Argumentum enim est eximii amoris in Petro erga Sanctum Marcum, quem in Christo genuerit: & magnæ sanctitatis in Sancto Marco. Laus hæc talis est, quæ ab omnibus Christianis jure merito expectatur. Quare si & nos filii Sancti Petri dilecti esse desideramus, sancti Marci sectatores seu fratres esse studeamus. Notum est inter pugiles duas esse factiones, quarum unum appellatur die Feder-Fechter/ quasi dicas, plumarii pugiles; altera die Marxbrüder / hoc est, fratres seu pugiles Marci: quæ velut Antagonistæ de gloria inter se certant. Non dissimiliter inter Christianos duæ sunt factiones hominum; alii enim plumarum, alii S. Marci sectatores sunt. Illi mundum ejusque vanitates sequuntur ac propugnant: isti verò DEum. Non opus deliberare utri parti adhærendum sit. Nemo enim nostrum est, qui non S. Marci frater esse velit. Solum id superesse videtur, ut utramq; contemplemur, quod nunc faciemus.

Duo factiones pugilum.

Quinam plumarii pugiles sunt, die Feder-Fechter? Qui pro plumis luctantur & pugnant, pro rebus fluxis & inanibus. Quid levius pluma? & quid fugacius mundi bonis? Tales autem sunt pugiles mundi.

I. Qui in splendido vestitu suam gloriam quærunt. Populi in calidis regionibus utriusque Indiæ plumis ferè avium varicoloribus se ornare solent; coronam inde capiti facere & præcinctorium. Rideremus illos nos, si videremus; at interim nihil aliud agunt superbi, dum per vestitum splendidum gloriam sibi quærunt; omnia enim ornaméta mendicant à bestiarum plumis & pellibus, vermibus, lapidibus, plantis & arboribus: non secus ac personæ comicæ, quæ si Regis personam aut Reginæ agere debeat, ornamenta regia emendicant à magnatibus, ab uno vestem, ab alio torquem, ab alio coronam, gladium, &c. Quis autem illos propterea veneratur, aut magis æstimat? Post comœdiam enim omnia deponere & restituere coguntur. Adhæc per hunc luxum avolant divitiæ. Fuit anno 1518. Princeps, qui pellicium seu talarem tunicam habuit suffultam pellibus, quas pellio è carduelium capitellis miro opere concinnavit. Drex. in Trism. l. 3. c. 9. Qualis hic plumarum pugil? quot aviculas suis plumis deplumavit, ut alienis se ornaret? Et quo emolumento, nisi ut tanta vanitas legatur in libris, & rideatur ab intelligentibus?

I. Qui in vestitu suam gloriam quærunt.

II. Qui

II. *Qui in corradendis opibus suam felicitatem quærunt.*

II. Qui in opibus accumulandis suam fœlicitatem quærunt. Divitiæ sunt plumæ; quia sicut aves beneficio plumarum se calefaciunt & in altum tollunt: sic divites beneficio opum carnem suam fovent & in superbiam evehuntur. Talis Nabuchodonosor, de quo Ezech. 17. dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, &c.* Plumæ significant divitias ejus, secundum D. Greg. 31. moral. c. 19. Sicut enim *aquila sine plumis volare nequit, ita & Principum dignitas omnis nisi pecunia fulta, enervis est, & facile corruit*, ut dixit Carolus 4. Imp. ad Principes Germaniæ apud Dubravium l. 22. Verum sicut avium pennæ subinde defluunt, **Wann sie mausen**: ita defluxerunt Nabuchdonosori, quando velut amens ejectus est è regno in sylvas. Vnde monet Sapiens Prov. 23. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere; quia facient sibi pennas quasi aquilæ & volabunt in cœlum.* Vt enim aquilæ altissimè evolant, ita ut conspici demum nequeant: sic opes sæpe numerò avolant quàm longissimè ut nihil jam ex eis videas. Id expertus ille vini mercator, cujus crumenam è navis puppi rapuit miluus, pelle leporina tectam, & in aquam dejecit, teste *S.* Greg. Turon. de glor. Confess. c. 109. Superioribus annis Liscanus Hispanus, cùm gravi obsidione Solymannus Strigonium urgeret, auro suo ex prædis consarcinato metuens, deditionis maturandæ author fuit. Excessurus igitur munitione aureo torque Halin Turcarum donat: aurum verò suum in ephipiis insignium, quos alebat, equorum subter pulvinos condit, quo securiùs id secum auferat. Verùm abitu ipsi permisso, equi ejus cùm ephippiis & auro unà cum derisore à Turca intercepti & retenti sunt, dicente: *navigaturo nihil opus esse equis. S*ic deplumatus Posonium venit & reus proditionis carceri mancipatus est. Iovius & Sabell. suppl. 26. Quales sibi pennas fecit, hoc aurum, & quàm procul avolavit? In Turcarum hostium manus unà cum equis & ephippiis.

III. *Qui è vindicta gloriam quærunt.*

III. Qui vindictam, adeoque ab inimicis sternendis gloriam quærunt & solatium suum. Quid enim aliud agunt, qui ob rem levissimam lites & contentiones movent, quàm qui pro pluma certant? Advertit Pierius lib. 24. aves incitari ad pugnam & contentionem, si allium eis in cibum detur. Quid allio, vilissimorum hominũ cibo, vilius, quod Plinio teste l. 19. c. 6. sæpe sponte in arvis crescit? Et nonne multi ob rem vilissimam duella, certamina, contentiones & clamores ingentes cient; v. g. quia unus alteri de via non cessit; quia caput prætereunti non aperuit; quia ejus equum virga percussit? Sic fratres Iosepho infensi facti sunt, eumque perdere voluerunt ac vendiderunt, quia narravit eis somnium suum de futura sua præcellentia. Vnde illi indignati dixerunt: *Numquid Rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Gen. 37. Saul, quia audivit mulieres canentes: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, in odium Davidis exarsit: quasi tanti esset cantus mulierum, 1. Reg. 17. Aman, quòd Mardochæus non flecteret ei genu velut Deo, necem non ei soli, sed toti Iudæorum genti molitus est, Esth. 3. Nonne hi de allio & pluma contenderunt? An non & ille Gallus eques talis fuit, qui in bello Anglico, cùm deprehendisset navarchum quendam Genuensem similia insignia cum suis gerere, caput scilicet bovis; provocavit eum ad certamen, ut demonstraret, sibi deberi potius caput bovis, quòd antiquioris stemmatis esset? At navarchus bellè delusit ejus vesaniam: prodiens enim ad certamen, quæsivit prius, qua de re certandum esset: *Caput bovis:* ait ille, *mea sunt insignia.* Tum alter; *Nihil hæc ad me: mea enim sunt caput vaccæ tantum.* Sic elusit arrogantem: sic composuit controversiam. Et hoc non est de pluma litigare?

IV. *Qui pro libertate carnis pugnant.*

IV. Qui pro libertate carnis pugnant; quales inprimis hæretici, in libertatem istam toti immersi. Pro pennis isti pugnant, ut liberè quacunque placet, evolare queant; sed in malum suum: sicut filio prodigo nocuit accepisse libertatem & substantiæ suæ portionem; siquidem abiens in longinqua, incidit in summas calamitates. Vulgò de Caligula Imp. proditum fuit, *nec servum ipso meliorem, nec dominum deteriorem fuisse.* Alex. ab Alex. l. 3. c. 20. Iones etiam dicebat Callicrates servos esse bonos, liberos verò malos. Multorum hoc est encomium, qui dum sub jugo essent, optimi erant: postquam facti liberi sunt, pessimi evaserunt. Cogitent hoc libertini.

Pugiles Christi, quales primi Christiani.

His è diametro adversantur fratres S. Marci, **die Marxbrüder.** Quales verò illi? Scribit Eusebius l. 8. præparat. Evang. c. 4 & S. Hieronymus ex Philone Iudæo, testante eo tempore, quo S. Marcus Alexandrinam sedem erexit ac tenuit, Christianos per eum instructos vitam duxisse sanctissimam, qualis primorum Christianorum erat, Actor. 4. à Luca descripta.

I. *Sua libenter communicant.*

I. Omnia bona fortunæ ipsis erant communia, nec suum esse quidquam dicebant: nullum egere patiebantur: agricultura, pastoritia & apum mellificatione vivebant. Idem etiam studium bonorum Christianorum est, non ferre clamores graviter egentium, aut miserias illorum aspicere oculis suis, quin succurrant eis pro viribus. Scimus Christum Dominum majorem perfectionem requirere à Christianis, quàm à Iudæis. At his tamen præcepit Deus, Deut. 15. *Omninò indigens & mendicus non erit inter vos, ut benedicat tibi Dominus*, non quòd mendicare egenis prohiberet: [scimus enim Lazarum mendicum fuisse] sed quòd eis subveniri vellet, ne graviter egerent. Multò igitur magis faciendum hoc Christianis. Guilla Marchionissa Hugonis Marchionis mater, videns in itinere vicinum sacellum, audiensque appellari *pauperem Mariam*, quòd nullos penè reditus haberet, ferre id non potuit; Mariam scilicet Dei matrem in terra appellari

pau-

pauperem, itaque eam diviti prædio dotavit, ut scribit B. Petrus Damiani Ep. 14. l. 7. Epist. At nonne, par aut major ratio habenda vivi templi DEI, quàm alterius lapidei? Egentes Christiani Dei templum vivum sunt, Dei aulici sunt. Quis jam ferat ipsos esse & dici pauperes, cùm possit juvare? S. Greg. M. *dum quendam pauperem in angustis andronarum recessibus à vespillonibus inveniri mortuum contigisset, æstimans eum stipis inopia periisse, ita per aliquot dies, ut dicitur, à Missarum celebratione vacando tristatus est, tanquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas est, peremisse.* Ita in ejus vita Ioan. Diaconus lib. 2. cap. 29. Viderint jam illi ante quorum ædes pauperes expirant, auxilio destituti: gemunt nec audiuntur; uti Lazarus ante domum epulonis.

II. *Cultum animæ potiùs quàm corporis quærunt.*

II. Victu & vestitu æquali & vili utebantur, velut religiosi unius familiæ; cui addebant crebra & severa jejunia. Similes his bonis Christiani sunt, qui carnem macerare potiùs, quàm saginare student, & cultum animæ præ cultu corporis quærunt. Scimus ex Levitico cap. 11. pisces scabros, qui pinnulas, & squamas habent, mundos à Deo declaratos, & esui salubres esse; propter eorum siccitatem scilicet, quam indicant squamæ: cæteros, qui iis carent adeoque læves sunt, immundos, imò abominabiles & execrandos esse habitos, utpote nimis humidos & viscosos proinde insalubres. Sed cur de usu piscium tam solicitus est Deus? quis non videt eum in hoc præcepto ad mores potiùs respicere? Et quinam pisces læves, nisi qui mollibus vestiuntur, adeoque in domibus Regum potius, quàm in domo DEI sunt? Quinam scabri & squamosi, nisi qui carnis curam non habent sed eam negligant & macerant? isti pinnulas habent, quibus crebros in altum saltus dant, elevando mentem ad Deum: illi verò non habent; unde nec saltare possunt, sed in profundo & luto hærent, uti anguillæ & mustellæ aquaticæ. Cui videre placet talem Marci fratrem, S. Ottonem Episcopum Bambergen. videat apud Surium in eis vita, 2. Iulii. l. 1. 36. & 37. *Nunquam se ad satietatem panem in Episcopatu comedisse dixit: semper enim sobrius ac pene jejunus de cœna vel prandio surrexit: apposita omnia infirmis pauperibus ac mendicis impertiens. Quodam jejunii tempore multa piscium penuria fuit. Sed quidam procurator ejus lucium parvæ quantitatis, emptum duobus solidis prandenti attulit bene paratum, modestè obsecrans, ut se uberiùs reficeret vel cibo, qui tam magno constabat, cui Episcopus, quanto inquit? Procurator: duobus, ait, solidis. Et Episcopus, absit ut miser Otto hodie tot denarios absumat; levansque discum: defer, ait, hunc pretiosum cibum Christo meo, qui mihi me ipso preciosior esse debet. Defer, inquit, ei, sicubi ægrotus in lecto jacet, vel paralyticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia sua deliciis affluebat.*

III. *Iuramẽtis abstinent.*

III. Iuramento inter eos nulla erant, jam enim mendacii suspectus habebatur, qui juramento quid firmaret. Decet certè hoc etiam Christianos, tum quia magna Deo irreverentia fit, si ob levem quamque causam in testem adducatur veluti propter unum aureum; tum quia ea debet esse fides & veritas Christianorum, ut injuratis credi possit, & quævis eorum assertio vim juramenti habeat; quod certè etiam fieret, si juramentis abstinerent. Sanè etiam apud Romanos flamini Diali jurare non licebat, quod indignum videretur, ei non credi, cui divina essent credita, apud Plutarch. in problem. Rom. in 43. probl. ubi & addit: *Iuramentum homini libero pro tormento est.* Rectè & Christianè, nam juramentum non nisi in casu necessitatis, quando in re magni momenti aliæ probationes haberi nequeunt, licitum, adeoque medicamenti instar est, quod non nisi causa necessitatis nec sine tormẽto & horrore admittitur. Sanè Otto Magnus, Christianissimus Princeps, si quando seriò loquebatur, non nisi per prolixam suam barbam jurabat, ut refert Cuspinianus in l. de Cæsar. ne Deum facilè in testem vocaret.

IV. *Inter se unanimes sunt.*

IV. Omnes inter se unanimes & quasi una anima erant. Deprehensos in peccatis excommunicabant: orationibus, contemplationi & piis operibus non secus ac nostri religiosi vacabant; ita ut in eorum quasi in gentis suæ, laudem librum scriberet Philo. Discipuli ergò & fratres S. Marci fuerunt, quasi, primi religiosi, qui sensim Ægyptum impleverunt Monachis, & fecerunt quasi non monasterium. Nimis multum peterem, si hoc à Christianis omnibus exigerem. Solum igitur hoc peto quod jubet Dominus, ut quærant primùm regnum cœlorum, & negotia cœlestia perferant terrenis. Meminerint quod dixi ex Levitico, pisces carentes squamis & pinnis, à Deo reprobatos esse; cujus Præcepti etiam hanc moralem rationem tradit Origines homil. 7. in Levit. *Vt si quis est in aquis istis, & in mari vitæ hujus, atque in fluctibus sæculi positus, tamen debeat satis agere: ut non in profundis jaceat aquarum, sicut sunt isti pisces, qui dicuntur non habere pinnas neque squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, ut in imis semper & circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguillæ & his similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, neque ad ejus superiora pervenire. Illi verò pisces, qui pinnulis juvantur ac squamis, ascendunt magis ad superiora, & aeri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quærant.* Et mox: *Si quis ergò habet pinnas, quibus ad superiora miratur, mundus est. Qui verò non habet pinnas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est.* Sic ille.

Sed quis exitu horum pugilum? Vtra factio palmam feret: Interrogemus primos, qui pro plumis pugnant: quid tandem lucrantur in suis plumis? Id quod Levit. scriptum, ut scilicet plumæ avium sacrificio deputatarum jamque deplumatarum, mitterentur in locum, in quo cineres effundi solent.

Quorsum ibunt tandem vestes pretiosæ, delitiæ & divitiæ? in locum cinerum. Quid lucri habebunt contentiosi? quid libertini? locum, in quo cineres effundi solent: *Mors depascet eos.* Interrogemus alteros S. Marci pugiles: quid illi lucrabuntur? Id nimirum quod ipse S. Marcus suo certamine, lucri fecit, ut angelico nuncio paulò ante martyrium audiret, nomen ejus scriptum esse in libro vitæ inter Apostolos, ut habet ejus vita apud Metaphr.

CONCIO II.

IN PROCESSIONIBUS QUOmodo eundum.

I. Tardè & graviter.
II. Cordatè & intrepidè.
III. Sine armis.
IV. Cum pœnitentia.
V. Cum bona intentione.
VI. Cum devotione.
VII. Cum meditatione pia.

THEMA.

Misit illos binos ante faciem suam, Luc. 10.

AB antiquissimo tempore S. Gregorii M. ante mille annos & 40. processio hodierna in Festo S. Marci peragitur. Sed cur die *S.* Marci? Quis causam indagabit? Mihi nunc ista occurrit. *S*ymbolum S. Marci Leo est, quia à rugitu quasi leonis, id est, prædicatione Ioannis Baptistæ terrifica, *Vox clamantis in deserto*; incipit Evangelium suum. Iam verò de Leone Scriptura Sacra loquitur, quòd informare possit nostram processionem. Sic enim loquitur, Proverb. 30. *Tria sunt quæ benè gradiuntur.* Quænam illa? Primum: *Leo fortissimus bestiarum* Leo igitur benè gradiens nos instruit, quomodo nos gradi in processionibus debeamus: uti nunc videbimus.

Leo Sancti Marci typus docet gradi in processionibus.

I. Tardè & graviter. 1.

I. Leo tardè, graviter & magnificè incedit, velut regio animo præditus, teste Aristotele in Physiolog. *S*ic decet nos incedere in processione tardè & graviter. Ac 1. non turbare ordinem, juxta id Apost. 1. Corinth. 4. *Omnia secundùm ordinem fiant in vobis.* Eum videns in Colossensibus gravisus est, ad Col. 2. *gaudens & videns ordinem universum.* Ordo hic ornat & conservat civitatem, imò cursum cœlorum, qui si turbaretur omnia perderet: ornat & cælum Angelorum hierarchiis suis. Adhæc non currendum, sed cum modestia eundum, sicut subditi & supplices solent ire ad Regem suum. Quanta modestia & demissione putamus ivisse animalia in arcam Noë, ut ibi salutem invenirent! Cicero homo Ethnicus l. 1. de legibus ait: *Ad divos adeunto castè, pietatem tenento, opes amovento. Si quis secus facit, Deus ipse vindex esto.* Cogitemus Deum nos inspicientem & numerantem gressus nostros; juxta id Iob: *Tu quidem gressus meos dinumerasti. Aulam regiam intraturus*, ait S. Chrysostomus homil. 15. in Ep. ad Hebr. *& habitu & oculis & incessu cunctisque aliis te componis & ornas: in Ecclesiam verò ingressurus, ubi verè est aula regia, & talis, qualis cœlestis est, rides?*

2.

Ad thronum Salomonis inter effictos leones quorum sex hinc, sex inde positi erant, ascendendum erat, 3. Reg. 10. sive ut cum timore & veneratione, sive ut more leonum graviter ad Regem ascendendum esse, insinuaretur. Cur non magis ad thronum Dei?

II. Cordatè & intrepidè.

II. Ambulat increpide unde subdit Sapiens loco suprà citato: *Ad nullius pavebit occursum.* Spernit enim canum oblatrantium vim, pergens suo itinere, subinde restitans & quasi illis minans Plin. lib. 8. cap. 16. Sic decet nos in processionibus pergere intrepidè, nec curare quòd alii obloquantur aut rideant nos. Ita fecit Thomas Morus Baro & Angliæ Cancellarius, qui antequam Cancellarius fieret, crucem in processionibus publicis sacerdoti præferebat. Factus Cancellarius non potuit adduci, ut in prolixioribus processionibus, quæ fiunt his diebus, equum ascenderet. Dicebat enim: *Nolo Dominum meum* [Crucifixum] *peditem eques sequi.* In templo etiam tunc non erubuit Sacerdoti admissam ministrare. Cumque malevoli canes aliqui ipsum propter hoc allatrarent, quòd esset contra despectum Regis, &c. respondit: *Non potest displicere domino meo Regi, quod Regi Regum omnium domino serviam.* Staplet. in vita.

Quid? Heraclius Imperator nonne crucem Domini suis humeris extulit in montem Calvariæ? Quod Imperator sibi honori duxit, erubescat facere nobilis, miles, civis?

III. Sine armis.

III. Ambulans ungues suos non exserit, sed recondit intra pedem quasi in vaginam. Sic decet nos in processionibus incedere sine armis. Non enim venimus pugnare cum Deo, sed ad ejus pedes supplices accedere. Ita egit junior Theodosius Imp. ingrediens in templum. Denique incedatur sine pompis, incedatur sine odio aut amarulentia erga quenquam.

Trip. Domin. 10. post. Pent. C. 1. D. E.

Includantur curæ & solicitudines domesticæ de parando cibo & nummis, & reserventur alteri tempori. Sic *A*braham pergens ad montem Moria Deo filium sacrificaturus; ait servis suis infra montem: *Expectate hic cum asino; postquam adoraverimus revertemur ad vos*, Gen. 22. Asini sunt temporales curæ, familiam gestantes: quorum oblationem respuit Deus, Exod. 13.

IV. Vestigia sua caudâ velut scopis evertit, & abolet, ne ex iis deprehendatur à venatoribus. Nos in processione benè ambulabimus, si per actum contritionis & aliquas mortificationes peccata nostra & pœnas ea consequentes deleamus. Legimus 4. Reg. 17. leones fuisse à Deo immissos in Babylonios illos, qui ad incolendam Samariam missi à Rege Assyriorum tulerunt secum Idola sua in terram sanctam. Quid autem aliud sunt peccata, quàm Idola? Ea igitur in loca sacra nequaquam inferenda, sed contritione saltem delenda sunt. Ad Pontificem nemo ingredi cum armis permittitur; similiter ad Turcarum Imperatorem; Idque capitale est. Ad Dei ædes cum peccati telo audeat quis ingredi.

V. *umbo- inten ne.*

V. Dum Ambulat, sinistro pede non transit dextrum, sed sinistrum infigit infra dextrum, more camelorum. Aristoteles lib. 2. animal. cap. 1. Ita nos docet in processionibus ante omnia quærere regnum Dei; secundarias intentiones retro ponere. Pes dexter est, processionem peragere ad propitiandum Deum, ad flagella communia & gravia avertenda, pestem, bellum, tempestates noxias ad impetranda beneficia, pacem, unionem Principum, Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, Turcæ depressionem: ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis.

Pedem sinistrum dextero præponunt, qui exeunt animi gratia quasi exspatiatum ob verni temporis amænitatem, ob corporis exercitium, propter bonam societatem & conversationem, ut mercentur & potent, vel ob curiositatem; ne dicam ob flagitium aliquod patrandum, quod fecit Absalon, cum peregrinationem in Hebron instituit, sub specie reddendi vota sua Deo, revera autem ut rebellionem in patrem moliretur, uti habetur, 2. Reg. 15. Nautæ, qui ad septentrionem versus polum arcticum navigant, buccinam intuentur, quæ est constellatio habens formam buccinæ: qui verò versus meridiem & polũ antarcticum, crucem aspiciunt, seu constellationem, crucis formam habentem. Qui ad meridiem cæli peregrinantur, crucem in processione præcedentem aspiciunt & fines pios, qui vero ad noctem perditionis, buccinam vanitatis intuentur.

VI. *Cum devotione.* 1.

VI. Cum ambulat, movet se ad scapulas. Similiter in processione cum motu devotionis ambulandum. Cogita 1. te ambulare cum cruce, & cum Christo bajulante sibi crucem ad Calvariæ montem. Qualis processio fuit! Ejectus fuit Christus à Iudæis & passus extra Ierusalem, ad ejus imitationem hortatur nos Apostolus ad Hebr. 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra*, inquit, *improperium ejus portantes*. Exeamus extra castra pompæ, voluptatum, luxûs: & Christi imperium gestemus, crucem meditemur.

2.

2. Cogita vitam nostram esse processionem ad mortem, non secus ac via Christi fuit ad Calvariæ montem; nisi quod terminus nobis occultus est, & putatur esse longior. Mons ille à calvariis, hinc inde jacentibus, dictus est, secundum S. Hieronymum. At nos nonne eodem pergimus? ad cœmiterium inquam, calvariis mortuorum plenum? Vnde subjicit loco citato Apostolus: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Peregrini sumus & ad patriam tendimus. Nihil jam ergò hic quæramus, ad instar illius boni latronis, qui nihil jam in mundo appetiit, aut à Christo petiit, nisi ut cum ipso esset. In illa processione prima, quam hoc die Romæ instituit S. Gregorius, inter supplicandum octoginta homines corruerunt, peste extincti intra unam horam; teste S. Greg. Turon. l. 10. hist. Quot vestrûm, putatis desiderabuntur intra hunc annum?

VII. *Cum meditatione pia.*

VII. Inter eundem crebrò subsistit & respectat, an & qui sequantur. Vide tu 1. hominum piorum multitudinem: parvulos, senes, nobiles, ignobiles, quomodo Deum laudent. Eò respexit Ezechiel cap. 3. dicens: *Audivi post me vocem commotionis magnæ, & vocem alarum, animalium percutientum alteram ad alteram*, hoc est, bonis pietatis exemplis se invicem excitantium ad virtutem, ut exponit Sanct. Gregor. homil. 10. ibid. & 24. moral. cap. 6.

1.

2. Mortem à tergo omnes insequentem. Xerxes Persarum Rex flevit videns innumeram exercitus sui multitudinem, intra annos 100. interituram, teste S. Hieronym. in Epitaph. Nepotiani. Cogita tu hanc turbæ multitudinem intra 50. annos ubi? in visceribus terræ futuram. Mortem igitur exspecta.

2. *Trip. Domin. 9. post Pent. c. 2.*

3. Processionem cælitum sequentium agnum, cui nos annumerandos, speramus, quandoquidem una est Ecclesia, militans & triumphans: sicut una est procesio, cujus pars anterior jam intravit templum, posterior verò sequitur. Prior illa triumphans jam intravit cælum, posterior militans sequitur: quo & nos perducat Deus.

3.

CONCIO III.

QUI POTISSIMUM OPERARII A Deo postulandi.

I. Petendi boni Angeli.
II. Boni Pastores animarum.
III. Boni Magistratus & Superiores.
IV. Boni Christiani quicunque.
V. Operarii messis & vindemiæ,

THEMA.

Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam, Luc. 10.

Cur rogandus Deus ut mittat operarios in messem suam.

DOcemur in hodierno Evangelio à Christo, quid potissimum petendum sit in nostris processionibus: *Rogate dominum messis*, inquit, *ut mittat operarios in messem suam.* Cæterum mira & paradoxa est hæc Domini adhortatio: *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Etenim ô Domine, si messis illa tua est, roga tu operarios, ut mittant falcem in segetem tuam: tibi enim metent cùm tua res agatur: qui si non operentur, tibi damnum afferent. Eccur ergò vis à nobis rogari, ut mittas operarios in messem tuam? Duo mihi occurrunt ad hoc respondenda. Primum; tam grata & accepta est ipsi nostra oratio, si suis constet numeris; ut sine ea messem suam non magni æstimet & quasi negligere velit; unde panem sale non conditum. Alterum: rogari vult à nobis, ut in messem suam mittat operarios quo illam messem suam faciamus etiam nostram: Quod enim oratione petimus, tametsi alteri petimus, nobis acquirimus, adeoque nostrum etiã facimus, si verbi gratia acquiramus alteri nostra intercessione præfecturam. Monet ergò nos ad orandum pro operariis suis, ut ipsi operentur nobis, quiquid operantur; quando eorum labores oratione impetramus. Iam verò quinam illi operarii sunt, qui precibus nostris postulandi sunt? Audiamus.

I. Petendi boni Angeli.

I. Hi primò sunt SS. Angeli, qui à CHRISTO *messores* appellantur Matth 13. *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm Zizania, &c.* Moxque id explicans: *Messores*, inquit, *Angeli sunt*, qui nimirum in judicio mundum istum peccatis nostris inquinatum, demetent, & separabunt malos de medio justorum, Zizania è tritico. Pro his ergò messoribus rogandus inprimis Deus, ut mittat eos ad defensionem & tutelam nostrã; quod docet Christus Dominus, Matth. 26. cum ad Petrum ait: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam 12. legiones Angelorum?* Ita oravit Deum Iudas Machabæus 2. Mach. 15. *Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: & nunc dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachii tui: ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum.* Nicanorem intelligit, qui cum valido exercitu invasit Hebræos. Nec irata fuit oratio: prostravit enim Iudas 35. millia, in quibus etiam ruit Nicanor. Verum quidem est singulis adesse Angelum custodem pro defensione; ea tamen potestas Angelo limitata est à DEO, & potest augeri vel minuis, pro cujusque merito & oratione. Sæpè etiam cogimus Angelos custodes longius recedere, dum in gravia peccata ruimus, quod variæ historiæ docent: & scribit Iosephus l. 7. de bello cap. 12. Festo Pẽtecostes paulò ante excidiũ Ierosolymæ auditam in templo à sacerdotibus, noctu ingredientibus subitam vocem: *Migremus hinc*; utique Angelorum, qui templum id vastandum ob peccata Iudæorum tunc deseruerunt. Vt enim fætantia & impura omnia fugiunt apiculæ: Ita SS. Angeli impuram hominum vitam. Væ nobis ergò si consimili modo deserant nos Angeli. Dum verò nobis adsunt à peccando dehortantur, peccandi occasiones removent, ad bonum, & progressum in virtutibus impellunt; dæmonum insidias arcent. Scimus ex 3. Reg. c. 17. Eliam in solitudine diu pastum fuisse corvorum beneficio, qui quotidie attulerunt ei panem & carne. Quare quid mirabilius? quis enim est, qui nesciat corvorum voracitatem, adeo ut carnes etiam putridas avidissimè & rapiant & vorent? Vnde igitur factam, ut carnes tam bonas & sapidas, quas è mensa Regis Achab per Angelum sublatas censet Abulensis, non ipsi devorarent? Vtique Angelus Domini, qui corvis deferendas attulit (uti idem auctor indicat,] eis semper à tergo aderat & prohibebat, ne cibum sibi vetitum, & Prophetæ destinatum, comedere auderent. Ita nobiscum quoque custodes agunt Angeli, arcent à cibis vetitis aliisque rebus illicitis, injiciendo nobis scrupulum, & timorem Domini; promoventq; ad progressum in virtutibus. Videre hoc datum fuit cuidam Stylitæ Edessano apud Matth. Rader. 3. p. Viridarii: justo videlicet circumvallari à bonis Angelis; peccatores verò à malis, qui nisi ab Angelo custode pone, mœsto licet, sequente prohiberentur, omni momento eos perderent; quod facilè sibi quisque persuadere potest.

II. Boni pastores animarum.

II. Pastores animarum, verbique Dei seminatores, & de his potissimum loquitur hic Dominus. Ipsi enim falce partim linguæ, partim potestatis absolvendi à DEO sibi traditæ, partim vitæ bonæ populum Christianum, huic terræ affixum, demetunt & in horreum cœli transferunt. Vnde sanctus Hieronymus l. 2. in Epist. ad Gal. ait: *Precemur Dominum messis, ut mittat operarios ad metendum, qui spicas populi Christiani, quæ stant in Ecclesia futuro tritico præparatæ, metant, colligant, & in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur.* Meritò sanè, quia magnum & difficile est hoc munus: homines terræ affixos & ad terram inclinatos erigere ad cælum, imo cælo etiam invehere. Non quivis est, idoneus ad hoc peragendum, quod non minus est, quam mortuos suscitare, ex hominibus Angelos facere. Rogatus aliquando Elisæus, ut suscitaret filium Sunamitidis defunctum, misit servum suum, dato ei baculo suo, quem imponeret defuncto. Fecit ille, sed re infecta rediens: *Non surrexit puer*, inquit. Itaque Elisæus ipsemet descendere

ſcendere & incumbere ſuper puerum, ſuaque membra conſtringere & aptare membris ejus debuit, donec puer reviviſceret. 4. Reg. 4. Quid rudis & vitioſus paſtor aut prædicator, niſi hujusmodi baculus? lignum, inquam, rude & aridum? Talesne ſuſcitabunt mortuos Deo peccatores? Minimè gentium. Similes vel certè non multum abſimiles Eliſæo eſſe debent, ſancti & ruditi; multum inſuper adhibere ſtudium, multam precationem, multam exhortationem verbo & opere debent, ut tantum opus efficiant. *Ab immundo quid mundabitur?* Eccleſiaſtici 34. Ab infecto vaſe fætere ſolet vinum; & à ſordido paſtore ſordidatur grex. Ipſi ſunt *Sal terræ*; qui ſi infatuati fuerint, quomodo ſalient populum? Ipſi ſtomachus ſunt in corpore diſpertiens nutrimentum per omnia membra; quo corrupto omnia languent, ut docet Auctor Imperf. homil. 38. in Matth. Iure igitur precari jubemur, ut bonos hujusmodi operarios Deus mittere velit; quia pauci tales ſunt, ut lamentatur S. Gregorius homil. 17. in Evang. *Ad meſſem*, inquit, *multam operarii pauci facti ſunt, quod ſine gravi mœrore loqui non poſſumus. Ecce mundus ſacerdotibus plenus eſt, ſed tamen rarus invenitur operator: quia officium quidem ſacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus.* Operarios quærit Dominus, non mercenarios, qui mercedi ſolum inhiant, & opus negligenter faciunt: operarios, non inſpectores tantum, quales ſunt Magiſtri vel præfecti cæmentariorum, qui alios quidem ad labores impellunt, ipſi verò parum aut nihil laborant; plus interim mercedis præ cæteris accipiunt.

[Trip. Dō. post Paſcha C. C.]

III. Boni Magiſtratus & ſuperiores.

III. Magiſtratus & ſuperiores; qui gladium pro falce gerunt, quaſi à Deo armati, ut vitia exſcindant, ipſosque vitioſos velut Zizania è medio tollant, qui ſi boni ſint & officium faciant, totam communitatem conſervabunt: ſin mali & ignavi, totam vaſtabunt. Hinc 1. Reg. cap. 14. appellantur *anguli populi. Applicate huc univerſos angulos populi*, inquit Saul, idque ex proprio Hebræorum idiomate, quia ſicut anguli continent & ſuſtentant domum: ſic etiam Principes & Magiſtratus civitates, ut ibi notat Gaſpar Sanctius. Iſaias cap. 30. appellat eos *turres. Cum ceciderint turres*, inquit, h. e. Principes, qui ſicut turres ſuper populum eminebant, ut ibi exponit S. Thomas aliique omnes. Nemo autem neſcit quantum ornamentum ſimul & præſidium afferant turres civitati contra hoſtes, ſi firmiter conſiſtant: quantum nocumentum, ſi cadant. Turris illa, quæ in Siloë cecidit, 18. homines contrivit, teſte Domino Luc. 13. Hinc orat. David Pſal. 121. *Fiat pax in virtute tua & abundantia* (vel ut alii legunt, *ſalus*,) *in turribus tuis*. Pax & abundantia, quia ſe mutuo conſequuntur, pro eodem ſumuntur. Orat ergò ut fiat pax in principibus; quia ab illorum pace & ſalute pendet pax & ſalus populi. Hinc fit ſæpenumerò, ut cum Deus punire intendit populum, mittat eis Regem vel Magiſtratum improbum; quemadmodum ipſe per Oſeam cap. 13. dixit: *Dabo tibi Regem in furore meo.* Loquitur de Saule: Dabo, hoc eſt, dedi tibi Saulem iratus, quod Regem alium à me peteres: ut exponit ibi Cornelius. Quod ſanè cum amara quadam ironia exprobrat Hebræis Samuel, cum ad eos loquens 1. Reg. 12. ait: *Dixiſtis mihi: Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis, cum Dominus DEUS veſter regnaret in vobis. Nunc ergo præſto eſt Rex veſter, quem elegiſtis & petiſtis.* De quo ſanctus Auguſtinus ſuper Pſalm. 51. *Saul*, inquit, *Rex non ad permanendum electus eſt à Domino, ſed ſecundum cor populi durum & malum datus eſt ad eorum correptionem, non ad utilitatem, ſecundum illam ſententiam: Qui regnare facit hominem hypocritam propter perverſitatem populi. Iob.* 34. ſic ille. Intellexit hoc vel ipſe gentilis Plutarchus, qui l. de ſera Num. vind. cap. 4. docet impios Principes & Tyrannos dari à Deo velut carnifices ad punienda eorum peccata. *Quemadmodum fel hyænæ*, inquit, *& phocæ aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad ſanandos morbos utile: ſic nonnullis morſu & pœna indigentibus Deus injiciens Tyranni alicujus ſævitiam implacabilem aut magiſtratus moleſtam aſperitatem, non antè id, quod excruciabat ac turbabat, ſuſtulit, quam vitioſo morbo liberaſſet ac purgaſſet. Tale medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Romanis Marius, Orthagoras, Myro & Cliſtenes Sycioniis.* Bene meminit phocæ, qui eſt bos marinus, ſævus & iracundus, non ſolum alienos à ſua ſpecie piſces invadens & impugnans, ſed & propriam conjugem perpetuò infeſtans. Hujusmodi enim Tyrannus & re & nomine fuit Phocas Imper. ſub Gregorio M. Pp. qui cum velut Tyrannus ſæviret in innocentes, Monachus quidam ſæpe cum DEO precibus expoſtulabat: *Cur Domine eum feciſti Imperatorem?* Cui reſponſum cœlitùs: *Quoniam non inveni pejorem.* Refert Anaſtaſius Nicænus q. 15. in ſcript. Expurgavit certè hic Tyrannus & ſanavit modum Mauritii Imp. eum hic plectendo propter delicta ſua, ne plecteretur ibi.

IV. Boni Chriſtiani quicunque. Hi orent pro invicem.

IV. Chriſtiani quicunque in Eccleſiam Chriſti miſſi, ut ſint operarii & meſſores boni. Quemadmorbum enim alibi (Matt. 20.) omnes, quos offendit operarios paterfamilias Deus, miſit in vineam ſuam: ita nunc omnes Chriſtianos mittit in agrum ſuum. Vult ergò ut unus pro altero Deum interpellet, & gratiam bene agendi & ſanctè vivendi impetret. Servi orent: mitte nobis bonos dominos: Domini, mitte nobis bonos ſervos. Filii, mitte nobis bonos parentes: Parentes, mitte nobis bonos filios. Cives, mitte bonum Magiſtratum: Magiſtratus, da nobis bonos cives; pauperes pro divitibus, ſani pro infirmis, ſecuri pro periclitantibus, &c. Denique ut omnes faciant ſuum officium velut boni Chriſtiani. Hoc eſt quod S. Iacobus c. 5. ſcribit: *Orate pro invicem ut ſalvemini.* Idem inſinuavit Chriſtus, quando tradens formulam orandi, præſcripſit orantibus pluralem numerum; ut com-

 munem

munem patrem appellemus dicendo: *Pater noster*; communem panem petamus, communem debitorum remissionem, communem præservationem in tentationibus & liberationem à malo.

Ratio est primò, quia sic juvat alter alterum, ut qui propria oratione nihil impetrare potest; quia fortè malè & tepidè, aut existens in peccato orat, adjuvetur oratione aliena: sicut equi juncti currui, se mutuò sublevant ac promovent. Sic messores & operarii, quorum alii aliis melius norunt artem metendi & struendi, vel alius alio fortior est, dum mutuam sibi impendunt operam, facilè perficiunt opus. Quam ob causam Salomon cædendis pro structura templi lignis de Libano junxit servos suos cum servis Hiram, Sidoniis, ut horum arte & industria adjuvaretur illorum imperitia: *Servi mei sint cum servis tuis*, inquit, *scis enim quomodo non est in populo meo vir, qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.* 3.Reg.5. Simili igitur modo dum unus pro seipso nescit bene orare, adjuvabitur oratione alterius, qui multum potest orando; quam rationem addit ibidem S.Iacobus, cum ait: *Multum enim valet deprecatio justi assidua.*

Secundò quia sic non solum oratur; sed etiam exercetur charitas erga proximum. Vnde Sanctus Gregorius lib.5. Epist. cap.19. *Preces enim nostræ*, ait, *tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro nobis fusas charitatis ardor exacuit.* Et alibi: *Libentius sacrificium orationis suscipitur, cum in conspectu misericordis Iudicis proximi dilectione conditur.* Auctor verò Imperf.hom.14.in Matth. *Pater noster*, inquit, *dixit, non meus; pro se enim orare naturæ est: pro altero autem charitas fraterna hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas DEO transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Denique quia, *ita magna remuneratio est*, inquit S. Ambrosius l. de Cain cap.9. *ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia.* Et S.Gregorius l.1.Epist.24. *Dum nos vobis*, ait, *per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus: fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterutrum alter innititur.*

V. *Operarii messis & vindemiæ*

V. Operarii messis & vindemiæ, quam præstolamur hac æstate. Pro his mittendis rogare aliud non est, quam orare illud Dominicum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vbi enim panis hic in agris non est, ibi nec messores erunt: & si messores desint, sive ob tumultus bellicos, sive ex aliis causis, ibi nec pane agri frui possumus. Certè panis iste multa sustinet pericula, pruinæ, siccitatis, grandinis, æruginis, hostilitatis; jure igitur merito petere eum jubemur, & quotidie quidem; quia dicimus *quotidianum*: cum quotidiana etiam sint pericula. Tametsi verò Deus novit panem nobis ita esse necessarium, ut sine eo vivere non possimus, adeoque nec servire ipsi; vult tamen à nobis cum precibus impetrari, ut cum merito obtineamus & possimus verè appellare panem *nostrum*: quasi nostro labore partum. Balearici funditores sunt supra cæteros insignes, ut qui tres fundas circa caput gestant ad omnimodam jaculorum emissionem, qui neque puerulis panem alia conditione dare solent, quam funda ab ipsis dejectum. Strab.l.3. Hunc in modum Deus, ut benè & sedulo precandi artem perdiscamus, panem non vult dare, nisi quem jaculo orationis de cœlo quasi dejecerimus. Bonus ille Isaac dilexisse dicitur filium Esau, quasi præ altero, Iacobo, Genes.25. Mirum certè hoc; cum Esau, uti pilosus & horridus, ita quoque asper & ferus esset moribus: econtra Iacob, uti lævis corpore, ita moribus placidus & amabilis. Causa refertur ibi; quia Esau venator erat, de cujus venatione comedebat Isaac. Habebat is domi suæ pecora innumera: ea tamen ipsi non ita sapiebant, uti caro ferina. Nimirum hæc industria & labore paratur: domestica verò absque labore, mera pecorum fœcunditate habetur. Certè etiam Iacob arcu demum uti cœpit, & pluris æstimavit prædium, quod acquisivit gladio & arcu suo, quam quod pecunia prius emerat; ideoque illud velut rem præ cæteris charam legavit suo Iosepho, Genes.48. Panis ergò quem orationis sagittis comparamus, quasi caro ferina, Deo gratior & sapidior: panis verò; quem omninò gratis sine nostris precibus dat, quasi caro domestica est. Itaque oratio nostra Dei oblectatio, Dei quasi cibus dulcis & optatus est; quo ipsum etiam pascimus, dum humili & ferventi oratione pasci ab eo petimus. Tales venatores amat Deus, qui industria orationis cibum sibi parant. Illos amat Paterfamilias, qui panem otiosè non comedunt: otiosos verò odit & expellit, uti apes fucos, qui mel quidem vorant, sed pro eo conficiendo nihil laborant.

CONCIO IV.

IN PROCESSIONIBUS QUÆ cavenda.

I. Non portandus sacculus negotiationum.
II. Non pera comessationum.
III. Non calceamenta superbi vestitus.
IV. Nemo in via salutandus per confabulationem.
V. Eundum sicut oves eunt.

THEMA.

***Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaveritis*, Luc.10.**

NOn multum aberrabo, Audit. si nostræ processionis, quam hodiè instituimus, exemplar dicam

dicam fuisse illam, quam in hodierno Evangelio præscribit Salvator noster suis 72. Discipulis. Pertransiturus benefaciendo oppida & castella Iudææ, præmisit illos septuaginta duos, binos & bonos, ut prædicarent Evangelium & infirmos curarent, ipsi denique mox secuturo viam præpararent, quò faciliùs Iudæi ipsum rceiperent velut suum Messiam, ab eoque plenam fidem, peccatorum remissionem & gratiam acciperent. Nos etiam de Ecclesia nostra in vicinum oppidum vel pagum bini & bini, vel terni & terni, in forma processionis egredimur, quasi à Christo summo pastore nostro missi, ut non quidem linguâ sed modestiâ, silentio, gravitate, oratione totiusque corporis religiosa compositione alios ædificando, Evangelium prædicemus, quâ ratione S. Franciscus vadens cum fratribus suis, etiam illiteratis, per urbis compita, fertur eis dixisse: *Eamus prædicatum*; non linguâ sed modestiâ, deinde ut liberali nostra manu sanemus eos, qui passim in via occurrunt nobis, pauperes, fractos, ulcerosos, miseros, non exiguo numero; sicque ipsi viam quodammodò paremus: velut mox secuturo & hunc in locum venturo, sub missæ sacrificio. Quæ cùm ita sint, nos etiam videntur tangere leges illæ, quas in hodierno Evangelio Dominus præscripsit suis discipulis, ut nos ipsis conformemus; quas nunc audiamus.

I. *Non portandus sacculus negotiationum.*

I. *Nolite portare sacculum*, Græcè βαλάντιον, *marsupium* seu *crumenam.* Portant secum sacculum, qui ob negotiationem vadunt peregrinatum; deinde qui terrena solùm non cœlestia bona petitum veniunt; quò nimirum sacculum & crumenam impleant. Malè à Christo exceptus fuit, qui ob talem causam ipsum rogavit: *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Audiit enim: *Homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Luc. 12. Loquitur quasi ad ignotum, dum *hominem* appellat, q. d. non novi te in hoc postulato; non enim propter temporalia veni in hunc mundum, qui nec pedem unum propterea moverem. Pessimè etiam exceptus fuit Adonias à Salomone, quando ab eo petiit sibi dari Sunamitidem in matrimonium, cogitans per hoc, uti Salomon subolfecit, regnum Salomonis trahere ad se; supplicium enim mortis incurrit, 3. Reg. 2. Terrenæ namque divitiæ, honores & commoditates plùs plerunque obsunt, quàm prosunt; unde Dei iram potiùs merentur quàm benevolentiam, si primariò & per se petantur; fitque *oratio* talium *in peccatum.* Gravissimam plagam accepêre Hebræi, quando ad arcæ præsidium confugerunt ob temporalia tantùm commoda sua, 1. Reg. 4. Pari modo Christiani sæpe nihil impetrant, sed graviùs interdum puniuntur, quando in tribulatione instituunt processiones cum S. Eucharistia & SS. reliquiis; quia Deus *scit illos pro evasione & cessatione periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc est, non ex charitate neque syncera intentione; sed ex amore carnali, quo diligunt vitam præsentem ac prospera ejus: sicque oratio eorum fit in peccatum & indignationem provocat Deitatis, &c.* ait Dionysius Carth. in eum locum art. 10. myst. interpr.

II. *Non pera comessationum.*

II. *Neque peram*; ad panem videlicet & alios cibos in ea gestandos. Non intendo prohibere in longiore præsertim peregrinatione necessarium commeatum; sed superfluum & comessationes compotationesque, quæ quandoque instituuntur majori luxu & intemperantia, quàm decet. Quando cum Deo loqui & agere volumus, spiritumque nostrum in oratione pascere, caro interim jejunare, non saginari debet. Quemadmodum enim vellus Gedeonis siccum & aridum mansit, quando area circumjacens rore perfusa fuit; & vicissim rore conspersum, quando area remansit sicca, Iudic. 6. Simili modo si animam consolationis gratiæque cœlestis rore perfundi in oratione desideramus, carnis terra, ne voluptatibus diffluat, jejunio & abstinentia coërcenda est: quæ si cibo & potu impleatur, perarida remanebit anima, omnique devotione destituta. Et sanè absurdissimum est planeque Epicureum, eo tempore velle ventrem saginare, quo affligendus est pœnitentiâ, ac mens reficienda; id quod exprobrat Hebræis Isaias cap. 22. dicens: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad calvitium & ad cingulum sacci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum.* Quid verò ad hoc Deus? *Et revelata est*, inquit, *in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum!* q. d. juro, quod non dimittetur vobis. Quid hac comminatione terribilius? Senserunt eam Hebræi, quando ad montem Sinai legem Dei sibi promulgandam expectantes, sederunt manducare & bibere, necnon circa vitulum ludere. Iussit enim occidi reos, & cæsa sunt 23. millia ex eis, nec dum tamen placatus Deus addidit: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Neque iram hanc avertit Moysis precatio; sed percussit insuper Deus populum novâ plagâ, quam pestem fuisse existimat Abulensis Episcopus, Alphonsus Tostatus in eum locum.

III. *Non calceamenta superbi vestitus.*

III. *Neque calceamenta*; superflua videlicet & quæ totum pedem tegunt, ac nitidiora. Qui in supplicationibus incedunt, splendorem vestium & ornamenta sibi deponenda sciant, si Deum sibi placare & postulata impetrare volunt. Legimus enim Deum à Moyse rogatum, ut dimitteret populo peccatum, in vituli cultu admissum, præcepisse priùs populo, festivis induto vestibus: *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*, Exod. 33. quasi hæc ornatus depositio necessaria sit ad placandum Deum & prima dispositio. Quis enim homini superbo misericordiam velit impendere? Hinc Thecuitis illa, ut gratiam à Davide impetraret, lugubrem induit habitum, quo

quo Regem ad commiserationem flecteret, 2.Reg. 14. Quare Concilium Moguntinum can. 34. præcepit ut Christiani supplicationes comitentur, *non equitando nec pretiosis induti vestibus*, Decet enim subditum arma illa deponere, quibus contra dominum suum militavit, si veniam obtinere velit. Vestium luxus arma non postrema sunt, quibus Deus impugnatur. Quare sæpè viri etiam primarii in processionibus pro publica necessitate institutis, planè discalceati & nudis pedibus incedere non erubuerunt, uti Theodosius Iunior Imper. Constantinopoli in processione instituta ob frequentes terræ motus, apud Niceph. lib.14.cap.46. Leo Papa decimus Romæ, in publica supplicatione, cum Ecclesia à Thurcis infestaretur, teste Iovio in Leone X. lib.4. indicta anno 1517. ad Sanctam Mariam super Minervam, discalceatus incessit; uti & Sanctus Carolus Borromæus Cardinalis & Archi-Episcopus Mediolani in processione, gestis causâ peractâ, ut in ejus vitâ. De S. Elisabethâ Thuringiæ Principe scribit auctor vitæ lib. 3. cap. 11. *In diebus Rogationum, cùm quidam contra sanctorum Decreta facientes, pretiosis & delibatis vestibus decorantur: ipsa Princeps Regis filia laneis induta, nudis pedibus processionem Crucis & sanctorum reliquias devotissimè sequebatur.* Qua ratione effecerunt ut ipsorum preces cœlum penetrarent; quia *oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ecclesiastici 35. Quid causæ est, quod David dixerit de Ionathâ: *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorsum?* hoc est, nunquam abiit in vanum, quin transfingeret scopum; nisi quia Ionathas adeo fortiter arcum tendere solebat, ut semper penetraret? 3. Reg. 1. Quò magis ergò chordam traxit deorsum, eò altiùs evolarunt & fortiùs penetrârunt ejus sagittæ. Pari modo nos, quò magis nos deprimimus, dum oramus, eò potentior evadet nostra oratio, & penetrabit nubes, imò ipsum DEI cor.

IV. *Nemo in via salutādus per confabulationem.*

IV. *Neminem per viam salutaveritis.* Phrasi Hebræâ vult dicere: Ne divertatis ad privatas salutationes & familiares prolixasque collocutiones; sed omnem vanam confabulationem, distractionem ac moram præscindite, ut ibi explicat Cornelius à Lapide. Cavendæ etiam sunt in SS. processionibus salutationes tales, profanæ inquam confabulationes, risus, cachinni. Et sanè si Apostolis ad prædicandum Evangelium missis salutationes illas Dominus prohibuit, quo jure dum precationi incumbimus, licebit nobis DEO relicto convertere sermonem ad nugas, jocos, risus, res prophanas? Achæos laudat Homerus Iliad.3. quòd ad prælium procederent magno cum silentio; *conspiratuque tacito nitibundi pugnam indipiscerentur*, ut loquitur Gellius lib.1.cap.11. vituperat contrà Trojanos, qui loquitarentur & gruum instar confabulationibus mutuis perstreperent. Atqui nos in processionibus ad spirituale bellum egredimur, expugnaturi DEI cor? id verò in multiloquio non efficiemus; quia Dominus monet: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici.* Matth. 6. nugacia scilicet & futilia, licet ad orationem tendant; quando minus ergò miscenda ludicra & profana? Iosue etiam in Ierichuntinis circa urbem processionibus dejecturus urbis muros, strictissimum indixit populo silentium: *Non clamabitis*, inquit, *nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate & vociferamini.* Ios. 6. Et observatum est hoc ab omni populo. Quid aliud quærimus nos per nostras processiones, quàm dejicere muros & impedimenta cœli, ut id occupemus? Frænemus ergo intereà linguam nostram, donec veniet dies illa optata, in qua occupato cœlo simul vociferantes triumphum canamus. Iudæi si in loco sacro fortè sternutabant, proximi eis salutem precari vetabantur, propter loci sanctitatem; ut scribit Hebræorum Doctor Rambam lib. 1. Iad, hal, 3. in cap. 4. Magis multò nos movere & modestiæ ac silentii admonere debent hi dies sacri, communi omnium supplicationi & compunctioni destinati; de quibus Sanctus Augustinus in Vig. Ascensionis sermon.173. de temp. ita concionari incipit: *Scire debemus & intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis & Pœnitentiæ celebramus, & ideò non nos oportet nimio risu vel in aliquo minùs cauto & congruo cachinno dissolvi, timentes illud quod Dominus in Evangelio dixit: Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis.* Denique non solum istæ levitates, semper ex se malæ, deponendæ sunt eo tempore; sed etiam profana alia cæteroqui non illicita studia; quo sensu intelligit verba illa Christi: *Neminem salutaveritis*, S. Ambrosius in eum locum Luc. 10. *Ergò & hîc*, inquit, *non salutationis officium aufertur; sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur paulisper sequestrentur humana.*

V. *Eundum sicut oves eunt.*

V. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Ergò sicut oves ire debemus in processione. Et quo modo pergunt oves? 1. gressu recto & simplici, quò ducuntur à pastore. Sic eundum in processione ea intentione, quæ proponitur à pastore, ad exorandum Deum pro hac vel illa necessitate: non ut recreemur vel exspatiemur, non ex mera consuetudine, & ut dici solet, dicis gratia, non ob lucrum aliquod aut negotia sæcularia. Propterea non frustrà notatur Psal. 144. *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.* Vulpes gressu ficto incedunt, fingunt se hac ire, & aliò intendunt, ac repente illuc saltant. Non sit talis noster incessus, non sit fictus, neque duplex: sed invocemus *in veritate*: quærentes spiritualia, non carnalia bona, non labiis dolosis, sed ore simul & corde orantes.

2. Oves dum ambulant, non circumspiciunt, sed ad viam duntaxat suam vultum & oculos convertunt. Pari modo ambulent, qui cum processione eunt, ne à Sapiente stultitiæ arguantur, qui Prov. 17. ait:

ait: *In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ*, quasi dicat ex incessu sapientis modesto & composito elucet imago hominis sapientis; uti vice versa ex facie vagi, curiosi, levis, imago stulti, qui seipsum nesciat, nec ad se attendat.

3. Oves dum ad pascua pergunt, crebros interim balatus edunt. Ita decet Christianos in processione pias fundere preces, saltem breves & jaculatorias, quibus animum subinde elevent ad Deum: vel si colloqui, submissa tamen voce, velint, de rebus tantùm piis, non de profanis loqui; quod etiam orationis vim habet. Monet enim Dominus Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes.* Et Apostolus 1. ad Thessal. 5. *sine intermissione orate.* h.e. sedulò, perseveranter, assiduè, quantum per alia negotia licet, uti sanè licet in processione. Nunquam cesset oratio, quia nusquam deest tentatio.

4. Denique si audiri à Deo volumus, sicut agni accedere ad eum debemus, non sicut lupi: non ut nocentes, sed ut innocentes. *Cùm multiplicaveritis orationem*, ait Dominus Isa. 1. *non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* q. d. lupi estis, non agni. Agnorum sacrificio Deus placatus est ab Abel, quia velut agnus sacrificium illud obtulerat; non est placatus sacrificio frugum à Cain: quia lupus erat, sanguini insidiatus. Elephantes etiam irati objecta sibi ovicula iram deponunt & mansuescunt; referente Pierio l. 2. hierogl. Quare si & nos Deum nobis iratum reconciliare volumus, velut agni, culpa carentes, compareamus in conspectu ejus.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

Evangelium Joh. 14.

In illo tempore, dixit Jesus Discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt: Si quo minus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum: Et si abiero & præparavero vobis locum: iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado, scitis, & viam scitis. Dixit ei Thomas, Domine, nescimus quo vadis: & quomodo possumus viam scire? Dixit ei Jesus, ego sum via, & veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscitis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe: qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? non credis quia ego in patre & pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor, pater autem in me manens, ipse facit opera: Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad patrem vado. Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio.

CONCIONES.

I. *Vernum tempus quorum nos admoneat.*
II. *Tristitiæ malæ causæ & remedia.*
III. *Dei attributa quomodo in Christo elucescant.*
IV. *Quomodo Christus nobis via, veritas & vita.*
V. *Argumenta fidei Catholicæ majora nunc quàm olim.*
VI. *Quæ bona sint in cœlo.*
VII. *Documenta Evangelii.*
VIII. *Mysteria.*

CONCIO I.

VERNUM TEMPUS QUORUM nos admoneat.

I. *Nosse DEUM.*
II. *Nosmetipsos.*
III. *Gaudere in Christo & cum Christo.*
IV. *Operari.*
V. *Credere resurrectionem mortuorum.*
VI. *Sperare ver illud futuræ felicitatis.*
VII. *Amare cœlestia & contemnere terrena.*

THEMA.

Quomodo possumus viam scire? Joan. 14.

A. MAgni momenti quæstio est: *Quomodo possumus viam scire*, ad cœlum videlicet & visionem DEI? Cui respondet Apostolus Rom. 1. *Invisibilia DEI à Creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Nam ut dicebat S. Antonius, *Mundus est quidam magnus liber, in quo legere possumus qualis & quantus sit Deus, imo & qua ratione ad eum sit veniendum.* Ejus libri folia videntur esse quinque. Primum est cœlum cum syderibus suis: Alterum ignis elementaris: Tertium, Aër cum volatilibus incolis suis: Quartum, Aqua, cum suis piscibus, & quæ in ipsa degunt: Ultimum, terra cum animantibus, quæ in eo gradiuntur, cum plantis, lapidibus, &c. Verum liber iste per hyemem magna ex parte clausus est, in vere & circa hodiernum diem, Maji scilicet initium, apertus & explicatus cernitur; unde mensis immediatè præcedens, dictus est Aprilis, quasi Aperilis, quia terram aperit, & quæ in ea latebant bona explicat, mundique decorem ostentare incipit. Quare cum hic liber mundi omnibus nobis scriptus, & propositus sit, inspiciemus illum hodie.

B. I. *Nosse Deum.* 1. Ex verno tempore, Primo discimus nosse Deum eiusque attributa. Primo potentiam, quâ terram, plantas, & alia penè emortua vivificat velut in Primæva mundi Creatione, & multiplicat non minùs mirabiliter, quam cum Christus è paucis panibus sed plurimos, & hoc ex vi primi illius verbi, quo creavit omnia.

2. Secundò, sapientiam, quâ tot plantarum, florum, fructuum species & varietates pulcherrimo producit ordine, ita ut singulis mensibus, imo septimanis novi prodeant flores, novi fructus, novæ herbæ, novæ fruges, ad hominum & animantium conservationem ac solatium.

3. Tertiò, Bonitatem, quâ solum propter nos hæc tanta & tam mira facit, mundique faciem renovat & recreat quodammodo. Propter nos enim terra, & quæ ex ea prodeunt plantæ, germinant: propter nos aves cantant & nidificant: propter nos ad pastum exeunt pecora; propter nos aperiuntur maria: propter nos ascendit Sol à meridie versus septentrionem, eoque suo ascensu fert nobis æstatem & diei incrementum.

4. Quartò, Providentiam, quâ vestit ac nutrit omnia, flores & herbas vestit variis coloribus, arbores & terram floribus ac fructibus, fovet calore, nutrit imbribus: hominibus & animantibus porrò quæ generantur annis singulis, novam quotannis annonam parat, & quasi in penus & cellaria eorum recondit, ut habeant ad vescendum.

5. Quintò, Pulchritudinem. Si enim tam decora sunt in verè prata, sylvæ, horti, flores, tam suaves avium cantus, &c. qualis erit ipse Deus, qui omniū Creaturarum pulchritudinem eminenter in se continet, & magis magisque decora in infinitum facere potest?

C. II. *Nosmet-ipsos.* 1. Secundo discimus nosse nosmetipsos, quid simus in hac vita, id nimirum quod clamare jussus est, Isa. c. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* Nam primò sicut flores citò pereunt, alii seriùs, alii citiùs: ita vita nostra. Unde Psal. 89. Anni vitæ humanæ cum fœno extingui dicuntur. *Mane sicut herba transeat* (Hebr. *transibit*) *mane floreat & transeat: Vespere decidat, induret & arescat.* Sic enim homo in juventute floret, sed mox transit & decidit in virili ætate, induratur in senectute, arescit in morte. Et quam citò flos demetitur, vel à Sole exuritur, vel pedibus proteritur, tam citò homo extinguitur. Carduiscolymus è spinis pulchrum emittit florem, qui tamen mox canescit, & cum aurâ perit, Pierius lib. 55. Hierogly. Talis est vita nostra:

2. Secundò, *Quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt*, inquit Plin. l. 21. cap. 1. ita ferè homines, quia forma, genere, sapientia spectatissimi sunt, minimum durare solent.

3. Tertiò, Quemadmodum ex arboribus ordinariè major pars florum & frugum ante maturitatem decidit: ita major hominum pars moritur ætate immatura.

4. Quartò, Vt arbores aliæ aliis succedunt in flore: sic homines, Hodie floret unus, cras cadit & floret alius, &c. *Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, & aliis morientibus alii nascuntur. Quid hic tenetur? quid hic non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in mare, in abyssum?* inquit S. August. in Psalm. 109.

5. Quintò, Ut quædam quidem florent, fructum tamen non afferunt: aliæ non florent, fructum tamen afferunt: aliæ nec florent, nec fructum ferunt, ita hominum aliqui in flore juventutis promittunt frugem multam, qui tamen postea perversi, nullam ferunt: alii contrà ab initio reprobi, postea ad frugem se recipiunt: plerique tamen quales se præstant in flore inventutis, tales & in senectute sunt.

D. III. *Gaudere in Christo & cum Christo.* Tertiò, Discimus gaudere in Christo, & cum Christo, siquidem hoc veris tempore omnia se ad lætitiam explicant, & effundunt, prata rident, volucres cantant. Sol nitet, pecora saltant, arbores decore vestiuntur, &c. Unde quidam * serenitatem veris, risum Jovis appellavit. Similiter hoc paschali tempore potissimum hortatur nos Ecclesia ad lætitiam spiritualem? hinc enim toties ingeminat & extollit *Alleluja*: hinc ad orandum stare solet toto eo tempore, hinc vexilla explicat & in cantica lætitiæ prorumpit. Monet enim filios suos.

* Maria-nus apud. Bart. Anglic. lib. 9 cap. 4.

1. Primò, ut gaudeant cum Christo, qui post asperrimam passionis hyemem, per suam resurrectionem transiit ad ver perpetuæ felicitatis. Quare si membra sumus capitis nostri, sicut in hyeme passionis

passionis cum ipso tristati fuimus; sic decet, ut cum eodem in vere resurrectionis lætemur. Recesserat à nobis in hyeme passionis Sol justitiæ Christus, nunc iterum ad nos rediit, quando resurrexit.

1. Secundò, In Christo, quòd videlicet cum eo & ipsi resurrexerimus, corporaliter in spe, & spiritualiter in re, cum à sepulchro peccatorum & inferni extracti, restituti sumus in lucem filiorum Dei, & ver lætitiæ spiritualis. Ante istud ver, quasi hyems fuit in nostra conscientia. Omnia illic tristia, frigida, clausa, horrida erant. Nunc Deo reconciliati lætamur, ardemus, liberè & securè vivimus. Gaudent nunc creaturæ, quia propius aspiciuntur & foventur à Sole, qui per hyemem longè ab illis aberat. Ita gaudeamus & nos, quia nunc à Christo aliter aspicimur & fovemur, quam in hyemali statu peccati: juxta id Apost. ad Eph. 2. *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi*, i. e. propinqui Christi per gratiam ejus. Et hæc est illa lætitia secundum faciem Sanctorum, quæ fuit in Hebræis, devicto Holoferne, Jud. 16. & consistit non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, sed in sancta conversatione.

E. IV. *Operari.*

Quarto. Discimus operari, siquidem nunc animantia omnia prodeunt ad laborem. Apes & formicæ prodeunt ad opus, volucres ad cantum & nidorum structuras, agricolæ ad laborem, Reges ad bella. Taceo arbores & terram, quæ omnis generis flores, herbas, fruges progignere non desinunt. Et quem tot exempla laborantium undique creaturarum non excitent ad laborem? non avocent ab otio? Ad laborem inquam, non corporalem tantum, sed & spiritualem, qui consistit in lucro vitæ æternæ. Ad hunc enim provocavit sponsus animam fidelem Cant. 2. cum ait: *Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea. Jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos: Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Quibus verbis adducit tres rationes ad benè operandũ. Prima, quia jam amici Dei facti sumus per gratiam, columbæ per puritatẽ, formosi per sanctam communionem, quâ Christum induimus: decet igitur ut tales simus, & ut benè operemur, dum amici Dei sumus, seu in statu gratiæ, extra quem mereri non licet.

2. Secunda, quæ hyems transiit, imber abiit, id est, impedimenta progrediendi in vita virtutum, uti absentia gratiæ, conscientiæ remorsus, dæmonis infestatio, &c.

3. Tertia: Quia flores protulimus bonorum propositorum: putavimus vitem cordis nostri ab illicitis desideriis: odiis, inimicitiis, rapinis, &c. Vocem turturis edidimus per compunctionem: protulimus grossos nostros, dum injuncta satisfactionis opera implevimus: dedimus odorem è vinea cordis nostri, dum vitæ nostræ immutatione proximos afflare, & ædificare cœpimus ita, ut mirentur conversationem nostram præsentem à priore illa tam discrepantem.

F. V. *Credere resurrectionem mortuorum.*

Quinto, discimus credere resurrectionem mortuorum: Siquidem in verè videntur omnia resurgere, quæ prius mortua erant. Quis non juraret vitem in hyeme lignum esse mortuum, nec nisi ad ignem aptum? & tamen ea verno tempore iterum animatur. Idem de ficu dicas, quæ radicitus evulsa in autumno, sepelitur hyeme, rursum tamen eruta nunc revirescit. Gramina refecta nonne iterum crescunt? Arbores aridæ & nudatæ rursum humectantur & vestiuntur. Flores contabescunt & iterum resurgunt. Semina in terram jacta & ibidem mortua ac nivibus obruta germinant in segetes. Hunc in modum corpora defunctorum, quæ in terram projiciuntur & vertuntur, in illo communis resurrectionis verè iterum germinabunt & vestientur suis coloribus, quos promeruerunt. Quando ergò Deus abripit nobis amicos, vel etiam nos ipsos ad mortem, scire debemus nihil ab eo aliud agi, quam seminari corpus mortale ut resurgat immortale: Sic enim scribit Apostolus 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Hinc cœmeteria vocamus agros Dei: & propterea voluit Christus in horto sepeliri, ob certitudinem resurrectionis. S. August. serm. 14. de verbis Domini ait: *Videmus certè hyemis tempore vel adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis: sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis exprimere; quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, vestiri & foliis, & postmodum pomis gravari, &c.*

G. VI. *Sperare Ver illud futuræ Felicitatis.*

Sexto: dicimus sperare ver illud jucundissimum futuræ felicitatis, quam veri comparat Dominus, Matth. 24. cum ait: *Ab arbore fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: Ita & vos cum videritis hæc omnia* (signa adventus Domini scilicet) *scitote quia prope est in januis.* Modò in hoc sæculo degunt homines velut arbores in hyeme, quando inter eas nulla aut exigua apparet differentia, humore & virtute earum intus latente: Omnes nudæ sunt, invenustæ & spoliatæ: Sed vernum tempus aperit, qualis unaquæque arbor sit, utilis an inutilis, nobilis an ignobilis. Ita in hoc sæculo modica apparet differentia inter bonos & malos; gratiæ enim humor in animabus intus latet, virtutes etiam suas boni occultare solent. Sed in vere illo fiet manifestum, qualis arbor quisque fuerit. Et quemadmodum ver, postquam diu & desideranter exspectatum est, tandem aliquando venit: ita adventus Domini, licet videatur longissimè abesse, suo tamen tempore aderit. Mors est instar Aprilis, qui aperiet terram illam Aprilis, inquam, tempestuosus & dubius, sed per mortis difficultatem pervenitur ad veris illius amœnitatem.

H. VII. *Amare cœlestia, & contemnere terrena.*

Septimò. Discimus amare cœlestia bona, & contemnere terrena. Primò enim, si hoc mundi stabulum pro servis ædificatum à Deo adeo exornatur: qualis erit aula Dei, in qua ipse, & ejus aulici perpetuo versantur? Quales ibi Sanctorum flores? qualis Angelorum cantus? si hoc tabernaculum, quod modico tempore stabit, extructum pro peregrinis, postea conburendum in fine mundi, adeò decoratur: qualis erit domus habitantium in patria?

Secundo, si iste mundi ornatus tàm mirus & amabilis sine commiseratione annis singulis demetitur, & in pulverem conteritur, quantus erit ille Rex cœlestis, quantæ ejus divitiæ, sapientia & gloria, qui hæc omnia pro nihilo, & quasi pro ludo habet, & per ludum veluti perdit?

Iam verò si ita nos afficit fragilis hic ornatus, ut multi eo abrepti ad insaniam usque diligant mundum, & curarum ac periculorum omnium obliviscantur; quanto magis oportet diligere bona solida & cœlestia? Dicunt impii apud Sapientem, Sap. 2. *Non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Quanto sanius dicerent: Non pertranseat nos flos beatæ æternitatis: coronemus nos rosis, quæ marcescere non possunt: transeamus ad pratum cœli, quod pertransiri nunquam potest?

CONCIO II.

TRISTITIÆ MALÆ CAUSÆ & remedia.

- *I. Quia non fit secundum voluntatem nostram.*
- *II. Quia fit contra voluntatem.*
- *III. Quia nimis æstimantur temporalia.*
- *IV. Quia gravius mala apprehendimus.*
- *V. Quia nostra sorte contenti non sumus.*
- *VI. Quia immiscemur rebus alienis.*
- *VII. Quia malè egimus.*

THEMA.

Non turbetur cor vestrum, Joan. 14.

A. Eximium animi donum legavit ac commendavit Christus discipulis suis in ultima cœna. *Pacem relinquo vobis*, inquit, *pacem meam do vobis.* Atque ut scias hanc esse pacem cordis, civili & externa illa longe præstantiorem, addit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Et rursum: *Non turbetur cor vestrum:* Sed heu cito perdiderunt hoc legatum, quando in passione Domini toti perturbati à Domino fugerunt, & se undique abdiderunt. Quare cum resurrexit Christus, iterum eis precatur & dat hoc bonum: quando toties ait: *Pax vobis.* Atque ex hoc tempore: non sunt amplius perturbati, sed *ibant gaudentes, &c.* Nobis etiam Auditores, commendavit & legavit Christus pacem istam in hebdomada sancta, quando nos sibi reconciliavit, & conscientiam nostram pacavit. Sed quam cito rursum perturbamur & perdimus hanc pacem? Idcirco hortatur nos Ecclesia hodie ad conservandam, vel reparandam cordis serenitatem: *Non turbetur cor vestrum.* Quia uti: *Non est oblectamentum super cordis gaudium*, teste Ecclesiastico c. 30. ita nec dolor super cordis tristitiam, & perturbationem. Hujus itaque noxiæ tristitiæ radices intuebimur, & remedia apponemus.

B. I. *Quia non fit secundum voluntatem nostram.*

Primo perturbantur aliqui, quia non fit quod volunt. Sic Achab cum ei negaretur vinea Naboth: *Projiciens se in lectulum, avertit faciem suam ad parietem & non comedit panem*, 3. Reg. 21. Sic Antiochus cum audisset fugatum esse à Iudæis exercitum suum, *expavit & commotus est valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat*, 1. Mach. 6. idem experiuntur quicunque inordinatè appetunt honores, opes, voluptates & suammet voluntatem ad judicium. Qui tamen sibi ipsis adscribant perturbationis causam. Cur enim appetunt, quæ non licent? Cur quæ incerta sunt, tam certo sibi pollicentur & exspectant? Cogitent, itaque jure & salubriter negata sibi esse, quæ futura erant noxia, cultrum, quo se vulneraturi, serpentem, à quo necandi erant. Nonne laudarent patrem, qui petitum serpentem aut scorpionem filio abnegaret? Infantes sunt qui plorant, cum quævis postulata eis negantur.

Sed & viri boni ex hoc capite quandoque tristantur, cum vident suos bonos conatus & labores frustrari eventu sperato: Ita Apostolus ad Rom. 9. ob Iudæorum incredulitatem ait, *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Sic tristatur bonus pater aut Rector, cum videt se operam perdere in educatione liberorum, regimine subditorum. Sed non turbetur cor vestrum plus quam decet (modicum enim mœrorem illorum non improbo) Nam primo tempus forte perficiet, quod speratur. Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo, canit poeta.

1\.

Secundo. Nihilominus mercedem habebitis suscepti laboris: *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, inquit Apostolus 1. Cor. 3. Non ait secundum fructum, quem fecit, quia fructus non est in nostra, sed DEI dantis incrementum, manu. Et quandoque majus obtinebit præmium, qui frustra, graviter tamen laborat: quia id majoris tædii & difficultatis est. Hac se cogitatione solabatur Salvianus Massiliensium Episcopus. *Si hæc salus nostra*, ait in præfat. lib. de providentia, *sanaverit quosdam, fructus erit non par vus profuisse. Sin autem hoc contigerit,* hoc

2\.

hoc saltem fructuosum erit, quod prodesse tentaverint. Ipse Christus non semper obtinuit, quod intendebat & quærebat: siquidem Marci 6. propter incredulitatem Iudæorum in Patria sua non poterat signum facere.

Secundò, Perturbantur alii vicissim, quia fiunt multa contra ipsorum voluntatem, infortunia, calamitates, deceptiones, orbitates, &c. à mundi vel fortunæ inconstantia profecta: Sed hi advertere debent

Primo, quam plurima in dies fieri contraria ipsi Deo, quæ tamen summam ejus tranquillitatem minimè perturbant.

C. II. *Quia fit contra voluntatem.*

Secundo, prævidere hæc tanquam imminentia debent, & præcogitare, hæc talia vel debere suis peccatis vel ex naturæ imbecillitate, aut inconstantis mundi ingenio proficisci. Ita enim exspectarentur in dies varia incommoda, nec valde percellerent aut perturbarent animum. Hinc Seneca ep. 77. *Præcogitati mali,* inquit, *mollis ictus venit. Unde sapiens assuescit futuris malis, &c.* Plutarchus lib. de tranquillitate animi refert. Vlyssen peregrè reversum repentinæ morti canis illachrymasse, quam præsciverat malè habentem. Itaque qui novit totum mundum in maligno positum, ut 1. Ioan. 2. dicitur nihilil boni sibi ab eo pollicetur, & venientia mala facilè tolerat. Ita Anaxagoras audita filii morte: *Sciebam* inquit, *me eum genuisse moriturum.* Ita qui opes, valetudinem, amicum perdit, simili modo se consoletur. Quid mirum si aliquando tandem frangatur vitrum? Si nix liquescat cito? si domus tandem collabatur? Humana sunt ista, adeoque tolerabilia.

Tertio, Cogitare quod tunc magna præbeatur tibi materia, fortiter agendi, patientiam scilicet & magnitudinem animi exerendi. Vnde Iacobi 1. dicitur: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, &c.*

D. III. *Quia nimis æstimantur temporalia.*

Tertio, Perturbantur alii, quia nimis magni æstimant bona vel mala temporalia. Hinc enim perperpetuæ curæ & solicitudines acquirendi & augendi. Hinc continuæ lachrymæ & gemitus, cum bona illa perduntur. Hinc metus futurorum eventuum. Sic lamentabatur Michas ob ablatum sibi Idolum, Judic. 8. Nam cum suo scuptili omnia sibi ablata putabat & clamabat. Et quid erat sculptile? Ita nimirum qui afficiũtur nimis erga temporalia, quando quid exiguum perdunt, adeo lamentantur, ac si omnia perdidissent ipsique periissent. Sic tremunt & exanimantur pueri cum excipi se vident sibilis anserum, & oves latratu catulorum. Proderit itaque moderari affectus erga res temporales, & cogitare in iis salutem nostram nequaquam esse positam, sed potius impedimentum. Solent lusores dicere cum pecuniam vel quid simile perdiderint: quid tum? nunquid fecit me ista pecunia? non laudo hoc in lusoribus: sed laudo, cum quid temporale perdimus absq; culpa nostra. Quidquid enim perdamus, si DEum, qui nos fecit, & reficere fractos ac mortuos potest, retineamus, parum est.

E. IV. *Quia gravius mala apprehendimus.*

Quarto. Perturbantur alii apprehensione vehementiore alicujus mali præsentis, præteriti aut futuri, uti belli, famis, penuriæ, &c. Sed inprimis hic sæpè inanis timor est, & velut larva, quâ terrentur pueri, ut ait Seneca Epist. 24. Potens est enim DEus mala benè vertere, idque ab eo sperandum, præsertim quantum ad ea spectat, quæ necessaria sunt vitæ & conservationi nostræ. Optimum ergo est confidere in Domino, & conjungi cum illo per charitatem; juxta Psal. 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion,* videlicet erunt. Qua ratione? *Montes in circuitu ejus* (id est, montis Sion] *& Dominus in circuitu populi sui.* Et verò licet magna sit annonæ charitas, non est tamen cur inde perturbemur. Quia æquè facile est Deo salvare, sive in paucis sive in multis: item sustentare nos miris modis, etiam ipso serpentum esu, lapidum, æris, &c. si vellet. Sic enim Deut. 8. ait Moyses: *Afflixit te* (Deus) *penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Deinde vanum est ante tempus excruciari, licet mala sint ventura, *sufficit diei malitia sua,* inquit Dominus Matth. 6. Nec avertere potest imminentem cladem nostra cogitatio, aut tristitia, sed nos ipsos conficit. Vnde Eccles. 30. dicitur: *Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo.* Denique cum S. Athanasio, nubeculam esse hanc calamitatem, brevi duraturum: & meliora secutura sperandum est. *In die malorum,* ait Eccles. c. 11. *memor esto bonorum.* Si emersimus ex aliis miseriis, emergemus etiam ex hac. Sed de fama mea actum est, inquies; Dicta & facta mea in deteriorem partem accipiuntur; sinistra de me sparguntur, & audiuntur hominum judicia. Sed inprimis sufficit probari sanioribus: Sufficit probari Deo. *Ecce in cœlo testis meus*, ait Iob. cap. 16. Habuit & Christus suos contradictores, & Ioannes Baptista, Matth. 11. *Venit enim Joannes*, ait Dominus, *non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini:* Neuter tamen remisit quidquam de mentis tranquillitate. Denique quis omnibus omnino placere hominibus queat? An nescimus fabulam de asino, quem pater & filius agebât ad mercatum vendituri si possent? Agebant illum primo vacuum ante se, reprehenderunt illud obvii, quod neuter illo veheretur, cum esset pater senecta, filius pueritia imbecillis. Probavit sententiam Pater & filium asino imposuit. Mox iterum obviarunt, qui Patrem reprehenderent, quod ipse annis gravis, pedestri itinere se vexaret, filium labori & itineri non assuefaceret. Recte & hos monuisse Pater ratus, filium præire, jubet ipse asinum inscendit. Sed non multum progressus, audit mox objurgatores, quod tenellos pedes exerceat

 itinere,

itinere, ipse suis callosis parcat. Ergo assidere post se filium jubet. Sed cum alii obvii iterum eum culparent, quod venditurus asinum, prius tanto pondere exanimare vellet, ad extremum asinum in pertica gestare cum filio cœpit, eoque facto multo maximè omnium se risui & reprehensioni exposuit, quasi mente captus esset. Itaque indignatione percitus, quod omnium judiciis taxaretur, asinum in vicinum flumen præcipitavit, & sic asinū dum sermonibus hominum movetur, perdidit. Nimirum impossibile est, ita omnia sua componere, ut hominum cavillis obnoxia non sint.

F. V. *Quia nostra sorte contenti non sumus.*

Quinto. Perturbantur alii, qui sua sorte contenti non sunt, & invident aliorum sorti meliori inhiantque semper, ut cum Barones volunt fieri Comites: Nobiles Barones: cives nobiles, &c. Horum cor perpetuis agitatur æstibus & fluctibus ad instar maris. Sic indoluit & illachrymatus est Alexander Magnus dicenti Anaxarcho plures esse mundos, eo, quod nec dum unius factus esset Dominus, Plutarch. lib. de animi tranquil. Tales seipsos torquent & frustra quidem, nec enim per hoc ipsi feliciores, aut alii, quibus invident, fiunt miseriores. Incipiant ergò sua sorte contenti esse, & erunt quietiores. S. Ægidius S. Francisci socius, beatum illum dicebat, *qui amat & non desiderat amari: qui servit & serviri sibi non cupit : qui se benè erga alios gerit non tamen eo fine, ut se erga illum vicissim bene gerant.*

G. VI. *Quia immiscemus rebus alienis.*

Sexto, Perturbantur alii, quia se immiscent negotiis alienis. Si enim Martha, quæ solummodo satagebat domus suæ, audivit à Christo : *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima:* quid audivisset, si curare etiam res alienas voluisset? Etenim qui nosse vel agere quærit aliena : ad singula satis nequit attendere, nec ea ut par est, expedire, & dum non expedit, confunditur, dejicitur, consternatur & invidiam patitur. Unde Paulus cum monuisset Thessalonicenses 1. Thessal. 4. *Rogamus vos fratres, operam detis, ut quieti sitis,* mox addidit : *& ut vestrum negotium agatis.* Hæc enim radix est inquietudinis aliena negotia agere. Observandum etiam quod monet Seneca in opusc. de curiositate: *Qui inquirit,* ait, *quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, seipsum inquietat.*

H. VII. *Quia mala egimus.*

Septimo. Qui mala egerunt; ita enim *jussit Deum ut peccatum sibiipsi esset pœna,* ut ait S. Augustin. in Confess. Speciatim verò & jure merito perturbantur ii, qui perturbant alios. Talis erat Ismael, de quo prædixit Angelus. *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, &* [consequenter videlicet] *manus omnium contra eum,* Genes. 16. multas feras non persequeremur, nisi ipsæ nocerent nobis, & rebus nostris ut ursi, lupi, &c. Provocavit Amasias Rex Juda, Joam regem Israel ad prælium temere : *videamus nos,* id est pugnemus. Respondit Joas: *Contentus esto gloria tua, & sede in domo tua; quare provocas malum ut cadas tu, & Judas tecum ?* Sed non acquievit Amasias. Venerunt ergò ad pugnam; sed Amasia captus & perductus est in Jerusalem suam, non jam ut Rex, sed velut mancipium, & videre debuit muri dejectionem templiq; spoliationē, 4. Reg. 14. Vixisset etiam Goliath, & quietus quidem, nisi temere provocasset phalanges Israelis: Ita qui ad duella provocant, vel provocati prodeunt, quid nisi seipsos perturbant, & in plurimas curas & miserias conjiciunt: Non ergo turbetur cor vestrum, &c.

CONCIO III.

DEI ATTRIBUTA QUOMODO in Christo elucescant.

I. Dei potentia.
II. Sapientia.
III. Bonitas naturalis.
IV. Sanctitas.
V. Benignitas.
VI. Providentia.
VII. Misericordia.
VIII. Justitia.

THEMA.

Philippe, qui videt me, videt & Patrem, Joan. 14.

A. Multi quidem veterum philosophorum cognoverunt homines felicitatem & summū bonum consistere in cognitione Dei tanquam objecti nobilissimi. Quia vero Deum per seipsum cognoscere non poterant, in in summis viribus incumbebant, ut eum cognoscerent per suas operationes, seu, per magna & mirabilia opera, quæ in mundo hoc cernebant. Verum, quia hæc via cognoscendi Deum longanimis & anfractuosa erat ac difficilis, ad extremum Deus statuit eam facere breviorem & planiorem, mittens filium suum in mundum, qui cum esset imago Patris perfectissima, in humana natura & conversatione, perfectiones & excellentias æterni patris nobis repræsentaret. Hoc est, quod in hodierno Evangelio respondet Dominus Philippo petenti videre Patrem : *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Videtur mihi hoc ipsum expressum allegoricè Exodi 33. quando simili desiderio Moyses petebat videre gloriam Dei : *Domine ostende mihi faciem tuam;* Sed respondit ei Deus; *Faciem meam videre non poteris non enim videbis me homo, & vivet: sed posteriora mea videbis.* Transiit ergo Deus & vidit Moyses eum à tergo : tuncque insonuit vox DEI: *Domi-*

Dominator Domine Deus, misericors, & patiens, & clemens, & multæ miserationis, & verax.

Ergo Auditores, videamus transeuntem DEUM per hunc mundum, videamus opera Christi & inde à posteriori demonstremus Deum, videamus enim in Christo veluti in speculo.

B. I. Potentia. 1.

Vultin' videre DEI potentiam? Inspicite Christum, qui primo potuit omnia facere & fecit, quæcunque ab eo petebantur, vel occasio requirebat. Nulla ægritudo fuit tam desperata quam ille non curavit: nulla mors tam inveterata, quàm non potuerit vivificare: nam & puellam in domo mortuam, & adolescentem cum efferetur, ad sepulchrum, & Lazarum in sepulchro triduanum & seipsum excitavit mortuum, unaque secum multos Patres, qui ante multa sæcula obierant: Nullus dæmon tam robustus, quem non expulerit, cum offerentur obsessi: Adhæc ostendit se omnia posse, cum interrogavit cœcum: *Qui vis ut faciam tibi?* Et re ipsa cum vel è nihilo creavit panes, & staterem in ore piscis, vel certe ex aëre & aqua fecit: cum mutavit elementa, unum in aliud, uti aquam in vinum: cum contrariis contraria curavit, uti oculos cœci luto superposito, &c. Item ostendit se omnia posse in cœlo, cum solem obscuravit: in terra, cum eam motu concussit: in aquis, cum fluctibus & mari imperavit, cum super eam ambulavit: cùm è mari pisces quotquot voluit, & quos voluit, cepit: in aëre, cum ascendit in cœlum: In igne, cum eum de cœlo noluit descendere super Samaritanos quod tamen petebant duo discipuli, & id penes ipsum esse significabant: In hominibus, quando ejecit ementes & vendentes, quando cohortem prostravit verbo in Oliveto, quando ex Judæorum manibus evasit cum voluit, &c. in creaturis, cum ficum arefecit, &c.

2. Secundo, Solo voluntatis imperio omnia hæc fecit, nullis adhibitis machinis, instrumentis, emplastris, precationibus; jussit solum modo, *fiat*, mundare, respice, exi nequam Spiritus. Veni foras Lazare, &c. vel nihil etiam dicendo, voluit tantum ut cum dixit: *Vade, filius tuus vivit, &c.*

3. Tertiò, in momento hæc effecit omnia. Cæci confestim viderunt, Lazarus statim prodiit. leprosus confestim mundatus est: dæmones illicò ejecti sunt, &c. Solum interdum voluit effectum differre ob causam, ut cum leprosi mundati sunt in via.

Jam ergo vides in Christi potentia Dei potentiam. Potest enim omnia facere, quæcunque vult & quæ fieri ullatemus possunt, è nihilo creare, in nihilum redigere, unum in aliud mutare. Et ipse etiam est qui è paucis granis multam segetem, è pluviis, vinum quotannis facit copiosum &c. Et hæc omnia facit solo voluntatis imperio, & quid potest facere mediantibus creaturis potest facere se solo. Denique in momento enim: *dixit enim & facto sunt.*

Unde ergo quanti sit habere Deum benevolum aut infensum, & disce Deo te submittere, disce eundē timere, disce in eo sperare, siquidem creaturæ nihil in nos possunt, nisi ipse annuat.

C. II. Sapientia. 1.

Secundò, Vultin' agnoscere Dei sapientiam Christum intuemini, is enim primo scivit omnia. Præterita, ut mortem Lazari, Nathanaëlem sub ficu, 5. maritos Samaritanæ: &c. futura ut excidium Jerosolymæ, traditorem suum & interitum ejus, negationem Petri ejusque martyrium, mortem & resurrectionem suam, occursum hominis, amphoram aquæ portantis, eversionem Judæorum, Ecclesiæ incrementum &c. Scivit absentia ut ægritudinem Lazari, item abditissima quæque, ut staterem in ore piscis natantis in mari: vidit cogitationes & arcana cordis: Unde ait Samaritana: *dixit mihi omnia quæcunque feci.* Scripsit in terra peccatis Pharisæorum. Adhæc sapientissimè elusit omnem humanam astutiam, uti in quæstione de tributo Cæsari dando, &c. Novit etiam quæ ex hypothesi fuissent, ut quæ in Tyro & Sidone agenda fuisset pœnitentia: neminem omnino salvandum, si persecutio Antichristi non abbreviaretur, &c.

2. Secundo scivit; ea omnia à semet ipso, nullum habuit Magistrum aut consiliarium. Unde mirabantur Judæi: *Unde hic literas scit, cum non didicerit?* Et si aliquando intertogavit discipulos vel alios, non ideo fecit ut ab ipsis aliquid disceret, sed alias ob causas.

3. Tertio scivit ea uno & simplici intuitu, non eguit discursu, unde nihil ipsi novum erat, nihil dubium aut inevidens. Ad omnia resolutus & nulla in re unquam dubius fuit nihil unquam oblitus.

Talis est Dei sapientia. Novit enim primo omnia præterita, futura, præsentia, nec non possibilia omnia etiam individua: rimatur cogitationes hominum: eludit omnium hominum consilia, &c. Secundo omnia in sua cognoscit essentia tanquam in speculo nitidissimo sinè ope aliena [*quis enim consiliarius ejus fuit.*) Tertio, uno & simplici intuitu omnia ab æterno videt, tanquam præsentia, licèt ea secundum nos præterita aut futura sint, unde nec errare, nec dubitare, nec oblivisci quidquam potest.

Ergò sub tanta sapientia, humilia intellectum tuum: deinde time sub oculo cuncta cernente, cuncta penetrante.

D. III. Bonitas naturalis. 1.

Tertiò, Vultin' scire Dei bonitatem naturalem, quæ est perfectio rerum omnium: Christum inspicite. Invenietis enim primo in eo omnes virtutes, & quidem in gradu excellentissimo, ita ut omnes omnium Sanctorum virtutes longe superet.

2. Secundo omnem sapientiam. Unde dicunt servi Principum: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, Joan. 7. Et alii: *Omnia benè fecit, surdas fecit audire, & mutos loqui.*

3. Tertio, omnem pulchritudinem, ut inprimis in monte Thabor patuit.

Quarto,

Quarto, omnes divitias, uti patuit in piscium captura, in statere ex ore piscis deprompto, in pane & vino repentè facto, &c. Hinc enim intelligimus potuisse, eum, si voluisset, omnia habere.

Denique alia bona omnia, potentiam, majestatem, dulcedinem gloriam, &c

Talis est Deus, omnis videlicet boni fons, & quidem redundans. Ergo in Deo quære si quid boni, quæres: siquidem extra illum neutiquam invenies, nisi umbram boni tantum.

E. IV. *Sanctitas*

Quarto, Vultin' cernere Dei sanctitatem? Christum contemplamini. Tam is sanctus fuit, ut non modo peccatum nullum admiserit, sed nec admittere potuerit. Deinde peccati hostem sese exhibuit infensissimum. Hinc enim illa tam severè exprobravit hypocritis. Scribis & Pharisæis: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, &c. Hinc tam serio castigavit ementes & vendentes in templo. Hinc lachrymatus est super Ierusalem. Hinc protestatus & turbatus super proditore sibi asfidente: hinc sanguineum fudit sudorem, hinc mortem oppetiit ut peccatum deleret. Hinc parentes elegit sibi sanctissimos, qui nulli obnoxii peccato essent, hinc reprobos uti Epulonem ne nominat quidem, & similibus dicit: *Nescio vos.*

Talis ergo est Deus purissimus scilicet & omnis puritatis ac sanctitatis fons & amator, peccatique hostis immortalis, qui nihil omnino coinquinatum intromittit in regnum suum. Vide ergo ut in hoc mundo, velut in tẽplo Dei sancto cum omni puritate & sanctitate ac reverẽtia, quasi in oculis Dei converseris. Deinde ne templum animæ tuæ, in quo idem sanctus sanctorum inhabitat, inordinatis affectibus & peccatis violes.

F. V. *Benignitas* 1.

Quinto. Vultin' nosse Dei benignitatem & amorem? Ecce vobis Christum, qui primo omnia, quæ habuit & potuit communicare, prompto animo obtulit, Gratiam inprimis, & doctrinam cœlestem. Ideo quęsivit peccatores veluti oves perditas, Magdalenam, Petrum, Thomam, &c. Deinde gloriam suam, quam nobis sanguine suo, uti & gratiam mercatus est. Adhæc dedit seipsum nobis primo per incarnationem, deinde per oblationem in crucem, & adhuc magis per institutionem Eucharistiæ. Quid amplius dari nobis potuit.

2.

Secundo: Modus amandi erat intensissim⁹. Amore enim nostri infans factus est: complexatus est parvulos: deploravit Lazari mortem & excidium Ierosolymæ: discipulos suos vocavit fratres suos: cum eis nuntiari jussit resurrectionem suam; ad infirmos vocatus libentissime ivit, uti ad servum centurionis. *Ego veniam & curabo eum.* Denique mala nostra in se suscepit, & ut nos viveremus, ipse mortem oppetiit.

3.

Tertiò, finis hujus dilectionis erat commodum nostrum tantum, ut nos regni sui faceret participes.

Talis est & Dei benignitas: Dedit enim nobis corpus & animam, mundum & quæ in eo sunt ad obsequium nostrum, Angelos in custodiam, ad extremum filium suum, & per eum gratiam suam, & promisit gloriam suam. Dabit etiam se ipsum in gloria sua quoddammodo in cibum & potum nostrum per intimam unionem. Deinde diligit nos, ut pater filios. Denique non sui sed nostri commodi gratia omnia ista dedit: nihil enim ei demitur, si ipsi non serviamus. Ergo tanto amatori grati simus & amantem redamemus.

G. VI. *Providentia.* 1.

Sextò. Vult intelligere Dei providentiam; Christum contemplamini. Is primo necessario egentibus providit: Vti vinum in Cana, panem & pisces auditoribus suis in deserto: ægris medicinam, afflictis consolationem, &c. Lazarum non suscitavit, nisi post triduum, ob bonum aliorum, &c. discipulis piscantibus præparavit piscem assum.

2.

Secundò mala ob hominibus avertere satagebat, uti periculum discipulorum in mari laborantium, & Petri mergi incipientis. Impedivit Satanam, qui expetivit cribrare discipulos ejus sicuti triticum.

3.

Tertio suos etiam tutatus est & servavit, uti in monte Obliveti, & Calvariæ. &c. *Sinite hos abire.*

Talis etiam est Dei providentia. Necessaria nobis providet, mala plurima avertit, quæ vel diabolus, vel nosipsi nobis in anima, corpore & bonis illaturi essemus, servat atque conservat nos.

Ergo acquiescamus divinæ providentiæ, nec contra eam murmuremus, siquidem intelligimus eum omnia moderari sapientissimo consilio. Deinde pellamus anxiam rerum hujus vitæ solicitudinem. Denique fiduciam in periculis maximam capiamus.

H. VII. *Misericordia.*

Septimò: Vultis scire Dei Misericordiam? videbitis eam in Christo, quando viduam mortem filii deflentem videns, misericordia motus stetit, filiumque resuscitatum ei restituit, item quando flevit super Lazari mortem, & super Ierosolymæ excidio prævisо.

1.

Huic affines sunt Primo Patientia, quàm tota vitâ tenuit, & inprimis in tolerandis obtrectatoribus & proditore suo: deinde in tolerandis aliorum discipulorum defectibus. Item cum tulit æquo animo excludi se à Samaritanorum civitate, nec ulcisci voluit. Similiter cum Petri gladium inhibuit.

2.

Secundo: Mansuetudo, quâ etiam cum peccatoribus humanissimè versabatur & manducabat, peccatricem non repulit, ad colloquendum cum Samaritana super puteum sedit, ad Zachæum se invitavit, &c.

3.

Tertio, clementia, quâ non solum injurias omnes facile condonavit, uti Petro & discipulis sui desertoribus, sed etiam beneficia impertiit, uti, cum pro inimicis oravit in Cruce, cum Malcho autem restituit cum Iudam ad osculum recepit, &c.

Talis ergo est & Dei Misericordia, qui ab innumeris miseriis nos liberat, ac sæpe nescientes Deinde tolerat peccatores, licet sæpe relabentes, multo tempore

tempore, exspectans eos ad pœnitentiam. Nec repellit ab Ecclesia, sacramentorum perceptione, &c. beneficiis sæpe demulcet, condonat peccata, remittit pœnas & flagella, commutat pœnam æternam in temporalem. Unde ergo quid rependas tantæ misericordiæ?

Octavò: Nosse volumus Dei justitiam? Videamus eandem in Christo. Primo cum peccatores corripuit, ut quando ementes & vendentes facto flagello ejecit è templo, quando Jerosolymitanos excidio punivit.

Secundò: Cum suum cuique tribuit, nec personarum acceptor fuit, uti cum duobus discipulis petentibus sedere ad dextram & sinistram ejus, respondit id non esse suum dare illis, sed quibus paratum est à patre. Item cum dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo.* Item cum vectigal, quamvis exemptus solvit, ne quem scandalizaret.

Tertiò. Cum resipiscentes in gratiam recepit, obstinatos verò reliquit & perire permisit, ut cum Petrum lachrymantem recepit in gratiam pristinam; Judá vero desperantem permisit abire in locum suum, id est, infernum. Similiter cum latronem confitentem duxit secum in paradisum: alterum blasphemantem damnandum reliquit.

Talis ergo est & Dei justitia. Suo enim tempore punit peccatores pro merito! suam etiam cuique mercedem dat: ac denique unum quidem assumet, videlicet pœnitentem; alterum relinquet, scilicet impœnitentem.

Vide ergo ut timeas Deum semper, ne te deserat, &c.

CONCIO IV.

QUOMODO CHRISTUS NOBIS via, veritas & vita.

I. Christus Doctor.
II. Ductor.
III. Redemptor.

THEMA.

Ego sum, Via, Veritas & Vita, Joan. *14.*

A. Tria omninò, & non plura, exigere poteramus, ut infernum declinare & salutem consequi possemus; nimirum, ut doceremur viam cœli: ut incitaremur efficaci exemplo ad progrediendum: & ut liberaremur à potestate dæmonis, ac peccato, à quibus retinebamur. His enim tribus datis nullam excusationem habet homo, si à salute sua deviet & damnetur. Jam vero Christus omnia hæc nobis præstitit: docuit viam cœli verbo veritatis: Prævivit ipse suo exemplo: redemit nos à potestate dæmonis & peccato. Triplex hoc beneficium Christus nobis significat, cum ait in hodierno Evangelio: *Ego sum Via, Veritas & Vita.* Via per exemplum: Veritas per doctrinam, Vita per redemptionem. Uti mox ostendemus.

B. I. *Christus Doctor.* Primò: Indigebamus doctore, qui nos viam cœli in veritate doceret. Etenim post lapsum primi hominis in tantas ignorantiæ tenebras devenerat genus humanum ut (paucis exceptis) suum & communem omnium opificem nesciret, ejusque providentiam & gubernationem; fines bonorum & malorum, cœlum & infernum, animæ immortalitatem, vitiorum turpitudinē, virtutum pulchritudinem; regulam benevivendi. Unde quasi cœcum per tenebras currebat ad mortem, tam quæ secundam & immortalem. Pro Deo colebat astra, homines impios & damnatos, vel eorum statuas, vel animalia rationi expertia, & in his omnibus dæmonem, qui omnes suo sub imperio tenebat, & secum ad æternam noctem trahebat. Has igitur tam exitiales tenebras Veritas Christus doctrinæ suæ luce dispulit, errores detexit, Diaboli fraudes & Tyrannidem aperuit: Deum verum ejusque providentiam, misericordiam & justitiam patefecit, bonorum præmia & malorum supplicia proposuit, totamque salutis viam, hoc est, seipsum suaque instituta clarissimè omnibus demonstravit. Ipsa ejus doctrina inprimis tota gravis est & seria, nihil, nisi quod sit utile saluti, continens: plana item & rudibus etiam ingeniis accommodata; sublimis etiam & inexhaustæ profunditatis, ut doctissimi quiq; semper in ea discere possint: pura quoque & perfecta, illustrans intellectum, inflammans voluntatem, dirigens operationem, componens vitam, &c. Hujus enim doctrinæ instrumentum fuit ipsa Christi humanitas omni sapientia & eloquentia referta, unde longe superat cæteras scripturas sacras, quas per homines tantum Spiritus sanctus dictavit; ut facile agnoscat lector plusquam hominem fuisse, qui doctrinam illam tradidit. Consideremus aliqua capita. Ad terrenarum rerum abdicationem hortatur dicens: *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Et *si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c.* Et: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, &c.* Ad castitatem: *sunt Eunuchi, &c.* Ad obedientiam: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Qui amat animam suam, perdet eam, &c.* Ad dilectionem inimicorum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Ad studium orationis: *Quis ex vobis patrem petit panem, &c. Et ego dico vobis: Petite & accipietis, &c.* Taceo parabolas illas omni sapientia plenas ad omne virtutis genus excitantes.

Quod si modus consideretur, quo collatum est hoc beneficium, magis adhuc crescit. Docuit enim Dominus, non per Angelum aliquem aut Prophe-

tam, sed per seipsum aliquod annis, magno labore, in fama & siti, æstu & gelu, in magna fatigatione, ut patet in sermone habito cum Samaritana, in variis item locis, oppidis, vicis, in deserto, in montibus, in campestribus, terra marique, in templo, plateis, domibus publicè & privatim. Neminem etiam excludebare è suo auditorio: undique occasionem docendi dexterimè captabat: rudiorum ingeniis se accommodabat: nec ob duritiam hominum, aut Pharisæorum obtrectationes & minas desistebat. Ad discipulorum suorum captum benignè se demittebat, eorum crassitiem & tarditatem patienter sustinebat. Mirabile spectaculum: videre divinam illam sapientiam cum plebeis & rudibus hominibus; piscatoribus, mechanicis assidue occupatam & conversantem. Multum foret, si quis magnus doctor rusticanos pueros à principiis & Alphabeto instrueret, eorum crassos mores toleraret &c. quanto plus est illud? Multum etiam putatur, si cui viro plebejo scribat rex propria manu familiares literas, multo plus est illud. Quare S. Antonius, cum ad eum Constantinus Magnus, & filii crebrò literas misissent, ut reciprocis ab eo scriptis exhilararentur nihil hac principum benevolentia motus *& tanquam non acceptis literis*, ut scribit S. Athanasius in ejus vita, *convocatis Monachis ajebat: Reges sæculi ad nos miserunt epistolas. Quæ hic Christianis adhibenda admiratio est? licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi & moriendi conditio est. Illa sunt omni admiratione percolenda illa toto affectu retinenda sunt: quod hominibus DEUS legem scripserit, quid per filium suum propriis Ecclesias ditavit eloquiis.*

Hujus beneficii figuram habemus illuminationem cœci nati, Joan. 9. Cum Christus expuit in terram & fecit lutum ex sputo, & linivit oculos ejus, jussitque eum lavare in Natatoria Siloë uti exponit S. Aug. hom. 44. in Joannem.

C. II. *Ductor.*

Secundo: Indigebamus ductore. Etenim licet homines agnovissent viam cœli, ea tamen illis visa fuisset ardua nimis & difficilis, quia cum sensibus ducantur, nihil præter sensibilia perfectè apprehendunt: Spiritualia autem, quibus continetur via cœli, obscure tantum & confuse ac quasi à longè; quo fit ut à spiritualibus parum & languide moveantur, à sensibilibus verò multum & vehementer. Cum erga via virtutis, alioquin per se facilis & jucunda, videatur hominibus aspera & difficilis, Christus hujus infirmitatis nostræ conscius, ut fortius apprehenderimus bonorũ spiritualium excellentiam, magisque ad ea consequenda excitaremur, difficultates vero annexas facilius superaremus, factus est nobis via, dum exemplo suo in omnibus præire voluit, & sensibile exẽplar omnis perfectionis seipsum exhibere, ad quod assiduè intuentes, vitam nostram conformaremus. Absque hoc esset, multi erant dicturi, facile esse virtutis viam ostendere, sed non item peragrare: hanc difficultatem non esse expertum Dominum nostrum, sed grave tantùm onus imposuisse nobis, quod digito suo non movisset; ad quem modum miles quidam, ut refert Frontinus lib. 4. cap. 6. Xenophonti duci objecit, facilè eum sedentem in equo, laboriosum iter imperare. Sed ut Xenophon equo mox desiliit, & militem ei imposuit, ipse pedester incessit: Ita fecit Christus: de equo enim gloriæ suæ ipsemet desiliit in asperum virtutis iter, nobisque ita in omnibus præivit, ut nos equitare, ipsum pedibus incessisse fateri debeamus. Cujus rei figuram proposuit nobis in Samaritano, qui de equo suo descendens, imposuit illi miserum illum; qui præ languore & vulneribus incedere non poterat. Itaque quod difficile, quid asperum, quid durum in hoc mundo, quod Christus non sit expertus? Paupertas? At ipse in stabulo eoque alieno natus, diversorium non habuit, paupere ædicula educatus, ope aliena & Eleemosynis piorum sustentatus, neque locum, neque supellectilem, nec ubi caput reclinaret, sepulchrum etiam alienum habuit, pauperes insuper discipulos. Castitas? At ipse de castissima virgine natus, virginitatem perfectissime servavit. Obedientia? At ipse subdidit se parentibus, Principibus, legi veteri, & patri usque ad mortem crucis. Humilitas? At ipse humiles parentes elegit, per triginta annos gloriam suam occultavit, postremis simum locum inter latrones & contemplissimum supplicium subiit. Oratio? At ipse crebro pernoctavit in oratione locis solitariis, præterquam quod mens ejus in contemplatione perpetuò defixa erat. Zelus domus Dei & salutis animarum? At ipse nonne flagello ejecit mercatores è templo? nonne per aspera & adversa quæque quæsivit animarum salutem die nocteque? Patientia? Et quid est ejus passio, nisi mera patientia? Mansuetudo & inimicorum dilectio? At ipse pro inimicis passus est & oravit in cruce: Malchum salutavit, Judam toleravit, pavit, lavit, amicum sanavit: injurias discipulorum post resurrectionem oblivioni tradidit. Taceo exempla alia virtutum cæterarum, modestiæ, gravitatis, sobrietatis, castigationis corporis, vigilantiæ, circumspectionis & prudentiæ, benignitatis, affabilitatis, misericordiæ, commiserationis aliarumque, quibus per omnia perfectissimè doctrinæ suæ correspondit. Atqui nemo nescit, quantam habeat vim ad persuadendum, exemplum magni præsertim Ducis. Puduit militem Xenophontis paulo ante dictum, equo vehi & videre Dominum suum pedibus incedere: Puduit milites Alexandri Magni non sequi ducem suum per aspera viarum præeuntem, pudeat nos Christianos, non sequi Ducem nostrum.

Quod si modum consideremus, crescit hoc beneficium. Non enim præivit nobis Christus, quomodo Angelus ille in columna nubis Hebræos per desertum: sed cum labore, fatigatione, doloribus, &c. Ideo enim tot & tanta passus est, ut relinqueret nobis

nobis exempla plurimarum virtutum. Neque enim ad solvendum pretium redemptionis nostræ tot & tam diuturnis laboribus & cruciatibus opus erat: Una enim precatio, una sanguinis gutta sufficiebat ad abluenda totius mundi peccata. Voluit quidem Dominus ut copiosa esset nostra redemptio, ratio tamen exempli videtur potissimum ab eo spectata fuisse, uti passim indicat scriptura 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*, Et capite, 4. *Christo igitur passio in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et Matth. 20. *potestis libere calicem, quem ego bibiturus sum?* ita aliæ virtutes, humilitas, obedientia, jejunium, dilectio inimicorum, vigilantia, compassio, paupertas, zelus gloriæ DEI magno ipsum constiterunt. Quanta enim res est DEUM pati contemptum, paupertatem, famem, sitim, directionem superioris, injurias inimicorum, &c.

D. III. Redemptor.

Tertio, Indigebamus Redemptore, qui liberaret nos à jugo Dæmonis, peccati & mortis æternæ. Talem etiam se nobis exhibuit Christus, adeoque nobis vita fuit. Nam inprimis, cepit Leviathan illum, quem olim sancti Patres desiderabant capi: *Quando capies Leviathã hamo & fune ligabis linguã ejus?* Deinde projecit in profundum maris omnia peccata nostra, & velut Pharaonis currus in mari rubro sanguinis sui submersit, peccata, inquam, quæ suopte pondere nos ad inferni Barathrum in momento traxissent, non minus quam Luciferum; nisi ejus pondus Deus inhibuisset; & Christus omnino abstulisset. Paravit etiam nobis balneum pœnitentiæ perpetuum ad abluenda peccata, aliaq; Sacramenta ad gratiam comparandam.

Quæ cum sint maxima, longe majora fient, si modus consideretur, quo nos liberavit. Non enim redemit nos pecunia aut re alia externa; sed maximis suis loboribus, incommodis, cruciatibus, ipsa denique morte. Nam primo acceptavit reatum nostrum & transtulit in dorsum suum, velut si reus esset omnium illorum peccatorum, quæ commissa sunt & committentur in universo mundo. Cogitate quantum confunderetur filius Regis, si fœdissima & fœtidissima vestis, sanguinis & pure aspersa: vermiculis plena, & mille assuturis deformata tenerrimo ejus corpori induceretur, sicque coram patre suo sisteretur? Atqui ad hunc modum suscepit in se peccata nostra Dei filius, & ita coram patre suo comparuit, *factus pro nobis maledictum*, ut ait Apost. Unde delicta nostra sua vocat, Psalm. 21. *longè à salute mea verba delictorum meorum*, id est, accusatio peccatorum meorum prohibet me salvari: item Psal. 39. & 68. Neque solum statum & personam Rei in se suscepit, sed etiam mortem & pœnas acerrimas totumque satisfactionis onus. Dolorem præterea de peccatis illis, ac denique satisfactionem externam.

Quæ cum ita sint, quomodo non merito reprehendendi sumus, si post tantum beneficium adhuc perditè vivamus, & sanguinem testamenti pedibus conculcemus? An non satis esse nobis debet, quod semel nos redemerit Christus? Quid non pollicentur Captivi, ut vel prima tantum vice dimittantur liberi? promittunt se in æternum non redituros, seu flagitia perpetrata repetituros: devovent capita sua, literis aut verbis conceptis, ut si redierint, mox plectantur ultimo supplicio. Quid non facerent Dæmones vel damnati, si vel semel restituerentur in statum viæ; Vidimus alibi dæmonem dixisse, se repturum in columna per cultros acutissimos usque ad cœlum, si vel unico obtutu videre Deum posset. Quare quod Dominus dixit paralytico, Joan. 5. id nobis etiam dictum existimemus. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

In Festo omnium Sanctorũ.

Atque hæc sunt illa tria, de quibus paulo post, in eodem sermone habito in cœna ultima, Joan. 6. dixit: *Cum venit ille*, Paracletus, *arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* De peccato, quia non crediderunt docenti viam veritatis De justitia, quia Christus ad Patrem vadit, hoc est, quia cum sanctissimam vitam duxerit, ob quam ad Patrem vadit sessurus ad dexteram ejus, non excitantur tamen ejus exemplo ad eandem viam ineundam. De judicio, quia mediante Passione sua principem hujus mundi dæmonem jam judicavit, & ab imperio suo dejecit, adeoque genus humanum ab ejus potestate, peccato & morte redemit. De primo arguet eos Veritas, de secundo Via, de tertio Vita. Nos ergo Auditores, ne à Spiritu sancto de his aliquando arguamur audiamus Veritatem, sequamur viam, amemus Vitam, &c.

CONCIO V.

ARGUMENTA FIDEI CATHOLICæ nunc majora quam olim.

I. Antiquitas Ecclesiæ.
II. Pontificum successio.
III. Victoria Ecclesiæ contra Hæreses & Tyrannos.
IV. Incrementum.
V. Fructus.

THEMA.

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me, Joan. 14.

A.

JUdicate, Auditores, an non indignum facinus sit, quod dicturus sum, Erat par conjugum nobile, dives, fidelissimum, honestissimum & laudatissimum.

simum. Vixerunt autem simul per annos circiter octuaginta in summa tranquillitate & amore. Filios etiam genuerunt & filias complures. Tandem ubi ad multam ætatem pervenerunt, cœperunt liberi insolescere & degenerare, vitia sectari. Arguuntur ergo subinde ab optimis parentibus. Sed illi Correctionis & disciplinæ impatiẽtes, ejecerunt suos parentes è proprio domicilio, ipsi interim pro libitu suo vixerunt. Post aliquod tempus redeunt parentes, & recipi in domum suam postulant à liberis, sed hi negant se eos nosse, asserunt eos nequaquam esse suos parentes, ideoq; in ædes non admittunt. Quare circumeunt isti domum & clamant ad suos liberos: *Itane nos non agnoscitis. tanto tempore vos aluimus, vobiscum viximus, & nunc in senio nostro cognoscere nos non vultis.* Sed frustra: imo convitiis aggrediuntur eos liberi; Patrem, vocant adulterum, matrem meretricem, & sic eos à se abigunt. Quid, vos adhæc Auditores? None mecum dicitis ad hos filios: Genimina viperarum: Filii Belial: Filii scelerati: semen nequam, semen Chanaan; Sed quinam hi parentes, quinam filii putatis: paucis verbis: Parentes sunt Christus & sponsa ejus Ecclesia, qui in Germania nostra educarunt plurimos liberos: Inter alios verò multos rebelles, id est, hæreticos, qui impatientes disciplinæ, ejecerunt è suis ædibus Christum & Ecclesiam. Ex eo tempore quærunt reditum isti conjuges. Sed audiunt illud: *Non novi vos.* At respondet Christus: *Tanto tempore vobiscum sum, & nos cognovistis me.* Tamdiu ego vos in fide catholica educavi & nutrivi, & nunc iterum per vicinos catholicos eorum conciones, & libros toties vos moneo, ut me agnoscatis patrem vestrum & recipiatis: & nec dum vultis agnoscere! Frustra. Clamant Christum esse adulterum, qui aliquando deseruerit suam Ecclesiam: Ecclesiam esse meretricem, quæ erraverit, & à Christo aliquando defecerit, &c. Quid de his dicemus, sed forsitan agnoscent parentes suos, si demonstremus eis indicia & symbola eorum.

B. I. *Antiquitas Ecclesiæ.*

Primo considera Ecclesiæ Catholicæ antiquitatem, quanto tempore constiterit immota & immutata, videbis stetisse ad annos mille & sexcentos, adeoque omnes aliarum sectarum ætates multis sæculis superasse. Id enim docet nomen Catholicorum, quo semper nos vocati fuimus, & vocamur etiamnum, maxime ubi Catholici & hæretici simul habitant. (1.) Quærenti enim Templum Catholicum, nemo ostendet phanum Lutheranum. (2.) Secundo, quia nemo unquam ostendet, quo tempore, loco, autore cœperit Ecclesia nostra, præterquam ab ipso Christo ejusque vicario Petro. (3.) Tertio, quia omnes hæresiarchæ & hæretici ab Ecclesia nostra discesserunt, ergò illa prior & antiquior fuit. (4.) Denique ostendent omnis generis monumenta, fundationes, Ecclesiæ Calendaria, ipsa lingua nostra Germanica, Catholicam religionem ab eo tempore, quo Germaniæ invecta est, Inprimis voces quæ ad sacra spectant, Fronleichnam/ id est, Wahrleichnam; Meß/ unde Nundinæ dicũtur die Meß/ quia ad Encænia vel Patrocinia sanctorum confluebat populus, & ob confluxum populi unâ mercatores. Wandlung/ Consecratio, Opffer/ id est, Oblatio; Oblat / id est, hostia; Kirch/ à Græco κυριακὴ, id est, dominica scilicet domus. Beicht / Firmung/ letzte Oelung / Priester-Weyh.

(2.) Secundo nomina clericos concernentia, Priester/ id est, presbyter, Pfaff à Papa, id est, Pater, Bischoff/ id est, Episcopus. Pabst/ id est Papa, Münch/ id est, Monachus, Münster/ id est, Monasteria, Klöster/ id est, Claustra, Abbt/ id est, Abbas: Unde & nomina locorum, Bischoffheim: In der Abbtey/ Abbenzell/ Pfaffenhofen/ München/ Monachium. Inspice literas & monumenta vetera nusquam invenies, Predig-hauß/ Anzeigung/ Predicant/ Superintendent. Diener am Wort. Qui locus unquam vocatus: Predig-haußheim/ Predicanzell.

(3.) Tertio Nomina festorum Ecclesiæ, Kirchweyh/ Weynacht/ Liechtmeß/ Ascher-Mittwoch / Fasten / Palmtag/ Charwochen/ à carenis, Creutzwochen/ &c. Nomina item sanctorum fastis inserta, civitatibus, oppidis & pagis tributa, aliaque innumera, sine quibus loqui nescirent hæretici, cum interim ab iis hæreseos & defectionis arguantur.

Jam ergo quis dubitabit illi Ecclesiæ adhærere; quæ omnium antiquissima est, & à Christo primo Institutore ad nos usque derivata? Origenes tot & tanta scripturus de veritate non alia de causa sub Zephyrino Papa Romam se contulit, nisi ut Ecclesiam plane antiquissimam inviseret, ut scribit Euseb. Cæsar. lib. 6. cap. 12. hist. Eccles. Et tamen tunc vix adhuc ducentos annos duraverat Ecclesia. Quanto majorem autoritatem nunc habere debet, postquam sedecim sæcula complevit & perduravit? De Moyse dicitur Deut. 34. cum 120. annorum esset mortuus: [*Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.*] Idem de Ecclesia Catholica dici potest eaque unica quia in nullo fidei articulo decepta est, nec aliam doctrinam tradidit. Si enim illa erravit, quæro ubi tunc fuerit vera Ecclesia? quæ autem hæresis non brevi caligavit & dentes perdidit? Quod si antiquissimæ nostræ Ecclesiæ fidem non habes, quomodo habes Lutheranæ aut Calvinianæ, quæ vix unum attigere sæculum, & tamen jam caligine involvi incipiunt, dentesque ad sui defensionem perdere. Quid facerent hæretici, si tot annis hæresis eorum stetisset? Si enim primum Jubilæum, ante paucos annos tanta solennitate celebrarunt, quid facerent si millenaria foret? Dicite ergo Lutherani, dicite Calvinicolæ, vestræ synagogæ quomodo adhærebimus, quæ tam sero prodiit? quid enim fieri oportuit illis, qui ante vos fuerunt, quorsum se recipere ad Ecclesiam debuerunt, quæ nullibi tunc extitit, si vestra vera fuit?

Secun-

C. II. *Pontificum successio.*

Secundo. Considera Summorum Pontificum continuam successionem usque ad nostra tempora. Certè S. Irenæus Martyr plenissimam asserit fidei ostensionem esse, successionem continuam Pontificum 13. usque ad Eleutherium sui temporis l. 3. adversus hæres. Similiter Optatus Milevitanus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus triumphant in successione Pontificum, usque ad suã tempora, scilicet annorum 460. Pontificum verò ad Summum 40. Quid scripsissent, si ad hæc nostra tempora seriem illam protensam vidissent? *Tenet me in Ecclesia Catholica*, ait August. cap. 4. cont. Epi. fundam. *ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum*; quo tempore nondum erant ultra 40. Pontifices Romani: quantò magis nos teneat nunc successio 238. Pontificũ? An non longè clarior est nunc Christi de Ecclesia & sede Petri prædictio, quàm tunc? Præsertim si hæc tanta series comparetur cum novatoribus, qui nullam prorsus successionem allegare possunt? Cui enim successit Lutherus & Calvinus, in ea, quam docuêre, doctrina?

Corruerunt sedes aliæ Patriarchales: cessavit in Augustulo Romanum imperium occidentale: cessavit & orientale: cur sedes ista non cessavit præsertim cum sæpius eversa sit Roma à Barbaris & hæreticis, & in eorum potestate fuerit? Aliquot etiam Imperatores Catholicos hostes habuit hæc sedes, & tamen conservata est; nimirum mira Dei potentia & providentia, quia Christianæ Ecclesiæ plurimum intererat, habere unum caput aspectabile & pastorem summum.

D. III. *Victoria Ecclesiæ contra Hæreses & Tyrannos.*

Tertiò. Considera Ecclesiæ nostræ victorias, quas obtinuit contra hæreses & Tyrannos. Etenim primo impugnabatur sævissimè à 12. circiter Monarchis, qui eam omni conatu penitus exscindere conati sunt. Sed tantum abest ut deleta sit, ut potius inde maximopere aucta, & sanguis Martyrum factus sit semen Christianorum, ut dixit Tertullianus. Succesſêre deinde Hæretici alii & alii penè innumeri, à quorum parte steterunt aliqui Imperatores, qui mutatis vicibus Ecclesiam infestarunt, & miris modis exagitârunt, ac nullo unquam tempore quiescere permiserunt. Et horum tamen omniũ ictus non modo sustinuit & excussit; sed etiam præclarissimas Victorias de singulis obtinuit. Hæreses corruerunt & cornua sua in Ecclesiam arietando excusserunt, Ecclesia stat & floret. Quis autem nunc non majorem fidem habeat Ecclesiæ, quæ toties tentata, semper immota constitit, & prædictionem Christi verissimam comprobavit: (*Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*) *Dubitabimus nos*, inquit August. l. de utilitate credendi, *ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successionem Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, culmen autoritatis obtinuit?* Et nos dubitabimus eam Ecclesiam de fæce Lutheranorum non triumphaturam, quæ plusquam de centum hæreticorum exercitibus triumphavit? Quis non securè reciperet se in castellũ, quod innumeris obsidionibus pressum, nunquam tamen expugnare potuit: Talem esse Ecclesiam nostram nunc luce clarius est.

Quid verò qui probato illo lapide relicto confugiunt ad foveas hæreticorum? Quas, quæso, persecutiones Tyrannorum, quos adversarios illi adhuc experti sunt? Suapte fragilitate perierunt, nec gladio eguerunt. Denique dogmata eorum primo quoque Concilio habito damnata sunt, inde mox corruere cœperunt. Quod sanè etiam continget nostris hæreticis qui dogmata jam olim damnata & sepulta, ex inferis eruerunt, ut mirum sit quomodo necdum cognoscant Christum, qui jam dudum eorum dogmata reprobavit.

F. IV. *Incrementum.*

Quarto. Considera Ecclesiæ incrementum, quæ totum pervasit orbem, & ex parvo lapide facta est mons ille magnus, Dan. 2. & Isa. 2. de quo S. Augustinus in Joan. tract. 2. ait: *Quid amplius dicam, quam cœcos; qui tam magnum montem non vident?* Quæ autem secta ostendi potest: quæ Ecclesiæ amplitudini comparari queat? Apostolus certè ad Romanos 1. Gratias egit Deo, quod fides Romanorum annuntiaretur in universo mundo. At qui nunc longè verius & plenius pervasit universum mundum (licet à quibusdam regionibus iterum recesserit, exigentibus id earum peccatis) & devenit deinde ad incognitas prius mundi regiones. Quàm utique gavisi & confortati in fide sunt Christiani, quando primum acceperunt Imperatorem Christianum, Constantinum Magnum? sed quot ab eo tempore nos habuimus Imperatores Christianos? Cognoscitis ergo verba Christi, quibus prædixit, Evangelium suum prædicandum in universo mundo. Agnoscitis quadripartitam Christi vestem, id est, Ecclesiam, ut figuratum vult Augustin. tractat. 11. in Joan. in quatuor mundi partes extensam? Agnoscitis granum sinapis, quod ita nunc excrevit ut majus sit omnibus oleribus? fermentum, quod jam penè fermentavit totum mundum? Cui amplitudini si jungamus unitatem, qua in unum conspirat? quod argumentum efficacius ad comprobandam Ecclesiam veram afferri potest? Quis enim dubitat longè mirabilius esse, si in iisdem fidei dogmatibus conspirent ad amussim tot nationes à se invicem distantissimæ, & sibi mutuo nunquam visæ, sique in novo orbe, in Hispania, Polonia, &c. idem ubique credant Catholici, quàm cùm olim in paucis tantum locis id fiebat?

Comparate quæso vos Acatholici Ecclesiam nostram, cum vestro grege, & videbitis Christum inter vos esse non posse. Primo enim injuriam facitis Christo, qui Ecclesiam ejus in unum septentrionis angulum compingitis. Quid fiet illis,

qui sunt in Asia, Africa, America, & plerisque partibus Europæ, qui de vestra religione nihil audiverunt, nec audire possunt? Quomodo satis Christus providit mundo, si Ecclesiam suam in tantam angustiam abdidit; Adhæc cum in uno augulo sit, quomodo in sectas tot divisa nihilominus est? Audi Augustinum de agone Christi cap. 19. *Nec eos audiamus*, ait, *qui sanctam Ecclesiam, quæ unica Catholica est, negant per orbem diffusam, sed in illa sola Africa, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur. Ita surdi sunt adversum Prophetam, dicentem: Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ita Augustinus. Quid ergo dixisset de Lutheranis, qui non orbis tertiam partem, sed angulum tantùm unum incolunt. Deinde quî fit, ut nullum adhuc Imperatorem, consortem fidei vestræ à Deo obtinueritis, cùm tamen tot Christiani Imperatores extiterint? Cùm enim ferè plebs sequatur suum regem, quomodo per tot sæcula passus est Christus seduci cum Imperatoribus populos?

Denique cur non crescitis; sed consistitis tam diu in ipsis vestris exordiis, imò jam in dies decrescere incipitis? Nonne fides Apostolorum in sui exordio stupendum in modum crevit, & paucos intra annos per universum orbem annuntiata fuit? Cur vos non ad exteras nationes pergitis, & fidem vestram dilatatis in orbem? Num fortè in vos & Lutherum vestrum ea maledictio lata est, quam contra Ruben tulit Jacob: *Effusus es sicut aqua: nec crescas, quia ascendisti cubile patris tui?* Genes. 49. Certè Lutherus effusus in voluptates carnis incestavit & violavit Ecclesiam Christi sponsam in Germania; quid mirum ergò si non crescat, sed potius decrescat; Aut fortasse quia non est vobis cura de conversione gentium, aut malè credentium, sed potius de vestra cute à gladiis persecutorum tutanda, & domi bene curanda, de uxoribus & liberis & re familiari, &c.

F. V. *Fructus*

Quinto. Considera fructus Ecclesiæ, & videbis eam nunc longè præcellentiorem & ornatiorem, quam olim fuerat. Nam primò longè major est sanctorum numerus in omni statu, conditione & sexu ex omnibus nationibus, regnis, provinciis, ducatibus. Quis enim recenseat numerum sanctorum Pontificum: Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Religiosorum, Imperatorum & Imperatricum, Regum & Reginarum, Virginum ac Mulierum? Deinde quot præcones sancti, qui primi fidem Catholicam invexerunt in mundum, uti in Germania per singulas diœceses? rursum quam innumeræ & ditissimæ passim fundationes diœcesium monasteriorum, ordinum equestrium, Hospitalium? Quanta Ecclesiasticarum dignitatum autoritas & honor? Quantus undique doctorum & doctissimorum librorum numerus? Quantus templorum ornatus & copia? Quantus sanctarum cæremoniarum decor? Quantum perfectionis studium in sanctis religionibus & confraternitatibus. Hæc & his similia tanto tempore videtis O hæretici, in Ecclesia Catholica, & non novistis eam esse arborem illam sinapis, quæ paulatim ita excrevit ex parvis initiis in ramos, id est, instituta ordinum & religionum; in folia, id est; scientias sublimissimas, in flores, id est, sanctos viros; in fructus, id est, studium perfectionis & operum heroicorum, in corticem sanctarum Cæremoniarum, &c.

Bozius de sign. Eccl. sign. 93.

Et quid simile quæso cernitis in vestris cœtibus? Nihil aliud, nisi quòd ejusmodi decorem & fructus Ecclesiæ Christi exterminastis. In una Anglia dicuntur mille monasteria ab Henrico VIII. fuisse in profanos usus conversa; ut refert autor libelli de Schism. Anglic. Idem decem millia templorum profanasse dicitur; juxta notum versum:

Boz l. 2 de sign. Eccl.

Millia dena unus templorum sustulit annus.

Sanctorum verò ne unum quidem proferre possunt, qui communi hominum judicio talis habitus sit. Neque enim alicujus sanctitatis indicia aut argumenta in aliquo demonstrare possunt; cum nullum apud eos sit perfectionis studium; nulla Virginitas, nisi personarum quæ à nuptiis excluduntur, & ipsi Prædicantes non tolerantur, nisi uxores ducant; nulla voluntaria obedientia; nulla paupertas nisi coacta.

Dignitas & honor personarum Ecclesiasticarum plane apud ipsos periit: nec mirum quia laicos tantùm & sibi similes pastores habent.

Libri eorum pauci & scabiosi, scommatibus tantùm & mendaciis pleni sunt.

Sacri ritus in templis nulli. Eadem semper crambe quotidie apponitur in eorum templis: nulla festorum aliarumque solennitatum varietas, unde & nulla devotio.

Illud verò intolerandum est; quod interim Reformatores audire volunt, & religionem suam vocant Reformatam: Et quid est reformare? nonne ad meliorem statum & arctiorem vitam reducere? Hoccine fecerunt hæretici?

Quæ cum ita sint, non video quomodo nostri hæretici (modò aliquid sapiant) excusari de errore possint: cùm in meridie cœcutiant: Imò arbitror, comparatione illorum mitius fore hæreticis antiquis in die judicii, quàm nostris, quia tam manifesta fidei argumenta illi non viderunt. Sed quid tandem est, quod ad Ecclesiam non redeant, quàm vident esse veram? Nimirum: *Confiteor tibi Pater*, ait Dominus, *quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, Matth. 11. Qui ergò parvulus & humilis non est, nec subjicit se Ecclesiæ, non agnoscet Christum. Antonio ostensus est mundus laqueis undique plenus? & adjectum, solùm humilem posse illos evadere.

Solus ergò humilis è laqueis evadet hæreseon.

CON-

CONCIO VI.

QUÆ BONA SINT IN COELO.

I. Sternblum. *Scientia bonorum.*
II. Ehrenpreiß. *Gloria.*
III. Königs-Kron. *Potestas.*
IV. Sonnenwend. *Libertas.*
V. Himmelschlüssel. *Pax.*
VI. Alleluja. *Gaudium.*
VII. Tag und Nacht. *Securitas.*
VIII. Engelsüß. *Voluptas varia.*
IX. Je länger je lieber. *Saturitas sine fastidio.*
X. Tausendgülden. *Abundantia.*
XI. Gottes Gnad. *Dei gratia.*
XII. Vergiß mein nicht. *Amicitia.*
XIII. Tausendschön. *Pulchritudo.*
XIV. Augentrost. *Vita æterna.*

THEMA.

***Domine, ostende nobis Patrem & sufficit nobis,* Joan. 14.**

A. VErni hujus temporis & omnis generis florum undique pullulantium amœnitas jure merito excitare nos deberet, ut ad cœlum suspirantes cœlestem amœnitatem oculo fidei contueri, & ardentibus desideriis optare deberemus. Est enim vernum tempus, & hortorum pratorumque amœnitas; qualis qualis typus cœlestis beatitudinis. Idcirco enim illa vocatur è Christo *paradisus*, id est, hortus deliciarum: idcircò ab eodem æstati comparatur, Luc. 21. *Videte ficulneam, inquit, & omnes arbores, cùm producunt jam ex se fructum scitis, quoniam prope est æstas: Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum DEI.* Idcircò denique sanctissima illa Virgo Martyr Dorothea, ab Apricio Præfecto aliquamdiu torta, cum jam ad capitale supplicium duceretur: *Gaudeo; ajebat, me ad sponsum pergere, cujus paradisus omniũ florum ferax, amœnius vernat, quàm dici possit, &c.* Quam cùm Theophilus scriba irrideret, dicens, ut sibi ex horto sponsi sui mitteret poma & rosas: Spopondit illa, & postquam Martyrio defuncta est, misit ei de cœlesti paradiso, brumali tempore, per juvenem pulcherrimum, Angelum, videlicet, tria poma & tres rosas, tam mirifici odoris & coloris, ut eorum suavitate mox conversus, qui priùs irridebat religionem Christianorum, posteà prædicaret, & pro ea jugulum gladio submitteret, nihil jam ambiguus de illius paradisi pulchritudine. Ut refertur in vita S. Dorotheæ apud Surium, Tomo Primo. Quoniam igitur nunc tecta fastidimus & in campos exspatiamur, ad contuendam veris amœnitatem, exeamus & nos, & rogemus Deum cum Philippo, ut nobis ostendere vel à longe dignetur flores & herbas illius magni prati, quod supra nos videmus.

B. I. Sternblum. Scientia Beatorũ. Primò: florem unum lingua nostra stellam vocamus à stellari figura. Est sanè hic in cœlo, quia in Beatis est scientia sine errore. Promittitur hic flos justis Apoc. 2. à Christo, ubi ait: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*, hoc est, lumen gloriæ, quo Anima post noctem hujus sæculi illustrabitur, ut omnia quasi in die clare videat. Ut exponant Richardus Victorin. Primasius, Aretas. *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Greg. 2. moral. c. 3. Et S. Bernardus serm. de triplici genere bonorum ait: *Si aliquid nos latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos: & ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, &c.* Quanta delectatio foret cœco nato, videre uno aspectu totius mundi pulchritudinem? Et quid erit, videre quæ in cœlo, & quæ in terra sunt? Hic certe pleraque palpando tantum velut cœci indagamus, & colligimus per discursum, unum ex altero arguentes; non videmus substantias in se, non differentias, non proprietates, non vires, ac ne propriam quidem animam: ibi aperientur oculi nostri, & hæc aliaque omnia videbimus. Ut ergo per tubum perspectivum nuper inventum obscura fiunt manifesta, & minima fiunt magna, non sine stupore & admiratione perspicientium: ita erit in cœlo, &c.

C. II. Ehrenpreiß. Gloria. Secundò, alius flos dicitur, honoris gloria, Ehrenpreiß. Hic in cœlo est honor & gloria Beatorum, Ait enim Apostolus ad Roman. 2. *Reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt vitam æternam.* Et paulo post: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Similiter David Psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Quod si amici Dei: quod si principes sunt; quanta est hæc gloria? sed omnia superat quod Apoc. 3. promittit Dominus vincentibus: *Qui vicerit*, ait: *dabo ei sedere in throno meo sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno ejus.* Ingenti gloria affectus putabatur ab omni Ægypto Joseph, quando rex tulit annulum de manu sua & dedit ei, & quando fecit eum ascendere super currum suum secundum, quo scil. secundus à Rege vehi solebat, Genes. 41. Sed quanto majus est poni à rege cœli in ipsiusmet throno, ipsiusmet manibus? Et si ita honorat in cœlo sanctum aliquem ipse Deus, quomodo honorabunt eum Angeli cæterique Sancti? Videre possumus hujus gloriæ typum aliquem in terris; quis enim nescit, quanto in honore habeantur in terris Sancti? Ipsis templa & dies festi dicantur, reliquiæ eorum religiosissimè asservantur, nomina

nomina eorum in veneratione habentur, instituta & vivendi ratio ab innumeris sectatoribus retinetur, &c. Etsi tantum honorantur in exilio & ubi non sunt? quomodo honorabuntur in patria & ubi sunt; Honor quem nos mutuo nobis tribuimus exiguus & periculosus est; parum enim est ab hominibus laudari, & sæpe asinus asinum fricat, & alter in alterius gratiam mentitur. *Sed quem Deus commendat, ille probatus est.*

D. II. Königs-Kron. *Potestas.*

Tertio, Ibi est flos qui dicitur **Königs-Kron**; designans Beatorum potestatem sine obsistentia. Hanc significat corona Beatis promissa, Apocal. 2. *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sic Apocal. 4. vidit Joannes coronas aureas in capitibus Sanctorum. Designat autem hæc corona regiam Beatorum potestatem, quâ nihil non potuerunt & velut reges dominabantur. Quod etiam dixit Dominus Matthæi 25. *Venite Benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Et Apoc. 1. *qui vicerit & custodierit usque ad finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes, & reget illas in Virga ferrea.* Habent enim Beati potestatem in dæmones, eos scilicet fugandi & coercendi, cum ad gloriam Dei hominumque salutem expedit. Habent in peccatores, uti plurima exempla demonstrant, in quibus executores fuere divinæ justitiæ adversus peccatores & hostes suos. Eam vero communiter exercebunt in die Judicii, cum venient ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorũ in compedibus, &c. ut dicitur Psal. 149. Habebunt potestatem in creaturas; si enim in terris tantam habuerunt in eas, ut bestias domarent ferocissimas, elementis præciperent, &c. quantam habebunt in cœlis? Ratio est, qui *cum amicorum omnia sint communia, idcirco DEUS potestatem & opes suas cum Sanctis communicat*, ait Philo lib. 1. de vita Moysis. Qui regem benevolum vel amicum habet, omnia sibi posse videtur: Quid ergo non poterunt qui Deum ipsum omnipotentem possident eumque per omnia sibi amicissimum habent, & sibi in omnibus concordantem? Ipse omnibus creaturis, ut beatis obediant jubebit.

E. IV. Sonnenwendt. *Libertas.*

Quarto: Ibi flos heliotropii: **Sonnenwendel**: hoc est libertas sine arctatione. Ut enim heliotropium vertit se cum sole, adeoque se ipsam movet, præter naturam herbarum aliarum: Ita Beati in cœlo arctati vel ligati non sunt, sed vim habent movendi se quocunque volunt. Testatur hoc Apostolus, qui ad Galat. 4. dicit, matrem illam nostram, quæ sursum est Jerusalem, liberam esse. Libera est autem non tantum à peccato & morte, sed etiam ab omni necessitate, lege, impedimento. Quantis subjaceant necessitatibus viventes, quis non videt: pauperes ut inopiam fugiant, & necessaria conquirant, acerba omnia agunt & patiuntur, & sæpe in furta & latrocinia, adeoque in majores se miserias præcipitant. Iisdem necessitatibus affliguntur viri spirituales, imò & cives mundi: Sed illis ingrata est ea servitus, his vero gratissima. Ab hac ergo liberi sunt Beati. Deinde liberi à legibus; quia si *justo lex non est posita* teste Apostolo, 1. Tim. 1. multo minus Beatis, qui justissimi sunt, nec indigent lege, sed omnia tam prompte agunt, atque nos ridere, cernere, loqui, &c. nobis naturalia. Liberi denique ab omni obstaculo vel arctatione, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè omnes clausuras, omnia elementa, &c. velut & ipsi Angeli, &c.

F. V. Himmelschlüssel. *Pax.*

Quinto. Ibi flos: qui dicitur **Himmelschlüssel**, seu clavis cœli; hoc est pax sine turbatione aut infestatione, quia Beati ibi sunt in fortissima clausura, ubi bonis suis pacatissimè fruetur, nec ab ullo infestari poterunt. Dicitur enim in Psalmo 147. de cœlesti Jerusalem: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem.* Confortavit seras portarum *Ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus*, inquit S. Bernard. in serm. de triplici genere bonorum, in eum locum. Multi multa in terris possident bona, sed non possunt iis gaudere, & frui cum lætitia, quia non habent pacem. Multi reges & principes, optima & amplissima habent regna & Dominia, sed interim semper soliciti sunt, curis & anxietatibus à somno & cibo sæpe impediuntur, quia eorum fines pacati non sunt, nec regna eorum undique conclusa, sed hostibus pervia & ab illis infestata: atque ita non tam ipsi habent claves regnorum suorum, quàm hostes eorum. Et sicut gallina inventa esca statim infestatur ab aliis, quo minus eâ fruatur liberè: Sic fit inter homines. Sed non ita in cœlo, ubi Beati habent claves regni sui & non alius; habent obserata undique mœnia, & fines eorum pax sunt. Pax etiam & concordia erit inter carnem & spiritum, interque omnes cœli cives. Sicut enim oculus unus verti non potest, quo non vertatur & alter, sed in eandem partem semper ambo volvuntur: Sic corpus & anima, vel etiam societas illa sanctorum nihil poterunt velle contrarium, sed in omnibus semper conspirabunt.

G. VI. Alleluja. *Gaudium.*

Sexto: Ex herbis una vocatur Alleluja: quæ & ipsa reperitur in cœlo, & designat gaudium sine tristitia, quod percipiunt Beati ex mutua congratulatione, qua unus de alterius beatitudine gaudet, ut de sua. Hanc herbam vidit in cœlo Joannes Apocal. 19. cum audivit lætissimum illud Alleluja à Beatis sæpius ingeminari. Cum enim inter eos summa sit animorum conjunctio, summa est etiam gaudiorum, qualis est fratrum vel amicorum in eodem convivio, uti fratrum Josephi vel filiorum Job. Quemadmodum enim aqua in balneo tanto magis abundat, quanto plures illud intrant, & cum unus ex fratribus fit Episcopus vel Cardinalis, cæteri

cæteri etiam gaudent. Sic quo major est Beatorum numerus, tanto majus accidentale eorum gaudium. Propterea dicuntur intrare in gaudium Domini, Matthæi capite 25. Gaudia mundi imperfecta sunt, & ita potius intrant in hominem, quam intrantur: quia scilicet non omnino perfundunt hominem, sed relinquunt locum aliquem tristitiæ. Sed non ita fit in cœlo, ubi cor & caro exultant in Deum vivum.

H. VII. Tag und Nacht. Securitas.

Septimo Ibi flos, qui dicitur Tag und Nacht/ qui per totam æstatem in hortis reperitur. Designat autem in cœlo securitatem gaudii cœlestis sine timore amissionis, quod durabit die ac nocte id est perpetuò & continuò. Testatur hoc Joannes Apoc. 7. ubi ait se vidisse turbam SS. *qui stant ante Thronum DEI & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Tanta nimirum afficiuntur suavitate & gaudio, dum ei serviunt (servire autem Deo, regnare est) ut inde nulla unquam afficiantur molestiâ. *Secura mens quasi juge convivium,* dixit Sapiens Proverb. 15. quale ergo convivium erit Beatorum cum se reflectent & cogitabunt hoc gaudium suum perpetuum, & nunquam interrumpendum? Sane quoties id facient, toties quodammodo gaudium totius æternitatis simul percipient. Quam citò finiantur gaudia humana, nemo est, qui nesciat. Si enim lætissimum aliquod convivium, vel nuptiæ durant per unum alterumve diem, interrumpuntur tamen per noctes, & brevi omnino cessant: tunc omne gaudium elapsum cogitanti perinde est, ac si nunquam fuisset. Sed non ita erit in cœlo, ubi gaudium beatorum durabit die ac nocte, id est, nunquam interrumpetur, nunquam auferetur.

I. VIII. Engelsüß. Voluptas varia.

Octavo. Ibi herba nomine Engelsüß. Seu dulcedo Angelica, hoc est voluptas sine dolore, & omnis generis deliciæ, tam in corpore quàm in animo, omnibusque eorum viribus, potentiis & sensibus. Ibi angelicis contemplationibus perfruetur intellectus, angelicis imaginibus recreabitur memoria, angelicis gaudiis perfundetur voluntas, hoc est, suavissimis. Ibi Angelica colloqui miscebit lingua, angelicos cantus audiet auris, panem Angelorum manducabit os, angelicos odores percipient nares, &c. sicut principum deliciæ ac voluptates superant voluptates rusticorum: Sic Beatorum deliciæ, omnes hujus mundi delicias. Quia scriptum est Psalm. 35. *Inebriantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos? quoniam apud te est fons vitæ.* Torrentis instar erit ea voluptas, propter impetum & copiam: fontis vero instar, propter perennitatem. Viventium voluptates doloribus permixtæ sunt, adeoque hîc omnes cum agrestibus lactucis comedimus nostrum pascha. Recreatur fortè os cupediis, sed dolet pes aut stomachus. Recreatur auris Musica, sed forte etiam audit contumeliam. Recreatur oculus visu, sed mens interim tristatur, &c. At ibi plena erit omnium virium sensuumque harmonia nihilq; erit, quod non angelica voluptate quasi torrente perfundetur. Et idcirco dicuntur in cœlo Beati manducare & bibere, quod omnia eorum membra & vires exultatione plena erunt. In hac beatitudine, ut ait Sanctus Augustinus apud Granat. in speculo vitæ human. capite 8. Deus omnes sensus Beatorum inæstimabili satiabit dulcedine, erit enim omnium eorum objectum: oculis erit speculum; melos auribus; mel palato; balsamum optimum naribus, gratiosissimus flos manibus, &c.

K. IX. Je länger je lieber. Saturitas sine fastidio.

Nono. Ibi flos, cui nomen Je länger je lieber/ latinè, quo diutius eo charius, id est, saturitas sine fastidio, teste Ecclesiast. c. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Omnium mundi bonorum fastidium tandem capimus, & quę hodie amamus, cras odio habebimus. Sed non ita erit in cœlo. Unde S. Greg. hom. 36. in Evangel. ait: *Corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt: cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt: Cum vero habentur, in desiderio, tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in illis appetitus vilis est, & experientia magis placet: in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit: Augent enim spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur.* Hæc Gregor. Unde patet, cur appetitus in Beatis nullo unquam fastidio perdatur, sed potius augeatur: quia Deus omnium deliciarum fons infinitè cognoscibilis est, & quo amplius cognoscitur, eò amplius amatur. Huc respexit Psaltes cum ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* Psal. 16. Novo enim semper gustu, novâ delectatione Deum videbunt, ad eum modum quo S. Joannes Apoc. 14. vidit Sanctos stare ante thronum Dei & agni, cantantes quasi canticum novum, quod scilicet infinities decantatum novo semper ac festivo gustu resumatur & iteretur: sicuti & manna illud (quid est hoc?) novum semper gustum, & admirationem pariebat Israelitis, Exod. 16.

L. X. Tausendgülden. Abundantia.

Decimò, Ibi herba, quæ vocatur Tausendgülde/ hoc est, divitiæ sine defectu, & omnium rerum abundantia, teste Domino, Matth. 24. *Beatus ille servus &c. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Atqui Psal. 111. ait: *Gloria & divitiæ in domo ejus,* Et Psal. 112. *Abundantia in turribus tuis.* Erit autem hæc abundantia, nullius rei penuria: quia nihil temporalium divitiarum desiderabunt, nec egebunt. *Nec enim arca,* ut ait Cicero, *sed animus dives appellandus est.* Aderunt tamen bona omnia, sed præstantiora & altiora, qualia

qualia sunt, v. g. in regali palatio, comparatione eorum, quæ sunt in domo rustica, Agricola rusticana se supellectile & apparatu instructum videns, divitem se putat, sed si filius regis casam ejus ingrediatur, nihil ibi inveniet, quod aula parentis dignum putet, adeoque omnia contemnet. Videt enim ibi parietes luteos, tectum stramineum, ligneum reclinatorium, pro sede truncum ligneum, lances testaceas, cochlearia lignea, cæteraque omnia rudia & sordida, quibus licet delectetur agricola, ipse tamen nihil afficitur. Ita Beati vilipendunt terrena. Ibi habebunt quidquid Deus habet, præterquam quod Deus esse non possunt. Sicut Josephum Pharao uno tantum solio præcessit, Genes. 14. Sic pater filii prodigi, dixit ad ejus fratrem: (qui typus justorum est) *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*, Luc. 15. &c.

M. XI. Gottes Gnad. *Gratia Dei.*

Undecimò. Ibi herba, Gottes Gnad: id est gratia & favor Dei; *Gratia enim Dei vita æterna.* Ad Romanos 6. Ideo Joannes Apocal. 7. vidit Beatos stantes ante Thronum, & in conspectu agni, quia nimirum gratia plurimum valent apud Deum & Christum, ut exponit Pannonius; quemadmodum ji, qui principibus adstant, grati jis censentur, & multum apud eos posse. Idem Joannis 15. dixit Dominus, cum ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos.*

N. XII. Vergiß mein nit. *Amicitia.*

Duodecimò: Ibi flos, Vergiß mein nicht: id est, amicitia integerrima & solidissima cum omnibus sanctis & ipso Deo, siquidem ibi omnium corda pellucida erunt instar vitri. Unde Apocal. 21. Civitas illa dicitur: *Aurum mundum simile vitro mundo. Non metuam suspiciones*, ait S. Bernardus serm. de triplici genere bonorum: *Non timebo consilia, quia civitas illa, juxta Joannem purissimo vitro similis erit: ut sicut per vitrum lucidissimè cernimus; sic aliorum conscientias clarissimè videamus.* Erunt item ut aurum mundum, id est, purissimi amici: quale aurum in mundo satis rarum est. Plerique enim amici aurum sunt Alchimicum, quod splendorem quidem auri habet, sed non virtutem & efficaciam, unde in medicamentis adhiberi non debet. Plurimos quidem invenies, qui ore se fatebuntur tibi amicissimos: sed ubi eorum operam requisieris, vel ope indigueris, statim tui obliviscentur, & deceptum te videbis. Unde dicimus: Es ist nicht alles Gold / was glänzet: Quod si vera & sincera amicitia tantum amicis parit jucunditatem in hoc mundo, ut Socrates dixerit, nullam esse possessionem pretiosiorem vero bonoque amico, apud Laert. lib. 2. quàm jucundum erit in cœlo cum tot sapientissimis & optimis viris perpetuo conversari? Ipse etiam Deus nunquam eos oblivisci poterit in æternum, aut odio habere, qui nec ipsi Deum odio habere poterunt, sed super seipsos & super omnia alia ineffabili quadam suavitate amabunt, &c.

O. XIII. Tausendschön. *Pulchritudo.*

Decimò tertiò. Ibi flos, Tausendschön: id est summa pulchritudo. Si enim lilium agri vestit Deus plusquam Salomonem, quanto magis Beatos? Unde hodie Ecclesia canit de Sanctis in cœlo illud Thren. 4. *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores.* Saphyrus gemma cœrulei coloris est, aureis punctis quasi stellulis distincta, adeoque faciem repræsentans firmamenti. Quanta ergo putatis erit pulchritudo Sanctorum, Saphyros omnes excedens? Quod si reges & principes in familia sua requirunt formæ decorem & elegantiam; & si juvenes qui stare debebant in conspectu regum Babylonis, debebant esse decori forma, & sine omni macula, atque ob id prius regiis epulis enutriri, ut legimus Dan. 1. quanto magis decet, ut quicunque in cœlo stabunt coram Deo per omnem æternitatem, gloria & decore fulgeant?

P. XIV. Augentrost. *Vita æterna.*

Decimò quartò: Ibi herba, Augentrost: solatium oculorum: & designat perpetuam sanitatem & vitam æternam. Nulla ibi ægritudo vel mors, Isa. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lachrimam ab omni facie.* Nullus ibi dolor, Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quantum hoc oculorum solatium erit nihil amplius triste, sed omnia læta videre?

Quod si igitur vernum tempus & hortorum flores mire nos afficiunt, alliciuntque, ut fastidiamus tecta, & egrediamur ad hortorum & pratorum amœnitatem intuendam, cur non item egredimur passibus desideriorum ex hoc mundi tecto ad conspectum cœlestium pratorum? Licet enim ea nondum oculis usurpemus: certissimis tamen argumentis quasi odoratu investigamus. Si cervi pascuorum ubertate allecti maria gregatim tranant, tametsi non vident terras, sed in odorem tantum earum natant, ut ait Plinius, lib. 8. cap. 22. Cur non & nos cœlestium pratorum vel odore solo alliciamur ad tranatandas difficultates interjacentes & progrediendum in via cœli? In benedictione Issachar ait Jacob Patriarcha, Genes. 49. *Issachar asinus fortis, vidit requiem quod esset bona, & terram quod esset optima: supposuit humerum ad portandum.* Quia ut ait S. Greg. lib. 1. Moral. cap. 17. *Superna requie conspecta præceptis etiam gravibus in operatione se subjicit: & quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit.* Quando ergo saltem à longe videmus terram illam, quod sit optima, supponamus humerum ad portandum Christi jugum.

* * * *
*

CON-

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Tristitia excludenda.
II. Ad cœlum aspirandum,
III. In cœlo mansiones parandæ.
IV. Progrediendum in via cœli.

THEMA.

Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, Joan. 14.

A. SCribit S. Joannes cap. 20. Christum redivivum sic Apostolos suos affatum esse: *Pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Christum misit pater ad ea prædicanda, quæ in mandatis dederat. Ita Christus ipsemet sæpissimè testatur, uti Joannis c. 8. *Sicut docuit me pater, hoc loquor.* Et in hodierno Evangelio: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor.* Pari modo Christus mittit suos præcones ut aliud non doceant, nisi quod ipse inspirat. Unde quivis Concionator legitimè missus, dicere posset suis Auditoribus: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: sed sicut docuit me Christus sic loquor.* Probe notandum & ponderandum est Auditores. Ut enim orator regis non suo auditur nomine, sed regis; & si displicentia loquatur, non ipsi imputatur, sed regi; ita omnino audiendus est Dei concionator. Quare ego, uti alias soleo, ita & nunc non meam, sed Christi vobis doctrinam proponere aggredior.

B. I. *Tristitia excludenda.* Docemur primo tristitiam & perturbationem ab animo eliminare. Prævidit Dominus concutienda discipulorum corda mœrore & timore, tempore passionis. Ne ergo ex nimia perturbatione de fide prorsus dejicerentur, armat eos inprimis fide Divinitatis suæ: *Creditis in Deum, & in me credite.* Quasi dicat, scitote me non solum hominem, sed etiam Deum esse, & proinde licet me morientem videritis velut hominem, credite me & Deum esse, qui me ipsum à morte suscitare possim: *Mortem metuitis huic formæ servi,* inquit Sanctus Augustinus: *Non turbetur cor vestrum: suscitabit illam forma Dei.* Secundo munit eos spe æternæ gloriæ laboribus eorum destinatæ: *In domo patris mei mansiones multæ sunt,* ad quas parandas à vobis nunc discedo. Iisdem argumentis pellenda nobis est perturbatio è corde nostro.

1. Primo clypeo fidei, si oculos in Deum velut reverà præsentem nosque intuentem conjiciamus: Hoc utebatur Moyses, cum Deo jubente eduxit Hebræos ex Ægypto, credens se per Dei opem evasurum manus Pharaonis. *Fide reliquit Ægyptum,* inquit Apostolus ad Hebr. 11. *non veritus animositatem regis; invisibilem enim tanquam videns, sustinuit:* id est, perinde, quasi vidissent eum, qui est invisibilis: ita sustinuit persecutionem Pharaonis, exspectabat enim à DEO certam opem & mercedem. Hoc utebatur Elisæus, cum ab exercitu Syrorum circumdatus & jam jam capiendus, nihil prorsus timuit sed ministro suo dixit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis,* 4. Reg. 6. in quæ verba S. Ambros. serm. 86. ait: *Plures è cœlo defensores, meretur sanctitas quam in terris oppugnatores adduxit improbitas.* Vidit enim Propheta circa se exercitum equorum & curruum igneorum, qui sine dubio erant Angeli. Nullus ergo labor, nulla difficultas vel discrimen de animi tranquillitate dejicere nos debet; cùm sciamus ubique præsentem nos habere Deum & Angelos ejus.

2. Secundo Clypeo spei. Ut enim alia nobis omnia adimantur, cœlum saltem, quod omnibus illis majus est, adimi non poterit. Alexander Magnus antequam in Asiam transiret, immunitates, reditus, agros, pagos suos amicis donavit in Macedonia. Cum autem Perdiccas amicorum unus ei diceret: *Omnia dando quid tibi retinebis?* Respondit. *Spem bonaque Persarum.* Spe enim ingenti fretus, sua esse ducebat, quæ adhuc in potestate hostium erant. Ad hanc ejus vocem Macedones, spretis ejus muneribus sola spe contenti cum ipso manserunt. Plutarch. in Alexand. Major & Securior est spes nostra: Ergo si omnibus mundi bonis exuamur, adeoque ex ipso mundo pellamur: Non turbetur cor nostrum. Superest nobis spes, bonaque cœlestia. Si nullus in orbe locus nobis, ubi manere possimus, concedatur, attollamus ad cœlum oculos & dicamus: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quis eas mihi tollet invito? si patrem habemus in cœlo, quomodo nos inde excludet? si mansiones multæ ibi, quomodo non & pro me una aliqua supererit? Symphorianus adolescens sub Aureliano Imperatore ad martyrium cum raperetur & vocem matris audiret: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur:* inde conformatus, fortiter datis cervicibus, subiit martyrium. Potuit hoc vox matris, & non possit idem vox Christi?

C. II. *Ad cœlū aspirandum.* Docemur secundò toto corde ad cœlum aspirare. Eo nos vocant Primo Verba Christi. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Secundo Verba Philippi: *Ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Hic enim audimus primo veras in cœlo, & propriè dictas mansiones nobis paratas esse. Dicuntur Hebræi Numer. 33. per 42. mansiones pervenisse ad terram promissionis. Sed eæ mansiones, non tam mãsiones, quam perfectiones (uti vocantur Hebr. Exod. 17.) seu stationes erant. Unde Ecclesia suas Vigilias, & 40. dierum jejunia, stationes vocat, ut insinuet nobis, pergere nos ad mansiones cœlestes, nec manentem in hoc mundo quærere civitatem. Errant ergo, qui in terris mansionem sibi quærunt, dicentes:

Modo hic manebimus per tot annos; modo ibi per tot alios,&c. Vita enim nostra continua peregrinatio & stationum mutatio est, qualis Hebræorum in deserto, quæ paucis annis absolvitur. Homo *fugit velut umbra & nunquam in eodem statu permanet*, Job.c.14. Umbra semper declinat & fugit nobis licet inadvertentibus, ita vita nostra. Umbra retineri nullis creatis viribus potest, uti nec ipse Sol, ita vita nostra. Umbra quanto ad vesperam longior est, tanto fini & extinctioni suæ propinquior: ita vita nostra. Umbra nunquam in eodem statu permanet, semper rotatur, & aliam atque aliam horam monstrat in horologio: ita vita nostra, nunc læta nunc tristis, nunc abundans, nunc egens, nunc sana nunc languida, nunc civica, nunc rustica, nunc bona nunc mala. Vera igitur & propria mansio in cœlo tantum nos expectat.

2. Audimus secundò multas in cœlo mansiones esse, multas inquam & diversas pro diversa inhabitantium dignitate & merito, ut exponunt S. Hilarius, Augustinus, Cyrillus, Basilius, Gregorius. *Si dispar retributio*, inquit iste, lib.4. dial.c.35. *in illa beatitudine non esset, una potius mansio, quam multæ essent.* Et Tertullianus in Scorpiaco: *Quomodo*, inquit, *multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?* Probatur primo ex disparitate meritorum. 1. *Unus enim parcè seminat, parce igitur & metet; unus seminat in benedictionibus, in benedictionibus ergo & metet*, 2. Cor. 9. *Aliud semen affert fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum*, Matth.13. 2. Secundo. In inferno dispares pœnæ sunt; *pejus erit ibi Capharnao, quam Sodomæ*, Matthæi 11. Ergo & in cœlo dispares erunt coronæ. 3. Tertio. *Beati erunt sicut angeli Dei in cœlo*, Matth.22. Inter angelos autem & choros eorum certi gradus sunt. 4. Quartò. Quia hoc ad cœli Empyrei pulchritudinem spectat, ut sicut in firmamento est alia claritas solis, alia lunæ & alia stellarum: *Stella enim à stella differt in claritate*, sic etiam fit Beatorum in cœlo, ut docet Apost. 1.Cor. 15. Quare studeat unusquisque meritis excellere, ut præstantiorem & sublimiorem mansionem accipiat in cœlo.

3. Audimus tertiò, omnes in cœlo Beatos à conspectu Dei satiari, ita ut nihil illis desit vel desiderari ab ipsis queat, quod non habeant. *Ostende nobis patrem*, inquit Philippus *& sufficit nobis.* Idem etiam psaltes dixerat: *Satiabor cum apparuerit gloria tua* Psal.16. Ideo Hebræi Deum vocant *sadai*, id est, sufficientem, quia & ipse sibi & omnibus creaturis sufficit. Nihil est in mundo, quo obtento dicere possimus: *Sufficit nobis*, solum & unicum bonum Deus est, quo viso omnia habemus, quæ desiderare possumus. Non dubito, si tibi daretur videre & habere omnia, quæ in Oceano sunt, quin tu diceres *Sufficit mihi*; sat habeo divitiarum, sat habeo deliciarum. Videbo ibi innumera & mirabilia monstra, eorumque pugnas: videbo aurum & argentum, gemmas & margaritas, corallium, aliaque infinita. Sed quid Oceanus respectu Dei, in quo omnia absolutè continentur eminenter? Ac licet, uti diximus, alter alterum in cœlo dignitate superet: Omnes tamen sua parte ita contenti sunt, ut alteri non invideant, nec ejus gloriam appetant. Omnes enim eundem Deum vident, sicut nos omnes eundem solem; tametsi eum alius alio melius penetrat, & plura in eo videt; quia gloria cujusque, capacitati ejus commensurata est, velut si filii plures in mensa patris sedeant, & singuli ante se suum vini poculum habeant, minores minora, majores majora, prout ætas & statura singulorum exigit. In quo casu minor non appetet poculum majoris, quia non posset exhaurire. Accedit mutua charitas & voluntatum consonantia, qua unusquisque de proximorum gloria ita gaudet, ac si ipsi propria esset. Unde Sanctus Gregorius in Job. cap. 3. ait: *In iisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.*

D. III. *In cœlo Mansiones parandæ.*

Tertio: Docemur nobis in cœlo mansiones præparare. Eas quidem Christus paravit nobis meritis & passione sua (ideo ante Christum nemo hominum in cœlum admissus est) easdem tamen & ipsi parare nobis debemus, applicando nobis merita Christi. Causa universalis non excludit particularem, sed requirit. Ita sol & homo generant hominem, sol ut causa universalis, homo ut particularis. Unde Michæas c.2. de Christo prophetavit: *Ascendet pandens iter ante eos.* Hebr. habetur *Porets*, id est, *fractor & perruptor.* Christus primus effractor præivit, & perrupit cœli portam: post ipsum nos ascendere, & quæ nos adhuc impediunt obstacula, perrumpere debemus, per pœnitentiam & bona opera: ad hoc enim faciendum acquisivit Christus, & subministrat nobis vires. Frustra ergo ad mansiones illas aspirat, qui ad eas sibi parandas manum non admovet. Id B. Ægydius unus ex primis S. Francisci sociis urbano joco docuit duos Cardinales, qui rogarant ipsum, ut pro eis Deum precari vellet. Respondit enim: *Quin vos me potius precibus vestris commendatum habete, qui majori fide ac spe præditi estis.* Illis autem sciscitantibus, quinã id fieri posset? *Vos*, inquit, *divitiis, honoribus, omnibusq́, mundi prosperitatibus affluentes, haud dubium vobis salutẽ promittitis? Ego vero in miseria extrema, mendicitate & rebus duris damnationem formido.* Sur.23.Apr. Idem multis delicatulis dicere possent boni Capuccini. In vita S. Joannis Eleemosynarii apud Leont. c.26. legimus Troilo Episcopo ostensam in somnis domum amplissimam, cum hac inscriptione: *Mansio æterna & requies Troili Episcopi.* Dederat enim is pauperibus 30. libras argenti. At quia postea facti pœnitens recepit argentum à Joanne Eleemosynario, vidit mox in altero somnio, amoveri titulum illum, ejusque loco reponi hũc: *Mansio æterna & requies Joannis Archiepiscopi Alexandriæ*; empta libris triginta.

Videtis

Videtis ergo bonis operibus & inprimis Eleemosynis parari in cœlo mansiones; frustra alias sperari. Nunc qua ratione Philippus & Jacobus mansiones sibi pararint, videamus. Philippus certe primo ardebat amore proximi. Vocatus enim à Christo ad sequelam, mox adduxit Nathanaëlem, ut & ipse Messiam agnosceret, Joan. 1. Secundo ardebat amore patriæ cœlestis & desiderio videndi DEum, ut in hodierno Evangelio audivimus. *Domine ostende nobis patrem.* Tertio fuit candidus & misericors, pro indigentibus solicitus: quæ causæ videntur fuisse, cur Dominus Joan. 6. pasturus quinque panibus, quinque millia hominum, interrogaverit Philippum: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Quarto fuit modestus & cautus in agendo. Idcirco enim cum gentiles ab ipso peterent Jesum videre; Philippus, quia Christi ignorabat voluntatem, rem prius eam Andrea communicavit, unaq; cum ipso Christo retulit, Joan. 12. Quinto strenuè pro Evangelio laboravit anis 10. post passionem Christi, excolendo Asiam Superiorem partemque Scythiæ & & Phrygiæ. Sexto: Hierapoli Phrygiæ pro Christo crucifixus & lapidibus obrutus est.

Jacobus vero Episcopus Jerosolymorum à Petro, Joanne & Jacobo Majore constitutus miræ inprimis sanctitatis fuit, ita ut ei soli concederetur [quod alias summi tantum Pontificis erat] ingredi in sancta sanctorum, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere. Ob eandem sanctitatem etiam hostibus venerationi fuit. Vult enim Josephus Judæus, licet perperam, in ultionem necis ejus Jerosolymam excisam esse l. 20. antiq. c. 8. Secundo: tam assiduus in flectendis ad orationem genibus erat, ut ea callum velut pellem Cameli induxerint. Tertio: Miræ abstinentiæ fuit, vino, sicera & carne abstinuit: nunquam tonsus, nunquam balneo aut unguento usus est, lineis tantum vestibus indutus.

Quarto: Pro Evangelio & Ecclesia Jerosolymitana laboravit 29. annis post CHRISTI passionem. Quinto. Ob fidei confessionem primum è pinna templi præcipitatus, deinde lapidibus appetitus, ac demum fullonis vecte percussus in capite occubuit: Sexto: Moriens pro interfectoribus suis, Christi exemplo, oravit: *Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt.* Debuerunt igitur hi duo magni Christi amici sibimet in cœlo mansiones ædificare, & ad eas extruendas præter aurum & argentum præstantium virtutum, præter diuturnos & continuos labores, comportare ligna & lapides, hoc est, lapidari, cruce & fuste necari; Qua fronte nos speramus palatium cœlo, qui manus in sinu gerimus? *Hæc dicit Dominus exercituum,* inquit Aggæus cap. 1. *Ponite corda vestra super vias vestras: Ascendite in montem, portate ligna & ædificate domum, &c.*

E. IV. Docemur & monemur quarto proficere in schola Christi & progredi in via cœli. Eo enim spectat illa Christi exprobratio: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Tribus annis Christus cum discipulis suis fuit; at nobiscum longè diutius est, cum aliis triginta, cum aliis quinquaginta annis, & tamen videtur à multis necdum agnosci. Tribus modis Christum agnoscere in terris possumus, in Sacramento Eucharistiæ: in pauperibus: in Prælatis & superioribus. At quam multi stant & sedent coram venerabili Sacramento: quasi Christum ibi non agnoscant? Quam pauci in pauperibus Christum reverentur, qui tamen dixit, Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Denique si in Superioribus Christum aliqui agnoscerent, eis non detraherent & resisterent. Rursum Christus ait, Joan. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Quid amplius desiderare possumus? Ad felicitatē omnes contendimus: Ecce nobis vita est, eaque æterna omnium honorum aggregatione perfecta, velut viæ terminus. Deinde medium quærimus ad vitam perveniēdi: Ecce nobis via est, per doctrinam & exemplum suum. Denique certi & securi esse volumus, de via & viæ termino: Ecce nobis Veritas est. Iam vero si plurimorum Christianorum conversationem, & vivendi rationem exploremus, deprehendemus primò non agnosci ab eis Christum velut vitam siquidem per mortem ad Christum venire timent, & quantum possunt, refugiunt. Secundò nec agnosci ut viam, quia ipsius doctrinam & exempla minimè sequuntur, imo sæpe numero contrariâ incedunt viâ: fugiunt quæ sectanda, sectantur quæ fugienda Christus docuit. Tertiò; Nec agnosci ut veritatem, quia non fidunt ejus verbis & promissionibus. Et vero si hoc jacerent Catechumeni, vel qui nuper ad Christum conversi essent, excusationem forte haberent. At cum faciant ii, qui tamdiu in schola Ecclesiæ sunt, tot conciones audiunt, tot pietatis exempla vident, tot fidei argumenta cernunt: quis eos excusabit? Sane in primitiva Ecclesia plerique ad unam concionem, confessionem, communionem toti immutati & ita sanctificati sunt, ut constanter pie vixerint; nunc è quamplurimis nihil pene fructus capitur.

Progrediendum in Via Cœli.

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I. *Cur animentur discipuli hac voce:* Non turbetur cor vestrum?

II. *Quomodo armentur.*

III. *Quomodo suis Christus locum præpararit?*

IV. *De quo adventu loquatur Christus?*

V. *Quomodo Christus Via, Veritas, & Vita?*

 VI. Cur

VI. Cur à nobis fidem exigit?
VII. Cur ait Philippus: Ostende nobis patrem & sufficit, &c.
VIII. Quomodo in Christo videri potuit pater?
IX. Quomodo in Christum credentes paria vel majora fecerunt miracula?

THEMA.

Non turbetur Cor vestrum, Joan. 14.

A.

CYgni, ait Plato in Phædone, *quando se brevi præsentiunt morituros, tunc dulcius canunt.* Candidissimus noster cœlestisque Cygnus Christus, prævidens se paulo post è mortali vita migraturum, dulciores solito sonos edidit: cum videl. in ultima cœna suavissimo sermone discipulos suos erexit consolidavitque. Ex eo porrò desumptum est hodiernum Evangelium plenum dulcissimis vocibus. Sonet igitur, ò cœlestis Cygne, vox tua in auribus nostris; vox enim tua dulcis.

B. I. *Cur animentr discipuli hac voc.* Non turbetur cor vestrum.

Quæst. I. Cur animat & quodammodo armat Dominus discipulos ea voce: *Non turbetur cor vestrum?* Respond. quia multis illis prædixerat, quæ partim mœrorem animi, partim etiam timorem injicere illis poterant, indeque perturbationem afferre. Dixerat enim eos à dæmone postulatos ut cribrarentur; dixerat se à Petro negandum, ab uno ex ipsis prodendum; dixerat ab illis se discedere: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum*: dixerat imminere eis periculum: *Qui non habet: vendat tunicam & emat gladium.* His igitur auditis monet eos: ne perturbarentur & animis concidant, sed fortiter in prælium descendant, & tela omnia generosa animo excipiant.

C. II. *Quomodo armentur*

Quæst. II. Quomodo eos armat? Resp. Scuto fidei & galea spei. Fide, cum ait: *Creditis in Deum & in me credite*, q. d. scitote quia DEus sum omnipotens, & possum vos ex omnibus eripere periculis: & cum ad mortem me duci videritis; volentem duci credite, siquidem Deus homo factus non potest mori invitus: Cum in crucem me actum videritis, confidite me à morte propria virtute resurrecturum tertia die: quia facile est Deo, qui creavit hominem, eundem resuscitare mortuum. Prævideràt Dominus acrem hyemē passionis suę quę discipulis abreptura erat virentia folia confessionis fidei: monet ergò ut saltem intrinsecus & in radice conservent fidem. Quod discipulis dicit, nobis omnibus dicit: ut nimirum adversus animi perturbationes clypeum fidei objiciamus, ac cum Josue in altum levemus contra hostes nostros, donec debellentur, Jos. 8.

Spe, cum addidit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Multæ sunt secundum D. Cyrillum, quia cœlum amplissimum & capacissimum. Secundum D. Hilarium, quia diversi gradus pro diversis singulorum meritis: tametsi in denario Beatificæ visionis omnes conveniunt. Ita omnes stellæ in cœlo sunt, una tamen altera major & lucidior est. Una omnium mansio, cœlum est: sed in eo plurimæ & diversæ mansiunculæ? sicut in eodem monasterio plures cellulæ. Confirmat hanc spem Dominus, subjiciens: *Si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum*, q. d. Si non essent mansiones, dixissem vobis utique: nunc enim in eo versor, ut præparem eas vobis, per merita & mortem meam. Bono igitur animo sint, quicunq; hîc per angustam virtutis viam gradiuntur, siquidem ibi devenient ad spatia cœli amplissima: ubi nō arctabuntur gressus eorum.

D. III. *Quomodo suis Christus locum præparaveris.*

Quæst. III. Quomodo præparavit Christus locum Discipulis? Resp. 1. præparasse inchoatè per merita & passionem suam, quibus eas lucratus est, & veluti spolia obtinuit. Sic pater filiis domum parat, cum militiam sectatur & prædas agit, ut illis dotem tribuat.

Secundo Completè, cum in cœlum ascendit cœlique portam clausam aperuit, eoque secum veteres Patres duxit: Tametsi verò regnum cœlorum dicitur paratum esse justis à Constitutione mundi, Matth. 25. per creationem videlicet: novo tamen modo paratum est, cum Christi sanguine illis acquisitum, ac denique cum reali possessione occupatum. *Sciendum* tamen est, non ita à Christo paratas esse mansiones illas, ut ignavis & imparatis dentur, sed paratis tantum, juxta id Matth. 25. *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*, Et Matth. 24. *Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

E. IV. *De quo adventu loquitur Christus.*

Quæst. IV. De quo adventu loquitur Dominus cum ait: *Iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum?* Resp. loqui tam de adventu in morte discipulorum, quo illorum animas ad cœlum translaturus erat: quàm de adventu in ultimo Judicio, quo non solum animas, sed & corpora eorum glorificata ad cœlum evecturus.

F. V. *Quomodo Christus via, veritas & vita?*

Quæst. V. Quomodo Christus Via, Veritas & Vita est? Resp. esse viam, quia per ejus merita, doctrinam & exempla ad cœlum imus. Veritatem, quia nec falli potest, nec fallere. Vitam quia mortem superare, non vero ab ea superari potest. Voluit Christus hac sententia sic intellecta confirmare & consolari discipulos, mox in passione ab eis discessurus.

Secundo. Quia est Doctor seu Dux, ducens nos per fidem, ad beatitudinem. In primo Via, in secundo Veritas, in tertio Vita. Græce adduntur tres articuli, scil. *Ego sum illa via, illa veritas, illa vita*; ut ostendatur esse sublimis ille & cœlestis Doctor, qui sublimem & cœlestem affert doctrinam, nec non ad vitam cœlestem & immortalem ducit.

Hinc rapi jure debemus non solum in admiratio-

nem sapientiæ divinæ, quæ omnia novit & videt, neque falli potest, denique ad veram vitam ducit; verum etiam in vilipensionem sapientiæ nostræ, quæ cœca, mendax, inanis atque inutilis est, respe-ctu illius divinę, ita ut ne formicę quidem naturam, formationem, indolem, vitam, ætates cognoscere possimus.

G. VI. *Cur à nobis fidem exigit?*

Quæst. VI. Cur à nobis fidem, quâ tam sublimia & captum nostrum excedentia credi voluit Deus, exigit dicendo: *Creditis in Deum, & in me credite?* Resp. 1. ut captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei, illum totum Deo subjiciamus: & agnoscentes imbecillitatem mentis nostræ ac divinæ sapientiæ altitudinem, Deum sic honoremus,

Secundò. Ut mens nostra sursum erigatur, & ad divina elevetur. Si enim Deus non proponeret ea, quæ captum humanum excedunt, mens non attolleretur sursum, sed in suo gradu & infima sorte maneret, neque ad Dei visionem disponeretur: fides enim supernaturalium media est inter cognitionem naturalem & visionem beatificam.

Tertiò: Quia cum vita æterna sit supra naturam; ea quoque quæ ad illam ducunt, debent naturæ captum superare. Hinc tantopere donum Dei in scripturis commendatur, & ex divina illustratione haberi dicitur.

H. VII. *Cur ait Philippus.* Ostende nobis Patrem, & sufficit, &c.

Quæst. VII. Cur Philippus ait: *Ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Resp. primo ex S. Cyrillo, quia existimabat, si patrem, eo quo videri poterat modo: videret [sive oculis corporis, sive mentis] se jam beatum fore, nec aliquid præterea desiderare posse. Nec malè, essentialis enim beatitudo in Dei visione consistet, quæ proinde sufficit Beatis. *Ignis* [cupiditatis terrenæ] *nunquam dicit: Sufficit*, Proverb. 30.

Secundo, quia ut exponit idem Cyrill. existimabat se, & condiscipulos satis fore armatos contra omnes tentationum incursus & ad repellendas Judæorum obtrectationes, si patrem Christi vidissent.

Tertio, ex S. Chrysostomo: ne videretur interrogando molestus esse Christo, hoc unum sibi dici postulabat, postea acquieturus:

Quarto, ex S. Hilario lib. 7. de Trinit. sufficit nobis ad fidem servandam.

Quinto ex Card. Toleto: sufficit nobis ad pellendum mœrorem & tristitiam.

Sexto, ex Ruperto: jam nihil superest, nisi ut patrem nobis ostendas, nam de te sufficit nobis.

I. VIII. *Quomodo in Christo videri potuit Pater.*

Quæst. VIII. Quomodo in Christo videri potuit Pater? Resp. 1. ex Toleto, quia Pater idem est cum filio secundum naturam divinam, prout mox subjecit Dominus: *Non credis, quia ego in patre & pater in me est?* Qui ergo vidit filium, vidit etiam patrem; sed hunc ratione naturæ tantum divinæ, illum vero etiam ratione personæ.

Secundo, ex S. Augustino tract. 70. quia filius est perfectissima Patris imago: *Qui videt*, inquit hic Doctor Ecclesiæ, *me, videt & Patrem, non quod ipse sit pater & filius: sed quod tam similes sint pater & filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de duobus similibus ita loqui eis, qui unum illorum vident, & qualis sit alius, volunt nosse, ut dicamus; Vidistis istum? illum vidistis, &c.* S. Athanasius Serm. 4. contr. Arianos ita hoc declarat: *Quippe cũ in filio sit & conspiciatur patris Divinitas. Quod exemplo regiæ imaginis commodius intelliges; quandoquidem in imagine species regis & forma apparet, & in rege imaginis species: sine enim omni discrepantia vultus regis in imagine expressus est, ut qui videt imaginem, videat in ea regem, & vicissim.*

Tertiò, quia ex doctrina & miraculis Christi elucebat Deitas Patris in & cum ipso operantis. Unde subdit Dominus: *Verba, quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Id vero hic suo loco fusius explicavimus.

K. IX. *Quomodo in Christ: credentes paria vel majora fecerunt miracula.*

Quæst. IX. Quomodo credentes in Christum paria vel majora etiam fecerunt miracula, quam ipse? Resp. 1. Secundum Origenem miracula spiritualia, quibus v. g. illuminantur Gentiles, convertuntur peccatores, vincuntur à Justis Dæmones, majora esse quam corporalia.

Secundò. Ecclesia haud dubiè Apostolos & alios miracula, quæ majora censeri possunt miraculis Christi, tametsi ea scripta non sunt. D. Augustinus tract. 82. majus credit fuisse, umbræ transitu, quod fecit Petrus: quam fimbriæ tactu, quod fecit Christus, sanare ægrotos. Et quis non credat majus esse mirum, quod S. Stanislaus Petrum quendam triennio sepultum à mortuis excitavit. Sanctus Maclovius Gigantem quendam gentilem diutissime sepultum, S. Udalricus quendam innocentem supplicio affectum post multum temporis vitæ restituit, quam quod Christus quatriduanum Lazarum excitavit.

Tertiò. Saltem si fuisset opus majora opera facere, poterant Apostoli. Et sic videtur intelligendus Christus quo modo dixit Lnc. 7. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori; Eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis.*

Cæterum in hoc miracula Christi superant alia omnia Sanctorum miracula, quia Sancti ut instrumentum tantum, ipse vero velut agens principale ea operatus est. Unde subdit: *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

* * *

IN

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Evangelium Joh. 3.

IN illo tempore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEus cum eo. Respondit Jesu, & dixit ei: Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo renasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? Respondit JEsus: Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum ex Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, Amen dico tibi, quia quod scimus loquimur: & quod vidimus, testamur: & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, de cœlo filius hominis qui est in cœlo Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.

CONCIONES.

I. De artificiosa inventione S. Crucis.
II. Sanctæ crucis gloria & triumphus.
III. Beneficia seu effectus S Crucis.
IV. Fructus signi crucis, quo nos consignamus.
V. Ad crucem tribulationis portandam quæ invitent.
VI. Quomodo crux ferenda.
VII. Quatuor dimensiones S. Crucis, seu virtutes primariæ crucifixi.
VIII. Mysteria Evangelii.

CONCIO I.
DE ARTIFIOSA INVENTIONE S. Crucis.

I. S. Crux rubus opticus.
II Acus nautica.
III. Vitrum.
IV. Aucupii genus per avem ligneam.
V. Elephantus ligneus,
VI. Virgo & hamus piscatorius.

THEMA.

Notas facite in populis adinventiones ejus, Esa. 12.

CUm quis novum & artificiosum quid excogitavit, dicere solemus: *Hæc est pulchra inventio.* Ita de horologiis, bombardis, typographia & sexcentis aliis loquimur. Merito etiam hoc dixerim de S. Crucis inventione, nō tam de felici ea, quæ contigit S. Helenæ, quam mirabili illa quæ in consilio sanctissimæ Trinitatis Christo Domino ab æterno destinata & decreta crux est, præ omnibus aliis mortis generibus. *Innumerabiles erant moriendi rationes*, inquit D. Greg. Nyss. orat. 1. in Christi resurrectionem, *quibus mortis pro nobis obeundæ consiliis expleri poterat, hanc tamen ex omnibus unam is, qui mortis quam vellet, optionem habebat, sibi delegit atq; præscripsit. Oportet enim filium hominis, inquit, &c.* Poterat sibi Dominus eligere mortem placatam, quemadmodum Seneca jussus à Nerone eligere sibi mortis genus, elegit sibi venarum incisionem in balneo, auctore Sueton. Poterat & eligere mortem naturalem: nemo enim poterat tollere ei animam, nisi ipse posuisset. Quid igitur est, quod violētam, acerbissimam, & ignominiosissimam crucis mortem sibi Dei filius elegerit? Nimirum divini, non humani erat ingenii hæc inventio, eaque pulcherrima & artificiosa, ut videbimus.

A.

Primò

B. I. S. Crux tubus opticus.

Primo nonne pulchra eſt inventio, rubus ille perſpectivus non ita pridem inventus, quo remotæ res clarè & accuratè velut vicinisſimæ apparent? Ejuſmodi tubus eſt Crux Chriſti, per quam clarè perſpicimus, qualiter ſe habeat erga genus humanum Deus, ejuſque attributa, quibus hominem ſpectat remotiſſima quidem in ſe, per crucem vero facta propinquiſſima. Nam primo oſtendit nobis magnitudinem Charitatis Dei erga homines, qui pro eorum redemptione mortem maximè acerbam & infamem ſubire non dubitavit. Quomodo enim non ſummè nos dilexit, qui crucem pro nobis aſcendit? An non inde patet, paratum eum fuiſſe etiam duriora & contemptibiliora ſubire pro nobis, qui maximum contemptum & acerbitatem crucis non horruit? Ante crucifixionem illam declaraverat in nos Deus amorem ſuum dando, & cumulando beneficiis; ſed non patiendo. Nunc vero & patiendo ita patefecit, ut jam magis patefacere non poſſit. Id quod indicat Joannes cap. 13. cum ait: *Chriſtum in finem* dilexiſſe ſuos; per hoc enim indicat terminum dilectionis CHRISTI: qualem peregrinationis & laborum ſuorum conſtituit Hercules, qui juxta Gades binas ſtatuit columnas, cum inſcriptione: *Non plus ultra.* Sed Alexander Magnus plus ſe laborum ſubiiſſe ac ſubire velle indicans, vexillo inſcripſit: *Plus ultra.* Teſte Plutarcho in vita Alexandri. Neuter tamen horum quidquam fecit, ſi cum CHRISTI cruce labores illorum comparemus: ut proinde ſoli cruci debeatur inſcriptio illa: *Non plus ultra.* Quod enim quis in bonum ſuum extrema perferat, parum id eſt, quod in gratiam alterius, verbi gratia, ſupplicio addicti ingentes pecunias expendat, quibus redimatur, id quoque mirum non eſt: quod vero vitam pro ipſo perdat, & diriſſimo quidem ſupplicio, ea certè charitate major excogitari nequit.

Secundo Bonitatem Dei ſummam erga nos, qui non contentus ſufficienti redemptione & ſolutione, abundantem etiam addidit & ſupereffluentem, dum non mori tantum, ſed etiam in cruce mori voluit: ut de ejus bonitate, & miſericordia ne diffideremus, ſed cum fiducia accederemus ad thronum gratiæ ejus, ut loquitur Paulus ad Hebræos 4. etiam poſt quantavis & quotiesvis perpetrata peccata: *Adeamus ergo*, inquit, *cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur.* Verè thronus gratiæ crux, ubi latro ille poſt gravisſima peccata veniam mox obtinuit, cum id ſolum dixiſſet: *Domine, memento mei*, quaſi diceret: non audeo plus à te petere Domine, quam ut memineris mei. *Sed quid audit? Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23. Voluit hoc exemplo palam facere omnibus, quam potens & paratus ſit remittere quæcunque ſcelera, & recipere ad pœnitentiam ſceleratisſimos etiam homines, eosq; animare ut venirent: ut ſicut Medicus vel Chirurgus volens probare theriacam ſuam validam contra omnia prorſus venena, canem veneno infectum, vel deſperatisſimum hominem palam & gratis ſanat, ut ſic nemo de ejus medicina & arte diffidat. Quis igitur videns crucem, tantum ſalutis noſtræ pretium, non ſperet ſalutem & miſericordiam.

Tertio Juſtitiam Dei & ſeveritatem, qui etiam proprio filio non pepercit, ſed ob aliena ſcelera in crucem illum egit. Multis ſanè argumentis declaravit Deus in veteri lege juſtitiæ ſuæ ſeveritatem: ſed tale exemplum nunquam edidit. Si ergò filium tam acerbè tractavit, tibi hoſti & peccatori impœnitenti quomodo parcet? ſi tam gravi baculo caſtigavit filium, quid tibi fiet? Hoc expreſſit Dominus dicens mulieribus cum bajularet crucem: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros; quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lucæ 23. ſi Chriſtus humore gratiæ undique plenus, fœcundus, innocens ita caſtigatur à Patre ob aliena ſcelera, quid fiet peccatoribus aridis, inutilibus & igni aptiſſimis ob propria peccata? Ingentes Chriſti cruciatus legimus & horreſcimus: quid erit pœna infernalis, æterna? Ne ergò dicas amplius: Deus clemens eſt, benignus eſt, non damnabit me. Quid? Itane ſtupidus eris, ut tibi parcendum credas nocentisſimo, cum innocenti non pepercit filio? Vin ſcire quam Deus mitis ſit & clemens, veni, accede, palpa: Non vides in cruce ejus filium? Nunquid pepercit?

C. II. Acus nautica.

Secundò pulchra inventio eſt acus nautica, quæ errantes in mari nautas, & præter cœlum & aquas nihil videntes dirigit, ne devient, & reduci ſi deviaverint. Similis eſt inventio ſanctæ Crucis. Ita enim Eccleſia in reſponſorio 1. hodie canit. *In ligno pendens noſtræ ſalutis ſemitam verbum Patris invenit.* Acus nautica ex contactu magnetis vim acquirit, ut non quieſcat, niſi Aquilonem reſpiciat: ita crux ex contactu corporis Chriſti habet ut certam nobis ad cœlum viam oſtendat, ad Aquilonem ſcilicet adverſitatis & tribulationis. Hinc latro à dextra Chriſti verſus ſeptentrionem pendens ſalvatus eſt; alter à ſiniſtra ejus verſus meridiem pendens damnatus eſt: Jactabantur prius in hoc turbulento mari homines, & viam beatitudinis perdiderant, omnes ad Auſtrum proſperitatis tendebant & peribant. Chriſtus ut nos ab ea retraheret, ipſe viam oſtendit, imo & præivit: nam confecto itinere crucis rediit ſalvus & glorioſus, ut jam nemo dubitari poſſit viam Aquilonis, tribulationis inquam & crucis, ſolam eſſe veram cœli viam. Unde Apoſtolus Jacobus cap. 1. ait: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis*, &c. Et Dominus Matth. 11. *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.* Si quis regiam cognoſcere vult viam, videat ubi cruces fixæ ſint, eæ enim plurimum in regiis collocantur viis. Simili modo ſi quis cognoſcere vult, num recta ad cœlum tendat; an crucem ſequatur, an gaudeat in tribu-

tribulationibus. Vanos igitur & inſanos Crux oſtendit eos, qui deliciis & proſperitatibus animam hic paſcunt. De ſancto Ambroſio narrat Petrus de Natal. lib. 2. cap. 39. & ſanctus Antonius lib. 2. p. hiſtor. tit. 10. c. 5. §. 2. cum aliquando in villa Thuſcię quadam hoſpitaretur, diceretque Hoſpes, de ſtatu ſuo ab Ambroſio conſultus, ſe nil unquam adverſi expertum, omnia habuiſſe ſemper proſpera & ad nutum, obſtupuit Ambroſius & ait ad ſuos? *Surgite & hinc quantocyus, fugiamus, quia* Dominus *non eſt in loco iſto.* Ubi abſceſſiſſent paululum, retroſpicientes viderunt domum hoſpitis motu terræ abſorptam cum omnibus, qui in ea erant. Similis eſt Polycratis illius regis Samiorum hiſtoria, qui ut ſcribit Valerius Maximus lib. 6. cap. 11. cum in omnibus proſperaretur, ideoque elatus periculum facere vellet, num adverſi quid experiri poſſet, annulum pretioſiſſimum in mare abjecit, ut haberet quod doleret: quem tamen mox recuperavit: capto piſce, qui eum devoraverat. Unde prorſus credidit nihil ſibi adverſi contingere poſſe, ſeq; omnium feliciſſimum eſſe. Sed quantum aberraverit, exitus ejus oſtendit, Tandem enim ab Oronte Darii regis præfecto in vertice montis Mycalenſis cruci affixus, publico ſupplicio & diriſſimo interiit. Felices igitur, qui dum vivunt, complectuntur, quia ſic cum Chriſto ad gloriam reſurrectionis pervenient.

Porrò non monſtravit tantum, nobis Chriſtus cruce ſua viam beatitudinis: ſed ad eam etiam inſtar Magnetis fortiter nos attraxit, dum ipſe primus eam ingreſſus eſt. Quis non alacriter ſequatur, ſi tantum ducem præeuntem videat. Alexander Magnus interiorem Perſidis regionem cum exercitu ſuo peragraturus cum veniſſet ad iter perpetuis obſitum nivibus & glacie concretum, vidiſſetque milites ſqualore loci & viæ difficultate, territos, iter horrere & reditum cogitare: modũ invenit militem traducendi. Ipſe primus equo deſiliit, & dolabra glaciem perfringens iter ſibi fecit, pedeſq; per nivem & glaciẽ ingredi cœpit. Erubuerunt primò non ſequi amici, deinde copiarũ duces, ad ultimum milites, ut ſcribit Quintus Curtius in vita Alexandri lib. 5. Si hoc potuit exemplum Alexandri: quid non poſſit exemplum filii Dei Ducis noſtri, qui è cœleſti throno deſcendens, primus viam tribulationis & adverſitatis ſuperavit, & crucis dolabra perfregit. Quod ſi hanc acciperemus dolabram, & comparemus Chriſti crucem cum noſtra, facile omnes tribulationum glacies ea perfringeremus, eumque ſequeremur indefeſſi. Hujus enim exempli ſui efficaciam oſtendit Dominus cum ait Joannis 12. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Græcè *omnes traham.*

D. III. *Vitrum.*

Tertio, pulchra quoque inventio eſt vitri conficiendi ratio. Fit id ex ligni cineribus, & pulchritudine ſua elegantiaque jam ex aulis pepulit aurea argenteaque pocula, quod niſi fragile foret, omni auro præſtantius foret. Certè Tiberio Auguſto obtulit quidam, autore Iſidoro lib. 16. vitrum flexile: oblatum Cæſar abjecit in terram, volens id confringere, & ita vilitatem ejus oſtendere; ſed complicatum tantum erat ex caſu nonnihil vitrum nequaquam fractum. Itaque ſublatum artifex mox reparavit malleo, veluti cuprum aut plumbum idque denuo obtulit Auguſto. Quare indignatus Imperator eum necidat, & exterminat dicens, *aurum hoc pacto inſtar luti futurum, & ab omnibus contemnendum, ſi hoc inventum publicum fieret*: quin & officina ejus abolita eſt, ne auro pretium detraheretur, teſte Plinio lib. 36. cap. 26. Hujuſmodi inventum Crux eſt. Vidit Deus homines ea tantum conſectari & omni ſtudio quærere, quæ ipſos in peccata varia, & denique in interitũ trahunt, ut aurum & divitias, gloriam & honores, delicias & voluptates corporis, ſcientias, favores humanos, &c. res vanas & periculo plenas, quæ rariſſimè vel nunquam ſine multis magniſque peccatis, poſſidentur. Igitur ut ab his noxiis vanitatibus nos revocaret, crucem extulit & amplexatus eſt. Crucem inquam, non divitias, non honores, non delicias, non ſcientias, non favores: Sed crucis contemptibilitatem, paupertatem, acerbitatem, ſtultitiam, abjectionem: quam rem ſecuriſſimam, quæ non modo non cum periculo animæ, ſed cum bono modo certiſſima ſecuritate tractari queat omnibus, Proh quanta vilitas ligni Crucis! & tamen eam tam glorioſam, tam ſplendidam fecit, ut innumeri contemptis opibus, honoribus, ſceptris, deliciis, &c. eam ambabus manibus amplexati ſint maximo ſuo bono, gloriæ ſcilicet æternæ. Certe ſanctus Paulus inter alios: *abſit*, inquit, *mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri*: in tantum, ut præ cruce aurum arbitratus ſit velut ſtercora. Unde fit, ut qui vanitates adhuc ſectantur, planè deſipiant & ſtulti eſſe convincantur. Si enim ea vera ſunt bona, cur Chriſtus ea non quæſivit vel acceptavit? cur contraria elegit? Inſanit igitur ſuperbus, quia in cruce ignominia. Inſanit avarus, quia in cruce nuditas & paupertas. Inſanit guloſus, quia in cruce fel & acetum. Inſanit luxurioſus, quia in cruce dolorum acerbitas. Inſanit iratus, quia in cruce patientia & manſuetudo. Inſanit mundi ſapiens quia in cruce ſtultitia.

Porro adeo firma eſt crux, ut frangi & exterminari nequeat. Plurimi Tyranni & Gentiles abjecerunt hoc vitrum, proculcaverunt & exterminare conati ſunt. Unde etiam in locum, ubi crux in calvariæ monte poſita erat, ſtatuam Veneris collocaverant, quo crucis honorem extinguerent, ſed nihil affecerunt. Reparatum ſemper, imo integrum permanſit vitrum, volat volabitq; ſemper in alto crucis vexillum, nolint velint adverſarii. Ipſi contra cum omnibus ſuis pompis exterminati ſunt & ad inferos deſcenderunt. Alii qui crucem ſecuti ſunt, florent in cœlo & in terra.

E. IV.

Quarto. Pulchra inventio eſt ars capiendi alaudas

das

Aucupii genus per avem ligneam.

das & coturnices, cum accipitre vel aquila lignea, in pertica, qua per aërem gyrata terrentur aves, & continentur in terra, sicque reti tectæ capiuntur. Similis inventio est sanctæ Crucis: Aëream enim regionem habitaculum esse Dæmonum ipse Dominus ostendit, cum in parabola seminantis volucres cœli Diabolos interpretatur. Quare ex sententia S. Athanasii lib. de Incarnatione & S. Chrysostomi homil. de S. Cruce & Latr. Christus idcirco etiam crucem morti suæ elegit, ut aërem à Dæmonum potestate & libidine purificaret eosque contineret, ne ita passim, ut olim, hominibus nocerent, Christus igitur in cruce. Aquila illa generosa in pertica est, quæ aves diabolicas terret, nec contra nos insurgant & rebus, corporibus, animisque nostris noceant. Et licèt nos crucem illam non aspiciamus: Dæmones tamen eam, velut si adhuc in aëre staret, semper intendunt, memores virium suarum efficaciam per crucem imminutam esse.

Quomodo enim canis timet baculum, quo semel est percussus: ita Dæmones crucem, per quam sciunt se ligatos, & in gehennam aliquando detrudendos. Huc respexere SS. Vir. Theodorus & alii, qui passim in viis & agris cruces erexere contra præstigias & dæmonum terriculamenta & damna. Tametsi vero lignea tantum est crux, & modo non ipsum Christum, sed imaginem tantum ejus refert: rimetur tamen à Dæmonibus perinde ac si Christus adhuc in ea penderet: quomodo aves timent ligneum accipitrem in aëre agitatum: *Quando enim dæmones*, inquit S. Cyrillus Catech. 13. *crucem viderint, recordantur crucifixi.* Et Chrysost. hom. 55. in Matt. ait: *si ingenti horrore concutimur, cum videmus loca, in quibus capite damnat. pœnas persolvunt; quid passurum putas Diabolum, cum hastam viderit, quâ lethale vulnus accepit.*

Sed dicet aliquis: si Dæmonum in aëre imperium & Tyrannis fracta est, quomodo adhuc in eo dominantur & hominibus nocent? An non & Sagas per aërem libere vehunt, tempestates excitant, &c. Respondeo, non plus eis potestatis in aëre relictum esse, quam habent corvi, qui in cadavera tantum eis objecta grassantur, viventibus vero nocere nequeunt. Dominantur ergo impiis & putridis Ecclesiæ membris tantum & emortuis: vivis vero & justis nihil nocere possunt. Tentare eos possunt, sed hoc ipsum in bonum justis credit.

F. IV. Elephantus ligneus.

Quinto. Pulchram quoque inventionem memini me vidisse florentissima in urbe Florentina, Machinam ligneam Elephantis forma; quam tres vel quatuor homines ingrediebantur cùm bestias, ad pugnam commissa separare & ad suum quamque stabulum concludere vellent. Ex illa enim Elephantis fabrica facere protendebant, & sic liberrime ad bestias ingrediebantur easque terrebant & coërcebant, Leones, Tygrides, Ursos, Lupos, Lynces. Similis quoque inventio sanctæ crucis. Terribiles varii generis bestiæ sunt, variæ moriendi rationes, crux, gladius, ignis, rota, præcipitium, demersio, febris, hydrops, &c. Sed una altera longe sævior & horribilior: cumque homines sint ut ait S. Thomas 3. p. q. 46. art 4. qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut nullum mortis genus recte viventibus metuendum esset illius hominis cruce ostendendum fuit, ipse sibi nullum elegit mortis genus, ne aliquando mortis genus expavescere videretur: ut habet S. Athanas. lib. de incarnat. Similia habet S. August. in Psalm. 140. Erit igitur qui ad mortem placatam & naturalem facile ingrediatur; sed non ita facile ingredietur ad Tygrides & Leones, ad mortem violentam, ad supplicia eorum, ad ignem, rotam, patibulum, &c. Ut igitur nullum mortis genus horrerent Christiani bene sibi conscii, crucem nobis fabricavit Deus: quam si mentis cogitatione ingrediamur, & cogitemus Christum ipsum crucifixum esse, experiemur crucem esse Elephantem solo aspectu omnibus animantibus terribilem, adeoque magno animo amplectemur, imo contemnemus quamcunque mortem. Unde est ut tot tantique martyres tam alacriter ad mortem ierint, nec de tormentorum genere ullo dubitaverint, sed ad omnia se paratissimos exhibuerint. Paulus inter alios Act. 20. ait: *Vincula & tribulationes Jerosolymis me manent, sed nihil horum vereor*, S. Andreas vadẽs ad crucem ait: *ô bona crux, securus & gaudens venio ad te.* S. Ignatius martyr ductus ad bestias acclamat: *Ignis, Crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar, utinam fruar bestiis quæ mihi sunt præparata; quas & oro mihi veloces ad interitum, &c.* S. Tiburtius in prunis candentibus ambulare jussus, super rosas sibi ambulare videbatur. Quin & pueri & puellæ, S. Rusticus, S. Agnes 14. annorum, S. Prisca 13. añorum, & complures alii Elephantis hujus presidio animati ad quævis acerbissima supplicia intrepidi se obtulerunt, ut mirum sit & erubescendum, si nos mortem aut genus mortis horreamus pro Christo obeundæ.

G. VII. Virga & hamus piscatorius.

Sexto denique piscatorum quoque inventio est capiendi pisces hamo: ubi hamus esca tegitur, & virgæ illigatus piscibus objicitur, ut dum escam arripiunt, hamo capiantur. Deceperat homines diabolus & ceperat quasi piscando. Virga hamo usus est, arbore scientiæ boni & mali, esca pomum fuit & sub pomo mors latuit, quæ mox invasit homines. Tulit mulier de fructu ligni, comedit, & cum viro capta est. Et ex illo tempore diabolus in hoc mundi lacu dominatus quam plurimos alios similiter capiebat. Unde Job queritur Deo Cap. 40. *An extrahere poterit Leviatham hamo, & fune ligabis linguam ejus.* Quare; ars ut artem falleret, & medelã ferret inde, hostis unde læserat; eodem piscandi artificio usus est Christus ad capiendum Leviathan: crucem pro virga exhibuit, corpus suum velut escam ei affigi passus est, sub quo Divinitas hamus

 latuit.

latuit. Unde dixit per Davidem: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Leviathan igitur cum exturbatum cupiens veluti regni sui vastatorem: *Deglutiamus*, inquit, *eum sicut infernus viventem*, Proverb. 1. Sed non advertens hamum divinitatis: dum suasit & promovit occasionem Christi captus, ipse & ligatus est, maximo suo dedecore; quod eo ipso instrumento, quo ipse ad deceptionem aliorum usus est, sicut in proprio ligno quod paraverat Mardochæo, Aman ipse suspensus est: sicut Goliath & Holofernes propriis gladiis interfecti sunt à Davide & Judith. Accedit forte ut militiæ Tyro aliquis militem veteranum & expertum ad pugnam provocet: miles sæpius provocatus gladium quidem non arripit, sed Tyroni gladium e manibus extorquet, & eodem illum cædit & conpescit, magna sua gloria, maxima vero Tyronis ignominia. Hoc fecit cum Diabolo Christus, qui sæpius ab eo tentatus, & per omnis generis cruciatus ad impatientiam, uti Job, provocatus; tandem cum eo dimicaturus venit eoque ligno quo diabolus homines vicerat, quodque Christus paraverat, ipsum devicit & subjugavit. Quantas igitur agere Deo gratias debemus, qui ad salutem nostram tam congruentur & commodè crucem adinvenit atq; adeo pertulit? Quod si Deus tanta adinvenit ut nos salvaret, decet ut nos inveniamus novos semper modos ei serviendi.

CONCIO II.

SANCTÆ CRUCIS GLORIA & triumphus.

I. In cruce gloriamur.
II. Crux fronti imprimitur.
III. Frequentissimus crucis usus.
IV. Honores cruci delati.
V. Figuræ crucis.
VI. Miraculo.

THEMA.

Ita exaltari oportet filium hominis, Joan. 3.

A. RArum divinæ suæ sapientiæ judicium prodit nobis Deus, Ezechiel, 17. cùm ait: *Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile: & siccavi lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Quæ verba secundum allegoriam sumpta, hoc sensu non male intelligemus, si dicamus lignum sublime & viride fuisse lignum scientiæ boni & mali, ad quod Adam extendit manum, quia nimirum audierat, fore sicut Deos, scientes bonum & malum, qui ex eo comederint; lignum vero humile & aridum esse lignum crucis, ad quod extendit manus Christus. In illo nos Adam perdidit, isto Christus reparavit. Propterea ergo merito humiliatum est lignum illud viride & sublime, dum perpetuo paradisi carceri inclusum & anathemati quasi subjectum, sicque perpetua sterilitate damnatum, tandemque in diluvio omnino deletum est. Contra vero lignum crucis aridum & humile jure exaltatum est, dum Christi contactu sanctificatum, indeque toti orbi venerabile redditum, velut instrumentum communis nostræ salutis. Sciunt hoc & vident omnia ligna regionis, id est, omnes Christi fideles. Atque ut hoc magis videant, declarabimus in præsenti.

B. I. *In cruce gloriemur.* Patet primo ex eo, quod Christiani in cruce gloriantur. Audi Apostolum ad Gal. 6. *Mihi autem absit gloriari*, inquit, *nisi in cruce Domini nostri JESU Christi.* Quod Ecclesia suis membris omnibus accommodat in officio in hodierno, cum ait: *Nos autem gloriari oportet, &c.* ut 1. Cor. 1. *Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Theban. ille rogatus quid de Romanis sentiret, respondit: *Romani in lanceis, Græci in eloquentia, Thebani in virtutibus gloriantur.* At Apostolus dicit se & Christianos in Christo crucifixo gloriari: Hæc nostra est lancea, hæc eloquentia, hæc virtus. Gloriamur autem in cruce, Primo; qua summum Deus in cruce nobis ostendit amorem, ut hac arte nos ad se traheret. Solo enim nostri amore ad crucem descendit, ita tamen sapienter, ut interim gloriæ suæ nihil detraheret. Secundo. Quia in cruce redemit nos, *non per potentiam Deitatis, sed per justitiam & humilitatem passionis*, ut ait S. Augustinus.

Tertiò, quia in cruce perfectissime omnium virtutum exemplar nobis imitandū proposuit. Quartò quia per crucis stultitiam mundi fastum & sapientiam miro modo confutavit. Hinc non pauci Sancti amaverunt & quæsiverunt à mundo stulti haberi, uti S. Franciscus, S. Simeon Salus, B. Jacoponus & alii. Cæteri Christiani, cum à mundo stulti habentur, nequaquam inde perturbantur, sed sibi potius gratulantur. Deniq; tempore Antichristi: *Fideles intrepide citraque ruborem signaculum crucis Christi in conspectu impiorum deferent*, inquit. Andreas Cæs. idque insinuatur, Ezech. c. 9.

C. II. *Crux fronti imprimitur.* Patet secundò ex eo, quod ea Christiani in fronte, consignent, hominis parte suprema & dignissima. Unde S. Augustinus in Psalm. 36. dixit: *A locis suppliciorum fecit crux transitum ad frontem Imperatorum.* Antiquissimus Autor Tertullianus l. 5. contra Marcion. signum crucis appellat *signaculum frontiū.* Unde patet Christianorum olim communem morem fuisse formare signum crucis in fronte. Cujus moris causa prima est, quam dat S. Augustinus in Psal. 30. *Non sine causa*, inquit, *signum suum in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Et in Psalm 141. *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco*

habeam

habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Frons enim hominis pars est maximè conspicua, & sedes pudoris atque erubescentiæ.

Secunda, ut frons hoc quasi operculo vel clypeo tegatur & muniatur contra impudentiam. Frontem nimium explicatam & omnino nudam pro impudente habet S. Augustinus in tit. Ps. 46. qualis describitur Jer. 2. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Unde frontem talem vocat ibi Augustinus *calvam*, adeoque quod est sine crine caput, hoc est sine cruce frons. Signum ergo pudoris, quo Christo insultatum est, constituitur in fronte ne homo sit effrons.

Tertia, ut hoc humilitatis signo muniatur frons contra superbiam, eaque nobis velut innata hoc medio retundatur. In cruce enim Christus ad summum humiliatus fuit. Christi ergo humilitatem fronti nostræ inscribimus, ut eandem in corde gestemus; *Si portas,* inquit S. Aug. serm. 20. de diversis (recens Lovanii editis) *in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationẽ humilitatis Christi.* Tibi enim mi homo, debebatur Crux, non Christo, tibi ergo & humiliatio ac confusio debetur, non Christo. Audi latronem, & dic cum illo: *Nos quidem justè* (in damnatione crucis sumus) *nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.*

Quarta ut trophæum victoriæ Christi de diabolo obtentæ loco maximè conspicuo ponatur, ad Christi inprimis honorem, ut docet Augustinus tract. 36. In Joan. *ipsam,* inquit, *crucem de diabolo superato, tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus erat.* Et S. Cyprian. lib. 2. testimon. 17. *Hic est lapis, quo David frontem Goliæ percussit.* Denique ut dæmones eo conspecto fugiant & contremiscant. Ita Cyrillus Catech. 14. *Manifeste,* inquit, *te signa cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes procul fugiant.*

Quinta, ut hoc pacto restituatur à nobis, quantum fieri potest, honor. Christo, à Judæis ablatus. In monte enim Calvariæ ille crucifixus, irrisus, blasphematus fuit. Nunc ergo in Calvariis nostris honoretur, glorificetur & quodammodo resurgat recipiatque honorem suum. Erigimus enim ei Crucem in Calvariis nostris, non ut in eis rideatur & occumbat, sed ut colatur & regnet.

Sexta. Ut hac nota & sigillo ei transcribamur ut servi vel sponsæ, & sanctificemur velut templum. Primum docet S. Agnes apud Ambrosium Serm. 90. *Posuit,* ait, *signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Alterum Cæsarius Arelat. homil. 5. de Pasch. ubi ait frontes nostras depingi crucis titulo, sicut postes domuum Hebræarum inungebantur sanguine agni; ut inde arceatur diabolus.

His adde quod Crucem efformemus manu dextera, non sinistra, quia dextera apud omnes gentes honoratior & præstantior reputatur. Gib mir das schön Händle / dicunt nostri parentes liberis suis. Ita S. Justinus Martyr q. 118. ait: *Dextera manu in nomine Christi, eos qui crucis signo obsignandi sunt, obsignamus, propterea quod dextra manus præstantior censetur, quàm sinistra.*

D. III. *Frequentissimus crucis usus.*

Tertio, patet ex communi & frequentissimo ejus usu, qui viget apud Christianos. Inprimis rem difficilem aggressuri, veluti prælium, disputationem cum hæreticis, vel Concionem, Ecclesiam ingressuri vel egressuri, cruce se signabant veteres Christiani, ut ostendit Jacobus Gretserus lib. 4. de Cruce cap. 21. & 25. Secundo: cum blasphemiam audirent, vel quid impium aut insolens. Ut ibid. c. 24. Nos etiam Germani in tali casu dicimus: Ey behüt mich das heilig Creutz. Item: Ich hab mich nicht genug vercreutzigen können. Tertiò: Ad fulgura & tonitrua aliosque repentinos terrores cruce nos signamus. Ibid. cap. 25. Quarto: Visis spectris, cruce se armabant & armant etiamnum. Ita S. Antonius, *viso Hippocentauro,* inquit S. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, *salutaris impressione signi frontem armat.* Ibid. cap. 27. Quinto: Cum noxiæ cogitationes animum subirent, ad crucem confugiebant. S. Chrysostomus homil. 88. in Matth. *Si succendi cor tuum,* inquit, *senseris, pectus continuo signaculo crucis signato, & ita illico, tanquam pulvis dissipabitur.* Ita S. Benedictus fratrem mensæ suæ ministrantem, & inflatè de se sentientem monuit: *Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum.* Ut refert S. Gregorius Magnus lib. 2. dial. cap. 20. Crux ergò quasi sera & repagulum est, quo cor nostrum occludimus pravis cogitationibus. Ibid. cap. 28. Sextò cum quid scripturi sumus, frontem chartæ cruce signamus, idemque fecere veteres, ut ostendit Gretserus lib. 2. cap. 18. Septimò: valedicturi & discessuri, vel arduum opus inchoaturi cruce se signabant: nostrates etiam Germani crucis benedictionem discedentibus impertiunt, dicendo: Behüt dich das H. Creutz. Id. lib. 4. cap. 29. Octavò: Moribundi signum crucis sibi imprimebant. Ibid. cap. 26. Nonò: Mortuos quoque cruce armamus, eorumque tumbas & sepulchra ea velut sigillo signamus, ut Christianos eos fuisse demonstremus. Denique quam frequens fuerit veteribus crucis signi usus, tradit Tertullianus l. de coron. militis cap. 3. dicens: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Terimus, inquit, non signamus, tam crebrò enim signabant frontem, ut eam tererent velut viam publicam. Similiter & Cyrillus Jerosolymitanus, Catech. 3. *In omnibus,* inquit, *Crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in ingressu, & in egressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna est hæc custodia, &c.*

E. IV. *Honores Cruci delati.*

Patet quarto: Ex honoribus quibus eam decoravit Ecclesia & fideles. Decoravit Primo Ecclesia primo Festis Inventionis & Exaltationis ad honorem ejus institutis. Secundò, Templis ei dicatis: nec non ad ejus formam plerisque ædificatis. Tertiò, Adhibet eandem veluti sigillum suum, ad designanda loca Ecclesiarum extruendarum; eamque in fastigio templorum collocat. Quartò, Altaria cruce signat & sepulchra. Quintò, in supplicationibus crucem præfert. Sextò, In domibus crucem servat, in viis publicis erigit & in navibus. Denique sine crucis signo nullum sacramentum administrat.

Secundo. Decorarunt eam Imperatores aliique fideles. Primo. Dum Crucis supplicium ad honorem Crucis dominicæ sustulerunt, quod primò fecit Constantinus Magnus lege lata, cui posteritas libenter paruit. Deinde apud VVandalos ad fidem conversos: idem fecit Comes Adolphus apud Gretserum libr. 1. de cruce cap. 91. Secundò Imperatores, Theodosius & Valentinianus sub gravi pœna vetuerunt eam humi sculpi vel pingi, ne pedibus calcaretur. Cod. Justinian. libr. 1. titul. 8. Tertiò super globum Imperatorium eam collocarunt, uti etiam super coronas & tiaras regum & Episcoporum; quibus etiam Crux præfertur peregrinantibus; & obviam gestatur adventantibus. Quarto, Vexilla bellica partim in ejus formam efficta, partim ejus imagine consignata, uti etiam quandoque galeæ & vestes militares.

Quinto. Ordines militares Cruce insigniti; albâ quidem milites S. Joannis Hierosolymitani, rubrâ S. Jacobi Ensigeri, Calatravæ, S. Georgii, Avis in Lusitania; Montesæ, S. Stephani in Hetruria; viridi Pereiri. Alcantaræ S. Lazari; Alba rubenti inserta milites Christi. Denique integri exercitus cruce signati fuere pro asserenda terra sancta ex Mahometanorum tyrannide. Sexto. Nummi quidam cruce signati sunt, ut olim, ita nostro tempore **die Creutzer**: qui & inde nomen sortiuntur, uti & alia plurima, Insulæ, civitates, pagi, monasteria, portus maris, alpes, herbæ, flores, sydera, &c. Denique solitum fuit estque adhuc Christianis multis cruces ex collo pendulas gestare. Quæ omnia plurimis exemplis ostendit Jacobus Gretser. l. 2. de Cruce.

F. V. *Figura Crucis.*

Patet quintò. Ex figuris veteris testamenti, quibus eam Deus variè adumbravit, tum ut sic exaltaretur, tum ut ejus mysterium credibilius redderetur. Nos illustriores secernemus.

Præfiguratur primo in l. Gen. per scalam quam vidit Jacob, Gen. 28. Illi innitebatur Deus: in cruce pendebat Christus. In illa ascendebant & descendebant Angeli: in hac seu per hanc ascendebat populus gentilis, descendebat populus Hebræus. Per baculum Jacob, quo primo transivit Jordanem, postea duabus uxoribus sibi desponsis rediit cum duabus turmis. Gen. 32. Sic enim Christus beneficio crucis desponsavit sibi Ecclesiam & synagogam, velut Rachaêlem & Lyam, regressurus in die gaudii cum electis utriusque populi. Per cancellatas manus Jacob, figuram crucis exprimentes, quibus minorem nepotem prætulit majori, Gen. 48. Ita enim Christus per crucem gentilem populum prætulit Judaico, juniorem seniori.

Secundo. In lib. Exodi. per virgam Moysis, quæ projecta mutata est in serpentem, Exod. 7. Ita enim spreta & abjecta crux, versa est in sapientiam, quæ mundanam omnem sapientiam devoravit, uti virga Moysis virgas Magorum. Per veru, in quo assatus fuit agnus, Exod. 12. In cruce enim assatus Christus igne amoris. Per columnam nubis igneam, quæ Hebræos per desertum duxit & protexit, Exod. 13. Idem nobis præstat crux. Per lignum quod aquas Marath dulces reddidit, Exod. 15. Lignum enim crucis seu memoria ejus omnes nobis labores & dolores, omnes asperitates dulces facit. Per altare ligneum positum extra tabernaculum, in quo cremabatur agnus, Exodi 27. Talis enim crux extra Jerosolymam.

Tertio. In l. Num. per vectem, in quo gestarunt botrum duo exploratores, Num. 13. Christum enim crucifixum præcessit populus Hebræus, secutus est gentilis, uterque tamen Christum gestavit. Per virgam Moysis, qua percussit Petram & eduxit inde aquam, Num. 20. Petra enim est Christus, qui bis, id est, duobus crucis lignis percussus, protulit aquam populo. Per serpentem æneum Num. 21. quia ut is figuram serpentis habuit, non vitam & venenum, in pertica exaltatus & aspectus à Judæis sanavit morsus serpentum: ita Christus formam, non veritatem peccatoris habuit, in cruce exaltatus sanavit aspicientes se per fidem à morsibus dæmonum.

Quarto. In lib. Iosue. per funiculum coccineum pendentem de fenestra Rachab. Iosue. 2. Hic enim quid est aliud, quam Crux in frontibus Christianorum descripta, ad securitatem illis præstandam, & Passionis Christi memoriam ingerendam.

Quinto. In l. Iudicum. per duas illas columnas, quas dum apprehendit Sambson & concussit, Philisthæos occidit. Iudic. 16. Sic enim Christus extendendo manus ad crucis brachia concussit terram & oppressit peccatores, dum è peccatoribus fecit confessores.

Sexto in libris Regum. per baculum Davidis 1. Reg. 17. Quam enim stultum & ridiculum videbatur baculo pastorali oppugnare Goliathum: tam insanum putabatur per crucem vincere dæmonem. Per lanceam Saulis, qua nitebatur configere Davidem: sed David declinavit ictum & lancea casso vulnere perlata est in parietem, 1. Reg. 19. Sic enim Pater cœlestis filium suum, ob peccata nostra cruce confixit, ita tamen ut crux in parietem tantum humanitatis ejus ferretur, illæsa divinitate. Per Cathedram Davidis Regis, in qua sedit sapientissimus princeps inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus

miculus 4. Reg. 23. Per Baculum Elisæi 4. Reg. 4. Quia ut Baculus ille sine Elisæo nihil poterat: ita crux sine Christo.

G. VI. Miracula.

Patet Sexto ex miraculis, virtutibus, apparitionibus, quibus eam Deus nullo non tempore variè nobilitavit. Pleni sunt harum rerum libri, & videre est apud Patrem Gretserum citatum, præsertim lib. 2. cap. 63. 64. &c. Nam ut obiter quid dicamus, inundationes aquarum per crucem sunt cohibitæ; maris apud Epidaurios à S. Hilarione: Danubii apud Quintanas à Severino, &c. Bestiæ feroces & noxiæ per crucem domitæ vel occisæ, uti leo vias infestans à S. Chrysostomo. Spectra crucis præsentia & erectione fugata, tempestates sedatæ, dæmones ab Energumenis pulsi. Cruces seu imagines crucifixi aliæ locutæ sunt, aliæ liquorem seu sudorem, aliæ sanguinem emiserunt, una Ratisbonæ in templo Augustinianorum dubitanti in Missa Sacerdoti calicem manu demissa eripuisse perhibetur, & testatur basis inscriptio. Prætereo miracula in crucis inventione & exaltatione ostensa, quia vulgo nota. Crucis apparitiones multæ & nobiles sunt, qualis illa inprimis, quæ apparuit Constantino Magno & victoriam ei contra hostes suos portendit. Alia Ierosolymis à Calvariæ monte usque ad montem Oliveti protensa Constantio Imperatore sub exortum hæresis Arianæ, significans Ecclesiam de ea hæresi triumphaturam crucifixi beneficio. Similes & aliæ plures sub Iuliano Apostata, aliisque Imperatoribus, ut videre est apud Gretserum l. 3. Omnium denique nobilissima totique humano generi conspicua erit in die Iudicii, cum in cœlo apparebit ad solatium Electorum, & terrorem Reproborum. Nos ergo, Auditores, ut eam in die illa lætis intueamur oculis, nunc amplexemur, & colamus & exaltemus. Monuit nos Sapiens Prov. 4. *Audite filij disciplinam patris.* Subditque de hac disciplina: *Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, &c.* Quæ est disciplina patris nostri Christi? Passio & Crux. Audi Isaiam cap. 35. *Disciplina pacis nostræ super eum.* Apprehendamus ergo, osculemur & amplexemur hanc disciplinam, ut nos glorificet: exaltemus eam quibus possumus modis, ut nos exaltet in tempore visitationis, & velut columna ignis inducat in terram promissionis, Amen.

CONCIO III.

BENEFICIA SEU EFFECTUS S. Crucis.

I. *S. Crux affert decus & gloriam.*
II. *Sedat æstum Tentationum.*
III. *Consolatur.*
IV. *Tuetur.*

THEMA.

***In columna nubis ductor eorum fuisti,* Nehem. 9.**

A.

QUando salutiferum crucis signum intueor, videri mihi videor columnam illam nubis, quæ eduxit Israëlem de Ægypto. Memini enim S. Hieronymum in Psalmum 95. dicere, crucem Christi esse *Humani generis columnam.* Et Socratem lib. 5. hist. c. 1. scribere, Constantino Magno, crucem divinitus ostensam fuisse *columnæ* figura, quasi veterem illam nubis columnam exprimere voluisset. Nam inprimis uti columna illa Deum populi ductorem repræsentabat: ita & Crux Christum Ducem nostrum nobis repræsentat. Illa duce Moyse populum eduxit de Ægypto: hæc duce Constantino Christianos è gentilium persecutionibus & tenebris. Illa dividebat Iudæos ab Ægyptiis: Hæc distinguit fideles ab infidelibus. Illa data est Israëlitis, ut in tam difficili itinere suum haberent præsidium: hæc data Christianis, uti eorundem refugium & præsidium esset, dum peregrinantur ad Patriam per mundi difficultates; adeoque in processionibus quæ peregrinationem illam significant, crucem anteferimus; sed quia hæretici nostri, inimici Crucis Christi, intelligere nolunt ad quid faciat signum crucis, nos id illis demonstrabimus.

B. I. S. Crux affert decus & gloriam.

Primo columna illa, teste Procopio Gazæo; singulare decus afferebat Iudæis: quod ejus ductu singularem esse sibi illius populi curam significaverit Deus, quo cum tam amanter & mirabiliter ageret. Similiter nobis crux singularem affert gloriam & immensum decus, quoniam ea testis est Deum ita nos dilexisse ut filium suum unigenitum, pro nostra redemptione in crucem tradiderit. Quid enim si servus regis à turca captus mille auri pondo ab hero suo redimeretur, an non maximæ sibi gloriæ ducere posset, quod tanti à rege æstimatus sit? servum illum ægrum, pro cujus sanitate miserat herus Centurio seniores ad Christum & postea ipsemet venit, maxima cum humilitate & charitate pro salute servi supplicans, dixit Lucas cap. 7. fuisse illi *pretiosum:* quia nimirum pro ejus salute herus ille tanta fecit. Quis neget etiam nos fuisse Deo pretiosos, quoniã pro nostra salute humiliavit se usque ad mortem crucis ad Philip. 2. Idcirco Ecclesia in Benedictione cerei paschalis, canit: *O mirâ circa nos pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tradidisti.* Et in hodierno officio: *nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem salvati & liberati sumus.* De Socrate philosopho dixit Seneca in consolatione ad Helviam: *Socrates carcerem intravit ignominiam ipsi loco detracturus.* Multo rectius dicimus Christum suo contactu ignominiam cruci detraxisse, & pro ignominia gloria & dedecus immensum contulisse.

Hinc

Hinc S. Petrus indignum se se judicabat, qui ad instar sui creatoris erectus in cruce penderet, ideoque petiit, ut capite in terram verso crucifigeretur. Hinc Crucis signum voluit Constantinus Magnus vexillum sibi esse bellicum; lanceam suam in crucis formam fabrefieri: imaginem suam nunquam sine cruce fingi: imo in aureis nummis expansam in crucis formam & cœlum intuentem sculpi: Militum suorum vestes cruce consignari: in palatii sui ingressu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti, laqueari inaurato, in tabula maximè explicata crucem ex auro & gemmis fieri: autoribus Eusebio lib.3. de vita Constantini, & Sozomeno l.1. hist. cap.6. Exinde crux ascendit ad Pontificum & Imperatorum tiaras, ad summitates templorum, ad frontes denique nostras, quas cruce consignamus, ut ejus gloriam palam, & coram toto mundo præferamus.

C. II. *Sedat æstũ Tentationum.*

Secundò, Columna illa refrigerabat, & ab æstu solis protegebat, seu ut Sapiens cap.19. inquit, *obumbrabat castra Israelitarum*, utpote in calida valde regione. Similiter etiam crux optimum est remedium contra animi motus & æstus tentationum. Unde S. Chrysostomus serm. de continentia Joseph, ait: *Sicut columna nubis figura nostræ crucis Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis paterentur: ita crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem. Hæc enim salus animæ fœdarumque concupiscentiarum salubre antidotum.* Sic Chrysostomus. Idem hom.88. ait, signum crucis imprimendum esse pectori ad cohibendos animi motus concupiscentiæ effrænes impetus. Similiter S. Bernardus in Meditat. ait: *Si pulsat te turpis cogitatio, si premit te caro, si dæmon paravit insidias, fuge ad signum Crucis Christi & liberaberis.* Exemplum in vita S. Benedicti, cui cœnanti cum Monachus quidam de magna familia inserviret & cogitaret intra se. *Quis sum ego, & qualis est hic cui inservio?* dixit Benedictus, cogitationem ejus videns: *signa cor tuum frater, quid est quod loqueris?* quo facto recessit tentatio, quemadmodum postea aliis recensuit Monanuchus, Greg. lib.2. dial. cap.20. Ven. Beda lib.3. expos. in id Cant. 4. *sicut vitta Coccinea labia tua*, ait, *noxios sæpè cogitatus, dum incauta mente volvimus, ac subito respecti à Deo signum S. Crucis pectori imprimimus, & quod nefarium tractamus, abjicimus, quasi vitta Coccinea capillos nobis ligamus, quia fluxa cogitationum trophæo sacri cruoris comprimimus.* Sic ille. Idem videtur suasisse sponsus sponsæ, cum dixit: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Cruce enim quasi signaculo vel sera obsignamus vel obseramus cor nostrum, ne cogitatio, quæ adhuc versatur in phantasia, intret in cor ad voluntatem, complacentiam vel consensum. Hac enim crucis formatione teipsum admones, & mente excitas, ne consentias cogitationi, sed resistas, & quodammodo dicis Deo: Non te offendam Domine. Apage tentatio, &c. Ut enim vexilli aspectus milites, rubri coloris Elephantes ad pugnam excitat: ita nos aspectus & impressio crucis ad dimicandum contra dæmonem. Quare non omnino fallunt hæretici, quando lignum crucis flabellum muscarum vocat: eo enim pellimus muscas pravarum cogitationum, & Beelzebub Deum muscarum.

D. III. *Consolatur.*

Tertio consolabatur & confortabat columna Judæos, dum ponebat se mediam inter Pharaonis exercitum & ipsos. Sic & crux confortat nos & animat contra perturbationes, terrores & phantasmata. Marcus Eremita de temperantia cap.26. (extat tom. 5. bibl. Sanctorum Patrum) ait experimento se cognovisse, signum crucis pulsa omni perturbatione præstare serenitatem mentis. *Statim*, inquit, *post signum crucis, gratia sic operatur, sedat omnia membra pariter & cor*: Habet certe nescio quid occultæ energiæ ad confirmandum hominem contra ejusmodi terrores, ut omnes experiuntur. Hinc cum fulgura micant, vel grãdia tonitrua personant, cum in tenebris ambulantes timemus, cum spectrum videmus, mox cruce nos signamus, S. Martinus dicebat Juliano. *Ego signo crucis munitus, hostium cuneos penetrabo securus.* Beatæ Magdalenæ in antro pœnitenti dæmonum spectris infestatæ, ideoque Jesum invocanti, adfuit S. Michael, qui eos fugavit, & crucem in ore speluncæ erexit, dicens: *Ne extimescas, custos tui est Altissimus.*

E. IV. *Tuetur.* I.

Quarto tuebatur adversus hostes, & dispescebat eos ab Israële. Nos quoque crux tuetur adversus hostes, omniaque adversa. Nam primo terret & fugat dæmones. Testatur id primo Origenes autor antiquissimus lib. de ritu Ecclesiæ, dicens: *Per crucis Christi signaculum, ipsum à nobis infernalem fugamus inimicum.* S. Chrysost. ait: *Ubicunque dæmones signum crucis dominicæ viderint, fugiant tanquam canes timentes baculum, quo plagam acceperunt.* S. Cyrillus Catech. 13. monet ut hoc signum ostendamus audacter. *Quando enim dæmones*, inquit, *crucem viderint, recordantur Crucifixi.* S. Antonius virtutem sanctæ crucis optimè expertus suasit suis, ut cum dæmones viderent, se & domos suas cruce signarent. *Confestim enim*, inquit, *solventur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo salvator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui.* Ut in ejus vita. Idem virtute sanctæ crucis nixus, dæmonibus sub variis bestiarum formis ei apparentibus illud eis dicebat: *Si quid valetis, si vobis in me Dominus potestatem dedit, ecce præsto sum, devortate concessum. Si vero non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* Sic ille. Eodem signo crucis fronti impresso fugavit dæmonum ludibria S. Hilarion apud Hieronymum in vita. Et Sanctus Martinus, apud Sulpit. in vita. Pulsi deinde signo crucis dæmones sæpissime ex obsessis, uti à Sancto Patroclo, S. Arnolpho, S. Cassio, Theodoro Archimandrita, &c. apud Gretser. de cruce. Adeo exosam vel potius infestam habent crucem, ut ne domum quidem ea con-

ea consignatam inhabitare velint ac possint. S. Gregor. Turonensis de S. Nicetio Trevirorum Episcopo ait: *Jussit dæmoniacum extrahi, sed cum apprehensa columna evelli à decem viris non posset, sanctus Dei sub vestimento suo, propter jactantiam fugiendam, faciens crucem Christi è contra, dæmoniacum relaxari præcepit.* Eodem signo crucis fracta sunt Idola, uti à S. Simplicio Episcopo, à sancta Glyceria Virgine & martyre, à S. Procopio martyre, à S. Benigno, &c. nimirum uti Dagon corruit coram arca fœderis, nec ullatenus stare potuit, 1. Reg. 5. sic nec Idola coram signo crucis, in qua fœdus ictum inter hominẽ & Deum. Cum S. Martina Virgo nobilissima sub Alexandro Imperatore passa, crucis signum sibi impressisset, Dianæ Idolum, fulmine cœlitus excusso comminutum est, apud Surium to. 1. Eodem pelluntur fascinationes, præstigiæ & veneficia. Eviratus in prato spirituali ad Sophron. c. 83. refert navim novam, incantatam, trecentis operariis loco moveri & ad mare deduci non potuisse, nisi postquam Abbas quidam navem cruce signavit. Ex quo Naucleerus cum paucis facilè effecit, quod priùs cum trecentis efficere non potuit. Nota est etiam historia S. Justinæ, quæ incantationibus Cypriani adhuc magis pertentata ad illicitũ juvenis cujusdam amorem, signo S. Crucis omnia incantamenta ejus irrita reddidit, & dæmones ab eo fugavit: Unde illi confessi sunt, nihil sibi virium adversus Christianos esse; ex quo Cyprianus conversus & Christianus factus est, adeoque demum Martyr, apud Greg. Naz. orat. in S. Cypr. Trithemius in Chron. Hirsaug. scribens de Lupoldo Duce Austriæ: Anno 1323. inquit: *Fridericus Dux Austriæ, qui contra Ludovicum Bavarum Imperator delectus erat, inter Oetingam & Mildorfum magno prælio victus, & Ludovico traditus, qui in arcem munitam eum asservandum misit. Magus interim quidam Lupoldo fratri ejus promisit, se sua arte Fridericum incolumem educturum, unius horæ spatio, si digna sibi merces numeraretur. Dux liberaliter promisit, ergo dæmon ad Fridericum ablegatus avolat in Bavariam, formaq; peregrini assumpta, custodiam ingreditur, inquiens: Si ex captivitate liberari vis hunc equum ascende, & te in Austriam ad fratrem tuum Lupoldum incolumem perducam. Cui dux: Quis es tu? Ad quem ille: Noli interrogare, quis sim, quia nihil ad rem, sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo. Hinc cum ducem alioquin audacissimum horror invasisset, & signo sanctæ crucis se munivisset: Spiritus cum nigro equo disparuit, & vacuus ad mittendum reversus est. A quo increpatus quod non adduxisset captivum, ordinem rei gestæ enarravit.* Denique S. Elig. Episcop. Noviomensis dicebat: *Christiano nec auguria, nec alia qualibet figmenta possunt officere, quia ubi signum crucis cum timore & fide Dei præcesserit, nihil ibi inimicus poterit.* Audoenus l. 2. in ejus vita c. 26. Ex quo colligere licet, quam perverse agant Christiani maxime, qui cum sint cruce consignati, & hoc ipso dæmoni terribiles, contra incantamenta & maleficia recurrunt ad carmina magica, aliaq; superstitiosa remedia, dæmones dæmonibus pellere volentes. Quemadmodum matres & mulieres aliquæ faciunt, appendendo infantibus amuleta magica contra veneficia, item ligaturas certas contra capitis dolorem, &c. Unde Chrys. in. 3. ad Col. hom. 8. contra nutrices invehitur, quæ luto inungunt frontes infantum. *Quod apud gentiles hæc fiant,* inquit, *nihil mirum, verum quod apud eos, qui crucem adorant, & arcana Mysteria communicant & hujusmodi philosophantur, hæc ignominia prævalet; hoc sane maximè est deplorandum. Deus te unguento honoravit spirituali & tu luto coinquinas filium? Deus te honoravit, tu teipsum dehonestas? oporteret ut fronti crucem inscriberes, quæ ibi certissimam præberet cautionem. Tu autem iis omissis in satanæ amentiam procidis.* Sic ille. Deinde stultissimè agunt, quod enim per vim dæmoni facilè extorquere possent, hoc illi dato longè majore pignore ab illo redimũt. Etenim diabolo animam suam oppignorat, qui remedium ab illo capit.

Quid quod etiam alieni à fide, hoc signo dæmones eorumque machinationes depulerunt? Patet in Juliano Apostata, qui cum deditus esset arti magicæ, maximus crucis hostis, aliquando secreta à magis quæreret, illiq; evocaret dæmones, moxq; adessent mira phantasmata & fœtidi odoris monstra horribilia, territus Julian. signo se crucis, quod contempserat, munire coactus est: quo facto dæmones effugati sunt. Refert Greg. Naz. orat. 3. contra Julianum. Similiter Josephus quidam Judæus, vim crucis, qua jã antea mulier Christiana ejus præstigias amatorias irritas fecerat, experiri volens, crucis signo benedixit aquam, eaq; aspersit quendam obsessum & liberavit, teste Epiph. hæres. 30. Unde patet crucem vim suam exserere ex opere operato: non semper quidẽ, sed cum expedit ad salutem. Et quid faciet in manu Christiani boni, si hoc facit in manu infidelis?

Refert aliud exemplum S. Greg. lib. 3. dial. cap. 7. de Judæo, qui Romam tendens in Fundana terra noctu diverterat in templo Apollinis: ubi vidit media nocte dæmonum conventum, principi suo rationes reddentium, quid rerum quisque obeundo terras gessisset, & quam multos per tentationem ad illicita pertraxisset. *Cumque Judæus qui advenerat,* inquit S. Gregor, *vigilans cerneret, & magna formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illis obsequentibus præerat, jussum est ut requirerent, quisnam esset ille qui jacere in templo eodem præsumpsissent; ad quem maligni spiritus pergentes & subtilius intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesque dixerunt: Væ, væ, vas vacuum & signatum, quibus hoc renuntiantibus, cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit.* Sic Greg.

Secundo pellit morbos & omnia mala. Et primo quidem morbi innumeri sanati signo Crucis, ut refert Gretser. cap. 49. & 50. lib. 4. de cruce. S. Martinus Evantium liberavit à morbo cum in via à longè cruce

cruce illum consignasset; ut refert S.Paulin. lib. 4. in ejus vita. Idem cuidam ægroto apparens dixit: *Ne timueris, sed facito super frontem tuam signum venerandæ crucis, statimque salvaberis.* In hac visione expergefactus munitusque hoc signaculo, quo fuerat jussus, nunquam ulterius quæ pertulerat, passus est, teste Gregorio Turonensi de mirac. S. Martini lib. 4. cap. 34. Roberto pio Francorum regi gratiam in medendis corporibus, inquit Helgaudus in epitome vitæ Roberti Regis, contulit divina virtus, ut sua piissima manu infirmis locum tangens vulneris, & illis imprimens signum sanctæ Crucis, omnem ab eis auferret dolorem. De S.Laurentio canit Ecclesia quod per signum crucis cœcos illuminaverit. Idque fecit Crescentioni cœco, apud Surium tom. 4. Alii mutis loquelam eodem signo reddiderunt, ut S. Joannes Eboracensis Episcopus, S.Nicetas. Mortuo vitam S.Germanus Episcop. Parisiensis: S. Corbinianus Episcopus Frisingensis eo signo suspensum servavit. Ad regem enim Pipinum iter faciens, latronem suspendio adjudicatum, dum precibus à Judice liberare non valeret, signo crucis munivit, profectusque ad regem, reum illum jam suspensum, sive vivum sive mortuum sibi donari postulat & impetrat, celeriterque reversus illum triduanum in patibulo vivum repertum illæsum deposuit. Ita scribit Otto Frisingensis l. 5. c. 24.

Zonaras refert libro 3. Annalium circa annum 596. Turcas dum gravi fame premerentur, à quodam Christiano edoctos, signum crucis sibi impressisse, eorumque neminem fame periisse.

Quin etiam brutis sæpe hoc signum salutare fuit. Inter alia equum rabidum Fortunatus Episcopus Tudertinus mansuetum reddidit, cum frontem ejus cruce consignasset, apud S.Gregorium Magn. l. 1. dial. cap. 10. Pastor etiam Christianus boves suas cruce signans, luem ab illis avertit, mirantibus vicinis Pastoribus, in quorum pecudes lues sæpe grassabatur, apud Severum Rhetor. Christ. tom. 8. Bibliothec. SS. Patrum.

Item signo crucis truculentæ feræ cicuratæ, uti bellua marina à S. Columba apud Adamant. libr. 2. de ejus vita cap. 18. Taurus ferocissimus ab Ataulpho Castellæ Episcopo. Cum enim Ordonius ex Hispaniæ calumniatoribus nimium credulus in Episcopum palatium Regis, ad se purgandum, adeuntem taurum immisisset: Episcopus cruce se munivit, & taurus ad ejus pedes, mansuefactus accidit, tangi se permittens, &c. Ab aliis Sanctis dracones & serpentes signo crucis interempti. Alii signo crucis edito venenum sine læsione biberunt, uti S. Benedictus, & Sabinus Episcopus, vel vascula confregerunt, apud Gretser. ubi supra cap. 53. Beneficio crucis Matthias Corvin. Ungariæ Rex anno Domini 1448. servatus est, cum victore Turca adversos Ungaros in campo Merulæ sibi fuga consulens in duos latrones incidit, eisdemque cum esset inermis se spoliandum præbuit: qui cum de aurea cruce regis certarent, arrepto mox è vagina alterius pugione illum confecit, alterum in fugam convertit, teste Bonfinio decad. 3. lib. 7.

Ad extremum significat ea quibus imprimitur eaque reddit efficacia ad producendos plurimos effectus supra naturæ vires, uti salem, panem, oleum, cereos, ramos &c. exempla vide in Gretser. ubi supra cap. 59. & 60. & in tractat. de Bened. Unde omnes penè benedictiones per signum Crucis perficiuntur.

Superest tandem ut hanc columnam nostram debitè veneremur, nobisque applicemus, quod ejus ductu & præsidio ad terram promissionis cœlestem perveniamus.

CONCIO IV.

FRUCTUS SIGNI CRUCIS quo nos consignamus.

I. *Docet mysteria fidei.*
II. *Est character Christianorum.*
III. *Admonet nobilitatis Christianæ.*
IV. *Excitat ad imitationem Christi.*
V. *Movet affectum commiserationis in Christum.*
VI. *Extinguit tentationes.*
VII. *Solatur in adversis.*

THEMA.

Ita exaltari oportet filium hominis, Joan. 3.

A. Cum quis pretiosum aliquid invenit, nec tamen ejus usum aut virtutem novit, accedere solet ad peritos & interrogare, quem usum & utilitatem inventa res habeat. Invenit hodie Ecclesia per matrem Constantini Helenam, pretiosum sanè Monile, Crucem Christi Domini nostri, abditam in terra. Nostrum est hoc monile, nobis est inventum. Sed quis ejus usus, quæ utilitas? Cave in hoc dubio interroges Lutherum: nam ille tibi dicet, si qua particula crucis in sua potestate foret, se illam eò projecturum, quo sol radiis suis nunquam accedere posset. Luther. in Conc. de Invent. & exaltatione crucis: Cave hircum istum. Ad sanctam Helenam perge, quæ crucem è terræ visceribus erutam gloriosè exaltavit, & splendido templo condecoravit. Perge ad Ecclesiam matrem tuam, illa tibi dicet; fili, crucem istam inscribe ori tuo, inscribe pectori tuo? Hoc fit quasi signum in manu tua, & monumentum, ante oculos tuos. Quod si rursum interrogabis, cur hoc fieri debeat? respondebo tibi ad istud nomine Ecclesiæ, sanctæ matris tuæ.

B. I. *Docet mysteria Fidei.*

Primo, quia nos docet Mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, passionis, justificationis & glorificationis; item professionem nostram. Mysterium sanctissimæ Trinitatis, partim cum inter signandum dicimus: *In nomine Patris; & Filij, & Spiritus Sancti.* In nomine cum dicimus, unitatem substantiæ, divinitatis, virtutis, potentiæ & majestatis prædicamus. Personarum enumeratione, Trinitatem earum distinguimus. Partim cum sine enuntiatione formamus crucem. Crux enim in frontis vertice, partem tanquam personam primam & Principium sine principio significat. Crux in ore, tanquam verbi janua, filium, qui est Patris verbum, designat. Crux in pectore tanquam in sede amoris, Spiritum Sanctum notat, qui est amor utriusque. Rursum idem mysterium repræsentatur altero modo crucis formandæ, cum una tantum pingitur. Primo enim manus ad frontem ducitur, ad Personam Patris, primam designandam. Secundo ad ventrem demittitur, ad designandum filium, de quo ait Pater: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Tertio à sinistra ad dexteram, ad demonstrandum Spiritum Sanctum, qui est vinculum & nexus utriusque.

Incarnationis, dum à fronte ducimus manum ad ventrem, juxta secundum modum prædictum. Indicat enim hoc, Christum de sinu Patris egressum, descendisse in uterum virginis, & in eo factum hominem.

Passionis mysterium ipsa crucis effigies indicat.

Justificationis & glorificationis, dum à sinistra ducimus manum ad dexteram. Indicit enim id, per incarnationem Christi translatos esse nos ad dextram, qui ob peccata nostra statuendi eramus ad sinistram, adeoque ab hædis ad oves transiisse, sicut Christus transivit de morte ad vitam, & de inferis ad Paradisum. Porrò si quinque digitis efformetur, quinque Christi vulnera insinuat: Si tribus, mysterium Trinitatis: si duobus, duas in Christo naturas. Dextra manu eam pingimus, quia ea honoratior & dignior.

Denique monet nos professionis nostræ: In pectore enim formamus crucem, ut corde credamus ad justitiam: in ore, ut eo fiat confessio ad salutem. In fronte, ut eam externis actibus & conversatione publicè ostendamus.

C. II. *Est character Christianorum.*

Secundo quia est character Christianorum, separans eos ab infidelibus hæreticis, præsertim hujus temporis: cum enim character baptismi, interna tantum nota Christiani sit, decet ut Christianus notam etiam habeat externam & aspectabilem, quia non solum corde creditur ad justitiam, sed & ore confessio fit ad salutem, teste Apostolo ad Rom. 10. Judæis circumcisio fuit signum in occulto, sed crux Christianis in publico, scilicet in fronte: quia illi non transierunt ad Christum, sed velamen habent super cor? nos autem transivimus, uti disserit S. August. in frag. s. 27. de verbis Apost. ad Galat. 6. Quemadmodum sanguis in postibus ædium Hebræorum distinxit Hebræos ab Ægyptiis, & servavit ab angelo percutiente, Exod. 12. & ut Ezech. 9. angelus jubetur omnes occidere præter eos, qui signati erant signo Tau, quod figuram crucis exprimit: sic nos per crucem & distinguimur ab alienis, & munimur contra percutientem Angelum. Unde S. Ephrem. lib. de pœnitentia ait: *Nos Christiani à gentilibus & Judæis declinemus: Postes nostros pretiosa & vivifica cruce coronemus.* Hinc etiam Christianorum sepulchris cruces apponimus, ut ea distinguamus ab alienis. Venit aliquando S. Patricius in Campum in regionibus maritimis & insulis Hyberniæ, invenitque in eo loco signaculum sanctæ crucis juxta duo sepulchra nova infixum, & de curru suo proclamans dixit: *Quis est sepultus hic?* Respondit ei vox de sepulchro dicens: *Ego sum gentilis homo & paganus. Cur*, inquit, *juxta te crux Christi infixa est?* Et iterum respondit ei vox de sepulchro: *quia*, inquit, *vir, qui sepultus juxta me est, Christianus fuit, rogavitque pater ejus, ut hoc signum crucis poneretur juxta sepulchrum filij sui, sed vir quidam fatuus & insensatus posuit juxta me.* Quod audiens Patricius exilivit de curru suo, auferensque crucem de gentilis tumulo infixit eam sepulchro baptizati. Probus in ejus vita lib. 2. tom. 3. Bedæ. Quis ergo erubescat pingere in fronte crucem, qua secernimur ab infidelibus & præservamur à vastate angelo, & ostendimur oves Christi esse, charactere ejus consignatæ? Audi Apost. ad Galat. 6. ubi supra circumcisionem crucis gloriam extollens, ait: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi:* multò enim gloriosius est per Christi crucē redemptum esse, quam circumcisionem à Deo accepisse. Certè Constantinus Magnus tantum abest ut eam erubuerit, ut etiam pugnaturus contra Maxentium in galea velut cristam gestaverit.

Ardebat summis crux addita cristis,

canit Prudent. l. 1. contra Symach. Quare ut milites cristis ornant galeas suas, ut hac specie animos sibi mutuo addant, & hostibus eripiant: ita & nos frontibus nostris infigamus crucem, velut signum salutis & Christi, juxta id Eph. 6. *galeam salutis assumite.*

D. III. *Admonet nobilitatis Christianæ.*

Tertio, quia admonet nos nobilitatis Christianæ, qua exigente virtutes amare & à vitiis abhorrere debemus? siquidem per eam à servitute peccati redempti sumus, & quidem ingenti pretio, ut nimirū *peccatis mortui, justitiæ vivamus*, 1. Pet. 2. & ad Gal. 1. *Ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.* Signum nobilitatis terrenæ gerunt nobiles nostri auream catenam: Sed nobilius signum est crux. *Scientes*, inquit S. Petrus, 1. Pet. 1. *quod non corruptibilib. auro vel argento redempti estis de vana vestra cōversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Et hinc ergo monemur ut cōversatio nostra sit sublimis, & de magnis rebus; ne immisceam' nos plebi & plebeis negotiis, sæculo nequam & rebus sæcularibus vanis & fluxis;

adeoque peccata quæ servum & vilem efficiunt hominem, fugiamus, virtutes vero in quibus solis vera nobilitas consistit, amemus & sectemur. Audi Apost. dehortantem Corinthios à Venere & gula in quam propensi erant: 1. Corinth. 6. *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quasi diceret, cum solicitat vos diabolus, & offert vobis pro vestra libertate & nobilitate brevem & turpem voluptatem, nolite eam vendere: sed maximi vos ipsos æstimate, quia maximo pretio, & quidem à sapientissimo mercatore empti estis. Quare uti gloriosum est Christianis, vocari emptos à Christo, ita ignominiosum vendi iterum diabolo. Ut enim Christianorum filii empti à Turcis & ad Turcismum traducti dicuntur Mamluchi, id est, empti: quod nomen modo infame est, ita qui se iterum jugo diaboli subjiciunt, jure Mamluchi diaboli vocantur. Itaque crucem in fronte pingimus, ut nos servos Christi emptitios & nobiles ejus protestemur, ac virtutis admoneamus. Unde S. August. ait: *Cognosce homo quanti sis, & quantum debeas: & pretium quo emptus fuisti, considerans, parum ne te æstimes, neque ad hujus mundi abjecta descendas.* Sanctus ille Tobias accepturus conjugem suam Saram, monet eam primis tribus noctibus abstinere à conjugio debere, ac Deo per orationem potius jungi: Unde ait: *Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, &c. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum,* Tob. 8. Ad hunc modum dicant Christiani: Empti Dei sumus, nec possumus ita vilibus voluptatibus nos tradere, & vendere Diabolo.

E. IV. *Excitat ad Imitationem Christi.*

Quarto, quia ad imitationem Christi nos excitat & accendit: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini,* ait Petrus 1. Petr. 4. quasi diceret, consideratis Christi cruciatibus, ad eosdem vel similes pro Christi gloria fortiter subeundos animum inducite. Et hoc monitum proponit nobis signum crucis in fronte efformatum, adeoque ob oculos positum: quasi insinuans id quod Apostolus ad Hebræos 12. ait: *Aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta; atq; in dextera sedis Dei sedet: Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* Sfortia Dux Francisci filius, cum aliquando in extremas angustias ab hostibus, anxius huc illuc volveretur, & nequicquam militem suum vocaret, patris effigiem (quæ forte in conspectu erat) intuitus: *Ecquid,* exclamat, *Dive parens, degeneres erimus: & hosti sine conflictu cedemus? Audendū potius: dictoq; citius in hostem gloriosus irruit.* Gaguinus de rebus Gallicis in append. de Lud. XII. Sic etiam aspectus & præsentia vexilli crucis in prælio propositi animavit ad pugnam Constanti Magni exercitum.

Itaque per signum Crucis Christum quasi sigillum quoddam imprimimus nobis. In hoc omnis negotiatio, omne Christianorum studium consistit, ut Christum in se efforment per sanctam conversationem. *Nam Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur:* ait S. Aug. de vita Christi. Et quia plurimi longissimè aberrant, & pro Christo pingunt in se Judam, aut Venerem aut ipsum Cacodæmonem: idcirco per signum crucis sæpe nobis proponenda imago Christi. Vis concipere amorem Dei? crucem aspice, in quam tradidit Deus filium suum, & filius seipsum amore tui. Vis concipere spem? crucem intuere, quid enim tibi negabit qui filium tibi, & pro te in crucem dedit? Difficile tibi videtur, alteri te subjicere aut cedere? crucem forma, ibi videbis ultimo & contemptissimo loco Christum. Asperum tibi est injurias sufferre? Crucem pinge, & audi contumelias quas ibi sustinuit Dominus. Durum est jejunare & similia opera pœnitentiæ suscipere? Crucem vide: quam durus ille lectus fuit? quam asperum illius pulvinar? quam amarus ibi potus?

F. V. *Movet affectum commiserationis Christi.*

Quinto. Quia affectum commiserationis erga Christum in nobis commovet. Si enim D. Gregorius Nyssenus visa imagine qua immolatio Isaaci repræsentabatur, ubertim lachrymas fundebat, uti de seipso testatur, oration. de Abraham, quid nos facere deberemus, viso vero Isaac, immolato pro peccatis nostris, quem nobis demonstrat signum crucis? Sanè Apostolus ad Philip. 2. ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu;* scilicet sensum fuit. Etenim licet passio Christi ex una parte gaudium nobis pariat, in quantum fuit causa nostræ redemptionis, & clavis paradisi; ex altera tamen parte, quatenus pro nobis tantum suscepta est, & à peccatis nostris causata, dolorem & compassionem perpetuam à nobis requirit. Alia ratio est in sanctorum Martyrum festivitatibus, in quibus lætamur, propter eorum consummata martyria, quia nec per nos passi sunt, nec pro nobis. Quare etiam paschali & quovis anni tempore decet nos reminisci passionis Christi cum doloris sensu. Ideo post resurrectionem suam Dominus cum discipulis non solum favum mellis comedit, sed & piscem assum. Favus mellis gaudium resurrectionis, piscis assus Christum in cruce tostum repræsentat. Hinc Palæmon in die paschæ oleum sibi appositum, tanquam cibum lautiorem, comedere recusavit, Capillos suos lacerans & ubertim plorans ac dicens: *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* ex gestis S. Pachomii §. 8. Hujus igitur jugis recordationis admonet nos signum crucis: & sicut galli cantus Petrum post negatum Christum suum semper admonuit negationis, & ad uberem fletum commovit: Ita admonet nos crucis signum scelerum nostrorum, quibus Christum crucifiximus.

G. VI. *Extinguit tentationes.* Sexto, quia valet ad extinguendas passiones nostras & tentationes; quæ enim esse passio vel tentatio potest, quæ in cruce Christi remedium non inveniat? superbia ibi extinguitur, cum Dei filius inter latrones in cruce pẽdere cernitur. Avaritia exstinguitur, cum aspicitur idem non habere in cruce ubi reclinet caput, nobis vero totum suum sanguinem effundere. Luxuria extinguitur, cum cernitur circumdatus doloribus, cruentatus, pallidus, moribundus. Invidia necatur cum auditur latronem recipere in regnum suum. Ira, cum auditur quidem orare pro suis inimicis, non tamen conqueri de tot injuriis. Gula, cum sitibundus non nisi aceto potari consideratur. Acedia, cum exspirans auditur clamare ad patrem, &c. Quare sicuti aspectus serpentis ænei in pertica exaltari sanavit morsus serpentis, Num. 11. Ita aspectus crucis sanat tentationes mortiferas. Hanc vero nobis ante oculos ponit signum crucis in fronte pectum. Quãprimum igitur sentis ejusmodi morsum aliquem, mox inprime tibi crucem, & in ea Christum aspice, quasi coram te pendentem, qualis erat in cruce, & dic: Itane tu Domine hæc omnia pro peccatis meis exantlasti, & ego rursum tibi vulnera nova infligam, aut vetera illa renovem? Absit, absit, Bene ergo Chrysost. hom. 55. in 1. ad Cor. ait: *Quando igitur te cruce signas, universam tecum crucis causam verte, & iræ ac reliquarum passionum incendia extingue.*

H. VII. *Solatur in adversis.* Septimo, quia consolatur in adversis & quibuscunque tribulationibus. Figuratum id est Exod. 35. per signum quod ostendit Moysi Dominus, quod projectum in Mare aquas amaras, dulces fecit aquas illas & potabiles. Sic enim crucis virtute Sanctis omnis labor & dolor dulcescit. Cogita enim primò quid sit crucula tua respectu crucis Christi? Secundo quis tu respectu filii Dei? Tertiò humeris tuis debetur Crux, quia variè commeritus es: sed quid facit crux in humeris Dei?

Hæc itaq; cogitemus, cum cruce nos signamus. Nam tametsi etiam vim & efficaciam habet ex opere operato, cum nihil horum, actu cogitas: multo tamen efficacior est cum ejusmodi cogitationes adhibes. In priore eventu crucis signum est instar gladii gestati in vagina super fœmur: in posteriori, instar gladii nudati & gestati in manu ad pugnandum. Quare sicut Saul lanceam suam semper ad manum habuit domi, ut 1. Reg. 8. & 19. ad mensam cap. 20. in sylva. c. 22. ad cubile, c. 26. Et sicut Elisæus semper solitus est gestare baculum suum, 4. Reg. 4. ita nos non debemus inter tot vitiorum hostiumque canes absque signaculo crucis incedere, ut monet Cassianus lib. 1. de institutis Cœnob. cap. 9.

CONCIO V.

AD CRUCEM TRIBULATIONIS portandam quæ invitent.

- *I. Crux omnibus communis.*
- *II. Necessaria.*
- *III. Tolerabilis.*
- *IV. Salutaris.*
- *V. Gloriosa.*
- *VI. Donum Dei.*

THEMA.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, Joan. 3.

A. Nihil nobis consuetius est, quam ut ægros, & quoscunque in tribulatione positos soleamus adhortari, ut forti & æquo animo crucem suã portent. Sed facile hoc dicitur, non inde tamen æger & oppressus valde sublevatur. Fortitores igitur adhibendæ sunt machinæ, & nervosè persuadẽdum fortiter esse gestandam Crucem: id quod nunc facere conabimur.

B. I. *Crux omnibus communis.* Alacriter gestanda Crux, Primo, quia est communis omnibus. Ait enim Apostolus 1. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu: persecutionem patientur.* Patientur enim multos adversarios, obtrectatores, invidos, persecutiones à mundo, carne, dæmone. Percurre quotquot à mundo fuerunt justi, non reperies vel unum, qui à cruce liber fuerit. Quæ enim & quanta pertulẽre, Abel, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Moyses, David, Tobias, Job, Prophetæ, Machabæi, Apostoli, Martyres, Confessores? Horum numero si te excludes, cœlo te excludes, imo & collegio Christianorum, omnibus enim dixit Dominus: *Qui non bajulat crucem suam & sequitur me, non est me dignus,* Matth. 10.

Sed nec illi, quos maximè existimavimus cruce carere, crucis sunt expertes. Omnes enim maledictioni Adami subjecti sunt: Et licet aliquorum cruces nos lateant, non tamen ab illis absunt. Fortunatissimos existimamus Reges & qui divitiis affluentes otiosam vitam degunt: ii tamen maximas experiuntur tristitias, curas, invidias, insidias, morbos, fastidia. Bene igitur & verè dixit Solõ apud Val. Max. l. 7. c. 2. *Si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria reportare domum, quàm ex omni miseriarum acervo, portionem suam ferre mallet:* Quo colligebat non oportere nos, quæ fortuitò patimur, præcipuæ & intolerabilis amaritudinis judicare.

Scelerati demum, qui cupiditatibus suis obsequuntur, gravissimas omnium Cruces gerunt, quodque pessimum est, inutiles. *Nam inter omnes tribulationes humanæ animæ,* inquit August. Psal. 45. *nulla*

nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Bonus enim Vir, si à tribulationibus externis confugiat ad conscientiam, ibi invenit Deum: malus autem vir fugiens ad conscientiam, invenit carnificem. Quod si qui reprobi crucem non sentiunt, sed *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 1. non ideo tamen Cruce carent. Sunt enim in Crucem quodammodo enecti, & sentient aliquando Crucem suam, licèt serò nimis, cum dicturi sunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Sap. 5. in mõte Calvariæ crucem habuit innocens Christus; Crucem habuêre nocentes latrones. Inter hos Crucem habuit pœnitens. Crucem habuit impœnitens, sed iste infructuosam: ille fructuosam. Quis non eligat potius crucem CHRISTI, aut latronis boni, quam mali?

C. II. *Necessaria.* Secundo: Quia est necessaria. Hæc enim unica est ad cœlum via, *Quoniam per multas tribulationes,* ajunt Apostoli Paulus & Barnabas, *oportet nos intrare in Regnum Dei,* Actor. 14. Imo Christus de seipso ait, Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et in hodierno Evangelio: *Exaltari oportet filium hominis,* scilicet in Crucem. Si ergo oportuit Christum per tribulationem passionis intrare in gloriam suam, quanto magis non per eãdem viam oportebit intrare in gloriam alienam? Hujus necessitatis causa una est, ne inhæreamus terrenis bonis, sed futura solida appetamus. *Si enim,* inquit S. Chrysost. hom. 6. ad Antioch. *cum sunt tot tristitiæ, & pericula, & timores, & curæ nos undique circumeuntes, tam libenter præsenti immoramur vitæ, si nil horum esset & absque tristitia & ærumnis omnibus tota foret vita nostra, quando unquam futura desideraremus? Sic & Judæis Deus fecit: volens enim & illos in reditûs cupiditatem inducere, & ut Ægyptum odissent persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare, ut laborũ & ærũnæ illius magnitudine cruciati, ad Deum clamarent. Ne igitur nos terræ affixi, & præsentibus inhiantes torpeamus & futurorum obliviscamur, vitam nobis Deus fecit laboriosam; sicut enim corpus tritum laboribus & ærumnis confectum, amori non vult vacare; non indulgere ventri, sed requiescere, & quiete jacere: Sic & anima plurimis obsita malis, ad requiem & quietum statum festinat.* Alia causa est, ut per Crucem homines purgentur à peccatis & compellantur ad vitæ frugem. Quemadmodum enim Virga necessaria est in Scholis puerorum: ita Crux in mundo. Mundus iste fornax est, in qua per tribulationis ignem purgatur aurum à scoria: Area est, in qua Crucis tribulo purgatur à palea triticum: Torcular est, in quo premuntur uvæ, ut liquorem bonum stillent & purgentur à labrusca. Non fit paupertas & penuria, quàm multi ab ebrietate & gula nequibunt coerceri? Non fit morbus aut pestis quàm multi ad pœnitentiam & seriam confessionẽ nunquam adigentur? Non fit Carcer & Carnifex: quàm multi à furcis, latrocinis nunquam desistent? nunquam resipiscent, sed in sceleribus suis inveterati morientur?

D. III. *Tolerabilis.* Tertio: Quia tolerabilis. Sic enim Matth. 11. Christus jugum suum suave vocat. Suave primò fit per consolationem, quam addit Deus. Sic enim Apostolus. 2. Cor. 1. dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Et mox: *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* Ita Andreas virtutem crucis expertus, nolebat ab ea deponi. Sanctus Ignatius & Xaverius nolebant à tribulationibus liberari, nisi Deus dare vellet aliam majorem. Sanctus Chrysost. in exilio ad Cucusum æger licèt, semper proficisci jussus & infestatus ab Arabibus, consolabatur alios, qui ipsi condolebant.

Secundo: Per amorem Dei & rerum cœlestium. Si pueris, qui serio aspirant ad scientias, leve fit studium, licet manè surgere, libris incumbere, & multa in scholis verbera sustinere cogantur. Sic labor venatoribus, navigatio mercatoribus, militia militibus, &c.

Tertiò: per usum. Sic miles assuetus armis suis levius ea portat. Deposuit armas Saulis David pugnaturus cum Goliatho, quia non habuit usum, 1. Reg. 17. Ita multi crucem abjiciunt per impatientiam, quia non sunt assueti. Sed quam facilè tandem tolerantur diuturni carceres & morbi, cum necessitas compellit?

Quarto: Per comparationem cum jugo peccati & gehennæ. Nisi enim isto levior esset crux, non diceret Christus: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &c.* Ergò pro gravi onere leve imponit onus.

E. IV. *Salutaris.* Quarto: Quia salutaris & maximæ mercedis. Sic enim Apostolus ad Rom. 8. ait: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Et 2. Cor. 4. *Leve & momentaneum tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur.* Modicum stipendium promissum & non datum, fortè nec dandum, allicit militẽ, ut ponderosam armaturam gerat & vitam exponat belli periculis, & incommodis plurimis. Quid ergo non toleremus nos pro æterna mercede? *Si quotidie,* inquit S. Augustinus serm. 1. de festo Omnium Sanctorum: *oportet nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus, in gloria viventem, & sanctorum ejus numero sociari: nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?* Sanctus etiam Franciscus dicebat: *Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis, mortificatio omnis.* Cæterum ea tribulationis merces non videtur posse æstimari & intelligi, donec ad patriam illam, quam speramus, per-

perveniamus. Ut enim pueri in scholis, cum per verbera & virgas erudiuntur in bonis literis, non intelligunt, quantum boni sibi virgæ illæ attulerint, donec aliquando ad maturam ætatem perveniunt, & doctorali laurea insigniti, publicè honorantur, commendantur, & ad opes atque honores evehuntur: ubi demum agnoscunt se, nisi parentum & Magistrorum castigatio fuisset, nihil aliud fore nisi Idiotas & rusticos; aguntque proinde illis gratias: ita quantus sit tribulationum fructus, hic non intelligimus, sed ibi demum in Patria. Videbimus enim nos per eas Reges in cœlo factos, & si tribulatio defuisset, descensuros fuisse ad infernum. Unde Apostolus ad Hebr. 12. *Omnis disciplina*, inquit, *in præsenti quidem non videtur esse gaudii sed mœroris: postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Et Chrysostomus hom. 62. ad Antioch. *Magnum bonum*; inquit, *tribulatio, & hoc ex nostris discimus filiis: nam absque tribulatione nihil utile discerent? nos autem plus illis afflictione indigemus; à puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, à nobis magna nimis, Pædagogus autem noster Tribulatio.*

F. V. *Gloriosa.*

Quinto: Quia gloriosa. Ex quo enim à Christo suscepta & gestata est, priorem ignominiam perdidit, & sum̃am gloriam consecuta est. Unde Apostolus ad Galat. 6. in sola cruce gloriatur, dicens: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Oderant & horrebant primum homines, contemptum, paupertatem, dolores, &c. Sed postquam his quasi vestibus indutus prodiit Dei filius, tunc eas velut res nobiles colere cœperunt. Et hoc ipsum est, quod incitare nos ad gestandam crucem debet domini videlicet exemplum. Abimelech Rex cum ramum quercûs è sylva præcidisset & in humeros sustulisset, dixissetque ad suos milites: *Quod me vidistis facere, cito facite*, certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem Jud. 9. Sic cruce sua Christus præcessit nos, imò tota ipsius vita, nihil aliud nisi crux fuit. Deinde hortatus est nos ad sequelam: *Si quis vult venire post me, abneget semet ipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*, Luc. 9. Quare si cum eo moriendum esset in Cruce & patiendum, prompto animo sequi Ducẽ nostrũ deberemus; idq; fecêre alacri & generoso animo facti Martyres, præsertim S. Petrus, Andræas, Philippus, Bartholomæus, Sixtus Papa, Dionysius Areopagita, Calliopius adolescens, VVernnerus puer, Julia ancilla; Denique Lampertus Consul Harlemensis, qui cum à tumultuantibus Calvinistis, quod Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defenderet, patibulo adjudicatus, id è longinquo intueretur, dixit: *Quid extimescimus lignum? Et enim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Annè major servus Domino suo?* P. Opmerus in Martyriol. Holland. manuscripto. Sed non est omnium hæc sequela, nec eo nos vocat Dominus ut saltem ut abnegantes nosmetipsos, sequamur eum in perferendis tribulationibus, seu ut Apostolus dixit, *mundo crucifixi simus & mortui*: quod si cum mundi leges de hypocrisi, de politica simulatione, de luxu, honore, vindicta, ebietate, &c. non audimus, nec curamus. Dicit mundi lex: accommoda te mundo; simula, ede, bibe quidquid affertur in gratiam aliorum; ulciscere injurias, provocatus ad duellum prodi, tuere honorem tuum. Sed respondeat Christianus, se huic legi mortuum & crucifixum esse, legi vero Christi, quæ aliud præcipit, obstrictum.

G. VI. *Donum Dei.*

Sexto: Quia donum DEI & signum amicitiæ est, Ait enim Apostolus ad Philip. 2. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* In quem locum sanctus Chrysostomus hom. 4. ait: *Pro Christo pati munus est majoris admirationis, quàm sit re vera mortuos excitare, & signa miranda patrare: nam illic quidem debitor sum; hic vero debitorem habeo Christum.* Similiter sanctus Petrus epist. 1. cap. 2. Crucem vocat gratiam DEI. *Hæc est enim gratia*, inquit, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.* Subditque: *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, &c.* Hic ergo finis & vocatio est Christianorum, Crux, videlicet. Neque ferre solum, sed & Deo gratias agere debemus, quia signũ gratiæ divinæ est. Quemadmodum Assuerus in signum amicitiæ & benevolentiæ portendit sceptri summitatem deosculandam Estheræ. Esth. 5. Ita DEus noster, cum crucem suam nobis porrigit deosculandam, signum amoris exhibet: quia *quem diligit Deus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* ad Hebr. 12. Nemo nostrûm erit, qui non agnoscat pro magno Dei dono quod sit Christianus. Atqui Christianus quisque in ipso statim Baptismo, ad Crucem vocatur & præparatur, siquidem in eo tot crucibus cõsignatur, uti & ipsa baptismatis aqua cum benedicitur. Ibi jam nomen militiæ huic dedimus, cum dæmoni abrenunciavimus, & Christo nos obstrinximus.

Itaque ô Milites Christi congregamini ad vexillum vestrum, apprehendite Crucem.

CONCIO VI.

QUOMODO CRUX ferenda.

I. Patienter.
II. Hilariter.
III. Cum gratiarum actione.
IV. Cum bona intentione.
V. Palam.
VI, Constanter.

THEMA.

THEMA.

Ita exaltari oportet filium hominis, Joan. 3.

A. EXodi 25. Cum jussisset Deus Moysen extruere tabernaculum, præscripsit & monstravit ei in monte Sinai exemplar tabernaculi faciendi additque: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Mysticè jubet Deus, ut unusquisque nostrum ædificet ei tabernaculum perfectionis Christianæ, ut sic in nobis exemplar in monte Calvariæ Christi crucifixi, ut quemadmodum ille tulit crucem suam, ita & nos feramus nostram. Et sic quemadmodum Christus exaltatus est in cruce, ita oportet exaltari & nos. Atqui hoc est exemplar, quod hodie nobis inspiciendum, & tota vita imitandum est.

Ferenda primò patienter. Primo quia sic eam Christus tulit, quamvis ei ferendæ vires haberet impares. Unde in alterius humeros transferenda fuit. Audi prophetantem de ipso Isaiam cap. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agn us coram tõdente se obmutescet.* Quis nescit, ovem cum ducitur ad macellum, minime reluctari? & cum tondetur, & forte etiam forcipe læditur, non reclamare? Sic se gessit Christus, cum gestaret crucem, & cum non vestibus tantum, sed & cruce, & sanguine, & omnibus spoliaretur bonis. Fac ergò & tu similiter; Nec cura, num tibi ipse elegeris crucem, an alius tibi imposuerit. Tulit enim Christus ab inimicis sibi impositam, tulit eandem Cyrenensis coactus, sed fecit tamen ex necessitate virtutem: Cur tu non feras eam, quæ vel ab inimicis, vel à Deo tibi imposita est? Paris meriti, vel etiam majoris est, gestare aliquem, qui te inscio in humeros tuos insiluerit: quam si quem sponte gestandum susceperis.

B. I. Patientur. Secundo: Quia etiam Deus fert quodammodo cruces, quas in nos imponimus: *Sustinens in gravissimas nationes*, ait Tertull. l. de Patientia, *ludibria artium & opera manuum suarum adorantes: nomen, familiam ipsius persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatam quotidie insolescentem, & cum crebris, imo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter expectat, cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, &c.* Hæc Tertull. Et quoties Christum etiam novis oneramus crucibus, qui pretium redemptionis ejus effundimus sicut aquam, & pedibus impudenter conculcamus.

Tertio: Quia per impatientiam non alleviabis crucem, sed aggravabis; crucem enim diaboli feres, si nolueris ferre crucem Christi. Latro ille finister per impatientiam blasphemabat Christum: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos.* Sed num idcirco à cruce liberatus fuit? nihil minus sed ad crucem ligneam addidit sibi diabolicam & igneam, cum tamen potuisset illam facere sibi utilissimam, uti fecit socius latro. Nihil effecisset Cyrenensis, si crucem abjecisset & gestare detrectasset; sed potius milites exacerbasset, & majora sibi mala accersivisset. Taceo quod Deus impatientiam & murmuratione iniquissime fert, & gravissime punire consuevit, uti videre est in l. Numer. Certè omnes murmuratores, exclusit ab ingressu terræ promissæ; Num. 14.

C. II. Hilariter. Secundo: Hilariter. Primo, quia sic suam tulit Christus, *qui exultavit ut Gigas ad currendam viam*, utique illam etiam, quæ duxit eum à domo Pilati ad montem Calvariæ: Ob id obvias sibi mulieres à fletu jussit desistere: *Nolite flere super me*, Matth. 27.

Secundo: Quia crucis magnus est fructus, quem si Cyrenensis cognovisset, quanto gaudo eam gestasset? Certum enim, si Christo socii passionis fuerimus, erimus consolationis. Certe etiam apud gentiles Ægyptios crux erat litera hieratica, & designabat vitam venturam, ut scribit Ruffinus l. 2. c. 29. Sozomenus l. 7. c. 15. Socrates l. 5. c. 17. Magno utiq; gaudio tulit ille Agaso pondus auri in domum suam, quod donavit illi Alexander Magnus, licet tantum esset, ut ab asino ferri vix potuerit, Fulgos. l. 4. Quia non mallet ferre crucem, quâ cœlum jam nobilis thesaurus emitur.

Tertio: Quia multos occidit tristitia. *& non est utilitas in illa*, ait sapiens. Eccles. 30. Tristitiam sæculi intellige, quæ nascitur ex inordinato amore, & amissione bonorum tẽporalium, & sæpe mortem operatur, quia incitat, ut cum Dei offensa bona illa recuperes; non illam, quæ secundum Deum est, & parit *pœnitentiam ad salutem stabilem*, ut ait Apostolus 2. Cor. 7. Hæc enim tristitia tollit peccatum admissum, illa vero non tollit damnum acceptum.

D. III. Cum gratiarum actione. Tertio. Cum gratiarum actione. Primo quia *est donum* Dei [ut testatur Apostolus Philip. 1.] qui vel imposuit tibi crucem, vel ut imponeretur; permisit. Symbolum suum non dat Rex nisi amicissimo & probatissimo militi. Atqui crux symbolum & character Christi est. Benevolentiæ & gratiæ signum erat, sicuti rex Assuerus porrigebat deosculandam summitatem virgæ suæ, ut videre est in l. Esther. Similiter si Christus faciat quem crucis suæ participem, magnæ gratiæ indicium est: quis hanc illius virgam magno gaudio non exosculabitur? Audi Augustinum ferm. 111. de tempore. *Quoties aliqua tribulatio, inquit, in mundum venerit; qui boni sunt, veluti sancta vasa gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur: illi vero qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra dominum, dicentes: O Deus, quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur?*

Secundo: Quia id fecêre sancti. Tres pueri, qui in camino ignis benedicebant Deum, Dan. 3. Tobias ob plagam cœcitatis non est contristatus, sed immo-

immobilis in Dei trimore permansit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ, Tob. 2. similiter & Job, dicens *Sit nomen Domini benedictum.* Sic etiam Paulus & Silas virgis cæsi, & in carcerem conjecti, orantes laudabant Deum. Act. 6. Nec dubium, quin & Christus in cruce & ob crucem Patri gratias egerit, qui id fecit in suscitatione Lazari: & fractione panis.

E. IV. *Cum bona intentione.*

Quartò: Cum bona intentione, Tulit eam Christus, ut pro peccatis nostris satisfaceret, ut gloriam aliquam mereretur, ut exemplum ferendæ crucis nobis daret. Sic ergo & tu fer crucem tuam. Primo ut per crucis patientiam peccata tua deleas. Secundo, ut præmium vitæ æternæ modo aliquo merearis. Tertiò: Ut Christo Domino tuo aliquatenus assimileris.

F. V. *Palam.*

Quinto: Palàm. Primo: Quia etiam Christus crucem suam palam tulit, in civitate celeberrima, Jerosolyma, & maximo hominum concursu. Imo ad crucifixum tantus fuit hominum confluxus, ut eum S. Lucas c. 23. vocaverit spectaculum. *Omnis turba eorum,* inquit, *qui aderant, ad spectaculum istud; percutientes pectora sua revertebantur.* Cur ergo tu erubescas fieri spectaculum hominibus? Qua in re etiam Apostoli sequi Dominum suum non erubuerunt, 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.*

Secundo. Quia gloriosa facta est per Christum. Unde Apostolus in ea uti & in stigmatibus suis gloriabatur, id est, in cicatricibus, & vulneribus, & verberibus pro Christo susceptis, sibi impressis, Gal. 6. Et S. Franciscus tantæ sibi gloriæ ducebat insignitum se esse stigmatibus Christi, ut ea pro humilitate occultaret, quantum poterat. Sanctus etiam Petrus tam gloriosum existimabat crucifigi pro Christo, ut ea gloria se indignum ratus; postularet inversim, capite ad terram depresso crucifigi. Denique Imperator Heraclius crucem à Cosrhoe recuperatam ad montem Calvariæ ex urbe Jerosolymitana gestare voluit publico spectaculo, maximo id sibi honore ducens.

Tertio: Quia gloriam æternam parit. Mundo quidem vilis & ludibrium est Crux; sed non item cœlo. Vilis & in speciem abjecta res erat, quærere amissas asinas. Et tamen Saul dum asinas quærit, regnum consecutus est, 1. Reg. 9. & 10. Ita licèt Crucem ferre turpe videatur, maximæ tamen mercedis est, quia regnum cœleste parit.

G. VI. *Constanter.*

Sexto. Constanter. Primò, Quia etiam Christus constanter in Cruce perstitit, nec provocatus [licet mordaciter] voluit descendere; imo tribus clavis ei se affigi passus est: Dicebant improbi illi: *si filius Dei es, descende de Cruce*: Sed ideo de Cruce non descendit, *quia filius DEI erat*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. de Cruce & latrone. Et tu, si filius Dei esse vis, Crucem ne abjicias, exemplo Domini tui. Sic faciebat sanctus Andreas, qui biduo in Cruce pendens Deum orabat, ne deponi se pateretur à Cruce, eo quod virtutem ejus agnovisset.

Secundo: Quia nil prodest Crucem ferre, si ad extremum abjiciatur. *Qui enim perseverat usque in finem, hic salvus erit.* Consecravit David & reposuit in tabernaculo gladium, quo abscidit caput Goliatho jam prostrato, non item lapidem, quo eum prostravit, 1. Reg. 21. Quia fini debetur honor, non principio. Parum, ut arbitror, profuit Cyrenensi ad tempus gestasse Crucem, quam ad extremum abjecit.

Hoc tamen non obstante licet Deum precari, ut Crucem gravius prementem, transferre ab humeris nostris velit, sed eo modo, quem docuit Dominus, cum oravit: *Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc à me. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*, si tali modo voluntatem nostram divinæ subjiciemus, omnis crux, quantumvis gravis, fiet nobis portando facilima, &c.

CONCIO VII.

QUATUOR CRUCIS DIMENSIONES, seu virtutes primariæ crucifixi.

I. Longitudo crucis, patientia.
II. Latitudo, obedientia.
III. Altitudo paupertas,
IV. Profunditas humilitas.

THEMA.

Ita exaltari oportet filium hominis, Joan. 3.

A.

DUos potissimum libros proposuit nobis Deus, in quibus opera Dei, & quæ nobis agenda sunt, legere & intelligere possumus. Primus est Creaturarum seu totius mundi, de quo alias diximus. Cæterum quia in illa legimus tantum ea, quæ majestatis sunt & gloriæ Dei: non item ea, quæ abjectionis & vilitatis, idcircò Deus nobis alterum addidit librum, Crucem videlicet: seu filium suum Crucifixum, in quo præter alia multa doceremur inprimis ea, quæ alioquin homines fugiunt & horrent; suntque hæc potissimum: Paupertas, humilitas, patientia & obedientia. Hæc enim quia sine magno & infallibili aliquo duce & Magistro capere & amplecti difficilimum erat, [siquidem mortales omnes inhiant divitiis, quærunt liberatem & imperia, ambiunt honores, diligũt voluptates &c.] idcircò exaltari in Crucem oportuit filium hominis & DEI ut fieret nobis liber, Doctor atque ductor ad hæc amplectenda. Et quia nobis liber iste summè necessarius est, idcircò S. Paulus ad Ephes. 3. de hoc Crucis libro, juxta communem Patrum expositionem scribit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehen-*

prehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo & sublimitas & profundum. Quibus quatuor dimensionibus videtur voluisse tangere quatuor primarias virtutes in Cruce ad exemplum nostrum propositas. Quas hîc discutiemus.

B. I. *Longitudo crucis, patientia.*

Primo, Longitudo Crucis patientiam Christi notat, siquidem ad patientiam pertinet longanimitas & perseverantia. Longissima fuit Christi patientia, omnium hominum patientiam longissimè excedens. Primo: Quia nemo omnium fuit tam innocens, sanctus & purus, atque ipsa puritas & sanctitas, Christus. Eò major autem est patientia, cæteris paribus, quò innocentior est is qui patitur. Et hæc Christi innocentia fuit omnibus perspecta. Ipsi enim adversarii nihil peccati ei poterant objicere, quod aliquam probabilitatis speciem haberet.

Secundo. Quia acerbissima & indignissima passus est, & in una Cruce multas cruces. Primo dolorem acutissimum in affixione. Secundo, in Crucis erectione & corporis concussione. Tertio, nuditatem in aere frigido & solis defectu. Quarto, defatigationem incredibilem. Quinto, sitim intolerabilem, tum ex defatigatione, tum ex sanguinis effusione ortam. Sexto, carentiam usus membrorum & alligationem totius corporis movere se non valentis. Septimo, conspectum matris. Octavo, tormentum ipsum Crucis, sensu doloris cætera superans. Etsi enim pœna ignis videtur esse acrior, crucis tamen longè est diuturnior, ut hinc multis ignibus æquari posset. Ideo veteres hoc supplicium, summum & supremum appellarunt, & ignis supplicio prætulerunt, teste Lipsio lib. 2. de cruce cap. 1. Maximus ibi dolor in nervorum diruptione & compressione, qui pondere corporis assiduè deorsum trahente factus est sensim acutior, præsertim in tam sano & nobilis temperamenti corpore, tantaque sensuum perfectione & rigore. Accedit vulnerum totius corporis concisi divulsio, apertio & renovatio: accedunt spineæ coronæ ad Crucem impactiones, deniq; totius corporis instar chordæ in arcum valida extensio, ita ut omnia ossa, testimonio prophetæ dinumerari possent, Psalm. 21. Nono, probra & contumelias, quantas nullus unquam mortalium pertulit, contumelias, inquam, non verborum tantum, sed & factorum. Verborum, dum Judæi insultabant beneficiis ab eo acceptis: *Alios salvos fecit,* &c. calumniabantur ejus dicta perperam intellecta: *Hic dixit, possum destruere templum, &c.* Item: *Eliam vocat iste.* Objectabant ei infirmitatem, quasi nihil posset. *Si filius est Dei est: Si Rex Israel descendat nunc de cruce.* Denique blasphemabant eum. Factorum verò dum infami loco & ligno medium inter latrones suspenderunt, dum eum irriserunt moventes capita sua, dum felle & aceto porarunt. Quid his atrocius excogitari potest? Decimo, mortem amarissimam & horribilissimam.

Tertio: Quia ab impiis hæc pertulit, & à servis ac creaturis suis. Quis autem nescit acerbissimum esse pati indigna ab iis, qui ipsimet flagitiosissimi omnia dira merentur supplicia? Quis non indignetur, si videat innocentem plecti à nocente? Sed Creatorem creaturis, Dominum à servis tam indigna pati, omnem excedit modū. Hinc illud Thren. 5. *Servi dominati sunt nostri,* pro maximo inducitur supplicio. Hinc Maximianus Imperator, ut S. Sergium primicerium suum, qui se Christianum liberè profitebatur, maximè affligeret, judicandum & atrociter puniendum misit ad Antiochum Præfectum orientis, qui Sancti Sergii servus extiterat: à quo Sergius calceis aculeatis indutus ante rhedam ejus currere coactus est, ut in ejus martyrio 7. Octob. At multo majus erat Dominium & jus Christi, quod habebat in Judæos & crucifixores suos, & tamen ab his passus est.

Quarto: Quia hæc omnia patientissimè tulit sine querelis, sine appellatione, sine clamore, sine imprecatione, sine vindicta (quam facillimè poterat sumere) sine comminatione. Non questus est, nullam emisit vocem, nullas lachrymas fudit, neque molestiis commotus est, nec judicibus supplex fuit, neque pœnarum sublevationem petiit: non iratus est, miraculum non fecit, nihil magnum ostentationis gratia dixit. Sed *sicut agnus coram tondente se obmutuit,* Isa. 53. Et *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur,* ut ait S. Petrus, 1. P. 2. Atque isthæc omnia ut patientiam nos doceret. Pati noluit æger salutis instrumenta, passus ea igitur est medicus, ut disceret pati æger.

C. II. *Latitudo obedientia.*

Secundo. Latitudo obedientiam designat, quia dicitur Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis,* hoc autem percurrit obedientia, quæ sane in Christo fuit latissima & eminentissima. Primò: Quia secundum naturam Divinam liberrimus, & super omnem legem, imò legifer ipse erat: secundum naturam vero humanam erat à Deo unctus Rex super omnes homines. Cum igitur summus, & ab omni hominum subjectione exemptissimus esset, subjecit, se nihilominus & obedivit iis, sub quorum potestate non erat, imò quibus ipse dominabatur. Voluit obedire supremus infimis, & Dominus mancipiis, ut disceremus obedire infimi supremo, mancipia Domino suo, quod facere nolebamus.

Secundo: Quia ut ait Apostolus ad Philip. 2. *Factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* In re igitur difficilima, & omnium terribilium terribilissima obedivit, qualis est mors, & præsertim mors tam dira & infamis, mors crucis, quia vidit nos mortem perhorrescere, vel saltem mortis genera quædam atrociora; & quia vidit: nos ad obedientiam superioribus præstandam, in rebus præsertim difficilibus difficilè moveri: consideret unusquisq; crucem obedientiæ suæ præcepta DEI Ecclesiæ & superiorum suorum, & si placet, provocet ad crucem obedientiæ Christi.

Tertio, Quia obedivit non solum Patri suo æterno usque ad mortem inhærendo ejus mandato & perseverãdo in cruce, licet caro mortem horreret, uti explicavit in horto; verum etiam judici iniquo, juxta id 1. 1. Petr. *Tradebat autem judicanti se injustè*, qui ut ait S. Leo serm. 3. de passione, *iisdem labiis Jesum misit ad crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem.* Iudici inquam, qui non modo non habebat potestatem ullam in Christum etiam ut hominem, sed ipsa contra subjectus erat. Denique etiam vilissimis Pilati ministris, & carnificibus obedientiam exhibuit, suscipiendo ab iis crucem impositam, sequendo eorum ductum, extendendo super crucem manus, & pedes ad eorum imperium & placitum, quoad clavis affigerentur, permittendo se eorum libidini, risui aliisq;, quas plerumque carnifices inferunt necandis. Quis hic non obstupescat? sanè nobiles viri, etiam cum ob reatus suos capite plectuntur, solent hoc honore donari, ut à carnificibus in corpore non tangantur, nisi cum suscipiunt ictum: imo repellunt carnificem se se attingentem. Nihil horum fecit vel petiit, aut obtinuit Christus, sed tradidit se interfectoribus nullo sibi prorsus jure reservato, ut nos disceremus obedire imprimis DEO; Deinde Dominis legitimis, denique (si ita res ferat) etiam discolis & improbis, modo ii non imperent contraria legi divinæ.

Quartò: Quia ad hanc obedientiam sponte sese obtulit, juxta id Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Nemo illum coegit, ne quidem æternus pater, cujus volũtatem sponte acceptavit: nedum Iudæorum manus armata. Sola impulit charitas ut nos à gehennæ incendiis eriperet, & simul obedire doceret, quæ est secura ad cœlum semita. Nos igitur qui tot titulis Deo subjecti sumus & obstricti, num obedire dedignabimur? Quanta hæc confusio: Obedire noluit Deo homo, tantum illi obstrictus: obedivit igitur Deus homini? An non pudet nos? conditus fuit homo, ut suo creatori serviret: & quid justius quàm illi servire, qui te creavit & sine quo nihil penitus esses? & quid gloriosius, quam illi servire, cui dum servis, regnas? Superbus autem homo dixit: *Non serviam Creatori.* At ego, inquit Creator, tibi servire volo. Tu mensæ accumbe, & ego tibi ministrabo. Tu quiesce, & ego laborabo. Tu liber esto; & me vincito, Tu me in servum accipe & adhibe ad placitum. Ergone adhuc lubet obedientiæ jugum excutere?

D. III. *Altitudo paupertas*

Tertio. Altitudo paupertatem videtur indicare, siquidem Apostolus 2. Cor. 8. Ecclesiarum Macedoniæ paupertatem vocat altissimam: *Altissima, inquit, paupertas eorum abundavit.* Fuit vero altissima Christi crucifixi paupertas. Primo: Quia ex ditissimo factus est pauperrimus. Unde Apostolus loco jam citato ait: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Quamvis vero in cœlo non desierit esse dives, in mundo tamen pauperrimus fuit. Nemo autem nescit duriorẽ esse paupertatem ei, qui divitiis cumulatus & assuetus fuit. Christus omnium erat Dominus, omnium auctor & largitor, si Divinam ejus naturam spectes: si humanam, ad ipsum pertinebant omnia sublimis cujusdam domini jure, quod illi ratione unionis hypostaticæ competebat. Quis ergo nunc iniq; ferat paupertatem? an nescimus nos in mundum nihil intulisse, adeoq; nudos & mẽdicos de utero matris egressos: Quo pacto igitur servus ita immoderatus erit, ut ditior esse velit domino suo?

Secundo: Quia summa fuit, & omnibus destituta. Pependit enim in Cruce Dominus vestibus spoliatus, lectus illi lignum fuit, & quod vulpes & volucres habent, ipsi defuit, ubi videlicet caput reclinaret: denique in tanta paupertate vitam finiit, ut poculum aquæ, quam moriens petebat, obtinere non potuerit; quodq; intolerandum, cum hęc ipsius desolatio ac paupertas omnibus pateret, nemo tamen adfuit, qui opem egenti ferret. Itane aliquando visa vel audita est durior paupertas? Quam ergo magnam hic inveniunt pauperes in suis miseriis consolationem? quanto jure dicere possunt, divites se esse respectu crucifixi?

Tertio: Quia per summum nefas ab iis spoliatus est vita & fortunis omnibus, quorum summus benedictor erat. Si enim divinam ejus naturam spectemus, ipse illos vestiebat, à quibus nudabatur, illos nutriebat, à quibus aquam non obtinebat: illis vitam dabat, à quibus necabatur. Si humanam naturam attendas, pertransiit benefaciendo omnibus, & sanavit omnes oppressos, pavit esurientes, curavit ægrotantes, erexit jacẽtes, ad vitam revocavit mortuos. In vicem igitur tot beneficiorum nunc omnibus bonis exuitur & ejicitur è mundo. Quis tam dira unquam passus est.

Quarto: Quia summa charitate paupertatem hanc in se suscepit, *ut illius inopia vos divites essetis*, inquit Apostolus loco supra citato. Ditavit enim nos per inopiam suam spiritualibus divitiis, doctrina pietatis, peccatorum remissione, vestivit gratia & virtutibus, nutrivit sacramentis, &c. *Omnes ergo boni fideles*, infert hinc S. Beda hîc, *sunt divites, nemo se contemnat: pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura.* Quemadmodum S. Ignat. Loyola, pretiosas vestes suas commutavit cum mendici vilissimis centonibus? ita fecit Christus.

E. IV. *Profunditas humilitas.*

Quarto. Profunditas humilitatem sine dubio significat, quia hæc fundum petit & ad terram sese abjicit. Profundissima hæc in Christo est. Primo, quia cum esset summus, factus est infimus: cum esset omnia factus est nihil. Ita enim scribit Apostolus ad Pilip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Parum igitur est si homo se humiliet, quia ab humo dictus & formatus est, idemque in humum redigendus;

sicuti mirum non est, si lapis ad terram descendat, quia terra est. Illud vero mirum, quod cœlum se ad terram demittat.

Secundo: Quia juxta doctrinam suam in infimo loco recubuit. Etenim passus est in loco infami publicorum suppliciorum: supplicium item pertulit: quo nullum magis infame, aut magis abominandum erat: Nam & apud Judæos *maledictus*, id est, detestandus & execrabilis erat Deo *omnis, qui pendet in ligno*, Deut. 21. & apud Romanos non nisi infimæ sortis hominibus, id est, servis iisque extremè sceleratis irrogari solebat, unde & supplicium servile vocatum est. Lipsius l. 2. de cruce c. 12.

Tertio: Ad infimos, imo infra infimos se humiliavit, siquidem cum latronibus & inter illos medius, quasi latronum princeps crucifigi non abhorruit. An adhuc inferior & deterior locus in mundo reperiri potest, in quem descendere poterat? Itaque ex primo factus est novissimus, ut vocatur, Apoc. 1. *Hæc dicit primus & novissimus*. Vidit enim Deus hominem sub jacere & hominibus cedere nolle; itaq; subjecit se infimis hominibus, qui supremus erat.

Quarto: Quia nulla necessitate aut æquitate, ob quam alii homines communiter se humiliant, quia scil. vident se abjectos, subditos, defectuosos, aut peccatores; sed mera voluntate ob amorem nostri se humiliavit, ut nos exaltaret & ad hanc virtutem imitandam invitaret. Unde dixit Apostolus? *Humiliavit semetipsum*. Quare tu, quicunque es, vane & superbe homo, intuere crucifixum, non pulchris indutum vestibus, sed nudum & cruentatum: non illius manus annulis ornatas & gemmis, sed perforatas acutis clavis: non caput cinctum corona è floribus contexta, sed spinarum aculeis: non aulicos aut satellites circumcirca stantes, sed latrones binos hinc & hinc pendentes: non gratam symphoniam, sed omnis generis probra, contumelia & blasphemias &c. Quid tibi insuper monstrandum, si ista te non movent? durior es lapidibus, qui ad hoc spectaculum fissi sunt: magis mortuus es, quam mortui, qui è sepulchris exierunt, cum hæc agerentur: immobilior es terra, quæ tum contremuit: pertinacior Judæis, qui tandem emolliti percutientes pectora sua revertebantur.

Quæ cum ita sint, quis jam non obviis ulnis amplectatur patientiam, obedientiam, paupertatem, humilitatem? An exemplum Christi non erit nobis deinceps pro omnibus rationibus, quas in contrarium posset mundus afferre? An malumus cum mundo ad modicum in terra frui voluptatibus, libertate, opibus, honoribus, ut postea in æternum his omnib⁹ privemur, & cum illo damnemur: quam cum crucifixo pati, obedire, egere, deprimi hic ad modicum, ut cum illo postea æternum beati simus? Absit à nobis, absit hæc insania. Esto, ante crucifixum potuerit nos mundus, caro & diabolus decipere & permovere, ut fluxa bona avidè quærerem⁹, patientiam vero, & obedientiam, paupertatem & humilitatem fugeremus: Sed jam postquam hoc exemplar crucifixi vidimus, non decipiet amplius. Nimis enim stulti essemus, si ea vellemus fugere, quæ Deus est amplexus: ea vero amplecti, quæ Deus adeo fugit. Unum id rogare Deum debemus, ut in hoc proposito conservet nos & roboret.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. *Cur Nicodemus venerit nocte?*
II. *Quid*: nisi quis renatus fuerit denuò.
III. *Quare voluit Christus non nisi renatum videre regnum Dei.*
IV. *Quid?* Spiritus ubi vult spirat.
V. *Quid?* nemo ascendit in cœlum nisi quid descendit.
VI. *Quid?* sicut Moyses exaltavit serpentem, &c.

THEMA.

Quomodo possunt hæc fieri? Joannis, 3.

BEne & apte dicitur, hanc Christi cum Nicodemo dissertationem de nocte factam esse: est enim difficilis & obscura: sed nimirum Christus accommodavit se ubique captui Auditorum: & quia Nicodemus legis peritus erat, & celebris Magister in Israel, uti patet ex illis verbis: *Tu es Magister in Israel*, [Græcè, Tu es ille Magister in Israel, quasi diceret, celebris ille? ideo cum illo sublimiora tractare voluit. Et forte ut eum de doctrina sua præsumentem humiliaret, tum illi tradere aliqua voluit quasi ænigmata, quæ solvere & intelligere non posset. Sed quid nos Auditores ex hoc Evangelio obscuro? Si Magister in Israel capere id non potuit: quomodo nos capiemus? Accendamus ergo huic nocti lucem aliquam.

B. I. *Cur Nicodemus veneri nocte?*

Quæritur primo. Cur venerit Nicodemus ad Jesum nocte & non interdiu? Resp. primo D. Chrysostomus & Theophylactus id fecisse propter timorem Judæorum. Ejusmodi principes multos fuisse scribit Joan. c. 12. qui crediderunt in Christum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut non de Synagoga ejicerentur, quibus tamen Joannes hanc futuram assuit: *Dilexerunt enim hominum gloriam magis quam gloriam Dei*. Triste verbum, Auditores. Quale n. judicium exspectaremus, nisi hoc de nobis enuntiaret Judex? Nonne illud: Amen dico vobis, nunquam novi vos? Jure videlicet; quia de nocte venientes non facilè agnoscentur. Et tamen quam multi istud non advertunt? imò deteriores? Nam excusari tunc Nicodemus & alii poterant, quia periculum illis imminebat à Judæis Christi hostibus quos

quos habebant innumeros; sed non ita nos. Quid enim metuimus inter Christianos Christianè agere & vivere? Crevit tamen in fide & amore Christi paulatim Nicodemus, nam Ioan. 7. in concilio pro Christo locutus est, & mortuum non erubuit sepelire, Ioan. 19.

Respondet secundo S. Augustinus Epist. 28. ad Hieronymum: quia fortassis erubescebat discere, quod docere consueverat. Erat enim Magister in Israel, teste Domino: & tales ordinariè non volunt discere saltem publicè, ne indoctiores & viliores habeantur, quales adhuc multi sunt, qui à diabolo persuasi quasi jam ipsi per se scirent, quid agendum vel credendum sit, retinentur, ne ad conciones audiendas accedant. Viderint tamen ne instar Nicodemi, ipsa fidei rudimenta ignorent, qui Magistros in Israel se existimant.

C. II. *Quid? nisi quis renatus fuerit denuo.*

Quærit. secundo. Quid est, quod ait Dominus: *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei?* Respondetur, Christum proponere hoc verbo Alphabetum Christianæ fidei, scilicet baptismi necessitatem, Nicodemo salutis suæ viam affectanti. Unde patet Christi ad docendum Zelus; statim enim arripit occasionem tradendi symbola Christianæ fidei; Et deinde id præstat in ipsa nocte, quod signum est patulas habuisse fores etiam de nocte, ad quosvis recipiendos & erudiendos. Ita S. Achatius Episcopus, omni tempore apertum habuit Episcopale tabernaculum, ut ab omnibus quocunque tempore semper adiri posset, ut scribit Sozomenus lib. 7. hist. cap. 27.

D. III. *Quare voluit Christus non nisi renatum videre regnum Dei?*

Quæritur tertio. Quamobrem voluit Christus ut nisi quis renatus esset ex aqua & Spiritu sancto per baptismum, non videret regnum Dei: Respondetur, convenientissimè hoc à Christo institutum esse, ut intelligeremus nos per peccatum originale fuisse inquinatos, adeoque per lavacrum aquæ abluendos esse à contractis sordibus. Primum est, quod fit infanti in lucem edito, ut lavetur à sordibus corporalibus. Ut ergo sciatur, nasci omnes cum sordibus spiritualibus peccati originalis, ideo alterum etiam & spirituale lavacrum fuit necessarium. *Quis enim mundus à sorde*, inquit Job. cap. 14. (juxta 70. interpretes) *etiamsi unius diei sit vita ejus super terram?* Confertur autem hæc vis aquæ, operatione Spiritus sancti. *Quemadmodum enim viribus ignis*, inquit Cyrillus Alex. l. 2. in Joan. *intensius aqua calefacta, non aliter quam ignis urit: sic Spiritus sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem, quæ baptizati corpus abstergunt.*

Secundo, ut sciremus necessariam esse novam & spiritualem generationem illis, qui regnum Dei videre volunt. Carnalis enim ex Adamo nativitas cum ad mortem tantum generet, opus habuit regeneratione altera, qua ad vitam renasceremur immortalem. In cujus rei figuram Gen. 1. cum mundum Deus creare inciperet, Spiritus Domini ferebatur super aquas (seu ut habetur in Hebr. incubabat super aquas quasi nimirum eas fovens, ad proles inde educandas, creaturas varias) Allegoricè enim significabatur Spiritus S. aquis baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens & regenerans, inquit S. Hieronymus Epist. 83. ad Ocean. Quoniam igitur ex veteri Adamo omnes nascimur filii iræ, ut ait Apostol. ad Ephes. 2. nova generatio fuit nobis necessaria, qua in filios Dei adoptivos gigneremur.

Tertio, ut hac ratione Christi sepulturæ & resurrectioni conformaremur, cujus merita participamus. Per immersionem enim in baptismo, quodammodo cum ipso consepelitur vetus homo, & per emersionem cum eodem novus homo resurgit. Unde Apost. ad Rom. 6. ait: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, &c.* Scribit S. Aug. l. 4. de Civitat. Dei, priscum Romanis morem fuisse, ut infantem mox natum humi deponerent & continuo levarent. Unde Levanam Deam finxerunt. Ex quo colligitur, etiam apud Ethnicos fuisse aliquod schema hujus sepulturæ spiritualis.

Quarto, ut moneremur spiritualem nobis vitam exinde ducendam esse, & spiritualia consectanda, non carnalia. Ait enim Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est: Quo natum est ex spiritu, spiritus est*; quasi diceret: spiritualis est ista regeneratio, monetq; ut *quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, subdit Apost. ad prædicta verba ad Rom. Quod si carnalem vitam duxerimus, attendamus ad id, quod dixit Deus ad Noe: *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.*

E. IV. *Quid? spiritus ubi vult, spirat.*

Quær. 4. Quid sibi vult illud: *Spiritus ubi vult spirat?* Respondeo, ostendere operationem Spiritus Sancti in baptismo & similibus operibus invisibilem esse. Quemadmodum enim venti sibilum audimus, nescimus tamen unde veniat aut quo vadat: sic ignota est spiritualis regeneratio, quomodo opera Spiritus S. fiat: nisi quod videmus hominem, qui paulo antè carnalia tantum & animalia sapiebat ac loquebatur, post afflatum Spiritus sancti illa fastidientem & non nisi spiritualia eructantem. Sic mirabantur Judæi, quod Apostoli post missionem Spiritus sancti loquerentur variis linguis magnalia Dei palam & absque timore, qui paulò antè mutire non audebant; Unde putabant eos musto plenos esse. Actor. 2. Sic stupebant omnes, qui audiebant Paulum prædicantem Jesum Christum quem paulò ante persequebatur: *Nonne hic est*, inquiunt, *qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud?* Actor. 9.

F. V. *Quid? nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit.*

Quær. 5. Quid illud: *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo?* Respondeo, verbum illud, ascendit, esse præteriti temporis (græcè enim est ἀναβέβηκε) idque requirere contextum sermonis. Dixerat enim Dominus: *si terrena vobis dico, non creditis: quomodo si cœlestia vobis dixero, credetis?* moxque subjungit:

Et nemo ascendit in cœlum, &c. quasi diceret. Quomodo cœlestia narranti mihi credetis, cum nemo adhuc ascendit in cœlum præter filium hominis, qui in cœlo est, & obtinet cœlum, quod alii non nisi per ascensum obtinere possunt; vel vult dicere: possem ego vobis cœlestia narrare, qui in cœlo versor, & quidem adhuc solus; si narranti credere velletis, sicut merito debetis. Deinde respondet Sanctus Augustinus, Beda & alii, ascendisse quidem Christum in cœlos, sed cum membris suis, id est, justis. *Ascendit solus*, inquit Sanctus Bernardus sermone de ascens. *sed ascendit totus.* Totus homo coronari dicitur, non caput tantum, cum corona capiti ejus imponitur.

Denique ascendit solus propria virtute, alii assumuntur. Unde Ecclesia Christum ascendisse, beatam Virginem assumptam esse prædicat. Sola enim caro ascendere non posset: evehi deberet; Christus autem DEUS & homo est; ideoque solus ascendit.

G. VI. Quid? sicut Moyses exaltavit serpentem, &c.

Quærit. 6. Quid illud: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, &c.* Respondetur tradi hic Christianæ vitæ fundamentum quod est fides. Ut enim nemo morsus à serpentibus ignitis, Num. 21. sanabatur, nisi per aspectum serpentis ænei exaltati in pertica: sic nemo salvari potest nisi per fidem Christi Crucifixi. Habuit serpens ille formam serpentis, sed non vitam & venenum: Ita Christus assumpsit formam peccatoris, sed non peccatum. Fuit serpens ille ignitus, Hebr. Saraph (unde Seraphin dicti:) Christus etiam in cruce igne amoris nostri arsit. Serpens ille grandis & exaltatus fuit, ut omnibus esset conspicuus: ita Christi crucifixi gloria pervenit ad omnes gentes. Fuit serpens ille æneus: sic Christus heri & hodie & in sæcula. Serpens ille aspici debuit, ut serpentum morsus sanaret: ita Christus per fidem, contritionem & dolorem contemplandus. *Non te pigeat*, inquit S. Bernardus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre regem in solio residentem.*

IN FESTO JOANNIS BAPTISTÆ.

Evangelium Luc. I.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est, in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam, Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus & lingua ejus, & loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant, in Corde suo, dicentes. Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus, repletus est Spiritu sancto, & prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.

CONCIONES.

CONCIO I.

GAUDIUM HUJUS SOLENnitatis.

I. In Domo Zachariæ.
II. In Domo vicinorum.
III. In limbo PP.
IV. In cœlo.
V. In orbe universo.

THEMA.

Multi in nativitate ejus gaudebunt.
Luc. 1.

SOlent hodie passim excitari Rogi & festivi ignes ex antiquo more, iique ab aliquibus vocati ignes S. Joannis. Qui si ad honorem sancti, ut videtur, à veteribus Christianis excogitati & excitati sunt, haud dubiè reprehensione carent, modo levitas & superstitio procul absint. Nam ignes excitati festivos ad publica insinuanda gaudia, receptum est in pluribus nationibus. Cum ergo hodierna festivitas publico gaudio plena sit, cur non etiam nos ad honorem Baptistæ rogos accendere possimus? Et verò, si bene advertimus, inveniemus hoc ipso die ejusmodi rogos seu festiva gaudia excitata fuisse in multis locis, in domo Zachariæ, in domo vicinorum, in Limbo patrum, in cœlo, in orbe Christiano. Ergo ut hujus gaudii participes fiamus, spectemus rogos istos.

B. I. *In domo Zachariæ.*

Rogus iste festivus primo excitatus fuit in domo Zachariæ; Siquidem nativitas Joannis gaudium attulit. Primo ipsi Joanni, duplicem ob causam. Prima est, quia ipsius ortus longè fœlicior fuit, quam cæterorum hominum; ipse enim in utero matris Spiritu Sancto repletus fuit, sicut prædixit Angelus Lucæ 1. adeoque ab originali labe mundatus, cum qua tamen cæteri nascuntur mortales. Cæteri ergo infantes jure merito plorant statim ac in lucem prodeunt, quia sub maledicto sunt, propter quam causam Iob cap. 3. & Ieremias cap. 22. maledicunt diei nativitatis suæ; quia nimirum cum peccato originali nascimur ad tantas miserias, ut spectatis naturalibus tantum, & seclusa gratia, per quam cœlo renascimur, melius foret nos non nasci; adeoque dies noster natalis fletu potius quam gaudio esset prosequendus.

Porro gratia sanctificans non solùm labem illam abstergit, sed miserias etiam & calamitates inde nobis provenientes in bonum nostrum convertit, adeoque non terræ sed cœlo nos gignit. Hinc ergo dubio procul in sua nativitate gavisus est Ioannes, quia cum usu rationis donatus sit in utero matris, de communi Patrum sententia, agnovit etiam se repletum Spiritu sancto & sanctificatum esse. Cujus etiam gaudii nos participes esse possumus, si redati velimus diei, quo à labe illa in baptismo abluti sumus: quæ sanè ingens gratia est, multis millibus non concessa; quæ si nobis collata non esset, melius foret nos nunquam in lucem editos esse. Hujus fortè gratiæ se invicem admonere voluerunt majores nostri, cum ad diem natalitium corollas alter alteri miserunt.

Secunda est, quia tunc vinculis uteri materni expeditus currere cœpit ad spectandum, salutandum, venerandum & nunciandum orbi Salvatorem: quod in utero matris summis votis expetierat, siquidem ad præsentiam Christi, itidem reclusi adhuc in sua matre, exaltaverat in gaudio, quasi moræ impatiẽs perrumpere vellet claustra materni uteri, ad inchoandum munus præcursoris. Quemadmodum ergo canis venaticus conspecta de procul fera, vincula abrũpere conatur, & dimissus velocissimo cursu ad eam contendit eamq; per sylvam latratibus prodit, ut plures ad speratam prædam canes advocet: Ioannes conspecto salvatore de procul in utero exire in lucem gestiit, ut velut prædam, eum apprehenderet & aliis agnoscendum ac capiendum clamoribus suis proderet. Unde dicebat? *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Et rursum: *Ecce agnus Dei.* Secundo parentibus Ioannis; quia natus est illis filius & quidem talis, qui magnus coram Domino futurus esset. Hanc causam indicat Angelus; subdit enim mox, velut causam gaudii: *Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet.*

II.

Divites & potentes festiva gaudia celebrant, cùm nascitur illis filius, quamvis adhuc nesciant, qualis ille sit futurus, & quoniam desiderant illum evadere magnum, cõstituunt ei pædagogum & præfectum, mittunt eum ad studia & exteras nationes, in omnibus liberalibus disciplinis apprimè erudiendum, & ubi in ejus gratiam plurimos sumptus fecerunt, sæpe decipiuntur, cum nimirum vident filium evasisse non magnum coram Deo, sed magnum aleatorẽ, magnum potatorem, magnum pugilem, magnum saltatorem. Plerumque etiam laborant parentes, ut illorum filii sint magni coram mundo, in militia, in aulis Principum in canonicatibus, &c. Sed quæ hic gaudii materia, habere filium nobilem vitiis, aut magnum coram mundo, parvum vero aut nullum coram Deo? Plures in hoc sæculo Magni cognomentum acceperunt ob virtutes bellicas, veluti Pompejus & Alexander Macedo. Verum magni tantum coram mundo fuerunt, quia hostes tantum vincere, non seipsos & vitia sua noverant Ioannes noster verè magnus & coram Domino, quia *non quidem fines alicujus propagavit imperij, non triumphos aliquos bellici certaminis adoreis præoptavit: sed quod est amplius, in deserto prædicans delitias hominum corporisq; lasciviam, magna animi virtute depressit*, inquit S. Ambros. in Lucam c. 1. Illi ab hominibus, qui falli ac fallere possunt, magni vocati sunt: Ioannes noster non ab Archangelo solum, sed etiam à Christo, qui nec falli potuit nec fallere, magnus dictus est; *non surrexit major inter natos*

natos mulierum Ioanne Baptista. Quare si parentes lætari in filiis volunt, curent facere eos magnos coram Deo. Agesilaus magnus Princeps rogatus qua ratione quis magnum nomen possit acquirere, respondit: *si bona dixerit, & meliora fecerit.* Eodem ferè modo Christus: *Qui fecerit*, inquit, *& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, Matth. 5. Tales igitur sint filii, & verè magni erunt, ac gaudium Parentum.

C. II. *In domo Vicinorũ.*

Secundo excitatus est in domo Vicinorum & cognatorum, *Audierunt enim Vicini & Cognati ejus* (Elisabeth) *quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa & congratulabantur ei*, inquit Lucas; (græce: congaudebant ei) Gavisi sunt ergo Vicini & Cognati, quod filius à Deo datus esset sterilibus Parentibus, & quod talis imprimis filius, qui merito magnus credebatur futurus. Beneficium etiam hoc suum reputabant, quia sibi de talibus Vicinis & Cognatis, qui sic à Deo amarentur, gratulabantur. Magnum siquidem bonum est Vicinus bonus. Quemadmodum enim Luna plus movet inferiora & plus commodi præstat generi humano, quam cæteri planetæ extra solem, non quia efficacior, sed quia terræ vicinior: ita boni vicini plurimum promovent res civium. Econtra sicut agri è vicino mari accipiunt salsuginem & perniciem: ita cives à malis vicinis multa incommoda. Hinc veterum erat Proverbium: *Cui bonus est vicinus ei felix illuxit dies. Cui malus est vicinus, infelix contigit mane.* Item: *non peribit bos, nisi affuerit malus Vicinus.* Olim qui fundum proscribebant venalem, præconem edocebant, quibus dotibus esset ager commendabilis, quam salubri cœlo, quam commodo situ, quam fertili solo, quam bene ædificatis villis. Sed vir acerrimi ingenii Themistocles, cum fundum vendere vellet, jussit hujusmodi dotibus & illud adjici, quod haberet bonum vicinum. Id factum primum risu jocoque multitudinis acceptum est: mox intellectum est hanc agri commendationem esse præcipuam. Stob. serm. 35. Multi compelluntur vendere domos aut agros suos, propter Vicinos malos, quibus cum fine litibus, jurgiis aliisq; incommodis vivere non possunt.

Optimi ergo Vicini fuerunt Zacharias & Elisabeth, ideo similes etiam nacti sunt Vicinos, qui eis optime vellent. *Erant enim justi ambo*, inquit sanctus Lucas, *ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Quisquis ita incedit, ut de eo Vicini conqueri non possint, næ ille bonos etiam nanciscetur Vicinos.

D. III. *In limbo PP.*

Tertio, In Limbo Patrum. Audierunt enim absque dubio etiam boni & sancti illi Patres Joannis nativitatem, ab iis, qui tunc è vivis excesserant, & ad eos commigrarant. Sed quam ob causam hos lætatos dicimus? Respondeat nobis Gabriel Angelus, qui apparuit Zachariæ & inter alia ei dixit de filio suo nascituro: *Ipse præcedet ante illum* (Christum) *in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Luc. 1. quasi diceret, sua prædicatione efficiet ut Judæi increduli diligenter considerent signa adventus Messiæ à Prophetis præscripta, & Patribus olim data, indeq; eum agnoscant jam venisse; ac proinde, ut quemadmodum Patres eorum Christum venturum speraverunt summeque desiderarunt atque amarunt, ita & ipsi eum summo desiderio excipiant & amore colant; hoc enim pacto convertet corda Patrum ad filios ut filios, scilicet suos, tempore Christi victuros, pro germanis habere & diligere incipiant, à quibus prius ob incredulitatem & alia flagitia velut spuriis & degeneribus aversi erant. Sanè Judæis Christus Patrem eorum in exemplum fidei proponit, Ioan. 8. cum ait: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum.* Monens eos tacitè, ut imitentur Patrem suum, qui Christum summo desiderio videre cupiebat. Eodem modo Jacob Christum in Spiritu prævidens, exclamabat: *Salutare tuum exspectabo Domine*, Gen. 49. Quo loco etiam prævidens quosdam filios suos degeneres futuros & Christum proditorie necaturos, Scribas inquam & Pharisæos, qui à Simeone prognati erant, & Pontifices ac Sacerdotes, qui à Levi descenderunt, dixit: *Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea.* Consilium intellige, quo Christo necem machinati sunt, ut exponit sanctus Ambrosius, Isidorus, Rupertus & alii. Econtra prævidens Paulum è suo Benjamino progignendum, de ejus ad Christum conversione sibi applaudit lætabundus, quod talem sortiturus esset filium, qui ex lupo in agnum, ex prædone Diaboli in prædonem Christi, ex persecutore in Apostolum, & Doctorem gentium mutandus erat.

Cogitate Auditores, an non parentes & majores nostri in cœlo jam existentes meritò indignentur filiis & ab eis se avertant, si videant eos degeneres factos, vel ab avita religione in hæreses abiisse, vel in fide Catholica impiè vivere, servire mundo, carni, dæmoni & pollui flagitiis? Quam multos, putatis, baculos è cœlo dejicerent in eos, si Deus hoc permitteret? Contra vero si videant eos pie vivere & Deo servire, quantum hoc illis pariet gaudium? Hoc igitur est, quod Joannes magna saltem ex parte præstitit, cum sua prædicatione, vitæ exemplo, baptismo disposuit & instruxit Judæos ad Christum agnoscendum, recipiendum, colendum. Hinc boni illi in Limbo Patres mirè recreati sunt, etiam ipso die, qua natus est Joannes, futurus scilicet Judæorum Pædagogus.

E. IV. *In cœlo*

Quarto in cœlo, testante enim Domino gaudium est in cœlo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, plusquam super nonaginta novem justis. Atqui noster Joannes plurimos peccatores ad pœnitentiam conversurus erat, quod non potuit latere Angelos; siquidem Gabriel, unus ex illis, id prædixit Zachariæ: *Multos*

Multos filiorum Israel, inquit, *convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Quod si unius conversio peccatoris gaudium in cœlo excitat: quid faciet conversio multorum? Si quis sanctus mortuum adolescentem & unicum filium resuscitaret restitueretque suis parentibus: quantum quæso illis totique familiæ gaudium crearet? Recordemur illius viduæ, cujus unicum filium jam elatum resuscitavit Dominus, quanto gaudio perfusa fuerit, cum recepit filium suum. At convertere peccatorem tanto majus quiddam est, quam resuscitare mortuum, quanto plus est liberare animam à gehenna & morte æterna eiq; restituere gratiam & vitam æternam. Ita enim sanctus Jacobus cap. 5. ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte*, videlicet æterna. Quid igitur, putatis, gaudii percipiunt beati, cum vident suos liberos, nepotes, fratres & sorores, eripi à gehenna & constitui in viam salutis? *Nullius rei pretium*, inquit S. Chrysostomus homil. 3. in 1. ad Corinthios, *est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Quare etiamsi divitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficies; quale is, qui convertit animam.* Scio, non tanti æstimamus nos pretium unius animæ; sed æstimant tamen & nôrunt cives cœli, qui vident primo animę pulchritudinem excedentem omnem mundi decorem. S. Ignatius Loyola, ostensa sibi à Deo pulchritudine animæ sanguine Christi ablutæ, ita Zelo animarum exarsit ut totam vitam per immensos labores & dolores, suamque Societatem illi addixerit. Vident secundo quanta Christus fecerit pro animarum conversione, qui ad hoc de cœlo venit & crucem subiit, optimus rerum omnium æstimator. Vident tertio gloriam animabus ad Deum conversis paratam: gehennam item impœnitentibus imminentem; audiunt gemitus & ululatus damnatorum, audiunt querelas de suis parentibus, præceptoribus & Dominis, Confessariis, pastoribus, vident eorum cruciatus, desperationes, seras & inanes pœnitentias. Hinc gaudium, hinc exultatio beatorum, cum quem ab illo igne eripi conspiciunt, quæ si nos quoque expenderemus, utique ad peccatores in ignem insiliremus, ut eos eriperemus à peccato, nec unquam lętari nisi in eorum conversione possemus. Unde *in Hebraico Evangelio*, ait sanctus Hieronymus in Epistola ad Ephesios cap. 5. *legimus Dominum ad discipulos loquentem: Et nunquam*, inquit, *læti sitis, nisi cum videritis fratrem vestrum in charitate.*

F. V. *In orbe universo.*

Quinto. In universo orbe Christiano, qui jam tunc ex ore Zachariæ audivit & postea reipsa expertus est Joannem esse præcursorem & præconem salvatoris ac mundi Luciferum, solis prænuncium, ostendit hoc etiam ipsius nomen, quod gratiam sonat, & statum gratiæ atque Evangelii annunciavit, sicut turturis vox vernum tempus; ut dicere possemus id Canticorum 2. *Vox turturis audita est in terra nostra*, sanè primus fuit, qui regnum cœlorum nobis annunciaret: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matthæi 3. Et propterea Christus dixit: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur*, Matth. 11. quia ipse primus docuit id appropinquasse. Appropinquaverat autem tempore, notitia, affectu, accessu. Tempore, quia Messias aderat. Notitia, quia tunc promittebatur hominibus, cum in veteri testamento ne nominatum quidem fuisset: affectu, quia tunc ab hominibus desiderari incipiebat: accessu, quia imminebat ejus reseratio. Itaque gratiæ & gloriæ dona, post Christum, modo aliquo debemus etiam Joanni, quia ea non solum nobis annuntiavit, sed Christum etiam eorum datorem nobis digito ostendit. Afferebat secum Christus in mundum pretiosam margaritam, sed mercatorem istum mundus non agnovit, Joannes nobis demonstravit & deprædandum exhibuit, dicens: *Ecce agnus Dei. Hic est filius Dei, &c. Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo & mansit super eum*, Joan. 1. quasi diceret: Ecce iste in sinu gerit regnum cœlorum: istum invadite, istum spoliate, credendo in eum. Fuit autem efficax ea vox Joannis: Queruntur enim discipuli ejus: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum, Joan. 3. Ecce vim illatam Christo & regno ejus, à diebus Joannis. Nisi Joannes nobis Christum demonstrasset, vel non agnovissemus eum, vel parum firmiter ei credidissemus. Quid verò prodest habere in horto, pestilentiæ antidotum (*angelicam*) nisi illud nôris? Habuimus in mundo Christum, peccati eliminatorem. Sed hunc ostendit nobis Joannes, quem etiam rogabimus, ut eum nobis ostendat regnantem in cœlo.

CONCIO II.

UNDE TANTA JOANNI sanctitatis fama.

I. Ex humilitate.
II. Ex vitæ austeritate.
III. E charitate in proximum & Deum.

THEMA.

Joannes est nomen ejus, Lucæ 1.

A.

CRedibile est nomen Joannis sub veteri Testamento non valde fuisse commune? siquidem in tota cognatione Zachariæ nemo erat, qui vocaretur hoc nomine. At sub lege nova adeò tritum & commune factum est hoc nomen, ut nulla penè domus sit, in qua non aliquis reperiatur Joannes; Quæ vero causa esse potest hujus rei? Sanè S. Dionysius Alexandrinus Episcopus, qui vixit sub annum Christi 250. testatur apud Eusebium lib. 7. Historiæ

Historiæ Ecclef. cap. 10. multos fufcepiffe nomen Joannis Apoftoli propter admirationem, quam de eo habebant & propter æmulationem, qua ad illum imitandum flagrabant & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant. Unde fimili conjectura colligo, plurimos accepiffe à parentibus nomen Joannis Baptiftæ, quia illum adhuc puerum omnes mirabantur: *Quis, putas, puer ifte erit?* Et quia à Chrifto fummè dilectus fummifq; laudibus paffim celebratus fuit, uti Matth. 11. *Inter natos mulierum non furrexit major Joanne Baptifta.* Et denique propter æmulationem tanti honoris & fanctitatis ejus. Non difplicet hæc ratio. Sed viderint tamen illi, qui hoc gaudent nomine, ut eo fe dignos præftent talefque exhibeant pro viribus, qualem fe præftitit Joannes. Fruftra enim æmulantur ejus laudes, nifi æmulentur etiam virtutes. Quanquam non ii tantum, qui hoc nomen habent, id facere deberent, fed quisquis appellatur Chriftianus. Omnes enim effe magni volumus, omnes à Chrifto diligi & in die Judicii laudari & præmiari. Videamus igitur qua ratione ad hoc culmen poffimus pervenire.

Tria funt præcipue quæ homini apud vulgus conciliare fanctitatis opinionem folent. Humilitas, vitæ aufteritas & charitas eximia in Deum & proximum. Turrim enim perfectionis & fanctitatis qui vult ædificare, primò fundamentum ponat humilitatis. Secundo murum erigat afperitatis vitæ. Tertio tectum imponat charitatis. Hæc omnia in Joanne eximia fuere.

I. B. *Ex humilitate.*

Primo eximia fuit ejus humilitas. Hæc autem ad fanctitatem optima eft vita S. Auguft. ad Diofcorum fcribit? *Quæ eft via ad perfectionem? Humilitas, humilitas, humilitas: & fi millies me interrogares, femper refponderem, humilitas.* Et alius quidam Pater interrogatus. *Quis eft fanctus inter homines? Refpondit: Humilis. Qui fanctior: Humilior. Qui fanctiffimus? Humillimus.* Jam vero Joannis noftri intuere humilitatem. Primo honores fibi delatos refpuit, cum enim multi Pharifæi & Saducæi ad ipsũ veniffent baptifmum fufcepturi & cogitarent fortè ipfum effe Meffiam, palam profeffus eft fe non effe Meffiam, fed eum venturum poft fe. Iis etiam per legationem interrogantibus an effet Meffias, Elias, Propheta, negavit fe quenquam horum effe, cum tamen Chriftus eum dixerit Eliam, & plufquam Prophetam; adeoq; Joannes fine mendacio hæc afferere potuiffet. Urgentibus iisdem, quid effet, tandem refpondit: *Ego vox clamantis in deferto.* Voce nihil fragilius. Nimirum continuit fe Joannes in imo humilitatis, ne fuperbia elatus ab hofte vinceretur: Quamdiu Hercules Antheum terræ filium (ut poëtæ finxerunt) ad terram proftravit, tamdiu vincere non potuit, recuperante femper Antheo vires à fua matre. At ubi eum in altum fuftulit, jugulavit.

Secundo ad pedes Chrifti humillimè fe abjecit ac velut ftellula adventante fole fe occultavit, feque coram ipfo nihil effe proteftatus eft, & indignum, qui procumbens folvat corrigiam calceamẽtorum ejus, Matth. 3. Deinde cum Chriftus ad eum veniffet, baptifmum ejus fufcepturus, refugit ab hoc munere, dicens: *Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me?* De eodem ad difcipulos fuos ait: *Illum oportet crefcere, me autem minui. Qui defurfum venit fuper omnes eft. Qui eft de terra, de terra eft & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, fuper omnes eft,* Joan. 3. Chrifti ergo dicta vocat cœleftia, fua terrena. Tantus fanctus tantum fe humiliat coram Chrifto, quid agamus nos?

Tertio humilitatem etiam tenuit in externis rebus, victu, veftitu, habitatione, &c. cum tamen nobili genere natus effet. Rurfum in eo, quod nemini manifeftarit vitam fuã; quam duxit in eremo, abfq; dubio mirabilem & angelicam, fi enim aliquid de ea aperuiffet, haud dubiè confcriptum fuiffet.

Itaque qui vult ex vobis major effe apud Deum, curet ut fit minor, & omnibus fe poftponat. In hoc mundo quidem nemo facile ad honores fæculares pervenit, nifi qui novit per vim fe ingerere, alios cubito trudere, fefe oftentare, &c. Sed non ita apud Deum; imò qui novit omnes fibi præponere, omnibus fubjacere, neminem contemnere, feque abfcondere, ille magnus eft coram Deo.

C. II. *E vitæ aufteritate*

Secundo eximia vitæ ejus aufteritas. Per hanc homo feipfum & carnem fuam domat, vincit & quodammodo in angelicam & incorpoream naturam mutat, *Tantum enim proficies,* inquit S. Hieron. *quantum tibi ipfi vim intuleris.* Hæc autem in Joanne præcipua fuit. Primò quo ad habitationem; vixit enim in eremo à pueritia, ut colligitur ex Luca, ufque ad annum trigefimum, inaudito exemplo. Cæteri homines mundum prius deguftant, ideò poftea difficilius relinquunt. Delectationes enim aliquando deguftatæ fugientes infequuntur, & retrahere conantur, uti S. Auguft. cui oggerebant: *Dimittis ne nos? &c.* Joannes mundum nec deguftare voluit, nec afpicere, ne ejus imaginibus aliquando infeftaretur.

Secundo quoad victum; Locuftas enim & mel fylveftre edebat. Quanta mortificatio comedere locuftas? Potus erat aqua; vinum enim & ficeram non bibit, ut prædictum eft ab Angelo. Adhæc jejuniis facile deditum, ex eo patet, quod egreffus è folitudine docuerit difcipulos fuos jejunare, quod tamen à fuis nondum exigebat Chriftus: Imò S. Bafilius vitam ejus vocat perpetuũ jejunium S. Chryfoftomus vitam Angelicam. Cardin. Petrus Damiani continuum Martyrium. Dominus etiam de eadem dixit: Venit Joannes nec manducans neque bibens, id eft, parciffimè, nulla adiens convivia, &c.

Tertio in veftitu, qui fuit ex pilis camelorum cum Zona pellicea. Adde lecti duritiem, terram videlicet, continuas propè vigilias, preces & meditationes. Unde vocatur à fanctis Patribus Pater Eremitarum & Monachorum, qui exemplum ejus fecuti, vel ab animatis omninò abftinebant, vel pifces

fces

ſces tantum & volatilia guſtabant, vel ſolis dactylis & arborum fructibus veſcebantur, idque ſemel in die alii biduo vel triduo ſemel tantum cibum ſumebant eumque modicum: quidam ſicco pane victitabant, ut videre eſt in vitis Patrum apud Proſp. lib. 2. de vita contemplat. cap. 9.

Hiſce modis ac mediis domuit & ſubjecit ſibi carnem ſuam eoque adjumento virginitatem ſervavit perpetuam. Non mirentur hæretici, ſi impoſſibile ſibi dicant ſervare virginitatem, quia media requiſita non adhibent. Joannes erat lilium inter ſpinas, Cant. 2. quia ut lilium virginitatis conſervaret, ſpinis pœnitentiæ & mortificationis undique ſe ſepiverat, cibo inſipido, jejunio, cilicio, ſilentio, ſolitudine. Subit nunc cogitare, quam nos Joanni diſſimiles ſimus, qui poſt peccata, quæ quotidie patramus innumera, nihil auſteritatis & pœnitentiæ ſubire volumus, cum tamen Joannes in ſumma innocentia tam auſterè vixerit. O nos delicatos omnes volumus in cœlo magni eſſe, ſed pati cum Joanne nolumus. Utinam ſaltem tribulationes, quas nobis immittit Deus, famem, nuditatem, contemptum, deſolationem humani auxilii, &c. patienter ſuſtineremus.

D. III. *E Charitate in proximū & Deum. In proximum.*

Tertio Charitas in proximum eluxit in ipſius prædicatione, in qua totus quodammodo vox fuit ad lucrandas animas. S. Baſilius in Pſal. 28. applicat Joanni vocem in eo Pſalmo ſepties repetitam, ſenſu literali, nec in apposite. Nam primo dicitur. *Vox Domini ſuper aquas: Dominus Majeſtatis intonuit.* Talis vox fuit Joannes baptizans in Jordane & prædicans Chriſtum: *Hic eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, &c.* Et rurſum teſtificans de eo: *Quia vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbā de cœlo & manſit ſuper eum.* Et ibi cum baptizaret Chriſtum, vox Dei Patris de cœlo intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* En quā bene concordet vox Joannis cum hac voce Dei. Fecit ille hoc ne quis in ipſo erraret, credens ipſum eſſe Chriſtum. Fuit etiam hac in re vox turturis, de qua Cant. 2. legimus: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Ut enim turtur vernali tempore advenit & gemitu ſuo inſtans ver denunciat: ita & Joañes prædicatione pœnitentiæ inſtantem Chriſti adventum & tempus gratiæ nunciavit mox venturum.

Secuudo. *Vox Domini in virtute.* Talis erat Joannes, cum redarguit Iudæos: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Phariſæos & Saducæos hac voce taxabat, quod uti proles viperæ matrem enecant, ita ipſi Chriſtum occidere molirentur, vel quod malo exemplo, erroribus ac turpi ſimilitudine velut veneno populum inficerent. Fuit etiam *Vox Domini in virtute*, dum os muti Patris aperuit & loquelam ei reddidit. Tertio *Vox Domini in magnificentia*, cum ſcilicet magnifica de Chriſto tulit teſtimonia, & ſe corā illo nihil eſſe oſtendit. Tale fuit illud, cum diceret: *Venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus, &c.* Et illud; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi:* Et illud: *Ego baptizavi vos aqua; ipſe nos baptizabit in Spiritu ſancto & igni, &c.* Et illud: *Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui de ſurſum eſt, ſuper omnes eſt.* Item: *Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus.*

Quarto: *Vox Domini confringentis cedros*, cum concionaretur: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Quando nimirum ad adventum Chriſti ſuſcipiendum & credendum præparabat corda ſuperiorum, ſupercilium eorum caſtigando: Sic cum dixit: *Ne cœperitis dicere; Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, Luc. 3.

Quinto: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; cum ignem luxurię & inceſtus inter Herodem & Herodiadem adniſus eſt intercidere, dicens conſtanti voce: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Sexto: *Vox Domini concutientis deſertum*; cum venientib. ad ſe in deſertū prędicavit horrorem judicii & exterminii dicens: *Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonū, excidetur, & in ignem mittetur.* Et cū de Chriſto ait: *Cujus ventilabrum in manu ejus & purgabit aream ſuam & congregabit triticum in horreum ſuū, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Unde multi perterriti dicebant ei. *Quid ergo faciemus nos?* uti publicani, milites, &c. Luc. 3. Fuit ergo Ioañes terror peccatorum, præſertim in tam aſpero habitu, victu, & loco, *ſed & hodie clamat in nobis*, ait S. Ambr. ſerm. 9. *& vocis ſuæ tonitruo deſerta noſtrorum concutit peccatorum; ac licet dormierit, vox tamen ejus vivit. Dicit enim & nobis hodie; parate viam Domini, &c.*

Septimo: *Vox Domini præparantis cervos*; cū vocavit hominē ad perfectionē & opera ſupererogationis, ut cum dixit: *Qui habet duas tunicas, det nō habenti*; unam ſcilicet (græcè communicet) Luc. 3. Item cum exemplo ſuo traxit ad eremum & fecit innumeros Anachoretas, qui velut greges cervorum ibi habitabant. Item cum homines ad Evangel. & baptiſmum Chriſti & per pœnitentiam ad gratiam præparavit. Cervæ ad partum feruntur præparari & promoveri tonitrui terrore. In quem ſenſum vertit S. Hieronymus illa verba: *Vox Domini obſtetricans cervis.* Sic per prædicationem Ioannis prępara ti ſunt homines ad fidem. Unde de eo dictum: *Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Mal. 3. Hac ergo voce utinam & nos præparemur ad partū ſalutis, ad ſaltum perfectionis & collium æternorū.

In Deum.

Deinde charitas ejus in Deum variè reſplenduit. Primo ex eo quod in utero matris ad præſentiam Chriſti exultavit, quaſi impatiens moræ & veluti gigas ad currendam viam ante Dominum. Secundo quia nunquam lethaliter, & probabiliter nec venialiter eum offendit unquam, juxta Eccleſiæ hymnū: *Ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſes.*

Tertio quia diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſit, ut & ipſi eum agnoſcerent & ab eo erudirentur: imò diſcipulis ſuis auſam dedit & ſtimulum addidit, ut

ut se relicto sequerentur Christum, dum eum illis demonstravit: *Ecce agnus Dei, &c.* Ioan.1. mox enim ad hoc verbum, Christo adhæserunt. Item ad honorem Christi omnia sua direxit opera & verba. Quarto quia amore Dei omnia quæ sunt in mundo bona delectabilia, & pulchra contempsit, & in deserto desertus vixit: vitam denique pro Dei gloria & justitia perdidit.

CONCIO III.

JOANNES CUR ANGELUS dictus.

I. *Habuit angeli officium.*
II. *Dotes angelicas.*
III. *Conversationem.*

THEMA.

Quis, putas, puer iste erit? Luc. 1.

A. MAgni momenti quæstiones olim gentiles ad Apollinis auream tripodem; Judæi vero ad propitiatiorum deferebant, ut responsum divinum acciperent. Nos ad Christum Dominum, ipsam scil. Dei sapientiam jure merito afferimus: quia de ipso nobis Deus Pater dixit: *Hunc audite.* Jam vero non exigui momenti quæstio est illa. Cognatorum & Vicinorum Zachariæ, de Joanne: *Quis, putas, puer iste erit?* Posuerunt enim hanc quæstionem omnes in corde suo, ait S. Lucas; hoc est, accuratè expendebant. Quid ergo ad hoc Christus? Respondet Matth. 11. Hic est de quo scriptum est: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Scriptum vero hoc est Malach. 3. ubi Missio Ioannis quam Matth. 11. Christus modestiæ causa (ne arrogantiæ insimularetur à Iudæis Patri adscribit, ipsi Christo adscribitur à Propheta dicente: *Ecce ego mitto angelum meum & parabit viam ante faciem meam.* De fide igitur est, per angelum illum denotari Ioannem Magnum & mirum oraculum, hominem verum & purum à Deo vocari Angelum. Summus honos habetur, si quem Rex Hispaniarum Cognatum suum appellat. Quid erit, Auditores, vocari à Deo Angelum? Ponamus ergo in corde nostro & attentè consideremus causas, propter quas hoc nomen sortitus est Ioannes.

B. I. *Habuit angeli officium.* Prima, Quia Angeli, hoc est, cœlestis nuntii officium habuit. (*Angelus enim non naturæ, sed officij nomen est*, ait S. Gregor.) Missus enim à DEO. Primo est, ut nuntiaret mundo salvatorem mox adfuturum, imo etiam ut præpararet viam ejus. Multi quidem & alii Prophetæ ante Christum missi fuere, ut adventum ejus prædicerent; nullus tamen eorum, Angeli nomen à Deo accepit præter Ioannem, quia solus iste Christum immediatè præcessit & primario ad id missus est, ut Christum mox venturum prædicaret & digito ostenderet. *Multæ quidem stellæ*, ait Autor imperfecti, *ante solem præcedunt, nuntiantes lucis adventum: nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi una, quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes Prophetæ ante faciem Christi præcedunt, nuntiantes adventum ejus: solus autem Ioannes Præcursor est appellatus, quia non solum adventum ejus annunciat, sed ipsum illum digito suo ostendit.* Par ratio est de Angeli nomine, quo solus Ioannes condecoratus est.

Possumus hac in re Ioannem modo aliquo imitari, si & ipsi bono nuncio & salutis monita vel subsidia afflictis & desolatis afferamus. Solent dicere, qui in summa desolatione vel afflictione solatium vel opem aliam capiunt àb aliquo, de cœlo sibi missum esse angelum. Talis angelus fuit David puero illi Ægyptio, quem in agro dereliquerat herus propter ægritudinem; quando sustulit eum David, & pane ac potu refocillavit penè jam extinctum, 1. Reg. 30. Talis Habacuc Danieli, cum ei in lacu Leonum constituto, cibum angeli ductu attulit, Danielis 14. Talis ipse Daniel Susannæ, cum eam iniquè condemnatam & jam ad mortem ductam, liberavit, Daniel. 13. Talis sanctus Paulinus Episcopus filio illi viduæ, pro cujus redemptione ipse se in servitutem vendidit, apud Divum Gregorium lib. 3. dialog. capite 2. Talis puella Alexandrina desperato illi, qui ob æris alieni multitudinem laqueum sibi injecerat, quando ei, opes suas, quibus illa debita dissolveret, promisit, simulque vitam servavit; apud Ioannem Moschum in prato Spir. cap. 207. Talis Venator ille (qui putatus ille postea est angelus) Maximiliano Archiduci, postea Imperatori, quando eum per venationem in prærupta loca delatum jamque de salute desperatum insperato convenit, bonoque animo esse & præcedentem sequi jussit, atque in viam reduxit, apud Stephanum Pighium. Tales porro & nos esse possumus, si constitutis in morbis & mortis periculo, in summa rerum penuria, in desolatione vel desperatione, in gravi errore vel animi fluctuatione opem adferamus, bene consulamus, animum erigamus, &c.

Secundo Missus est, ut præpararet corda hominum ad recipiendum Salvatorem. Quemadmodum ergo angeli superiores docent inferiores, & præterea purgant, illuminant & perficiunt homines: ita etiam Ioannes multos filiorum Israel convertit ad Dominum Deum ipsorum: convertit corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, Luc. 1. redarguit peccatores, consuluit ignorantibus, discipulos suos ad Christi sequelam, adeoque ad perfectionem direxit, &c. Primus denique mundo regnum cœlorum annunciavit velut angelus è cœlo missus.

Possumus & in hoc fieri nos angeli, & Ioannem imitari,

imitari, ut ostendit S. Gregorius homil. 6. in Evangelia dicens? *Hujus altitudinem nominis* (Angeli scilicet) *etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam unusquisq; vestrûm in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit , si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat: si æternum regnum vel supplicium errant denuntiat, cum sancta denuntiationis verba impendit profecto angelus existit. Et nemo dicat, Admonere nō sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes exhibe, ne male servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. Neq; enim plus quam unum talentum acceperat, qui hoc abscondere magis studuit, quam erogare. Et scimus quod in tabernaculo non solum phialæ , sed præcipiente domino etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atq; angusta designatur scientia. Alius doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat. Per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explere quod sentit non valet: sed quia hoc utcunque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo: id est, in sancta Ecclesia positi si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. In quantum vos profecisse pensatis, etiam vobiscum alios trahite, in vias domini socios habere desiderate. Si quis vestrum, Fratres, ad forum aut fortasse ad balneum pergit , quem otiosum esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa ergo terrena actio vestra vos conveniat, & si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc etenim scriptum est: Qui audit dicat Veni, ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximus vocem exhorationis reddat. Et fortasse panem ut indigenti eleemosynam porrigat, non habet, sed majus est quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Nolite ergo fratres proximis vestram eleemosynam verbi subtrahere.* Hæc Gregorius.

C. II. Dotes Angelicas.

Secunda, Quia dotes multas habuit angelicas. Primo enim, sicut angeli infantiam non habuerunt, sed cum natura perfecta , ut rationis & liberi arbitrii creati fuerunt brevissimo etiam tempore in puris naturalibus steterunt, mox gratia & gloria donati: ita etiam Joannes sex menses tantum infantiæ & puræ naturæ habuit; sexto enim mense ad præsentiam Christi & Dei paræ in utero sanctificatus est & exultavit, pleno item rationis usu donatus agnovit & salutavit Christum. Quemadmodum enim cereus nondum ardens à propinquo ardente cereo accenditur: ita à præsentia Christi accensus est Joannes igne cœlestis gratiæ, & factus est lucerna lucens & ardens, uti vocatur à Christo.

Secundo sicut angeli, præsertim supremi, à solo Deo illuminantur: ita & Joannes in deserto nullum alium Magistrum præter Spiritum S. habuit, eoque Doctore sapientissimus evasit, ita ut Christum prius non visum mox agnosceret, omnis generis hominibus salutis documēta dare posset; Sadducæos item & Pharisæos redarguere; scripturam intelligere, fidem auditoribus persuadere, &c.

D. III. Conversationem.

Tertio sicut angeli in gratia mox confirmati sunt, ut ab eo excidere non possint: Ita eam Joannes gratiam acceptam nunquam perdidit, ut jure merito confirmatus fuisse in gratia ex utero credatur. Nam ut ait: Divus Thomas 3. p. quæst. 27. art. 6. ad 1. *sanctificatis in utero creditur præstitum esse, ut de cætero mortaliter non peccarent.*

Non possumus in his dotibus sive Angelis sive Joanni assimilari, utpote quæ à Dei solius gratia proveniunt; possumus tamen adulta in ætate exuere infantiam illam vitiosam. de qua Apostolus, 1. Cor. 14. ait: *Nolite pueri affici sensibus*, ut scilicet puerilia sectemini & agatis. Et Proverbiorū 1. *Usq; quo parvuli diligitis infantiam?* sectando scilicet vana & caduca bona. Hujusmodi infantes noluit, Isa. cap. 65. esse vel tolerari in Ecclesia, tempore legis novæ. Ait enim: *Non erit ibi amplius infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos*, q. d. Renati per Baptismum adulti, non erunt quasi infantes, sed instar virorum gratiæ & virtutibus pollentes. Tales autem erant Christiani drimi, qui mox à baptismo currebant ad Martyria *magisque damnati: quam absoluti gaudebant*, ut scribit Tertullianus l. ad Scapulam Carthaginis Præsidem in Christianos sævientem. Itidem mendacium & mollitiem adeo aversabantur, ut mori mallent, quam mentiri , teste sancto Iustino apol. 2. & ut specula, in quibus se contuerentur, vitarent ; teste eodem lib. ad Serenum. Denique de primis Christianis scribit S. Hieronymus lib. de script. Eccles. in Philone : *Talis primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt , ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur & Psalmis doctrinæque & continentiæ, quales & Lucas refert primum Ierosolymis fuisse credentes.*

Possumus & in gratia firmiter persistere, si media illa adhibeamus , quæ in primitiva Ecclesia adhibuerunt Christiani , scilicet verbi DEI sedulum auditum, sacræ communionis frequentiam & instantem orationem. *Erant enim illi perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus*, inquit sanctus Lucas Actor. 2. Hominis vitæ conservandæ tria sunt necessaria, sol, panis, halitus. Totidem etiam servant vitam spiritualem, sol verbi Dei, panis Eucharistiæ, & halitus orationis. Ad hujus rei adumbrationem in templo veteri visebantur Vasa tria , Candelabrum septiceps, mensa panum propositionis, altare thymiamatis

matis, denotantia frequentiam concionis, communionis & orationis.

III. D. *Conversationem.*

Tertia, Quia conversatio ejus fuit angelica, quod apparet. Primò ex ejus vita contemplativa, quam egit in deserto, ubi perpetuo cum Deo conversatus eumq; contemplatus est, quemadmodum SS. angeli semper vident faciem Dei, & stant in conspectu ejus. Audiamus S. Chrysostomum hom. 58. in Matt. *Joannes*, inquit, *ita in terris quasi in cœlo versabatur. Naturæ namque necessitate superata mirabile quoddam peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit: nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia.*

Secundo, Ex ejus sobrietate & cibi potusque parsimonia; siquidem locustas & mel sylvestre edebat: cibos coctos, delicatos præsertim, habere in Eremo non potuit. Unde sanctus Basilius homil. de Jejunio totam ejus vitam continuum quoddam jejunium vocat; adhæc Divus Chrysostomus hom. 10. in Matth. *Ioannes*, ait, *nec tecto indiguit, nec lecto, nec mensam vel aliqua hujusmodi requisivit, sed angelicâ quadam vitâ in carne mortali resplenduit.* Ipse Dominus Matthæi 11. de ipso dixit: *Venit Ioannes non manducans neque bibens*, hoc est, tam sobrie & modice, ut solo aëre vesci videretur,

Tertio. Ex virginea & angelica ejus puritate, quam perpetuò coluit, imo & pro castitate tuenda occubuit. *Virginitas* autem *est angelorum vita*, inquit sanctus Athanasius lib. de Virginitate. Imo ipse Dominus dixit beatos in cœlo futuros sicut angelos Dei, quia ibi nec nubunt nec nubuntur, Matth. 22. Fuit autem Joannes *lilium Virginitatis*, uti vocatur à Theodoro Studita in Orat. de Baptist. *Lilium* inquam, illud *inter spinas* Cant. 2. vallatum undique deserti asperitate & pœnitentiæ duritie adversus carnis illecebras.

Quarto. Ex vitę innocentia. Nunquam enim peccavit, saltem graviter & mortaliter: Quia etiam credunt aliqui, nec venialiter deliquisse, ut videtur insinuare Ecclesia in hymno: *Ne levi saltem maculare vitam famine posses.* Optimè sanctus Gregorius in Iob. 2. ait: *Nunquid credimus aliquid fuisse, quod in vita Ioannis mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo & mel sylvestre edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui Camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disjunctus longè ab hominibus fuit? quando illum vel silentii culpa attigit, qui venientes ad se tam vehementer increpavit dicens: Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere, à ventura ira?* Fuit ergo Joannes in deserto quasi Cupressus, quæ nec cariem admittit, nec rimam temerè aperit; unde ex eâ statuæ fiebant, teste Pierio lib. 52. Hierogl. Cariem peccati non admisit, nec vel rimam unam aperuit dæmonis ingressui,

E. IV. *Imitandus in Ioanne.*

Superest, ut nos pro modulo nostro imitemur in his Joannem. Et primò quidem si non possumus sedulæ vacare contemplationi, possumus subinde saltem aliquoties in die elevare animum ad cœlum Deoque conjungere per orationem & mysterii alicujus contemplationem, de divinis attributis passione Domini, cœlesti gloriâ &c. Quemadmodum capilli adornant caput: ita sanctæ meditationes (quæ ex capite prodeunt ut capilli) animam, quæ si illis destituatur, non solum calva & turpis est coram Deo, verum etiam imbecillis ad resistendum dæmoni, carni, mundo. Uti enim Samson capillo detonsus, omne robur perdidit, & Philisthinorum præda factus est: ita qui ab orationis & contemplationis studio deficit, robur spirituale perdit.

Secundo, Quis non potest studere sobrietati, saltem ita ut semper sibi præsens, & ad quævis munia expeditus sit; siquidem ebrietas longè plus molestiæ affert homini, quam sobrietas? Potuerunt hoc Gentiles; non poterunt Christiani? Tradit Xenophon antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturcium adhibere solitos: hinc apud eos turpe habitum, spuere; tanquam crapulæ nota esset, Plato item l. 3. de Rep. docet tempore Homeri Catarrhum non fuisse cognitum, sed primum ætate sua innotuisse, cum non semel, ut olim, sed bis in die comedere, imo commessari cœperunt homines. Hinc Cyrus Persarum Rex simplicem & tenuem Persarum victum præferebat Medorum deliciis; quod hi per multas epularum ambages, illi verò rectâ & compendiosa via ad eundem terminum, cibi videlicet satietatem, pervenirent, Xenophon. lib. 1. de Cyripæd.

Tertio. Castitatem si non ab angelis & Joanne, discere possumus ab Arianis illis VVandalis qui duce Genserico Africam occupaverunt & vastarunt, biennio ante mortem sancti Augustini Hippone in Africa degentis. Illi enim teste Salviano Episcopo Massiliensi lib. 7. de vero judicio Dei, cætera crudeles & improbi, castitatem tamen mire coluerunt, nec virorum modo, sed & fœminarum impuritates abominati sunt, horruerunt lupanaria, meretrices ad matrimonia compulerunt, legibus severis libidines coercuerunt, & in hoc Romanos & Catholicos magnopere confuderunt, imo tandem suo exemplo castos effecerunt. Baron. anno 428.

Denique si non omnia prorsus, graviora tamen peccata & quæ dedita committuntur opera, vitare possumus. Hoc ergo nunc agamus, ut qui inter Angelos aliquando constitui & & vivere æternum volumus, angelorum vitam & mores hic addiscamus, & quantum fas est, induamus

***

CONCIO IV.

PRÆSAGIA VITÆ.

I. Ex prævijs ominibus.
II. Ex parentum vita.
III. Ex institutione Magistri.
IV. Ex Societate
V. Ex vitæ primordiis.

THEMA.

Quis, putas, puer iste erit? Lucæ 1.

VUlgata & parentibus usitata quæstio ista est: *Quis, putas, puer iste erit?* cum vident raram indolem se prodere in suis liberis, sive bonam sive malam. Sed nec parvi momenti quæstio ista est. Si enim prævidérent parentes bonos futuros liberos suos; utique non gauderent tantum, sed etiam conatus illorum strenue adjuvarent: vicissim vero, si malos futuros prænossent, malos eorum conatus & machinationes omni studio impedirent viasq; eorum malas spinis sepirent. Contingit enim non raro ut de perverso filio dicatur: Bene cum illo actum fuisset, si in primo fuisset balneo suffocatus. Et de proditore suo scimus Dominum dixisse: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matthæi 26. Multum igitur refert prænosse puerorum indoles. Sed quis dicet nobis quid ex ætate tenera futurum aliquando sit? Ego sane divinator non sum, sed tamẽ conjecturas aliquas digito notabo, ex quibus valde probabiliter poterit cognosci, boni an mali sunt futuri liberi.

A.

B. I. *Ex prævijs ominibus.*

Cognoscuntur. Primo, ex prævis ominibus, quæ multoties contingunt iis, qui aut insigniter boni aut insigniter mali sunt futuri. E Bonorum numero est inprimis sanctus Joannes in hodierno Evangelio, in cujus ortu mira Dei potentia ostensa est, præsagiens eum futurum magnum virum, sanctus Ambrosius, in cujus ore dum adhuc infans esset, examen apum consedit, quod divinam viri eloquentiam præmonstrabat ut inquit Paulinus in ejus vita: sanctus Dominicus, cujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facẽ, qua editus in lucem orbem terrarum incenderet; quo somnio significabatur fore, ut sanctus Dominicus splendore Sanctitatis & Doctrinæ cunctos ad Dei amorem inflammaret. Sanctus Ephrem è cujus adhuc pueri ore visa est Parentibus prodire vitis, quæ omnem regionem repleret: significabat autem quantum in se arsura esset ejus Sanctitas & Doctrina. Sanctus Bernardus, cujus mater gravida visa sibi est gerere in utero catulum candidum, in dorso subrufum, multos latratus edentem: quo significabatur fore eum insignem Ecclesiæ defensorem, morum depravatorum & hæreticorum insectatorem, in vita sancti Bernardi lib. 1. cap. 1. Sanctus VVillebrordus & sanctus Columbanus, quorum mater, illius quidem Lunam novam crescentem in pleniluniũ: hujus vero, solem videre sibi visa est utero gestare: quod uterque terram, inquam devenisset, illustraturus esset virtute & doctrina. Albinus Flaccus in vita sancti VVillebrordi & Jonas Abbas in vita Sancti Columbani. Sanctus Andreas Corsinus Episcopus Fesulanus, cujus mater visa sibi est per quietem lupum peperisse, qui postquam ingressus est in templum, mutatus fit in ovem: significabat autem fore eum initio moribus asperis, sæculo & venationibus deditum & parentibus immorigerum uti factum. Idcirco enim mater solebat ei dicere adhuc juveni: Vere tu es Lupus ille quem vidi per quietem. Verum ex hoc ipso matris verbo territus & emendatus filius, ingressus est templum & monasterium Carmelitarum, ibiq; Deo serviens in magnũ & sanctum virum mutatus est. Surius 6. Jan. quo referre possumus strenuum illum Ducem Georgium Castriotum, vulgo Scanderbegum, qui matri suæ visus est veluti serpens quidam totam Epirum operire & caput in Turciam protendere, quod Epirum Turcæ erepturus & gravia damna illaturus esset: Acinacis præterea impressam effigiem ab utero tulit materno, quod strenuus bellator futurus & fidei Christianæ propugnator: Barletius in ejus vir. lib. 1. cap. 82. E Malis est Constantinus Copronymus, qui hoc nomen inde accepit, quod baptismi fontem infans collutularit, præsagio futuræ impietatis & iconomachiæ, ut prophetice interpretatus est sanctus Germanus Patriarcha apud Baronium Anno 719. quod idem de Luthero refert Joannes Nas in Centuria, sua. Henrici III. Imperatoris Mater Agnes visa sibi est parere Draconem virulentum, qui & factus est virulentus hostis Ecclesiæ & Papæ, Baronius anno 1051.

C. II. *Ex parentum Vitæ.*

Secundo ex parentum vita & moribus. Raro enim fallit dictum Germanorum. Der Apffel fällt nicht weit von dem Stamm. Et quod latini dicunt: *mali corvi malum ovũ.* Nam primo filiorum cõplexio fere talis est, qualis parentum. Unde Diogenes videns adolescentulum ex temulentia desipere dixit: *Ebrius te seminavit Pater.* Poterat eadem ratione dicere parentibus ejus, si vitium eorum novisset: Parentes ebriosum habebitis filium. Et propterea mater Samsonis jubetur ab Angelo vinum & siceram non bibere, & immundis non vesci, eo quod filius ei nasciturus, futurus esset Nazarenus, (Judic. 3.) cui hominum generi non licebat vinum & siceram bibere nec immundis vesci. Jubetur ergo mater & habitura talem filium, & ipsa talem se exhibere.

Secundo filii parentum exempla plerumque imitantur, qui ea quæ parentes agunt recta existimant eaque cum fere sola intueantur, sola arripiunt & forti-

fortiter sibi imprimunt. Hinc solemus dicere: Wie die Alten sungen/ also pipitzen die Jungen.

Tertio parentes boni & pii merentur à Deo accipere liberos bonos, & sæpe impetrant tales precibus & lachrymis, quemadmodum mater sanctiAugustini Monica, cui petenti cum lachrymis ab Episcopo quodam ut filium ad frugem revocaret, respondit Episcopus: *Vade, fieri enim non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat.* Dicti veritatem eventus demonstravit. Augustinus lib. 3. Confessionum cap. ultimo. Ita sanctus Richardus metuit accipere sanctissimos liberos, VVilibaldum, VVunibaldum, VValpurgam. Vicissim mali parentes merentur puniri malis & perversis liberis, quod si non semper, sæpius tamen illis contingit.

D. III. *Ex institutione Magistri.*

Tertio, ex Magistris & institutione. Ut enim equi generosi, si à primis annis rectè instituantur, egregii & ad omnem usum accommodi fiunt: sin minus, efferati & inutiles: Sic & liberi præsertim ingenui Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator quanta sit vis educationis, civibus ostensurus, suos Catulos ejusdem matris assuefecit, unum venationi in sylva, alterum in culina patinis oblingendis: quo facto, ad diem dictum produxit utrumque in forum, & hinc quidem lebetem carnium posuit, illinc leporem dimisit, currentibus è vestigio canibus, illo ad escas, hoc ad leporem. Plutarch. in Lacon. Hunc in modum filii qui domi tantum ad culinam & mensam educantur, helluones fiunt inutiles; qui vero extra paternam domum aluntur in studiis, servitiis &c. boni & utiles. Exemplo sunt [paucissimis forte exceptis] qui quam benè vel quam male à teneris instituti sunt, tam boni postea vel mali evaserunt. Hinc tantus evasit Samuel, quia in templo educatus: S. Joannes Baptista, quia in Eremo vitam solitariam puer agere cœpit: Deipara, quæ in templo sanctissime educata fuit. Nimirum includenda & intra disciplinæ terminos continenda est tenera ætas, ad instar horti aut vineæ, quæ nisi sepe circumdetur & præterea à custode servetur, certo diripietur, uti Isai 5. ait Dominus: *Ostendam vobis quid faciam vineæ meæ? auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem: & ponam eam desertam: non putabitur & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ.* Tales autem evadunt ii quibus in juventute subtrahitur disciplina. Jeremiæ prophetæ ostendit Deus visionem, & ab eo quæsivit: *Quid tu vides Jeremias?* qui respondit: *Virgam vigilantem ego video.* Et Dominus, *Bene vidisti.* Ierem. 1. Optimum hoc prognosticum est, Auditores, bonos futuros filios vestros si in ædibus vestris videatur: virga vigilans super eos, utpote fenestræ adhærens aut alio loco conspicuo proposita. Bene videtis parentes, si virgam hanc vigilantem in vestris domibus videtis; Male vero è contra, si virgam dormientem & neglectam disciplinam. Ad hos enim pertinet altera illa visio Ieremiæ ostensa & immediate subjecta ollæ scilicet succensæ, quæ exspectat indisciplinatos filios, seu hic seu in altero sæculo. Videte igitur hic virgam vigilantem super filios vestros, ne ibi subter eisdem videatis ollatam succensam.

E. IV. *Ex societate.*

Quarto, ex convictu & societate bonorum vel malorum. Non enim fefellit psalmista cum scripsit, Psalmo 17. *Cum sancto sanctus eris & cum perverso perverteris.* Et sapiens Proverbiorum 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum, similis erit eis.* Sic dicitur: *Qui prope claudum habitat, discit claudicare.* Hinc prædixit Deus Israelitis, eos à Chananæis viris & mulieribus pervertendos & deflexuros ad Idola. si cum illis amicitias contraherent, & se illis jugerent: *Certissime,* inquit, *avertent corda vestra ut sequamini Deos earum.* Exodi 34. Et 3. Reg. 11. idque in se expertus est sapientissimus Salomon. Cœpit idem Salomon subodorari filium sum Roboam futurum stultum & perversum, Eccles. 2. cum ait. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.* Potuit autem hoc colligere ex coætaneis pueris, quos nullo habito delectu ei adjunxerat & cum eo nutrierat in deliciis [ut colligit ibi Sanctus] à quibus & postea depravatus est & seductus, ut perderet magnam regni sui partem, 3. Reg. 12. 2. Paralip. 13. Nihil enim magis nocet teneræ adhuc & rudi ætati, quam pravorum consuetudo, præsertim si cum iis à rudioribus annis adoleverit. *Difficile* enim, ut ait S. Hieronymus Ep. ad Lætam, *eraditur quod rudes animi perbiberunt neq; lanarum Conchylia ad pristinum candorem rovocari possunt.* Et rursum ibidem: *procul sit ætas lasciva puerorum ipsæ puellæ & pedissequæ à sæcularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant.* Quod bene notandum parentibus, qui hoc sacro die dimittunt filios & filias suas ad choreas & lascivia carmina circa ignem [ut vocant solstitialem] modulanda, ubi juniores ab adultioribus perdiscunt levitates & lascivias.

F. V. *Ex vitæ primordiis.*

Quinto ex vitæ primordiis, nam ut est in proverbio: *Curvum se præbet, quod in uncū crescere debet:* Et: *Urit mature quod vult urtica manere.* Et: *Quod nova testa capit, inveterata sapit.* Communiter enim quisque qualem se exhibet in adolescentia, talem se inveniet in senectute, teste sapiente Proverbiorum 22. *Adolescens juxta viam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et Proverb. 20. *Ex studiis suis cognoscitur puer.* Exemplo est S. Thomas Aquinas qui adhuc infans chartam versans, imo comedens, significabat quam studiosus & literarum amans, quantusque Doctor aliquando futurus esset. Idem Samuel, Augustin⁹, Bernardus, Chrysostomus &c., quorum indoles à teneris se prodidit, quanti essent futuri. Tobias Senior item cum esset junior, nihil tamen puerile gessit: *Alii pergentibus ad vitulos aureos,*

aureos, ipse pergebat in Ierusalem ad templum Domini, Tobiæ 1. Etiam Areopagitæ damnarunt puerum, accusatum, quod coturnicum oculos crudeliter confixisset: inde enim colligebant futurum eum aliquando immanem & crudelem. Quintilianus libro 5. cap. 9. Eluxit etiam in Alexandro Magno in ætate immatura regia indoles, quando Bucephalum, equum ferocissimum, de quo frænando omnes desperabant, mira dexteritate solus edomuit, & commodum sibi reddidit. Quam ob caussam exosculatus eum Pater, velut nato ad res maximas dixit: *Quære fili par tibi regnum, si quidem Macedonia tui non est capax*. Ut in ejus vita.

Quare vultis scire parentes quales olim futuri sint filii & filiæ vestræ? Attendit ad eorum studia & mores pueriles ac juveniles, Tractant aleas & lusorias chartas? aleatores, & tandem fures ne fiant, merito timete. Tractant pocula & patinas? gulones eos videbitis. Tractant nummos & amant illos? quid si avari fiant? Tractant specula? vestitum, novitates admirantur & quærunt? Superbulos & comptulos, Veneris alumnos alitis. Tractant Rosaria vel libros? pios vel studiis addictos fore non temere ominamini. Itaque si ad malum pronos illos videtis, in tempore mederi studete. Frangi potest prava indoles accurata institutione. Vasculum ex argilla nondum indurata, si minus accommode factum fit, frangi & in aliud vas commodum flecti & mutari potest. Unde figulus ille apud Jeremiam cap. 2. cum fecisset vas è luto, quod mox dissipabatur: *conversus fecit illud alterum, sicut placuerat in oculis ejus*, ut dicitur ibi. At ubi vas æstu fornacis induratum est, aliter fingi nequit. Vos parentes singuli estis, liberi vestri argilla, mollis quidem in ætate tenera, indurata verò in matura. Ergo si à natura ad malum compositos esse filios vestros cernitis, flectite adhuc teneros, & mutate in vasa honoris vasa contumeliæ. Rursum eosdem ad laudabilia studia videtis inclinatos, nolite eos abstrahere ad ea quæ oderunt. Laudat sanctus Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Eudoxium consuetudinem Atheniensium. *Proponebantur*, inquit, *publice cujusvis artificii instrumenta, atque ad illa ducebantur adolescentes: quocunque tum quisque delectabatur & ad quod accurrebat, illius edocebatur artificium. propterea quod quæ ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt, quæ præter naturam præsumuntur, frustra tentantur.* Deniq; si videatis bona liberorum vestrorum omnia, curate ut tales evadant, quales se promittunt. Si mala: curare ut in tempore remedium adhibeatis, ut ita cum parentibus Joannis Baptistæ gaudeatis & congratulentur vobis non vicini tantum, sed & Angeli, & omnes cœli Cives.

CONCIO V.

QUA RATIONE VOLUNTATI divinæ nostra conformanda sit.

I. Accurate.
II. Constanter.
III. Indifferenter.
IV. Universim.
V. Prudenter.

THEMA.

Nequaquam, sed vocabitur Ioannes, Luc. 1.

A. PEssima & optima vox est hæc: *Nequaquam*: Pessima, quia per illam pervertit & à lege divina avertit Evam, & per hanc Adamum serpens, dicens: *Nequaquam moriemini; scit enim Deus* &c. Gen. 3. Optima quoque est, quia per eam Elisabetha voluntatem Dei stabilivit & viro sua persuasit, dicens: *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes*; quia scilicet cognoverat, Deum sic mandasse. Magnus in serpente livor ad evertendam Dei legem: magnus in Elisabetha Zelus ad eandem statuendam. Reclamabant huic vicini & Cognati; revocare eam à proposito poterat nomen Mariti, filio imponendum. Verum nihil hęc potuerunt, ad puerperã à Dei voluntate avocandam: præclaro posteris documento, ut in omnibus & per omnia Dei voluntatem humanæ præferamus, serioque observemus. Quod qua ratione faciendum sit, nunc audiamus.

B. I. Accurate. Primo. Accurate; siquidem Dei voluntas æquissima est & totius æquitatis regula, à qua si vel in minimo deflectimus, illicò peccatum admittimus, & Deum ad iracundiam provocamus, pœnisque obnoxii simus. In historia Fratrum Minorum p. 1. lib. 1. cap. 7. legimus sancti Francisci regulam conscriptam quidem in monte Cainerio, necdum tamen Pontifici pro Confirmatione oblatam, cum quibusdam ordinis ejus ministris rigorosior debito videretur, in eorum præsentia de cœlo confirmatam esse hac voce: *Francisce, volo ut regula tua, quemadmodum scripta est, observetur ad literam, ad literam, ad literam, sine glossa, sine glossa, sine glossa vel minima.* Voluntas Dei regula est à nemine repudianda, regula est ipsius Dei, itaque observanda & acceptanda est ad literam & sine glossa. Neque enim possunt vel debent immutari Dei ordinationes & consilia. Audimus certe Davidem dicentem Psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Nimis inquam exactè, quia nimis magnus est Deus: Nimis æqua sunt mandata: nimis magna observantium præmia: nimis magna prævaricantium supplicia. Audimus & in hodierno Evangelio Elisabetham magna contentione reclamantem iis, qui Dei ordinatio-

nationem infractum ibant. *Nequaquam*, exclamat: sed *vocabitur Joannes*, quia scilicet ita placuit Deo.

C. II. *Constanter.*

Secundo, Constanter, tam in adversis, quam in prosperis. Sic præcipitur Josue: *Ne declines ab ea (lege) neque ad dextram, neque ad sinistram.* Dextera est status prosperitatis, sinistra adversitatis. Jam vero sunt nonnulli, qui dum bene cum ipsis agitur, bene de Deo sentiunt & cum eo conveniunt; at vero cum male habentur & calamitate aliqua exigua premuntur statim recalcitrant & mordẽt velut equi calcaribus aut virga vexati, qui pabulum præbentibus blandiebantur. Infantium indolem novimus: cum à patre læduntur, jam nolunt esse ipsius, sed sui. Si prius quæsivisset pater: cujus est? Tuus, dixisset filius. At paululum offensus aut virgula leviter percussus, renuntiat parenti ejusque amori. Ita cum Deo agunt, qui parvuli sunt virtutibus, debiles in fide & amore Dei. *Nolite pueri effici sensibus*, inquit Apostolus 1. Cor. 14. Nolite Deo contradicere, etiamsi cædat virgis, secet, urat, variisque calamitatibus premat; semper id repetentes, quod Psalm. 118. ait David: *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi*: Sunt è contra alii, qui dum morbo periculoso similive afflictione premuntur, se totos Deo tradunt ejusque voluntati committunt: at ubi convaluerunt & periculo exempti sunt, vita posteriore totum id retractant, Deique obliviscuntur. Non ita nos, Auditores; neque ad sinistram neque ad dextram declinemus à Dei voluntate: Laudatur inter Judices Hebræos Aod, qui utraque manu utebatur velut dextra, unde & sinistra Regem Moab Eglonẽ confodit, Judic. 3. Hujusmodi ambidextri sunt, qui in utraque fortuna viros sese præbent & Deo semper adhærent; qui sic adversis, tanquam prosperis gaudent: maledictis tanquam encomiis exultant: paupertatem tanquam divitias, morbum tanquam sanitatem perferunt. *Qualem beatum Job meruisse legimus* (inquit Abbas Theodorus apud Cassian. collat. 6. cap. 10.) *qui utique per dextram coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac dives incedens: quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino offerebat: non tam sibi eos, quam Deo susceptos ac familiares cupiens exhibere: quando janua ejus omni advenienti patebat: quando erat pes claudorum, & oculus cæcorum: quando de velleribus ovium ejus humeri calefiebant infirmorum: quando erat Orphanorum pater & vir viduarum: quando nec in corde quidem suo super inimici sui ruina gavisus est. Idemque rursus per sinistram partem, sublimiore virtute de adversitatibus triumphabat: cum septem filiis uno orbatus momento: non ut pater acerbo luctu conficiebatur, sed ut verus Dei famulus super creatoris sui voluntate gaudebat, cum ex locuplete pauperrimus, nudus ex divite, ex valido tepidus, ex inclyto & glorioso ignobilis atque despectus incorruptam animi fortitudinem retentabat. Cum deniq; omni substantia atque opibus destitutus, sterquilinii erat factus habitator: & velut quidã corporis sui severissimus carnifex, testa radebat saniem profluentem: atq; ex omni parte membrorum glebas vermium mersis in profunda vulnerum digito detrahebat. In quibus cunctis in nullam desperando prolapsus est blasphemiam nec adversus creatorem suum in aliquo murmuravit: quin imo nequaquam tanta tentationum mole atq; acerbitate conterritus: ipsum quoq;, quod ex omni pristina facultate suo corporis superfuerat, indumentum, quodque solum quia ipso vestiebatur: à diaboli potuerat vastatione salvari, rescindens atq; abjiciens adjecit super illam, quam durissimus prædo intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoq; capitis, quæ sola de prioris gloriæ reliquiis intacta remãserat, vexatori suo projectis abscissam: & amputans etiam id quod sæviens reliquerat inimicus, illa cœlesti adversus eum voce tripudiat & insultat: Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Nudus egressus sum de utero matris meæ, nud^9 revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: quomodo Domino placuit, sic factum est: sit nomen Domini Benedictũ. Ambidextrum merito dixerim & Joseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo, in adversis causis Domino fidelis: carceris mitissimus vinctis: injuriarum immemor beneficus inimicis: invidis, & quantum in ipsis fuit, interfectoribus fratribus non solum pius, sed etiam munificus invenitur. Hi ergo eorumque consimiles recte ἀμφοτεροδέξιοι, id est, ambidextri nuncupantur: Utraque enim manu utuntur pro dextra & inter hæc, quæ Apostolus dinumerat transeuntes partiter dicunt: Per arma justitiæ, quæ à dextris sunt, & à sinistris per gloriam & ignobilitatem per infamiam, & bonam famam, &c.*

D. III. *Indifferenter.*

Tertio, Indifferenter, undecunq; procedant mala & calamitates, quæ nobis accidunt, sivè à Deo immediate, sive ab hominibus amicis vel inimicis, sive à Creatura alia. Scire enim debem^9, Dei nutu & imperio fieri, quidquid in orbe fit, citra DEI voluntatem nihil posse contingere, secluso peccato, cujus auctor esse Deus non potest; ac licet mediis causis secundis multa nobis contingant, nihil tamen nocere nobis possunt, nisi ex voluntate & ordinatione Dei; Ipse numeravit Capillos nostros, sine ejus nutu nec passer nec folium cadit ex arbore: nihil ergo fortunæ, nihil casui, nihil hominũ studiis adscribere nos oportet, sed Dei ordinationi. Unde Amos 3. dicitur: *Si est malum in Civitate, quod non fecit Dominus?* malum scilicet pœnæ: non culpæ, Duo enim sunt in peccato: motus seu actus exterior, & inordinatio voluntatis, quâ homo deviat à Dei lege. Primum est à Deo, alterum ab homine; sicut ambulatio claudi est à virtute animæ motiva, claudicatio verò à vulnere.

nere. Quare licet ab ipso dæmone mala nobis inferantur, Dei tamen ordinationi, non diabolo adscribenda sunt; siquidem is in hoc Dei minister & instrumentum est, Unde 1. Reg. 18. Dæmon, qui vexabat Saulem, vocatur *Spiritus Domini malus.* Quomodo Spiritus Domini, si malus? Explicat id statim textus, dum dicit: *Exagitabat ipsum spiritus nequam à Domino*, quasi dicat, immissus in eum à Domino. Hoc expendens S. Augustinus in Psalm 31. ait, Divum Job à dæmone spoliatum, non dixisse: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed [referendo omnia in Deum] *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Itaque sicut medicinam à pharmacopæio nobis præparatam libenter acceptamus, cum scimus ejus confectionem à Medico illi præscriptam; & sicut non dubitanter credimus & obsequimur horologio, quod scimus à perito dirigi Astronomo: ita libenter acceptare debemus omnes afflictiones, velut à Dei peritissimi Medici & Astronomi manu profectas nobisque præparatas, licet interveniant causæ etiam creatæ. Non ergo canum instar in lapides sæviamus, qui in nos jaciuntur: sed cogitemus, Deum esse, à quo jaciuntur.

E. IV. *Universim.*

Quarto, Universim, non in propriis tantum & personalibus rebus, verum etiam in communibus ærumnis ac malis; peste, morbis, morte, annonæ caritate, bello & similibus: Tametsi enim de his malis seu pœnis una ex parte displicentiam & tristitiam concipere possumus: altera tamen ex parte, dum consideramus ea ab auctore naturæ ad bonum publicum, Dei gloriam & hominum emendationem dirigi, in Dei nutu conquiescere possumus ac debemus: quomodo Judex aliquis damnans reũ ad mortem misericordia commovetur, interim tamen vult eum mori, ut Justitiæ satisfiat. Ac licet nulla Dei lege obligemur, ut pœnas & clades illas positivè velimus & amemus; sed sufficiat, si patienter eas feramus: majoris tamen perfectionis est, si easdem velut à Deo immissa lubenti amplectamur animo & quodammodò exosculemur virgam, quâ à Deo castigamur. Ita enim in cœlo Sancti omnes conformant se divino nutui in omnibus, sicut duo in capite oculi simul se convertunt ad idem objectum, quia in omnibus vident ordinem divinæ justitiæ, quem non possunt non amare. Sanctus Augustinus cum Hippona [cujus urbis Episcopus erat, ibidem tunc residens] à VVandalis obsideretur, hoc se sapientis cujusdam dicto consolabatur: *Non erit magnus, magnum putans, quod cadunt, ligna & lapides & mortales moriuntur.* Pari vel majore ratione possumus nos solari in cladibus communibus, si cogitemus mirum non esse si tales quandocunque mortalibus contingant, præsertim cum nutu divino fiant, plerumque ad correctionem, non ad internecionem hominum. Pulchrè hoc explicat sanctus Gregorius lib. 3. moral. cap. 32. sicut enim sanguisuga infirmi sanguinem ita haurit, ut quantum in ipsa est, exsugere & imbibere totum velit: At verò Medici mens est, hac via vitiosum tantum sanguinem elicere: idipsum & Deus noster in tribulationibus intendit. Et sicut imprudenter ageret, qui tali medico se subduceret,: ita & nos, si hujusmodi plagis submittere nos nollemus.

F. V. *Prudenter.*

Quinto, Prudenter, *ut probetis.* inquit Apostolus ad Rom. 12. *quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Sed qua ratione, dicet aliquis, inquirẽda & cognoscenda est Dei voluntas? Respondemus pluribus modis.

Primò, Expendendum, an res quæ proponitur à Deo abducat an ad Deum invitet. In hoc secundo casu Dei voluntas est, in primo non est. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*, ait Apostolus, *ut abstineatis vos à fornicatione &c.* Cum ergo advertimus nos per aliquam societatem, mercimonium, vitæ rationem non fieri meliores, sed paulatim deficere, sciamus id voluntatis divinæ non esse.

Secundò, Dispiciendum utrum è duobus, de quibus quæritur, voluntati propriæ sit acceptius, carnis appetitui gratius, propriæ existimationi optabilius. Quod enim tale est, merito suspectum & divinæ voluntati contrarium existimandnm est. Sicut pepones, cucumeres, fungi, limaces, potus plus æquo frigidus & similia, licet carni blandiantur & cupide appetantur, hoc ipso tamen noxia judicantur. Contra tutior eris *dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua*, inquit Isaias Cap. 58.

Tertiò, Quærendum, quid Dei & Ecclesiæ leges velint, & quid iisdem magis conforme sit. Sic juveni quærẽti viam cœli. Dominus respondit: *Mandata nosti: si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Luc. 18. Et Abraham Epuloni: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*, Luc. 16.

Quarto, Audiendæ in templis conciones & piorum hominum admonitiones; interrogandi Confessarii, Magistratus: legendi sancti & eruditi libri. Ita Sauli sciscitanti: *Domine, quid vis me facere*, dicitur: *Surge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Act. 9.

Quinto, Sedulo rogandus Deus voce illa Pauli: *Domine, quid me vis facere?* Addenda quandoque jejunia aliaque pia opera; nec desperandum, si non continuò audiamur. Quemadmodum sanctus Antonius ante fores sancti Pauli Eremitæ tam diu jacuit, donec audiretur & à sancto in ædiculam reciperetur: [ut Hieronymus in vita Pauli scribit] ita instanter fores cœli pulsandæ sunt, suo tempore reserandæ. Denique desiderium saltem concipiendum, quo velimus per omnia facere Dei voluntatem, si ea nobis innotuerit. Hac enim sponsione facta, libere, quod placet, eligamus; aderit Deus voto nostro nec patietur nos aberrare, sed vel mittet angelum, qui nos dirigat uti fecit Josepho, Deiparæ sponso, tribus Magis, Agar ancillæ, deliberantibus

quid agere & quorsum tendere deberent; vel alio modo diriget. Sanctus Alexander Episcopus Alexandrinus animam agens successorem proposuit Athanasium. Ille hoc subodoratus fugit. Vocavit eum Alexander multoties: sed tacet Athanasius & abscondit. Tũ Alexander: *Fugis Athanasi, at non effugies.* Clerus igitur & populus vim intulit Athanasio, eumque munus Episcopale suscipere coëgit, magno totius Ecclesiæ bono. An. 324. Constantinus Magnus apud Ilium cœpit urbem condere, sed quia divinæ voluntatis fuit, ut cœptum opus omitteret, & Byzantium in Thracia ædificaret, diverse Deus monuit; nam ædificantium apud Ilium instrumenta, nulla hominis arte in adversum littus, ad Byzantium translata reperiebantur. Sed & Aquila sustulit funiculum cæmentatiorum & juxta Byzantium dejecit, ut scribit Zonaras, Sozomenus, Glycas & alii apud Baron anno 424. Addit Nicephorus lib. 8. cap. 4. cum Imperator apud Byzantium novæ urbis ambitum definiens circumiret, & comitibus ejus ulterius, quam cõveniret, pomœria urbis proferre videretur, cuidam ex eis roganti: *Quousq; tandem Domine?* confestim respondisse: *Eousque dum qui me præcedit, ductor constiterit*, unde patuit Angelum ei præivisse.

Denique memorabile est; quod scribit Joann. Taulerus Ordinis sancti Dominici Concionator celebris in Colloquio Theologi & Mendici p. 685. *Fuit*, inquit, *olim insignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, ut ipsi hominem quendam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret; cumque vice quadam vehementissimo hujus rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est. Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur invenit mendicum quendam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cujus vestes in universum vix tribus obulis supputares, quem salutans ita affatus est, Det tibi Deus prosperum mane. Respondit Mendicus: Non memini me unquam adversum mane habuisse. Et Magister: Eja, inquit, ut fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Respondit mendicus: sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: Felix esto, ait, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister, salvet, inquit, te Deus, jam nunc apertius loquere, neque enim capio quid dicas. Tum pauper respondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, Magister prosperum mane, & ego me nunquam adversum mane habuisse respondi: quando enim fame premor, Deum laudo, si frigus patior, si grando, si nix, si pluvia cadit, si aura serena est, vel turbulenta. Deum laudo, & ideo nunquam triste mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri; & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi: novi enim cum Deo vivere, certusque sum quidquid ille facit, non posse non esse optimum. Unde quidquid ipse vel dabat, vel evenire mihi permittebat, sive gratum id esset, sive contrarium dulce vel amarum; lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus, ad quod ego similiter, nunquam me infelicem fuisse subjunxi: soli namq; divinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integre omnem meam transfudi voluntatem, ut quidquid ille vult & ego velim: & meam ipsi voluntatem ex integro resignarem.* Hæc ille. Atque hæc est, Auditores, vera Christianorum Philosophia, & culmen sapientiæ, velle quidquid Deus vult.

CONCIO VI.

DOCUMENTA.

I. Bono proposita exequenda.
II. Dies hodierna Dies gaudii.
III. Dei præceptis insistendum.
IV. Spiritus Sanctus non sibi contrarius.
V. Nominum impositio.
IV. Gratiarum actio.

THEMA.

Zacharias Pater ejus repletus est Spiritu Sancto & prophetavit, Luc. 1.

MAgno mysterio dixit Deus Isaiæ, cum ad prædicandum eum misit: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, Isaiæ 58. Quis enim nescit tubam, nisi inflectur à tubicine, sonare minime posse? Ergo tuba est Concionator, tubicen Spiritus Sanctus, sine cujus afflatu, tuba muta est. An non videmus istud in hodierno Evangelio? Zacharias tuba erat, sed muta, quamdiu Spiritus Sanctus eam flatu suo non replevit: muta inquam per novem menses, uti prædixit ei Angelus, quod non crediderit ejus nuntio. Ast ubi hodierna die in filii nativitate, Spiritu Sancto repletus est, tum demum instar tubæ cœpit exaltare vocem suam, prophetare & laudare Deum: *Benedictus Dominus Deus Israel, &c.* Itaque Auditores si quam consolationem ex concionibus percipitis, nolite nobis gratias agere, agite Spiritui Sancto. Si quam instructionem: nolite nos laudare, laudate Spiritum Sanctum. Si quam redargutionem, nolite nobis imputare? imputate Spiritui Sancto. Sic enim testatur Dominus Joan. 16. *Cum venerit illi, arguet mundum de peccato*, (per concionatores videlicet) *ille docebit vos omnia, &c.* Tuba enim nos sumus, cui, si bene sonet, non debetur laus: Tubicen Spiritus Sanctus est, cui soli debetur honor. Denique hæc causa est, cur ante concionem præmittamus orationem, quia petimus Concionatori flatum & inspirationem illius tubicinis, ut bene & salubriter canat.

Huic

Huic gratiæ confisus proponam in præsenti aliquot documenta ex hodierno Evangelio.

B. I. *Bona proposita exequenda.*

Docemur Primo, bona proposita ac desideria deducere in effectum. Sic enim legimus in hodierno Evangelio impletum esse tempus pariendi Elisabeth & peperisse. In quem locum notant Origenes, Ambrosius & Beda, de justis tantum dici in scriptura, quod impleatur eorum tempus; non item de peccatoribus: *quia plenitudinem vitæ justi habet: inanes sunt dies impiorum*, ait S. Ambrosius. Inanes autem sunt inprimis, quando multa bona cōcepêre proposita in concionibus vel periculis aut confessione, ea tamen nunquam pariunt, atque ita nunquam impletur eis tempus pariendi. Verificatur in illis id Ezechiæ regis apud Isaiam c. 37. & 4. Reg. 19. *Venerunt filij usque ad partum, & virtus non erat pariendi.* Quemadmodum enim aliquæ mulieres delicatæ & impatientes vim sibi inferre nolunt ut enitantur fœtum, & ita occidunt eum: ita delicatuli, qui proponunt quidem bona multa, semper tamen differunt, & conniti nolunt, ut reipsa præstent, quæ proposuerunt, sed passionum vehementia, vel imbecillitate impediti suffocant fœtus suos. Quibus certe dicitur à Domino: *Væ prægnantibus in illis diebus*, teste S. Hieronymo: *Væ illis animabus*, inquit, *quæ non in perfectū virum sua genimina perduxerunt.* Dum porto occidunt fœtus suos, occidunt utique seipsos. Ac quemadmodum Absolon pulcherrimis suis capillis implicatus fuit in arbore & ibi pendulus interiit, 2. Reg. 18. ita multi suismet desideriis, quæ nunquam pariunt seu vivificant, irretiti & suspensi pereunt. Columba dum in ramo arboris sedens, semper avolaturam se monstrat, interim semper hæret, inopinato configitur jaculo, & quàm multis istud contigit, ut dum meditarentur vitæ emendationem, mortis interim jaculo confixi sint? Quam multi cogitant quotidie disponere domui suæ, tam spirituali quam materiali: solvere debita, &c. & dum semper differunt, à morte abripiuntur? Angustiabatur etiam aliquando in hoc partu S. Augustinus lib. 8. confess. cap. 11. *Dicebam enim apud me intus*, ait: *Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum, jam pene faciebam & non faciebam, &c.* Tandem vim sibimet inferens: *quid in te stas & non stas?* inquit, *projice te in eum; noli metuere, non se subtrahet ut cadas, &c.* Deinde suffocant gratiam ampliorem, quam daret illis Deus, si priore uterentur. Sicuti præceptor non tradit discipulo lectiones altiores, donec is didicerit faciliores.

C. II. *Dies hodierna. Dies gaudii.*

Secundo, Docemur hodiernum diem magno gaudio & veneratione suscipere, juxta prædictionē Angeli: *Multi in nativitate ejus gaudebunt*; nec non ad exemplum vicinorum & cognatorum; qui congratulabantur Elisabethæ. Jure vero merito gaudemus in hoc die omnes, quia Joannes præcessit & annuntiavit nobis Lucem mundi mox subsecuturam, sicut Venus seu Lucifer præcedit orientem solem. Præcessit annuntiatione, nativitate, prædicatione, morte. Annuntiavit voce. Quis autem non vehementer gaudet, si in diuturnis tenebris sedens, nuntium accipiat adfuturæ lucis? Hoc enim cum gaudio prædicat in cantico suo Zacharias: *Visitavit nos oriens ex alto illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, &c.* viderat enim hodie Luciferum orientem, & collegit inde solem mox secuturum. Quin & ipse Joannes Lucerna erat, ante Lucem illam magnam, lucens & ardens, Christo teste. Hoc gaudium, ut arbitror, testari voluerunt veteres Christiani excitatis hoc die ignibus. Quæ tamen consuetudo paulatim honestatis limites excessit, quemadmodum nunc videmus, cum saltus & choreæ circa illum agitantur: quod prohibuit Trullana, id est sexta Constantinopolitana synodus, Can. 65. cum ait: *Roges quos nonnulli in Noviluniis* (hoc enim tempore faciebant Græci) *ante suas officinas vel ædes excitant, & quos etiam veteri quadam consuetudine transilire solent, deinceps cessare jubemus.* Credibile est hunc morem fluxisse à gentilibus, sive quod hoc mense Vestalia agerentur apud Romanos, in quibus convivia circa focos agitabantur, ut refert Autor Antiquit. Rom. lib. 4. c. 10. sive quod eo tempore Sol incipiat à nobis recedere, uti vox Sonwendfeur innuit: postea vero à Christianis Christiano more in honorem sancti Joannis, qui Lucis & gratiæ prænuntius fuit usurpatum: qui etiamnum si abusus demantur, hoc titulo laudandus foret.

D. III. *Dei præceptis insistendum*

Tertio, Docemur Dei præceptis serio insistere, & nequaquam contraire, Docent hoc sancti illi parentes Joannis, Zacharias & Elisabeth. Hæc enim cum à Spiritu S. didicisset, vocandum esse filium nomine Ioannis, & vero animadverteret tractari à cognatis, ut aliter vocetur, fortiter reclamavit. *Nequaquam; sed vocabitur Joannes*; quasi diceret, nequaquam licet nobis contraire Dei jussui. Similiter Zacharias cum de eadem re interrogaretur, voce vero respondere non posset, postulavit pugillarem; ut scriberet nomen Ioannis; quasi enim indignaretur, aliud filio nomen quæri, quam didicerat ab Angelo, præ affectus vehementia erupit in vocem, & quod scribere paraverat, verbo effatus est: *Ioannes est nomen ejus.* Refert Valerius Maximus lib. 1. c. 8. Ægleo Samium athletam mutum cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensum, vocalem evasisse. Ejusmodi affectu inflammatum arbitror fuisse Zachariam, cum linguam divina vi ligatam, divina etiam vi solvit, Zelo videlicet exequendæ voluntatis divinæ, quam intellexerat ab Angelo. Ergo & nos, quando advertimus nobiscum tractari de præcepto aliquo divino transgrediendo, illico prorumpamus cum Elisabetha & dicamus: *nequaquam*: sed fiat voluntas Dei. Cum dicit muliercula: *Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, &c.* Proverb. 7. reclamemus: *nequaquam.* Cum dicunt mali socii: *Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, &c.*

Isaiæ 56. dicamus nos: *Nequaquam.* Et si videamus in nostris ædibus vel à nostris subditis tractari aut fieri aliquid contra Deum, perrumpamus omnia repagula, nullum non moveamus lapidem, ut illud impediamus. Et universim si quis tibi pro Joanne obtrudere Zachariam, id est, pro æterno temporale aliquid velit, tu reclama quantum potes. Balaam Idololatra fuit & diaboli Propheta: nihilominus id solenne in ore habuit: *Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?* Numerorum 23. Et Numerorum 22. *si dederit mihi Balac plenam domum suam auri & argenti, non potero immutare verbum Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Quid igitur faciat Christianus? non attendat ad vocem mundi, & propinquorum: nemo est in cognatione tua, &c. nemo tuorum amicorum aut sodalium hoc facit, aut fugit, aut peccatum esse existimat, &c. sed quid jubeat Deus.

E. IV. *Spiritus S. non sibi contrarius.*

Quarto, Docemur Spiritum Sanctum nequaquam sibi esse contrarium. Interrogatur enim Elisabetha de nomine imponendo filio: illa edocta à Spiritu Sancto (quo Doctore agnovit etiam DEI matrem, neque credendum, didicisse eam nomen à marito muto) respondet: *Joannes vocabitur.* Innuitur & Patri, quem vellet vocari filium: scribit ille & fatur eodem edoctus spiritu: *Joannes est nomen ejus.* Ecce tibi spiritum veritatis semper sibi similem, undecunque spiret. Non ita spiritus mendacii, ut patet Danielis 13. in duobus senibus perversis, quorum alter dixit vidisse se Susannam sub schino: alter sub prino. Spiritum veritatis est reperire in Ecclesia Catholica. Ibi enim ubicunque interroges; quot sint sacramenta, respondebitur tibi: septem. Respondebit hoc Germanus, Polonus, Ungarus, Italus, Hispanus, Gallus, Indus, &c. eademq; ratio omnino de articulis aliis: Spiritus mendacii per ora hæreticorum volat. Lutheranorum enim alii duo, alii tria, alii quatuor Sacramenta admittunt. Norimbergenses dicunt Missam esse cultum Dei, alii contra cultum esse diaboli. In uno loco approbant & requirunt confessionem auricularem, in alio verò damnant, &c.

F. V. *Nominũ impositio.*

Docemur Quinto, observare nominum impositionem, quæ fit in baptismo. Primò ut ne superstitio admisceatur: nulla enim virtus est in nominibus. Reperiuntur mali, qui bona habent nomina; boni qui mala. Nec curandum à quo quis denominetur, sive is pater sit sive Patrinus. Decet autem ut motivum imponendi sit devotio erga hunc vel illũ Sanctum, non respectus Patris aut Patrini, quomodo cognati volebant Joannem vocare nomine Patris Zachariam, quo videlicet incitentur filii ad colendum & imitandum Sanctum illum. Ita S. Stephanus Protomartyr monuit in somnis matrem S. Stephani regis Ungarorum, ut filium suo (Stephani inquam) vocaret nomine, Surius in vita 20. Aug. Ita Parentes S. Nicolai Tolentinatis, à S. Nicolao Episcopo de danda prole confirmati, filium ejus nomine appellarunt, qui etiam à teneris assuevit Sanctum illum pro viribus imitari, Breviar. 10. Sept. Hinc Dionysius Alexandrinus apud Eusebium histor. Eccles. lib. 7. cap. 20. ait Joannis Apostoli nomen commune fuisse hominibus ob æmulationem, quod similiter à Deo diligi cupiebant.

Secundo, ut ne Ethnicorum nomina imponantur, sed Sanctorum, uti præcipitur in can. 20. Concilii Nicæni, ex Arabica versione, his verbis: *Fideles nomina Gentilium filiis suis ne imponant, sed potius omnis natio Christianorum suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utuntur, imponanturque nomina Christianorum secundum scripturam in baptismo.* Quin & apud Amos Prophetam initio capitis sexti hoc inhibitum legimus juxta Chaldaicam versionem, quæ sic vertit: *Væ opulentis, &c. qui imponunt nomen filiis suis secundum nomen filiorum Gentium,* quasi ibi taxentur Judæi, quod filiis suis darent nomina gentilium vicinorum, cum quibus commercia habebant.

Tertio, ut nomina Sanctorum novi potius testamenti, quam veteris indantur, ne magis cum Judæis quam cum Christianis sentire videamur, quod sanè faciunt hæretici, qui ut vitent nomina Sanctorum, quos norunt Romanæ fuisse Ecclesiæ, eligunt potius nomina Judæorum, Davidis, Tobiæ, Saræ, Judith, Esther, &c. quasi malint esse Judæi quam Christiani & Catholici.

Quarto, ut absit fastus & ambitio, qualis esse solet in multiplicatione nominum apud pl bejos, novorum nominum confictio &c. Parentes S. Joannis nobiles & opulenti fuerunt, nec tamen nisi nomen unum, idque jam olim suæ genti usitatum, uti ex libris Machab. patet, indiderunt.

Denique videat unusquisque quale nomen gerat, Primo ut sit is, qui vocatur. Magnâ contentione dederunt nomen Ioanni parentes: sed majori contentione is laboravit, ut esset Ioannes, id est, in Dei gratia semper. *Non omnes sunt Ioannes, qui vocantur Ioannes,* ait sanctus Chrysostomus homil. 52. in Acta, videant ergo qui hoc gaudent nomine, ut sint & ipsi tales; quomodo Alexander Magnus militem eodem appellatum nomine, in Tyri adhortatus est oppugnatione. *Animosè, ô commilito, fac facinus nomine, quod geris, dignum.* Viri sui nominis erant David, id est, *dilectus DEO,* Chrysostomus, *os aureum.* Sanctus Ambrosius ab *ambrosia:* Melletius à *melle:* Sancta Agnes ab *agno* dicta. Adhæc curet quisque non imitari tantum sanctum, cujus nomen gerit, sed præterea majori devotione colere veluti tutelarem suum, & invocare in necessitatibus.

G. V. *Gratiarũ actio.*

Sexto, Docemur post acceptum aliquod Dei beneficium prorumpere in ejus laudes, uti fecit Zacharias, qui reddita sibi loquela mox cecinit Deo Canticum. Quod & fecit Deipara; Simeon Luc. 2. Moyses, Exodi 15. & soror ejus post transitum maris rubri. Debora post devictum Sisaram Iudic. 4.

Iudith,

Iudith post devictum Holofernem. In primis verò David, qui pro singulis DEI beneficiis penè singulos psalmos composuit. Ergo quoties bona valetudine utimur, quoties à periculo aliquo præservamur, quoties bona tempestate & sano aëre fruimur, quoties bonam messem colligimus, & inprimis quoties spirituale bonum percipimus, statim in DEI laudem os nostrum aperiamus: *Benedictus Dominus Deus.* Imo etiam quoties adversa patimur, uti sanctus Hieronymus in cap. 5. ad Ephes. monet: *Christianorum*, inquit, *propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putant, referre gratias Creatori: nam in beneficiis Dei, quæ nobis accidunt, gratulari, hoc & gentilis facit & Iudæus. Sed juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur & semper dicamus, Benedictus Deus &c.*

Universim vero docemur, qualia esse debeant cantica Christianorum, Sacra videlicet & pia; ut erant olim tempore S. Basilii, qui lib. de Spiritu Sancto cap. 7. & 29. tradit Hymnum, *Gloria Patri & filio & spiritui sancto*; à rusticis etiam cantari solitum. Tempore sancti Hieronymi, qui ad Marcellam Epistol. 17. scribit: *Quocunque te verteris, arator stivam tenens, Alleluja decantat, Sudans messor Psalmis se avocat, & curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ Cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.* Idque illis adeo curæ erat, ut à puero infantibus, cum fari inciperent, primam vocem, quam sonarent, *Alleluja*, instillarent, ut idem Epist. ad Lætam scribit. Tempore sancti Chrysostomi, qui homil. in Psalmum 41. quosvis etiam agricolas, opifices, nautas, textores & textrices ad psalmos adhortatur, aliaque cantica concinenda; atque ut filios & uxores doceant talia cantica. Nolim tamen hic Psalmos decantari ea versione & modulatione, qua utuntur hæretici. Nam etsi Psalmorum decantatio bona est: Nolumus tamen ab illis rationem canendi accipere, sed potius ab Ecclesia. Nec enim frustra statuit Deus Exodi 22. carnem, quæ à bestiis fuit prægustata, non comedi, sed projici canibus. Talis autem est doctrina vel conversatio hæreticorum dentibus laniata & depravata, ut docet ibi Rabanus.

Itaque *implemini spiritu sancto* (verba sunt Apostoli ad Ephes. 5.) *loquentes vobismetipsis in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, Deo & Patri.* Ut Deo, à quo bona omnia accepimus, ut Patri, qui Paterno affectu nos alit; Cui sit Laus, Honor & Gloria in sæcula.

CONCIO VII.

MYSTERIA.

I. Cur plures sanctæ steriles.
II. Cur olim nomen in circumcisione impositum.
III. Cur cognati voluerunt nomen patris.
IV. Cur non vocatus infans Zacharias.
V. Cur Ioannes.
VI. Cur in solstitio æstivo natus.
VII. Cur Zachariæ adempta loquela.
VIII. Cur restituta loquela in die circumcisionis.
IX. Quæ potissimum causa restitutæ loquelæ.
X. Quot modis dicitur Deus visitare homines.
XI. Cur mirati, & cur timuerunt?

THEMA.

Mirati sunt universi, Luc. 1.

VEtus dictum est: *Propter mirari cœperunt homines philosophari*; Dum videlicet causas inquisierunt rerum mirabilium. In hodierno Evangelio plura sunt mirabilia: sterilis parit: mutus loquitur: vir & uxor seorsim interrogati in idem nomen conspirant: infanti nomen de cœlo missum imponitur: denique prophetat de filio Pater. Hinc igitur, qui aderant, *mirati sunt universi.* Nos ergo, Auditores, super his mirandis philosophari incipiemus eorumque causas inquiremus.

B. I. *Cur plures sanctæ steriles.*

Quæritur primo. Cur in SS. literis plures sanctæ mulieres steriles fuisse leguntur, & tandem sero Dei singulari beneficio peperisse, velut Sara, Rebecca, Rachel, mater Sampsonis, Anna mater Samuelis, Elisabeth? Respondetur primo secundum Theodoretum quæst. 74. in Genes. ut Deus monstraret populum Israëliticum non tam naturali successione, quam gratia sua multiplicandum.

Secundo. Ut Deus præmonstraret futuram filiorum ex sterilitate progignendorum nobilitatem & claritatem, eamque hoc pacto magis redderet admirabilem Deique gratiæ adscribendam. Tales autem filii sterilium erant, Isaac, Jacob, Joseph, Sampson, Samuel, Joannes: omnes illustrissimi.

Tertio secundum Chrysost. hom. 49. in Gen. Ut ex miro partu sterilium fœminarum præmuniretur fides partui Virginis. Hanc ob causam proponit Gabriel B. Virgini partum Elisabethæ.

Quarto secundum eundem: Ut sciremus semen illud benedictum, Christum (qui ex Sara & Rebecca, sterilibus fœminis progeniem ducit) non naturæ viribus, sed miraculo Deique singulari beneficio orbi datum esse.

Quinto secundum Theophylactum in Luc. Ut disceremus legem non exigere corporalium, sed spiritualium filiorum procreationem.

Sexto.

Sexto. Ad consolationem sterilium fœminarum quibuscum multæ sanctę & celebres matronæ steriles fuerunt.

C. II. *Cur olim nomen in circumcisione impositum.*

Quæritur secundo. Cur in circumcisione olim, uti nunc in baptismo, nomen impositum? Respondetur primo, quia per circumcisionem, sicut nunc per baptismum infans populo DEi & Ecclesiæ adnumerabatur, & vere inter Iudæos, uti nunc inter Christianos, computabatur.

Secundo. Quia dies circumsionis octava erat à nativitate, ad indicandum, quod circumcisi nomina scriberentur in cœlis fierentque hæredes æternæ beatitudinis, quam post vitæ hujus septimanam octava consequitur. Ut ait liber de Card. Christi operibus. Verum uti post circumcisionem primum nomen fuit impositum: ita nemo dignus inscribi libro vitæ, nisi prius carnalia abjecerit.

D. III. *Cur cognati voluerunt nomen patris.*

Quæritur tertio. Cur prolem nomine Patris vocari cognati volebant? Respondetur primò, ut cùm nomine paterno paternos indueret mores & virtutes, adeoque patrem repræsentaret nomine & re. Hinc celebre & pretiosum factum est nomen Cæsaris, Augusti, Antonini, eaque posteris tributa magnaque ambitione ab iis assumpta sunt: ut illorum laus & honos ad istos derivaretur.

Secundo videtur tunc consuetudo fuisse, ut nomina parentum aut cognatorum imponerent filiis recens natis. Unde subditur: *Quia nemo eis in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Ex quo discimus receptas consuetudines nisi ratio obstet, non facile mutare: nec sine causa admittere vel introducere novitates.

E. IV. *Cur non vocatus infans Zacharias.*

Quæritur quarto. Cur non vocatus est nomine Patris Zacharias, juxta receptum morem? Respondetur primò, quia non tam cognationi carnali, quæ erat inter Zachariam & filium ejus, obsequendum erat, quam spirituali, quæ intercessit inter Christum & Ioannem; siquidem eundem patrinum habuerunt, Gabrielem, qui utriusque nomen detulit de cœlo, animo etiam conjunctissimi fuerunt.

Secundo. Quia Ioannes futurus erat vox clamantis in deserto: Zacharias autem Pater erat mutus. Magna igitur hac ex parte inter utrumque disparitas fuit.

Tertio & potissimum; quia Ioannis nomen à DEO illi decretum, & ab Angelo nunciatum erat. Unde reclamat mater; *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Grande enim peccatum fore existimabat, si Dei voluntati obsisterent. Tenerè absque dubio maritum diligebat, ejus tamen placito præferebat placitum DEI. Reperiuntur multæ mulieres, quæ ut viris placeant, eorumque favorem captent, Deum offendere non curant, uti Iezabel, quæ ut Achab marito vineam desideratam à Naboth acquireret, necem illi inferri jussit per calumniam, 3. Regum 21. Et Zares uxor Aman, quæ, ut viro suo rem gratam faceret, paravit domi crucem Mardochæo, quem extinctum optarat Aman, Esth. 5. Sed non ita Elisabeth: *Nequaquam*, inquit, quasi dicat. Fiat quod Deo placuit, non quod marito placere potest.

Quarto Ioannes finis fuit veteris legis & initium novæ. Novum igitur, non vetus nomen sortiri debuit.

F. V. *Cur Ioannes.*

Quæritur quinto. Cur Ioannes nomen accepit? Respondetur, quia Ioannes sonat, *gratia DEI.* Sic autem merito vocatus est, quia ex gratia Dei parentibus sterilibus datus est.

Secundo, quia gratiâ Dei adhuc in utero matris repletus fuit, & Christum agnovit.

Tertio, quia legem gratiæ inchoavit & annuntiavit; Horizon utriusque legis constitutus.

Quarto, quia gratia & sanctitate omnibus præcelluit. Optime ergo Ioannis nomen congruit huic proli; quod & indicatur talem unumquemque debere esse, qualem præ se fert ejus titulus, v.g. Christiani, quia fideles vocantur, sint fideles: Monachi sint Religiosi: Abbates sint Venerabiles: Episcopi sint reverendissimi: Principes sint clementissimi: Comites & Barones gratiosi: nobiles strenui: Consules sapientes: Cives honesti &c. juxta id Isa. 32. *Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit & ipse super Duces stabit.* Et paulò ante: *Non vocabitur ultra is, qui insipiens est princeps: neque fraudulentus appellabitur major.* Ubi prædicit tempore Christi & legis novæ veritati locum fore, non simulationi & mendacibus titulis; quod utinam in nobis verificetur. Verum communiter nunc de nominibus & titulis magna est contentio, (quemadmodum & Vicini ac Cognati Zachariæ, non contenti, quod à matre audierint nomen infantis, Patrem etiam interrogant) de factis vero titulo & nomini conformibus nulla cura.

G. VI. *Cur in solstitio divo nati.*

Quæritur sextò. Cur Ioannes in solstitio æstivo, Christus contra in hyberno natus est. Respondet optimè Cardin. Bellarminus Con. 1. super *Missus est*: *Quemadmodum enim in æstivo solstitio sole recedente dies minuuntur, in hyberno vero sole redeunte crescunt: Ita Ioannes adventu suo veterem hominem paulatim minui debere significabat: Christus autem novum hominem crescere jam oportere demonstrat. Hinc est illa vox ejusdem beatissimi Ioannis. Illum oportet crescere, me autem minui. Hinc etiam, quod majus ac mirabilius est, scimus Ioannem, quem minui oportebat, capite fuisse diminutum: Christum autem, quem oportebat crescere, in crucem sublatum, exaltatum auctumque fuisse.* Hæc ille.

H. VII. *Cur Zachari adempta loquela.*

Quæritur septimò. Cur loquela Zachariæ adempta fuerat? Resp. ob diffidentiam & incredulitatem, quam monstraverat, cum Gabriel nuntiasset ei parituram ejus uxorem, Luc. 1. Videtur autem non mutus solum, sed & surdus fuisse effectus; tum quia in hodierno Evangelio dicitur: *Innuebant Patri ejus:* quasi voces eorum percipere non potuerit: tum quia verbum græcum, κωφὸς, quo utitur Lucas, surdum & mutum indicat, qui muti, plerumque etiam

etiam surdi sunt. Dedit autem has pœnas congruenter peccato; quia enim non audierat vocem Angeli, surdus effectus est: & quia ei contradixerat: *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex & uxor processit in diebus suis:* mutus factus est. Luit autem vir alioquin optimus pœnam mox diffidentiæ, tametsi leviusculæ, primo quia communiter solet Deus servorum suorum errata mox in hoc sæculo emendare, nec differre ad severum suum tribunal. *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas cum judicij dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* Scribitur lib. 2. Machab. 6. Secundo, quia à Religiosis à Sacerdotibus, qualis erat Zacharias, major fides & virtus requiritur, quàm à sæcularibus: minus ergo ferri aut dissimulari illorum errores debent. Atque hæ itidem causæ sunt, cur DEUS filium peccata minus tolerat, quam infidelium. Prima, quia castigatio fidelium non est ad perditionem, sed ad emendationem & salutem: adeoque paterna potius correptio, quam judicialis est punitio. Secunda, quia fidelium peccata plerumque sunt graviora, partim ob majorem divinæ voluntatis futuræque mercedis & vindictæ cognitionem; partim ob majorem in DEUM ingratitudinem. Tertia, quia fideles ob suos defectus castigantur in hoc sæculo, ut qui in altero beatitudinem sperant: Infideles, quia in altero sæculo ob peccata sua plectendi sunt, ideo DEUS finit eos diutius frui hujus vitæ commodis, & vivere impunes. Unde quidam sapiens dixit, mirum esse, quod justis non omnia in spinas & fel, dum hic vivunt: injustis vero in rosas & delicias vertantur: quod in illos non insurgant omnes dæmones, omnes impii, ipsaque elementa ad eos excruciandos: his vero non omnia blandiantur: adeo magnum fore præmium justorum, supplicium vero reproborum. Quare cum infideles & hæretici plerumque instrumenta sint, quibus castigat Deus fideles; finit illos crescere & roborari in hunc finem.

I. VIII. *Cur restituta loquela in die circumcisionis.*

Quæritur 8. Cur loquela Zachariæ non in die nati Joannis, sed circumcisi restituta est? Respondetur primo ut fama Joannis illustrior fieret; siquidem ad ejus circumcisionem multi convenerunt: nativitati domestici tantum interfuerant. Debuit autem fama sanctitatis Joannis evulgari, ut illustrius fieret ejus testimonium de Christo.

Secunda. Quia in nativitate Joannis nondum omnia verba Angeli impleta fuerunt. Prædixerat enim is inter alia etiam nomen ejus, vocandum scilicet Joannem: multos item in nativitate ejus gavisuros, quæ in circumcisione primum impleta sunt. Tunc ergo loquela Patri reddita est, cum omnia impleta erant, & miraculum à patre prædicari poterat.

Tertio. Ut nova nominis impositio, quæ fiebat in circumcisione, novo miraculo confirmaretur.

K. IX. *Quo potissimum causa restituta loquela.*

Quæritur 9. Miraculum restitutæ linguæ cui potissimum causæ adscribendum? Respondet primo S. Maximus hom. 2. de nativitate Joannis, & S. Ambrosius hom. 2. de eadem nativitate, nomini & meritis Joannis adscribendum esse; quia videlicet Deus voluit Joannem hoc miraculo facere magnum & mirabilem.

Secundo: Respondet S. Beda, gaudio parentis tribuendum. *Neque enim*, inquit, *patrem à laudibus silere decebat, qui Verbi præcone sibi nato gaudebat.* Adde Damasc. lib. 2. Orthod. Fid. c. 21. in Comment.

Tertio videtur etiam ex parte Zelo Zachariæ, quo mandatum Angeli de nomine Joannis sibi traditum, exequi desiderabat, adscribi posse. Similia duo exempla (sed quæ vehementi affectui adeoque naturæ adscribenda videntur) refert Valerius Maximus. Unum. lib. 1. cap. 8. de Ægle Samio athleta muto, qui cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accensus vocalis evasit. Alterum lib. 5. cap. 4. de Crœsi filio, qui captis à Cyro Sardibus, cum in cædem Patris ejus unus è numero Persarum ignarus viri, concitato impetu ferretur, exclamavit, ne Crœsum Regem occideret; atque ita vocalis factus est, qui ad id tempus mutus vixerat. Horum exemplo nos cum advertimus proximum contra Dei voluntatem aliquid moliri, fræna linguæ abrumpere deberemus & reclamare.

L. X. *Quos modis dicitur Deus visitare homines.*

Quæritur 10. Quot modis dicitur Deus visitare homines? Respondet S. Thomas super Isa. cap. 8. tribus. Primo ad consolationem, uti Exodi 4. *Audierunt, quod visitasset Dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionem eorum.* Et hoc loco: *Visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

Secundo ad correctionem, uti Psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Et Exodi 32. *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Adorati scilicet vituli.

Tertio ad condemnationem, uti Jer. 8. *In tempore visitationis suæ corruent.*

Porro qui ad primam visitationem non emendatur, incidet in secundam: & qui ad secundam necdum resipiscit, tertiam incurret.

M. XI. *Cur mirati & cur timuerūt?*

Quæritur 11. Cur mirati sunt populi & cur timuerunt? Resp. miratos esse. Primo quod cum uxore maritus in nomine conspirarent, tametsi alter ab altero non didicerit; egregio conjugibus documento, ut sicut una caro sunt, ita animo quoque & voluntate uniti sint.

Secundo quod novum & insuetum nomen, DEI nutu infanti daretur. Non ergo reluctati sunt, ut sententiam suam tuerentur; Sed mirati sunt DEI bonitatem & gratiam, quam præsentem adesse colligebant.

Timuerunt autem non infantem, sed Deum, cujus potentiam in præsentia experiebantur eamque sancto quodam timore venerabantur.

Horum exemplo nos postquam mirabilia DEI cognovimus, timeamus eum, qui mirabilis est in sanctis suis, terribilis in improbis.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Evangelium Matth. 16.

IN illo tempore, venit JESUS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis JESUS: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius DEI vivi. Respondens autem JESUS, dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.

CONCIONES.

I. *Papa quanta injuria vocetur Antichristus.*
II. *Unum Ecclesiæ caput ostenditur.*
III. *Romanæ sedis præcellentiæ.*
IV. *Certamen virtutum inter utrumque Apostolum.*
V. *De gloria & præcellentia Principum Apostolorum.*
VI. *Curam habendam boni nominis.*
VII. *Non erubescendum confiteri Christum & vivere Christianè.*
VIII. *Documenta & Mysteria.*

CONCIO I.

PAPA QUANTA INJURIA vocetur Antichristus à Novatoribus.

I. *Antichristus proprie dictus unus homo singularis.*
II. *Adversabitur Christo è Diametro.*
III. *Adversabitur vero Deo.*
IV. *Nondum potest venisse.*
V. *Regnabit parvo tempore.*
VI. *Non regnabit Romæ.*
VII. *Quando enim cœpit?*

THEMA.

Ego dico tibi, quia tu es Petrus, Matth. 16.

A.

SI Novatores audiamus, non videtur Christus Dominus appositè respondisse confessioni Petri: *Quia tu es Petrus*; Multo enim aptius adeoque elegantius dicenti Petro: *Tu es Christus*; respondisset Dominus: Tu es Antichristus. Dum enim hi contendunt Papam esse Antichristum, quid ni etiam contendunt talem fuisse Petrum, qui fuit primus Papa? Sane ludiones isti plusquam ridiculi, nihil crebrius in ore habent, quam Papam esse Antichristum. Hoc jactitant in cancellis & scriptitant in libris: imo non nemo eorum nuper primum (Matth. Hoë in Enchirid. Evang.) scribere ausus est, id tam certum esse, quam certum est bis tria esse sex. Quasi vero usque ad ipsos, omnes alii cœci fuerint, & nescierint bis tria esse sex. Nemo enim ante ipsos vidit Papam esse Antichristum. Nos econtra ostendemus tam certum esse Papam non esse Antichristum, quam certum est bis tria esse sex, ipsos vero cœcorum duces, prædicantes, non nisi ex odio & livore cœcos esse.

Primo.

B. I. *Antichristus proprie dictus unus homo singularis.*

Primo. Quia Antichristus proprie dictus, erit tantum unus homo singularis, summi autem *Pon*tifices successione plurimi sunt, quibus omnibus commune est nomen Papæ, sicut nomen regis commune est omnibus regibus. Non negamus Antichristos communiter dictos (qui nimirum quoquo modo Christum oppugnarunt) plures fuisse & futuros esse, quemadmodum & contra plures dicti sunt Christi; id enim patet 1. Joan. 2. ubi dicitur: *Audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Verum Antichristus proprie dictus, qui extremo tempore Christum omnium maximè oppugnabit, unus est. Quod colligitur 1. ex SS. literis. Et primo Joan. 5. ubi Christus ait: *Ego veni in nomine Patris mei & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Ubi Dominus opponit personæ suæ personam Antichristi, non plurium Pseudo-prophetarum. Deinde recipiendum ait à Judæis, quod in nullo Papa contigit, aut continget. Denique venturum in nomine suo, quia scilicet nullum agnoscet Deum: Papæ omnes veniunt in nomine Christi, legitime vocati, & electi. Secundo, 2. Theff. 2. ait de Antichristo Apostolus revelandum hominem peccati & filium perditionis, & quidem cum articulo græco, ὁ, denotans certam personam & singularem; Et infra: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Similiter 1. Joan. 2. cum dicitur: *Audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt*; ubi articulus apponitur Antichristo proprie dicto, non item secundo loco, quo communiter accipitur. Idem apertè colligitur ex Dan. 7. 11. & 12. Apoc. 13. & 17. ubi Antichristus dicitur futurus unus quidam rex, qui alios 10. partim sibi subjiciet, partim occidet; dicitur regnaturus tribus annis cum dimidio. Addit Joannes habiturum nomen, quod conficiet numerum 666. & facturum ut nemo possit emere aut vendere, nisi habeat hoc nomen seu characterem ejus. Quæ omnia dicuntur & intelligenda sunt de certa aliqua persona. Qua autem ratione conveniunt Papæ? Fabulantur quidem hæretici nomen, *Latinus*, facere hunc numerum, idque Papæ convenire, quod in Latio regnet. Confirmant ex S. Irenæo, qui verisimile existimat, fore id nomen Antichristo. Sed Irenæus in primis putat tantum probabiliter posse accommodari Antichristo, subditque aliud sibi verosimilius, Titan videlicet; nihil denique asseverare vult. Deinde ideo hoc verosimile putabat, quia tunc regnum Latinorum erat latissimum, quale erit Antichristi; unde ea conjectura modo nihil valet. Rursum scripsit is perperam Latinus, per *ει*, cum sit simplex, unde non conficit eum numerum vox; *Latinus*. Denique Papa nunquam vocatus est Latinus. Nihilo plus valet vox. Romanot Hebraice scripta, ab eisdem excogitata: quia illa ejus terminatio fœminina est, non masculina. Et quid multis? innumera excogitari possunt nomina ut sunt multa excogitata, quæ numerum illum reddunt, v. g. Martin Luther; Item σαξόνειος. Nunquid igitur sic vocabitur Antichristus?

C. II. *Adversabitur Christo è diametro.*

Secundo. Antichristus adversabitur Christo è diametro, uti ipsum ejus nomen indicat, & Apostolus 2. Theff. 2. & Joannes 1. Joan. 2. Item è medio tollet juge sacrificium, Dan. 12. quod non potest esse aliud, quam Missæ. Quis autem Papa hoc unquam fecit? Calumniantur hic hæretici multa, velut quod Papa prohibeat nuptias (clericis videlicet) interdicat usum certorum ciborum, tollat Christi merita, & cœnam sub utraque ab ipso institutam, ejusque loco colat Deum peculiarem suum Maozin in Missa, item Sanctos pro *Diis*: Quod inebrietur sanguine testium Christi, (Lutheranorum & Calvinistarum, quos occidi jubet) atque hæc signa esse Antichristi. Sed hæc omnia, hæreticorum calumnias esse patet. Nuptias enim non prohibet, nisi consentientibus; (qui scilicet volunt fieri clerici) cibos non prohibet tanquam ex se malos, sed quibusdam diebus ob justas causas ex Apostolica institutione inhibet; Christi merita non tollit, aut obscurat, sed amplificat, dum asserit nostra inde suum valorem trahere: cœnam sub utraque institutam conficit, sed non ita distribuit, quia non hoc, sed illud tantum præceptum intelligit. Maozin nihil habet cum Missa commune: Sanctos colit Papa non ut Deos, sed ut Dei servos & amicos. Inebriari sanguine testium Christi, dicitur à Joanne meretrix, id est, Idololatria, non Antichristus: multo minus *Papa*.

D. III. *Adversabitur vero Deo.*

Tertio, Antichristus adversabitur vero imo omni Deo, voletque ipse solus haberi & coli in templo ut *Deus*. *Extollitur*, ait Apost. 2. Thessal. 2. *supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Atqui nec *Papa*, nec quis alius hactenus sustulit omne numen, aut voluit coli in templo velut *Deus*. Occurrunt hic hæretici, dicentes palam extolli super omnes Deos, id est, principes terræ, qui & ipsi Dii vocantur, Psalm. 81. eum ab omnibus coli & adorari, gestari in sella aurea, pedes osculandos omnibus porrigere. Sed respondetur primò Deum sumi ab Apostolo in propria significatione, ita ut Antichristus, non homines, sed Deum verum spreturus sit. Alioquin Imp. Turcarum posset dici Antichristus, quia omnibus Regibus se præfert. Deinde honorem qui exhibetur *Papæ*, longe inferiorem esse, cultu latriæ seu numinis. Is enim honor multis aliis etiam hominis impendi solet. Sic Abraham adoravit filios Heth, Gen. 23. Sic Saraceni, Japones, Sinæ, Reges suos honorant, prostrati scilicet & fronte humum ferientes. Imò de Ecclesia, ac consequenter ejus capite prædixit Isai. cap. 48. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

 Adhæc

Adhæc honor iste non contra, sed propter Christum, exhibetur Papæ tanquam ejus Vicario, adeoque honorem Christi potius auget & amplificat; sicut honor, qui exhibetur Legato, redundat in regem, cujus est Legatus. Papa non asserit se Deum aut Christum, sed Christi Vicarium Dei miseratione constitutum, vocatque semetipsum servum servorum Dei.

E. IV. Nondum potest venisse.

Quarto, Antichristus nondum venit. Primo. Quia non veniet nisi post eversum omnino Rom. Imperium, quod erit ultimum, ut habetur Dan. 7. 2. Thess. 2. juncto Apoc. 17. Atqui id necdum eversum est, nec visi adhuc sunt decem Reges ejus eversores. Tametsi enim imperium Romanum nonnihil inclinatum est, & Roma ipsa Imperium amisit: hoc tamen non sufficit; omnimodam eversionem & cessationem Rom. Imperii ipsiusque Imperatoris requirunt Prophetæ.

Secundo non veniet nisi post prædicatum toto orbe Evangelium, ut habetur Matth. 24. tunc enim venturam, ait Dominus, maximam & novissimam tribulationem, quam fore Antichristi persecutionem docent Patres: Atqui Evangelium nondum per totum orbem prædicatum esse, ostendit novus orbis, prius incognitus, in quo disseminari incipit, ergo &c.

Tertiò, Cum venerit ipse, venient etiam Enoch & Elias, qui adhuc vivunt, ut venienti Antichristo se opponant, qui ab ipso demũ occidentur: ut habetur, Ecclesi. 44. & 48. Malach. 4. Math. 17. Apoc. 11. Et quidem in propria persona, alioqui non posset reddi ratio, cur adhuc vivi reserventur. Atqui hi duo Prophetæ non sunt adhuc visi, nedum à Papa occisi.

Quarto, Sub Antichristo erit persecutio omnium gravissima, & solvetur Sathanas, ut dicitur Apoc. 20. qui prius fuerat ligatus. At quando Romanus Pontifex talem aliquando persecutionem excitavit? Num quando comburi præcipit hæreticos? At quanto major fuit persecutio non tantum Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, &c. Sed ipsorum hæreticorum, Lutheranorum maximè & Calvinistarum nostro tempore, & VVandalica Arianorum olim in Catholicos? Quomodo ergo Papæ persecutio talis est, qualis non fuit ab initio mundi nec erit?

F. V. Regnabit parvo tempore.

Quinto, Antichristus regnabit tantum tres annos cum dimidio, Dan. 7. seu dies 1290. ut scribit idem Dan. cap. 12. seu 42. mensibus ut Joan. cap. 11. & 13. & tunc paulo post erit mundi consummatio, ut colligitur ex Dan. 7. Apoc. 20. nec non 2. Thess. 2. Atqui Papa multo pluribus annis, ne dicam diebus, regnavit, & tamen mundus adhuc durat. Adhoc respondent adversarii, Imperium Antichristi jam cœpisse à tempore Apostolorum & duraturum ad mundi finem, eo quod Apostolus dicat 2. Thess. 2. mysterium iniquitatis jam operari; Sed hoc inprimis est contra expressa Danielis & Joannis verba. Secundo sequeretur D. Petrum ejusque successores tunc fuisse Antichristum. Quis enim alius tunc mysterium iniquitatis fuit? Num quis Tyrannus, vel hæresiarcha? Si asserant, jam concedere debent per mysterium iniquitatis, non intelligere Apostolum ipsum Antichristum, sed ejus Prodromos, Tyrannos vel Hæreticos, quod est verissimum.

G. VI. Non regnabit Romæ.

Sexto. Antichristus non regnabit Romæ (illa enim evertetur à 10. Regibus, Dan. 7. Apoc. 17.) Sed Hierosolymis, Apoc. 11. Papa autem non regnat Hierosolymis, sed Romæ. Daniel etiam cap. 11. ait: fixurum Antichristum tabernaculum suum inter maria super montem inclytum & sanctum. Maria ista non sunt Adriaticum & Tyrrhenum (ut volunt hæretici) inter quæ interjacet Roma: Sed Mediterraneum & Mortuum, inter quæ sita est Jerosolyma: mons vero inclytus & sanctus, Syon intelligitur. Hieron. auctore, qui Romæ nusquam visitur. Ergo Roma non erit Sedes Antichristi, sed Hierosolyma, quod expresse asserit Joan. Apoc. 11. cum asserit fore civitatem, ubi Dominus crucifixus est.

H. VII. Quando enim cœpit.

Septimo. Dicant Adversarii quonam tempore Papa cœperit esse Antichristus. Respondent aliqui, ut David Chytræus, cœpisse circa annum Dom. 600. vocantque S. Gregorium M. primum Antichristum, eo quod cœperit inducere missas, purgatorium, indulgentias, imagines & cultum Sanctorum &c. contra legem Christi. Alii, ut Lutherus, Greg. M. vocant ultimum Rom. Pontificem. Bonifacium vero Tertium, qui successit secundus Gregorio, primum Antichristum volunt, eo quod titulum Episcopi Oecumenici acceperit à Phoca Imp. Sed fallunt nugatores. Nam primo titulus Oecumenici multo est antiquior in Papa. Sic enim appellatus est Sixtus I. qui mortuus est anno 142. uti Baron. Sanctus Leo I. in Consilio Oecumenico Chalcedone, qui vixit longe ante Bonifacium. Præsidebant semper Papæ Conciliis generalibus, &c. Deinde fuisse ante Gregorium Mimissas, imagines, cultum Sanctorum, creditum Purgatorium, &c. imò ab Apostolorum tempore, docent omnes SS. Patres illo antiquiores. Denique si jam ab anno 600. cœpit Antichristus sedere in Ecclesia, ergo omnes Christiani jam ab eo tempore facti sunt Antichristiani; ergo Ecclesia, regnum Christi periit, columna & firmamentum veritatis, ut vocatur ab Apostolo, ergo Lutherus & Calvinus in Synagoga Sathanæ, & regno Antichristi nati sunt. Ergo regnum Antichristi multo diuturnius est regno Christi, &c.

Ecqua igitur vesania abripuit novatores in has densas tenebras, ut contra apertissima scripturæ testimonia, Papam dicerent Antichristum, quod nemo mortalium ante ipsos dixit aut vidit? Nimirum livor, & invidia, quam gerunt erga Sedem Romanam ita excœcat illos. Durum telum est necessitas. Vident enim Novantes, suas hæreses damnari à Sede illa & damnatas esse. Quid agant ut declinent istum judicem? Necesse est ut faciant eum Antichristum.

christum. Si enim faterentur eum Christi Vicarium pro- & cum Christo esse, seipsos condemnarent, & mox à nobis audirent : Cur ei non acquiescitis, quem dedit vobis Christus vicarium suum? Tolerabilius foret & in speciem probabilius quid dicerent; si Papam Antichristi saltem præcursorem dicerent; hoc enim pacto, licet atrocem calumniam Pontifici irrogarent, tantam tamen injuriam scripturæ non inferrent. Verum odium in Papam ultra metam eos abripit, perinde ut rixosam mulierem, quæ ubi vindictam aliter sumere de marito non potest, totum virus ore depromit & quidquid cholera suggerit, plaustra convitiorum evomit in maritum, licet ea falsissima esse intelligat. Viri prudentes & cordati qui ratione, non passione ducuntur satis superque perspiciunt hanc & similes calumnias non nisi ex mero in Papam odio profectas, ac proinde eas rident ac contemnunt, quemadmodum & ipsos calumniatores. Verius multo ipsos dicere Antichristos possumus, quia nimirum ejus Prodromi sunt; de quibus 1. Joan. 2. dicitur: *nunc Antichristi multi. Ex nobis prodierunt: Sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Optandum esset, ut hæretici legerent & intelligerent quam longe ab Antichristo differant Rom. Papæ. Utinam viderent eorum labores, eleemosynas, Zelum pro Ecclesia, defendenda, fideque Christiana propaganda, humilitatis obsequia, &c. Tunc enim suam vesaniam utique damnarent, & ad unum Ecclesiæ pastorem in terris se quoque aggregarent: quod eis à summo pastore Christo ex animo precamur.

CONCIO II.

UNUM ECCLESIÆ CAPUT visibile esse.

I. Ostendit in natura optimus ordo.
II. Scriptura.
III. SS. Patres,
IV. Duratio cathedræ Romanæ.
V. Consensus fidelium,

THEMA.

Tu es petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.

A. Hæreticis nostri temporis idem fere contingit, quo Sodomitis evenit, Genes. 19. Cum enim duo Angeli Ad Loth ingrederentur & diverterent, voluerunt pessimi cives, ut traderentur eis duo illi viri (quos Angelos esse nesciebant) ad nefandam turpitudinem suam exercendam. Sed egressus Loth ad eos suadebat civibus ut ab hac insania desisterent: frustra tamen. Itaque Angeli traxerunt Loth in domum, & clauso domus ostio percusserunt cives cœcitate, ita ut ostium domus invenire non possent. Ad eundem modum hæretici, veram Ecclesiam investigant, non tam ut sequamur & pacate ingrediantur, quam ut offendant, lacerent, conspurcent. Ac licet Christus Ecclesiæ Paterfamilias per S. Scripturam & suos Doctores ad eos prodeat, ostiumque Ecclesiæ demonstret, quia tamen non acquiescunt illi, ideo percutiuntur à Deo aorasia, ita ut in ipso meridie ostium Ecclesiæ invenire nequeant, An non hodie Ecclesiæ ostium eis demonstravit Dominus, cum Petro universalem Ecclesiæ & supremum pastoratum ac pontificalem dignitatem promittit.; An non luce clarius est Joan. 21. collatam esse Petro hanc supremam (quæ hic promittitur) Pontificatus dignitatem cum ei Christus dixit *Pasce oves meas?* An non idem ostendunt multa alia fortissima argumenta? An non demonstramus eis hanc Petram Romæ hucusque consistentem? Et tamen hoc ipsum videre nolunt, imo pro indicio falsæ Ecclesiæ reputant & nobis exprobrant, quod indicium est veræ; dum nos Papistas vocant per contemptũ, quasi verò hæc vox novam aliquam sectam & hæresin designaret. & non potius Petri Ecclesiam, in qua ipse à Christo, primus Papa constitutus est. Sed agite, ostendamus Ecclesiam Christi Papam habere debere.

B. I. *Ostendit in natura optimus ordo.*

Primo. Ostendit ipsa natura in apibus & gruibus aliisq; brutis animantibus, in quibus optimus ordo vel politia animadvertitur, quæ habent caput & Ducem unum, quem sequuntur. Sic in arboribus videmus multos ramusculos ad virgam, multas virgas ad ramum, multos ramos ad stipitem, multos stipites ad radicem unam infigi, & inde succum participare, fierique socios radicis & pinguedinis, uti Paulus dixit ad Romanos 11. Sic cœli omnes à primo mobili diriguntur & motum ejus sequuntur. Sic in humanis quælibet natio habet suum caput & ducem, à quo subditi gubernantur & defenduntur. Neque dicas Ecclesiam habere caput, sed invisibile tantum, Christum. Nam cum Ecclesia sit visibilis, visibile etiam caput habere debet, alioquin monstrum foret.

C. II. *Scriptura.*

Secundo. Ostendit scriptura in primis in hodierno Evang. ubi primatum Petro clarissimè promisit. Dominus: *Tu es Petrus*, inquit, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Tametsi enim aliqui SS. Patres ita etiam explicant hunc locum, ut per Petram intelligant fidem Petri vel confessionem fidei vel etiam Christum: iidem tamen aliis locis & reliqui omnes per Petram propriæ intelligunt Petrum. Et sane locus ille proprium alium sensum non recipit. Primo ob vocum Synonymiam: quia enim Dominus Simoni cognomen Petri dederat, & Petrum seu Petram (in Hebr. vel Syriaco) vocarat, ideo reddidit mox rationem hujus cognominis: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam*

clesiam meam, q. d. ideō te vocavi Cepham seu Petram, quia super hunc Cepham seu Petram ædificabo, &c. Sicut quando Angelus rationem reddidit nominis Jesu: *Vocabis eum Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum*, Matth. 1. Et nominis Abraham Genes. 17. *Appellaberis Abraham, quia Patrem multarum Gentium constitui te.* Alioquin frustra vocaretur à Domino Petrus seu Petra, si non super ipsum, sed super se tantum ædificare voluisset Ecclesiam: & fuisset nugatoria locutio. Secundo obsequentia verba, quæ omnia ad Petrum pertinent: *Tibi dabo claves*, subdit, *regni cœlorum: & quodcunq; ligaveris, &c.* cur ergo non etiam media verba ad Petrum spectant, si antecedentia & consequentia ad illum spectant? Tertio ob ipsius constructionis rationem, quæ congrua non foret, nisi ad Petrum dirigeret etiam illa verba: *Et super hanc Petram.* Foret enim insulsa personarum variatio.

Sed objicies id 1. Cor. 10. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus.* Respondetur Christum esse fundamentum primum & maximum, seu ut S. Augustin. vocat Ps. 86. *Fundamentum fundamentorum.* Petrum autem fundamentum secundum, Christo innixum, seu lapidem fundamentalem secundum, super Christum positum, in quo ipse & Ecclesia super utrumque subordinate fundatur. In primum fundamentum seu caput credimus, secundo obedimus tantum, Christus primarium & primum fundamentum est fidei nostræ, ideo, quod ea omnia credimus esse vera. quæ ipsa tanquam prima & infallibilis Veritas credenda nobis revelavit: Credimus enim Deum trinum & unum, verbum carnem factum, &c. Non quia Petrus & Paulus aut Joannes, aut aliquis Pontifex dixit vel docuit: sed quia prima Veritas & Deus id revelavit & asseruit. Et fides nostra in Christo tantum fundatur, qua etiam ratione hæretici credere se affirmant: Sed quia non ita manifestum est, quæ sint illa, quæ Christus revelavit, idcirco dedit fundamentum alterum Petrum, ejusq; successores, qui nobis dicant & proponant ea, quæ Christus revelavit & discernant ab eis, quæ non revelavit: ut ne aberremus. Atque ita super utramque Petram fundatur fides, diversa tamen ratione. Et idcirco Dominus absq; dubio Petram, eum vocare voluit, quod quasi pro-rex & vicarius futurus esset ejus, qui prima & maxima Petra erat: suum ei Epithetum communicans, qui similis ei futurus erat in officio, etsi analogice tantum.

Secundo. Joannis 21. contulit Dominus Petro primatum, quem hic illi pollicitus erat: quando ter interrogato: *Simon diligis me plus his*: subjunxit *pasce oves meas*, idque ter illi confirmavit. Quis autem dubitat per oves intellexisse Christianos? Et cui alteri Apostolorum aliquando dixit: *pasce oves meas?*

Sane Christus Joan. 10. dixit: *Erit unum ovile & unus Pastor.* Uti & prædixit Deus per Ezechielem. cap. 34. dicens: *suscitabo super eos pastorem unum.* Quem vero alium constituit summum Ecclesiæ Pastorem, si non Petrum? Neque vero solum Petrum sed etiam successores ejus, vel Petrum cum successoribus constituit Ecclesiæ Pastorem: non enim ædificavit Christus Ecclesiam, quæ cum Petro collaberetur & moreretur, sed post ipsum etiam duraret viveretque semper: Sic dignitas collata Prælato alicui, censetur collata etiam ejus successoribus.

Tertio. Patet ex multis actibus, in quibus Petrus velut caput & Primatem Apostolorum se gessit, ut quando in hodierno Evang. pro omnibus Apostolis respondit: quando Act. 1. præfuit electioni S. Mathiæ, quando post Spiritus S. missionem primam cōcionem fecit maximo cum fructu, Actor. 2. quando primum miraculum post eandem fecit, Act. 3. & quidem in pedibus claudi, quia scilicet Petrus erat fundamentum Ecclesiæ, quod ex eo intelligit, S. Ambros. ser. 69. quando in primo Concilio Ierosolymitano, Act. 15. Primus sententiam tulit, cui Iacobus & alii adstipulati sunt. Primus in ordine Apostolorum ab Evangelistis nominatur, &c.

D. III. *Ratio.*

Tertio, Ostendit ipsa ratio. Primo quia cum Ecclesia, una sit & esse debeat, unum etiam caput habere debuit visibile, ut ejus unitas conservari posset: alioquin enim daretur occasio innumeris schismatibus, quæ orientur nisi haberemus unum caput visibile, quod subjecta membra dirigeret in rebus fidei. Unde Hieron. lib. 1. contra Iovinianum ait: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, ut ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, propterea inter 12. unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Sic ille. Et si Apostolorum tempore, quando pauci fuerunt Christiani, & optimi Episcopi, Apostoli scilicet, qui errare non poterant in fide necessarium fuit tale caput, ut Schismatis occasio tolleretur: quanto magis necessarium erat posterioribus temporibus? non minus eo indiguit quàm corpus eget capite, quàm exercitus Imperatore, quàm oves Pastore, quàm Civitas Rectore, quàm navis inter procellas cōstituta optimo ac perito gubernatore: Debuit itaq; Christus postquam corporalem & visibilem præsentiam suam Ecclesiæ subtraxit, vicarium aliquem suum substituere, & per successionem Ecclesiæ suæ semper conservare. Sicut in omni bono & constanti regimine unum esse caput debet, in exercitu Dux, in regno Rex, in Civitate Consul, in corpore caput, in domo Paterfamilis. Et cur apud Lutheranos tot sectæ, nisi quia non habēt caput unum? Quod si alia Petra, & aliud caput Ecclesiæ non est nisi Christus: tunc quod futurū prædixit Dominus, Lutherus dicet: *Ecce hic est Christus*: Dicet Zvvinlius vel Calvinus: *Ecce hic est*: Anabaptistæ sibi eum vendicabunt: Sic Iconomachi, &c. Idem eveniet, si per Petram intelligamus fidem: nam & hanc isti certatim ad se rapient, sibique singuli usurpabunt;

bunt; male ergo consuluisset Ecclesiæ Christus, imo commentitia foret Ecclesia, si cognosci non posset, quia non haberet caput aspectabile.

Secundò. Antequam fides Catholica prædicatione Evangelica per totum orbem dilatata esset, uno quodam universali Prælato opus erat, qui prædicatorum curam gereret, Episcopos sua authoritate institueret, eisque certos populos & diœceses assignaret: alias enim prædicatio Evangelica facile neglecta fuisset, ut saltem maxima confusione administrata, ejusdemq; periculum fuisset, ne cum animarum detrimento hæretici se huic negotio ingererent, adeoque per foramina multi intrarent ad curam pastoralem & prædicationem Evangelii. Debuit ergo esse unus summus *Pastor*, à quo omnes reliqui legitimam acciperent potestatem: quo dempto, quivis novator dicere posset, se legitime missum ad prædicandum, absolvendum, &c.

D. III. *Ratio.*

Tertio. Cum Christus per seipsum non omnes omnino leges directioni Ecclesiæ suæ necessarias edidisset, uti testatur ipse dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, ipsa ratio exigebat ut universalem Ecclesiæ pastorem, quem humana authoritate condendarum legum exornaret, constitueret, qui etiam easdem leges pro locorum ac temporum diversitate aut ex parte immutandi, aut ex toto abrogandi potestatem haberet, sicut in omnibus omnino bene constitutis regnis & rebus publicis fieri videmus. Quis concilium aliquod generale cogeret, si non esset potestas summi Pontificis? Sane hæretici nostri temporis licèt non amplas provincias possideant, nullum adhuc generale concilium, in quo vel de uno articulo omnes convenirent, cogere potuerunt. Similiter Græci ab anno 800. quo à Sede *Petri* defecerunt, per totidem annos ne unam quidem Synodum celebrarunt in argumentum mutuæ consensionis: cum nos interim ab eo tempore decem concilia generalia habuerimus.

Quarto. Cum scripturæ SS. intellectu difficiles sint & singuli earum interpretes in expositione errare possint, erroremque, suum pertinaciter tueri his malis remedium invenire non poterit, nisi quispiam detur, qui infallibili Spiritus S. assistentia adjutus possit verum scripturarum sensum infallibiliter eruere, controversias decidere, quæstiones determinare, errores & hæreses condemnare. Hanc autem assistentiam datam *Petro* & ejus successoribus: *Patet* ex illo Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Quod non tantum de *Petro* sed etiam de successoribus ejus accipiendum vult Sanct. Bernard. & alii. Neque sufficit præcise directio Spiritus Sancti. Nam si in concilio aliquo fideles conciliari non possent (ut sæpe factum in Conciliabulis hæreticorum & adhuc fit) quid tum faciendum? Ergo unus aliquis supremus Judex constitui debuit, qui infallibilem Spiritus Sancti directionem haberet ad lites decidendas & dirimendas. Non sufficiunt ad hęc omnia concilia generalia, quia nec semper haberi possunt (uti primis 300. annis nullum habitum, licet multæ hæreses existerent, & sine approbatione & authoritate summi Pontificis errare possunt, ut in Ariminensi & Ephesino secundo probatum est. Et quid si concilium inter se conveniret?

E. IV. SS. Patres

Quarto, Ostenditur ex SS. Patribus omnium sæculorum, quibus obruere possumus hæreticos. Neque dicas adulatos esse patres illos Pontifici: Cur enim quæso? num ut opes venarentur? At eo tempore pauperrimi erant Episcopi, uti & *Papa*. Num ut dignitates? At tunc dignitates Episcoporum erant januæ mortis, non Episcopi omnium primi quærebantur & rapiebantur, ad mortem. A Concilio Chalcedonensi uno ex 4. primis generalibus vocatur *Papa* Leo caput Ecclesiæ. Vocatur Vicarius Christi à Concilio Lugdunensi in 6. tit: de elect. cap. ubi periculum. Vocatur Snmmus Pontifex ab antiquissimis temporibus. Audiamus Justinianum Imperatorem, *ut legum orginem anterior Roma sortita est, ita & Summi Pontificatus apicem, apud eam esse nemo est qui dubitet*, ait Justinianus Imperat. apud Baron. Anno Domini 535. sed quid opus pluribus?

F. V. *Duratio Cathedræ Romanæ*

Quinto. Ostenditur ex ipsius cathedræ Romanæ constanti duratione *Pontificum* continua successione. Possumus enim argumentari cum Gamaliele illo Legisdoctore Act. 5. *Quoniam, si est ex hominibus consilium hoc aut opus* (Cathedræ hujus constitutio) *dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Quia ergo nunquam defecit successio *Pontificum* in hac sede, nec populi & Episcopi, qui cum illa sentiebant eique ut vera membra adhærebant: ergo à Deo & non ab hominibus esse eam necesse est. Interrupta est series & successio Romanorum Impp. quando Gothi Romam, & Imperium invaserunt ac tenuerunt, non ut Imperatores, sed ut Reges Ariani. Defecerunt sedes aliæ, quæ se à Romana segregarunt. Alexandrina, Jerosolymitana, Constantinopolitana, Antiochena, quatuor *Patriarcharum*. Defecerunt sedes Episcopales plurimæ, fundatę ab Apostolis, Corinthia, Ephesina, Colossensis, Thessalonicensis, *Philippensis*. Romana sola immota perseverat. Sed fortasse non habuit hæc sedes hostes nullos, qui eam impugnarent? imo vero nulla plures & potentiores. Habuit enim juratissimos hostes primo Judæos, tum Gentiles, post hæreticos: de quibus omnibus hactenus felicissime triumphavit.

G. VI. *Consensus Fidelium.*

Sexto. Ostenditur ex consensu plurimorum populorum, Episcoporum, Sanctorum, Regum & Imp. qui omni tempore huic sedi constantissimè adhærebant & obediebant, eam defendebant & venerabantur. Tametsi enim aliquando mali aliqui gubernarent, illicitis mediis ad Cathedram promoti, Episcopi tamen & populus Christianns eos tanquam veros pastores habebat & audiebat, ut videre est apud Baron. Valentinianus

Imp.

Imp. facta ei à clero potestate, ut aliquem designaret Pontificem Auxentio defuncto successorem, renuit. *Supra nos* inquit, *est talis electio*, petiitque ut ipsimet talem eligerent: cui ipse etiam Imperator syncere caput suum submittere posset. Hist. Tripart. lib. 7. c. 6. Angliæ Rex Osvvi, cum haberetur disputatio de celebrando tempore paschali [in quo discrepabant à Romana Ecclesia] audissetque sub finem Petro datas esse claves regni cœlestis: in eoque utraque pars conveniret: *Et ego vobis dico*, inquit, *si hic est ostiarius ille, contradicere nolo: sed in quantum novi vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis: ne forte adveniente me ad fores regni cœlorum non sit, qui reseret, averso illo, qui claves, tenere probatur.* Imperatores usque hodie à summo Pontifice confirmationem petunt electionis suæ. Eidem ex antiqua Imperatorum consuetudine & ultronea humilitate si Romæ sint, inserviunt, stapediam ascensuro in equum tenent, equum aliquandiu ducunt, &c. ut in rivali Pontif. Omnes Christiani ex antiquo more pedes Pontifici osculantur: Etiam Monarchæ, qui in India eum pro pastore suo agnoscunt. An non quæso securius sequi tot monarchas, & nationes, quam pauculos superbos novatos: Verum Diabolus præsciens neminem fore hæreticum, si omnes Summum Ecclesiæ pastorem agnosceremus & audiremus, ideo hoc attentavit, ut à capite illo homines abduceret.

CONCIO III.

ROMANÆ SEDIS PRÆcellentiæ.

I. Ibi lapis ille summus.
II. Angularis.
III. Electus.
IV. Probatus.
V. Pretiosus

THEMA.

Tu es Petrus, & super hanc Petrum ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.

A. Scribunt Plinius & alii complures (Plin. lib. 10. cap. Pier. l. 19. Hierogl.) Aquilam firmare ac munire nidum suum lapide Aëtite, quasi quodam libramento vel anchora. Unde Pierius refert Aquilam saxum gestantem fuisse Hieroglyphy con statutæ firmiter Sedis. Videmus etiam in hodier. Evangel. Aquilam illam cœlestem, Christum. designasse & elegisse sibi lapidem. Petrum, quem & Petram novo nomine vocat, quo nidum illum suum, Ecclesiam videlicet, stabiliret ac firmaret. Et possumus de hoc etiam lapide intelligere, quod prædixit Deus per Isaiam, cap. 28. repetitque S. Petrus Epist. 1. cap. 2. his verbis. *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, probatum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.* Quæ verba ad literam quidē & primario dicta sunt de Christo, qui est Petra primaria. Verum quia etiam Petrus Petræ nomen à Christo sortitus est, eidem tanquam Petræ Secundariæ & Vicario Christi jure accommodantur, nec non omnibus successoribus seu toti sedi Apostolicæ. Et certe uti Aetites lapis prægnans vocatur apud Plin. loc. cit. quod alium intra se, quasi in utero gestet lapidem: ita etiam Petrus ejusmodi lapis est, qui alium in se includat successorem, & hic iterum alium adeoq; totam seriem Pontificum Romanorum.

Hunc igitur lapidem in præsentiarum describemus.

B. I. *Ibi lapis ille Summus.* Vocatur Primo *Summus*. Primo potestate & authoritate; quia primatum obtinet in omnes alias Sedes, & in omnem Christi Gregem: Unde vocatur *caput omnium Ecclesiarum*, at in Concil. Chalced. in Ep. ad Leonem; ubi etiam Papa vocatur *universalis Patriarcha* ab Anastasio. Epist. ad Marcum, &c. Sicut Ecclesia Romana vocatur, *Mater omnium Ecclesiarum*, in Conc. Nicæno primo. Papa vocatur *universalis Episcopus, Summus Pontifex, Apostolicæ Sedis Antistes, Ecclesiæ Pater & Caput, &c.* Justinianus Imperator: *Summi Pontificatus apicem apud Romā esse nemo est, qui dubitet*, ait apud Baron. Anno 535. Hæc Sedes omnibus Conciliis præsedit, & sine ejus approbatione invalida sunt habita. Deposuit alios Episcopos, confirmavit & restituit. Ex communicationis jus in omnes Ecclesias obtinuit: uti fecit Victor Papa, qui omnes Ecclesias quæ non celebrarent Pascha cum Romanis, excommunicavit, Baron. anno 199. Ad eam omnes aliæ Sedes appellarunt ac velut ad Matrem confugerunt, uti Athanasius, & Petrus Alexandrini Episcopi, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus, Chrysostomus, Theodoretus. Ea undique semper consulta est. Ejus Epistolæ uti Apostolorum in Ecclesiis legi solitæ, Euseb. l. 4. c. 22, Damnavit omnes hæreses & de emergentibus admoneri solita est, &c.

Secundo Honore & dignitate. Eam enim Sedem maximo honore coluēre Reges, adeoque ad pedes ejus acciderunt. Justinus Imperator veniente Joanne Papa Constantinopolim, cum tota Urbe illi obviam processit, & ad pedes ejus procubuit, detrahensque sibi insignia augustalia, procidensq; suppliciter petiit, ut illis rursum ipsum adornaret. Justinianus Imp. Nicææ ad Constantini Pontificis pedes procubuit eosque est osculatus anno 710. Idem fecit Hadriano Papæ Carolus Magnus Romæ anno Christi 744. Et ejus Pater Pipinus Stephano III. Pontifici venienti in Franciam anno 753. Idem fecit Ludovicus Pius Caroli filius Stephano V. Pontifici, anno 816. Plura vide aqud Baron. & Bozium. tom.

tom. 2. de signis Eccl. sig. 86. Neq; solum Principes Sæculares honore ac dignitate præcessit, sed etiam sedes alias Patriarcharum. Audi S. Leonem, qui Ep. ad Episcopos Viennenses ait: *Quisquis huic sedi Principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritus superbiæ suæ seipsum in inferna demergit.*

C. II. *Angularis.*

Secundo. *Angularis.* Primo quia Gentes & Judæos connectit & sustentat. Ad hanc enim sedem, quotquot ex utraque parte conversi sunt, convenerunt & unum in Christo facta sunt. Ab hac sede propagata undique Fides & emissi in universum orbem Episcopi. Unus Petrus totius orbis Ecclesias principes, è quibus aliæ minores Fidem edocerentur, ut ait Tertullianus l. de præscriptionibus fundavit. Nam ad Orientem, Antiochiæ Evodium Episcopum creavit, cui totius Orientis Episcopi olim parebant. Ad Meridiem transmisit discipulum suum Marcum, Alexandriam videlicet cujus civitatis Episcopus Ægypto, Arabiæ, Æthiopiæ & Africæ Cyrenensi præerat. Ad Occasum præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italiæ & adjacentium Insularum Ecclesias constituit, ut post alios Iñocentius I. testatur. Ad Septentrionem primarias in Ponto, Cappadocia, Bithynia, Græcia, Illirico, Dalmatia, Germania (in quam misit inter alios Eucharium, Maternum, Valerium, Ægystum) Ecclesias erexit. Postmodum à Sede ista in omnis orbis partes Episcopi semper missi, uti superiore sæculo in Indiam, Chinam, Japoniam, Americam, Peruviam, &c. Videat qui volet, conversionem omnium nationum ab hac Sede profectam apud Thom. Bozium de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 4. Sig. 6. c. 1. & 2. Laboravit etiam Sedes ista semper in Judæorum conversione, quorum primus Apostolus fuit S. Petrus. Nam hodieque qui sunt Romæ Iudæi, coguntur singulis Sabbatis adire & audire concionem Christianam, ipsorum gratiam haberi solitam, in templo hospitalis SS. Trinitatis. Elapso sæculo, Anno 1524. apud Spondanum in Auct. Chron. Sedi huic se reconciliavit Deus Æthiopiæ Imperator & Helena ejus avia, per legationem ad Clementem Papam promissam promittens ille obedientiam, & benedictionem postulans, Anno 1585. trium Iaponiæ Regnum, qui fidem Christianam amplexi fuerant, Legati Romam missi ad obedientiam Summo Pontifici (qui tunc erat Gregorius XIII.) præstandam, postquam triennium itineri impendissent; apud eundem.

Secunda. Quia ab hac Sede confessio in fidei dogmatibus, & Sacramẽtorum ritibus, &c. prodiit, & fideles omnes in vinculo pacis conjuncti sunt. Inde enim Concilia generalia, in quibus unanimi sensu dogmata explicata, disciplina Ecclesiastica sancita, &c. Cujusmodi nullum adhuc cogere potuerunt, nostri hæretici, quia capite carent, quod imperet reliquis membris. Ab hac Sede omnia fidei dubia semper resoluta, controversiæ sublatæ & litigantes partes conciliatæ. Concordia in Cæremoniis & disciplina Ecclesiastica stabilita, quia illius Sedis decretis stamus omnes.

D. III. *Electus.*

Tertio. *Electus*, ob sanctitatem, qua sedes hæc præ omnibus aliis excelluit. Nam primo, nullus eorum, qui in ea sederunt, fuit hæreticus, licet non desint aliqui qui perditæ vitæ fuerunt. Itaque impletum in illis est Christi verbum: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Secundo, nullus status, nulla Sedes aut successio Principum aut Præsulum tot habuit Sanctos, atque illa Rom. Pontificum, è quibus 72. ad minimum indubitati Martyres sunt. Reliqui plerique (aliquos enim excipimus, qui fere potentia principium sæcularium intrusi fuerunt) optimæ & laudatissimæ vitæ fuerunt.

Tertio. Excelluit ea Sedes in omni virtutum genere. In religione inprimis & cultu divino, quem ubique terrarum propapare semper studuit totis viribus.

In munificentia & liberalitate: Ubi in primis Gregor. Magn. qui innumeros pauperum greges diversis in locis aluit. Leo II. cujus festum heri celebravimus, quique vere *Pater pauperum*, vocatur in Breviario, quod non solum pecunia, sed & opera labore & consiliis egentibus subvenit Gregorius XIII. qui tredecim collegia, Alumnorum per orbem dispersa fundavit amplis reditibus? adhæc quotannis aureorum septuaginta in egenos erogavit Romæ, Bozius tom. 1. l. 15. Sig. 12. c. 3.

In magnanimitate, dum intrepido semper animo munus suum administrarunt, etiam in exilio, ut Sylverius; idque contra hostes tutati sunt, nec unquam dari sibi leges à seculari potestate passi, semper se opposuere reprobis Principibus, nec timuere minas hostium, confisi in Dei ope & Christi promissione. Sic fregit verbis Attilam S. Leo: Sic Gregorius II. Luitprãdum Longobard. Regem, qui hostili manu & animo Romam ingressus fuerat. Baron. Anno 729. Eadem magnanimitate contempserunt minas Turcarum, & responderunt illis per literas, nihil formidate, qui in Christi nomine confidant. Hinc Pontifex quidam Turcarum Imperatori respondit ruinam Ecclesiæ minitanti:

Niteris in cassum Petri submergere navim,
Fluctuat; ast nunquam mergitur illa ratis.

Anno 1016. Saracenos Ecclesiæ littora in vadentes Benedictus PP. comparata valida classe ad internecionem delevit, ipsorum Rege fuga elapso; Regina vero capta, & ob audaciam capite truncata. Rex autem morte Conjugis & sociorum admodum turbatus, Summo Pontifici saccum castaneis plenum misit, tot se in proxima æstate milites esse ducturum: minitans: Pontifex vero marsupium eidem milio plenum remittens, tot ipsum loricatos, vel plures in Italia inventurum respondit. Baron. anno cit. Alio tempore Mahometi Turcarum. Imperat. Pontifici

scripsit in hæc verba: *Corinthum Achaiæ nobilissimam Urbem, Ætholos, Acarnanes, Macedoniam, atq; omnem Peloponesum armis invasimus: Vicos præterea, agros & oppida late incendio depopulati, ut mox in Italiam bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum summo Christianorum metu ac detrimento nuntiamus.* Cui respondit Pontifex.

Quod Græciam omnem ferro ignique vastaveris, non tam crudelitatem in hac re tuam, quam tot urbium direptiones ulcisci paramus. Neque enim victor hostibus ignoscere poteras, qui tuis etiam immanitate, scelere ac libidine nunquam pepercisti. Nec ei pium fasve quicquam apud homines esse potest, cui neglecta religione Deus in contemptu sit. Nos tamen nullum à te bellum in Italia metuimus. Facile enim scelerata hominum arma contemnit, qui Dei nomine ac præsidio tutus est. Hæc apud Math. Rader tom. 2. Bav. S.

In humilitate, ut patet primo ex titulo, quo se vocant Pontifices Servos Servorum Dei à tempore Gregorii Magni, & *Papas*, id est, *Patres*: Christianos vero quoslibet, aut filios aut fratres. Deinde ex eo, quod electus *Pontifex* variis cæremoniis admonetur humilitatis; ut cum, stupa coram eo incensa ei occinitur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*: & cum ducitur in Lateranum, & sedet in stercoraria sede lapidea ex antiquissimo instituto, ubi ei interim occinitur id: *suscitans de pulvere egenum; & de stercore erigens pauperem.* Adhæc feria 5. in cœna Domini, aniversario more, 12. pauperibus ad pedes accidunt, eosque lavant, tergunt, & osculantur, en humilitatem, &c.

E. IV. *Probatus.* Quarto. *Probatus*, quia variis exagitatus & quassatus persecutionibus, immotus semper stetit per annos 1600. Ethnici Impp. per annos 300. Pontificiam Sedem exscindere conati sunt, ab ipsis Episcopis Romanis, quasi à capite cædem populi Christiani auspicati, Unde inprimis. Rom. Pontifices ad necem quæsiti & rapti sunt. Verum uno secto capite, mox aliud succrevit, & sedem illam occupavit, & ita Tyranni illi frustra laborarunt, turpiterque confusi atq; exterminati sunt. Hos secuti Impp. hæretici, Constantius, Valens, Zeno, Anastasius, Græci: deinde per años 60. circiter Gothi Reges Ariani, qui tunc Italiam titulo Regum tenuerunt: postea Reges Longobardorum; Quæ vexationes durarunt ad annum fere octingentesimum. Cæterum regnum Græcorum, quod diu sedem hanc affixit, convulsum est, & occupatum à Turcis, occiso eorum Imperatore, religionemque cum imperio amisit, adeoque in se expertum est, quod Romanis Pontificibus machinabatur, Gothi & Longobardi extincti sunt. *Post hos* non defuere etiam Catholici aliquot Impp. qui eam Sedem dejicere & evertere moliebantur, uti Henricus IV. Henricus V. Otto IV. Fridericus II. & alii non nulli. Habuit hæc Sedes quandoque sibi adversum ipsum populum Rom. uti Papa Eugenius, quam seditionem S. Bern. sedare conatus est in Epist. ad pop. Rom. Habuit adversarios Schismaticos & Antipapas. In quibus omnibus persecutionibus Romani Pōtifices quadragies Roma exacti sunt, semper tamen ad eam revocati, ut scribit Thom. Bozius de sign. Eccl. tom. 2. Sign. 78. c. 6. quid hæreticos narrem, qui nunquam defuerunt, nunquam non omnibus telis ac machinis hanc sedem oppugnaverunt & evertere conati sunt? Verum ad hanc petram omnes, quotquot impegerunt naves hostium, confractæ sunt, atque ita impletum est in hac Sede illud vaticinium Zach. 12. *Et erit in die illa, ponam Hierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui levabunt eum, concisione lacerabuntur.* In quem locum ita scribit S. Hier. *Mos est Urbibus Palestinæ, & usq; hodie per omnem Judæam vetus consuetudo servatur, ut in viculis, oppidis & castellis, rotundi ponantur lapides gravissimi pōderis, ad quos juvenes exercere se soleant, & eos, pro varietate virium sublevare, alii ad umbilicum, alii ad humeros & caput nonnulli super verticem, erectis junctisq; manibus, magnitudinem virium demonstrantes pondus extollunt. In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ vidi Sphæram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui. Cum autem quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab Urbis ejus cultoribus, Athletarum in illa massa fortitudinem comprobari. Sensus ergo iste est; ponam Hierusalem cunctis gentibus, quasi gravissimum lapidem sublevandum: levabunt quidem eam, & pro virium varietate vastabunt. Sed necesse est, ut dum levatur, in ipso nixu & levatione ponderis gravissimus lapis scissuram aliquam in levantium corporibus derelinquat: Super Ecclesia vero sic interpretari potest, quod cuncti persecutores, qui contra Domum Domini dimicarunt, inebrientur eo calice, quem universis gentibus propinat Hieremias ut bibant & inebrientur & cadant & vomant & insaniant.* Hæc Hieron. Eodem jure potest hoc exponi & propriisime de *Petra* illa sedis Apostolicæ, super quam fundata est Ecclesia. Omnes quotquot eam levare & amovere conati, concisi & lacerati sunt. Verificatum etiam est de hoc lapide illud Christi vaticinium: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem ceciderit, conteret eum*, Matth. 21. Cecidit super Ethnicismum & contrivit eum. Super eum cecidit hæresis & confracta est.

F. V. *Pretiosus.* Quinto. *Pretiosus*, id est Deo charus, quomodo servus ille Centurionis dicitur fuisse Domino suo pretiosus, Luc. 7. Esse autem hanc sedem Deo pretiosam & dilectam, ostendunt inprimis tria. Primum, quia hæc cathedra semper à Deo conservata est & custodita, cum interim aliæ sedes Patriarcharum, huic subordinatæ, quia ab ea se subtraxerunt, eversæ,

eversæ sint. Verificatum est igitur in eis Christi verbum: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum dispergit.* Luc. 12. Quodque magis mirandum, fuerunt aliquot malæ vitæ Pontifices (etsi ferè magnatum secularium potentia intrusi) qui in ea Cathedra sederunt: ut referunt, qui de PP. vita scribunt; Nihilominus tamen cathedra illa mansit sarta tecta; adeoque hinc augetur ejus gloria, ut quæ nec à malis quidem possessoribus potuit everti; planeque divina, non humana potentia & prudentia tegitur & fulcitur. In cujus rei ostensionem accidit sub Stephano VII. Papa intruso, ut S. Basilica Lateranensis, primaria Pontificis sedes, impulsore Angelo malo, ab altari usque ad portas solo penitus prostrata corruerit, solo Sanctuario, in quo sedes Papæ existeret, integro relicto. Baron. anno 897. Quæ res non obscurè indicavit, non ruere sedem Petri, licet ruat sanctitas in capite & membris Ecclesiæ.

Secundum. Quia nullo unqam tempore permissa est errare in rebus fidei vel impium quid docere. Ergo sicut lapis Aëtites firmat & servat à serpentum morsibus nidum Aquilæ: ita lapis iste, id est, Petri sedes firmat ac servat à veneno hæreseos Ecclesiam Christi, qui velut aquila, lapidem hunc in Ecclesiæ nido posuit, cum dixit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Unde S. Cyprian. l. 3. ep. 3. ait: *ad Romanam fidem perfidia non habet accessum.* Hinc Catholicum semper habitum, quod à Papa decretum. *Hoc credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum*; ait Imp. Justinianus in Epist. ad Hormisdam Papam apud Baron. Anno 519. De Anastasio II. PP. refertur distinct. 19. c. Anastasius, eum, cum sine consilio cleri communicasset cum Photino, qui communicaverat cũ Acatio hæretico, repente à divinitùs extinctum esse. *Platina in vitis Pontif.*

Tertium. Quia etiam in terris aucta & firmata est opibus & potentia à piis Impp. Constantino Mag. & Carolo Mag. imprimis; adeò ut tandem ipsam Romam, sedem olim Imperatorum, in sua haberet potestate. Unde versus:

Servierant tibi Romæ prius Domini Dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.

Quæ cum ita sint, ad hanc nos Petram fortiter agglutinemus. Ut enim Polypus piscis, scopulum amplectens, ita firmiter ei adhæret, ut nequeat avelli, & potius aliqua carnis ejus pars, quam ipse avellatur, ut scribit Pierius lib. 27. Hierogl. ita nos quoque petræ huic adhæreamus. Et sicut polypus colorem etiam petræ, cui adhæret, induit, eodem autore: ita nos vitam & mores nostros componamus ad normam Petræ Apostolicæ, id est, Petri, aliorumque Sanctorum Pontificum. *Attendite ad Petram, unde excisi estis*, ait Isaias capite 51. Attendamus nos ad Petrum ejusque successores, quid doceant verbo & exemplo.

CONCIO IV.

CERTAMEN VIRTUTUM INTER utrumque Apostolum.

I. In fide.
II. In Amore erga Christum.
III. In Zelo Animarum.
IV. In Pœnitentia & humilitate.
V. In magnanimitate.

THEMA.

Beatus es Simon Bar-Iona, Matth. 16.

A. PRæclarum testimonium nactus est à Christo S. Petrus in hodierno Evangelio: *Beatus es Simon Bar-Jona*, &c. præclarum etiam ab eodem regnante jam in cœlis nactus est S. Paulus: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*, Actor. 9. Et si Virtutes utriusque Apostoli velimus ponderare, eæ in utroq; tam eminentes & conformes sunt, ut SS. Patres nõ sint ausi ferre inter eos judicium, uter alteri præstet. Ita enim S. Leo PP. homiliam de hoc festo his concludit, verbis: *De quorum* (Petri & Pauli) *meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi super aut facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.* Et S. Aug. Serm. 27. de sanctis in hoc Festo, ait: *Petrus & Paulus eminent super universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse.* Jure igitur meritoq; Ecclesia hos Apostolorum principes uno eodemq; die colit, quia paribus erant virtutibus, quia intime sibi devincti, quia eodem die per Martyrii lauream cœlo nati sunt. Nos igitur horum virtutes potissimas, earumque conformitatem consideremus, ad instructionem nostram ut simili certamine alter alterum imitemur.

B. I. *In fide.* Primo. Magna fuit fides Petri, quam ostendit Primo cum Christo roganti discipulos, *quid de se sentirent*, ipse solus mox respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*: Ob quam professionem heroicam promisit ei Christus claves regni cœlorum, & principatum Ecclesiæ, Matth. 16.

Secundo. Cum disputante Christo de manducatione corporis sui, & perturbatis inde discipulis quibusdam ac discedentibus à Christo, solus ipse dicenti Domino ad duodecim: *Nunquid & vos vultis abire?* respondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei*, Joan. c. 6.

Tertio. Quando Christo ambulante super aquas

quas & ipse insiliit in aquas, potētiæ Christi fidens, & super eas ambulavit, Matthæi 14. In quem locum scribens Hieronymus: *In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus.*

Quarto. Cum tota nocte laborans nihil pisci-um cepisset, postea nihilominus in verbo Christi rete laxans, conclusit piscium multitudinem, Lucæ 5. Denique cum post Christi resurrectionem piscationi intentus audiens à Joanne, stare ad littus Dominum, misit se in mare & adnatavit Christo, Joan. 21.

Magna etiam fides Pauli, quam ostendit Primo cum mox ad Christum conversus, continuo in Synagogis prædicabat Iesum, *quoniam hic est filius Dei.* Et cum *convalescebat & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus,* Act. 9. *Non erubescebat mutationem,* ait sanctus Chrysostomus, *neque formidabat destruere ea, in quibus antea clarescebat.*

Secundo; Cum de existentia Christi in Eucharistia nullum prorsus audire Dubitantium voluit, bens 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* q. d. Estne aliquis qui hac de re audeat dubitare?

Tertiò. Cum fide nixus insiliit, in quævis vitæ pericula, & pro fide immensos labores, itinera, verbera, carceres ac tandem mortem & Martyrium sustinuit.

Denique cum Angelo Dei, prædicenti navis quidem interitum, navigantium vero salutem, fidem indubitatam adhibuit eaque navigantes consolatus est dicens: *Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est,* Actor. 27.

C. II. *In amore erga Christum.*

Secundo. Magnus fuit amor Petri in Christum, quem declaravit.

Primò, cum indignè tulit dici Christum occidendum esse. Ob hoc enim Christum ipsum increpavit dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc,* Matt. 16.

Secundo. Cum audiens à Christo: *si lavero te, non habebis partem mecum;* mox cessit & quasi fulmine in se vibrato dixit: *Domine non solum pedes meos, sed & manus & caput,* Ioan. 13.

Tertio. Cum promisit Christo, ab eo non separandum se etiam si moriendum esset pro ipso; Unde dicebat: *Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam,* Ioan. 13.

Quarto. Cum Christum in horto defensurus gladium exemit & resecuit aurem Malcho, & eum captum secutus est usque in atrium principis; & cum amare flevit ob eundem a se negatum.

Quinto. Cum post Christi resurrectionem, ab eo interrogatus, *Petre amas me:* respondit tertiò: *Domine tu scis, quia amo te,* Ioan. 21.

Magnus etiam amor Pauli, imo tantus, ut sanctus Chrysost. l. 3. de Sacerdotio scripserit: *Non est qui Paulo vehementius Christum dilexerit.*

Patet primo ex eo, quod velut ebrius amore Christi, ubique & singulis sæpe periodis nomen Iesu vel Christi repetat in Epistolis suis; quia nimirum os ejus illud eructabat, quo plenum erat cor ejus. Sane ducenties decies novies repetit nomen Iesu, Christi vero nomen quadringenties & semel.

Secundo ex eo quod veluti ad duellum provocabat omnes hostes, ærumnas, pericula, diabolos, infernum totumque mundum pro amore Christi: *Quis, inquit, nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro,* ad Rom. 8.

Tertiò. Ex eo, quod pro Christo optabat mori, ut eo frui posset. *Desiderium habens mori,* inquit, *& esse cum Christo,* Philip. 1. Et: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rursum cum prædiceret Agabas eum Ierosolymis alligandum & tradendum gentibus, respondebat: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini Iesu,* Act. 21.

Deniq; hac Charitate armatus Neronem omnesque Tyrannos velut quosdam culices æstimabat; labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia quasi ludum putabat puerorum; vinctus pro Christo magis, quam diademate coronatus gloriabatur, &c.

Secundò. Magnus fuit in Petro Zelus animarum. Primo enim Die pentecostes primus Christum publice prædicavit, & tria millia hominum convertit, Act. 2. Secundo primus ipse Gentilibus ad Evangelium præbuit aditum cum Cornelium Centurionem adiit, instruxit & baptizavit cum tota domo, Actor. 10. Tertiò. Ad confutandum Simonem Magnum, qui Romæ suis magiis populo illudebat, Romam è Syria navigavit, ut testatur S. Hieronymus de Script. Eccles. in Petro. Quarto Amore lucrandarum animarum, suasu Christianorum è Carcere & Romà profugit, tametsi enim passionis erat cupidissimus, rogatus tamen, ut ad instituendum & confirmandum populum se reservaret, paruit. Ambrosius in Auxent. de Basil. non trad.

Magnus etiam Zelus Pauli, imo maximus & incredibilis. Primo enim ferventissime instabat prædicationi Verbi Dei, in eoque officio plurimas regiones peragravit, à Ierusalem usque ad Illyricum & Italiam.

Secundo per epistolas adhortatus & consolatus est varias Ecclesias & Episcopos absens & quandoque in vinculis constitutus.

Tertio.

Tertiò. Quasi totius mundi pater esset aut Mater, pro omniũ salute extreme solicitus fuit, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret, nullam etiam mercedem pro labore prædicationis recipere volens, sed labore manuum victitans, denique scribere non dubitans: *Optabam ego ipse Anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Rom. 9. Anathema, id est, succisus & separatus à gloria Dei (citra tamen culpam suam, si fieri posset) ut mea damnatione beare possem Judæos.

E. IV. *In pœnitentia & humilitate.*

Quarto. Magna fuit Petri pœnitentia & inde pregnata humilitas. Nam primo conspecto miraculo in captura piscium dicebat Domino: *Exi à me, quia homo peccator sum.* Similiter in lotione pedum, horrore concussus, Dominum à se repulit, *Domine tu mihi lavas pedes?*

Secundo, pro peccato abnegati Christi, exiens de atrio (quasi indignum se hominum consortio æstimaret) *flevit amare*; & licet sciret culpam hanc dimissam sibi à Christo, tamen singulis noctibus ad Galli cantum procidens in genua, lachrymis uberrimis illam deflevit, adeo ut oculi ejus ex assiduo ploratu apparerent quasi sanguine respersi, & genæ sulcatæ, ut scribit S. Clemens, & Nicephorus l. 2. c. 37.

Tertiò, Martyrium crucis subiens petiit ut capite deorsum & pedibus in sublime elevatis crucifigeretur, asserens se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus, secundum Hieronymum de scriptor. Ecclesiast. vel, ut ait Theodoretus orat. de char. quod vereretur, ne eadem cum Christo passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. Miratur hoc S. August. homil. 29. de Sanctis: *In illa*, inquit, *cruce imitari metuens sacrificium redemptoris capite in terra demergi elegit. O virtus humilitatis ingenita! Honorari etiam supplicij genere pertimescit, & qui non recusat Dominici tormenta patibuli, similitudinem expavescit triumphi.* Magna item S. Pauli qui Primo se infra omnes dejecit Apostolos, scribens: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, 1. Corinth. 15. Et: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum ego primus sum*, 1. Tim. 1. Et Cor. 15. vocat se *abortivum*.

Secundo palàm prædicat peccata sua, uti 1. Tim. 1. ubi ait: *Blasphemus fui & persecutor & contumeliosus.* (*Græcè violentus*) Adhæc stimulo carnis sese infestatum fuisse fatetur, 2. Cor. 12.

Tertiò jugi mortificationi & carnis castigationi addictus fuit: *Castigo corpus meum*, inquit, *& in servitutem redigo*, 1. Corinth. 9. Et 2. Corinth. 4. *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, &c.*

F. V. *In magnanimitate.*

Quinto. Maxima fuit Petri magnanimitas, 1. dum non Judæos solum, verum etiam Principes eorum redarguit ob necatum Christum. Sic enim Actor. 2. ait Judæis. *Hunc per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et Actor. 3. *Vos sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus.* Et Act. 4. Principibus Sacerdotum interrogantibus. *In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Respondit: *Notum sit vobis & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.* Et infra: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Et cap. 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno.* Deinde ad martyrium forti animo regressus est in Urbem, cum à Christo obvio audisset: *Vado Romam iterum crucifigi.*

Nec minor Pauli virtus, qui Primò libere prædicabat omnibus Philosophis, Tyrannis, Judicibus. Coram Felice Præside animose disputabat de justitia, castitate & futuro judicio, eundemque perculit & tremefecit, Act. 24. vinctus item prædicabat Christum Festo Præsidi, Act. 26. Elymam magum acriter redarguit & cœcitate percussit, Act. 13. Coram tribunali Neronis ab omnibus desertus solus ipse se defendit, 2. Timoth. 4. ejusque minas & ferociam omnem contempsit, imo tunc in primis suis vinculis multos ex aula Neronis convertit, ad Philipp. 4. in secundis vero pellicem Neronis convertit & ab eo abstraxit.

Deinde vitæ discrimina, vincula, tormenta, invicto animo adiit & sustinuit, ad martyrium, denique cum Petro in Urbem rediit, ut habent acta SS. Processi & Martiniani. Similiter Act. 20. ait: *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me.*

G.

Quoniam igitur horum Principum pares erant virtutes, paribus etiam privilegiis, quoad multa saltem, dotavit eos Christus. Primo pari fere miraculorum virtute. Quemadmodum enim umbra Petri languidos sanavit, Actor. 5. ita etiam Pauli sudaria & semicinctia, Actor. 19.

Secundo. Petrus velut prorex Christi totum orbem rexit: Paulus velut præco Christi, totum pene orbem docuit.

Tertio. In eadem Urbe, Orbis capite, eodem die pro Christo martyrium, tametsi non idem, passi sunt. Paulus velut civis Romanus capite plexus est; Petrus velut exterus & vili genere prognatus, in crucem sublatus. Nimirum, *quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati*, ut Ecclesia canit. Extat adhuc Romæ extra S. Pauli

portam monumentum ejus loci, in quo à se invicem discedentes, sibi mutuo valedixerunt, cum ad martyrium ducerentur, Petrus ad montem aureum, Paulus ad aquas Salvias.

Quarto. Quo loco simul vixerunt & Christo cooperati sunt, eodem quoque requiescunt usque in hanc diem. Capita quidem amborum in Laterano, corpora vero ad sanctum Petrum eodem loco honorifice reposita sunt; Quodque est mirandum, sepulchra eorum etiam inter persecutores & persecutiones, clarissima semper extiterunt, ut testatur Cajus antiquus Theologus circa an. Domini 200. apud Euseb. 2. histor. cap. 24. eademque frequentata fuerunt à fidelibus ipsis persecutionum temporibus, ab usque remotissimis regionibus, ut acta plurimorum Martyrum indicant.

Denique his duobus Apostolis debemus primum Imperatorem Christianum Constantinum Magnū; cui apparuere baptismum suadentes, & Sylvestrum Pontificem accersiri ad hoc jubentes.

CONCIO V.

GLORIA ET PRÆCELLENTIA Principum Apostolorum.

I. SS. Apostoli columnæ Duæ in porticu templi.
II. Columnæ apocalypticæ.
III. Columnæ in deserto.
IV. Columnæ marmoreæ sponsi.
V. Columnæ cœnaculi Philistinorum.

THEMA.

Vos autem, quem me esse dicitis? Matth. 16.

A. SOlebant olim veteres Heroibus, & apud Athenas viris pro patria occisis erigere obeliscos & columnas ad æternam eorum gloriam. Teste Pierio Val. in Hierogl. 49. Tales in hodiernum visuntur adhuc Romę, & inprimis duæ columnæ insigniores: quarum altera Trajani, altera Antonini Imp. erat, utriusq; victoriis & triumphis exornatæ & cælatæ, tam illustres, ut simile quid in orbe non reperias, sive materiam spectes, sive altitudinem (Trajani enim est 128. pedum) sive cælaturam, sive amplitudinem, sive cochleam, qua ab imo ad culmen per 185. gradus introrsum ascenditur; sive culminis coronidem & cancellos tanta latitudine, ut plures simul circum circa inambulare possint. Et vero haud absque Dei providentia factum credi debet, ut tam præstantes columnæ in arce religionis hodieque remanserint; debebantur enim non tam Trajano & Antonino, quam Petro & Paulo, Principibus Ecclesiæ, quæ principale suum domicilium Romana in Urbe posuit. Unde merito Sixtus V Pontifex eas illis consecrans, columnæ quidem Trajani statuam S. Petri, Antonini vero statuam S. Pauli, utramque ex aurichalco fusam, magna & conspicua forma imposuit. Nimirum quia hi Apostoli veræ præstantissimæ Ecclesiæ columnæ erant. Sic enim eas vocat S. Dionysius in epist. ad Timoth. de morte Pauli: *Adveniente, inquit, terribili tempore consummationis ipsorum, cum separarentur ab invicem, ligaverunt columnas mundi, &c.* Et S. Chrys. hom. 32. in ep. ad Rom. *Considerate, inquit, quale spectaculum visura sit Roma in resurrectione: hinc rapietur Paulus, inde Petrus in occursum Domini. Propterea celebra hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ.* Quod si ergo nos interrogarent Petrus & Paulus: Vos autem, quos nos esse dicitis: Respondere vellemus: Vos estis columnæ mundi & Ecclesiæ: ut videbimus.

B. I. *SS. Apostoli columnæ in porticu templi.* Primo. Dico vos esse binas illas columnas, quas extruxit & statuit in porticu templi Salomon. 3. Reg. 7. quarum altera vocabatur *Iachin*, id est, directio & regimen; altera *Boos*, id est, fortitudo seu fortis executio; & unaquæque suum habebat capitellum, quasi mitram. Hæ columnæ Petrum & Paulum designant tanquam Duces Ecclesiæ propositos à Christo vero Salomone; prior designat S. Petrum, cui regimen Ecclesiæ supremum à Christo cōmissum, seu potestas Jurisdictionis. Posterior S. Paulum, qui Gentium Doctor & Orbis Magister designatus, plenariam accepit à Christo potestatem prædicandi Evangeliū toti orbi, ut testatur ipse 1. Tim. 2. dicens: *Positus sum ego Prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide & veritate.* Petrus à Christo vocatus & factus est petra seu firmum & stabile fundamentum Ecclesiæ: Paulus vocatus & factus est à Christo vas electionis ad portandum nomen ejus coram gentibus. *Petro*, ait S. Aug. Serm. 27. de Sanctis, *sicut bono dispensatori clavem regni cœlestis dedit: Paulo tanquam idoneo Doctori gentium, Magisterium Ecclesiasticæ institutionis injunxit, scilicet ut quos iste erudierit ad fidem, ille suscipiat ad salutem: ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clavem enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit.* Et paulo infra: *Ambo igitur claves à Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ. Divitias immortalitatis ille dispēsat: scientiæ thesauros iste largitur.* Hæc Aug. Summus Sacerdos olim in rationali suo gerebat scripta duo hæc verba. *Vrim & Tummim*, id est, *doctrina & veritas*, Ex. 28. Figurabat autem Christum Dominum, qui Ecclesiam suam recturus erat doctrina & veritate. Docendi potestatem dedit Paulo, jurisdictionem & regimen Petro ad definiendum & decernendum veritatem, id est, dogmata, sanciendas leges, &c. Unde

Unde hic quasi manus ejus dextra, ille velut sinistra fuit. Quamquam subordinatus erat Paulus Petro, quo modo Josue Dux belli Moysi, Exod. 17. Ibi enim jussit Moyses Josuen pugnare contra Amalec, ipse interim tendebat manus ad cœlum & orabat: *Egressus pugna contra Amalec*, inquit Moyses: *cras ego stabo in vertice collis habens virgam DEI in manu mea.* Moyses cum Virga pastorali regiminis sui Petrum designat gubernantem: Josue pugnans, Paulum prædicantem. Unde in vita S. Clementis refertur Paulum dixisse Petro: *Tu ora, & ego disputabo.* Hinc apposite Petro appinguntur claves, Paulo gladius.

C. II. *Columnæ Apocalypticæ.*

Secundo. Dico eos esse binas illas columnas descriptas Apoc. 10. Ibi enim vidit Joannes Angelum habentem in manu libellum apertum, & pedes tanquam columnas igneas, quorum dextrum posuit super mare, sinistrum super terram. Significat Christum, qui duobus illis pedibus, seu columnis igneis peragrans orbem terra mariq; promulgavit Evangelium suum, quod significat libellus apertus.

De S. Petro ait S. Leo serm. 1. in hoc Festo: *Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras, nec ut dubius de proventu operis aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, &c.* Sunt qui eundem in Africam & Britanniam pervenisse scribunt. Paulus autem, ut testatur ipse ad Rom. 15. ab Hierosolymis usque ad Illyricum per omnes interjacentes provincias, & ab Illyrico in Italiam & Hispaniam propagavit Evangelium.

De eodem scribit S. Chrysost. hom. 4. de ejus laudibus: *In tantum virtute progressus est, ut vix 30. annorum spatio Romanos, & Persas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopas, & Sauromatas, & Saracenos & omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* Unde Ecclesia eum Doctorem orbis & Apostolum antonomastice vocat. Porro igneas fuisse has columnas patet ex vi & efficacia prædicationis eorum. Petrus enim prima concione convertit 3. millia, Actor. 2. Secunda concione 5. millia, Act. 4. Paulum ob prædicationis virtutem admirandam Lycaonii putabant Deum, & vocabant *Mercurium*, volentes ei sacrificare, Act. 14. Denique S. Augustinum ferunt tria optasse videre: Romam triumphantem, Christum in carne ambulantem, & audire Paulum prædicantem: ut alibi diximus. Vel terra significat, populum Judaicum, qui olim frugifer erat: mare populum gentilem, sterilem, errorum fluctibus agitatum. Petrus autem initio Ecclesiæ prædicavit Judæis, Paulus gentilibus, ad Gal. 2. *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis;* quia scilicet initio prædicationis suæ dividebant operas; & Petrus Judæos, Paulus gentiles susceperat erudiendos. Sed cur pedem dextrum Paulo, sinistrum Petro, tribuimus? Quia Petrus vocatus ad Evangelizandum à Christo in terris degente: Paulus autem ab eodem in cœlis constituto: dextra autem cœlum, sinistra terram denotat, uti respondet S. Thomas in Epist. ad Gal.

Sed tandem quia repellebant Judæi Evangelium, retraxit Deus ab illis etiam alterum pedem, & ad gentes migravit: speciatim vero hos Apostolos ad Occidentem nostrum misit; & eorum opera convertit Europam, ut merito eos Apostolos nostros dicere possimus.

D. III. *Columna in deserto.*

Tertio. Dico esse columnas illas, quæ Israelem duxerunt per desertum ad terram promissionis. Exod. 13. Columnam nubis Petrum, columnam ignis Paulum; siquidem ille Judæos initio Ecclesiæ, uti dixi, Dei cognitionem habentes: hic vero gentiles in nocte ignorantiæ oberrantes duxit ad beatitudinem. Porro uti per columnas illas Deus & locutus & mira operatus est, tutatus est Israelem, submersit Pharaonem, Exod. 14. Ita & per Apostolos illos. Nulli enim leguntur majores patrasse virtutes, quam hi duo Apostoli. Petrus claudum ad speciosam templi portam erexit, & sanavit subito eum ingenti hominum stupore, Act. 3. Ananiam & Saphiram ob fraudem factam, sola vocis suæ sententia extinxit, Actor. 5. Ibidem umbra Petri sanasse infirmos dicitur. Æneam diu ægrotantem mox sanavit & Tabitham à morte resuscitavit, Actor. 9. Idem ab Angelo ex carcere mirabiliter ereptus est, Act. 12. Denique Romæ mira plurima patravit, & in primis Simonis Magi præstigias varie detexit, vicit & confudit, ipsumque demum ex aëre volantem, orante interim Petro dejecit & perdidit, ut scribunt, Egesippus, Clemens, & alii. Paulus Elymam Magum solo verbo excœcavit, Actor. 13. Claudum natum mox erexit, Act. 14. Dæmonem ab Pythonissa ejecit, Actor. 16. Carcerem oratione sua aperuit, ibid. Ejus sudaria & semicinctia curabant languores & pellebant dæmones, Actor. 10. Adolescentem de fenestra lapsum à morte suscitavit, Actor. 20. Naufragos ab interitu salvavit meritis suis, Actor. 27. In Melite viperam manui hærentem excussit sine damno, Act. 28. imo ex tunc eam Insulam serpentibus infestam fecit, ita ut serpentes & scorpiones etiam aliunde eo deportati, qui alibi sunt lethales, ibi sint innoxii, & ut terra ejus insulæ antidotum fit veneni. Baron. anno 58.

His tam grandibus miraculis duxerunt mundum ex Ægypto in Chanaan, id est, de Gentilismo ad Christianismum, de tenebris ignorantiæ ad lucem veritatis.

Adhæc Paulus Columna ignis erat, qui in tenebris errorum constitutos illuminavit prædicando: Petrus columna nubis, qui peccatores incedentes in æstu, id est, statu damnationis suscepit & protexit, remittendo eis peccata.

Quarto.

E. IV. *Columna Marmorea sponsi.*

Quarto. Dico eos columnas binas illas esse, de quibus Cant. 5. dicitur: *Crura illius* (Christi) *columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Columnæ, inquam marmoreæ sunt pedes Christi, Petrus & Paulus, quibus velut pedibus, uti supra diximus, orbem peragravit: quia fortissimi & invictissimi erant, adeo ut sua constantia & fortitudine confirmarent omnes, juxta id, Roman. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere.* Nimirum uti pedes corpus, ita hi Apostoli sua fortitudine sustentabant Ecclesiam. Petri mira fortitudo apparet ex Actor. cap. 2. 3. 4. ubi animosissime redarguit Judæos ob scelus in Christum admissum, ut omnes admirarentur ejus constantiam: & cum Magistratus ei injungeret silentium de Christi nomine, audacter se opposuit, dicens: *Non possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui*, Actor. 3. Pauli invictus animus enituit initio statim conversionis ejus, dum *convalescebat & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus*, Actor. 9. Enituit coram tot tribunalibus, quibus adstitit intrepidus, & in primis coram Nerone sævissimo judice, pro animi libidine omnia faciente, cujus judicium adeo pavendum existimatum fuit, ut Paulum in eo discrimine positum omnes discipuli atque amici dereliquerint præ timore. Testatur hoc ipsemet Romæ custoditus scribens ad Timoth. Epist. 2. cap. 4. *In prima mea defensione*, inquit, *nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur & audiant omnes gentes* (meam intellige libertatem, qua coram Nerone prædicavi) *& liberatus sum de ore Leonis*, id est Neronis. Et cap. 1. *Scis hoc, quod aversi sunt à me omnes, qui in Asia sunt.* Adhæc nulli Apostolorum majoribus attriti laboribus sunt, quam illi. Suos ipse recenset Apostolus 2. Corinth. 11. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c.*

Nimirum hæ columnæ fundatæ erant super bases aureas charitatis, ideo tam fortes & infractæ. Unde exclamat Paulus ad Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*,

F. V. *Columnæ cœnaculi Philistinorum.*

Quinto. Dico eos esse columnas illas duas cœnaculi Philistinorum, Jud. 16. quibus à Sampsone fractis; corruit cœnaculum & obtrivit (summo Hebræorum gaudio & commodo) Principes Philistæos, & quotquot cum illis erant. Ita enim mors & Martyrium horum duorum Apostolorum magnum Ecclesiæ emolumentum, damnum vero ingens gentilitati attulit; Ecclesiam ædificavit, illustravit, auxit & confirmavit: gentilismum convulsit, confudit, comminuit. Illorum sanguine fides quasi irrigata, mirifice est propagata, & innumeri Christiani ad Martyrium veluti Elephantes accensi sunt. Unde S. Leo in serm. 1. de hoc festo. *Duo ista*, inquit, *præclara divini seminis germina, in quantum sobolem pullularint, beatorum martyrum millia protestantur, quæ Apostolorum æmula triumphorum, urbem nostram purpuratis lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.* Sic ille. Nimirum ubi hi duo duces prælium contra Tyrannos inchoarunt, illico magno animo subsecutus est Christianorum exercitus. Ubi illi duo mœnia turbis primi conscenderunt, & vexillum martyrii in eis erexerunt, certatim & alii irruperunt. Neque mirum. Viderunt enim in ducibus illis suis ingentem charitatem pro Christo patiendi, ipsumque imitandi desiderium, fortitudinem in ipsa passione, miracula consecuta. Viderunt circa Petri crucem Angelos stantes cum coronis de floribus rosarum, & liliorum, & Petrum à Christo librum accipientem & verba extrema, quæ loquebatur, inde legentem ac cum Christo loquentem, unde ita cœperunt lætari & gaudere coram Domino, ut ipsi increduli & carnifices videntes eos exultare & lætari, quos prius tristes viderant & plangentes, subito contabescerent animo, ut habetur in actis passionis, ejus sub Lini nomine, & aliis. Viderunt Paulum cervice præcisa, pro sanguine lac fudisse. Ambros. serm. 68. Apparitores & carnifices ejus inde conversos. Chrysost. orat. in principes Apost. Beda. Usuard. martyrolog. Rom. Resectum Pauli caput tres in terra quasi saltus dedisse, & quolibet saltu fontem è terra elicuisse, qui adhuc visuntur & fluunt Romæ, meminique ex eis me bibisse. Viderunt eorum corpora cum ab orientalibus asportarentur ad Catacumbas, secundo ab urbe milliari, per tonitrua & fulgura retenta esse, ne ulterius ferrentur. Gregor. lib. 3. Epist. 30. Viderunt sepulchra eorum adeo glorificata, ut passim ex toto orbe Christiani Imp. Reges, Principes ad ea visenda & colenda confluerent. Ex hoc vicissim res gentilium pessum ire cœperunt. Nero qui Apostolos neci dedit, priusquam annum vitæ postea compleret, crebris provinciarum defectionibus perterritus, desperatione meliorum, cum odiosus omnibus quæri se ad necem sciret, profugus sibi ipsi mortem intulit. Idib. Junii, ætatis anno 32. Baron. Anno 70. Sed Orosium S. Augustini Discipulum audiamus, qui lib. 7. hist. ita scribit de Nerone: *Primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes Provincias pari persecutione excruciari imperavit, ipsumque nomen exstirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox acervatim miseram civitatem obortæ undique clades oppressere.*

Nam

Nam sub sequente autumno tanta urbi pestilentia incubuit ut 30. millia funerum in rationem Libitinæ venirent. Britannica deinde clades è vestigio accidit, qua duo præcipua oppida magna civium sociorumq; clade & cæde direpta sunt. Præterea in Oriente magnis Armeniæ provinciis amissis Romanæ legiones sub jugum Parthicum missæ, ægreque Syria retenta est. In Asia tres urbes, hoc est, Laodicia, Hierapolis, Colossæ terræ motu conciderunt. At vero Nero postquam Galbam in Hispania Imp. creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit. Cumque incredibilia perturbandæ, imo subruendæ Reip. mala moliretur: hostis à senatu pronuntiatus, ignominiosissime fugiens ab quartum ad urbe lapidem sese interfecit, atq; in eo omnis Cæsarum familia consumpta est, &c. Hæc Oros. Et paulo infra: *Luit Roma cædibus principum, excitatis civilibus bellis recentes Christianæ religionis injurias: & signa legionum illa, quæ sub adventu in orbem Petri Apost. divinitus coercita convelli nullo modo ad excitandum civile bellum valuerant, quod per Scribonianum parabatur, Petro in urbe interfecto & Christianis pœnarum diversitate laniatis, toto se orbe solverunt.* Sic Oros. Certe eo anno quatuor Imp. periere. Nero seipsum occidit: Post Galba à militibus occisus est. Ottho etiam seipsum interemit. Deinde Vitellius à copiis Vespasiani cæsus est. Baron. anno 81. Summa; postquam hæ duæ columnæ concussæ fuerunt, corruere cœpit dominatus Imp. Romanorum totaque Idololatria, tandemque factum ut Petrus in suis successoribus sedem ac supremum imperium Romæ obtineret, ejectis Imperatoribus. Quod & Sybillæ prædixerunt apud Lactant. l. 7. c. 15. *Interituram scilicet esse Romam, & quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum & inimica justitiæ alumnum veritatis populum trucidarit.* Nec defuere eo tempore prodigia, quæ ejusmodi mutationem prænuntiarint, gentilismi scilicet in Christianismum. Etenim Plinius tunc vivens & videns l. 2. hist. cap. 38. & l. 17. cap. 25. *Mirum ostentum*, inquit, *& nostra cognovit ætas, anno Neronis principis supremo: pratis oleisq; intercedente via publica in contrarias sedes transgressis.* Et l. 2. c. 103. *Amnes retro fluere & nostra vidit ætas, Neronis principis annis postremis.* Quæ quid aliud portendebant, nisi migrationem Idololatriæ in religionem Christianam, sedem Imp. transituram, in sedem Pontificum, & statum mundi non jam amplius ad impietatem, adeoque ad Orcum & interitum ruituri, sed ad vitæ sanctioris ipsiusque æternæ beatitudinis culmen ascensuri.

Quare merito, O Roma, beatam te prædicamus, quæ has mundi & Ecclesiæ columnas tuo gremio contines. Idcirco enim exclamat Ecclesia hodie; *O felix Roma quæ tantorum Principum es purpurata pretioso sanguine; non laude tua sed ipsorum meritis excellis omnem mundi pulchritudinem.* Sed & felix patria nostra, felix Europa tota, quæ Dei veri cognitionem, fidem Christi, vitam cultiorem & quidquid habet boni, horum Apostolorum accepit beneficio, siquidem hi nos *vivere docuerunt*, ut ait S. Bern. serm. 1. in hoc festo. Viximus enim prius, ut pecudes, vivimus nunc ut homines. Viximus ut morituri, vivimus ut æternum victuri: Rogemus autem dilectissimi, uti ne in patria nostra corruant hæ columnæ. Væ enim nobis, si Petrus clavem sui regiminis, Paulus gladium verbi Dei abstulerint à nobis: Quid enim aliud consequeretur, nisi ruina Ecclesiæ nostræ?

CONCIO VI.

CURA BONI NOMINIS habenda.

I. Quia proximum ædificat.
II. Retinet à multis peccatis.
III. Bonitatem tribuit actibus.
IV. Difficillime recuperatur.
V. Deum glorificat.

THEMA.

Quem dicunt homines esse filium hominis, Matth. 16.

IN præclaro & prolixo illo sermone, quem habuit Dominus in monte post electionem 12. Discipulorum, duo inter alia tradit. Primum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Alterum: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quæ documenta contraria sibi videntur, vult enim in primo, videri opera nostra ab hominibus, in altero non vult. Sed facilis est solutio ex ipsis Christi verbis. Vult enim videri ab hominibus opera nostra bona, sed ut per hæc glorificetur Deus, non ut videamur aut glorificemur nos. Sic etiam vult ac præcipit, ut luceat fama nostra bona coram hominibus: non debemus tamen quærere illam ad gloriam & jactantiam nostram: sed ad Dei gloriam, proximi ædificationem & salutem propriam. Pulchre hoc idem docuit exemplo suo Dominus in hod. Evang. Voluit enim famam suam lucere coram hominibus: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Sed ne videretur eam quærere ad jactantiam & gloriam suam, non dixit: Quem me dicunt homines? Sed *quem dicunt homines esse filium hominis?* quasi alium insinuans. Hinc ergo nos docemur non negligere famam nostram, nec contenti esse bonâ conscientiâ, quidquid alii de nobis dicant, &c. Sed curare etiam ut bene audiamus, juxta id Ecclesi. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri*

thesauri pretiosi & magni. Docemur interim & hoc, ne ex ambitione quæramus bonum nomen, sed ad gloriam Dei, proximi ædificationem, & propriam salutem, uti mox videbimus.

B. I. *Quia proximum ædificat.*

Primo. Quia bona fama tua proximum ædificat: mala vero destruit & offendit, nec non in malo firmat; siquidem homines externam conversationem aspiciunt, intentionem non vident. Hinc S. August. serm. 1. de vit. com. cler. ait: *Duæ res sunt conscientia & fama; conscientia tibi, fama proximo necessaria est. Qui fidens conscientiæ suæ, famam suam negligit, crudelis est.* Sic ille. Ratio quia sicut fætor extinctæ candelæ de sævo offendit nares, & si credimus Aristot. l. 5. animal. perimit fœtum matris in utero: sic mala fama tetrum gignit odorem coram hominibus; bonos offendit & scandalizat, ac bona eorum proposita jam concepta elidit: malos in malo firmat & pejores facit. De B. Catharina Senensi accepimus, eam nares occludere solitam, quoties ei quis obscænus & venereis criminibus obnoxius occurrisset: Deo sic permittente, ad fœtorem infamis hujus sceleris indicandum: sic unus malus rector offendit tetro suo odore omnes subditos: unus domesticus infamis totam domum. Unus clericus infamis reliquis sæpe maculam aspergit, & alios ab hoc statu avertit, &c. Ut enim qui cum fœtente homine incedit, gravatur & aliquid ab ipso tetri odoris contrahit: sic qui communicat infami, ejusdem infamiæ labe non solum gravatur, sed & aspergitur. Et quia vulgus pronus est ad offensionem, idcirco non solum crimine, sed etiam suspicione criminis abstinere oportet, juxta id 1. Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Hæc causa est, cur Levit. 11. Deus prohibuerit edi camelum, cuniculum, leporem, suem, cygnum, noctuam, aquilam; quia figura & ingenio suo gravia adumbrant vitia, camelus superbiam, Chærogryllus seu cuniculus avaritiam, lepus timorem mundanum, sus libidinem, noctua prudentiam carnis, aquila rapacitatem, cygnus in aqua & terra degens, ingenium politicorum. Contra bona fama recreat & allicit ad virtutem proximos. Quemadmodum enim columbæ cicures prius unguento quodam delibutæ ab aucupibus, ut scribit S. Basil. Ep. 175. alias columbas odore suo pelliciunt & in decipulam adducunt: Ita qui bonæ famæ odorem habent, alios ad virtutem amandam & colendam alliciunt: juxta id Apost. 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus, Deo in iis, qui salvi fiunt & in iis, qui pereunt.* Sic Joan. Baptista optimum odorem suum reliquit in naribus Herodis, ut licet ejus vitia argueret, ab eo tamen magni æstimaretur & timeretur. Sic Cæcilia Virgo Valerianum sponsum suum Christo adduxit, postquam ille prima nuptiarum nocte fragrantissimum castitatis odorem in conclavi ejus percepisset. Sic odor unius bene moratæ & piæ civitatis longe lateq; propagatur, & provocat alias ad virtutem. Bene igitur S. Aug. l. de bono vid. c. 22. ait: *Quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama.*

C. II. *Retinet à multis peccatis.*

Secundo. Quia retinet hominem à peccatis saltem publicis, & conservat in bono ac virtutibus. Unde recte bona fama comparatur cortici, ut enim cortex licet vilior sit arbore vel nucleo, conservat tamen arborem, vel nucleum, quæ sine eo cito corrumpuntur: ita bona fama, licet minus bonum sit quam virtus, virtuosam tamen & honestam vitam conservat. Qui enim bene semper audiit, de probitate vitæ commendatus fuit, timet utique perdere tantum bonum, quale est bonum nomen, quod teste Sap. Proverb. 22. *melius est quam divitiæ multæ.* Et Eccles. 7. *quam unguenta pretiosa.* Ut ergo divitiæ sedulo reconduntur ne perdantur: & unguenta. *Ne muscæ morientes perdant odorem ejus.* Ut ait Eccles. cap. 16. Sic custoditur bonum nomen. Hinc 2. Machab. 6. Eleazarus ille Judæus celeberrimus, cum ab Antiocho Rege compelleretur contra legis suæ præscripta comedere carnem porcinam. *Cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus, & secundum sanctæ & à Deo conditæ legis constituta respondit cito, dicens, præmittit se velle in infernum non enim ætati nostræ dignum est,* inquit, *fingere; ut multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, &c.* En quomodo eum nominis sui celebritas retinuerit ab indecoro?

Contra qui malæ famæ est, non ducit sibi dedecori, etiam gravia piacula committere. Ut enim qui vestem novam gerit, non in quovis loco considet, sed prius diligenter eum purgat: Postquam vero attrita est vestis & quotidiana facta, nihil amplius curat, quocunque loco sedeat: ita quamdiu quis bonum nomen retinet, tamdiu etiam metuit turpia committere; ubi vero illud perdidit, nihil amplius curat. Patet ad oculum in iis, qui aliquando publica infamia affecti sunt, ut qui fascibus cæsi, vel auribus truncati, vel in numellis steterunt, qui rarissime emendantur, sed plerumque pejores fiunt. Item in meretricibus Jerem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* De his ait Job. cap. 15. *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Homines enim malæ famæ, bibunt iniquitatem, quia sine scrupulo aut metu suæ ignominiæ ebibunt res vetitas: Homines vero laudati, comedunt eas potius, quia non subito deglutiunt, sed prius bene masticant considerando & ponderando, quantum suo nomini dedecoris accessurum sit, si tam graviter delinquant. Itaque famam negligere nihil est aliud, quam vitiis fræna laxare, & tales ad exitium tendere, manifestum est argumentum: Sicut quando æger nihil amplius comedere, sed bibere tantum vult, mortem sibi

vicinam

vicinam denuntiat, juxta id Psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum, appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Unde merito talis vocatur à Job *inutilis homo.*

D. III. *Bonitatē tribuit actibus.*

Tertio. Quia bonitatem quodammodo & rectitudinem tribuit omnibus actibus tuis: ita ut communiter bonum reputetur a vulgo, quod fit à bono & laudato viro: malum quod fit à malo. Unde & Dominus Matth. 12. dixit: *Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.* Hinc cum de viro bono malum aliquid dicitur, à bonis difficile creditur, vel excusari solet: atque ita bona fama homines defendit contra obtrectatores. Sic Judith quia erat famosissima & timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum, ut dicitur Judit. 8. cum in obsidione Bethuliæ splendidissime adornata exiret de civitate ad hostium castra, nemini suorum civium suspicionem malam fecit, quasi ad civitatem prodendam vel scelus aliud perpetrandum pergeret: sed à senioribus civitatis libere exire permissa est, licet illi nescirent nec interrogarent, quid actura esset apud hostes & Holofernem, Judith. 10. cum tamen alioquin in simili negotio cautissime procedi soleat, nec facile quis è civitate obsessa ad hostes emittatur, nisi constet quid acturus sit.

Contra Pharisæus Luc. 7. videns Magdalenam adhuc infamem ad convivium intrantem, statim memor malæ ejus famæ, male suspicari cœpit de ea; quod nimirum ex levitate potius & peccandi quam pœnitendi voluntate advenerit.

E. IV. *Difficilime recuperatur.*

Quarto. Quia semel perdita difficile recuperatur: acquisita vero diu conservatur, & transit etiam ad posteros: Unde dixit Eccl. c. 41. de bono nomine: *Hoc magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Hinc commendantur liberi à probitate parentum suorum: sicuti & Joan. Baptista à parentibus suis Luc. c. 1. *Erant*, inquit, *justi ambo ante Deum, incendentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.*

Contra, ut dixi, semel perdita difficulter reparatur; quia semel diffamatus semper illud audiet: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ut enim ignis facile servatur, sed extinctus difficile reaccenditur: ita etiam fama bona. Non debet tamen idcirco, qui aliquando vel semper male audivit, desperare de recuperatione sui nominis: Sed potius pertinaci morum emendatione vincere opinionem, maximè si ea falsa fuit. *Falsus enim rumor cito opprimitur, & vita posterior indicat de priore* ait S. Hieron. in Epist. ad Furiam. Quin imo Magdal. quæ prius erat & dicebatur peccatrix ob publicam infamiam, ita mutavit nomen, ut postea Christi amatrix præcipua dici mereretur.

Quod si morum probitate, vel vitę emendatione iniquam à te famam depellere nequeas, non idcirco tamen plus æquo consterneris: Est hæc una ex calamitatibus humanis, quam ne sanctissimi quidem effugere ex omni parte potuerunt. Sic enim Apostolus 2. Tim. 3. *laboro usque ad vincula, quasi male operans* (Græcè, *quasi malè factor*) q. d. merces mei laboris est ut vinciar velut malefactor, sufficit tibi in hoc casu, conscientia tua. Demetrius Phalereus Atheniensium præfectus, cum in exilium fugere compulsus, audisset trecentas illas statuas, quas ei Athenienses ob præclara facta erexerant, ex invidia dejectas & in matulas per ignominiam conflatas esse, subridens dixit: *Statuas quidem evertere invidi potuerunt, virtutes autem & præclara gesta, quibus præmia imagines illæ extiterunt, nunquam abolere poterunt.* Plut. Apud sat multos bene audies, si apud Deum & temetipsum. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? quis est, qui condemnet?* Rom. 8. Restituet hic suo tempore omnibus honorem debitum. Interim conscientia nos soletur. *Conscientiæ satisfaciamus*, ait Seneca, *nihil, in famam laboremus, sequatur vel mala, dummodo bene merearis.*

F. V. *Deum glorificat.*

Quinto. Quia bona fama unum ac verum, hoc est, Christianorum Deum glorificat, & huc potissimum collineare debemus, cum famam bonam quærimus, ut nimirum homines videntes lucem operum nostrorum bonorum, glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. Ob hanc causam, sæpenumero non possumus: licet vellemus, negligere famam nostram, sed tenemur infamantem cogere ad recantationem, quando scilicet hinc Dei gloria detinetur. Unde S. Gregor. hom. 9. in Ezech. *Hi quorum vita in exemplo imitationis est*, inquit, *debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus manentes bene vivere contemnant.* Talium enim pastorum ignominia redundat in Deum, cujus illi personam repræsentant, & cujus gloria per hoc in proximi ædificatione impeditur. Vicissim propter male audientes blasphematur nomen DEI.

Curet ergo unusquisque conservare ac tueri famam suam, ut juxta S. Petri monitum 1. Pet. 4. *in omnibus honorificetur DEUS per Jesum Christum*, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

CONCIO VII.
NON ERUBESCENDUM confiteri Christum, & vivere Christianè.

I. *Christum confiteri & sequi gloriosum.*
II. *Servile est timere mundi sannas.*
III. *Nec Christus erubuit.*
IV. *Compensabit Deus.*
V. *Erubescentia nocet.*

THEMA.

Tu eſt Chriſtus filius Dei vivi, Matth. 16.

A. ANtiqua Hebræorum traditio eſt (apud Hieronym. in Oſe. 11. Magiſt. hiſt. ſchol. in Exod. Titelman. in Pſalm. 113.) tribum Juda ejuſque Ducem Aminadab idcirco ſceptrum regni conſecutum, & Ducem aliarum tribuum conſtitutum eſſe, quod ipſe cum ſua tribu primus cæteris trepidantibus ingreſſus ſit mare rubrum, cum id inſtar muri utrimque diviſum ſtaret. Hinc enim ejus exemplo provocatæ cæteræ tribus mare pertranſierunt. Non diſſimili ratione S. Petrus è 12. diſcipulis unus, primus per publicam confeſſionem intravit in abyſſum divinitatis Chriſti, dum dixit: *Tu es Chriſtus filius DEI vivi.* Non timuit ille duos illos parietes, timorem & pudorem: minas & obtrectationes malorum. Hanc igitur tam magnanimam confeſſionem ita remuneratus eſt Chriſtus, ut propterea ſtatim promiſerit illi primatum Eccleſiæ & ſummum pontificatum, nunquam evertendum. Nec immerito, ſiquidem Petrus hac ſua confeſſione cæteris Apoſtolis, ut idem facerent, exemplo præivit. Nec illis tantum, ſed & nobis omnibuſque omnino Chriſtianis, qui hac Petri voce confirmati, Chriſtum verum Dei filium & voce & vita confeſſi ſunt. Habemus igitur Auditores, & videmus in hodierno Evangelio noſtrum Aminadab, præeuntem nobis in tam profundum mare ſummi fidei myſterii. Hunc ergo & nos ſequamur, non ore tantum, ſed & actu & moribus, ut non modo Chriſtum confiteri, ſed & Chriſtianè vivere minime erubeſcamus. Sed quia video adhuc trepidantes hac in re aliquos, qui ſingulis menſibus vel hebdomadis confiterentur & communicarent, ſingulis diebus Miſſam audirent, ad ſalutationem Angelicam genua flecterent in publico, &c. niſi timore & pudore à virtute retinerentur, animemus illos.

B. I. *Chriſtum confiteri & ſequi glorioſũ.* Primo. Quia glorioſum eſt confiteri Chriſtum & ſequi eique ſervire. Quis enim erubeſcit, imo quis non gloriatur ſe habere Dominum Regem? Quem pudet tali Domino ſuo publice ſervire, aſcenſuro in equum tenere ſtapedes? Pranſuro affundere aquam, &c. Non pudet hoc Imperatorem, quando Romæ eſt, facere ſummo pontifici, tanquam Chriſti vicario, & nos talia erubeſcamus facere ipſi Chriſto? Quis non ſtudet honorem Domini ſui promovere, & ignominiam vindicare? ac ſi hoc facere ei contigerit, an non ſibi gratulabitur; Nos DEI ſervi ſumus, quia fecit nos & eripuit nos de poteſtate tenebrarum: ei fidelitatem juravimus in Baptiſmo, & renuntiavimus ejus hoſtibus: Cur ergo non DEO potius quam dæmoni aut mundo placere optemus?

Adhæc DEO & Chriſto ſervire & teſtimonium præbere, non eſt aliud niſi virtutem colere; quis autem ſapiens erubeſcat de virtute? Quis recte incedens erubeſcat, ſi à claudis rideatur? & quis non fatuum diceret illum, qui cum recte incedere poſſet, deriſione tamen claudorum motus, inciperet claudicare? Qui virtutem ſectantur, recti ſunt: qui vitium, claudi. Quare ſi te recte incedentem rideant claudicantes, laudabunt tamen recti & ſapientes. Ita enim Fridericus Imperator interrogatus, quinam ſibi eſſent chariſſimi? reſpondiſſe fertur: *Qui me non magis quam Deum timent.*

Taceo quod ad extremum ab iis ipſis obtrectatoribus, qui prius te vituperabant, laudaberis, ſi ſtrenuum te in virtutis & vitæ Chriſtianæ ſtudio exhibueris. Sic enim teſtatur S. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Domini. *Cum quiſque,* inquit, *Chriſtianus cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipſa novitate operum ſuorum patitur reprehenſores & contradictores, frigidos Chriſtianos. Si autem perſeveraverit perdurando & non defecerit à bonis operibus iidem ipſi nobis obſequentur, qui antea prohibebant.*

C. II. *Servile eſt timere mundi ſannas.* Secundo. Quia turpe & puerile eſt ſignumque puſilli & ſervilis animi timere mundi cœci, inſani, & infirmi obtrectationes & deriſum. Quid enim eſt mundus, ut tu ejus gratia à recto & æquo deviare, Deumque tuum deſerere & negare debeas? Latrare poteſt, mordere non poteſt; & ubi aliquantulum latravit, etiam latrare ceſſabit, erit inſtar catelli, vel anſeris morſum minantis, ſed infigere neſcientis. Quam excors foret ille miles, qui ad unius bombardæ exploſionem illico corrueret, & hoſti manus daret? Talis autem eſt qui ad mundi obtrectationem à bono opere ceſſat vel abſtinet. Nimirum illi ſunt de quibus cap. 26. dicitur: *Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nemine perſequente.* Metuunt enim verba hominum qui parum aut nihil eis nocere poſſunt; Deum vero qui & animam & corpus mittere in gehennam poteſt, non metuunt. Mundus non eſt judex tuus; ſed Deus. Præſtat ergo perdere gratiam mundi, quam DEI. Luna imitanda eſt, quæ ad importunos canum latratus obſurdeſcens nunquam intermittit curſum ſuum, canes autem ſilentio ejus confuſi coguntur tandem fatigati rabida ora claudere.

D. III. *Nec Chriſtus erubuit.* Tertio. Quia nec Chriſtus erubuit pro nobis in vili & abjecto apparere habitu, forma ſervi accepta: Non erubuit ponere veſtimenta, præcingere ſe linteo & lavare pedes ac tergere diſcipulis ſuis; denique veſtibus exui & flagellari, velari, nudus crucifigi & pendere in ligno quaſi maledictum (majora facit adhuc in S. Euchariſtia) Et qui ſumus nos reſpectu illius? Dominus non erubeſcit lavare pedes ſervo, confundi & irrideri pro ſervo: & ſervus erubeſcat hæc pati vel agere pro Domino? Hoc exemplar proponit nobis imitandum Apoſt. ad Hebr. 12. dicens: *Curra-*

Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & Consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedet. Hoc attendêre sancti illi Joseph ab Arimathia, & Nicodemus, qui cum prius essent occulti Jesu discipuli, postea videntes sustinuisse eum crucem confusione contempta, contempserunt & ipsi confusionem; & ille quidem introivit audacter ad Pilatum & petiit corpus Jesu, & deposuit de cruce, licet esset nobilis Decurio, Marci 15. alter vero afferens mixturam myrrhæ & aloês unxit corpus Jesu, & ambo honorifice sepelierunt, Joan. 19. idem exemplum secutus est Apostolus ad Gal. 1. scribens: *An quæro hominibus placere: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et ad Rom. 1. *Non erubesco Evangelium.* Quam etiam vocem usurpavit perillustris Palatinides Paulus Kostka Frater B. Stanislai Kostkæ, uti habetur in ejus vita, qui parentibus orbatus, hæres amplissimorum bonorum, fratrem secutus, omnia sua bona Christi amore in pauperes erogavit, & hospitalem domum extruxit, in qua inter pauperes vivere & mori voluit, ideoque suo sepulchro inter eos posito, voluit inscribi: *Non erubesco Evangelium.* Nimirum scribit S. Ambros. lib. 1. offic. c. 30. *neminem debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi, quia Christus pauper factus est, cum dives esset, ut nos sua inopia ditaret.* Hoc eodē stimulo tactus Adolphus Holsatiæ Comes, cum spreto mundo pauperem Franciscanorum habitum induisset, & forte obviantibus sibi filiis splendido equitatu. factus obvius lac mendicatò collectum portasset, humano primum affectu tactus erubuit: Sed illico se colligens, lacte se totum perfudit in conspectu filiorum dicens: *Infelix homo paupertatem erubuisti, bajulare lac, nunc in capite & cucullo ostende quid portaveris:* Hieron. Ziegl. de viris illustribus German. cap. 48. Denique SS. Martyres cujuscunque ætatis & sexus quævis despectissima paratissimo animo pro Christo pertulere, & in hoc ipso gravisi sunt. Uti & S. Hieron. qui ad Asellam scribens, ait: *Gratias ago Deo, quod dignus sim, quem mundus oderit.* Alii ultro humilitatis obsequia ad imitationem Christi suscepere, uti olim Reges Angliæ qui feria 5. majoris hebdomadæ leprosorum pedes lavare & exosculari solebant, ut testatur S. Ludovic. Galliæ Rex, apud Jonuil. in vita cap. 84.

E. IV. Compensabit Deus

Quarto, quia exiguam illam ignominiam vel irrisionem compensabit Deus ingenti gloria. Ipse enim dixit: *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* 1. Reg. 2. Et rursum, Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Neque solum coram patre suo confitebitur in cœlis, sed multoties confitebitur & extollet eum in terris. Sic enim Petro se confitenti mox respondit: *Beatus es Simon Bariona, &c. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, &c.* Ita etiam exornavit S. Elisabetham Seginam & Ducis Conjugem, sui ipsius contemptricem, & amore Christi nequaquam erubescentem vili incedere habitu. Nā cum aliquando Andreas Pannonum Rex, Pater ejus, Legationem misisset ad maritum Elisabethæ, ipsaq; tunc temporis abjecta veste induta esset, ut maritum puderet, producere ipsam tam sordido habitu ad populares; respondit illa: *Nihil est quod erubescas meas sordes, vestium splendorem semper contempsi.* Sed quid actum? In publicum progredientem Deus ipse hyacinthina vesta gemmis auroq; fulgente, decore & magnifice ingenti miraculo induit. Inde attonitus Princeps, rogavit unde illi tam repente tantus vestium splendor foret? cui illa? *Sic novit cœlestis remunerator suos cultores & cultrices in tempore exornare.* Raderus in Bavaria S.

Quando ergo tanta est merces hujus confessionis: quis curet mundi oblocutiones & sannas? Quādo quis thesaurum fodit, certus ubi inveniat, nil curat homines, quidquid illi obganniant, rideant, & derideant. Sic, quic certi sumus exiguam illato confusionem compensandam ingenti gloria, quis illam non libenter sustineat?

F. V. Erubescentia nocet.

Quinto. Quia Christi erubescentiam sequitur ingens damnum. Ait enim Dominus, loco citato: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum ego coram patre meo, qui in cœlestis est.* Et Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & patris & sanctorum Angelorum.* Et quantum isti pudefient in die Judicii? quantum in inferno, cum videbunt se ob inanem pudorem, quem vitabant, incurisse tam intolerabilem & perpetuum?

Addo quod hæc noxia erubesentia sæpe impediat hominum salutem & afferat certam damnationem, ut videre est apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. de nobili juvene, qui humano pudore præpeditus, pœnitentiam agere noluit; ideoque damnatus est, ne videlicet rideretur ab aulicis, si imminente morte quasi timore compulsus pœnitentiam ageret, ut alibi vidimus. O si nos intelligere possemus; quo sibilo, quibus cachinnis, quo ludibrio exceptus fuerit in inferno infelix ille juvenis. Quid putamus inferos dixisse aliud, quam hæc talia: O stulte & stultorum omnium stultissime, quo tandem modo tu in hunc tormentorum locum venis? Nos sectati fuimus aurum & argentum, prædia & possessiones, delicias & voluptates, honores & dignitates. Hæc aliquid sunt in mundo. Sed tu ob vanissimum pudorem, quem tibi imaginabaris & fugere conabaris, (qui tamen potius honor erat, quam pudor) in hoc barathrum & ignominiam æternam te præcipitasti? Quanto tibi melius fuisset, sustinere modicum illum contemptum, quam hunc æternum & intolerabilem? O stulte & infelix homo! Iam habes, quod fugisti: & quidem centies millies.

Item qui timidi sunt in bene agendo, facile dejiciuntur à proposito. Hac enim de causa Petrus in atrio Pontificis, quia timide versabatur, à muliere perterritus negavit Christum: cum tamen alteri discipulo, qui eum introduxerat, nihil simile contigerit, quia scilicet iste tanquam notus Pontifici, animosum se ibi præstitit, ac si domesticus esset. Hinc Sapiēs Prov. 29. ait. *Qui timet hominem, cito corruet; qui sperat in Domino, sublevabitur.*

Illustre fortitudinis Christianæ exemplum describit Victor Uticensis testis oculatus lib. 3. histor. VVandalicę de puero Christiano, Maximo nomine, qui cum aliis sex pro fide Catholica ab Arianis ad necem condemnatus, cum duceretur, Arianis eum a fide abducere conantibus hac voce: *Infantule, quid festinas ad mortem? Dimitte eos, insaniunt: audi consilium nostrum, ut possis invenire vitæ remedium & tanti Regis adire palatium;* animose respondit: *Nemo me separat à sancto patre meo Liberato Abbate & fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in timore Dei conversatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me & futuram gloriam invenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meam. Simul nos septem voluit Dominus congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare instar septem Machabæorum. Nam si negavero eum, & ipse negabit me, uti ipse prædixit.* Ducti ergo sunt navi in altum mare, ubi navis cum lignis succensa est, sed mox ignis à Deo extinctus fuit, idque secundo & tertio iterantibus succensionem contingit. Quare pudore & ira fremens Tyrannus, jussit vectibus remorum eis cerebrum comminui itaque enecari. Tali ergo genere mortis felicem animam DEo exhalarunt; quorum corpora præter naturam eadem hora mare illæsa in terram exposuit: ad quod Rex expavit. Clerus ea honorifice sepelivit. Ita Victor.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA ET Mysteria.

I. Cura habenda famæ.
II. Non ferendum gravius si sinistre de nobis sentiat vulgus.
III. Non recensendæ primo quæ de ex ipso sparguntur calumniæ.
IV. Plus requiritur ab institutis CHRISTI doctrinæ.
V. Petri primatus.
VI. Quæ vera Ecclesia.
VII. Plenaria Petri & successorum potestas.

THEMA.

Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est, Matth. 16.

A.

PRimo Reg. 6. legimus iram Dei terribili plaga sæviisse in Bethsamitas, eo quod arcam Dei ex temeritate curiosius inspexissent. *Percussit enim Dominus propterea septuaginta viros & quinquaginta millia plebis.* Quare indicare voluit Deus, periculose inspici & discuti sacræ scriptur arcana a plebes & in eruditis. Infelices ergo Bethsamitæ, quia caro & sanguis, id est, propria cupiditas & curiositas revelavit illis arcam. Infelices etiam illi qui juxta proprium caput exponunt sacras literas. Beatus contra dicitur Petrus, quia caro & sanguis non revelavit ei divinitatem Christi, sed pater cœlestis. Hoc ergo revelante intuebimus arcana in hodierno Evangelio contenta.

B. I. *Cura habenda fama.*

Primo, Cernimus curam esse habendam boni nominis & famæ. Audimus enim quærentem Dominum, quid fama de ipso spargeret. Scivit quidem hoc Dominus, sed nos instruere voluit, ut non solum conscientiam bonam, sed & famam procuraremus bonam, DEo enim bonam debemus conscientiam, proximo autem famam bonam. Quemadmodum domos nostras intus & fortis exornare solemus, intus pro nobis, foris pro republica & civibus. Sacrificia veteris legis cum suavi odore requisivit Deus, uti Numerorum 28. *Offeretis holocaustum suavissimi odoris.* Hinc Levit. 2. respuit Deus sacrificium de fermento & melle, quia hæc si crementur tetri odoris sunt. Non ergo sufficit, si in conscientia dulcedinem mellis habeas, sed necesse est præterea, ut bonæ famę odorem habeas; Quemadmodum illa Judith, de qua dicitur: *Non erat qui loqueretur de ea verbum malum,* Judith. 8. Et parentes Joannis Baptistæ, qui *erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela,* Luc. 1.

Sed hic observandum. Primo Christum non quæsiisse quid de aliis diceretur, sed quid de ipso solum. Modo quærunt homines tantum, quid dicatur de hoc vel illo: non curant quid de se dicatur. Verrunt itaque ante alienas ædes; non verrunt ante suas.

Secundo. *Non dixisse: Quem me dicunt esse homines, sed filium hominis, ne jactanter de se quærere videtur,* inquit Divus Hieronymus.

Tertio, non interrogasse improbos, quid dicerent de ipso, sed discipulos suos, viros veraces, synceros & conscientiosos. Malim enim si interrogentur, vita laudabunt vel excusabunt, virtutes vero carpent; liberalitatem dicent prodigalitatem, jejunia sui ipsius internecionem, orationem hypocrisin, &c.

Quarto interrogasse suos discipulos sibi notos & conjunctos, qui bene ipsum noverant. Ita si quis seipsum, nosse vult, interroget domesticos suos, vel Confessarium suum, cui solet aperire conscientiam. Sunt enim qui foris oves & angeli habentur, in domo vero propria deprehenduntur Leones & dæmones, duri, impatientes, iracundi, superbi, &c. Ut ergo illum medicum consulere solemus, qui naturam & complexionem nostram perfectam habet: ita illos interrogare deberemus, qui norunt vitam nostram. Vetus Judæorum proverbium fuit. *Qui interrogant, interrogent in Abela*, id est, ibi, ubi sunt sapientes, 2. Reg. 20.

C. II. *Non ferendum gravius, si sinistre de nobis sentiat vulgus.*

Secundo. Cernimus non moleste deferendum esse, si promiscuum vulgus sinistre de nobis sentiat, siquidem & Christus ipsa bonitas & sanctitas, passus est sinistra & falsa de se hominum judicia, Christi vitam homines in stateram appendebant & *alii dicebant, quia bonus est: alii vero non, sed seducit turbas*, Joan. 19. quid mirum si hoc contingat nobis? Quis quæso hac in re plus perferre debet, quam Reges, Imperatores, Pontifex? Nihil facilius Antigono Regi fuisset, quam duci jubere servos duos, qui incumbentes regio tabernaculo ipsum convitiabantur. Verum hoc audiens, leviter tantum cortinam, quæ intererat, commovit, & *Longius*, inquit. *discedite, ne Rex vos audiat.* Tulit hoc Rex Ethnicus, & non ferat Christianus? sane si in illis rei non sumus, in quibus carpimur & notamur, sumus tamen in aliis, quæ si paterent obtrectatoribus merito reprehenderemur.

Adhæc nemo ita vitam suam instituere potest, ut omnibus perplaceat, ac si quis hoc facere conaretur, stultissimus evaderet; adeo varia & inania sunt hominum judicia. Polycletus insignis statuarius eodem tempore duo simulachra fecit, alterum, ad arbitrium plebis, alterum juxta artis Normā. Prius illud, ut gratificaretur plebi, ab uniuscujusque accedentis sensum & arbitrium mutavit & transposuit, postea utrumque visendum proposuit. Et primum quidem ludibrio, secundum vero admirationi habuerunt. Tum Polycletus: *At quod ridetis & reprehenditis, à vestra arte profectum est, quod vero suspicitis, à mea.* Ælian. lib. 14. de hist. cap. 8. Talis meo judicio evaderet, qui se omnium judicio accommodaret. Videns istud Dominus, hominum de se judicia neglexit, & discipulos interrogavit: *Vos autem quem me esse dicitis?*

D. III. *Non recensenda proximo, quæ de ipso sparguntur calumnia.*

Tertio. Non recensendas esse proximo, quæ de ipso sparguntur, calumnias. Videmus enim discipulos, non dixisse Christo, quid in ipsum vulgus fingeret & cavillaretur, verbi gratia quod hominem voracem, & vini potatorem aliqui dictarent (quod utique sciebant) quia noluerunt esse nugiguli, & aures Domini talibus figmentis verberare. Hoc enim munus non est Apostoli, sed dæmonis & gehennæ ministri, qui flammas inferorum succendit. Dæmonem, ait Sanctus Gregorius, fuisse nuntium illum, qui Sancto Job tristia & pessima nuntia tulerat, de filiorum interitu, de clade armentorum, &c. ut hac ratione Jobum ad impatientiam impelleret. Similes huic sunt, qui sub specie amicitiæ acerbis & inquis nuntiis aures aliorum implent, ut discordias seminent. Bene Diogenes cuidam tali, qui amici calumnias in eum dictas ei recensuit, respondit: *An amicus id dixerit, durum est, de te autem mihi manifestum est.* Quare si quid sinistrum de proximo dici audimus, quod verisimile appareat, moneamus de hoc proximum, ut se emendet. Si falsum esse existimamus, respondeamus pro absente & obstruamus os susurroni, dictumque oblivione sepeliamns, juxta consilium Sapientis, Ecclesi. 19. *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.*

Maxime vero hoc observent, qui in magna hominum existimatione vel dignitate positi sunt. Unde enim putatis fama illa increbuit, qua Christus dicebatur esse Joannes Baptista? Utique ex eo quod Herodes audiens famam Jesu, per ineptiam dicebat Joannem à se decollatum resurrexisse; & hunc esse Christum, Matth 14. Hoc ergo velut Regis verbum populus mox arripuit & credidit Christum esse Ioannem. Verba igitur magnatum, quia ponderosa sunt, scindunt longe atrocius & vulnerant gravius, si falsa & iniqua sint, quam verba privatorum hominum.

E. IV *Plus requiritur ab institutis Christi doctrina.*

Quarto. Videmus plus requiri à Clericis, quam à Laicis, à veteranis Christianis, quam à novitiis, à Civibus quam à rusticis, & universim ab iis, qui Verbum Dei crebrius audierunt vel audire potuerunt, quam ab aliis, qui non potuerunt. Hoc enim innuit Dominus: cum ait ad discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis?* q. d. miror si plebei erroneas de me opiniones habeant; at vos melius eruditi estis, melius proinde & rectius de me sentire debetis. Qui plus temporis in scholis consumpserunt, plus tenentur scire, quam qui heri inceperunt. Præstitit hoc Petrus cum condiscipulis: cum enim reliquorum hominum de Christo opiniones humi serperent, hominemque tantum in CHRISTO agnoscerent, ipse in cœlum evolavit, & divinitatem CKRISTI vidit ac confessus est.

F. V. *Petri primatus.*

Quinto, Videmus Petri primatum super alios Apostolos, ut qui solus velut caput Apostolorum, & Ecclesiæ futurus confitetur Christi divinitatem & humanitatem; & cui soli dicitur: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quid euim traditio clavium nisi plena & summa potestas ad regendam Ecclesiam? Sic enim accipitur clavis Isa. 22. ubi de instituendo novo pontifice dicitur: *Dabo clavem Domus David super hume-*

humerum ejus. Ad Petrum igitur seu successores ejus pertinet dicere sentẽtiam in rebus fidei dubiis. Quid ad hæc Hæretici, qui primatum in Ecclesia negant? Ajunt etiam reliquis Apostolis datam esse à Christo plenariam potestatem ligandi & solvendi, Ioan. 20. ac proinde patrem. Sed respondetur cæteros Apostolos in hoc fuisse pares *Petro*, primo quod à Christo immediatè auctoritatem Ecclesiastici ministerii habueruut. Secundo quod eam ita acceperunt, ut ea ubivis locorum rite & legitimè uti possent, non in hac vel illa mundi parte duntaxat. Cæterùm potestas Petri quo ad duo præcellentior fuit. Primum, quia eam potestatem accipit ut ordinariam, quæ proinde post ejus mortem transiit ad ejus Successores. Cæteri Apostoli ut delegatam, quæ non transiit ad successores, ut videlicet ubivis locorum uti potestare sua possent, sed cum illis extincta est. Secundum: quia potestas aliorum Apostolorum subjectionem quandam annexam habuit ad Petrum: Petri vero potestas omninò absoluta & summa fuit. Huic enim soli dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et: *pasce oves meas* Et: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

6. VI. *Quæ vera Ecclesia.*

Sextò, Videmus quæ sit vera Christi Ecclesia; illa nimirum quæ semper viget, & à portis inferi nunquam opprimitur. Talis autem non est nisi Ecclesia Catholica; siquidem aliæ antiquorum hæreticorum sectæ prorsus extinctæ sunt, recentiorum verò antè centum annos non fuerunt. Ergo vel illæ sectæ errarunt aut errant, vel Christi verbum mendax est,, quod nefas cogitare. Igitur nos in hac Ecclesia quæ petra est, & invicta hactenus semper perstitit, firmiter persistamus, & in ea fidem nostram solide fundemus; non ob terrenum aliquod commodum, sed Dei & salutis nostræ amore. Audiamus D. Bedam in homilia: *portæ inferi*, inquit, *doctrinæ sunt nequam, quæ seducendo imprudentes ad inferos trahunt: portæ quoque inferi & tormenta & blandimenta sunt persecutorum, quæ infirmos quosque deterrendo, vel emoliendo à stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed & fidelium opera, ineptaque colloquia, portæ utique sunt inferi, in quantum suis vel fautoribus. vel sequacibus iter perditionis stendunt. Multa sunt itaque portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ supra petram fundata est, prævalet. Qui fidem Christi intimo amore perceperit; omne quidquid exterius periculis tentandis ingruit, facillime contemnit, at quicunque credentium fidem vel opere, vel negatione depravatus prodiderit, non hic supra petram, Domino cooperante, domum suæ possessionis ædificasse, sed juxta alterius loci parabolam super arenam, sine fundamento posuisse credendus est, hoc est, nõ simplici ac vera intentione Christum sequi, sed terrenam quamlibet fragilemque ob causam, habitum prætendisse Christiani.* Sic ille.

H. VII. *Plenaria Petri & successorum potestas.*

Septimo, Videmus plenariam *Petri* & *Pontificum*, ejus *Successorum*, potestadem ad ligandum & solvendum, adeoque non solum ad culpas per absolutionem, verum etiam ad pœnas per indulgentiam remittendas, nec non excommunicandum rebelles, ad ferendum leges, ad dispensandum; ad suspendendum, interdicendum, certos casus reservandos, &c. Ait enim Dominus universum: *Quodcunque ligaveris super terram; quodcunque solveris.* Ab illis accipiunt inferiores ministri potestatem ordinis & juridictionis, eamque tantam, quanta illis arbitrio pontificum conceditur. Quemadmodum paterfamilies solus habet clavem capitalem seu generalem, quæ omnes seras apertit & claudit: cæteri domestici habent tantum partiales ad quædam aperienda, non omnia.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus est iste: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Posuit olim Deus flammeum gladium ad portas paradisi custodiendat ne quis introiret. Nunc Christus veluti faber quispiam ex gladio claves conficit, quibus aperiatur paradisus. Verum claves istæ tantum aperiunt in hoc sæculo; dicitur enim; *Quodcunque ligaveris super terram;* Ergo janitor hic quærendus.

IN

IN FESTO
SANCTI VVILIBALDI,
EPISCOPI ET PATRONI
EYSTETTENSIS.

Evangelium Matth. 19.

Quære supra in Festo Conversionis S. Pauli.

CONCIONES.

I. *Quantum recesserimus à Majorum nostrorum pietate.*
II. *Quam merito colatur à nobis S. VVilibaldus.*
III. *Velocitas commendatur variis in rebus.*

CONCIO I.

QUANTUM RECESSERIMUS A Majorum nostrorum pietate.

I. *Vide Angliam.*
II. *Vide S. Richardi familiam.*
III. *Vide seculi Wilibaldini clerum.*
IV. *Vide seculi Wilibaldi laicos.*
V. *Vide seculi illius fidem catholicam.*

THEMA.

Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus? Thren. 4.

Contingit non raro Auditores, ut post multos annos incidat quis in amicum olim sibi cognitum, & hæreat primo aspectu secum ipse dubitans, num is antiquus ejus amicus & contubernalis sit. Quem enim prius juvenem eleganti forma, noverat, nunc sibi prorsus dissimilem, exhaustum, deformem, rugis in facie & canis in capite pictum videt, stupensque: Itane inquit, tu meus olim contubernalis? olim tam elegans, tam robustus: Et unde tibi hi senectutis flores: *Quantum mutatus ab illo?* &c. Hunc in modum mirabatur adeoque lamentabatur Jeremias florentissimam olim Jerosolymam, vastatam à Chaldæis & à pristino flore dejectam, toto illo Threnorum libro: *Cui comparabo*, inquit, *& cui assimilabo te filia Jerusalem?* Thren. 2. Et rursum c. 4. *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus?* q. d. videbaris olim aurea aureumque templum habere; nunc exusta à Chaldæis versa es in nigredinem, ut non jam aurum sed fuligo videaris. Ad eundem modum ego, cum intueor in historia Sancti VVilibaldi primum Ecclesiæ nostræ statum, qualis erat tempore ipsius ante annos octingentos, in primævo suo flore? obstupeo vehementer & vix agnosco eam; adeo incanuit: adeo corrugata est, adeo vires ac formam perdidit. Cogor proinde dicere: *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus?* Quod ut clarius perspiciamus, contemplemur eam in utroque statu.

B. I. Vide Angliam. Intueor inprimis Veterem Angliam, Sancti VVilibaldi præsulis nostri patriam, & deprehendo eam miræ sanctitatis laude præcellentem. Inprimis enim nullum præferri regnum potest, quod habuerit tot Sanctos Reges: Sanctus Lucium Britanniæ Regem, Norici deinde Apostolum: Sanctum Richardum apud Anglo-saxones vel Regem vel certe regia stirpe prognatum: Sanctum Ethelbertum Cantianorum seu Cantuariorum Regem: (alterum Ethelbertum Orientalium Anglorum: fuit enim Anglia olim divisa in septem regna) Deinde Edmundum eorundem Regem: Chenelmum Merciorum: Osvvaldum Northumbrorum: Post hos Angliæ totius Reges Eduardos duos, secundum scilicet & tertium. Deinde septem Reges Angli spreto mundo Monachi facti sunt, scilicet Ethelredus, Coenredus, Ceadualla, Ine, Sigebertus, Sebbi, Ceoluulfus, teste Henrico Huntindono lib. 4. Adhæc Anglia exteris nationibus suppeditavit verbi Dei Satores & Apostolos, nec paucos de stirpe regia. Misit enim Germanis Sanctum Bonifacium, Sanctum

ctum VVilibaldum, Sanctum VVunibaldum: Sanctam VValpurgam cum virginibus aliis, S. Solam, Sanctum Lullum, Sanctum Burkardum, apud Bozium de sign. Eccles. pag. 1. adeoque verè tunc erat Anglia seu Angelica terra. Rursum Angli Reges fuere, qui regnum Angliæ totum S. Romanæ sedi tributarium fecere, Boz. tot. 2. de signis Eccl. Deniq; Angliæ Reges fuere, qui à Sancto Eduardo tertio hereditarunt gratiam solo tactu sanandi strumam. Iisdem quoq; datum ut annuli quidam certis ritibus consecrati valerent mirificè adversus morbum Comitialem, tracta virtute ab annulo illo, quem S. Joannes Evangel, in forma pauperis accepit aliquando à Sancto Eduardo idemque postea de Jerosolymis per duos peregrinos in amoris signum remisit; teste Ealredo in vita S. Eduardi.

Sed quæ nunc Angliæ facies? Heu quomodo obscuratum est aurum? Defecere Sancti Reges, defecere monasteria, defecit vera Religio, ipsa nunc occidit Prophetas, quos aliis nationibus olim subministrarat. Sedi Apstolicæ non præstat obedientiam, nedum homagium: Primatum illi abnuit & sibi impudenter tribuit. Ipsa nunc impugnat matrem & Dominam suam Ecclesiam, a quâ Christo per Evangelium genita est. Denique sub Henrico octavo templorum decem millia unico evertit anno. Una cum religione Regibus ejus adempta est gratia curandi. Quot religiosos & præclaros sustulit è medio Henricus & Elisabetha? Itaque Anglia non Angelica, sed Diabolica potius terra nunc jure vocari potest, quæ tot Sanctorum sanguinem truculenta rabie hausit, hæresi mancipata.

C. II. *Vide S. Richardi familiam.*

Secundo, tueor sancti Richardi sanctissimam familiam & stupeo vehementer. Vix enim reperiemus familiam huic similem, quæ tot educarit Sanctos. Sanctus inprimis Pater, Sanctus uterque filius, VVilibaldus & VVunibaldus: Sancta filia VValpurga; Sanctus Avunculus, Bonifacius frater VVonæ, uxoris Sancti Richardi. Ex eadem familia fuere Sanctus Deodatus martyr & Pontifex: Sanctus VVilibrordus: Sanctus Sola Confessor. Itaque in hac stirpe veluti in horto inveniuntur rosæ Martyrum, violæ Confessorum, lilia Virginum. Ut merito de ea exclamet Philippus Episcopus vitæ Sancti VVilibaldi scriptor: *O quam pulchra est hæc casta generatio cum claritate. Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Videmus certe quanti res sit momenti, de bonis ac piis nasci parentibus & bene educari, inter bonos adolescere, ubi alter alterum velut carbo carbonem accendit sanctitate. Videmus quam vera sit nostra parœmia: **Der Apffel fällt nicht weit vom Stammen:** Felices illi liberi, qui bonos parentes nacti sunt: miseri, qui malos.

Sed quomodo obscuratum est aurum? præclara, inquam, illa veterum Christianorum domestica disciplina & Liberorum educatio? Quantum iter conficiemus, donec talem reperiamus familiam? In ea VVilibaldus filius triennis graviter ægrotans oblatus & devotus est à Parentibus cultui Christi & Deiparæ vexilloque sanctæ Crucis. At modo fere sæculo ejusq; vanitatibus devoventur à teneris Liberi & quandoque ipsi Diabolo; (quod faciunt sæpè Veneficæ) ægrotis etiam remedia sæpè non à Deo, sed à dæmone & dæmoniacis quæruntur: inepti denique & inhabiles ad statum Ecclesiasticum destinantur à quibusdam parentibus. Tunc temporis consueverunt parêtes tradere monasteriis filios suos, ut in iis erudirentur ad pietatem & virtutem, ut fecit S. Richardus, qui VVilibaldo filio primo Magistrum Monachum adhibuit, nomine Theodredum, deinde erudiendum tradidit Ecbaldo Abbati Monasterii VValtheim, *ut eum jugo monasticæ vitæ subderet*, inquit Philippus Episcopus. At nunc filii præsertim nobiles mittuntur à parentibus in exteras quidem nationes, sed ut sæculares ludos addiscant & linguas: vel ut peregrini aliquid videant, quod quidem tolerari posset, si virtutis studium primas obtineret, quod tamen raro curatur. Alii parentes adeo tenere amant filios, ut eorum absentiam & ablegationem ferre nequeant, sed vaccarum instar mugiant vitulis amissis, jugũ eis imponi nolint, velintque esse filios Belial, hoc est, absque jugo. Parentes VVilibaldi, cum intellexerunt filium vilioribus vesci cibis, pane sicco & leguminibus, relinquere delicatiores: non tantum id nô prohibuerunt, sed potius in Domino gavisi dixerunt ad se muto: *Quis putas, puer iste erit?* Modo vero parentes corpora potius Liberorum quam animas curant & saginant, ac quicquid eis lubet, indulgent.

Parentes VVilibaldi nequaquam laborarunt, ut regnum filiis stabilirent eosque in sæculo potentes facerent, sed potius ut cum illis acquirerent regnum cœlorum. Ad instantiam enim filii pater purpuram exuit, & peregrini habitum induit. At nunc fere parentes summo studio laborant ut filios ditent evehantque, de ipsorum & sua salute parum aut nihil soliciti; obsequuntur eorundem pravis desideriis. O tempora! ô mores!

D. III. *Vide seculi Wilibaldini Clerum.*

Tertio, Video & admiror sæculi VVilibaldini sanctitatem & benedictionem; siquidem tot præclaros, Sacerdotes, & Verbi Dei Præcones habuit undique in Germania. Quot Sanctorum Magister & quasi pater fuit Bonifacius? Aystadio Sanctum VVilibaldum; Frisingæ Sanctum Corbinianum: Herbipoli Sanctum Burckardum, alios aliis locis præposuit Episcopos Sanctitate claros. Canonici tum temporis vivebant uti Monachi, Episcopi uti eorundem Abbates, pari victu & amictu. Nullaibi pompa, nullus splendor; ad sylvas confugiebant, ad fontes considebant: Curias principum vitabant, uti inprimis VVilibaldus, ad eas licet sæpius evocatus: Vino redundantes terras fugiebant, uti Sanctus VVunibaldus, qui ut delicias & vini copiam, quæ est

est circa Rhenum, hominumque frequentiam vitaret, à Rheni tractu discessit in solitudinem, & monasterium Haidenheimii extruxit: Facultates etiam suas, postquam augeri cœperunt, pauperibus communicabant.

Sed *quam obscuratum* sit *aurum* disciplinæ Clericalis testantur nostræ miseriæ. Suo jam tempore dicere solebat Sanctus Bonifacius, avunculus & Magister Sancti VVilibaldi olim ligneos fuisse Calices & aureos sacerdotes; tunc vero econtra aureos esse Calices & ligneos sacerdotes. Sed quis non videt hoc quadrare potius in nostra sæcula? Lignei sacerdotes erimus, si cum aureis illis, qui Sancti Bonifacii & nostri VVilibaldi tempore extiterunt, comparare nos voluerimus.

D. III. *Vide seculi Wilibaldi Laicos.*

Quarto, Video & admiror primorum, qui in Germania fuerunt, Christianorum, Patriarcharum, inquam nostrorum pietatem & fervorem. Nam imprimis sua liberalissime conferebant ad templorum & monasteriorum extructionem; uti Sancto VVilibaldo Svviggerius Comes ab Hirsperg comitatum suum. Utilo Dux Bavariæ jura sua, quæ habebat in illum Comitatum (quia ad illum usque Boica se extenderat) & consensum: & hoc in redemptionem animæ suæ Svviggerus fecisse scribitur in Itinerario Sanctimonialis Haidenheimensis. Testatur Aventinus etsi Novator lib 3. Annal. Boic. VVilibaldum usque ad decrepitam senectutem laborasse in ædificandis monasteriis alienis sumptibus; quia nimirum ad hæc plurimi conferebant opes suas. Certè Sancto VVunibaldo ædificanti Haidenheimium Christiani oblationes de prædiis, de mancipiis, de rebus mobilibus, auro, argento, gemmis, vestibus auro textis afferebant, teste Philippo Episcopo in vita Sancti VVilibaldi cap. 26. Et sane res clarissima est. Unde enim exteris & pauperculis hominibus qui propter Christum omnia sua reliquerant, tanta fundorum, prædiorum & censuum opulentia, tot Ecclesiæ, & monasteria, nisi à liberalitate fidelium Laicorum.

Deinde juxta monasteria sua sibi ædificabant ædes atque ut recursum suum ad ea semper haberent, & spiritualia inde subsidia caperent, ad eo quodammodo excubabant. Hinc Eystadium, Haidenheimium, Herrnriede, Solenhofium è monasteriorum imo cellularũ incunabulis resurrexerunt in Civitates, opida, pagos, quod & in aliis plurimis Germaniæ locis videre est. Atque ita videtur mihi Germania tunc fuisse, quasi unum amplissimum monasterium: vita Germanorũ æmula monasticæ.

Sed nunc *quàm obscuratum est aurum?* Ubi nunc illi, qui de patrimoniis suis monasteria vel Collegia fundant recentioribus Religiosis, ac proinde egentioribus? Rariores albo passere sunt; si Episcopos & Principes excipias. Utinam non Catholicorum aliqui Hæreticos imitarentur, qui monasteria absorbent, & ad suum peculium capiunt. Illud intolerandum, quod cum templa & sacerdotes ad manum undique habeamus, ad ea tamen ægrè etiã cum de vita periclitamur, recurrere soleamus.

E. IV. *Vide saculi illius fidem Catholicam.*

Quinto. Depræhendo fidem non nisi Catholicam his locis viguisse, nec aliam præter hanc ulli compertam fuisse. Cum enim Bonifacius à sede Apostolica Roma in Germaniam missus sit, præstito prius juramento se aliud non docturum, nisi quod Romana docet Ecclesia, quid aliud quæso tunc credidit Germania, nisi quod Bonifacius docuit? Porrò ut intelligat Germania universa quam fidem & à quo primitus acceperit, sacramentum illud Bonifacii hic attexam; estque hoc:

In nomine Domini Dei Salvatoris nostri JESU Christi, imperante Domino Leone Magno Imperatore anno septimo post ejus Consulatum, sed & Constantini Magni Imperatoris ejus filii, anno quarto inchoato, scilicet indictione sexta: Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi beate Petre, Apostolorum Princeps, Vicarioque tuo beato Gregorio Papæ & successoribus ejus per Patrem & filium & Spiritum Sanctum Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei Catholicæ exhibere & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur, nullo modo me contra veritatem communis & universalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consentire, (ut dixi) fidem & puritatem meam atque concursum tibi & utilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo potestas ligandi solvendiq; data est, & prædicto Vicario tuo atque successoribus ejus per omnia exhibere; sed & si cognovero Antistites contra Instituta antiqua sanctorum Patrum conversari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem, sed magis, si valuero prohibere, prohibebo; sin minus, fideliter statim Domino meo Apostolico renuntiabo. Quod si (quod absit) contra promissionis meæ seriem aliquid facere, quolibet modo seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt. Hunc etiam indiculum sacramenti ego Bonifacius exiguus Episcopus manu propria scripsi atque ponens supra sacratissimum Corpus Sancti Petri, ita ut præscriptum est, Deo teste & judice, feci sacramentum, quod servare promitto. Apud Baronium anno septingentesimo vigesimo tertio.

Hic ergo Bonifacius VVilibaldum Roma à Pontifice ad se destinatum accersivit & Episcopum nostrum instituit; qui utique nil aliud docuit aut docere potuit, quam quod à Romano Pontifice & Magistro suo Bonifacio accepit. Undique personabat. Missa, colebantur Sancti & reliquiæ eorum, vota passim & suffragia fiebant pro defunctis monasteria incolebantur & struebantur, vota monastica

nastica servabantur &c. Tunc temporis præcipui Patricii Norimbergenses ad monasterium Mariæburgense filias suas missitabant Deo servituras. Eodem ad Sanctæ Stillæ tumulum concursus fieri cœpit à vicinis Norimbergensibus, VVeissenburgensibus, Anspacensibus & ab aliis, qui beneficia merita Beatæ Stillæ Virginis impetrata, testabantur donariis votivisque tabulis, prout olim quoque ad sepulchra martyrum fieri consuevit, ut scribit Gretserus lib. 2. observationum in vitam Sancti VVilibaldi.

De Sancto VVilibaldo scribit Philippus in vita ejus cap. vigesimo octavo. *Apud Egram*, inquit, *dum Cives de vestibus Beati VVilibaldi particulam secum domum deferrent, ob Beati VVilibaldi reverentiam, occurrente utriusque sexus turba copiosa, cum processione prosternentes se devotissimè terræ offerunt cujusdam ditissimi filium, pedibus & manibus curvum & contractum, dicentes; O inclyte præsul VVilibalde, ostende nobis fidelibus tuis in hoc paralytico tuam gratiam salutarem.*

Illico tactu sanctuarii adolescens pristinæ restitutus sanitati. De hoc nobis fides facta fuit, ejusdem loci viginti civium juramento, Hæc Philippus. Eadem religione susceperunt olim Solemhofenses (de diœcesi Eystettensi) reliquias Sancti Venantii martyris ut scribit Rudolphus Monachus Fuldensis apud Brovverum lib. 3. antiquit. Fuldens. Verum *quomodo obscuratum est aurum?* Ocella Solæ, ô Albiburgum, ô Onolzbacum, ô Norimberga, *quomodo mutatus est color* vester *optimus*: *O domus antiqua, quam hodie dispar dominaris Domino!* Quid enim disparius VVilibaldo & Luthero? Sola & Melanchthone? VValpurga & Lutheri pellice? Quam diverso Spiritu nunc caletis, quibus olim Sancti nostri Patroni eorumque reliquiæ summo in honore erant? Jacent nunc in tractibus vestris postrata monasteria: pulsi religiosi: Missa exterminata: templa spoliata vel deserta, reliquiæ Sanctorum abjectæ: sacerdotes exsibilati: Papa explosus: omnia denique sacra à vobis profanata! Prôh cœci & degeneres filii, quid convenit vobis recedere à primæva parentum vestrorum fide; Hæc enim quia post Gentilismum prima fuit, utique vera fuit: Nulli enim hæretici paganos convertere. Bonum semen primo Christus seminavit, postea diabolus super seminavit Zizania, itaque & hæresis veram Christi fidem sequitur: non præcedit.

CONCIO II.

QUAM MERITO COLATUR NObis Sanctus VVilibaldus

I. *Quia filius Angli Regis.*
II. *Quia primus noster episcopus.*
III. *Quia fidei Catholicæ assertor.*
IV. *Quia virtutibus clarus.*
V. *Quia miraculis potens.*

THEMA.

Attendite ad Petram, unde excisi estis, Isaiæ 51.

ISaias ut suæ gentis & temporis homines ad Justitiam reformaret, nō putavit melius argumentum majusque calcar ad hoc inveniri posse quā si eis Patriarchā Abrahamum proponeret in exemplum iis verbis: *Attendite ad Petram, unde excisi estis: Attendite ad Abraham patrem vestrum*; ut sic degeneres filii visa patris sui effigie vel se emendarent vel certe erubescerent. Idem ego si fecero Auditores nemo jure moleste accipiet. Video enim nos ab avita parentis & Episcopi nostri VVilibaldi virtute multum deflexisse. *Attendite* ergo *ad Petram, de qua excisi estis*; Attendite ad Patrem vestrum qui per Evangelium vos in Christo genuit. Prima quidem & principalis petra in Sancta Scriptura Christus dicitur: secunda Petrus, & postmodum omnes Apostoli atque Episcopi, qui Ecclesias diversis in locis erexerunt & fundarunt. Hujusmodi *Petra* est Sanctus VVilibaldus, Primus noster Episcopus, adeoq; primum Ecclesiæ nostræ fundamentum. Quod si igitur cum primus Ecclesiæ alicujus lapis ponitur, festum instituitur: multo magis id decet, non semel sed quotannis facere ad honorem *Petræ* nostræ Primæ, Sancti VVilibaldi. Verum ut manifestius fiat quanto jure colamus hunc sanctum, quæ dicemus observanda sunt. [A.]

[B. I. *Quia filius Angl. Regis.*] Primum, Quia cum esset filius regis in Anglia, ultro paternam hæreditatem reliquit & domum, ac propter Christum pauper factus posthabitis suis commodis & bonis animarum lucrum quæsivit, & in terram alienam, ad partes scilicet nostras, venit. An non res hæc æterna memoria digna filium regis ad exemplum filii Dei, de solio suo descendere, & ad exteras nationes juvandas accurrere; Vidit nimirum hinc sanctus agrum, in quo lateret thesaurus animarum absconditus, & idcirco vendidit omnia & emit agrum istum, ut thesaurum, in eo latentem erueret. Unde melius quam Petrus dicere poterat; *Ecce nos reliquimus omnia*: quia Petrus piscator erat & pene nihil habebat, ideoq; non difficile quod habebat, poterat deserere. Sed filiū regis omnia relinquere, & Christum, sequi hoc opus, hic labor est. Quis unquam ex Lutheranis & Calvinistis (ut huc obiter adnotem) Rex aut princeps hoc fecit? Quis unquam non dico regum, sed nobilium tantum, Prædicans factus est? imo quis nobilis filiam alicui Prædicanti dedit? Nobilis esse desineret,

qui

qui Prædicans esse inciperet; adeo contempta hæc plebs est: cum tamen nos Catholici semper habuerimus & habeamus adhuc passim sacerdotes ac religiosos de nobilibus quibusque stemmatibus, qui nequaquam erubescunt attonsi in coronam habitum gestare clericalem & munus exercere Apostolicum: Neque solus ipse in agrum nostrum venit; sed præterea etiam fratrem VVunibaldum, sororemque VValburgam, nec non Solam propinquum suum ad nos adduxit vel allexit, ut socios operarios tam copiosæ messis haberet: Imitatus in hac re Petrum, qui deprehensa ingenti piscium copia in reti, annuit sociis alia in navi constitutis, ut venirent & auxiliarem manum præberent, Lucæ 5. Quanta hæc nostræ Diœcesis gloria, habuisse tam nobiles & tam sanctos progenitores?

A.

C. II. *Quia primus noster Episcopus.*

Secundo, Quia primus noster Episcopus & pastor fuit per annos 36. (scilicet ab anno Domini 745. usque ad annum 781. quo obiit) qui nos partim adhuc ethnicos, partim quidem Christianos sed densis adhuc tenebris involutos & pessimis moribus imbutos ad viam Veritatis & Justitiæ reduxit. Unde merito eum nostrum Raphaelem dicere possumus, qui nos duxit & reduxit, id est, alios ad fidem duxit, alios à fide deviantes reduxit, dæmonium à nobis depulit, è faucibus inferni nos eripuit, videre viam veritatis fecit, & bonis omnibus replevit. Quid ergo ad hæc poterimus ei dignum dare? Vere Angelus ex Anglia ad nos venit: vir à multis exoptatus, nobis tandem præter omne meritum nostrum obtigit. Cum adhuc puer oblatus esset Abbati Eckbaldo in VValtheim ad disciplinam monasticam; Abbas summopere lætatus eum instar Simeonis in ulnas accepit & benedixit DEUM ob tam præclarum pignus, eumque peregrinaturum tandem ægerrime dimisit. In reditu de Jerosolyma ad montem Cassinum divertit & per decem annos ibi monachum agens, iterum summe acceptus fuit, sed nec illi loco relictus ad pontificem mittitur & ab hoc ad Sanctum Bonifacium, qui, uti & rex Pipinus maxima gratulatione eum excepere; tandem à Bonifacio ad nos missus & noster factus est. Vere igitur felix terra nostra, quæ talem Angelum Ducem à Deo accepit. Cum enim à parentibus DEO & B. Virgini à puero fuerit oblatus, jure dicere possumus eum nobis à DEO & B. Virgine fuisse donatum.

B. I. *Quia filius Angli Regis.*

D. III *Quia fidei Catholicæ assertor.*

Tertio, Quia fidei nostræ clarissima præbet testimonia, ejus veritatem confirmando. Quis enim, quæso, fuit VVilibaldus: nonne discipulus Sancti Bonifacii? nonne ab eo ordinatus presbyter & Episcopus Eystadiensis, præsente Sancto Burckardo Episcopo VVirzburgensi & VVizzone Episcopo Buraburgi, in Sulzberg? Et quis fuit hic Bonifacius? Natione Anglus, religione Catholicus, professione Monachus, postmodum Archiepiscopus Moguntinus, officio prædicator & Apostolus Germaniæ, genere nobilissimus, avunculus SS. VVilibaldi & VVunibaldi, qui patre Richardo, Angliæ rege, nati sunt. Omnia ista magna sunt & fidem nostram exaltant. A parentibus adhuc puer traditus est monasterio, Ades Cancaster & postea Nutschellæ, sub disciplina regulari ibi sacris literis imbuendus. Denique Episcopus factus variis Germaniæ populis, Bavaris, Hassis, Frisonibus, Thuringis &c. prædicavit, & partim Episcopos dedit, ac sedes Episcopales constituit; ut VVirzburgensem & Eystettensem: illis Burckardum, his VVilibaldum præfecit: partim reformavit Episcopos alios & sacerdotes, qui à disciplina defecerant: qua ratione Frisingensi sedi præfecit Corbinianum, Salisburgensi Joannem; ita ut merito Apostolus Germaniæ dicatur. Sed à quo missus est Bonifacius ad munus Episcopale exercendum, seu à quo ordinatus est Episcopus? A Romano Pontifice Gregorio II. Hic enim cum primo eum misisset in Germaniam ad fidelium conversionem, post quadriennium ad se evocatum, perhumaniter accepit & accepta ab eo fidei professione, Episcopum ordinavit, novo illi Bonifacii nomine imposito, cum antea VVinfridus diceretur, & ut ad obedientiam sibi suisque successoribus exhibendam omnemque sacræ fidei traditionem adstringeret, juramentum ab eo exegit & accepit, apud Bar. anno 723. Advertite Germani, à quo fidem & Evangelium acceperis. *Attendite ad petram, unde excisi estis.* Non mentiuntur Adversarii nostri, cum nos Romanistas & Papistas vocant. Unde enim Evangelium Germaniæ nisi à Roma & Papa.

At quando missus Bonifacius? Ante annos 900. Nam anno Domini 723. Episcopus ordinatus à Papa & in Germaniam demum missus est, quo tempore Germania adhuc passim gentilismo mixta erat, & qui prius Christiani erant, non nisi Catholici erant. Quare ante Bonifacium nos Germani aliam fidem non habuimus, si quam habuimus, nisi Catholicam; reliquum Ethnicismus fuit. Quomodo quæso triumpharent hæretici, si fidem suam à tot annorum centuriis deducere possent? Hæresis eorum nuper centum annos attigit: & quantum tunc Jubilæum ab eis passim excitatum? Et quid est fides centum annorum, tam sera præsertim? Nos neque à Bonifacio fidem nostram inchoamus, sed ab ipsa Petri sede, quæ Bonifacium nobis misit ante annos 900. quando nulla adhuc secta apud nos nisi gentilium extitit; Unde tam antiqua est, atque ipse Petrus. Jam vero quis est qui nesciat, ante Lutherum Lutheranos nullibi fuisse? ante Calvinum Calvinistas? Hos vero quis ignorat post annum Christi 1500. primum exortos esse? Nonne fides Christi tam antiqua esse debet, atque ipse Christus? Quis enim dicat Christum talem sibi acce-

accepisse sponsam, quæ nonnisi post annos 1500. nascitura erat?

Denique quid docuit Bonifacius? fidem utique Catholicam, nam secundum eam quoque vixit. Ipse Missas celebravit & pro mortuis offerre jussus est à Papa in epist. omniaque ex præscripto Papæ fecit ut patet ex Epistolis ad eum missis; ergo Papista fuit. Ipso prædicante passim in Germania hinc monasteria extruebantur, illinc templa; ergo vitæ monasticæ & cultus divini prædicator & propagator fuit. Ipse undique passim Sacerdotes & Episcopos ordinavit, uti Eystadii VVilibaldum nostrum: ergo sacerdos & Episcopus fuit, rite consecratus. Ipse limina Apostolorum invisit & veneratus est & sanctorum illic quiescentium se precibus commendavit, inde secum reliquias abstulit à Pontifice oblatas secumque undique gestavit, ut in ejus vita lib. 1. cap. 17. ergo peregrinationis & reliquiarum, Missæ, pontificis amator, adeoque Baptista fuit. Ipse baptizatis à se confirmationem daturus, necatus fuit: ergo Catholicus fuit & confirmationis sacramentum admisit. De ipso denique Sanctus VVilibaldus ejus discipulus in ejus vita capitulo decimo ait: *Usque ad gloriosum exitus sui diem incessanter arctam regni cœlestis viam plebibus patefecit.* Quid hoc ô Lutherani & Calvinistæ? Nunquid Lutherus & Calvinus viam hanc docuerunt? Quæ est arcta via? *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sed hoc impossibile dicunt illi, ergo arctam viam non tenent. Quæ est arcta via? *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna:* Sed hæc ipsi peccata dicunt. Quæ est arcta via? servare fidem DEO in votis præsertim solennibus & monasticis: sed hæc ipsi rumpunt & rumpenda asserunt. Quæ est arcta via? servare fidem uxori: sed Lutherus clamat: *si non velit uxor, veniat ancilla.* Quæ est arcta via? servare SS. Canones & Ecclesiæ præcepta, sed illos Lutherus exussit, hæc contempsit.

Deinde nonne etiam VVilibaldus ad limina Apostolorum peregrinatus Romano-Antistiti obedientiam præstitit, à quo ad Bonifacium missus est? nonne is monasticæ vitæ addictus & in monasteriis VValdheim & monte Cassiano, quasi educatus fuit? nonne is monasterium Cathedrale Eystadii, excisis quercubus extruxit, unde nunc Canonicatus? nonne ædificandis monasteriis virorum & monialium usque ad extremam senectam perpetuo adlaboravit? nonne sacerdos inauguratus Missarum solennia rite peregit, & per ea paulo ante obitum suis valedixit: Testantur hæc non Catholici tantum, sed & hæretici scriptores: Magdeburgenses, Balæus, Aventinus, &c. Et certe nihil horum sapit Lutheranismum. Ubi enim tunc Lutherani erant?

F. IV.

Quarto, Quia omni genere Virtutum nobis præluxit. Charitate, dum patrem suum ad peregrinationem & voluntariam paupertatem de solio regali traxit. Humilitate, quia monasterio puer traditus, noluit quidquam honoris admittere tanquam regis filius: malens laboribus fatigari quam vitæ humanæ favoribus extolli. Patientia, inprimis in cœcitate perferenda, quæ ei Ierosolymis in templo Sancti Matthiæ contigerat, in qua consolabatur se ut Tobias; à qua etiam paulo post divina gratia curatus est. Obedientia, parendo Abbatibus, summo pontifici, Sancto Bonifacio, quocunque mitteretur. Idem austerus in seipsum, humanissimus & mitissimus erga alios erat; largus in pauperes: consolator & medicus peccatorum. Abstinentia, quia à puero adhuc in domo paterna assuevit vilioribus cibis uti Daniel, interimque nihil prorsus roboris aut formæ perdidit; sicco enim pane & fabis vescebatur & delectabatur: cibos regios aspernans, leguminibus contentus erat. Unde parentes ejus sæpe dicebant: *Quis putas puer iste erit:* teste Philippo Episc. in vita.

Quia v... tutibus clarus.

F. V.

Quia m... raculis p... tens.

Quinto, Quia sæpe multa beneficia nobis per miracula præstitit? E quibus in præsentiarum duo tantum audiamus conscripta ab eodem Philippo Episcopo Eystettensi in ejus vita capite ultimo.

Primum signum, inquit, *ipso die translationis horam sextam factum est in contracto existente de familia chori majoris Præpositi, Domini Alberti scilicet, janitore noto & enutrito ab Eystettensibus à juventute. Qui cum relatu didicisset reliquias Sanctæ VValpurgis ad Cathedralem Ecclesiam deportari, sumptis podiis more solito, firmiter claudicando chorum ascendit prorumpens clamore valido in hæc verba: O gloriose Præsul Christi VVilibalde da mihi panem* nuntij, soror tua advenit, te benigne salutatura. Et appropians aræ intemeratæ Virginis Mariæ, qua locatum fuerat sacrosanctum corpus VVilibaldi, trina postulatione peracta, sanitatem omnimodam est adeptus: ita videlicet, quod podiis & baculis abjectis cœpit jubilare, saltare & magnificare nomen Præsulis Christi VVilibaldi.*

*Botte... brod.

Alterum signum. *Cum peregrini volentes post Visitationem Sancti VVilibaldi, qui tàm de Ratispona, quàm de aliis civitatibus & villis confluxerant, ad propria remeare, in Ingolstatt, octoginta utriusque sexus tam senum, quam mulierum gravidarum, & puerorum, navem intraverunt. Qui cum venissent in Vohburg, ubi transitus est petrosus & periculosus, nautæ navem incaute regentes, passi sunt naufragium universi peregrini. Gementes autem & nomen Confessoris Christi VVilibaldi devotissime invocantes, visi sunt Danubio velut anates supernatare, quamvis plurimi ex illis artem natandi nunquam exercuerunt. Et pueri ac mulieres imprægnatæ illæsi ad portus exivere diversos. Dux vero Bavariæ* Ludovicus, *& ministeriales, ac alij hospites ante portam castri stantes,*

stantes, velocissime, cum viderunt præfatos naufragari, ad Danubium cucurrerunt, omnibus naves habentibus sub interminatione rerum, & personarum strictissime præcipientes, ut naufragantibus subvenirent. At illi naufragi extentis manibus respondentes dixerunt, se nullius auxilio egere, nisi solius confessoris Sancti VVilibaldi: Et ita omnes salvi & incolumes evaserunt, Beato VVilibaldo existente ductore.

Attendite itaque *ad petram*, Auditores, *unde excisi estis*. Attendite ut ametis eum, qui ad vos è regno suo descendit & tanto itinere quidem. Attendite ut eum colatis tanquam primum vestrum pastorem & patrem. Attendite ut in ejus fide firmiter persistatis. Attendite ad ejus virtutes, ut eas imitemini. Attendite ad ejus gloriam & potentiam, quam in cœlo habet, ut eum invocetis. Nec dubium quin etiam pro nobis diœcesanis suis in cœlo semper oret, *nunquid enim oblivisci potest mulier infantem suum*, Isa. 49. &c.

CONCIO III.

VELOCITAS COMMENDATUR variis in rebus.

I. Obedi DEO citò.
II. Pœnitentiam age citò.
III. Surge mane citò.
IV. Templum adi citò.
V. Redde quod debes citò.
VI. Da citò.
VII. Redi in gratiam citò.

THEMA.

***Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit.* Prov. 22.**

A. VErus & laudandus mos parentum est indere liberis suis nomina sanctorum Patronorum. Cum ergo Sanctus VVilibaldus Diœceseos nostræ patronus sit, optarem sanè hoc nomen multis commune esse. Sed quid dico multi? Utinam omninò omnes vocaremur VVilibaldi. Hujus enim nominis significatio quid aliud Germanis sonat, quam will ich bald / seu promptam voluntatem, ut Philippus Episcopus Eystettensis in ejus vita cap. 4. Præclarum viri nomen, quod vel ab ipso Sapiente jam dudum commendatum fuit, Proverb. 22. *vidisti virum velocem*, inquit, *in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobilis.* Talis profectò vir fuit sanctus VVilibaldus, qui proinde ad regum consilia & principum palatia frequenter evocabatur, ad gravia expedienda negotia, uti testatur idem Philippus cap. 24. Quem utinam & nos imitari studeremus. Sed quænam illa negotia sunt, in quibus celeres nos exhibere oportet? Inter multa consideremus pauca.

B. I. *Obedi Deo citò.* Primum, Obedire vocanti Deo & servire citò: (sic mandat paterfamilias servo: *Exi cito in plateas*, &c. Lucæ 14.) Primo propter majestatem vocantis, videmus enim famulos principum currere vocatos. Memoriæ proditum est Philosophum quendam à rege vocatum, cum Philosophus in summa arce, rex vero in inferiori parte esset, se ex fenestra præcipitem dedisse ut ostenderet, quanta celeritate regi parendum esset. Osor. tom. 2. Conc. In visitatione B.M.V. Quod si regi terreno: quanto magis cœlesti?

Secundo, Quia nisi proposita bona à Deo inspirata citò mandemus effectui, periculum est ne brevi expirent & evanescant. Sic dicere solemus, *ferrum dum fervet, cudendum esse.*

Tertio, Quia incertum est, an rursum postea voceris, saltem tam efficaciter. Prima ergo & proxima, quæque occasio salutem acquirendi arripienda est, exemplo illius Eunuchi, Actor. 8. cui cum Philippus prædicaret Christum & baptismum transiens prope aquam: *Ecce aqua*, inquit, *quid prohibet me baptizari.*

Exemplo est sanctus VVilibaldus, qui à puero DEO servire cœpit in monasterio. Neque DEO solum, sed etiam hominibus nobis præpositis cito obediendum est. Et tales amanatur à Dominis principibus: sicut è contra morosi * molesti & odiosi sunt.

* Willi-spaten.

C. II. *Pœnitentiam age citò.* Secundo, Pœnitentiam agere & confiteri citò, juxta id Ecclesf. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Atque hæc est prima causa, quia scilicet incerti sumus, num Deus ad pœnitentiam sit nos expectaturus diutius. Idem docemur è villico iniquitatis Lucæ 16. Ubi debitori centum cadorum mandat: *Sede citò & scribe quinquaginta.* Eccur ita festinari jubet? ne videlicet debitor præventus à creditore solvere cogatur integrum debitum, si nimirum Dominus literas cautionis inspexerit. Possumus & nos per pœnitentiam eradere, ac delere debita nostra. Sed hoc citò faciendum, dum sumus adhuc villici? ne subitò præoccupati ab adventu Domini, pœnitere non possimus. Secundò quia quo tardius, eo difficilius pœnitemus & confitemur. Sunamitis illa, cum filius ejus mortuus esset, festinanter excurrit ad Elisæum imperans servo suo ductori: *mina & propera, ne mihi moram facias in eundo*, 4. Reg. 4. Faciebat illa hoc, ut filius ejus à Propheta ad vitam revocaretur, dum

dum adhuc quasi caleret. Sed & propheta mittens puerum suum ad suscitandum illum, jubet eum festinare, ita ut per viam neminem salutet. Ita nimirum festinandum est in spirituali suscitatione animæ per peccatum mortuæ; ne si nimium peccatis assueta frigescat, suscitari non possit amplius. Et quis, quæso, non festinaret ad liberandum se à cadavere fœtido, quod corpori suo alligatum, undique circumferret? Et tamen innumeri sunt, qui animam suam mortuam & omni cadavere fœtidiorem sæpe multis annis corpori suo alligatam, undique circumferunt. Audi Ezechielem cap. 8. *Anima, quæ peccaverit*, inquit, *ipsa morietur*. Ex quo infert Sanctus Augustinus tractat. 3. in Apoc. tom. 9. *Multi in corporibus vivis*, inquit, *animas mortuas portare noscuntur*.

D. III. *Surge manè cito.*

Tertiò, Mane surgere citò, juxta id Ecclesiastici cap. 32. *Horâ surgendi non te trices*. Et illud Sapientis? *Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam & ad ortum Lucis te adorare*, Sapient. 26. Quod ex eo colligit, quia manna cœlo demissum summo manè colligi debuit quotidiè; alioquin enim *ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*, ut ibidem dicitur. Ratio est primò; quia tempus matutinum sanissimum & labori, præsertim studiis, est commodissimum. Hinc Rex Persarum certum habebat cubicularium, qui id officii habebat, ut mane ingressus regi diceret: *Surge rex, atque ea cura, quæ te curare voluit tuus Mesoromasdes*, id est, bonus tuus genius. Plut. in lib. quod in principe requiratur doctrina. Hoc idem nobis manè occinit gallus, de quo sapienter dixit quidam: *Tribus hisce paruisse nunquam te pœniteat: Veritati potissimum divinæ: consilium danti bonum: gallo gallinaceo è somno excitanti*. Corn. à Lapide in Jeremiæ cap. vigesimum secundum.

Secundo, Quia tempus vitæ nostræ per semetipsum breve est, non ergo somni indulgentiâ magis breviari debet. Dicuntur falcones Norvegiæ velocissimi esse ad prædam, eo quod dies ibi breves sint. Quia igitur vita etiam nostra brevissima est, an non jure merito somnum abrumpere nos decet, & prædæ salutis nostræ diligenter vacare? Revelatum est Isaiæ c. 8. fore hoc nomen, id est officium & munus Christi: *Velociter spolia detrahe, citò prædare*. Sit ergo & hoc nomen ac munus Christiani, quia tempus prædandi breve est. Sanè in Apocalypsi sæpius minatur Christus: *Ecce venio cito, &c.* Apoc. tertio & vigesimo secundo.

E. IV. *Templum adi cito.*

Quartò, Templum adire cito. Primo, Quia ibi Christus nos expectat; qui de cœlo ad nos venit. Nonne advenientem Principem civitas tota in armis expectat? Arma nostra rosaria sunt & libri precatorii. Magdalena cum audivit: *Magister adest & vocat te*; *surrexit citò & venit ad eum*, Joan. 11. Monemur etiam & vocamur à campana ad Christi adventum in Sacrificio. Decet igitur ut surgamus cito & obviemus ei.

Secundò, Quia alioquin & alios perturbamus, & desidiam ac tepiditatem nostram ipsi palam prodimus, ac sæpè magnam S. Missæ partem negligimus cum peccato.

F. V. *Redde quod debes cito.*

Quintò Cito reddere debita & restituere aliena cum Zachæo dicente, Luc. 19. *Si quid aliquem defraudavi, reddo*. Quia præceptum restituendi affirmativum includit etiam præceptum negativum, non detinendi rem alienam, quod semper obligat. Peccat ergo, qui cum possit solvere quod debet, non solvit. Item, qui tardat restituere bona aliena. Similiter qui mercedem operario indigenti differt sine causa contra legem Deut. 24. ubi jubetur ei reddi merces antè solis occasum.

Similiter vota Deo nuncupata reddere sine mora: Sic enim præcipitur Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Fecerunt hoc parentes S. VVilibaldi, qui cum illum divino cultui vovissent, memores illius verbi: *Vovete & reddite*; adhuc puerulum Abbati tradiderunt in Monasterio educandum, Philippus in ejus vita c. 4.

G. VI. *Da cito.*

Sexto. Opera misericordiæ exercere cito. Primo: Quia ut dici solet: *Qui citò dat, bis dat*. Sic Abraham exceptis hospitio angelis festinavit in tabernaculum, cucurrit ad armentum, accelerare jussit Saram uxorem suam in parando cibo, Genes. 18. Contra qui tardè dat, vendere potius, quam dare censetur: *Caro enim satis emitur, quod precibus impetratur*, ait S. Richardus Episcopus apud Surium tom. 2. idemque pauperibus etiam non petentibus dabat. Causam rogatus dicebat: *Quia scriptum est: prævenisti eum in benedictionibus*. Segnities in dando signum est malignitatis & avaritiæ, teste S. Basilio in id Lucæ: *Destruam horrea, &c. Promittis*, inquit, *non ut despostea, sed ut in præsens propulses*. *Ne dicas amico tuo*, inquit Sapiens Proverb. 3. *vade & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare*. Myrrha prima, quæ destillat ex arbore non incisa, melior est Myrrha secunda, quæ defluit ex incisâ. Vinum quod ex uvis non pressis, sed turgentibus sponte fluit, melius est presso: sic eleemosyna, quæ citò & ultro datur, melior est eâ, quæ extorquetur.

H. VII. *Redi in gratiam cito.*

Septimo Reconciliari proximo offenso citò. Sic enim monet Dominus. Matth. 5. dicens: *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro & in carcerem mittaris*. Judex Christus est, minister Angelus, carcer infernus: *Si*, ait Author imperf. *quamdiu in via hujus vitæ es, non feceris pacem cum adversario, quem læsisti, sed sic inimicantes per mortem ieritis ante judicem Christum: tradet te Christo, convincens te reum in judicio ejus, & judex tradet te ministro, idest, Angelo pœnarum crudeli, & ille mittet te in carcerem gehennæ*. Sic ille. Exemplo est Sapritius presbyter, qui cum Antiochiæ anno

anno Domini 260. ob fidem varie tortus ad martyrium educeretur, & in via Nicephorum, inimicum suum obvium haberet, eique veniam humiliter petenti, dare abnueret, cum jam jam ictum carnificis & palmam martyrii victor accepturus esset, repente victus & mutatus Christum abnegavit. Quod Nicephorus videns, ipse se Christianum elatâ voce professus; in locum Sapritii, à quo pacem obtinere non poterat, succedens, martyrii coronam ei præripuit. Surius in actis Niceph. 9. Febr. Mirabile judicium, in quo pars lædens vincit coram Deo, & læsam tradit judici, judex vero tortori. Ita nimirum si inimicus tuus, à quo læsus es, veniam à te petat, tu verò eam neges: causam tuam perdis: & non tu ipsum, sed ipse potius te pœnis subjiciet.

Quare Auditores nomen Patroni nostri S. VVilibaldi imitemur, & si vitam ipsius omnem non possumus imitari, imitemur saltem vocabulum; studeamus esse veloces in operibus nostris bonis, ut in futuro sæculo stemus coram Rege nostro Christo, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium.

***

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Evangelium Luc. 7.

IN illo tempore: Rogabat JESUM quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod JESUS accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens JESUS, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque: Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: recte judicasti. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant? dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? dixit autem ad mulierem, fides tua te salvam fecit, vade in pace.

CONCIONES.

CONCIO I.

QUADRUPLEX CONVIVIUM hodierni Evangelii.

I. *Convivium à Pharisæo Christo datum.*
II. *Convivium à Christo Pharisæo exhibitum.*
III. *Convivium à Magdalena Christo exhibitum.*
IV. *Convivium à Christo Magdalenæ exhibitum.*

THEMA.

Ingressus domum Pharisæi discubuit, Luc. 7.

A.

REm periculosam esse convivia adire, præsertim temulenta, vel Ethnici docuerunt. Hinc enim est illud Diogenis ad quendam adolescentem euntem ad convivium: *Deterior redibis.* Laërt. l. 6. At verò ubi Christus adest in convivio, non esse periculosum convivium adire, docemur in hodierno Evangelio. Ubi Magdalena convivium adivit, non modo non deterior, sed melior inde rediit. Quoniam ergo Christum in hoc assidere convivio scimus, non dubitemus, Auditores, eo & nos accedere. Spero enim nos nequaquam deteriores, sed meliores inde redituros.

Non unum tantum est convivium hujus Evangelii, sed quadruplex omnino, unum exhibuit Christo Pharisæus, aliud Magdalena. Et quia non fert Christus vinci se beneficiis: Fecit etiam ipse convivium reciprocum; Primo Pharisæo, deinde Magdalenæ. Ad omnia nos conferemus & aliquid inde gustabimus.

B. I. *Convivium à Pharisæo Christo datum.*

Primum est, quod Christo exhibuit Pharisæus, parum certe gratum. Nam inter epulas alias apposuit illi duas valde insipidas. Primo Diffidentiam & dubietatem de ipso Christo: *Hic si esset Propheta utique, &c.* Ubi non uno modo peccavit. In primis enim putavit Christum nescire, qualis sit illa mulier, adeoque in multis esse ignorantem, & decipi instar aliorum hominum. Secundo id male collegit ex eo, quod videbat non repelli ab eo mulierem, quod faciendum putabat, & sane ipse aliique Pharisæi fecissent. Quasi vero ad medicum spectet repellere à se ægrotos, & non potius ad se admittere, imo accersere. Tertiò ex eadem illa opinione male collegit Christum non esse Prophetam. Quasi vero Prophetæ omnia scire debeant. Et Christus Propheta esse non posset, nisi sciret etiam statum Magdalenæ.

Secundo, Contemptum proximi. Ubi etiam tripliciter impegit. Primo, Quia de falsa sua justitia præsumit & superbit, quasi ipse à peccatis gravibus longissimè abesset. Secundo, mulierem ut peccatricem contemnit, & repellendam ut immundam reputat, nulla naturæ & fragilitatis humanæ compassione motus; Quasi vero ipse non posset etiam labi in similia scelera: vel quasi ista mulier non posset resipiscere, & sequente pœnitentia priorem labem abstergere: sapienter enim monet S. Gregorius homil. 35. in Evang. *Semper necesse est, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus; si lapsi non sumus, &c.* Tertio, quia temerè hoc egit & inique. Videt enim hic & nunc mulieris pœnitentiam, lachrymas, humilitatem; non vidit ejus peccata. Et tamen appellat eam peccatricem: non vocat pœnitentem. Scelus ejus, quod non vidit commemorat: virtutes, quas intuetur, tacet. Præteritam labem vituperat, præsentem pœnitentiam non laudat.

Quare mirum jam non sit, si Christus raro nec nisi rogatus discubuit cum Pharisæis, qui tam ingratas epulas esurienti apponebant. Verum ut hospiti suo materialem saltem refectionem beneficio compensaret, instituit illi vicissim refectionem aliam. Et quia Pharisæum non tam ventre quàm mente vacuum vidit, spirituales illi coxit epulas.

C. II. *Convivium Christi Pharisæo exhibitum.*

Secundum ergo Convivium Christus instituit Pharisæo. Et quia duarum rerum potissimum inanem vidit, duo illi apparat fercula. Primo corrigit errantem. Respondet enim ad ejus cogitationem, unde se ostendit non solum esse Prophetam, sed etiam Cardiognostam: nec scire solum publicam Magdalenæ vitam, sed etiam occultam ipsius Pharisæi cogitationem. Deinde paulo post ostendit se peccata Magdalenæ minimè ignorare: at vero ea jam esse in conflatorio aut balneo & detergi à Magdalena; quod non vidit Pharisæus. Hinc itaque merito confundi ac timere debuit Pharisæus, videns Domino patere sui cordis arcana: ac proinde dicere cum Davide Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Et quam cautos etiam nos facere hoc debet, quod scimus Deum nobis semper adesse, & scire arcana cordis nostri.

Secundo. Deprimit arrogantem, dum ostendit duplici argumento Magdalenam ipso meliorem esse: Primo ex eo, quod plura ei peccata condonata sunt. Habet enim is, cui plura sunt donata, causam plus diligendi donatorem, ut vel ipse Pharisæus confessus est. Quis non amet & remuneretur amplius medicum, qui ad mortem desperato restituit sanitatem præ illo, qui dentium tantum dolorem sedavit? Secundo ex signis dilectionis, quæ exhibuit Magdalena Christo. Quidquid enim charum habuit, ad ejus obsequium impendit, os ad pedum osculum, oculos ad rigandum, capillos ad tergendum, unguentum ad ungendum: quorum nihil fecit Pharisæus. Ergo, ut teste Ecclesi. cap. 9. *melior est canis vivus Leone mortuo:* Sic melior Pharisæo ostenditur Magdalena, quæ canem se immundum agnoscens, adrepsit ad Christi pedes, eos linxit, unxit, tersit. Cum ex altera parte Pharisæus Leonis supercilio tumidus, nihil talium virtutum exhibuerit, adeoque mortuus fuerit.

D. III. *Convivium à Magdalena Christo exhibitum.*

Tertium. Exhibuit Magdalena Christo, idque præstantissimum. Tria vero potissimum fercula apposuit Christo acceptissima. Primo, Humilitatem,

Stetit

Stetit enim retro secus pedes Domini. Non est ausa tunc ad caput Domini ungendum accedere, ad pedes tantum se applicuit, cum tamen alioquin mulier esset nobilis & dives; & in more positum esset non nisi caput ungere, ex Athenæo. l. 13. & 11. Plinio lib. 13, cap. 3.

Secundo. Pœnitentiam, ejusque partes tres. Primo. Contritionem, quia lachrymas fudit, & ita quidem ubertim, ut iis rigaret pedes Christi, opusque esset tergere. Secundo. Confessionem saltem realem. Licet enim verbo peccatricem se non clamaret, (quod necdum necessarium erat) clamavit tamen actibus, dum ad publicum ingressa convivium, pœnitentis habitum attulit & personam induit, non metuens irrideri à notis, vel ejici à domesticis. Certe si quis in Ecclesia coram aliis ante altare se prosterneret, terram lachrymis rigaret & oscularetur, capillos sparsos pulvere fœdaret; an non publici pœnitentis habitum & confessionem præ se ferret? Tertio, satisfactionem. Siquidem ea ipsa, quæ prius in mundi & peccati servitutem impenderat, nunc punire cœpit, & in Christi obsequium impendere: oculos, quibus mundo vel placere studuit, vel quibus mundus placuit, ad lachrymarum effusionem: os, quo vel impudica infixit oscula, vel locuta est verba, ad pedes Christi osculandos: capillos, quibus alios illaqueare studuit, ad pedum sordes extergendas; unguentum, quo se (ut eo magis aliis placeret, & ad sui amorem alliceret) fucavit, ad ungendum Christum.

Tertio. Charitatem, *quia dilexit multum*, Christo attestante. Cujus signum est, quod Christum tam fervide quæsierit, quod propter amorem ejus omnia contempserit ac Christo consecrarit, quæ sibi olim erant charissima, ut quæ ad ornatum & delicias corporis, quę ad famam & existimationem spectabant; item frequens illud osculum, quod Christi pedibus infigebat, non metuens confusionem aut irrisionem circumstantium. Nimirum *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*, ait S. Joannes Epist. 1. c. 4. Multi sæpius libenter vellent confiteri & communicare, nisi obstaret timor mundanus: sed *perfecta charitas foras mittit timorem.* Multi non dant eleemosynam, quia metuunt paupertatem, senium aut casus adversos: sed *perfecta charitas foras mittit timorem.*

E. IV. *Conviv. à Christo Magdalenæ.*

Quartum vice versa instituit Christus Magdalenæ: ut gratissimo ejus convivio vicem redderet. Unde accommodate tribus Magdalenæ ferculis, tria alia rependit. Primo humilitati ejus laudem & honorem tribuit, dum publicè eam commendavit, & mirandam atque imitandam aliis proposuit: *Vides hanc mulierem?* Item dum Pharisæo manifeste eam proposuit: *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Non legimus post Joannem Baptistam à Christo aliquem tot laudibus celebratum, atque hanc Magdalenam. Et causa hujus est, quia alii quotquot venerunt ad Christum, sanitatis corporalis gratia venerunt: Hæc autem sola ob recuperandam animi sanitatem ad eum venit.

Quantum vero est istud, à Christo commendari? *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*, ait Apost. 2. Cor. 10.

Secundo ejus pœnitentiæ rependit gratiam & reconciliationem. Et primo ejus contritioni rependit pacem: *Vade in pace*; id est, bono esto & tranquillo animo: *Sicut enim post vehemẽtes imbres*, ait S. Chrysost. hom. 6. in Matth. *mundus aer ac purus efficitur: ita etiam lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur.* Transacto diluvio attulit columba ramum Olivæ ad Noen, ut ei indicaret cessasse aquas diluvii unaque iram Dei, Gen. 8. Ita post lachrymarum imbrem affert Christus Dominus ore suo benedicto Magdalenæ pacis symbolum & reconciliationis cum Deo: *Vade in pace.* Experiuntur hanc in animo suo tranquillitatem, quotquot rite suscipiunt pœnitentiæ Sacramentum. Secundo ejus confessioni rependit remissionem: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quod utique maximum gaudium attulit Magdalenæ: tot videlicet & tantorum remissio debitorum. Et hoc est illud gaudium, quod petivit David, Ps. 50. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata*; id est, vires animi confractæ & humiliatæ. Est autem gaudium istud nuntius dimissi peccati & testis, quod sumus filii Dei. Tertio, ejus satisfactioni, integram mentis sanitatem: *Fides tua te salvam fecit.* Quæ verba indicare vult S. Thom. 3. p. q. 86. a. 5. perfectam animæ sanitatem, ut non peccata solum sed peccatorum reliquias etiam sustulerit à Magdalena Christus. Et certe quoad culpam & pœnam dimissa ei fuisse peccata, satis colligitur ex Evangelio. Quod vero ad pravas dispositiones & habitus spectat, sublatos etiam illos merito creditur, tum ob conversionis ardorem, tum ob novæ & sanctissimæ vitæ rationem deinceps institutam & retentam.

Tertio, ejus amori rependit amorem reciprocum, cum dicitur conversus ad mulierem. Neque enim existimandum est solo corporis habitu conversum esse ad illam, sed etiam amoris affectu. Ante pœnitentiam aversus erat ab illa, post pœnitentiam convertit se ad illam juxta id Zach. 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Cum sol à nobis avertitur & recedit, consequitur hyems, indurantur omnia frigore, fructibus & foliis spoliantur arbores, omnia denique velut mortua jacent. At ubi ad nos redeundo se convertit, generatur ver & æstas; resolvitur glacies in aquam, floribus & fructibus vestiuntur arbores, omnia rident, omnia vivunt. Ita quamdiu Christus à Magdalena fuit aversus, tamdiu cor ejus induratum & congelatum erat, ipsa omni virtutum & operum bonorum decore destituta, mortua denique in peccato. Postquam vero ad eam se convertit sol justitiæ, tum resoluta est in lachrymas, tum proferre cœpit fructus pœnitentiæ, tum amore Christi incalescere.

Et quemadmodum in æstu homines spoliant se vestibus: Ita Magdalena æstu amoris divini correpta, omnes mundi illecebras abjecit & contempsit, omnia illi sorduerunt, solus Christus sapuit. Ut merito de ea canat hodie Ecclesia: *Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi: Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Fecit hic amor reciprocus, ut quanto tempore Christus amore nostri in terris vixit, tanto ipsa quoque viveret in spelunca amore Christi: ut prædixit illi Angelus, apud Surium 22. Julii.

Quapropter Auditores, si ad simile convivium invitati à Christo vultis, conemini inprimis, ut cum Magdalena Christum prius invitetis. Humilitatem sectamini, pœnitentiam seriam agite, Christum diligite. Tunc enim & ipse vos exaltabit, gratia sua donabit & diliget.

CONCIO II.

MARIA MAGDALENA SPECULUM Pœnitentium.

I. *Festinat ad pœnitentiam.*
II. *Pudore suffunditur.*
III. *Conteritur.*
IV. *Peccatricem se fatetur.*
V. *Docet modum satisfaciendi.*
VI. *Rigorem ostendit pœnitentiæ.*

THEMA.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, Luc. 7.

A. PRoverb. 31. scribit Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et respondet mox: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*, q.d. si totum orbem peragres vix invenies unam. Sed pace tua Salomon: Invenimus mulierem, fortem ut petisti: Mariam Magdalenam, quam in hodierno Evangelio Lucas proponit spectandam toti mundo, dicens: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Hæc enim dæmonem vicit, cui obligata erat; carnem vicit, cui diu servierat: Mundum vicit, cui addicta erat. Deum deniq; ipsum vicit, dum lachrymis eum suis flexit, sententiam damnationis in se ferendæ mutare coegit: & in suum adeo amorem pellexit. Unde si olim in civitate à pretereuntibus digito notabatur & passim audiebat: *Ecce mulier illa peccatrix*; nunc à toto mundo audit: *Ecce mulier Dei amatrix, Deo dilecta & sancta:* Ecce mulier Victrix, & speculum pœnitentium. Sed quibus tandem armis mulier hæc vicit? Non malleo & clavo, uti Jahel Sisaram; Non pugione, uti Judith Holofernem; Non lapidis jactu, uti mulier illa Abimelechum: Sed nova præliandi industria & ratione, quemadmodum nunc audiemus.

B. I. *Festinat ad pœnitentiam.* Primo: Festinavit ad pœnitentiam; quia ut cognovit, quod Christus accubuisset, &c. in quo docemur quam fuerit anxia in quærendo Christo, q.d. Evangelista, *quam primum cognovit, statim abiit*, nihil morata. Non expectavit donec finitum esset prandium, aut donec solus esset; ne irruere per turbas deberet. Noluit ambages recipere aut moram pati, & diutius errabunda vagari, ne forte ei elaberetur Dominus. Multi sunt instar Pharaonis illius, ut advertit S. Ambrosius l. de Cain & Abel c. 9. qui monitus à Moyse: *Constitue mihi quando deprecer pro te & pro servis tuis & pro populo tuo, ut abigantur ranæ abs te.* Respondit. *Cras.* O insanum hominem! Vexabatur à ranis in mensa, in throno, in lecto: & non voluit liberari statim, sed *cras*, Exod. 8. Cur non potius hodie? sed qui hodie ad pœnitentiam aptus non erat, nec crastino die erat: *Videns* enim *quod data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos.* Accidit his, quod viatori, qui offendens rivulum, ad saltum paulo latiorem: tendit inferius sperans eum fore angustiorem, & invenit semper latiorem. Quare prima statim occasio conversionis arripienda est; ne post sit calva.

C. II. *Pudore suffunditur.* Secunda, Pudore suffunditur, quia stat retro Dominum. Ubi notandum, quod non pudet eam videri ab aliis, quos sciebat male de se opinaturos: sed tantum à Christo. Unde solum abscondit se ab eo, eundo retro illum. Ita nimirum constitutus esse pœnitens debet. Cum peccant homines, non pudet eos peccare in conspectu Dei omnia cernentis: sed tantum in conspectu hominum, ideo latibula quærunt. Sed dic tu mihi an non potius contrarium facere deberes? Sane deberes. Cedit enim ad Dei summam ignominiam, quod tu ea in conspectu ejus perpetrare audes, quæ coram hominibus non audes; quasi Deum pro vilissimo omnium reputares, & ipsius nihil interesset. Igitur ut hunc errorem indignissimum corrigeret Magdalena, inverso ordine, nihil dubitavit se omnium ludibrio exponere, à solo vero se Christo abscondit. Erraverat simili modo David, qui ignominiam tantum coram hominibus tegere suam, conatus est, nil cogitans quod in conspectu Dei peccasset. Ideo audit à Propheta in persona Dei: *Tu fecisti abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel & in conspectu solis*, 2. Reg. 12. Quod postea agnovit, dicens: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci*, quasi explicans priora verba: scilicet ideo tibi soli peccavi, quia coram te solo peccavi; cujus oculos maximè vereri debebam. Ps. 50. Quare non pudeat nos, postquam peccavimus confiteri, tundere pectus, osculari terram, & peccatores ab hominibus æstimari: Pudeat ante Deum tales inveniri. Sed nimirum vere Augustinus in Ps. 5. ait: *Sunt multi, quos peccare non pudet! O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis.*

Tertio.

D. III. *Conteritur.*

Tertiò. Intime conteritur, quia lachrymis rigat pedes Christi, quo verbo indicatur multum effudisse lachrymarum: *Plus est rigare quàm lavare*, ut notat Lorinus in *Psal. 6.* quia rigatio intima etiam penetrat, uti terræ viscera: lotio extera tantum abluit. Ut ergo indicaretur lachrymas Magdalenæ cor penetrasse, rigasse dicitur Christi pedes. Sed ad quid inquies tanta vis lachrymarum? Quia quo terra sterilior est, eo plus requirit imbrium, ut fructificare possit. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, ait David *Psalm.* 143. Et tale erat cor Magdalenæ: ideo rigatione magna indiguit. Exiguus imber non suffocat mures, qui in foraminibus agrorum delitescunt, sed copiosus. Vis tu occidere vermes & scrupulos conscientiæ tuæ, fac abundanter plores, Propterea David etsi dicebat Psalm. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum*: non putavit tamen satis se lachrymarum effudisse, siquidem putabat adhuc vivere in se peccatorum vermes. Ideo subjecit eodem Ps. *Lachrymis meis stratum meum rigabo*, quasi dicat lachrymarum pluviam effundam. Unde scriptura cum de pœnitentia loquitur, planctum amarum planctum quasi super unigentium requirit & scissionem cordis. Joel. 2. *Scindite corda vestra.* Certe sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 2. de Baptismo ait: *Recipio pœnitentes, si lachrymis rigatos videro.* Sed ô quam pauci hodie tales: : quam rari audiuntur singultus confitentium, nedum fontes lachrymarum? Confessiones suas aliqui recitant quasi historiam aut gesta nova: cum tamen interim peccatorum manipulos & quasi plaustra afferant..

E. IV. *Peccatricem se fatetur.*

Quarto. Peccatricem se tacite confitetur, dum publicâ subit pœniientiam coram iis, quos sciebat non latere peccata sua, ac per hoc etiam docet publica peccata, qualia erant ipsius, publica pœnitentia castiganda esse.

Nam si pro mensura peccati erit & plagarum modus, ut dicitur Deuteron. 25. Si crimen est publicum, sit & pœnitentia. Unde Eusebius Emissenus hom. 10. ad Monachos ait: *Graves causæ graviores & acriores, & publicas curas requirunt.* Certè in primitiva Ecclesia tam magnates quam Vulgus ei subjiciebantur. *Theodosius* (inquit Ambrosius in orat. de funere Theodosii) *deflevit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit publicè Imperator agere pœnitentiam, scilicet, neque ullus postea dies fuit, quo non illam deleret errorem.* De eodem S. August. lib. 5. de civitat. c. 26. *Ecclesiastica*, inquit, *coercitus disciplina sic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo, quam peccando timeret iratam.*

Justissimè proinde idem Augustinus homil. 49. invehitur in eos, qui longe inferioris ordinis ab Imperatore & præfecturis, de publicis peccatis publicam agere pœnitentiam negligunt. Circa idem tempus Fabiolam Romanam clarissimam fœminam quod facto divortio altero nupsisset, tota Urbe inspectante, ante diem paschæ stetisse in ordine pœnitentium, & omnibus collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submittentem, scribit S. Hieron. Epist. 30. Ejusmodi etiam pœnitentiam egit Raynerus Lotharingiæ Dux qui cum prius Ecclesiastica bona invasisset ac deprædatus esset; tandem pœnitens donationes amplissimi Latifundi satisfaciens, Diploma confecit, quo seipsum sceleris arguens ita se subscribit: *Raynerus Lotharingorum Dux & prædo*: *Quia Ecclesiam Dei persecutus sum.* Refert Card. Baron. in Annal. anno Dom. 913. Sed publicæ hæ pœnitentiæ vix amplius reperiuntur. Utinam vel auricularis confessio fideliter fieret. Plurimi tamē nec in aure unius Sacerdotis volunt pudefieri: qui pudefient coram mundo aliquando. Nam *qui timet pruinam, cadet super eum nix*, Job. 6. Qui in pruina incedit, vix in barba & in pileo albescit: sed qui in nive totus undique. Ita qui hoc coram uno Sacerdote confundere se non vult, confundetur ibi coram toto mundo.

F. V. *Docet modum satisfaciendi.*

Quinto. Satisfaciendi modum aptissimum docet, dum ea ad pœnitentiam & Christi cultum adhibet, quæ adhibuerat ad peccata & lascivias; capillos, quos antea componebat in Dei opprobriū in Christi obsequium impendit. Oculos, quos fucaverat, & ad inescandos homines usurpaverat, in lachrymarum fontes convertit. Os, quod impudicis sermonibus aperuerat, nunc deosculandis Domini pedibus imprimit. Unguentum, quo prius ad lasciviam se perunxerat, nunc Domini pedibus devovet. Vestes denique humi sternit & deserit, quas ad pompam gestaverat. Unde Greg. hom. 33. in Evang. ait: *Quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quid ex se Deum contempserat in culpa.* Unde & Paulus ad Rom. 6. ait: *sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete illa servire justitiæ in sanctificationem.* Ita filii Israel, sicut obtulerunt inaures aureas ad conflandum vitulum Exod. 33. Sic easdem postea dederunt ad opus Domini, ut fieret tabernaculum Exodi 35. Theriaca, quæ fit ex serpentis occisi veneno, antidotum est veneni. Sic serpens æneus serpentum morsibus. Nu. 21. Esther pavens periculum, quod ipsi & toti Judæorum genti à Rege imminebat, deposuit vestes Regias fletibus & luctui apta indumēta suscepit, & pro unguētis variis cinere & stercore implevit caput & corpus suum humiliavit jejuniis omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit, Esther 14. Fecit hoc & Magdalena. Prophetasse de ea & ejus similibus videtur Zacharias c. 14. dicens: *Erunt lebetes in domo Domini, quasi Phialæ coram altari*, id est, quæ prius erāt turpitudinis, erunt quasi phialæ aureæ, plenæ suavissimorum odoramentorum. Arsenius

nius Abbas rogatus, cur aquam rarius mutaret, cum fœtore totam cellam inficeret, respondit: *Lubens fœtorem hunc excipio, in locum odoramentorum, quibus in palatiis regum fui olim oblectatus, ut in die Judicii de inenarrabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus.* Recenset Cornel. à Lapide in cap. 27. Exodi.

G. VI. *Rigorem ostendit pœnitentia.*

Sexto. Satisfaciendi rigorem, dum triginta annis, quibus post Christi ascensionem vixit, in Rupe Marsiliæ severissimam pœnitentiam egit. Hoc ei denuntiarat S. Michael Archangelus dicens: *Deus quem tantum O Magdalena concupiscis & semper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profusis, ut futuris seculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias; & tanto quidem tempore, quanto tuus & noster amor Jesus in terris te propter vixit.* Uti ipsa Eliæ Anachoretæ Baumam suam incolenti narravit. Auth. Sylv. Priorate apud Surium 22. Julii. Stupenda res Auditores. Etenim Magdalena certa erat de remissione peccati: *Remittuntur tibi peccata.* Certa de pace: *Vade in pace.* Certa de perseverantia: *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Certa de salute. *Fides tua te salvam fecit.* Et nihilominus per tot annos tota vita reliqua tam austeram egit pœnitentiam, quid igitur putatis agere nos convenit, qui tales assecurationes non habemus? Si Sciremus quantum satisfacere teneremur pro peccatis singulis? fieri posset ut cito nos expediremus ab operibus satisfactionis: sed hoc est quod nescimus: præterea, quantum tempus ad solvendum habituri simus. Ideo S. Petrus post negatum Christum, ad omnem galli cantum flevit. Et Paulus semper se persecutorem Ecclesiæ vocavit. David: *peccatum meum contra me est semper*, inquit. Ideo & nos ad ultimum usque spiritum defleamus & puniamus peccata nostra, ut post imbrem lachrymarum serenum intueamur cœlum.

CONCIO III.
CONTRITIONIS MOTIVA.

I. *Quid fecisti.*
II. *Unde venis.*
III. *Ubi es.*
IV. *Quomodo cecidisti?*
V. *Quo vadis?*

THEMA.

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, Lucæ. 7:

A. Sanctus Gregorius Papa homil. 33. ita suam ordi-tur super hoc festo concionem: *Cogitanti mihi de Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere.* Quam obrem sanctè Pontifex? *Cujus enim*, inquit, *vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ, ad templum pœnitentiæ non emolliant?* His addo maximum fructum illarum lachrymarum, quibus Magdalena Christum pavit, quasi epulis lautissimis, & una sibi salutem peperit. Ergo lachrymæ Magdalenæ pretiosum illud unguentum fuerunt, in vasculo cordis ejus repositum, quo Christum unxit & sibi devinxit, salutem sibi quæsivit, & Ecclesiam totam odore ejus respersit. Conemur ergo & nos unguentum hoc conficere & in corde nostro reponere, unguentum contritionis inquam, ad Christi gratiam impetrandam. Sed qui liquores, quæ aromata hoc unguentum ingredi debeant? Videbimus.

B. I. *Quid fecisti?*

Prima. Consideratio: *Quid fecisti?* Hac voce voluit Deus movere cor Caini ad pœnitentiam de admisso parricidio, Gen. 4. non quasi facinus exploraturus, quod ipsi ob oculos ponit, sed criminis immanitatem ei monstraturus, q. d. quomodo tam immane scelus, cujus ultionem petit ipse sanguis tui fratris clamans ad me de terra, animo concipere & patrare ausus es? Hoc idem sibi dicat Peccatrix anima: *Quid fecisti?*

Primo. Quis ille, quem offendisti? Ille enim cujus tanta est majestas & potentia, ut omniũ principum & Angelorum potentia respectu illius pulvis sit, quiq; omnem mundi potentiam tam facilè potest delere, quam facile quis nostrum pulvisculum exufflare. Deinde summus benefactor tuus, Creator, Redemptor, Sanctificator. Saul referente Jonatha obsequia Davidis: *Ne pecces Rex in servum tuum, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde; & posuit animam in manu sua, &c. Vidisti & lætatus es*; placatus juravit, se ei vitam non erepturum, 1. Reg. 19. Hoc & majora longe tibi Christus fecit? & tu eum offendere potuisti?

Secundo. Quis tu, qui offendisti? quam luteus, quam vilis, quam omni ex parte indigus, & miser? *Væ qui contradicit factori suo testa de Samiis terræ!* Inquit Isaias. cap. 45.

Tertio. Quam graviter deliquisti? Tantum enim malum admisisti, quod omnibus omnium Sanctorum meritis & precibus compensari nequit. Sanguis fratrum tuorum vel animæ tuæ, imo & Sanguis Christi, quem conculcasti, clamat ad Deum de terra. Tãtum enim malum fecisti, ut pro eo mori Deus debuerit: cujus tamen mortem iterum pedibus calcasti.

Quarto. Quoties offendisti & in eadem peccata, prius dimissa, relapsus es? Certasti enim quodammodo cum Deo, utrum ille tibi sæpius cõdonare injurias, an tu ei irrogare posses. Toties velut immundus canis ad vomitum rediisti, ut minime mirum foret: si is te evomeret, & projiceret in æternum à facie sua.

Hæc vel his similia cognovit ac cogitavit Magdalena: & hinc illæ ejus copiosæ lachrymæ, pœnitentia immoderata. *Consideravit namq;*, ait Gregor. hom. 23. *quid fecit, & noluit moderari quid faceret.*

Hinc

Hinc retro accessit, & ad pedes Christi tantum. Cogitabat enim quis esset ille, & quid ipsa. Jam si cognovisses & tu peccator? Verum de hoc queritur, Jer. 8. Dominus: *Nullus est*, inquit, *qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci?* Inde mirum non est, si nullæ oboriantur lachrymæ.

C. II. *Unde venis?*

Secunda Consideratio: *Unde venis?* Hac voce Angelus Domini allocutus est ancillam Saræ, Agar, fugitivam & in solitudine errantem, Genes. 16. Non quod nesciret unde ea venerit, sed ut confessionem peccati, quo dominam suam despexerat, ideoq; ab ea fugerat, eliceret, q.d. Quomodo è tam bona & felici domo Abrahæ in hoc miserum exiliũ devenisti? Agar fugitiva; animam peccatricem & in hac vita peregrinam (hoc enim sonat Agar) denotat. Fugit hæc à Domina sua, Ecclesia triumphante cum peccat, quia ab ea se elongat & deletur è libro vitæ ac Sanctorum Societate. O Anima, unde venis? E cœlo fugisti, à Christo & sponsa ejus ejecta es. Ab Jerusalem decendisti in Jericho. Nihil tibi amplius cum cœlesti & beata illa familia, nullum tibi jus ad cœlum. Filium illum prodigum inde potissimum afflictum fuisse novimus, quod è paterna domo semetipsum exclusisset. *Quanti mercenarii*, inquit, *in domo patris mei abundant panibus: Ego autem hic fame pereo?* Luc. 15. Non tu magis doleas, qui à cœli Patria extorris factus, non jam frueris iis solatiis, quibus abundant servi Dei? Quam doluit Theodos. Imp. à S. Ambros. excommunicatus & die Natalis Domini à cœtu fidelium & templo exclusus? In terra prostratus jacuit & lachrymas effudit, ut alibi vidimus. Quid vero majus, ô peccator, excludi ab Ecclesia an cœlo?

Adhæc à facie Dei fugis, quemadmodum dixit Agar: *A facie Sarai Dominæ meæ fugio.* Tu ô peccator à facie & gratia Dei tui fugisti. An non dignum hoc omnibus lachrymis: perdidisse Deum suum? Abstulerant aliqui Michæ Idola quædam domestica; quod cum is intellexisset, cucurrit post eos clamans ejulansque. Ad quem illi: *Quid tibi vis? Cur clamas?* Et Michas: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis & Sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi vis?* Jud. 18. Si miser ille tam vehementer doluit perditum idolum, quo ablato omnia sua se perdidisse existimabat; quomodo non doleat peccator, qui Deum verum perdidit? Miseri nos & cœci, damna temporalia deflemus: Deum amisisse non dolemus. Multo fletu prosequatur ille securim demersam in flumen, 4. Reg. 6. Similiter ut Poeta Juven. Satyr. 13. canit:

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris.

Adhæc, *si quem de tuis charis*, inquit S. Cyprianus lib. de lapsis. *mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres: facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam miseram perdidisti, spiritaliter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti: & non acriter plangis? non jugiter ingemiscis?* Hæc Cyprian.

D. III. *Ubi es?*

Tertia Consideratio. *Ubi es?* Hac voce allocutus est Deus Adamum, post admissum peccatum, Genes. 3 *Non interrogatio est*, inquit S. Ambr. l. de Parad. c. 14. *sed increpatio. Non in quo loco, quæro, sed in quo statu. Quo te perduxerunt peccata tua ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas? non in quo, sed in quibus es? De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? Dereliquisti vitam æternam, & attumulatus es morti, consepultus errori.* Vult ergo dicere in alio te loco, ô Adam, reliqui, in alio te invenio: gloria te vestiebam, nudum te invenio: gloriose coram me incedebas, nunc latebras inquiris; Ubi nũc prima illa tua mentis tranquillitas? Ubi animi securitas? Ubi pax conscientiæ? Ubi omnis illa tantorum bonorum possessio? In Jericho descendisti, ô Adam & in latrones incidisti, qui te despoliaverunt, & vulneribus confectum reliquerunt. Item tibi ô peccator, dictum esse puta. Vide in quæ mala incideris peccando. Perdidisti pacem cordis, pignus gloriæ, famam & existimationem, taceo alia plurima. Ubi fuisti & ubi nunc es? Quam confunderetur filius, qui à patre ad aulam Principis missus, deprehenderetur ab eo in carcere vinctus propter crimina? Quam erubuisset filius prodigus: si à patre inventus fuisset, inter porcos accubans, lacer, famelicus, &c. Hoc tu jam loco es peccator. Non igitur doles? Sed inspice in speculo miseriam tuam. Sit in hac civitate puella infimæ sortis, formæ tamen eximiæ, cujus gratia adametur à Principe, eique desponsetur. Si hæc post aliquot annos cadat in ægritudinem, ex qua omnem omnino perdat formæ suæ decorem, ita ut Princeps eam odisse incipiat, imò à se ablegat in exilium: quanta hæc calamitas foret? Porro si ea in exilio sic constituta, sumat speculum videatque sui vultus nimiam deformitatẽ, & recordetur prioris pulchritudinis, pristinique status ac dignitatis, an non uberrimè flebit? Contingit hoc animæ tuæ ô peccator. Ea enim quando primo gratia vestita fuit, pulcherrima & DEO desponsata fuit. At vero per peccatum super carbones denigrata est, & propterea ab ejus conspectu, gratia & aula ejecta in exilium, & carcerem damnandorum. Quid tu hic agas miser, si cogites hunc & pristinum statum tuum? Porro si quis illi puellæ diceret: En tibi unguentum habe, quo pristinam tuam pulchritudinem certo recuperabis, & una dignitatem primam: quam putas illa gauderet: Unguentum hoc contritio est & lachrymæ. Hoc ergo, peccator, unguento crebro te perunge: Sic enim facilè conservabis pulchritudinem animæ tuæ. Ferunt Elephantos domitos vespere quotidie suam deplorare servilem conditionem. Fac hoc & tu, quicunque in servitutem incidisti dæmonis: noli prius somnum capere, quin defleveris culpas tuas.

Adhæc in potestate Dei es, à quo omni momento occidi & in gehennam mitti potes. An nescis Saulem, quando advertit se in spelunca deprehensum, fuisse

fuisse in manu Davidis, quem toties offenderat, adeoque ab eo facillimo necari potuisse, elevata voce flevisse 1. Reg. 24. Tu peccator in ejus manu es, quem toties læsisti: non igitur compungeris?

E. IV. *Quomodo cecidisti?*

Quarta Consideratio. *Quomodo cecidisti?* Sic alloquitur Luciferum, Isaias c. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam.* Ubi indicat, quam levi & vili pretio suam vendiderit gratiam, unica scilicet inordinata cogitatione, qua beatitudinem non debito modo appetiit, quod miratur Propheta: & notat Christus Luc. 10. cum monere volens discipulos, nec ambitioni locum præberent, dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Fulgur ad momentum tantum coruscat, & postea extinguitur: ita mundi gloria. Nihilominus ob unicam cogitationis coruscationem dejectus est in abyssum Lucifer. Cogita jam peccator, an non & tu multoties levissima re inductus cecideris in peccatum? Forsan una cogitatio morosa, vel in eam consensus forsan unicum verbum contumeliæ, detractionis vel blasphemiæ, forsan momentanea, gloriosa vel voluptas, aut lucrum unius nummi præcipitavit te in barathrum peccati. Quomodo cecidisti? Quam turpiter deceptus es? *O insensati Galatæ*, inquit Apostolus ad Gal. 3. *quis vos fascinavit non obedire veritati?* Quanto vir alioquin prudens & honestus nonnihil ab æquo abductus, stultum quid vel inhonestum egit: postea se colligens sibimet irascitur, & pudet sit in seipso, uti fit, cum quis magnas opes lusu absumpsit, vel rem ad modum pretiosam vilissimo pretio vendidit. De fascinatore quodam Michaele Sicidite scribit Nicetas l. 4. Annal. Cum ex editiore palatii Constantinop. loco Michael Sicidites naviculam vidisset, quâ ollæ & patinæ vehebantur, carmine magico effecit, ut Nauta exurgere & vasa non prius ferre desisteret, quam in pulverem redegisset. At paulò post barba prehensa lamentari, amotaque caligine se ut ira numinis agitatum deplorat, Rogatus cur merces suas ita tractasset? Cum dolore narrabat, se remis intentum, horribilem serpentem super vasa porrectum, oculis inconniventibus in se conversum instar devoraturi vidisse, qui prius volutari non destiterit, quam fictilia confracta essent, inde subito ex oculis evanuisse. Hunc in modum Dæmon effascinat peccatores, ut ea, quæ quæ virtutes sunt, pro vitiis habeant & fugiant: contra vero vitia veluti pulchra amplectantur, & quæ absurda & fœda sunt, pulcherrima existiment. Alii imaginantur, sibi inimicum suum esse serpentem horridum, quem dum consequuntur, in seipsos sæviunt & animas suas necant. Jam vero si ea nubes, quæ oculos cæcavit, recedat, quid superest, nisi ut vesaniam suam miseri deplorent? Ejusmodi dementia agebatur Esau, cum pro rufa pulte vendidit primogenita sua, Genes. 25. Sed cum postea vidit propter sibi surreptam esse Patris benedictionem cæteraque bona primogenituræ annexa, consternatus *irrugiit clamore magno*, Gen. 27. quia videlicet tantum bonum pro tam vili & modico esculento vendidisset. Nihil aliud agit peccator, cum animam suam, tanto redemptam pretio, pro vili & turpi voluptate vendit. Non igitur irrugiet? Non deplorabit suam insaniam? Lysimachus Rex, cum exercitum ob sitim hosti tradidisset, postquam captivus aquam accepit & bibit: Prò inquit, *Deum fidem: quam exiguæ voluptatis gratia quantum regnum perdidi, meq; ex Rege servum effeci.* Dic tu hoc peccator & irrascere tibi ipsi.

F. V. *Quo vadis?*

Quinta Consideratio: *Quo vadis?* Dixit hoc Angelus Domini ad Agar, ancillam Saræ, fugientem à facie Dominæ suæ, & in solitudine oberrantem, q. d. Tu hac ratione si es præda ferarum, & errando magis errabis: quin igitur reverteris & humiliaris sub manu Dominæ tuæ? Simili modo peccator ad interitum suum tendit, ut fiat præda Dæmonum: Ipse enim est filius illius viduæ mortuus, qui jam effertur ad sepulchrum inferni. Quot dies in peccato vivit, tot ad ipsum passus facit. Ac nisi Christus ei obviet, & sua miseratione tangens mortuum sistat, ac per gratiam resuscitet: sepelietur in inferno. Quare revertere ô anima ad Dominum tuum. An non audis vocem Domini tui post tergum monentis Cant. 6. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere?* Quid sibi vult tam serius & repetitus clamor, nisi quia videns Dominus ad interitum te pergere, inde vult revocare? Unicus tibi gradus ad infernû superest, mors corporis, ut jure dicere possis, quod de se dixit David 1. Reg. 20. *Vivit Dominus, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego morsq; dividimur.* Vult dicere, se versari in præsentissimo mortis periculo, se enim à Rege Saule undiq; ad necem quæri, omnia esse plena insidias, ac vix possibile esse sibi ut evadat. Tu in regno Diaboli nullibi non existens, an non majori in periculo es? Tribus, aut quatuor digitis absunt à morte qui navigants fracta enim una tabula ruunt in profundum: & tu, si frangatur maceria corporis tui, tu es in gehennam. Fortasse igitur, cras fortasse hic hora incipies habitare in inferno: Revertere igitur, revertere, dum reverti potes.

Et quomodo reverti possumus? Si cùm Magdelena ad Christum redeamus & pretiosum illud unguentum, contritionem afferamus. Nullibi fere cernitur Magdalena seu in picturis, seu in Evangelio sine pyxide unguentaria. Sic nobis quoque pyxis ista semper ubique adhærens.

CONCIO IV.

QUANTA SIT VIS LACHRYMARUM.

I. Delent peccata.
II. Tranquillant mentem.

III. Fa-

III. Facile impetrant.
IV. Delectant Cœlum.
V. Christum patronum obtinent.

THEMA.

Hæc autem lachrymis rigavit pedes meos,
Luc. 7.

A.

DE Julio Cæsare refert Suetonius, eum postquam de Ponto victoriam reportasset, triumphum egisse & inter pompæ fercula trium verborum prætulisse titulum, scilicet: *Veni, vidi, vici*. Quibus aliud non designabat, quam quod brevissimo tempore, & facillimo labore victoriam, & trophæa de Ponto reportarit. Tametsi Mulier est Magdalena, bello inidonea, eam tamen Ecclesia in hod. officio multoties appellat *Mulierem fortem*. Equidem, ut arbitror, quia in hod. Evang. fortissimam obtinuit victoriam in domo *Pharisæi*, & inde plurima tulit spolia, quodq; magis mirum, brevissimo tempore, nullo quasi labore. Venit enim in domum Pharisæi, vidit accumbentem Christum, & lachrymis lavit pedes ejus. Hæc tota bellandi ratio. Non legimus vel verbum, quod protulerit, solas lachrymas adhibuit. Et tamen ibi stupendam obtinuit victoriam, dum ipsius irati Dei cor expugnavit, eumq; sibi devinxit: Adhæc maxima reportavit trophæa, remissionem peccatorum, fidem, defensionem sui, pacem, salutem. Unde merito & ipsa in amoris sui triumpho tria illa verba, quasi totidem trophęa potuit præferre: *Veni, vidi, vici*. Super hoc exclamat *P*etrus Ravennas: *O quanta vis in lachrymis peccatorum, quæ omnem abluunt culpam, gehennam extinguunt, latam divina promulgatione flectunt sententiam.* Sed modo vim harum lachrymarum accurratius contemplemur.

B. I. *Delent peccata.*

Lachrymæ Primo delent peccata. Unde Magdalena audit: *Remittuntur tibi peccata*. Quare S. Gregor. Nyssenus in orat. 2. ad eos, qui alios durius judicāt, ait: *Lachrymarum effusio baptismi habet vim; gemitusq, reducit gratiam, quæ paulatim, excesserat*, S. Chrysost. hom. 2. in Ps. 50. vocat lachrymam, *spongiam peccatorum*. Unde qui peccata sua deflet, quasi spongia quadam delet. Probatum hoc in Magdalena; probatum & divino ostento, in juvene illo, qui cum præ lachrymis recensere peccata sua confessario non posset, ideoque in schedula descripta porrigeret, ita cœlesti sententia absolutus est, ut omnia delerentur, antequam legerentur, apud Cæsarium, lib. 2. cap. 10. Jam si quis lachrymando delere posset sua debita quantumvis magna, item si Mater filium demortuum resuscitare posset lachrymis: quātum quæso lachrymarum funderet? De Echino scribit Pierius l. 18. Hierogl. dilaniatum & dissectum in partes, & projectum in mare redintegrari & restaurari colluentibus rursum & coalescentibus partibus. Hoc sane in peccatore faciunt lachrymæ, quæ perditum restaurant, & pristino vigori ac dignitati restituunt: & quod magis mirum, ex maximis peccatoribus maximos sæpe sanctos faciunt.

Testis inprimis Maria Ægyptiaca, quæ ut scribit Sophronius Episcopus Jerosol. initio mulier fuit impudicissima, quippe quę non quęrebat mercedē, ut aliæ meretrices, sed ipsa mercedes dabat, ut satiare libidinem suam posset. Denique horror est legere in quam profunda abysso turpitudinum jaceret. Cum autem per pœnitentiam inde emersisset, ad solitudinem perrexit, in qua per annos 47. hominē non vidit, & ad tantam sanctitatem pervenit, ut jam non homo, sed terrestris quidam angelus videretur Eam vero solo lachrymarum pretio sibi comparavit. Testis idem Sigismundus Burgundionum Rex, qui cum ira percitus filium strangulasset: facti pœnitens ad Cœnobium Agaunense à se extructum abiens per multos dies in fletu & jejunio durans, petebat ut in hoc sæculo potius quam in futuro de tam immani facinore pœnas daret: quod & impetravit; nam paulo post à Clodomero Clodovei Frācorum Regis filio, bello victus & cum Uxore & filiis interfectus, & in puteum abjectus est. Unde extractus & ad Agaunense cœnobium delatus, miraculis claruit, & in Ecclesiasticis tabulis receptus est anniversaria ubique memoria celebrandus Kal. Maii. apud Baron. Anno 526. Testis denique Maria Magdalena, quæ initio per peccatum miserrime deformata, postea per lachrymas tam speciosa facta est, ut à Christo singulariter diligeretur. O magnam vim lachrymarum.

C. II. *Tranquillant mentem.*

Secundo. Tranquillant mentem & certam spem indulgentiæ & reconciliationis cum Deo producunt. Idcirço enim Dominus Magdalenæ dixit: *Vade in pace*. Ita Sara filia Raguelis in oratione sua ad Deum: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis*, Tob. 3. Et Chrysost. hom. 6. in Matt. 6. *Sicut post vehementes imbres, inquit, mundus aër ac purus efficitur, ita & lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas*. Ratio est, quia lachrymæ testantur magnam peccatorum displicentiam & detestationem Deiq; dilectionem. Unde Dominus de Magdalena dixit: *Remissa sunt ei peccata multa. quia dilexit multum*: q. d. quia ex magna dilectione Dei peccata sua deflevit. *P*etierat aliquando à sancta Catharina Senensi Raymundus Capuanus ejusdem Confessarius, ut precibus suis à communi Domino impetraret bullam plenariæ indulgentiæ, per quam ipse Raymundus certior redderetur, sibi peccata omnia fuisse remissa. S. Virgo pollicita est talem à Domino bullam se postulaturam. Sequenti die, præmissa oratione ad DEum, Raymundum adivit, & dum loquitur de ingratitudine hominum erga DEum, tactus Raymundus Spiritu sancto, intueri sibi visus est peccatorum suorum multitudinem

nem & magnitudinem tam perspicue ut continuo ex amarissima contritione tantam vim lachrymarum effuderit, & in singultus ac rugitus tales proruperit, ut periculum fuerit, ne pectus & cor ejus rumperetur. Tum Virgo, *Hæc*, inquit, *est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit, esto igitur gratus gratis Dei.* Unde ille mirum in modum lætus, cum Davide dicere potuit ex Ps. 50. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiã, &c.* Scribit ipse Raymundus in vita Sanct. Catharinæ. Felix qui hanc bullam in hac vita obtinet. Consonat huic, quod quidam Abbas dixit, in vitis PP. *Filii Israel post* 40. *annos intraverunt in terram promissionis. Lachrymæ sunt terra promissionis, ad quas si perveneris: jam non timebis bellum.*

D.

III. *Facile impetrant.*

Tertio. Efficacissimæ sunt ad impetrandum quidvis à Deo. Patet in Magdalena, quæ nihil omnino petens, sed lachrymas tantum fundens, impetravit remissionem, defensionem, pacem, salutẽ. Ita Anna Samuelis Mater, post longam sterilitatem, flens largiter coram Domino impetravit prolem sanctissimam. S. Monica S. Augustini Mater pro cõversione filii ubertim flens, à quodam pio Episcopo audivit: *Fieri non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat,* lib. 3. confess. cap. 12. S. Antonius, cum Monachi ejus penuriam aquę paterentur in eremo, pro aqua, rogavit Deum; *& ad primam rogantis lachrymam,* inquit S. Athanas. in vita S. Antonii, *in orationis loco fons ebulliens erupit.* Ratio est, quia lachrymę sunt orationis quasi condimentum, eamque Deo velut suavissimum efficiunt ferculum: Qui etiam orat cum lachrymis, testatur se serio orare, & adjutorium Altissimi toto corde implorare, quod summopere placet Deo. Ideo Raphaël ad Tobiam ait; *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino,* Tob. 12. Et Eccl. 35. ait ait de lachrymis pupilli & viduæ: *A maxilla ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis* (vel ut alii codices legunt) *delectabitur in illis.* Utrumque enim verum: Non delectatur in illis, quatenus earum causa est crudelitas opprimentis: sed in eis delectatur, quatenus sunt orationis condimentum. Unde S. Bern. non immerito lachrymas vocat *sanguinem animæ.* Et Hieronymus in Isaia ait: *Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit; hæc ungit, illa pungit.* Et Amb. serm. 15. *Vim,* inquit, *facimus Deo, non compellendo sed flendo.* Ælianus lib. 14. var. hist. scribit de Principe quodam, nomine Trisous, qui cum esset in subditos crudelis, & ideo sibi ab illis timeret interdixit civibus omne colloquium. Quo facto ipsis per nutus confabulabantur, quod ipse similiter prohibuit. Itaque cives in foro consedentes, lachrymas una ciere consueverunt. Hoc sibi in majorem fore perniciem metuens Rex stipata manu in forum descendit, etiam lachrymas prohibiturus: Sed devictus ipse & jugulatus est à lachrymãtibus. Nimirum lachrymæ oppressorum à maxilla ad Deum ascendunt, & vim quodammodo illi faciunt. Sive ergo aliquis homo, sive Diabolus nos opprimat, si per lachrymas Deo nos commendemus, adjutorem experiemur.

E.

IV *Delectant Cœlum*

Quarto. Delectant Christum & omnes cœli cives. Propterea Christus Magdalenam lachrymantem, nequaquam, ut Pharisæus faciendum putabat, a se repellebat, sed libenter tolerabat, imo & præconio extollebat, dicens: *Hæc autem lachrymis rigavit pedes meos.* Hoc ipsum magna fiducia loquẽs David ad Deum dixit Psalm. 38. *Lachrymas meas ne sileas* (sic enim conjunctim legunt Hebr. & græcus textus.) Ratio quia lachrymæ sunt gratissimum Deo sacrificium, martyrio simile, ut dixit Chrysost. homil. 2. in Psalm. 50. Sicut enim Martyr fundit pro Christo sanguinem, sic pœnitens fundit lachrymas, quæ sunt sanguinis animæ, ut diximus ex Bernard. Item, sicut Martyr scinditur & laceratur in corpore, sic veros pœnitens scindit ipse cor suum & conterit juxta præceptum Domini Joël. 2. *Scindite corda vestra.* Tertio sicut Martyr offert Domino sacrificium gratissimum mortis suæ in testimonium fidei, sic & verus pœnitens offert sacrificium acceptabile Domino spiritus contribulati, in testimonium odii erga peccatum, & charitatis erga Deum. *Lachrymæ* enim *testes amoris sunt,* ait S. Bern. serm. 9. in cœna Domini. Denique sicut Martyr sine purgatorio recta ad cœlum evolat: sic & verus pœnitens, quando ex perfecta detestatione peccatorum fundit lachrymas copiosas ex ardenti amore, &c. Ita enim Magdalenæ ploranti dimissa sunt culpa & pœna.

Similiter etiam Angelus & omnes cœli cives lachrymæ lætificant. Etenim S. Bernard super cantica vocat lachrymas, *vinum & delicias Angelorum,* quia videlicet super peccatoris pœnitentia gaudium est in cœlo coram Angelis Dei, qui vident excoli vineam Christi, & laborem suum in excolendis vitibus sibi creditis esse non frustraneum, sed optime locatum, cujus fructum seu vinum à vitibus expressum, id est, fructum pœnitentiæ jam degustant. Designatum est hoc eorum gaudium mystice in convivio Abrahami, quod fecit in die ablactionis filii sui Isaac, Gen. 21. Mirum enim videtur, instituere convivium, quando dilectissimus filius ab ubere Matris abstrahitur ideoq; flere vehementius cogitur. Sed nimirum ita res habet in ablactatione & fletu peccatoris, cujus ploratus, festivitas est cœli, quia ut in ablactione filius creditur vitalis futurus & solidioribus cibis assuescit: sic lachrymans peccator creditur vitam æternam adepturus.

Sciendum tamen est, non quascunque lachrymas vinum esse Angelorum, sed eas tantummodo, quæ ex Dei amore ad defletionem peccatorum, & cœlestium bonorum desiderio ex oculis exprimuntur.

Sunt

Sunt enim aliæ lachrymæ vanæ, inutiles, & insipidæ quibus Angeli boni nihil delectantur. Velut cum *ploratur lachrymis amissa pecunia veris*, item cum flagella sua dolent homines, quare flagellantur, non dolent, ut inquit August. in Psalm 36. & similibus de causis: quales lachrymæ malorum potius Dæmonum, quam Angelorum vinum sunt. Lachrymæ bonæ aquæ de cœlo sunt, quia dispendia animæ deplorant. Lachrymæ malæ, aquæ de terra, quia dispendia carnis deplorant. Unde Angeli boni & mali litigant quodammodo pro lachrymis hominum, quo modo servi Jacob & pastores Geraræ pro puteis, dicentes: *Nostra est aqua*, Gen. 26. Nemo itaque rem tam pretiosam dæmonibus attribuat.

F. V. *Christum patronum obtinent.*

Quinto. Patronum & defensorem obtinent Christum ipsum contra omnes, siquidem in hod. Evang. tacentis & plorantis Magdalenæ causam suscepit & egit contra Pharisæum. O miram Dei bonitatem! cum ipsimet Domino falsa crimina impingerentur coram Judicibus, pro se nihil respondit. Nunc autem, pro lachrymanre respondet peccatrice. An non hic videre est quantum desideret salvare peccatores? Quomodo autem hic causam egit Magdalenæ contra Pharisæum, sic aget in judicio omnium causas pœnitentium contra ecrum inimicos. Et *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Ostendet enim ibi mundo, quantus fuerit valor, quantum pretium lachrymarum, quantumq; boni una lachrymula emi potuerit.

Ibi exprobrabit impœnitentibus misericordiam ei oblatam & non acceptatam. Quid enim magnum ab iis petiit? scilicet jussit eos ad pedes suos humiliari, confiteri & plorare. Quid magnum, offerte lachrymam pro regno cœlorum? Exprobrabit hæc ipsa etiam peccatrix Magdalena, quæ solis lachrymis tantam obtinuit gratiam: quod ejus exemplo nihil fuerint moti nec recurrerint ad Christum, nec unam lachrymam fuderint. O quantum illi in gehenna arguent suam stultitiam, quod hic paucis lachrymis expedire se diaboli laqueis potuissent & cœlo inserere; imposterum vero æternum ploraturi nihil proficient? Quam ergo sapiunt, qui hoc pretioso vino animas suas pascunt uti fecit S. Bernard. qui dicebat: *Firmum est mihi propositum nunquam ridendi, quoad usque audiam ex ore Dei illa verba: Venite Benedicti: Neque à fletu desinam donec liber sim ab illa sententia: Ite maledicti in ignem æternum.*

CONCIO V.

DAMNA FOEDÆ LIBIDINIS.

I. In bonis fortunæ.
II. In corpore.
III. In animo.

THEMA.

Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est Mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est, Luc. 7.

NOn male locutus fuisset Pharisæus, si Magdalena venisset ad Christum, non ut Piatrix, sed ut peccatrix; Si nō retro accessisset, si non ad pedes ejus cecidisset, si eos lachrymis non rigasset, si non unguento unxisset, si non capillis tersisset. Si enim ut peccatrix venisset, si impudens mensæ assedisset, si formam suam ostentasset, si osculum impudicum alteri infixisset, si vino se proluisset, si faciem suam depinxisset, si capillos expandisset & ornasset; tunc, inquam, recte & prudenter locutus esset Pharisæus. *Hic si esset Propheta, &c.* Talem vero Christus nequaquam admisisset: sed ut feram aliquam immanem foribus exclusisset: & cum ipso omnes id facere debuissent: ejusmodi enim immanis fera est libido, ut si recte agnosceretur, à nemine mortaliū in domum admitteretur, sed ocyus pelleretur. Ea vero describitur, Daniel. 7. in visione Balthasar: *Ecce bestia alia similis urso in parte stetit & tres ordines in ore ejus & in dentibus ejus: Et sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas.* Quæ hæc bestia nomine, nisi libido? quam Apostolus nec nominari vult in nobis: Et Lucas in hoc Evangel. nominare non est ausus: sed dixit tantum, *quia peccatrix est.* An non ipsa urso similis, quæ mel illicitæ voluptatis quærit & propter eam sæpe per foramina & fenestras irrepit? An non ipsa comedit carnes plurimas, id est, plurimos carnales homines, utriusque sexus: An non ipsa dentium ordines tres habet, quæ triplicia hominis bona frangit & comminuit, animæ, fortunæ, corporis? Hanc igitur ut cane peius & angue odisse & fugere discamus, in præsenti describemus, & dicemus, quanta damna inferat hominibus.

B. I. *In bonis Fortunæ.*

Primo. Infert damna bonis fortunæ: ac Primo opes perdit, quam ob causam Sapiens Proverb. 29. ait: *Qui nutrit scortum perdet substantiam.* Unde Terent. in Eun. Act. 1. sc. 1. vocat meretricem *fundit calamitatem*, id est, grandinem crassiorem, quæ segetes vastat. *Nam quod nos capere oporteret, ait servus, hæc intercipit.* Certe vix unquam se attolit seges, quam calamitas illa oppressit. Ita & libido ac pellex absumit ea, quæ uxori, liberis, amicis, creditoribus debentur: nec facile ditescit, qui lasciviæ vacat. Et hanc grandinem vult Rupertus designatam per illam Exod. 9. quæ igni mista percussit cuncta, quæ fuerunt in agris, cunctam herbam agri & omne lignum regionis. Et hęc percussit prodigum illum filium, ita ut tandem cum porcis siliquas cuperet comedere & non haberet: quia scilicet *dissipavit substantiam suam cum meretricibus*, Luc. 15.

Secundò adimit sæpe regna & possessiones. Inprimis David ob adulterium ejectus est è regno suo ad tempus. Ejus filius Salomon ob mereticios amores audiit à Deo: *Dirumpens scindam regnum tuum & dabo illud servo tuo*, 3. Reg. 11. Sic Romanorum Reges Tarquinii, ejecti & regno pulsi sunt, propter compressam à Tarquinio Lucretiam. Sic propter adulterium Appii Claudii desiit etiam Romæ Decemviratus. Sic regnum Assyriorum sub Sardanapalo longe salacissimo translatum ad Chaldæos; non enim poterant sustinere Assyrii hirci hujus libidines & ineptias, quem non putabat inter meretriculas suas pensa ducere. Trojæ illi celeberrimæ exitium attulit libido seu raptus Helenæ. Privatis etiam hominibus aufert plerumque dotem & honestum connubium, quod nancisci potuissent, nisi se hoc vitio conspurcassent. Talibus contingit quod cerevisiæ acidæ, quæ cum ludibrio traducitur, cujus mensura duobus vænit nummis, quæ prius venisset duobus crucigeris: & sæpe omnino effunditur. Atq; ita recte puniuntur ejusmodi puellæ leviculæ; quemadmodum & juvenes. Similiter & familiæ, quę propterea nunquam crescunt, quemadmodum & tribui Ruben, cui in benedictione dixit Jacob: *Effusus es sicut aqua: Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*, id est, incestasti Balam Uxorem patris tui, Gen. 49. Unde nec crevit, ut aliæ tribus, numero prolium & nepotum, nec etiam excellentia, opibus & gloria: cum contra casto Josepho, qui noluit ascendere cubile Domini sui, dicat: *Do tibi partem unam extra fratres tuos*, Gen. 48.

Tertio perdit propriam prolem, quæ etiam præclarum est Dei donum, perdit, inquam, quandoque re ipsa, quatenus efficit, ut proles necetur in utero, vel postquam nata est, atque adeo salute etiam privatur. Id quod & Ursa interdum, teste Oppiano facit, prolem scilicet necando ut congressum repetat. Civiliter vero semper, dum spurios generat liberos, qui & apud homines abjecti sunt, & plerumque deseruntur maleq; educantur. Hoc vero utrũque damnum, an non maximum censeri debet? Quis enim nisi insanus, pro honestis & legitimis, spurios sibi deligat? Quis resarciet damnum liberis, sive reipsa, sive civiliter necatis? An tu non doleres, & parentibus tuis vehementer indignareris, si ipsi illicito vel etiam damnato concubitu spurium te genuissent? Novi certe ejusmodi liberos, qui parentibus etiam mortuis propterea maledixerunt, totaque vita infensi fuerunt. Nec dubium quin ejusmodi parentes suos accusaturi sint coram Deo. Taceo quod sæpe ejusmodi liberi in pœnam parentum, multis cum defectibus nascantur; cujusmodi non paucos vidi & recensere possem. Legimus in vita S. Stanislai Boleslaum Poloniæ Regem cujusdam pellicis amore dementatum divinitus confusum; quotquot enim ex concubina liberos suscipiebat, omnes deformes, mõstrosi & dementes nascebantur, totaque eorum posteritas in meram stultitiam & amentiam degenerabat.

C. II. *In Corpo[re]*

Secundo. Nocet etiam corpori. Et primo causat varios & abominabiles morbos, partim ex contagione, partim ex ipsa intemperantia resultantes. Affliguntur enim inprimis vires corporis frequenti usu libidinis, ut eam ob causam olim lata lege temperantes esse debuerint, qui certaturi in arenam descendebant, imo etiam depugnando in illam egregiam formam oculos intendere, ut scribit S. Basil. Serm. ne rebus temporalibus affixi simus. Adhęc intemperantes sępe morbos contagiosos contrahunt, quibus plane depilantur, adeoq; fœtent & toto deformantur corpore, ut seipsos horreant, vixque inveniant qui vel summo illecti pretio velint curandos suscipere. Talibus præterea dentes omnes vacillant aut cadunt; manus ad os admovere vix possunt. Quid plura? Quodlibet membrum tactum quadam velut Paralysi ad munus suum fit inidoneum. Carolus I. Navarræ Rex in juventute libidinosissimus ita sensim nativum exhausit calorem, ut annos natus 54. calefieri nullo modo posset. Unde suasu Medicorum panno aqua viva tincto est involutus. Dum autem famulus, qui eum consuerat, filum secare volens uteretur accensa candela, statim pañus undiq; flammam concepit, quæ miserum Regem confecit utiq; in pœnam intemperantiæ. Chavass. de prudentia. l. 3. c. 4. Adhæc Lascivientibus immatura calvities & senectus obrepunt. Chrysost. audi in hom. quod nemo lęditur nisi à seipso: *Qui in libidine vitam ducunt*: inquit, *resoluta corpora & omni cera molliora circumferunt atq; agmine quodam infirmitatum repleta: quibusque ad cumulum malorum Podagræ tremor & immatura senectus succedit: & est eis vita semper cum Medicis & medicamentis.* Quis ergo nisi insanus tanta detrimenta sibi emat tam exigua voluptate.

Secundo causat sæpe homicidia, siquidem ob stuprum illatum Dinæ, Siché à filiis Jacob interemptus est, Gen. 34. Amnõ à fratre Absolone, quod sororem violasset, 2. Reg. 13. Valentinianus Imp. tentans uxorem Maximi patritii Romani ab eo interfectus est, qui & imperium invasit, ut scribit Zonaras.

Denique nihil esse, quod magis acceleret immaturam mortem præter Venerem, ostendunt Medici uti Hippolytus Guarinonius in l. suo c. 62.

Tertio meretur peculiarem cruciatum apud Inferos: sicut contra Virgines peculiari gaudio fruuntur in cœlis, Isa. 56. & Apoc. 14. Quia plus ibi perpetiuntur qui amplius in hac vita polluerunt se illicitis majoribusque voluptatibus juxta divinum illud decretum: *Quantum in deliciis fuit tãtum date illi tormentum & luctum* Apocal. 18. Voluptates autem Venereæ fortissimæ omnium sunt quoad sensum, & extra conjugium illicitæ sunt. Ergo fortissima eis debetur pœna sensus. Qualis vero ea pœna futura sit, prædicit Joan. Apoc. 21. *Pars illorum* (fornicatorũ, &c.) *erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

Qua

Qua eadem pœna puniti etiam in vita Sodomitæ: & merito, *Qui enim ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant*, inquit D. Gregor. lib. 4. moral. c. 10. *dignum fuit, ut simul igne & sulphure perirent.* Fœtori ergo libidinis debetur sulphur, ardori vero ignis. Hanc mercedem ipsi unica & exiguissima voluptate promerentur, ad instar etiam Ursi, qui in Norvegia, ut refert Gesnerus, cum mellis gratia arbores conscendunt, ponderoso malleo à Venatoribus ad foramen melle illitum disposito, ita feriuntur in capite ut quandoque decidant exanimenturque. *Favus distillans labia meretricis: novissima autem illius amara quasi absynthium*, inquit Sapiens. Prov. 5. Sic fere evenit Jonathæ, qui ob gustatum parum mellis contra præceptnm Patris, morti adjudicatus dicebat: *Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis; & ecce morior!* 1. Reg. 14. Sane si scivisset Jonathas, mortem ei decretam esse, qui aliquid gustasset: nequaquam extendisset manum ad tam parum mellis: siquidem nemo alius ex toto exercitu quidquam gustavit, licet esurirent & mel copiosum in via cernerent, ut habetur ibi, propter pœnam mortis statutam. Quando igitur scimus nos à Deo adjuratos esse præcepto illo: *Non concupisces*: & præterea decretum esse luxuriosis à Deo stagnum ignis ardentis & sulphuris: quis audet tam parum mellis vetiti emere tanti? Si enim alicui permitteretur explere ad horas aliquot libidinem, ita tamen ut totidem diebus postea arderet in fornace; quis sanæ mentis hoc acceptaret? Demosthenes certe, nihil sciebat de inferno, nihilominus cum Corinthum profectus esset ad Laidem, mille drachmas postulantem, respondit: *Ego tanti pœnitere non emo.* Qua sententia, naturalem tantum intellexit tristitiam, quæ libidinem consequitur, vel tantæ pecuniæ jacturam. Quid dixisset igitur si scivisset, ejusmodi peccato sulphur & ignem inferni decretum esse à Deo? Itaque surget is aliquando in judicio, & accusabit Christianos.

D. III. *In animo.* Tertio Nocet animo, ejusque bonis: & primo destituit hominem divinâ gratiâ, eumque Deo exosum reddit: quia imaginem Dei in homine luto conspurcat, quia sicut casta placent Superis, ut ipsi etiam agnoverunt Ethnici: ita turpia contra displicent. Et sicut turpitudo maximè placet Dæmoni: propter quod ipse in suis sagis turpitudinem urget, & corpus sibi fabricat, ut eorum sceleratis cupiditatibus succumbendo vel incumbendo satisfaciat: ita consequenter maxime displicet Deo. Quæ res constare ex eo primum potest, quod homines in vitium turpitudinis lapsos, non jam homines, sed carnem tantum appellarit, Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus* (id est, anima homini à me inspirata) *in homine in æternum, quia caro est*, id est, quia carnalibus operibus se totum dedit, ut exponit S. Chrysostomus. Ac propterea pertæsus humani generis gravissime omnium hoc peccatum puniit diluvio. Deinde Pentapolim igne & sulphure perdidit ob Sodomiam, Patriarcha Abraham frustra intercedente. *Quia enim talem carnis fœtorem*, inquit Rupertus, *miserant Sodomitæ ad cœlum, recte de cœlo fœtorem igneum vel ignem fœtidum receperunt.* Quibus solis ex plagis colligi potest, quantum offendat Deum fœtor luxuriæ. Mirum ergo si privatus homo non timet sibi ab ira Dei, quam non pepercisse videt ipsi humano generi similibus sordibus inquinato. *Miror te Antoni, dicebat* (Philipp. 2.) Cicero, *quod quorum facta imitaris, exitus non horrescis.* Deinde ex eo, quod Christus in suo collegio nullum permisit labi in luxuriam, cum tamen permiserit discipulos labi quosdam in ambitionem, contentionem, avaritiam, furtum, proditionem, apostasiam, negationem, &c. Quia scilicet peccata Venerea Deo maxime sordent, & ab ejus conspectu, & domo longissime removeri decet omnem fœtorem. Unde Joannes de Civitate Dei cœlesti loquens ait: *Foris canes & venefici & impudici*, Apoc. 22.

Secundò. Intellectum excœcat, ut suas ineptias, scurrilitates, levitatem, turpitudinem, infamiam, imminens periculum, peccatique gravitatem videre nequeat. Cujus rei typus fuit aorasia, qua divinitus percussi Sodomitæ ostium domus, quod effringere parabant, invenire ipso die non poterant, Gen. 19. Ita nimirum libidinosi turpitudines manifestissimas & stultitias suas palpabiles deprehendere nequeunt: adeo absorbentur à carne & bestialitate, ac quasi à nebula videre prohibentur. Quis in rebus divinis ad salutem necessariis oculatior fuit Davide? Et tamen is per unum adulterium ita excœcatus fuit, ut fere per annum videre non potuerit ejus turpitudinem & gravitatem: Sic enim ait Psal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Et Psal. 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Et forte nunquam agnovisset, nisi Nathan Propheta artificioso invento, peccato illius alium induisset. Ejusdem filius sapientissimus Salomon, quo tenebrarum prolapsus est ob libidinem? Nonne adoravit Idola concubinarum suarum? Nonne ita in profundum venit, ut valde sit probabile, nunquam emersisse? *Cumque jam esset senex*, ait scriptura 3. Reg. 11. *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Ruit similiter à culmine prudentiæ Henricus VIII. Angliæ Rex, ob eandem causam. Nam cum prius uti Principem decebat vere Christianum erga sedem Apostolicam leges omnes observaret modestiæ: postea vero deperire cœpisset Annam Bolenam, ut eam Catharinæ Uxori suæ legitimæ substitueret, factus est à se totus alius, atq; ut sedi Apostolicæ, à qua redarguebatur, insultaret & illuderet, non erubuit summum se profiteri in regno suo Pontificem, & pronuntiare, non alteri mortalium quam sibi competere jurisdictionem in subditos, sive temporalem sibi spiritualem. Quæ insana præsumptiò à cæteris Christianis Princi-

Principibus cum risu & indignatione simul suscepta est. Verissime igitur Arist. 3. Eth. c. 11. *Voluptates prudentiæ sunt impedimento atque eo magis, quo magis quis oblectatur, ut in Venereorum voluptate contingit, in qua constitutus nemo intelligere quippiam potest.* Hæc ille.

Imo fatuum reddit & dementat. Hinc Dionys. Syracusanus Myrtam meretricem omnibus regni negotiis præficiebat. Refert Chavass. de prudentia lib. 1. cap. 8. Muliebri more nebat Imp. Heliogabalus, gestabat colum, ducebat stamina cum suis. Una erat Themistocli, qua accipiente pharmacum, ipse quoque alioqui toto sanus corpore accipiebat, & hac non contentus stultitia, limpidæ loco, sanguine ejusdem utebatur ad abluendam faciem. Athenaricus Gothorum Rex, dum pecteretur à Pynthia, ipse interim ejus calceos purgabat. Illæ Herculis victrices manus, quæ tot monstra subegerant, amasiæ ejus, cui nomen Omphala, colum & calathum ad lanificium ridicule ministrabat: Hinc bene Diogenes scorta dixit esse Regum Reginas, apud Laert. lib. 6.

Tertio voluntatem rapit quodammodo in servitutem, ut peccato tenacissime adhæreat, ab eoque se avelli ægerrime patiatur: Unde fit ut nihil ei sapiat, præterquam carnis illecebræ: sordescunt ei libri pii, conciones, oratio, Ecclesiæ frequentatio, confessio, communio, &c. infecto enim palato omnia ista desipiunt. Ratio, quia anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Hinc de Sichem dicitur, Genes. 34. quod *conglutinata* sit anima ejus cum Dina. Quod enim semel conjunxit gluten, vix dissolvi potest & frangitur potius. Eodem pertinet, quod dixit Jerem. cap. 2. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam.* Dicitur enim Onagra, cum semel naribus hausit odorem masculi, ita perdite eum insequi, ut nullis viribus detineri queat.

Talem igitur ait Jeremias esse lascivum amorem hominum. Quin etiam si forte admonitionibus, minis, & correctionibus infestetur, in correctorem sævit ad instar Ursi, qui dum carnibus vescitur, irruit in eum, qui auferre eas molitur. Sic & isti faciunt, cujus exemplum patuit in Herode & Herodiade, qui caput abstulere Joanni, qui ipsorum incestum redarguebat. Et in pellice Gosberthi Ducis Herbipolensis, quæ cum fratris ejus Uxor esset, & ad instantiam S. Kiliani à Ducis thoro removeretur, necem viro sancto machinata est, & attulit per sicarios. In Boleslao Rege Poloniæ, qui ob libidinem castigatus à S. Stanislao, necem ei intulit: Ecce igitur in quanto præcipitio sint libidinosi, & quam citatis equis currant ad infernum? Non quod impossibile sit eos retineri: (ipsæ enim meretrices, quarum noctes emebat Sanctus Vitalius, ne fornicarentur alias libidinosissimæ, accepto ab eo pretio se continebant.) Sed quod partim illecebræ hujus vehementia, præsertim, accedente impudentia & consuetudine: partim divinæ gratiæ destitutio (juxta id Psal. 70. *Deus reliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat*) hominem in arctam redigant servitutem, unde perquam difficulter sese extricare potest: O crudelem igitur bestiam, quæ tam tenaciter infigit dentes!

Quarto. Famam denigrat & ludibrio exponit, imo etiam ipsimet luxurianti pudorem injicit, ut latebras quærat, & mutuum conspectum naturali dictamine horreat: eo quod luxuria opus sit pecuinum, hominis mente indignum; quam tamen indignitatem & ignominiam abstergit vinculum matrimonii, quando ad prolem suscipiendam ordinatur: sicut & delicatis cibis vesci, solum ut gustus oblectetur, res est homine indigna & pecuina; secus si propositam habeat honestam corporis sustentationem. Quoniam igitur luxuria in se turpis & abominabilis est, hinc fit ut pene nihil adeo infamem reddat hominem, atque ipsa, quando patefit. Novi certe juvenes celebris alioquin parentis filios, qui ob lasciviam in tantam devenere infamiam, ut tandem à Magistratu publice confusi, infami loco ad Numellas populo ostentati, & postmodum è Civitate exacti sint; sic nimirum merito punit Deus lascivos, qui quoniam latebras quæsierunt ad peccandum, merito à Deo in lucem protrahuntur ad eorum infamiam, quam tantopere fugiebant. Ita enim adultero Davidi dixit per Nathan: *Tu fecisti abscondite: Ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel & in conspectu solis*, 2. Reg. 12.

Pro igitur in quantam malorum congeriem projicit se obscænus? quot Ursi dentibus conficitur? Quot perdit bona? In quot incidit mala? Et tamen heu quam plurimas carnes devorat hic ursus: imo certatim homines utriusque sexus & cujuscunque ætatis in os illius involant.

Quid vero de parentibus dicam, qui liberos suos vel à libidine non revocant, vel etiam ad eam instigant? Id nimirum Davidis: *Immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis.*

Quid vero Magistratus, qui hoc nefandum scelus non castigat?

Surgant igitur omnes impudici cum Magdalena, quæ ut cognovit, quod JESUS accubuisset, venit ad illum. Ut cognovit, in quanta mala devenisset, in quanto periculo versaretur: surgens quæsivit medicum, prosiliit ex Ursi dentibus. Cognoscant ergo illi quoque quibus in sordibus jaceant, & quo in periculo versentur, surgantque ocyus & veniant ad medicum. Sin minus, veniet aliquando Christus ad ipsos. Sed in furore iræ suæ. Sic enim ait Soph. 1.

Visitabo super viros defixos in fæcibus suis.

CON-

CONCIO VI.

VARII CONTEMPTORES proximorum repræhenduntur.

I. Non contemnat justus peccatorem.
II. Dives inopem.
III. Doctus indoctum.
IV. Nobilis ignobilem.
V. Eminentior inferiorem,
VI. Pulcher deformem.
VII. Fortis imbellem, &c.

THEMA.

***Simon habeo tibi aliquid dicere,* Lucæ 7.**

VIdemus quidem passim existere adhuc Judæos: sed quid est quod nulli reperiantur amplius Phærisæi? Neque enim memini Judæum aliquem se jactasse pro Pharisæo. Ego quidem, si liceret, causam esse dicerem: quod Pharisæi non amplius Judæos, sed potius inter Christianos sint quærendi. Constat enim Pharisæos hominum genus inflatum & arrogans fuisse, quod omnes præ se contemnebant. Unde & recte Pharisæi, id est, separati dicti. At nunc inter Judæos nulli ejusmodi separati videntur reperiri, cum pene in omnibus pares, quodque amplius est, unanimes videantur. Plurimi vero inter Christianos. Passim enim pauperes contemnuntur à divitibus, indocti ab eruditis, ignobiles à nobilibus, subditi ab iis, qui in dignitatibus positi, &c. Quibus ego habeo aliquid dicere, juxta stylum & modum, quo usus est in hod. Evang. Dominus, sub velo enim parabolarum & fabularum veritatem eis insinuabimus.

B. I. *Non contemnat Iustus peccatorem.*

Primo. Spernit interdum Religiosus non Religiosum: & qui vitam austeriorem ducit, eum, qui minus austeram; & qui justus est, peccatorem. Sed habeo tibi aliquid dicere. *Homo quidam habebat duos filios & accedens ad primum, dicit: Fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine, & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris?* Hanc parabolam proposuit Dominus Matth. 21. Principibus Sacerdotum & Senioribus, qui cum promisissent se ituros ad vineam colendam, minime iverunt: exaltans interim peccatores (quos illi contemnebant) quia facto & moribus Domino obediunt, etsi professione vitæ dissolutioris nihil tale ab eis videtur expectandum. Quid ergo responderunt Judæi? *Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*

Ad hunc modum evenit quandoque ut religiosus, qui Deo vovit singularem cultum, minus eum colat, quam is qui non vovit. Item ut peccator tandem in se redeat, per humilitatem & pœnitentiam eatque in vineam Dei, quo prius ire noluit: Justus vero in fine extollatur, & non eat, quò promiserat. Refert Guilielmus Lugdunensis Episcopus Exemplum de quodam Eremita, qui in agone petiit Eucharistiam sibi adferri à vicini Monasterii Abbate. Quæ cum ad ægrum gestaretur comitante lumine & nola, Latro quidam audita nola secutus est à longe, usque ad Eremitæ cellam, nec tamen omnino ingressus, quod indignum se judicaret, qui tam sancti viri cellam intraret. Concepto autem serio dolore de peccatis suis, cogitabat intra se: O si tam bonæ vitæ essem quam est hic Eremita? Eremita vero Latronem agnoscens, contempsit eum in animo suo dicens: *merito optare possis ut tam Sanctus sis, quam ego; atque ita Spiritum reddidit.* Quo facto frater Abbatis Comes, multum lachrymari cœpit. Redeuntibus illis ad cœnobium, secutus est & Latro, qui in via lapsus fregit cervicem. Quod cum frater ille vidisset, risit affatim, ita ut Abbas eum increparet. Ille vero se excusans prodidit causam, dicens revelata sibi esse à Deo mirabilia eo tempore. Eremitam scilicet ob superbam cogitationem damnatum, Latronem vero ob suam humilitatem & pœnitentiam ad cœlum evolasse.

C. II. *Dives inopem.*

Secundo. Spernit Dives inopem. Unde Aristoteles 2. Rhet. ait, divites esse elatos & superbos, jactatores & despectatores pauperum. Sed tu quisquis es ejusmodi, habeo tibi aliquid dicere. Duæ vaccæ erant, una pinguis & nitida, libera quoque à jugo, saltitans in pratis: altera macilenta & deformis, jugum in agro ducens. Huic exprobrare cœpit illa maciem, pellem scabram miseramque servitutem. Interim advenit Lanio, pecudem ad macellum empturus, & cum displiceret ei macilenta, pinguem alteram emit ductamque ad macellum illico mactavit, & in ollas ferventes carnes ejus misit. Vacca vero macilenta exacto labore, liberata est à jugo & ad pascua educta incolumis. Cujus tibi nunc conditio melior videtur? utique vaccæ macræ. Et ita res habet cum paupere. Hic enim in hoc Sæculo macer & oneribus pressus est. Dives contra pinguis & à legum jugo, opinione saltem sua, liber, sed veniet Lanio Tartareus, qui hunc quidem ad macellum rapiet, illum vero relinquere salvum cogetur. Uti patet Luc. 16. in hist. Epulonis & Lazari, quorum iste hîc patiebatur & esuriebat, ibi vero in sinum Abrahæ gestatus est: ille hic epulabatur, sed ibi in infernum sepultus est. Eoque tendunt verba illa Amos 4. *Audite hoc vaccæ pingues, quæ calumniam facitis egenis & confringitis pauperes: quæ dicitis Dominis vestris: Afferte & bibemus. Iuravit Dominus Deus in Sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis & reliquias vestras in ollis ferventibus, &c.* Hinc narratur pinguis exprobrasse aliquando macilento, quod faciem haberet venientis ab inferno. Cui respondit macer. *Et tu faciem habes euntis ad infernum.*

Ejus-

Ejusmodi vacca pinguis erat Theodoric. Rex Rom. Arianus, iniquissimus interfector Joannis Papæ & Symmachi patricii. Eum enim tempore obitus ejus, Solitarius quidam magnæ virtutis vir in Insula Liparitana degens vidit inter Joannem PP. & Symmachum vinctis manibus deductum jactari in Vulcani ollam. Cujus visionis tempore observato, compertum est Theodoricum eodem illo tempore è vivis excessisse, S. Gregor. 4. Dial. c. 30.

D. III. *Doctus in doctum.*

Tertio. Spernit doctus indoctum. Sed habeo tibi aliquid dicere. Jactavit aliquando Vulpes in colloquio technas suas easque varias. Felis autem respondit unicam sibi esse artem, cui fideret, si quid esset discriminis. Inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur. Ibi felis in arborem altissimam subsiliit, cum Vulpes interim à canum agmine cincta capitur. Utra conditio melior tibi videtur? Felis, æstimo, dices. Pari modo præstat scire pauca, sed utilissima & ad salutem necessaria, quam multa inania. Sapientissimus fuit Salomon, disputans super lignis à Cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete: interim tamen captus & illaqueatus est more meretricum & innumeris peccatis, ita ut lapides ac ligna demum adoraret. Sapientes etiam Pharisæi & Scribæ, interim tamen peccatis onusti & Deo invisi erant. Rudis è contra Zachæus, Luc. 19. qui quærens videre Jesum quis esset, ascendit in Sycomorum seu ficum fatuam, quæ crucem repræsentat, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: & ibi invenit Deum ac salutem suam. Ita & Apost. 1. Cor. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum & hunc Crucifixum.* Quanto feliciores sunt omnibus mundi sapientibus, qui Jesum Crucifixum sciunt, & ad eum in omnibus discriminibus recurrunt? Quanto melius est scire evadere discrimina peccatorum & pœnarum ea consequentium, quam omnes mundi scientias? Ut non ii, qui plurimum comedunt & exercentur, melius valent iis, qui modice: ita non qui plurima, sed qui utilissima legerint, docti censendi sunt & studiosi, inquit Laertius in Aristippo. Similiter non qui plurima, sed qui saluberrima sciunt, sapientes dici debent, 1. Reg. 6. Vaccæ portantes arcam recta & cito venerunt ad terram Israel, quam Israelitæ per 40. annos invenire non poterant: Ita sæpe certius inveniunt beatitudinem rudes, quam literati. Unde Aug. l. 8. Conf. c. 8. ait: *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi, volutamur in carne & sanguine?* Talis S. Servulus Mendicus, qui teste S. Gregorio cum esset illiteratus, emit sibi codices sacros, & constituit, qui eos sibi legerent, cum multi habeant domi magnas bibliothecas, nec tamen eas curent, &c. Multi bene loquuntur de Deo, male tamen ei serviunt. Multi considerant & prædicunt Eclipses, interim ad mortis suæ Eclipsin non numerant peccata. Multi administrant aliis justitiam, suam interim negligunt.

E. IV. *Nobilis ignobilẽ.*

Quarto. Spernit nobilis ignobilem. Sed habeo tibi aliquid dicere. Equus phaleris sellaque exornatus ingenti hinnitu per viam currebat Currenti autem onustus asellus forte obstabat. Equus ita fremebundus: *Quid*, inquit, *ignave obsistis equo? Cede aut proculeo te pedibus.* Asellus contra rudere non ausus, cedit tacitus. Equo autem provolanti & cursum intendenti crepat inguen. Tum cursui & ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario venditur. Videt postea cum carro venientem asellus & affatur! *Heus bone vir quid istud ornamenti est? Ubi aurata sella & bullata cingula?* Ubi *frænum nitidum*? *Sic amice necesse fuit evenire superbienti.* Hoc sibi dictum existiment nobiles, qui plebejos spernunt, & undique sibi cedere de via volunt. Crepabunt enim aliquando per mortem, & tunc æqualis erit eorum conditio cum plebeis, spoliabuntur enim suis ornamentis & pari cum aliis modo sepelientur. Ubi tunc indicia & ornamenta nobilitatis? Cæterum longe minor nobilium & ignobilium, quàm Equorum & Asinorum est differentia. Non enim equi ab asinis, vel asini ab equis progignuntur: cum tamen nobiles ab ignobilibus; ignobiles à nobilibus nascantur, & necesse sit tandem ad eosdem devenire parentes, vel ad promiscuos. Id aliquando ostendit Joannes Teutonicus, eruditionis titulo quidem clarus, sed nothus tamen, ad Halberstadiensem Canonicatum, qui non nisi nobilibus concedi solebat, evectus, ideoque à collegis utpote nobilibus contemptus, Collegas invitavit ad conviviũ & lautissime excepit: inter cæteras convivales festivitates injecit mentionem acroamatis magici, & quæsivit num suos singuli parentes aspicere cuperent? Illi ardere studio videndi. Tandem elicuit iste malo carmine umbras deformes coqui stabularii, morionis, rustici persona, quorum facies in paternis ædibus illi aliquando vidisse se fatebantur: suum quoque Patrem exhibuit habitu canonici, pingui aqualiculo. Dimissis umbris: *Eja*, inquit, *dicite fide bona, eccujus patrem nobiliorem judicatis?* Collegæ metu perterriti & pudore suffusi suam quisque domum repetiere, nec ultra Joanni vitium sanguinis exprobravere. Delr. l. 2. disquisit. q. 30. l. 2.

F. V. *Eminentior inferiorem.*

Quinto. Spernit subditum is, qui in dignitatis gradu constitutus est, & quasi ex turri infra conspectum despicit, & pro minimo habet. Sed heus amice, habeo tibi aliquid dicere. Nux arbor penes viam constituta autumni tempore exprobabat vicinis vepribus humilitatem, contorsionem & odium tangentium: suam vero prædicabat elegantiam, proceritatem, fœcunditatem, ob quam suspiceretur & amaretur ab omnibus. Interea adveniunt omnis generis homines, & nuces maturas videntes, arborem baculis, perticis, lapidibus crudeliter impetunt, mactant; fructus, folia & ramos ei decutiunt. Ibi tum ridere vepres, & de sua tenuitate & humilitate gratulari sibi.

Nonne

Nonne horum tu conditionem meliorem dices? pari modo, qui in dignitate positi sunt; nuces juxta viam sunt, conspicuæ quidem & proceræ; sed prætereuntium obtrectationibus & cavillis obnoxiæ: ipsorum etiam dæmonum insidiis magis expositæ: siquidem plerumque liberius & gravius delinquunt. Quæ causa est, cur sanctus Chrysost. homil. 34. in Epistola ad Hebr. scripserit? *Miror si potest aliquis Rectorum salvari.* Certe in judicio DEI longe melior erit conditio subditorum (cæteris paribus) quam Præpositorum. Ejusmodi arbor fuit Nabuchodonosor in superbiam elatus, Dan. 4. cui dictum est de cœlo: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia & dispergite fructus ejus, &c.* Expulsus enim è regno, oberrabat in sylvis instar bestiæ & pascebatur herbis. Vere dixit Euripides. *Cum videris in sublime quempiam elatum splendidis gloriantem opibus ac genere superciliòque supra sortem suam fastuosum: illius celerem divinitus expecta vindictam.* Et Herodotus lib. 1. *Vides eximia animalia ut fulminet Deus, neque suis opinionibus uti sinat: exigua vero facile fert?*

E. IV. *Nobilis ignobilis.*

G. VI. *Pulcher deformẽ.*

Sexto. Spernit deformem, is qui eleganti forma est præditus; robustus imbecillem. Sed habeo tibi aliquid dicere. Arbores duæ in sylva erant juxta se positæ: quarum una procera, recta, elegans: altera curva, humilis, aspera & nodosa. Huic illudere cœpit illa & exprobare deformitatem. Interim advenit Architectus quæsiturus ligna cædua ad domum fabricandam: cui displicuit illa distorta, placuit procera, hancque mox cecidit, illam vero intactam dimisit. Utrius tibi conditio melior censetur! Utique deformis. Ad eundem modum, quisquis es formosus, elegans & robustus, excisionis periculo vicinior es, quam deformes & imbecilles. Siquidem à mundo magis adamaris, tibi ipsi nimium confidis & in superbiam erigeris. Hinc facile seduceris, & nimium tuis viribus confisus, securim mortis citius experiris. Quam sæpe contingit, ut qui forma præstant, cito & levi morbo ex hac vita abripiantur: alii contra defectuosi diutissime vivant? Et quid si alii speciem & elegantiam suam intus in animo gestent, tu foris solummodo in corpore? Non æstimatur vini bonitas à dolii nitore, sed à vini efficacia. Quam multis formæ præstantia impulsa ad lapsum fuit: deformitas contra præsidium & munimen?

F. V. *Eminentior inferiorem.*

H. VII. *Fortis imbellẽ &c.*

Septimo. Fortior & potentior impotentiorem sed habeo tibi aliquid dicere. Duo galli gallinacei semel acriter inter se rixabantur. Finito prælio, victus aufugiens se abscondit: Victor autem conscenso muro & quassatis alis, quanto maxime potuit, canere triumphum cœpit: qui auditus & visus ab aquila, raptus & exossatus est. Videns id alter victus, prodiit gratulabundus & securus deinceps gregi suo dominabatur. Utrius tibi conditio deterior videtur? Nonne galli victoris? At quam multis hoc idem evenit? Despiciebat Davidem Goliath, & jactabat se ejus carnes daturum bestiis & volucribus. Sed quod facere voluit, passus est, 1. Reg. 17. Nicanor prius vendidit Judæos in campo, quam vicisset, 2. Machab. 8. Postea ipse victus est & lingua ejus avibus data. Isaac Monachus cum Valenti Ariano & impiissimo Imp. ad prælium egredienti prædiceret interitum, nisi Ecclesiis pacem redderet; Ille? *revertar*, inquit, *& te interficiam.* Sed signis collatis superatus est, & saucius in casam rusticam delatus, ibique ab hostibus injecto igne vivus est crematus. Baron. Anno 378. Memor hujus rei Carolus V. Imper. cum Francisc. Valesius Franciæ Rex ab eo victus ad Ticinum, & captus scripsisset in pariete cubiculi sui: *Hodie mihi, cras tibi*; legens id Carolus subscripsit: *Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Peucerus de divinat. Rith. in axiom. Cujus exemplo utinam omnes saperent, & memores fragilitatis humanæ non insolescerent, adeoque à superbis & separatis Pharisæis longe se separarent! &c.

CONCIO VII.

NON SPERNENDI PECCATORES.

I. *Forte non est amplius peccator.*
II. *Forte cras non erit.*
III. *Culpa vacat in multis in quibus tu reus.*
IV. *Graviores forte tentationes & occasiones habet peccandi.*
V. *Forte melior resurget longe.*
VI. *Humiliat se.*

THEMA.

Quæ & qualis est hæc mulier? quia peccatrix est, Lucæ 7.

A.

QUod olim contigit Moysi cum virga, quam gerebat in manu sua, Exodi 4. hoc fere contigit Pharisæo in hod. Evang. cum peccatrice, quam viderat in domo sua. Jussus fuit Moyses projicere à se virgam, & versa est in colubrum, ita, ut horreret Moyses & fugeret ab eo. At vero rursum jussus apprehendere caudam colubri, postquam apprehendit, vidit eum rursum versum esse in virgam. Mira res; Auditores, Virgam à se projectam & de procul aspectam deprehendit esse serpentem: eandem vero in manus acceptam, & propius lustratam deprehendit esse virgam. Ita ad unguem Pharisæus in hodierno Evangelio aspexit primo

primo Magdalenam quasi à se projectam & procul sitam juxta priorem ejus vitam, & deprehendit eam esse Colubrum & peccatricem, unde eam horrere & fugere videtur, dum ait: *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est hæc mulier: quia peccatrix est.* Verum jubet Dominus Pharisæum apprehendere caudam hujus colubri eumque in manus sumere & propius aspicere, dum monet, ut non tam ad præteritæ vitæ dissolutionem, quam ad ejus finem, & præsentem attendat pœnitentiam: consideret ejus lachrymas, humilitatem, obsequia hic & nunc ab ea præstita: deprehensum iri, mulierem hanc non jam esse colubrum abominandum, sed virgam amplectendam & asservandam ad magna & mira patranda. Quod utique ad extremum deprehendit Pharisæus, quando pensiculatius consideravit Magdalenæ pœnitentiam vitæque mutationem.

Error hic Pharisæi communis est inter homines; nihil audias frequentius, quam despici peccatores & colubros reputari, per domos & urbes traduci, carnifici devoveri, patibulo & Inferno dignos judicari; quia nimirum de procul solum aspiciuntur. In manus assumendi, & propius considerandi sunt: quo facto deprehendemus eos non tam colubros esse, noxios & abominabiles: quam virgas ad multa bona efficienda utiles. Itaque Auditores, apprehendamus mente, & cogitatione nostra peccatores videamus, an sint Colubri spernendi & fugiendi.

B. I. *Forte non est amplius peccator.*

Spernendus non est peccator 1. Quia forte, quem talem existimamus, non est amplius peccator. *Homo enim videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor:* ait ipsemet 1. Reg. 16. Et si suum unusquisque cor non satis perspectum habet, quomodo perspiciet alienum? Certe Pharisæus in Magdalena deceptus est, tametsi ea alioquin publica infamia insignis erat. Dicebat ille. *Quia peccatrix est.* Quæ tamen tunc jam pœnitens & bona erat. Unde Evangelista aliter de ea locutus est: *Ecce mulier*, inquit, *quæ erat in civitate peccatrix. Erat*, inquit. Hunc in modum S. Joannes Eleemosynarius Episcopus ad quosdam suos, qui raptorem virginis morte dignum judicabant. *Et qui scitis*, inquit, *si ille jam peccare desistit, cum vos fortasse non cessetis?* apud Marulum lib. 5. cap. 12. Non abs causa præcepit Deus Levit. 13. ne Sacerdos ilicò in leprosos ferret judicium lepræ, eosque à mundorum cœtu separaret; sed jussit prius eum, qui leprosus putabatur, includi septem diebus: & si postmodum lepra se necdum manifeste proderet; denuo includi totidem diebus, ac tum de eo judicium ferri. Ne videlicet alicui injuria fieret, si qui mundus esset, ad leprosos damnaretur. Non minor adhibenda cura est in lepra animæ discernenda. Hoc inprimis Sacerdotũ est, non aliorum. Deinde, qui in anima leprosus reputatur, forsitan per pœnitentiam à Deo jam mundatus est. Suspendendum ergo de illo judicium, nec abominandus est, dum ejus lepra dubia vel occulta est. At quis ille divinator est, qui edicere novit, quæ in alterius corde sunt? Diogenes apud Laërt. lib. 6. cuidam de rebus cœlestibus multa jactanter enarranti, dixit: *Quam nuper tu de cœlo venisti?* Idem dicere possem ei, qui sententiam fert & pronuntiat in eos, quorum actus & affectus præsertim, minime intuetur: Quam nuper tu de illorum corde venisti? Num lepram illam peccati, quæ in corde latet, oculis usurpasti? Et quid si ea tunc à DEO jam sublata & curata esset?

C. II. *Forte cras non erit.*

Secundo. Quia qui hodie peccator est, forte cras non erit amplius, brevi enim converti potest: cum tu contra cadere & perire queas. Scimus ex parabola Domini, filium, qui jussus à patre pergere in vineam ad operandum primo renuit, postea vero dicti pœnitens ivit, prælatum esse alteri filio, qui spopondit ire, & non ivit, Matth. 21. Prior ille filius pœnitentis typus est, qui heri Deo restitit, hodie immutatus obsecundavit: & qui hodie in peccatis jacet, cras forsitan se eriget & in gratia stabit. *Potens est enim Deus statuere illum*, inquit Apostolus ad Rom. 14. Quid baculo stupidius & ad sapientiam capessendam ineptius? Audimus enim Oseam dicentem: *Populus meus in ligno suo interrogavit & baculus ejus annuntiavit ei*, q. d. stultissime egit idola interrogando lignea; quid enim baculus aut lignum respondere vel docere queat? Et tamen scimus baculum Moysis Dei virtute in serpentem, qui prudentiæ typus est, conversum esse, Exodi 4. Quare indicatum est, posse DEI gratia stupidissimum & pertinacissimum etiam peccatorem ita immutari, ut sanam mentem induat & resipiscat. Inter plurima hujus rei exempla luculentum illud est Natalii olim Confessoris, postea pecuniæ corruptione factus Theodotianorum Hæreticorum Episcopus, tandem gravissimis flagris à SS. Angelis nocte quadam sibi inflictis, sui compos redditus; cilicio indutus ac cineribus aspersis, ad Zephyrini Papæ pedes se abjiciens, patrati sceleris exomologesin fecit; Ut scribit Eusebius 5. histor. 27. apud Baron. Anno 207. Plurium Patrum sententia est, & si D. Hieronymo in Matth. 27. credimus, probabilior (Ambrosii, Hieronymi, Euthymii, Theophylacti) utrumque latronem primo Christo in cruce insultasse (ut videntur indicare Matthæus & Marcus) alterum tamen repente conversum resipuisse, & Christum DEI filium agnovisse atque invocasse. Ex quo patet neminem peccatorum, quantumvis desperatorum & exitio propinquorum contemptui habendum; uti docet Climachus gradu 10. scalæ dicens: *Etiamsi in ipso animæ à corpore digressu quempiam peccare videris, ne tunc quidem illum damnare audeas: incertum est enim hominibus judicium DEI.*

Tertio,

D. III. *Culpa vacat in multis, in quibus tu reus.*

Tertio. Quia forsitan peccator in uno tantum delinquit, in aliis vero culpâ vacat, in quibus tu reus es. Nemo ita æger est ut non in aliqua corporis parte sanus sit: & vicissim vix reperias aliquem ita usquequaque vegetum, ut nihil prorsus debilitatis aut defectus in aliquo membro habeat. Idem videre est in hominum moribus. Ruben libidine pejor erat fratribus, quia incestavit Balam uxorem Patris sui: dilectione tamen & misericordia melior, quia nitebatur Josephum liberare de manu fratrum ac servare, quo nomine laudatur à scriptura Genesis 37. Nemo excindit arborem, quæ unum vel alterum ramum aridum habet, imo quæ unicum tantum viridem & frugiferum habet. Ideo vetuit Deus arbores excindi, de quibus homo vesci potest, Deut. 20. Atqui tales sunt peccatores qui licet non ex toto, ex parte tamen utiles & frugiferi sunt, si non sibi, saltem aliis. Quod symbolice ibi præcepit Deus, idem paulo post expresse mandavit, cum Deut. vigesimo tertio dixit: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Idumæi prognati sunt ex Esau qui erat frater Jacob, à quo Israelitæ. Ægyptus vero erat asylum & quasi Orphanotrophium Hebræorum, qui quoties domi affligebantur bello aut fame, refugium in Ægypto quærebant. Ergo Ægyptii cætera mali & Idololatræ, hospites tamen & protectores Hebræorum erant: Idumæi vero fratres eorum. Idem de peccatoribus unusquisque nostrum cogitet.

Fratres nostri sunt, eadem, qua nos, carnis fragilitate præditi: & quomodo illi ceciderunt, ita cadere & nos possumus. Deinde in aliquo boni, utiles & laude digni sunt, &c.

E. IV. *Graviores forte tentationes & occasiones habet peccandi.*

Quarto. Quia forsitan peccator, quem contemnis, graviores tentationes & peccandi occasiones, vel minora gratiæ auxilia ad se servandum habuit. Scimus quid evenerit Uriæ, strenuo alioquin militi, quando jussu Regis Davidis positus est ex adverso belli, ubi fortissimum erat prælium, & à suis derelictus: Tametsi enim is, ut scribit Josephus lib. septimo Antiq. cap. septimo strenue pugnavit nec paucos hostes interemit, tandem tamen circumventus ab hostium multitudine, à sociis vero desertus interemptus est, 2. Reg. 11. Idem plerumque (quod sana mente credere possumus) contigit iis, qui in gravia scelera prolapsi sunt. Constituit enim fuere in gravibus tentationibus, ubi fortissimum erat prælium & cadere facillimum: derelicti fuere, à speciali & forti gratiæ auxilio: hostibus fortissimis objecti fuere, & quid mirum si vulnerati, si læsi & collapsi sunt? Qui si tot tantaque auxilia gratiæ habuissent, quanta tu vel alius nunquam lapsus, forsitan, & ipsi starent. Hanc ob causam sanctus Franciscus vocare se consueverat peccatorum omnium maximum, etiam furum & latronum; cumque ob id argueretur à suorum aliquo, quasi id minime verum esset, respondit, tantam sibi à DEO collatam esse gratiam, ut, si ea furibus & latronibus data esset, meliores Francisco forent. Equidem hoc ipse pro sua humilitate, quod nostrum quilibet multo verius dicere potest, & exclamare cum Jeremia Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Commiseratione ergo potius quam insultatione vel contemptu prosequendus est peccator, non secus ac jumentum, quod gravi onere pressum mediis in tenebris ab irato Agasone clamoribus & verberibus impellitur ad præcipitium. Onerant enim gravantque peccatorem habitus vitiorum contracti ipsaque concupiscentia: ad hæc in tenebris ambulat obscurato intellectu per affectus inordinatos, amoris, timoris, iræ, vindictæ, per ebrietatem aliasque dispositiones pravas: denique impellitur quodammodo in peccatum à dæmone, mundo, carne, suggestionibus, consiliis pravis, illecebris, minis, plagis, &c. Quis hujusmodi jumento in præceps acto non commisereatur?

F. V. *Forte melior resurget longe.*

Quinto. Quia forsitan peccator fortior & melior resurget quam fuerit ante lapsum: & ita errorem corriget pœnitentiæ & pietatis operibus, ut multos superaturus sit, qui nunquam ceciderunt. Eo enim tendit hodierni Evangelii parabola, quæ ostendit peccata, si peccatori condonentur, occasionem & incitamentum esse amoris in Deum: & quo plura condonantur eo magis excitare hominem ad diligendum Deum, eique strenue serviendum, à quo tantum accepit beneficium. Patet id inprimis in hac ipsa, quam parabola gerit, peccatrice, quæ cum ream & quidem gravem se agnosceret, longe plura & majora charitatis, & humilitatis & pietatis obsequia Christo exhibuit, quam Pharisæus. Hic enim, quia justum se reputabat, multum sibi facturus videbatur, si Christum invitaret ad mensam: at peccatrix illa tam exiguo obsequio minime contenta fuit: lachrymas, capillos, unguentum, pedum oscula paravit, & pro convivio ei apposuit, quia debitricem se agnovit. Multum itaque debuit, sed cū fœnore solvit: Pharisæus parum debuit, sed solvit absque fœnore. Idipsum in Petro & Paulo aliisque lapsis patet, qui post agnitum peccatum fortiores surrexêre, & veluti crus fractum, adhibita medela fortius coaluere. Hujusmodi crus fractum erat Onesimus ille, Phryx, Philemonis divitis Colossensiū civis mancipium, pro cujus reconciliatione scribit S. Paulus Epistolam ad Philemonem. Fugerat Onesimus, compilatis quibusdam heri sui rebus (ut ex Epist. colligit S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus) Romam, ibique in Paulum incidit, qui eum ad Christum convertit, instituit & baptizavit, adeoque ex fure & inutili mancipio tam bonum & utilem fecit, ut eum in suis vinculis habuerit ministrum tam fidelem ac sedulum, ut à Philemone, cui velut servum remiserat, sibi remitti eum optaret.

Hic ergo facti pœnitens, in gratiam cum hero suo Philemone rediit; factusque est vir & doctor egregius, atque post Timotheum secundus Ephesi Episcopus creatus, valde commendatus ac laudatus à S. Ignatio in Epist. ad Ephesios, denique Romæ sub Trajano martyrio laureatus.

Unde huic vili mancipio tanta provenit sanctitas & gloria? Profecto ex ejus furto primum, velut occasione perfectæ conversionis. Nam, ut in eam Pauli Epistolam scribit sanctus Hieronymus. *Si Dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelij mitteretur. Ex quo paulatim & per gradus suos reciprocante sententia, ideo minister Evangelij est factus Onesimus, quia fugit à Domino.* Sic Hieronymus.

Hunc ergo sanctus Paulus, velut viscera sua Philemoni commendat; & rogat eum suscipi, non jam ut furem, sed ut fratrem ab hero, à quo profugerat. Quis ergo peccatorem imposterum contemnat: Sed addamus mancipio Ducem, itidem peccatorem. Anno millesimo quadragesimo septimo, Godefredus Lotharingiæ Dux ob sublatum sibi ab Imperatore Ducatum desperatione rebellans, Virduni incendium excitavit. In eo cum Dei Genitricis templum ibidem exustum fuisset, spontaneæ pœnitentiæ ipse posteris dignum reliquit exemplum: dum (quod ait Lambertus apud Baronium anno dicto) publice se verberari fecit, & capillos suos, ut tonderentur multa pecunia redemit sumptusque ad reædificandam Ecclesiam dedit, & in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipii Ministerio functus deservivit. Quo facto longe majorem etiam in terrenis spatiis retributionem est consecutus, dum paulò post ex conjugio Beatricis Tusciæ & Liguriæ Marchionissæ factus est Dominus majoris partis Italiæ. Ex occasione igitur magni peccati factus est magnus pœnitens, & inde magnus Dux.

G. VI. *Humiliat se.*

Sexto. Quia peccator se humilians, & peccata sua agnoscens melior est quam justus in justitia sua confidens, vel de meritis suis præsumens. Eo enim pertinet, quod Ecclesiastes cap. 9. dixit: *Melior est canis vivus Leone mortuo.* Hoc est, peccator humilis, qui se canem mortuum in oculis suis reputat, uti David, interim DEO vivit: quam justus superbus, qui sibi Leo vivus videtur, apud Deum tamen mortuus est; ut exponit Beatus Drogo Episcopus Hostiensis tom. 2. Bibliothecæ SS. PP. serm. 1. Leo sibi videbatur Pharisæus: Canem se reputabat Magdalena, ideo instar catelli arrepsit Domini pedibus, ut eos ore lingeret sibique demulceret. At ille mortuus erat, quia seipsum non agnovit: vivebat vero ista, quia se agnovit. Canis mortuus erat Saulus, cum adhuc persecutor; sed ubi à DEO prostratus, se humiliare Deumque orare cœpit, vivere Deo cœpit; Unde Dominus ad Ananiam inquit: *Ecce enim orat,* Actor. 9. quasi diceret, non est, quod jam fugias illum aut spernas: jam enim catelli instar se prosternit, jam supplices tendit manus, jam veniam petit. Canes pessimi erant Percussores sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi, imo canibus pejores, utpote à quibus canes quantumlibet famelici porrectum accipere panem, velut anathematis, quo innodati erant, veneno intinctum, accipere renuebant, ut scribit Consentinus Episcopus, Rogerius Anglus aliique apud Baronium, Anno millesimo, centesimo, septuagesimo secundo.

Hi tamen cum se Deo, hominibus & brutis invisos cernerent, ad pedes Rom. Pontificis Alexandri III. supplices acciderunt, & veniâ impetratâ, pœnitentiam sibi injunctam, qua jubebantur adire terram sanctam, persolverunt (uno eoque primario excepto, qui in itinere Consentiæ morbo correptus diro, putrescentibus carnibus & à nervis atque ossibus diffluentibus, identidem, quem occiderat martyrem, invocans misere periit) postque in monte nigro, tanquam carcere pœnitentiæ clausi jussu Pontificis, paulò post diem clauserunt extremum pœnitentes, & propterea honeste quoque sepulti sunt, nempe ante ostium templi; ubi (inquit Rogerius) ejusmodi apposita fuit inscriptio: *Hic jacent miseri, qui martyrizaverunt Beatum Thomam Archiepiscopum Cantuariensem.*

Tantos ergo peccatores, postquam sese humiliarunt, non abominata est Ecclesia, sed in gratiam recepit & honestæ sepulturæ tradidit: non abominatus est ipse Deus, uti fas est credere: quid igitur nos homunciones? num adhuc spernemus & à nobis repellemus illos peccatores, qui culpas suas agnoscunt, qui coram DEO se abjiciunt & veniam precantur?

Quid si canes isti vivi sint, nos vero Leones mortui simus? Mortui Leones corvis objiciuntur & ab hominum conspectu longe amoventur: vivi autem catelli edere solent de micis, quæ cadunt de mensa Domini: ita superciliosi Pharisæi dæmonum cibus erunt: pœnitentes autem peccatores edent de micis illis, quæ cadunt de Mensa DEI in cœlis; quo nos perducat DEUS.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Ex Christo.
II. Ex Magdalena.
III. Ex Pharisæo.

THE-

THEMA.

Vides hanc mulierem? Luc. 7.

Tres hominum status sunt, innocentium, pœnitenium, peccatorum; iique reperti fuere in primis tribus totius humani generis viris, Adã, Cain, Abel, Adam pœnitentium, Cain peccatorum, Abel innocentium aciem duxit. Idem triplex status reperitur in personis tribus hodierni Evangelii, Christo, Magdalena, Pharisæo. Christus innocentiæ speculum, Magdalena pœnitentium, Pharisæus peccatorum est. Ad hos igitur Audit. convertamus oculos, & in hisce speculis contemplemur nos.

A.

B.

I. Ex Christo.

Primo. Videmus Christum; & quidem ad convivium ivisse, tum ut in eo conversioni mulieris occasionem daret; tum ne ansam præberet hominibus dicendi quod Publicanis, & peccatoribus cibum sumeret, Pharisæos autem contemnere: maxime quia dixerunt eum esse voratorem & potatorem, amicum Publicanorum.

Sciendum tamen Dominum non nisi rogatum, ivisse ad convivium, & quidem sæpius & instanter rogatum (ut indicat verbum *rogabat*) ut doceret, ad convivia divitum non facile itandum; Siquidem in iis ordinarie plus virtutis perditur, quam acquiritur. Idcirco Christus, ubi se parum profuturum sciebat, non ivit ad convivia. Et propterea etiam Sanctus Ambrosius & hujus exemplo Sanctus Augustinus decretum sibi habebant, convivia non adire. Mirum ergo est, si quis ibi lucrari speret, ubi tanti Sancti perdere timuerunt.

Secundo. Videmus eundem Pharisæo invitatori suo minime ad placitum esse locutum; sed quæ ad instructionem & correctionem ejus pertinebant, & reprehendisse ejus vitia, in propria licet mensa & domo; quare docet Principes, Rectores, Magistratus, Confessarios & Concionatores personam non accipere; sed quorumcumque vitia redarguere juxta legem Deut. primo. *Neque accipietis personam.* Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator instituit Syssitia, id est, convia publica, in quibus inter omnes, potus ac cibi æqua erat portio. Plut. in Lacon. Hujusmodi syssitia debent esse conciones & judicia publica, in quibus æqua justitiæ portio, prout quisque meretur, omnibos detur: quemadmodum in hodierno cõvivio suam portionem Pharisæo, suam Magdalenæ, prout meruerant, Christus apposuit. Vultin' audire exemplum rarum æquissimi Judicis? Cedrenum audiamus apud Baronium. Anno Christi quingentesimo, sexagesimo octavo Justino imperante, cum subditi à potentibus opprimerentur suisque facultatibus spoliarenter, ita ut parceretur nemini, nec imperator monitis & rescriptis proficeret, & querelis undique premeretur; convocatis aliquando in curiam potentibus, orationem ad eos habuit, qua eos ad restitutionem hortabatur, cujus ea conclusio fuit: Quod si præceptis suis parere nollent, sed suis in rapiendo obsequi cupiditatibus pergerent, alium sibi, suo arbitrio deligerent Imperatorem. *Ego enim*, inquit, *contumacibus, injustis, & aliena violantibus imperare nolo.*

Ibi quidam Procerum libertate dicendi sumpta, ita Imperatorem alloquitur. *Constitue me coram omnibus, præfectum urbis, mandaque ne cujusquam rationem potiorem justitia habeam, utque mihi te de rebus necessariis monituro semper aditus pateat; recipio in me, effecturum intra mensem ne ulla sit vel illata in urbe vel accepta injuria. Quod si proferat quis culpam, quam mihi indicatam non punierim, capite me plecti jubeto.*

Pergratum id Imperatori fuit, eumque Præfectum urbis constituit. Is ergo cum mane pro tribunali sederet, & quædam vidua quereretur se à Magistro quodam, omnibus suis facultatibus spoliatam, mittit eam cum sigillo ad Magistrum illum, jubetque eum ad dicendam causam venire. Cum eandem viduam Magister verberibus male mulctatam remisisset, mittit præfectus ad eum de cursoribus unum; sed hunc quoque verbis delusum dimittit. Interim dum Præfectus in Circo sedet Magistrumque operitur: hic ab Imperatore ad convivium vocatur, eodem se præfectus quoque confert, aitque Imperatori: *Si in eo Imperator persistis, quod mihi mandasti, ne cui eorum, qui pauperes concutiunt, parcam; Scito me promissis meis satisfacturum: Sin eos tu, pœnitentia ductus, amicos potius habes, & conviviis adhibes; scias me quoque detrectare ea quæ in me recepi.* Imperatore respondente, ut se ipsum potius solio detraheret, si fontem talis criminis sciret, Præfectus illico Magistrum vi abripuit, & in curiam, quæ Arca dicitur, cum eo abiit. Ibi diligenter utriusque sermone considerato: cum haud levibus injuriis ab eo affectam mulierem comperisset, verberibus impositis, homini caput rasit, asinoque nudum impositum, per mediam urbem velut in triumpho duxit, & omnes ejus opes mulieri addixit. Hoc exemplum reliquos ita in viam redegit, ut ubique summa in pace viveretur, atque intra trigesimum diem, neque actor ullus esset, neque reus injuriarum. Tunc Præfectus Imperatori significat se promissa implevisse; & Imperator in publicum progressus, cum nulla querela audiretur, reversus Patricia dignitate eum ornat, & per omnem vitam præfectum urbis esse jubet. Hæc. Cedrenus.

Tertio. Videmus Christum calamum quassatum, non confringere, nec linum fumigans extinguere juxta prædictionem Isaiæ cap. 42. de eo factam; sed recipere potius in gratiam & consolari pœnitentem peccatricem. Vere linum fumigans erat Magdalena, quæ tetrum impudicitiæ fœtorem de se spirabat, ita ut Pharisæus nares coram illa quasi occluderet, dum dixit: *Quæ & qualis est ista mulier? quia peccatrix est.* Calamus quassatus

status erat, seu, ut Hieronymus vertit, *tibia quassata*, quæ hiulcum edidit sonum, dum deflevit sua peccata.

Hanc ergo non abjecit, non confregit, non exstinxit Christus, sed recepit, sanavit, erexit. Monetur ergo Prælati & Pastores animarum, ut ne sint duri & difficiles ad recipiendos pœnitentes; sed potius proni & liberales. Seneca lib. primo de clementia, ait: *in apibus videmus regem sine aculeo esse. Voluit enim illum natura nec sævum esse, nec ultronem magno constituram petere, telumq́; detraxit & iram ejus inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingens est.* Idem observant Romani Pontifices, dum soli ipsi inter Episcopos, baculum non gerunt. Quod & Veteris legis Pontificibus commendatum, dum nomina 12. tribuum Israel partim in pectore (inserta rationali) per amorem: Partim in humeris (insculpta duobus lapidibus onychinis) per auxilium gerebant, ex Dei præcepto, Exod. 28. Hoc quia non observarat Acacius Episcopus in Conc. Nicæno, qui duriorem se præbebat in recipiendis ad pœnitentiam iis, qui à fide aberraverant, audivit à Constantino Imperatore. *O Acati, scalam à terra in cœlum constitue, solusque per illam in cœlum conscende.* Hist. Eccles. parte secunda cap. 4. Et sanctus Dionysius Areopagita graviter reprehendit Demophilum, quod pœnitentem ad ejus pedes accidentem repulerit. Epist. octava ad Demoph.

Secundo. Videmus peccatricem scilicet Magdalenam [Hæc enim Joan. 11. dicitur *soror Lazari* & extersisse capillis pedes Domini] & primo quidem pœnitentem miro & inaudito ritu. Accedit enim primo & retro Christum, stat verecunda non audiens in faciem Christi prodire, ut quem turpi scelere graviter offendisset.

C. II. *Ex Magdalena.*

Secundo ad pedes ejus, ut supplicantis affectum exprimat; & fateatur luto turpitudinis sese inquinatam, quemadmodum solent pedes pulvere & luto sordere.

Tertio. Affert alabastrum unguenti pretiosi, denotans cor ejus humilitate, contritione, fide, spe & charitate plenum.

Quarto. Incipit lachrymis rigare pedes Domini, quo nimirum beata illa terra lachrymarum imbre rigata fructum remissionis afferret; docens gratiam semel perditam, non nisi per lachrymas recuperari posse, quod etiam indicavit Deus, dum, primam legis tabulam ipse providit & Moysi tradidit, ubi vero Moyses eam confregit, ipsemet sibi aliam comparare & præcidere (Hebr. *dolare*) jussus est, Exod. 34. quia scil. prima gratia per baptismum gratis obtinetur. Sed amissa non nisi simul per lachrymas, & dolabram pœnitentiæ reparatur. Deinde ut hoc calido lavacro abstergeret sordes scelerum suorum. Quinto. Capillis suis eosdem tergere, cum quia istis, quemadmodũ & oculis ac unguento, sæpius Deum offenderit; tum ut doceret pauperes, quia per pedes Domini significantur superfluis nostris fovendos esse. Sexto. Osculatur pedes Domini ob devotionem & amorem erga Christum. *Pedes isti sunt misericordia & judicium (juxta Psal. Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine) quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda,* inquit P. Damiani in serm. de Magdalena. Denique eos ungit, volens hac unctione Christum delinire: & plusquam humano more pedes non caput, cui appropinquare non audebat, ungendo honorare. Denique bono odore publicæ & exactæ pœnitentiæ fœtorem prioris vitæ abolere.

Porro his cæremoniis voluit Magdalena punire in se peccata sua, ut fierent instrumenta pœnitentiæ, quæ prius erant instrumenta peccati. Prædictum ab Isaia est capite 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces.* Gladii & arma iniquitatis sunt mẽbra hominis flagitiosi, ad Rom. 6. His aliquando Magdalena Deum impugnaverat, nunc vero quia manus dat, arma illa abjecit & convertit in arma virtutis, & quasi vomeres ac falces, ad fructum gratiæ comparandum. Audiamus S. Greg. hom. trigesima tertia in Evangelia. *Liquet fratres*, inquit, *quod illicitis actibus prius mulier intenta sibi unguentum pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta.* Hæc Gregorius.

Secundo. Videmus eandem à culpis absolutam & Christo reconciliatam, indeque discimus nemini de venia desperandum quantuscunque peccator sit. Perierat jam quasi Magdalena, & velut ovicula à Leone, dæmone comprehensa abripiebatur & laniabitur, verum David noster Christus eam iterum eruit. Torris erat Magdalena, jam in igne ardens & ambustus; Verum à Christo iterum ereptus & à nigrore peccati purgatus, juxta id Zachar. 3. *Nunquid non iste torris est erutus de igne?* De igne inquam non luxuriæ tantum, in quo jacebat; sed etiam gehennæ, ad quem sensim decidebat. Hujus ergo pænitentis exemplum jure merito erexit alteram quandam meretricem, itidem Mariam nomine, apud Eviratum in Prato spirit. cap. trigesimo primo, quæ tres comitata adolescentes, cum aliquando in hospitio offendisset duos Anachoretas, qui in itinere Ibidem, diverterant, seorsum in angulis Evangelium legentes, uni mox assedit, lectionem auditura, Verum ab illo repulsa dixit: *Ne quæso, pater, abomineris me; etsi enim peccatrix sum: non repulit tamen à se peccatricem Dominus & Salvator omnium Christus,* Cui ille: *Verum quidem hoc,*

hoc,

hoc, sed peccatrix illa resipuit & meretrix esse desiit. Tum illa: *Spero in Dei filium ac propono firmiter me quoque turpi quæstui deinceps renuntiaturam.* Dictum, factum; relictis enim adolescentibus, adhæsit senibus, à quibus monasterio prope Ægas civitatem inclusa est; quam etiam scribit author se vidisse anum, & hæc ab illa accepisse.

Tertio. Videmus eam à Christo insuper laudatam & prælatam Pharisæo. Nec mirum; nam post tam insignem pœnitentiam facta est illustrior, quam si conservasset primam suam innocentiam; quod vel inde colligi potest, quod sorori Marthæ, quæ in sancto virginitatis proposito perstitit præferatur ab Ecclesia quæ festum Magdalenæ celebrius instituit quam Marthæ. Hoc ipsum in multis aliis cernere est, qui post lapsum fortiores surrexerunt per pœnitentiam, quam si nunquam cecidissent. Quando enim Fabiola Matrona nobilis Romana, eo sanctitatis pervenisset, ut fieret *laus Christianorum, miraculum Gentilium, luctus pauperum, solatium Monachorum;* quibus titulis prædicatur à sancto Hieronymo in ejus Epitaphio, nisi pœnitentiam egisset? Illa enim quod marito adultero repudiato, alteri nupsisset, putans id sibi licere, eo mortuo culpam agnovit, & cilicio induta, sparsis crinibus ad Basilicam Lateranensem publicam egit pœnitentiam, deinde omnibus suis in pauperes erogatis Nosocomium instituit, in quo ægrorum servitiis se mancipavit, sordes tersit, saniem absterſit, sorbitiunculas præbuit, &c. Ut ibidem scribit S. Hieronymus.

D. III. Ex Pharisæo.

Tertio. Videmus Pharisæum in tribus delinquentem. Primo enim attendit tantum ad præterita Magdalenæ peccata, non ad præsentem ejus pœnitentiam: quod eminus est, videt: quod cominus, non videt; quod auribus tantum ex vulgi fama percepit, considerat: quod oculis suis cernit, non considerat; tametsi visus auditu multo certior est, imitantur hunc; qui quem semel in aliquo crimine deprehenderunt, semper de eo suspectum habent; quasi non essent 12. horæ diei, in quarum singulis peccator se à malo avertere & convertere ad bonum posset. Non ita nobiscum agit Deus, qui non tam peracta nostra intuetur scelera, quam instãtem pœnitentiam. Quam graviter in eum deliquit olim Achab spoliando vinea & vitâ innocentem Naboth? Unde ei dictum per Eliam est: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoq; sanguinem tuum.* Et tamen cum ad hanc comminationem, pœnitentis habitum induisset Achab, ait Dominus ad Eliam: *Nonne vidisti humilitatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus,* 3. Reg. 21. Ecce pœnitentem & humiliatum Achab, qualis tunc erat, videt Deus, non videt raptorem & homicidam qualis ante fuit.

Secundo. Male infert Christum non esse Prophetam, quod non nosset peccatricem. Neque enim Prophetarum est omnia prorsus, etiam occulta scire. Scimus Samuelem nescivisse, quis è filiis Isai eligendus esset in Regem 1. Reg. 17. Scimus Elisæum ignorasse quid contigerit Sunamitidi ad se accedenti 4. Reg. 4. Poterat ergo Christus esse Propheta, etiamsi vitam peccatricis perspectam non haberet. Similes Pharisæo sunt, qui ex uno vel altero defectu proximos condemnant, quasi in omnibus reprobi essent & omnino nihil valerent; quod inprimis Patres ac matres familias communiter servis & ancillis suis faciunt. Verum si hæc argumentatio valeret, pauci invenirentur boni; quis enim sine nævo est?

Tertio. Temerè judicat Christum non novisse illam mulierem; forsitan ex eo quod se ab illa tangi permitteret. At hoc nequaquam sufficiens argumentum erat; neque enim sanctus Dominus contaminari poterat tactu rei immundæ, neque interdictum tangendi Immundos, extendebat se ad sordes animi. Facile igitur errant, qui privato sensu proximum dijudicant, ut qui varios modos habeat sese defendendi vel excusandi. Convictus erroris est à Domino Pharisæus, & in ejus sententiam concedere coactus: Ita fit communiter, ut si proximum quem sinistre judicavimus, audiamus, aliter sentire; & ipsi consentire incipiamus.

Supereſt nunc, ut Pharisæum delinquentem vitemus, & si Christum innocentem assequi non possumus, pœnitentem saltem Magdalenam imitari non dubitemus.

IN FESTO
SANCTI JACOBI.

Evangelium, Matth. 20.

ACcessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

CONCIONES.

I. *Ambitionis detestatio & remedia.*
II. *Incitamenta ad virtutem sectandam.*
III. *Quid faciendum ei, qui vult ingredi regnum cœlorum.*
IV. *Mors alacri animo excipienda.*
V. *Cur aliqui renuant bibere calicem Domini seu tribulationis: refelluntur querelæ.*
VI. *Documenta.*
VII. *Mysteria:*

CONCIO I.

AMBITIONIS DETESTATIO & remedia.

I. *Ambitio lapis.*
II. *Scorpio.*
III. *Serpens.*

THEMA.

Nescitis quid petatis, Matth. 20.

A. NE miremini, Auditores, si duo illi Apostoli alioqui Christo charissimi ejusque cognati, cum primos honores peterent, repulsam passi sunt, siquidem rem noxiam petierunt. Nemo tam crudelis Pater est, ut alibi docuit Christus, qui filio porrigat lapidem, serpentem, scorpionem; & si quid tale filii peterent, utique mox audirent: *Nescitis quid petatis.* Atqui Ambitio nihilo melior est lapide, serpente, scorpione; ut mox videbimus.

B. I. *Ambitio lapis.* Primo. Lapidis instar onerosa est, quia curis, solicitudinibus & laboribus hominem obruit ac pene opprimit. Sanct. Bernard. lib. 3. de Considerat. ait: *O ambitio ambitiosorum crux quomodo omnes torques? nihil acrius, nihil molestius inquietat.* Lampridius Roman. historiarum scriptor eximius præclarum hujus rei exemplum adfert: *Ovinius Camillus*, inquit, *antiquæ familiæ senator homo delicatissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renuntiatum esset, statimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quod reip. curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia, trepidum consortem imperii appellavit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus, & melioribus, quam utebatur ipse, decoravit; profectionis comitem adhibuit. Cumque Imperator ipse pedibus iter faceret, invitavit & Ovinium deliciis assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere jussit. Quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque respuentem ac imperium tædio laborum recusantem, deniq; & mori paratum dimisit, ac militibus, à quibus Cæsar præcipue diligebatur, commendatum, ad villas suas tuto abire jussit. Sic ille commonstravit quid esset gerere imperium.*

Bene ergo cura & onus regendi populum *pondus* vocatur Num. undecimo à Moyse, qui cum à rebelli

rebelli & timultuante populo premeretur, dixit ad Deum: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me* ? Intellexit hoc Carolus Quintus Imper. qui Bruxellis principatum Belgii in filium Philippum II. deponens, cum lachrymis dicebat: *O fili magnum tibi onus impono*: Alphonsus Aragonum rex Asinos ajebat melioris esse conditionis, quam sint reges; siquidem illis clitellæ quandoque à dorso auferuntur, his nunquam. Expertus denique est Moyses in seipso nimis, dum populi importunitatem, murmur & rebellionem vix sustinere potuit, uti patet Num. 11. & 16.

Secundo; quia ut lapis pro pane porrectus & comestus non satiat edentem: ita nec honores qualescunque ambitiosum. Nota est Alexandri M. Ambitio insatiabilis, qui cum inaudisset plures esse mundos, illachrymatus dicitur, quod necdū unius Dominus evaserit. Postea ubi Persicæ Monarchiæ potiundæ animum adjecisset, nulla omnino pacis conditiones etiam æquissimas, à Dario Persarum Rege propositas, admittere voluit, sed illi renuntiari jussit: se in Asiam non venisse, ab aliis ut acciperet, sed aliis daret; Utque mundus duos soles ferre non posset, ita nec regnum duos Reges. Proinde aut imperata faceret, aut in crastinum bellum expectaret. Julius Cæsar ad summam dignitatem pervenerat, nec tamen quiescere potuit. Censuram postquam consecutus esset, cognomen *Patris patriæ* affectavit. Quo obtento statuam inter Reges locare contendit. Et hoc consecutus, sellam auream sibi in curia posuit. Nec his contentus, eo arrogantiæ processit, ut singula verba sua singulas leges esse voluerit. Insuper Regis nomine & titulo delectabatur, nec coram senatu assurgere amplius voluit; deniq; cum altius ire non posset, divinos sibi honores fieri voluit. Majol. tom. 4. Canic. coll. 4. Bene igitur Seneca in Epist. hunc ejusque similes comparat ponderibus dejectis per præcipitium, quæ nequeunt consistere, donec jaceant.

G. II. *Scorpio.*

Secundo. Scorpionis instar sæva & crudelis est; Ut enim scorpio ad feriendum & intoxicandum semper intentus est caudamque, ad hoc flectit: denique ex undecim quod gignit, fœtibus decem necat, & ut arbitrantur aliqui devorat, Plinio auctore lib. 11. cap. 25. ita & ambitio sanguinolenta est, & cædibus etiam charissimorum sæpe ad dignitates sibi viam parat. Patet in Abimelech, qui ut imperium sibi super Hebræos stabiliret, interfecit 70. fratres super uno lapide Judic. 9. Vidit hoc antiquitas in Ocho Persarum Rege, qui, ut est apud Justinum lib. decimo, cum fratres haberet CXI. ex iis octoginta interfecit: in Phrahate Herodis Parthorum regis ex pellice filio, qui & Patrem senem & 30. fratres interemit, apud eundem lib. 42. Vidit & posterior ætas in Turcarum Sultanis pene omnibus: in Amurathe Tertio, qui Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, fratres nam minores quinque interfecit, & una cum patre suo Selymo secundo sepelevit. Selymus vero iste Solymanni filius quinque suos tum fratres tum nepotes occiderat; eodem modo horum majores sævierunt in fratres aliosque propinquos suos: Similiter Muleasses Tuneti Rex octavus fratres, partim contrucidavit, partim candenti ferro exoculavit. Ejus filius Amida duos item fratres oculis privavit, Patrem ad necem quæsivit; unde is ad Carolum V. Imperator. in Germaniam profugit miser & ærumnosus. Hæc & plura similia Bozius lib. 12. de signis Ecclesiæ cap. 6. & 9. narrat. At vero quemadmodum scorpio ubi proles suas necavit, tandem & ipse à superstite una, quæ se à cauda matris tutata, est, perimitur: ita ambitiosi illi, qui sanguine & cæde viam sibi ad imperia parant, misere tandem pereunt ab aliis interfecti, uti Abimelech fragmine molæ à turri dejecto contritus: & Turcarum Imperatores non pauci.

D. III. *Serpens.*

Tertio. Serpentis instar primo lubrica est; Facile enim de manibus elabuntur bonorum culmina & tituli, quod alibi compluribus exemplis demonstravimus; nec vero demonstratione indiget, cum passim id contingere soleat. Lepidum est, quod Robert. Holcot. Ord. Præd. in librum sapientiæ Lect. 91. comparat ambitionem seu honorem mundi fluxum equo joculatoris, qui à Domino edoctus erat genua submittere quoties ille diceret: *Flectamus genua*; & rursum surgere, cum subderet: *Levate*. Accidit autem ut equus ille, quia nitidus erat, histrioni abduceretur ab armigero, relicto ei pejore, qui armigeri erat. Cujus rei certior factus histrio armigerum insequitur, equum suum repetiturus. Armiger eo viso divertere volens, flumen equo trajicit. At cum in medio fluminis esset, histrio ad equum suum vociferatur: *Flectamus genua*. Mox igitur in genua provolutus equus, sessorem mergit, seque eo liberat; tum audito; *Levate*; surgens ad Dominum suum redit. Ita prorsus cum ambitiosis ludit mundus. Ubi enim illi honoris equum [qui *fallax ad salutem* Psalm. 35.] conscenderunt, aliis forte abactum, & aliquamdiu agitarunt: ad est sæpe à tergo mundus & honorem suum repetens, sessorem cum ignominia deponit. Unde Boët. 2. de consolat. prosa. 2. ait ambitioso in persona mundi: *Ascende, si placet, sed ea lege, ut ne, cum ludicri mei ratio postulat, descendere injuriam putes.*

Secundo periculosa. Quemadmodum enim serpentem tractare absque noxa periculosum est: ita & honores. Demonstravit hoc Dionysius Rex Siciliæ Damocli assentatori notissima illa stropha; dum ei regiam apparari mensam & sellam jussit cæteraque ad regium pertinentia convivium, interim è lacunari gladium fulgentem seta equina appensum demittit, ita ut impenderet ejus cervicibus, quo

quo nimirum ille intelligeret quid esset vita regia. Demonstravit etiam Eremicola ille apud S. Hieronimum reg. Monial. juveni cuidam cognato suo ad Episcopatum postulato periculum dignitatis Episcopalis; dum jussit illum super mensam altiorem sæpius se revolvere, non sine juvenis pavore & periculo: postmodum etiam lata in planitie diu volutari; interrogans deinde utra volutatio fuerit securior. Instructus eo exemplo juvenis Episcopatum velut fastigium periculo plenum refugit: postmodum defunctus instructori suo apparuit, gratias agens ac dicens: *Scito pater, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Quare non insulse, nescio tamen, an ex animi sententia, dixit Demosthenes: Si duæ viæ objicerentur, quarum una ad honores summos, ad mortem vero ferret altera, hanc quam illam eligendam sibi potius. Hoc enim intellexerunt plurimi Sancti, qui Episcopalem aliasque dignitates omni conatu fugerunt, uti Sanct. Ambrosius, Chrysostomus, S. Gregorius Magnus, S. Augustinus, qui electi in Episcopatum ex urbe fugerunt. S. Martinus, S. Malachias aliique, qui non nisi coacti eum susceperunt. Terribile est, quod S. Chrysost. homil. 34. In Epist. ad Hebr. ait: *Mirabile est, si salventur multi Prælatorum.* Et in hom. in Acta: *Non temerè dico, sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures: qui pereant, In causa est, quoniam rex excelsum requirit animum. Multas enim habet causas, quæ depellant ipsum à suis moribus, & innumeris oculis illi undique opus, &c.*

Remedia Ambitionis.

Quapropter quisquis ad honores & dignitates aspirat. Cogitet inprimis se ambire onus grave angelicis humeris formidandum, & regimem animarum, de quibus rationem reddere Deo debet.

Secundo. Ventum se esurire, quo nunquam satiabitur, sed magis magisque ad esuriem accendetur; sicut Lucifer non quievit, donec thronum Dei invaderet. Nam ut ait Seneca, *Ambitioso non tam jucundum est multos post se videre, quam aliquem ante se habere molestum*; ut in Aman patet, quem magis torsit unus Mardochæus illi prælatus, quam omnes ei subjecti.

Tertio, quod ambitiosi perpetuis agitentur fluctibus velut æstu maris reciproco tum ob multas distractiones, tum ob æmulos, tum solicitudines tuendi se, vel placendi aliis,

Quarto, cogitent illud Julii Cæsaris? *Qui in excelso vitam agunt, eorum facta ab omnibus notantur.* Sunt enim expositi omnium invidiæ, censuræ, oblocutionibus, detractionibus, aliisque innumeris periculis.

Quinto. Honores cito contabescere instar floris: Unde Psalm. 9. *Periit memoria eorum cum sonitu.*

Sexta, ambitionem non venire solam, sed multos secum hospites eosq; pravos adferre; siquidem non timet jus violare, dum modo ad speratos honores ascendat, quandoque etiam in hæresin præcipitat.

Septimo, Cogitent Exemplum Christi, qui cum in forma DEI esset, exinanivit semetipsum, factus humilis & contemptus usque ad crucem; qui etiam Satanæ honores suadenti dixit: *Vade Satana*: & cum adverteret se à populo rapiendum & regem constituendum, fugit; denique non ministrari, sed ministrare venit.

Octavo. Magnorum magnam esse obligationem melius & perfectius vivendi, quam soleant cæteri homines. Ideo enim Sapiens dixit: *Potentes potenter tormenta patientur.* Ideo tot Sancti & quotquot sapuerunt, honores & dignitates velut præcipitia fugerunt.

Noli igitur ait Eccles. cap. 7. *quærere à Domino ducatum: neque à Rege Cathedram honoris.* Noli petere lapidem, scorpionem, serpentem. Nescis enim quid petas. Vide potius ut bibas calicem passionis Domini, ut cum eodem à summo contemptu ascendere ad summam gloriam possis, quæ in cœlo, non in terra est.

CONCIO II.

INCITAMENTA AD VIRTUTEM Sectandam.

I. Virtutis pulchritudo.
II. Vitii turpitudo.
III. Virtutis soliditas.
IV. Virtutis facilitas.
V. Exempla.
VI. Merces.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

NOn videntur adhuc tum Romæ fuisse filii Zebedæi, cum à Christo petierunt sedere ad dexteram & sinistram ejus. Si enim Romæ fuissent, utique templum illud honoris passim celebratum, aut vidissent, aut ingressi fuissent. Id vero teste S. Augustin. lib. 5. de Civ. Dei ita constructum fuit, ut nemini ad illud pateret ingressus, nisi per templum virtutis, quod ei in fronte adhærebat: Significabat autem non perveniri ad honorem, nisi per virtutem & laborem. Non videntur ad hoc attendisse filii Zebedæi, qui honorem petierunt, nulla virtutis

A.

virtutis aut laboris facta mentione : Idcirco eos Dominus ad virtutem ablegat. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* idipsum autem & nobis omnibus certo certius dixisset. Quare nemo sibi persuadeat, pari posse gloriam præsertim cœlestem, nisi per virtutem. Sed ardua est, inquis, virtutis via? Sedet enim in aspero & excelso monte, quo non nisi continuo & diuturno conatu perveniri potest. Fateor ita esse; sunt tamen alia permulta, quæ ad virtutem nos invitant, uti audiemus.

B. I. *Virtutis pulchritudo.*

Primum. Virtutis pulchritudo. Ea enim est ex semetipsa talis; ut homines ad sui amorem trahat. Unde virtuosi tametsi nunquam visi aut cogniti, præ omnibus tamen aliis amantur, laudantur, suspiciuntur, honorantur etiam ab illis, qui reprobi sunt. Ita virtus Sancti Joan. Bapt. traxit homines e civitatibus ad desertum. Virtus S. Bened. Totillam ad cellulam ejus. Antonium scribit Athanasius in ejus vita, ob virtutis famam, notum undique fuisse Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, &c. & Imperatoribus amicissimum. Similiter S. Hilar. licèt per omnia deserta fugeret honorem & quæreret nesciri, undique tamen ejus fama prodita est. Merito ergo Plato dixit (Cic. de off.) quæ si corporeis oculis virtutis pulchritudo cerneretur, mirabiles sui amores in nobis excitaret. Et Eurip. *Bonus mihi vir, nobilis videtur. Qui vero non est justus, licet à patre meliore quam Jupiter sit genitus, ignobilis mihi censetur.* Alphon. Rex cum eo præsente commendarent aliqui virtutes & facinora Nicolai Picennini: unus vero imaginariæ nobilitatis opinione inflatus diceret: *Hæc omnia aliquid essent, si lanionis non esset filius*; subjecit; *Equidē malim Nicolaus Picennius esse, quam regum quorundam filius*: Pan. 1. de reb. ab eo gestis. Argumentum maximæ pulchritudinis est quando ea ad sui admirationem, amorem & imitationem trahit etiam oculos eorum, à quibus non diligitur. Atqui talis est virtus, siquidem erga virtuosos videmus etiam affici homines nefarios. Unde dicitur: *Bonus bonis & malis charus est: malus nec bonis nec malis.* Patet Exemplo Herodis, qui cum esset incestuosus, reverebatur tamen Joan. Bapt. & libenter audiebat, eoque audito multa faciebat. Idem exemplo Saulis, qui licet David infensissimus esset, virtutem tamen ejus non potuit non prædicare: *Justior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala*, 1. Reg. 24. Et quid multis opus? Quis non intelligit, quanto amabilior sit patientia quam vindicta: mansuetudo quam iracundia: humilitas quam superbia: liberalitas quam avaritia: Charitas quam invidia: temperantiā quam gula & intemperantia?

G. II. *Vitii turpitudo.*

Secundum. Vitii turpitudo. Quantum enim placet virtus ei, qui nondum valde corruptus est, tantum displicet vitium. Quam gratus est, qui dotes & virtutes suas silentio premit, laudes suas Deo, fert acceptas, easque extenuat, contemnit neminem, qui syncere agit & loquitur, idem ore & corde gerens; neminem circumveniens, qui proximorum lapsus excusat aut occultat; qui continenter vivit & omnem lasciviam vitat; qui grata memoria recolit acceptum beneficium qui urbanum ac mitem se prębet omnib⁹ tam gratus vicissim est, qui sibi placet, se circumspicit, se suaque jactat, vel mentitur, detrahens melioribus se, struens innocenti calumniā, qui velut equus & mulus vivit in libidinibus, qui vel modicum offensus excandescit, perstrepit & furias omnes invocat in ultionem, &c. Unde sicut Lacedæmonii ut Adolescentes suos deterrerent ab ebrietate, ebrium in medio constituebant, cujus pudendis ineptiis, à simili vitio abhorrerent: ita sibi quisque proponere deberet vitiorum turpitudinem, ad ea detestanda. Quin ita fœtent vitia, ut aliqui Sanctorum tetrum eorum odorem sensibiliter percepisse legantur uti S. Brigitta vidua & S. Catharin. Senens. quæ ob id longiorem moram trahere cum peccatoribus non poterant. S. Hilarion fascem ciceris à Monacho quodam furtive reservatum fœtere sensit & olfacere non potuit, quodque amplius est, in hujus rei confirmationem, misit eum coram bestiis, quæ & ipse horruerunt illa cicera. Hieron. in vita ejus. Hinc etiam fit ut ipsa vitia lucem & diem fugiant, ne prodire velint nisi sub pallio virtutis, quasi suæ se turpitudinis pudeat. Hinc enim Hypocritæ externam virtutis speciem præseferunt cujus veritatem fugiunt, ad instar asini Cumani, qui reperta Leonis pelle se vestivit, ut cum nec fortis esset nec generosus, tali saltem amictu appareret. Sic superbia prodit sub pallio humilitatis sæpe, ut in hypocritis. Avaritia sub pallio prudentiæ; Invidia sub pallio charitatis; Ira sub pallio justitiæ, Gula sub pallio civilitatis & urbanitatis, &c.

D. III. *Virtutis Soliditas.*

Tertium. Virtutis soliditas, quia sola beatum facit, & post obitum cum homine manet. Antisthenes dicebat vittutem esse armaturam, quæ detrahi non potest. Ensis enim & clypeus excutiuntur, non virtus Laert. lib. 6. Aliquæ sunt dotes quæ comitantur hominem ad breve spatium, ut pulchritudo, sanitas, favor, amicitia, opes, honor. Aliæ usque ad mortem, ut scientiæ & artes. Sola virtus est, quæ cum mortuo etiam persistit. Unde illa Pythagoræ vox: *divitiæ anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, Magistratus, honores: omnia hæc imbecilla sunt & viribus destituta. Quæ ergo anchoræ sunt firmæ? Prudentia, Magnanimitas, fortitudo: eas nulla tempestas agitat.* Sic ille. Et Plinius lib. 36. cap. 9. *Ut ingentes*, ait, *obelisci magno negotio statuuntur ob pondus, sed collocati semel infinitis durant sæculis, ita & virtus.*

Ædificat super arenam? quisquis non ædificat super virtutem. Veniet tempestas & disjiciet omnia, uti testatur Dominus Matth. 7.

E. IV *Virt. Facilitas.*

Quartum. Virtutis facilitas & suavitas. Nam virtus rationi humanæ conveniens & connaturalis est: facilius autem est, homini secundum rationem agere, quam contra. Quod si vitio naturæ difficilis facta est via virtutis, & montosa, ea tamen per gratiam Christi facilitata & complanata est, juxta prædictionem Isaiæ cap. 49. *Ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur.* Et Joan. Baptistæ Lucæ 3. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Olim virginitas, continentia, innocentia, patientia, martyrium, inimicorum dilectio, mundi contemptus &c. videbantur esse virtutes homini impossibiles, & quasi montes inaccessi: nunc per Christum ita plani & faciles facti sunt, & *directa via, ita ut stulti non errent per eam*, ut ait idem Isai. c. 35. Quod patet exemplo plurimorum. Quot enim stulti, qui propter Christum assumēdo stultitiam, sancti facti sunt? Simon Salus, Jacoponus, Gonzalus Sylveria, Juniperus, Marcus Salus. Quot qui in conjugio virginitatatem servavere: Henricus, Eduardus, Elzearius Comes, &c. Quot passim extitere Martyres? Quot adhuc mundi contemptores, &c. *Tu non poteris quod isti & istæ?* ait S. Augustinus in Confessionibus.

Contra impii testantur Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles*, quia nimirum plenæ sunt viæ illorum difficultatibus, curis, anxietatibus, remorsibus, & ducunt ad perditionem. Adhæc virtutes postquam sunt exercitæ, mirabile quoddam solatium & suavitatem post se relinquunt. Vitia vero mœrorem & pœnitentiæ aculeum. Et hic est gratus ille odor & color, quem relinquit in conscientia virtus; de quo S. Bern. serm. 17. in cantica ait: *Habent mores suos colores, habent & odores, colorem in conscientia, odorem in fama.*

F. V. *Exempla.*

Quintum. Exempla quam plurimorum, qui nos in hoc virtutum stadio præcurrere. Themistocles dicebat excitari se subinde à somno trophæis Myltiadis cui successerat, quod ejus præclara facta secum reputans, multum angebatur, nec illius gloriam degener obscuraret. Simili modo excitare nos à somno ignaviæ deberent ad virtutem sectandam, tot sanctorum trophæa, miracula, canonizationes, virtutes & vita sanctissima, veluti Sanctorum, qui non ita pridem Sanctorum albo adscripti sunt, S. Franciscæ Romanæ, Sancti Caroli Borromæi, Sancti Ignatii, Xaverii, Isidori, Philippi Nerei, Teresiæ, Elisabethæ Reginæ Portugalliæ. Miracula eorum, qui nondum canonizati sunt, Elisabethæ bonæ, Card. Bellarmini, Petri Canisii & aliorum, quorum multos recenset ex Bavaria Matt. Raderus in Bavaria Sancta, & pia.

G. VI. *Merces.*

Sextum. Honor & merces virtuti decreta. Si enim Romani olim humanę existimationis & umbratilis gloriæ gratia nulla non pericula adierunt, bella difficillima gesserunt, in Olympiacis ludis decertarunt, &c. quanto magis excitare nos ad virtutem debet merces gloriæ cœlestis, quæ promittitur nobis? Taceo gloriam humanam, quæ etiam consequitur. Salomon quamdiu virtutem coluit, tamdiu gloriosus fuit, corā Deo & hominibus. Ast ubi illam deseruit vilis factus est. Unde Sanctus Thom. lib. 3. de Regim. Princ. cap. 8. *Ex luxuria*, inquit, *& idololatria factus est abominabilis populo suo, in tantum ut servi ejus rebellarent ei, diripientes spolia suæ regionis, & vastantes terram absque resistentia aliqua, cum tamen prius omnes obedirent ad nutum; sicut testatur Regina Saba 3. Reg. &c.* Sane filii Zebedæi cupiditate temporanei honoris sessionis ad dexteram & sinistram Christi accensi nihil non subire parati erant, ideo promptissime responderunt, *possumus* bibere scilicet calicē, quem biturus es. Cur ergo non & nos virtutis amaritudinem, si qua in ipsa est, hilariter degustemus? Quis non libenter frangit nucem ut potiatur nucleo.

Quæ cum ita sint Auditores, nulli rei ita studere deberemus, ac virtuti. Ea enim sola coram Deo æstimatur & ponderatur. Ditissimus & potentissimus erat Balthasar: stateræ tamen divinæ impositus, *inventus est minus habens*, ut ait Daniel; quia nimirum solæ virtutes apud DEUM pondus habent. Quare non pro dignitatibus, honore vel opibus certandum nobis est, si sapimus, sed pro virtute. Charilaus Ethnicus homo erat; interrogatus tamen, quam arbitraretur optimam rempublicam; Respondit: *In qua plurimi cives de virtute inter se decertant, citra seditionem.* Plut. in Lacon. apopht.

CONCIO III.

QUID FACIENDUM EI, QUI vult ingredi Regnum cœlorum.

I. Pulsandæ fores.
II. Abjiciendæ sarcinæ.
III. Exhauriendus calix amarus.
IV. Laborandum.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

A.

Mirum alicui videri posset, cur Dominus in hodierno Evangelio petitionem filiorum Zebedæi abnuat, imo & asperius respondeat. *Nesci-*

tis quid petatis. Quid enim illi petierunt? nonne bonam & salubrem, qualis est regni Dei possessio? Adhæc nonne ipse Dominus dudum antea docuit & illos & nos orare: *Adveniat regnum tuum?* Verum ex sequenti Domini responsione facile apparet, quam recte & convenienter Dominus responderit. Ait enim quærenda prius esse media, quam finem: quærendas prius alas, quam ad cœlos evoletur. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* q. d. *Vos de honoribus & coronis*, inquit S. Chrysost. hom. 66. in Matth. super hod. Evang. *mecum agitis: Ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: sed cædis ac periculorum tempus præsens est.* Ad eundem modum diceret Dux militibus triumphum ante victoriam canentibus, & de spoliis cogitantibus: Non est jam tempus cogitandi quomodo spolia dividenda: Sed quomodo prius fortiter pugnandum & hostis superandus. Nos itaque hinc edocti, quæremus ante omnia, non quo loco in cœlo sedeamus, sed qua ratione ad cœlum perveniamus.

Illustr. Card. Bellar. in l. de æter. fel. quatuor potissimum proponit cœli semitas: desiderium patriæ cœlestis, paupertatem spiritus, tolerantiam passionum & tribulationum, laborem & pugnam spiritualem. Videntur autem hæ semitæ non obscure indicari in hod. Evang. 1. in petione matris: *Dic ut sedeant filij mei in regno tuo.* 2. in responsione Christi: *nescitis quid petatis* (temporale enim & terrenum tantum regnum expetebant) 3. in illa propositione: *Potestis bibere calicem meum?* 4. in ultima resolutione: *non est meum hoc dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.* q. d. laborantibus & certantibus. Igitur volentibus ingredi regnum cœlorum

B. I. *Pulsanda fores.*

Primo pulsandæ sunt fores cœli instanter, hoc est, toto desiderio præ omnibus aliis rebus quærendum est regnum cœlorum, ejusque cura omnibus rebus anteponenda. Docuit hoc Christus, cum dixit Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Docuit hoc idem Matth. 5. dicens: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Docuit id ipsum cum Marci 7. suspiciens in cœlum ingemuit, ad indicandum multis gemitibus & toto corde suspirandum esse ad cœlum, veluti ad patriam, & postponenda omnia alia tanquam in exilio constituta. Itaque in omnibus nostris actionibus prima nostra cogitatio esse debet, quomodo justitiam Dei faciamus, & beatitudinem consequamur: ille nobis scopus est, ad quem actionum nostrarum sagittas collimemus: hæc vero præmium, quod speremus. Quærere debemus regnum Dei & justitiam ejus, sicut Israëlitæ positi in captivitate Babylonica, quærebant reditum in patriam. Captivi illi de se dicebant: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion: In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Ps. 136. Unde rogati à Babyloniis ut canerent in suis organis, responderunt v. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Similiter nos in hoc exilio constituti, si jubemur à mundo & cum mundo lætari, saltare, congregare, epulari, &c. Suspirare ad cœlum deberemus & dicere: *Quomodo cantabimus in terra aliena?* Ad patriam tendimus, patriam quærimus. Ratio vero cur ita desiderare debeamus regnum cœlorum, si consequi velimus, est, quia regnum cœlorum non est esca & potus, non est tam vile bonum, ut obtrudi debeat illis, qui ejus adeptionem rebus omnibus postponunt. Si enim apud Romanos olim candidati, qui Magistratum aliquem petebant dexteras fautorum suorum sedulo prensare, quotidie salutare, deducere & sectari debebant, imo & congiaria dabant, prandia parabant, & muneribus dandis sæpe patrimonium absumebant, quo nimirum optatam tandem dignitatem consequi possent, ut testatur Cicero de petitione consulatus. Plut. & alii: æquum non erit, ut multo instantius desideretur & quæratur ante omnia regnum DEI & justitia? An vero illi, qui ita vivunt, ut postrema eorum cogitatio sit, quomodo perveniant ad cœlum, neque aliud frigidius optent quam regnum Dei & justitiam ejus: (quasi Dominus dixisset, quærite primum regnum mundi & versutias ejus, & regnum Dei adjicietur vobis) cœlo digni erunt? An non stultum foret conferre alicui grandia dona, qua contemnit & nugis suis posthabet accepturus? Hæc ergo causa est, quod Evangelicus Paterfamilias, audiens invitatos ad cœnam frivolè se excusare, & potius nugas suas sectari, videre scilicet villam, probare boves velle: tandem iratus dixerit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam,* Luc. 14. Jam vero quid magnum hoc est aut asperum, desiderare vehementer & quærere super omnia regnum cœlorum? Quam beatos se reputarent pauperes, si id omne quod desiderarent & instanter peterent, consequi possent? si esuriendo & sitiendo cibum, potum, pecunias, ita replerentur, ut saturati nihil ultra requirerent? Non obtinebunt quidem hæc pauperes, quia hæc talia non sunt, quibus male uti nequeant. Regnum autem DEI & justitia ejus ejusmodi bonum est, quo nemo uti male potest, ideoque esurientibus & sitientibus illud, libenter à DEO datur. *Beati enim qui esuriunt,* inquit, *& sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid igitur hic dicemus? Quis in judicii die poterit se excusare per ignorantiam vel infirmitatem? Angelicus Doctor D. Thomas rogatus aliquando à sorore sua, ecquanam ratione salvari possit? Respondit vir sanctus: *si volueris salvabere.* Hist. Prædic. lib. 3. c. 17. Quid magni est velle salvari? Hoc si serio volueris, salvus eris.

C. II. *Abjicienda sarcina*

Secundo, relinquendæ & abjiciendæ sunt sarcinæ, id est, affectus inordinati erga omnem creaturam & cupiditates rerum externarum. Docuit hoc Christus, cum dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, Matth. 5. Quod non intelligendum, quasi præcipiatur nobis, ut arcam vel marsupium pecuniis evacuemus, & cum Cratete Philosopho opes nostras in mare demergamus, aut cum Apostolis revera deseramus, sed ut cor nostrum ab affectu erga bona temporalia & cupiditate expurgemus, ita ut illis non afficiamur habitis, non anxie quæramus habendas, non valde doleamus perditas ut facile demus indigentibus, neque in usum nostrum convertamus, nisi quantum exigit necessitas & honestas. Et hoc videtur voluisse Christus, cum dixit, *pauperes spiritu*, affectu videlicet etsi non effectu. Docuit hoc idem exemplo suo Dominus, non tantum cum propter nos egenus factus est, sed etiam cum loculos habens commendavit eos Judæ velut dispensatori, quem sciebat inde furaturum. Hæc enim res ostendit quam liber esset Christi animus ab omni amore pecuniæ. Sic fuere pauperes non modo Apostoli, Monachi & Eremitæ, sed etiam (ut notat eo loco Rupertus) Abraham, Isaac, Jacob, qui divitias cum haberent, non amarunt. Et in lege nova sanctus Ludovicus Francorum Rex, qui licet dives esset, vulgari tamen vestitu utebatur, pauperibus largus, soli sibi parcissimus: jejunabat frequenter, nec legitur in ludos & convivia pecunias insumpsisse. Talis S. Gregor. Pontifex, qui adeo prodigus erga pauperes, avarus quodammodo erga seipsum fuit, ut metas utrinque pene excessisse videretur. Talis è mulieribus sancta Elisabetha Regis filia & Ducissa, quæ & ipsa ancillari habitu velut coancilla haberi à suis ancillis voluit, in pauperes vero tam officiosa, ut propriis manibus eorum ulcera, fœtores & sordes abstergere non dubitarit. S. Paula Matrona Romana nobilissima sibi carnibus & ovis & vino interdixit, opes autem in extruendis monasteriis, & alendis pauperibus adeo consumpsit, ut in votis haberet, ad eam redigi inopiam, ut funus ejus aliena misericordia curari oporteret.

Ratio vero cur ita evacuare cor debeamus est, quia impossibile est *servire Deo & mammonæ*, amare cœlum & terram, duobus adversis Dominis idem cor donare. Hæc enim est amoris natura, ut vidi seu distrahi in diversa nequeat, sed unius tantum sit. Unde si cor tuum amore mundi occupatum sit, non poterit ibi habitare Deus. Sin vero ab more mundi fuerit evacuatum, replebit illud Deus cœlo, quia uti in naturalibus, ita & in supernaturalibus non datur aliquod vacuum. Quamdiu vidua illa porrexit Elisæo vacua vasa, tamdiu fluxit oleum & replevit illa; ubi vero impleta fuere, stetit oleum, 4. Reg. 4. Sic animum amore mundi repletum, nequit Deus replere cœlo; Deinde amor mundi & bonorum ejus retrahit à cœlo, quemadmodum regius cultus & calcei tenuerunt sub porta Heraclium Imper. quando Crucem Domini à Cosdroe recuperata suis humeris efferre conabatur ex urbe Jerosolyma in montem Calvariæ. Sentiebat enim se retrahi & teneri, licet, à quo, nesciret. Unde monitus à Zacharia Pontif. ut regium poneret cultum, Christi paupertati parum convenientem, & calceos exueret; eo facto, non difficile reliquum iter confecit. Simili ergo modo retinet mundi amor ipsos amatores ab ingressu cœli impeditque à comparatione verarum divitiarum, quę sunt merita regni cœlestis. *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & in desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum*: ait Apostolus 1. Timoth. 6. Deponendus itaque hic cultus, si cœlo inferre pedem volumus.

Hoc vero si difficile tibi videtur, mitte in unam lancem bona, quæ deseris præsentia, in alteram vero bona, quæ promittuntur futura, & pondera sis utraque, bona mundi, quam sint exigua quam inania, quam permixta malis; quam fluxa & fugacia. Bona vero cœli scriptura clamat esse immensa, plena, doloribus & curis vacua, nunquam interitura. Ac si quidem reipsa relinquere oporteret mundi bona, esset forte id aliquantum, sed cum tantum id à nobis requiratur, ne amemus ea, ne iis serviamus, sed dominemur; ne iis oneremur, sed potius exoneremur; quid asperum aut difficile nobis imperatur? *Itaque delicatus es frater charissime*, ait S. Hieron. in reg. monach. cap. 19. *Si hic vis gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo.*

D. III. *Exhauriendus Calix amarus.*

Tertio. Exhauriendus est calix vino absynthiaco repletus. Hoc proposuit nobis Dominus in hod. Evang. & dudum ante Matth. 5. cum dixit: *Beati qui persecutiones patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Neque vero persecutionem intelligit, qualis primis Ecclesiæ temporibus sæviit in Christianos, sed quamcunque afflictionem, cujusmodi persecutio ubique invenitur, in domo, in via, in foro, in templo, in mensa, in lecto, &c. Ubique enim mali impugnant bonos, & certissima est Apostoli sententia, 2. Timoth. 3. *Omnes qui pie volunt vivere, in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Neque vero tolerare tantum debemus has persecutiones, sed libenter tolerare adeoque gaudere in illis. Hoc enim sibi voluit Dominus, cum tribulationem & passionem calicem appellavit. Ut enim potus cum suavitate & appetitu bibitur, sic amplectendam voluit tribulationem, non ut tribulationem sed ut materiam gaudii. Quam quidem ipse Christus desiderio desideravit & obviis ulnis amplexus est. Secuti sunt Apostoli: inter alios sanctus Jacobus, qui eum,

eum, à quo ductus ad tribunal fuit, ad fidem conversum & veniam petentem humanissime amplexus & deosculatus est ac dixit: *Pax tibi sit.* Denique quotquot ad illam gloriam feliciter appulerunt, per multas tribulationes eo devenerunt.

Ratio est, quam dat Illustr. Bellarm. l. 1. de ætern. fel. cap. 9. Cœlestis civitas aurum est mundum, simile vitro mundo: *non intrabit in eam aliquod coinquinatum aut abominationem faciens*, ut ait S. Joan. cap. 21. Apoc. Jam vero tribulatio proprie fornax est, quæ purgare solet animas ab omni immunditia. Ut enim ignis coquit cibos crudos, purgat argentum, & probat aurum, sic etiam persecutio, si patienter toleretur, coquit peccatores, purgat imperfectos, probat perfectos: Peccator est quasi caro cruda, quæ nisi rite coquatur, projicitur ad bestias, non comeditur ab hominibus. Est enim peccator malis humoribus plenus: concupiscentia carnis, quæ est luxuria: concupiscentia oculorum, quæ est avaritia: & superbia, quæ est ambitio. Sed si accedat fornax persecutionis, illo igne siccatur & coquitur, ut fiat idoneus, qui ad mensam Domini honorifice deferatur. Ingruente siquidem persecutione vel tribulatione gravi, obliviscitur libidinum, lucrorum, ambitionum, incipitque omnino alius esse, quam ante fuerat. Ut cum fur incarceratur, torquetur, condemnatur, vel cum quis in morbum vel paupertatem incidit. Homo vero justns sed imperfectus, quamvis non labatur in horrenda flagitia, tamen amicus est carnis suæ, sequitur voluptates, amat lucra, non abhorret à vanitatibus mundi. Itaque similis est argento scoriam multa habenti admissam. Sed si fornax magnæ persecutionis illum corripuerit, eamque is patienter tulerit, incipiet paulatim ab argento scoria separari: incipiet inquam intra se colligi, meditari quæ sursum sunt, abstinere à carnalibus desideriis, denique *sobrie, juste & pie vivere in hoc sæculo, & exspectare beatam illam spem & adventum gloriæ magni Dei.* Denique vir perfectus in charitate, aurum est, sed probandus igne persecutionis, ne putetur ab aliis vel etiam à seipso aurichalcum esse non aurum: ubi enim ignem persecutionis patienter ferre conspicitur, non solum ab aliis cognoscitur esse, qui est, sed ipse quoque erigitur in spem magnam, & securior mercedem illam cœlestem expectat. *Tribulatio,* inquit Apostolus, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Quæ si bene perpendamus, grave nobis non erit aduri in hac fornace. Quid enim est hæc fornax respectu illius supernæ civitatis, in qua collocandi sumus? *Id quod in præsenti est momentaneum,* inquit Apost. 2. Cor. 4. *& leve tribulationis nostræ; supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quid est hæc fornax respectu illius fornacis gehennalis? Fornax enim tribulationis suum habet refrigerium & brevi tempore durat. Fornax autem inferni ad instar fornacis illius Babylonicæ Dan. 3. succensa est nimis, cujus flamma effundebatur supra fornacem 49. cubitis. Cum enim numerus quinquagenarius, numerus sit remissionis, & flamma illa ad hunc numerum non pertigerit, quid aliud designavit quam æternum gehennæ incendium, quod ad nullam unquam pertinget remissionem?

E. IV. *Laborandum.*

Quarto, laborandum & pugnandum. Hoc enim Christus docuit Matth. 11. dicens: *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, q. d. cœlum instar castelli est munitissimi & altissimi, quod non nisi magnis conatibus expugnari & diripi potest: itaque scalæ primum adportandæ, & aggeres erigendi, postea muri scandendi & contra hostes ingressum impedientes dimicandum. Utrumque hoc aptissimis parabolis depinxit Dominus Luc. 14. de eo, qui vult turrim ædificare, & non habet ad perficiendum; & de Rege, qui cogitat bellum gerere adversus alium Regem, & non habet pares vires, ut cum spe victoriæ possit illi occurrere. Utrumque enim præstare debet, qui regnum cœlorum expugnare cogitat: nam & turris ædificanda est, quæ pertingat ad cœlum, id est merita comparanda, quæ vitam æternam promereantur, & simul pugnandum est cum hostibus plurimis & fortissimis, spiritibus videlicet immundis, qui totis viribus turris illius ædificationem impedire moliuntur. Cujus rei figura præcessit in filiis Israël, qui cum Jerusalem à Chaldæis dirutam atque eversam reædificare vellent, & à gentibus vicinis bellantibus impedirentur, necesse habebant incredibili solicitudine & labore una manu ædificare, altera præliari: Ideo una manu faciebant opus & altera tenebant gladium, 2. Esdr. 4. Præivit nobis in utroque Christus, & in laboribus à juventute sua, & in prælio contra diabolum. Secuti Apostoli, Martyres & Confessores: qui omnis generis machinas excogitarunt & applicarunt ad cœli expugnationem.

Ratio, cur pro cœlo laborandnm & pugnandum sit, est, quia ex DEI & hominum universali decreto, *qui non laborat, non manducet: nec coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, ut ait Apostolus; alioquin & imperfectum foret Sanctorum gaudium, & si pro sua gloria nihil laborassent, nec fortiter pugnassent, cum potuissent. Quis enim nescit majoris esse gloriæ, si quis ob præclare gesta, & egregias virtutes ad regiam dignitatem ascendat, quam si eandem hæreditario jure acquirat? Unde Dominus Luc. 14. monet, ut invitati ad nuptias non recumbamus primo loco, sed potius in novissimo, *ut cum venerit, qui nos invitavit, dicat: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria,* inquit, *coram simul discumbentibus.*

Ita

Ita ergo si per humilitatem aliasque virtutes sessionem in cœlo honorificam consequamur, tunc erit nobis gloria. Itaque si in cœlo pulchram & magnificam habere domum volumus magna nostra gloria, eam nobis ipsi bonis operibus extruamus, quomodo S. Deus-dedit sutoriam exercens, cui quod lucrum totius hebdomadis in sabbathis communicabat pauperibus, vidit quidam alios structores quosdam singulis sabbathis operari in extructione pulcherrimæ in cœlo domus. Apud Gregor. lib. 4. dial. cap. 30. Si coronari volumus, legitime certemus contra nostra vitia, mundum, carnem, dæmonem.

Veniet aliquando tempus, cum apertissime videbimus nihil adhuc fuisse certaminis hujus laborem cum corona comparatum.

CONCIO IV.

MORS ALACRI ANIMO Excipienda.

I. Quia liberat à vinculis.
II. A periculis.
III. A miseriis.
IV. Transfert ad vitam meliorem.
V. Resurgere facit cum fœnore.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20.

A. COlimus hoc die Apostolum Jacobum, sanctum, optatissimum & vulgo nominatissimum, qui secum affert & quodammodo in manu gerit falcem illam messoriam, qua fruges in his partibus circa tempus istud demeti consueverunt. Verum præter istum video alium quendam quasi à tergo stantem (Apoc. 14.) similem filio hominis, qui & ipse in manu sua falcem acutam gerit, paratam ad metendum, quæ alia non est, quam mors, quâ sensim mortales Christus demetit & ad judicii sui aream ventilandos congregat. Hanc porro falcem Christus ostentat & intentat in hod. Evang: non modo suis Discipulis, sed & nobis quoque, cum ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* id est mortem subire, quam ego subiturus? quasi dicere velit: quid si ego venero cum falce mea, paratine vos eritis ad eam excipiendam? Alius hic falciger, à priore longe diversus est. Illum omnes desiderant & avide expectant: hunc pene omnes fugiunt & procul abesse cupiunt. Segetem volunt meti, ipsi nolunt demeti. Sed quæ vobis mens, Auditores? Quid si hodie vel cras? Quid si hac vel sequente hebdomade, hoc vel sequente anno veniat ad vos hic Messor, & immittat in vos falcem suam acutam: ac propinet vobis calicem suum? Poteritisne bibere illum? An potius refugietis? At nihil illud proderit. *Quo enim à facie tua fugiam?* ait Psalmista. Nihil ergò melius, quam ut cum duobus Discipulis dicamus: *possumus*: parati ad tuam falcem excipiendam, ad tuum calicem hauriendum sumus. Hæc si nobis mens perpetuo insideat, læta nobis & felix erit etiam ista messis. Quam ut consequamur, videamus rationes, cur non formidanda sit.

B. I. *Quia liberat à vinculis.* Si loqui possent segetes, existimo dicturas, nequaquam se horrere falcem, sed potius optare. 1. Quia ejus beneficio, dicerent, liberabimur à vinculo, quo veluti captivæ affigimur his agris. Radix enim nostra terræ nos affigit: falx inde nos liberavit, tum ingrediemur pagos, urbes, horrea, feremur in mensas divitum. Eadem prorsus nostra conditio est. In mundo & in corpore captivi detinemur, vinculo carnis nec non patriæ & domicilii nostri alligati. E mundo egredi non possumus, nescimus quid extra illum sit, quod tamen mens esse cupit, e patria & domicilio nostro vix modicum egredimur, quin statim revertamur. Unde nescimus quid in aliis terris agatur. Summa; uti segetes summis tantum capitibus nonnihil hinc inde ventilantur, interim tamen eodem semper loco hærent: ita & nos in mundo & corpore mortali, quæ aliud non sunt, nisi carcer quidam, de quo liberari desiderabat Apost. ad Philip. 1. scribens: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo.* Dissolvi scilicet vinculo, quo anima in hac vita corpori alligatur, quasi luteæ suæ domui. Unde S. Gregor. 4. mor. c. 41. *Dissolvi*, inquit, *Paulus non quæreret, nisi se vinctum videret.* Quis autem vinctum se agnoscens, non cupiat solvi & dimitti. *Qui desiderat dissolvi*, inquit, S. August. *& esse cum Christo: non patienter moritur, sed patienter vivit & delectabiliter moritur.* Ita S. Cypr. audita Valer. Imp. contra se lata sententia. *In Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*: respondit: *Deo gratias, qui me à vinculis hujus corporis dignatur absolvere.* Ut in ejus actis. Ita pia quædam Domina, (apud Collectorem speculi) subito lepræ plaga fœdissima percussa sortem ejus aliis deplorantibus ipsa ridere cœpit. Causam rogata, respondit: *Si quis detineretur in carcere ea conditione, ut inde non eriperetur donec muri carceris undique corruissent: nonne si videret muros ad ruinam inclinatos imo jam paulatim ruentes, gauderet potius quam fleret?* Quare cum anima in corpore velut in carcere constricta sit, gaudere omnino debet, quando videt corporis parietes dissolvi & concidere, quando videt mortem fores carceris effringere.

C. II. *A periculis.* Secundo. Dicturæ essent segetes: Per messem liberabimur à grandi illo periculo internecionis nostræ,

nostræ, quam minatur nobis grando, pruina, locustæ, aliique hostes nostri. Idem nos, si sapimus, dicere debemus: Libenter mortem excipiemus, ut liberemur à peccato, capitali hoste nostro, & peccandi plurimis periculis, perpetua lucta, quam gerimus cum peccato ejusque præsidiariis, qui sunt ipsæmet nostræ passiones. *Quid enim*, inquit, S. Cypr. tract. de mort. *est in mundo & vita hac nisi pugna cum ira, gula, libidine? Hinc gratulatur sapiens raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Nonne Apost. ad Rom. 7. gemit se *venundatum esse sub peccato*, id est, traditum concupiscentiæ quasi Tyranno? Inde enim exclamat: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus*; hoc est de corpore concupiscentiæ & pravis ejus motibus obnoxio, adeoque moribundo & mortem non corporis tantum sed & animæ sæpe inducente? Imaginare tibi virum honestum robusto alicui Molosso ita alligatum, ut ei semper individuus adhærere debeat, vel sequi trahentem, quocunq; eum libido egerit, vel eundem coërcere ut quiescat & & sequatur ipse. Videbis igitur Molossum illum semper inquietum, huc illuc currere & virum secum trahere: modo ad rixas aliorum canum currere, modo insatiabiliter vorare, modo libidinem sequi per omnes urbis plateas, modo ignavum stertere, modo vomere, modo egerere. Quæso te, si honestus ille vir in his omnibus molestiis cani illi adesse, illum sequi ac tolerare cogeretur, nisi continuo cum illo litigare, eum increpare, flagris cædere, & vi adhibita ad sua obsequia trahere velit: quanta hæc molestia foret? Quis ab isto socio liberari non amaret: Quid aliud est homo, si animam rationalem ei demas, nisi ejusmodi Molossus: Huic anima alligata est, hunc sequi, huic assidere debet semper & omnes ejus sordes ac vitia tolerare, cum is edit, cum dormit, cum suas sequitur concupiscentias: nec facile ab his retrahi potest, nisi magna vi adhibita: trahit enim animam fortiter ad suas libidines, easque illi affricat, nisi repellatur & coërceatur. Quis ergo ab hoc inquieto, immundo, rapace, vorace & ignavo cane non quærat liberari? hoc est, quod dicit Apostol. Refert S. August. lib. 5. contra Julianum ex Arist. *Simili nos affectos esse supplicio atque eos, qui quondam cum in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam aptissime colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos.* Hinc ergo optabat Paulus solvi à suo corpore, languido, moribundo, & concupiscentiæ subjecto, cujus fœtore anima facilime inficitur, & sæpe ad mortem pertrahitur. Debet enim anima omnes corporis sordes & bestiales cupiditates pati, quibus nisi continuo & strenue repugnet, ipsa mox fœtorem peccati contrahit. Tradunt Annales Theod. Cedren. Zonar. apud Baron. anno 717. Theodosium IV. Imp. deposito imperio Clericum factum & postquam pie vixisset, ita ut post mortem miraculis coruscaret, suo sepulchro Epitaphii loco hoc unicum verbum inscribi voluisse. Sanitas: ut videlicet designaret, virum fidelem per mortem tantummodo perfectam consequi ab animæ passionibus sanitatem. Saltem enim peccatis venialibus inficitur anima ex corporis consortio: si non & mortalibus, ut fit plerumque. Hanc ergo sanitatem Apostolus desiderabat, cum morbido ac mortifero illo corpore, quod in pœnam peccati originalis tale nobis datum est, exui & immortali alio indui cupiebat. *Liberari à corpore mortis*, inquit, S. August. lib. 1. contra duas epistolas Pelagii. cap. 11. *est omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam.* Sanctus Ambrosius lib. de bono mortis cap. 4. ait: *Quid est mors nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?*

D. III. *Amiseriis.*

Tertio. Dicerent insuper: Absolvemur hac ratione ab innumeris miseriis, molestiis & cladibus, quibus vexamur & agitamur à tempestatibus, gelu, nive, pruina, pluviis, ventis & ardore solis. Quid enim ab his non patimur? Idem nos fateri debemus, vitam scilicet nostram plenam esse miseriis & calamitatibus, multoque plus habere fellis, quam mellis: Unde Ecclesia. cap. 4. ait: *Laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Sic Elias insidiis Jezabelis undique obsessus petivit animæ suæ ut moreretur, dicens? *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam,* 3. Reg. 19. Sic Jeremias prophetans suis excidium urbis & gentis suæ, vidensque insuper se propterea exosum omnibus factum, maledicit diei Nativitatis suæ Jerem. 20. quia nimirum melius reputabat (spectatis solis naturalibus bonis vel malis) non nasci, quam in tantis calamitatibus vivere: prout etiam dixit Ecclesiast. cap. 30. *Melior est mors, quam vita amara.* Si enim anima ingressura corpus, videret omnia mala, quæ in eo passura est, horreret profecto ac diceret: malo non nasci, quam ad tantas miserias nasci. Idque miro quodam ostento demonstratum scribit Plinius lib. 7. cap. 3. quando infans in lucem editus, in uterum protinus reversus est Sagunti, quo anno ab Annibale deleta est. Quasi videlicet excidium patriæ suæ nollet intueri. Sic Græci illi, qui devictis Barbaris, eorumque spoliis onusti domum revertebantur cum se jactari viderent magnis tempestatibus, felices illos vocarunt, qui in acie ciciderunt, melius reputantes in prælio cecidisse, quam tam dira tempestate jactari. Seneca in Agamemnone. Agnovit hoc & ipse Cicero Ethnicus, qui libr. de oratore, ait, viros bonos sapientes, qualis erat Socrates, quasi Cygnos cum laude & voluptate mori.

Fabulatur enim Cygnum morientem interrogatum à Ciconia, cur ſuaviores ſonos ederet in morte, quam omnia alia animalia timent? Reſpondiſſeque Cygnum: *quia neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos mortuus extimeſcam.* Dicat hoc moriturus: cur mortem exhorreſcam, quæ finem mihi afferret tot laborum & miſeriarum.

E. IV. *Transfert ad vitam meliorem.*

Quarto. Adderent & hoc: Melius nobis erit demeſſis, quam ſic ſtantibus. Etenim per meſſem perdemus quidem vitam noſtram, ſed poſtmodum ſortiemur multo nobiliorem, cum eſca hominum factæ in ipſis vivere incipiemus, & quodammodo homines fiemus. Veriſſime nos hoc dicimus: Tu quidem, ô mors nos demetes & vitâ ſpoliabis, ſed ad vitam beatiorem hoc ipſo nos protrudes, ad vitam immortalem, cœleſtem & omni ex parte beatam. Mors enim Chriſtianis, non tam eſt mors, quam janua & tranſitus ad vitam. *Hunc tranſitum,* inquit, S. Bernard. tract. de natura & dignitate divini amoris, *ad vitam, miſeri infideles mortem appellant, fidelis autem quid niſi paſcha? Quia moritur mundo ut perfectè vivat DEO.* Unde quidam dixit mortem eſſe *ludum Chriſtianorum.* Illi enim poſt Chriſtum illudere poſſunt morti juxta id Oſeæ 15. (ex verſione LXX. Interpret. uti citat Apoſtol. 1. Corinth. 15.) *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Sed hoc verum eſt in iis, qui in ſtatu gratiæ ſunt; alioquin enim ſtimulus mortis peccatum eſt, ut ſubdit ibidem Paulus. Ergo qui peccato vacat, ludere cum morte poteſt, veluti cum ape aut ſcorpione, qui ſtimulum non habet, quo vulneret. Audi horum aliquos. S. Chryſoſtom. in epiſt. ad Philip. cap. 1. *Nihil,* inquit, *moleſtiæ inferent qui me occident, eo quod ad vitam meam me dimittent, & promovebunt, & ab iſta non admodum commodâ liberabunt.* S. Cyprian. tract. de mortalit. *Amplectamur,* inquit, *diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos hinc ereptos & laqueis ſæcularibus exſolutos paradiſo reſtituit & regno cœleſti.* Non ita pridem, anno videlicet 1611. diſceſſit ex hac vita menſe Novembr. hodierni Francorum Regis Ludov. XIII. Frater, puerulus annorum quatuor, Dux Aurelianenſis, indolis eximiæ: qui in illa ætatula, dum morbo affligeretur, oculis continuo ad cœlum elevatis, circumſtantes pariter ad ejus contemplationem hortabatur, feliceſque illos prædicabat, qui ibi habitarent. Henric. Spondanus in Auctar. Chronol. Baronii 1611. Denique & S. Jacobus Apoſtolus ad ſupplicium ductus, illum oſculatus eſt, qui eum ad tribunal duxerat? Quod etiam fecit B. Thomas Morus, qui pro defenſione fidei plectendus, carnifici de more veniam petenti & oſculum unaque aureum Angelottum dedit, dicens: *Tu mihi hodie præſtabis, quod hactenus nemo mortalium mihi præſtitit aut præſtabit,* ut aliàs dixi.

F. V. *Reſurgere facit cum fœnore.*

Quinto poſſent dicere, minime ſibi moleſtum eſſe, demeti ac cædi; hoc enim ſibi profuturum, ut cum fœnore reſurgant; quando ſparſo earum ſemine ſegetes novæ pullulabunt. Hoc idem nos cogitemus. Cadit corpus mortale, reſurget immortale: cadit ærumnoſum, reſurget glorioſum. Propterea Chriſtianorum mors à Chriſto, Apoſtolo & Chriſtianorum recepto more, vocatur *ſomnus* tantum. Hos alloquitur ore prophetico Deus, Iſa. 26. cum ait: *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum.* In cubicula videlicet mortis, ad captandum ſomnum. In cœmeteria ſeu dormitoria ducuntur ſepulchra Chriſtianorum. Suo ergo tempore rurſum evigilabunt. Rectè inquis: ſed non ſine difficultate magna corpus hoc exuitur: Quare ſciendum, corpus hoc mortale veſtimentum animæ eſſe fragile & obſoletum, quo exui debemus, ſi novo & incorruptibili volumus veſtiri. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 15. *Oportet,* inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem.* Quis non libenter exuet veſtem illam veterem, ut hac nova induatur? Quam alacriter mutavit pauper ille mendicus laceros ſuos centones, cum ſplendida veſte S. Ignatii Loyolæ ab eo ſibi oblata? Deus offert nobis veſtem gloriæ, pro centone corporis noſtri. Non libenter permutabimus? *Domine,* orabat S. Gregor. Nazianz. *ſolve hanc tunicam ita mihi gravem & ponderoſam, & da mihi leviorem.* Cum Sartor ſcindit pannum holoſericum, pro ſarcienda tibi veſte, nequaquam ei reſiſtis, minimè indignaris. At ſi dicat aliquis? cur tu ſinis ſcindi pannum tam pretioſum? reſpondebis tu: non me hoc contriſtat, quoniam hæ ſciſſuræ veſtem mihi dabunt longè ſplendidiorem, quam ſit ipſe pannus. Idem dic in propoſito. Corpus tuum pannus eſt, ſed nequaquam ſat idoneus & ſplendidus. Scindi ergo debet, ut præbeat tibi veſtem glorioſam & incorruptibilem. Scinditur per mortem, ſarcietur autem in reſurrectione mortuorum. An non oportuit corpus Chriſti ita prius ſcindi & fœdè lacerari, ut veſtiretur gloria in reſurrectione? Audi loquentem ipſum per os Prophetæ, Pſalm. 29. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.* Saccus eſt veſtis lugubris, & tale hoc eſt corpus, quod ubi ſciſſum fuerit, tranſibit in veſtem gloriæ, quæ non diſcindetur, unde ſubditur in Pſalmo: *Ut cantet tibi gloria mea & non compungar,* (ſeu ſuccidar) q.d. deinceps non pungar neque ſcindar amplius mortis aculeo vel forcipe.

Priſcus Chriſtianorum mos fuit ut in ſuis ſepulchris Danielem in lacu inter Leones ſtantem ſculperent, eo quod ipſe è lacu Leonum liber & incolumis egrediens, quaſi Ideam hominis è ſepulchro reſurgentis expreſſerit, teſte Baronio in martyrol. die 21. Julii. Quod ergo eſt Daniel in Leonum lacu, hoc

hoc Christianus in sepulchro: non enim consumetur à morte, cui jam olim dentes excussit Christus, juxta id: *Morsus tuus ero inferne.* Sed cum majori gloria è lacu & umbra mortis eripietur aliquando, quemadmodum & Daniel maxima sua gloria extractus est è lacu.

CONCIO V.

CUR ALIQUI RENUANT BIBERE calicem Domini, seu tribulationis; Refelluntur querelæ.

I. Putant sibi non deberi.
II. Sibi solis exhauriendum.
III. Nimis esse amarum.
IV. Nimis magnum.
V. Non propinari à quibus deberet.
VI. Esse novum & insperatum.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? **Matth. 20.**

A. GEnesis 44. legimus Josephum præcepisse dispensatori ut fratribus à se discedentibus, (quibus tamen nondum agnitus fuit) in Sacco Benjamini sibi charissimi, poneret scyphum argenteum, in quo augurari soleret: & postmodum eos insequeretur tanquam furti reos, qui scyphum Domini abstulissent. Factum ut imperatum, & invenitur scyphus in sacco Benjamini. Reducuntur ergo ad Josephum fratres, & ibi aliquandiu asperius tractantur, sed ad speciem tantum & in bonum eorum; tandem enim à Josepho se prodente amicissimè accipiuntur amplexibus & osculis, præsertim verò Benjaminus. Quo ludo Josephi magnum aliquid indicatum esse vult S. Augustinus videlicet, Deum hoc agere cum dilectis & servis suis. Illis enim scyphum passionis suæ clam quodammodo, & inadvertenter immittit, eosque per illum affligit & angit aliquamdiu, atque ita in eo auguratur quasi utrum verè ipsum diligant. Sed paulò post afflictionem illam, tanto majori consolatione compensat, & amicissimè amplectitur, quos prius dure tractasse videbatur, velut alienos & reos. Hoc certe Christus fecit in hod. Evangelio duobus sibi charissimis Discipulis, quibus ad dexteram ejus sedere cupientibus calicem passionis suæ proponit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et certe etiam exhibuit illis hauriendum, quando Jacobus variis Judæorum persecutionibus vexatus tandem ab Herode occisus; Joannes in dolium ferventis olei immissus, & in Pathmos relegatus calicem venenatum bibere (licet absq; læsione) compulsus est; sed tandem Principes cœli eos fecit. Id quod etiamnum omnibus servis suis facit & spiritualem hunc ludum cum ipsis ludit. Omnes enim qui ad gloriam contendimus, interrogat: *potestis bibere calicem, &c.* omnibus eum propinat. Sed illud est dolendum, quod tam pauci reperiantur adeo animosi, ut cum Joanne & Jacobo respondeant & dicant: *possumus.* Plures tergiversantur, horrent, excusant. Qui certo sibi persuadeant, se à vero Josepho Christo nequaquam amicè excipiendos & neque ad dexteram ejus, neque ad sinistram collocandos. Audiamus igitur qualiter se excusent, & contra replicemus.

B. I. *Putant sibi non deberi.*

Primo. Alii recusant calicem tribulationis, quia putant sibi eum non deberi, nec se commeruisse ut ebibant. Sed mirum est, quod hoc ausint dicere. Solent aliquando convivantes pro pœna statuere, ut qui v.g. pileum deponit versus socium, calicem vini ebibat. Tunc forte unus illorum sui oblitus, pileum aliquantum levat, etsi non omnino deponit. Conclamatur ut bibat, alter renuit, quia non omninò deposuisset: sed replicant socii, jam attentasse eum deponere; & bibere cogitur. Ad hunc modum statuta est lex à Deo, ut ordinariè quidem, tantum is, qui peccat, adeoque cultum exhibet creaturæ, quem Creatori exhibere debebat; pro pœna calicem tribulationis ebibat. Sic enim Genes. 4. statuit Deus, cum ad Cain ait: *Nonne si bene egeris, recipies: Sin à malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* id est, peccati pœna. Quicunque ergo peccaverit, debet bibere. Quis autem non deponit aliquando pileum & peccat? Sed quid si aliquis dicat, se non deposuisse pileum, i.e. non peccasse? Respondeo mirum esse, quod quis se prorsus innocentem putet, nec quidquam commisisse præsenti calamitate dignum. Audi potius Moysen, qui dixit ad Deum, Exod. 34. *Nullus apud te per se innocens est.* Heb. habetur *Naka*, quod significat iñocentem esse, & impunitum esse. q. d. nullus apud te innocens, & consequenter impunitus erit. Addit vero, per se: quia tametsi à Dei gratia præservêris à peccato, quēadmodum Beata Virgo à peccato originali, id tamen Dei gratiæ, non tibi debes adscribere. Itaq; licet pileum non omnino deposueris, attentasti sæpius tamen, & nisi Deus impedisset, deposuisses: ac proinde ex hoc capite teneris acceptare calicē tribulationis. Deinde ex alio capite: quia nimirum Christus eum tibi propinavit tanquam utilem & necessariam potionem. Quid commeruit Christus, ut tam amarum ebiberet calicem? nihil prorsus. Quando ergo eum tibi propinavit, ut pro modulo tuo respondeas, juxta id 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; propter te hoc fecit, quia te vidit potione hac egere. Quanta hæc medici nostri bonitas, ut potionem ipse bibat sibi non necessariam, tantum ut nobis eam persuadeat? Ad hæc quid refert num merueris culpa tua hunc calicem, sive nō merueris?

An non aliqui convivantium ultro interdum deponunt pileum, ut bibere possint? vel bibunt aliis ex poculis, etiam non coacti? Similiter an non merueris, quam bibere ex merito? Num tu in cruce latronis pendere malles, quam in Cruce Christi: Consoletur te conscientiæ bonæ testimonium, à quo solatium petebat Socrates, quando innocens condemnatus & venenum bibiturus, ploranti uxori dicentique: *Mi Vir, innocens morieris?* respondit: *Quid? num me nocentem malles mori?* Ergo *& tu è duobus elige quod velis*, inquit S. Hieron. in epist. ad Blesillam; *Aut sancta es: & probaris; aut peccatrix, & injustè quereris, minora sustinens, quam merearis.*

C. II. *Sibi solis exhauriendum.*

Secundo. Alii recusant, quia existimant sibi soli exhauriendum. Sed falluntur. Omnes enim tangit illa sententia, Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hujus enim sententiæ vinculo*, inquit Cyprian. l. de bono patientiæ, *colligati omnes & constricti sumus, donec expuncta morte de isto sæculo recedamus.* Et rursum: *Unusquisque nostrum cum nascitur & hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit à lachrymis, &c.* Quinam enim putas calicem hunc non bibunt? num Reges & Principes? Atqui Antigon. Rex filio dicebat: *An ignoras regiam, splendidam esse servitutem?* Et: *Si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, ne humi quidem jacens tolleret.* Num divites? Atqui divitiæ à Domino spinæ vocantur, quia scilicet pungant innumeris curarum aculeis & animum exulcerant: & ut rosæ spinis, sic divites insidiis, detractionibus, calumniis, &c. obsidentur. Num sceleratos & cupiditatibus suis obsequentes? Atqui etiam voluptates à Domino *Spinæ* vocantur, quia conscientiam perpetuo pungunt; *inter omnes tribulationes humanæ animæ*, inquit August. in Psal. 45. *nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum.* Et hanc nunquam effugiunt flagitiosi; quia undique secum circumferunt, & vermem intus, rodentem alunt, ut pomum, licet extra non appareat. Num eos, qui extincto conscientiæ verme nihil amplius sentiunt? Atqui illi calicem tribulationis etiam bibunt, tametsi ebriorum instar amarorem ejus modo non sentiunt. Sentient enim aliquando cum crapulam edormierint: sed sero nimis, & tunc vermis eorum non morietur. Etsi modo in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, flagellabuntur ibi cum dæmonibus, ut S. Bern. ait. Num justos & sanctos? atqui nec isti calice suo carent. Omnes Christi Discipuli calicem passionis biberunt, licet amici ejus intimi essent. Sed habent illum lucri & emolumenti plenum. Quod si ita est, inquis, quî fit, ut quandoque nihil pati videantur, sed semper læti appareant? Respond. primo quia prudentes sunt & vere patientes, dissimulare norunt ac premere animi ægritudinem, sicut Aod Jud. 3. qui utraque manu pro dextera utebatur. Ita illi adversis utuntur ut prosperis, utrobique constantes & infracti: quare hoc merentur, ut Deus subinde recreet eos consolationibus. Deinde non tuo more se solos credunt miseros, sed alios quoque meditantur malis exerceri, proinde ut Demosthenes, quo facile ferret perorando Auditorum strepitus, quandoque declamabat circa littus maris. Vident se ubique habere malorum socios & ajunt: Mecum Abel occiditur à fratre, mecum Loth vexatur à civibus, mecum Agar ejicitur à domina, mecum Jacob patitur famem, mecum Ezechias ægrotat ad mortem, visu orbatur Tobias, Job filiis & bonis, exulat Helias, secatur Isaias, in mare præcipitatur Jonas, lapidatur Stephanus, decollatur Baptista. Mecum liberos non suscipit Alexand. Magnus, mecum degeneres patitur Adam, Noë, David, &c. Imo mecum etiam Christus ipse calicem hunc exhausit: *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* Luc. ult. Quando ergo omnes quotquot in mensa hujus mundi sederunt, hunc calicem ebibere debuerunt: & ebibent quotquot sedebunt: quid tu tergiversaris? Audi Jerem. cap. 49. *Hæc dicit Dominus*, inquit: *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent* (id est, certissime bibent) *& tu quasi innocens relinqueris?* Bibit Paulus, bibit Petrus, bibit Baptista, bibit sub Cruce Deipara, bibit ipse Christus: tu non bibes?

D. III. *Nimis est amarum.*

Tertio, Alii nolunt bibere, quia nimis fortis vel amarus eis videtur & magis multo, quam sit calix aliorum. Sed & hi falluntur & hoc ideo sibi persuadent, qui non illorum calicem, sed suum tantum degustant, non permutaturi sane, si alienum etiam degustassent. Quemadmodum qui aliquo vehementi dolore, v.g. dentium aut oculorum anguntur, nullum existimant in mundo tanta pati. Nihil majus tibi perire potest, quam divina gratia, quæ nihilominus ad ostium stat & pulsat, parata intrare, si ostium ei aperueris.

Amissam vitam, valetudinem, Uxorem, liberos, amicos, membra, visum, possessiones, &c. Deus tibi restituet in æternum vel melius communit. Palam hoc profitebatur & inde se consolabatur adolescens ille fortissimus, qui in Martyrio ad Antiochum dicebat, linguam ad amputandum cito proferens, & manus extendens: *E cœlo ista possideo, sed propter DEI leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*, 2. Machab. 7. Quanquam & in vita sæpe restituit ista Deus cum fœnore; quemadmodum S. Jobo. Quæ tibi non sufficiant; cogita Christum calicem longe amariorem & fortioris vini propter te exhausisse, qui si tibi infunderetur, melleum diceres tuum. Quid non mœroris & horroris in illo calice erat? Sanè ejus solo aspectu concussus Dominus, sanguinem sudavit. Et tamen post triduum ei omnia abunde restituta sunt. Hunc igitur si cõtempseris, dices: Magna ô Domine, fuit,

fuit, ſicut Mare contritio tua: Mihi vix guttam præbes.

Præterea quo amarior calix, eo indicium majoris Spiritus Sanctus roboris. Non enim erat Deus in bove & aſino, quod ipſe vetuit, id eſt, non idem onus imponit imbecillo & forti: vel ſi imponit, tanto plus addit roboris, ut ſuſtineri queat.

Denique quo amarior eò & ſalubrior, ſicut abſynthium, amarum quidem eſt, purgat tamen inteſtina, cum contrà bilem augeat mel dulce. Quare *omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiā operatur: patientia autem opus perfectum habeat*; ait S. Jacobus in ep. ſua cap. 1.

E. IV. *Nimis magnum.*

Quarto. Alii dum bibunt, tandem pertæſi fiunt, quod nimirum ſi capax, & fundo ſeu ſine carere videatur eorum calix. Sed facit ſola impatientia, ut perenne videatur malum quodcunque paulo eſt diuturnius. Sane ut velles ac conareris non poſſes in hac vita ſemper eſſe miſer, ubi inter nubilos aliquis ſemper ſerenus intermicat dies. Novit Deus Medicus tuus optimus, quanti temporis cura tibi debeatur, & poſtmodum te reviſet ac ſublevabit, ut ergo animæ in purgatorio, infirmi in cura vel thermis tempus præſtitutum à Medico patienter explent, quia hoc ad ſanitatem eorum neceſſarium indicarit medicus: quanto magis hoc expectandum Deo Medico animarum certiſſimo? Ipſe numerat dies curæ noſtræ, ſicut Chriſtus numeravit dies toleratæ famis ſequentium ſe ad deſertum: *Ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Et licet tota vita noſtra dutaret calix tribulationis; quid tum? Nonne etiam Chriſtus tota vitā ſua calicem paſsionis ſuæ bibit? Nonne cum ter Patrem rogaſſet ut auferretur ab eo, nihil tamen impetravit.

Tota Chriſti vita Crux fuit & amara potio, quia ſemper ante oculos ejus verſabatur ille calix, quem bibiturus erat: ſemper à longe aſpexit ſuam Crucem. Unde in vita toties ejus mentionem fecit, ut in hodier. Evangel. & paulò ante; *Ecce aſcendimus Jeroſolymam & filius hominis tradetur*, &c. & alibi. *Baptiſmo habeo baptizari, &c.* Quæ autem tibi foret mens, ſi tu prævideres certo te tandem in crucē eſſe agendum? Nam aliquando vere lætari aut ridere poſſes? Nam quod dicitur: *jacula prævisa minus feriunt*, de illis verum tantum eſt, quæ vel ex toto vel ſaltem ex parte evitari poſſunt. Sciebat autem Chriſtum crucem ſibi inevitabilem, unde tanto plus anguſtiabatur.

Deinde licèt tota vita ad fundum tui calicis non pervenires: quid vita præſens, reſpectu æternæ, niſi forte dies una? Unde cogita tibi cum latrone dici, Luc. 23. *Hodie me eum eris in paradiſo.* Compara etiam calicem hujus vitæ cum calice damnatorum, & minimum eſſe reperies, quia ibi divinæ juſtitiæ *calix in manu Domini vini meri* (id eſt, pœnarum ſine ſolatio) *plenus mixto* [id eſt, variorum generum] *Et inclinavit ex hoc in hoc* (id eſt, de tormento uno ad aliud transfert damnatos) *verumtamen fex ejus non eſt exinanita.* Imo compara eum tantum cum calice purgatorii, & invenies valde exiguum.

Cantipratanus lib. 2. de apibus, refert de ægro quodam, qui integrum annum affixus lecto jacebat, pertæſus itaque cum multis lachrymis orabat ut Deus tolleret eum de mundo. Unde apparuit ei Angelus dicens: *exaudivit Deus orationem tuam. Duorum tibi optio datur, ut poſt unius adhuc anni morbum recta ad cœlum evoles, vel poſt tridui purgatorium.* Æger tridui tantum tempus expendens & cum anno componens, non vero pœnas utriuſque afflictionis, tridunm elegit, præ annuo lecto, Obiit ergo & ad purgatorium delatus, ubi poſt unum diem Angelus ad eum reverſus rogavit, quomodo haberet. Ille, *ô Impoſtor*, reſpondit, *non Angele, triduum mihi pollicitus, & jam fere centum anni ſunt.* Reſpondit Angelus: *unum hic diem moratus es, nam necdum tumulatum eſt corpus tuum: pœnarum gravitas tempora tibi extendit. Quare jam ſecundum elige aut quod reſtat biduum, aut annuum decubitum.* Ad hoc alter: *Ad extremum uſque judicii diem malo morbo quam hic uno adhuc die doloribus affligi.* Atque ita revixit & narrans, quæ ſibi acciderant, multos ad pœnitentiam perduxit. Lapſo anno iterum mortuus ad cœlum abiit.

F. V. *Nam propinari à quibus deberet.*

Quinto. Alii recuſant, quia à certis perſonis eis propinatur, à quibus acceptare enim nolunt. Sed ſcire debent iſti originaliter propinari ſibi calicem à Deo licet non ſemper per ipſum, ſed multoties per alios exhibeant. Quando ergo tibi Princeps poculū propinaret, quid refert utrum ipſe immediate, an per alium tibi id traderet? an tu reſpuere velles, ſi internuntio qualicunque tandem ille uteretur, non arbitror. Atqui Amos dixit cap. 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecrit Dominus?* Calicem igitur tribulationis, ut à manu Dei ſuſcipe, non ut à manu internuntii. Sic enim & ſuum ſuſcepit à Patre Chriſtus. Amici te perſequuntur? Chriſtus etiam à Diſcipulo traditus eſt. A ſervis moleſtaris? Chriſtus etiam per manus Angeli ſervi ſui ſe cohortantis, accepit calicem ſuum. Ab impiis & inimicis injuriaris? Et Chriſto impoſuere crucem impii ſcelerati & hoſtes. Ab ipſo dæmone ejuſque caterva damnum accipis? Et etiam dæmon inſtigavit Judæos, ut Chriſtum occiderēt: & ut gravius torquerent, nova excogitavit & inſpiravit tormentorum genera. Bene ſciebat Job à dæmone ſibi illata eſſe damna: non tamen unquam dixit: Diabolus hoc abſtulit; ſed *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Similiter & Petro Chriſtus dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. 18. Non dixit: calicem quem dedit mihi Judas, vel Pilctus, vel Seniores & Pontifices, probe ſciens, hos omnes non eſſe aliud, niſi veluti pincernas & pocillatores, qui calicem ipſi porrige-

rigerent, & quod ipsi ex livore facerent, *Pater æternus* ad remedium ordinaret generis humani.

G. VI *Esse novũ & insperatum.*

Sexto. Alii recusant, quia novus & insperatus eis obvenit calix, sicut interdum convivia alia cogitans, derepente reperit ante se calicem, nesciens à quo & propinatus & oblatus sit, ideoque respuere eum conatur; sed nihil proficit, attendere debebat, & poculum aliquod semper sperare, quia in compotationibus nemo diu vacare à poculo solet. Similiter nemo miretur, si insperata eum reperit tribulatio. Sedemus enim in valle lachrymarum, & in mensa tribulationum, ubi nihil certius & citius occurrere solet, quam tribulatio. Semper enim prosperis succedunt adversa & è contra. Quod advertit Philippus Macedo, qui cum audisset tria sibi feliciter eodem die contigisse: se quadrigis vicisse Olympia, *P*armenionem exercitus Ducem bello fregisse Dardanes, natum sibi ex Olympia Uxore masculum; sublatis ad cœlum manibus: O *dæmon*, inquit, *mediocri hæc aliqua repende clade.* Plut. l. de consol. Similiter expecta & tu venientia & undique te observantia infortunia.

Dicito ergo cum Davide. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutis accipiam & nomen Domini invocabo.* Id est, calicem tribulationis salutiferum accipiam, & ut eum exhaurire queam, *nomen Domini invocabo*, Psal. 115.

CONCIO VI.

DOCUMENTA.

I. Voluntas propria fugienda.
II. Honores non ambiendi.
III. Honorum candidati examinandi.
IV. Non promovendi propinqui.

THEMA.

Accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ejus, Matth. 20.

A

Leonis I. Imp. dictum celebratur: *Quemadmodum sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil impertit, caloris, sic princeps debet eos dignari sua misericordia quos contuetur.* Fecit sane hoc Princeps noster Christus, qui cum esset lux mundi, omnibus ad se accedentibus gratiæ suæ calorem, & lumen intelligentiæ liberalissimè impertivit. Accessit ante paucos dies ad eum Magdalena, & calorem gratiæ ab eo reportavit: Accessit in hodierno Evangelio mater filiorum Zebedæi, & lumine intellectus ab eodem illustrata est. Accedamus igitur & nos Auditores ad Solem mundi; scriptum est enim Psalm 33. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*, id est, non patientur repulsam.

B. I. *Voluntas propria fugienda*

Discimus Primo. Fugere & aversari propriam voluntatem, quia vult plerumque vel noxia sibi vel inutilia. Sed unde istud discimus? A filii Zebedæi, qui ut scribit S. Marcus cap. 10. his verbis proposuerunt Christo petitionem suam: *Magister volumus ut quodcunq; petierimus facias nobis.* Quibus Dominus: *Quid vultis ut faciam vobis.*

Propria voluntas est illa, quæ dicit: Volo Domine, ut facias mihi, quodcunque petiero: & cui respondet Dominus: Quid vis ut faciam tibi? Voluntas verò Deo resignata dicit cum Saulo: *Domine quid me vis facere?* Rectè vero propriæ voluntati respondetur: Nescis quid petas. Quid enim ea petit: nisi quæ sibi noxia sunt? Dum enim conatur satisfacere propriis motibus, semetipsam perimit, & gehennam sibi in altero sæculo accendit. Marius unus è 30. Tyrannis, qui imperium invaserant, uno die factus est Imperator, altero imperavit, tertio interemptus est à gregario milite, qui adoriens eum sica, dicebat: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Marius enim ad imperium è Cultrarii officina pervenerat, & illius militis opera in fabrili opere usus fuerat. Trebellius Pollio, de 30. Tyrannis. Ergo dum hic imperium sibi rapuit, revera gladium sibi ipsi cudit. Idem facit propria voluntas, suo se gladio jugulat, dum ea, quæ sibi & non quæ Deo placent, eligit & rapit. Unde merito audit, *Nescis quid petas:* Hic est gladius, quem ipse fecisti. Hoc voluisti, hoc petisti, quod tibi nunc in perniciem cedit. Imo S. Bernardus serm. 3. de Resurrectione Domini, nihil Deum odisse aut punire ait præter propriam voluntatem. *Cesset voluntas propria*, inquit, *& infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem:* Quæ sententia Bernardi per hunc Apologum bellè explicatur. Fertur aliquando fæx hominum, latronum, furum & similium ampla societas supplices libellos porrexisse Judicibus, quibus eos rogabat, ut furcas & patibula; rotas & theatra plectendorum, veluti rem fœdã, ante urbes, amolirentur vel everterent, parcendum esse oculis & naribus transeuntium viatorum. Quibus responsum à Magistratu: *Siquidem ipsi cupiant hæc supplicia amota, & morem plectendi abrogatum; prius ipsi abrogent furta & morem furandi ac latrocinandi: cessatura statim ea supplicia, ubi cessaverint ipsi sceleste agere.* Hic è furum medio unus audacior: *Venerabiles Domini*, inquit, *nos furtorum & rapinarum auctores minimè sumus: quod ergo nos non adinvenimus, non etiam abrogabimus. Benè est*, inquiunt Judices, *Neque nos, ô viri, patibula excogitavimus, quare nec abolebimus.* Primos nostros parentes in furto deprehensos scimus; hinc omnem scelerum origo; nec non pœnarum & inferni. Nos jam eorum posteri quoties lamentamur, quoties conquerimur puniri nos à DEO, & insuper in altero seculo metuimus infernum?

Quoties optamus, & quodammodo supplices Deo dicimus: Ut quid Domine parasti infernum? cur non è medio eum tollis? cur opus manuum tuarum eo punire vis? fædum & abominabile est hoc in Universo spectaculum. Respondet nobis Deus optimo jure: cessent peccata vestra, & cessabit gehenna. Sed nos iterum objicimus: Nos, ô Domine, scelerum primi auctores non sumus: peccavit dudum ante nos protoplastus & Diabolus. Respondet iterum Deus: Neque ego infernum primus adinveni, sed superbia & inobedientia aliaque scelera: quæ quamdiu stabunt, tamdiu stabit gehenna. Vultis autem scire modum aliquem extinguendi Orcum? audite præconem meum Bernardum: *Cesset voluntas propria & infernus non erit.*

Rationem porrò idem sanctus subjicit: *Primo namque*, ait *seipsam* (voluntas propria) *subtrahit & subducit ejus dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc, & quod in se est; omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere, sed utinā vel rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desæviret, Rectorem. Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quia quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem aut injustū esse aut insipientem* Hæc Bernardus.

Quid miremur ergò vel querimur infernum esse paratum propriæ voluntati? Tollat hanc in se unusquisque, & sustulit infernum vel saltem inferni sedem, sibi alioqui paratam. Sane Deus noster nihil magis, desiderat, quàm claudere infernum, sicut mater projicere in fornacem baculos & virgas, At si videat contumaces liberos nulla ratione quiescere & sibi acquiescere velle, depromit vel invita baculos & virgas ad plectendam contumaciam.

C. II. *Honores non ambiendi;*

Discimus Secundo. Non ambiendos honores & dignitates. Audimus enim dici discipulis ad honores aspirantibus: *Nescitis quid petatis.* M. Cicero de petit. Consul. narrat sibi consulatum petenti suggestum fuisse à Q. Cicerone, ut quotidie ferè ad forum descendens hoc ruminaret: *Novus sum; consolatum peto: Roma est.* Tria hoc cogitet etiam Christianus, qui vel ad hujus sæculi vel ad cœli honores aspirat.

Primum. *Novus sum*, in solo, non in sole natus; plebejus sum, juvenis & imperitus, meipsum regere nescio: & alios regere volo, nobilibus, veteranis, eruditis imperare? terra sum & cœlum peto?

Secundum. *Consulatum peto*; dignitatem arduam, onerosam, laboriosam, periculosam, invidiosam peto? honores & rumusculos hominum vanos, mendaces & momentaneos peto? Cœlum & gloriam æternam peto, in qua cum Deo æternum regnem?

Tertium. *Roma est*: civis Romanus & vir fortis ac magnorum meritorum esse debet, qui Episcopatum; qui Consulatum; qui cœlum, quod vim patitur & à violentis tantum rapitur, ambit. Multi in hac mundi Urbe sunt, te longè meliores, sapientiores, digniores; habebis multos æmulos, multos obtrectatores, Deum denique severum Judicem, si indignus dignitatem ambieris, indigne obieris. Hoc ergo Christi verbo instructi viri sancti tanto conatu fugerunt honores, quanto eos alii quærere solent. Talis S. Ambrosius, qui populi voce Mediolanensis Episcopus postulatus, noctu aufugit ex Urbe, imo adulterum & sanguinarium se simulavit, S. Augustinus, qui cognita sui Episcopi morte, & ipse aufugit ab Urbe. Idem serm. 25. ad fratres in Eremo scribit: *Usque adeo timebam Episcopatum, ut (quoniam cœperat jam alicujus esse momenti inter servos Dei fama mea) in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, caverem: & hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alio periclitarer.* Sanctus Gregorius, qui electus in pontificem, non tantum fugit, sed etiam ad Mauritium Imperator. scripsit, rogans, ne consentiret suæ electioni. Sanctus Chrysostomus Episcopatum metuens in solitudinem secessit. Sanctus Martinus, teste Sulpicio, ne Diaconatum quidem suscipere voluit, nedum Episcopatum, nisi coactus. Sanctus Malachias, ut in ejus vita scribit S. Bernardus, nisi Episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non acceptasset Episcopatum.

Sanctus Ammon Monachus aurem sibi præcidit ne fieret Episcopus; quem tamen nihilominus in Episcopum ordinavit Timotheus Episcopus Alexandrinus, dicebat enim: *Ego si dederitis mihi aliquem etiam manibus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo Episcopum facere.* Pallad. in Lausiac. capite 22. Nilammon Monachus in Geris vitam in domuncula lapidibus obserata ducens, mortem à Deo petiit, & impetravit ne illius urbis Episcopus fieret. Cum enim à sancto Theophilo Episcopo Alexandrino, & populo urbis ad hoc urgeretur isque sæpius recusaret, re dilata in crastinum, & Theophilo petente ut fores aperiret: *Oremus primum*, inquit ille; & inter orandum vita functus est. Sozomenus apud Baron. Anno 403.

Eandem mortem obtinuit à Deo S. Goat, cum à Sige-

à Sigeberto Francorum Rege poſtulatus eſſet Trevirorum Epiſcopus. Ut in ejus vita. Idem ſuo modo dicendum de Sacerdotio, quod diximus de Epiſcopatu. Bene enim dixit Leo Imperat. lib. 31. cap. de Epiſc. & Cleric. *Indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.*

D. III. *Honorum Canoitaſi examinandi.*

Dicimus Tertio. Honorum candidatos, præſertim Eccleſiaſticorum, priusquam promoveantur, bene examinandos eſſe, an digni ſint & apti, juxta exemplum Chriſti filios Zebedæi ita examinantis: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo, quo ego baptizor baptizari?*

Bene ergo de Chriſto prophetavit Malachias c. 3. *Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum; & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.*

Hoc enim facit Chriſtus in Eccleſia per ſedulos Epiſcopus qui non niſi poſt exactum examen dignos ordinant. Quemadmodum ergo aurifabri purgant aurum & argentum, à ſcoria; & quemadmodum colatur liquor pretioſus per ſubtile linteolum: ita purgandi & colandi ſunt, qui Sacerdotium ambiunt.

Viderint hic inprimis Epiſcopi, qui hujuſmodi aurifabri & percolatores ſunt, ut aureos & argenteos, non ſtanneos Sacerdotes ordinent & populo præficiant, ne audiatur id Sancti Bonifacii, Germaniæ Apoſtoli, verbum: *Olim Sacerdotes aurei celebrabant in calicibus ligneis, nunc lignei Sacerdotes celebrãt in calicibus aureis.* Ut in ejus vita. Sane ſicut principibus maledicit populus, ſi cupream monetam pro argentea cudant: ita multo magis iraſci poteſt Epiſcopis, ſi ligneos Sacerdotes pro argenteis accipiat. Hinc timuit ſibi Amos, cum ex Abbate in Patriarcham Hieroſolymitanum ordinaretur, Inter alia enim dicebat: *Plusquam cætera timeo ordinationis Sarcinam: Nam inveni ſcriptum, quia beatus & angelis æqualis Leo Papa quadraginta dies perſeveravit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri, vigiliis & orationibus inſiſtens petenſque ab Apoſtolo, pro ſe apud Deum intercederet? Ut dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletis 40. diebus apparuit ei Apoſtolus Petrus, dicens ei: Oravi pro te & dimiſſa ſunt omnia peccata tua, præterquam impoſitionis manuum.* (intellige quoad pœnam, non quoad culpam) Baron. Anno 461. Hinc non niſi præcedente oratione & jejunio quatuor temporum ordinantur Sacerdotes. Hinc inſigniores viri cœleſti Dei ſuffragio ad Epiſcopale munus electi & demonſtrati ſunt: Matthias Apoſt. ſortibus, à DEO directis; Fabianus Papa per columbam in ejus caput deſcendentem, quemadmodum & S. Chryſoſtomus; S. Gregorius Papa indicio columbæ ſuper ſe pendentis; S. Remigius Epiſcopus Remenſis indicio radii cœleſti: S. Guntherus Epiſcopus Ratisbonenſis per ſomnium Ottoni Imperatori immiſſum, &c. Dicant ergo indignis Epiſcopi: Sedere ad dexteram vel ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Chriſto. Viderint deinde parentes, qui filios promotos volunt ad SS. ordines & dignitates, antequam vel ætatem vel alias requiſitas conditiones habent; volunt enim illi ſedere juxta Chriſtum filios ſuos, ſive ad dexteram ſive ad ſiniſtram; hoc eſt, non curantes, utrum in eo numero ſalvandi ſint vel damnandi; dummodo ipſi filios habeant; Chriſto propinquos, quos vocare poſſint Dominos, qui ſedeant & quieti vitam commodè agant, &c.

Viderint inquam, ne filios ſuos immolent. Idolo Moloch ſeu Igni; Dominus enim quaſi ignis conflans aliquando colabit eos in Judicio. Viderint denique filii ipſi, ne ambiant vel acceptent dignitatem ſibi indebitam vel ſuis viribus majorem. Ipſorum enim parentes modo aliquo excuſari poſſunt, quia non ſatis rem intelligunt, ipſi vero nequaquam. Quæ cauſa eſt. Cur Chriſtus non reſponderit in hodierno Evangelio matri poſtulanti, ſed filiis, quibus ipſa poſtulabat: *Neſcitis quid petatis.* Pauci hoc advertunt; ſed quacunque tandem ratione poſſunt, ad ordines & dignitates aſcendunt, dicentes: poſſumus bibere calicem; in ſacrificio Miſſæ; non attendentes ad illius calicis pretium & periculum: & quod calix ille indignis ſit calix judicii & vini indignationis iræ Domini Apocal. 16. Bibunt quidem aliqui calicem Domini manè in altari, ſed veſperè bibunt calicem Diaboli, ſeſe ingurgitando aut aliis ſordibus polluendo.

Quæſo quid Apoſtolus ait? 1. Corinth. 10. *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum,* inquit. Maledicta ergo potentia eſt, quæ hoc facere poteſt ſive audet.

E. IV. *Non promovendi propinqui.*

Decimo Quarto, beneficia Eccleſiaſtica non conferre vel procurare conſanguineis, ſed dignis. Conſanguinei Chriſti erant Joannes & Jacobus, à ſedibus tamen petitis illicò repulſi, niſi eas mererentur. Laudandus etiam hoc nomine Moyſes qui cum eſſet princeps populi ſæcularis & Sacerdotalis, neutram tamen poteſtatem reſignavit filiis ſuis, quos habebat, ſed principatum Joſue oriundo ex alia tribu, Ephraim ſcilicet; Sacerdotium Aaroni fratri dedit; idque *ut diſceremus*, ait Sanctus Hieronymus in capite 1. ad Titum, *has dignitates non ſanguini deferendas eſſe, ſed vitæ.* Et Origenes homil. 22. in Numer. *Nulla, inquit, hic populi acclamatio, nulla, propinquitatis habita contemplatio eſt. Et certe quid eſt aliud pontificatum dirigere ad familiam ditandam, quam rem tam ſacram tamque divinam omnino profanare & ad ſæcularem uſum adhibere, ut fecit Balthaſar ille in convivio? Quod quidem ſacrilegium magno luit, ſtatim & regno exutus & vita.* Sic ille. Exempla audiamuus:

Cœleſtinus V. ut narrat Alvarus, cum audiſſet fratris

fratris filium in Curiam venisse, ejici statim jussit; & cùm multis Cardinales deprecatores se interposuissent, multo labore ac precibus hoc ad summum impetrarunt, ut ei simplex ac tenue quoddam beneficium concederet, quo illo accepto, statim remissus est domum. Ita Alvarus lib. 2. de planctu Ecclesiast. cap. 15. & Hieronymus Platus de dignitate Cardinalium c. 25.

Nihil illustrius, quoad hanc rem Clemente IV. Summo pontifice, qui Anno M CC LXV, Ecclesiæ Pastor electus, hanc eandem constantiam mirabiliter tenuit. Sic enim memoriæ proditum est, eum duas habuisse filias ex legitimo matrimonio susceptas, & harum alteri, ut in monasterio collocaretur 30. libras Turonenses: alteri, ut nuberet, trecentas numerari jussisse, ea lege, ut æqualis conditionis viro nuberet. Quin etiam cum nepotem haberet, cui ipse nihil unquam dederat, sed Galliæ Antistes in gratiam Pontificis tres contulerat in eum canonicatus: multis deinde rogantibus, ut aliqua cum dignitate cohonestaret, non modo nunquam adduci potuit, ut id faceret, sed eum ultro compulit, ut ex tribus illis beneficiis unum quod mallet retineret, reliqua resignaret. Ita Platus ibidem. Qui plura volet videat Cor. in Num. cap. 27.

Discimus quinto, filiorum Zebedæi animum heroicum. Proposito enim sibi & quodammodo propinato calice passionis Christi, audacter responderunt: *Possumus*, q. d. nulla vitæ discrimina subire timemus, parati sumus adversa & amara quæque pro hac victoria exhaurire. Quod dicitis, ô fratres? Quid enim tu Joannes, quid ages cum Magister tuus à Judæis crucifigetur? num adstare poteris morienti, inter truculentos hostes? *Possum.* Quid si tibi calix virulentus propinetur, num amore Christi haurire eum poteris? *Possum.* Quid si in dolium ferventis olei à Domitiano demittaris, num hoc pati poteris? *possum.* Quid si in Insulam Pathmos relegeris, num & istud ferre poteris? *Possum*: Quid si inter Apostolos, postremus omnium mori & in vinea Domini tui omnium diutissimè debeas laborare, ficcinè Magistri tui absentiam & mercedem tibi debitam tamdiu præstolari poteris? *Possum.* Quid vero tu Jacobe? Quid si tibi in Hispaniam abeundum sit, hoccine iter facere poteris? *Possum.* Quid si ibi nullo aut permodico fructu facto, cogitaris iterum redire & Jerosolymam navigare? *Possum* & hoc. Quid si ibi te Herodes comprehendat & in gratiam Judæorum, primum omnium ex Apostolis necet, num gladio cervicem poteris subjicere? *Possum.* Quid si is, qui te accusavit & ad tribunal duxit, veniam à te petat, num ei veniam dare & osculum imprimere poteris? *Possum.* Videte Heroës, videre Boanerges & filios tonitrui. Felix es Hispania, quæ Jacobi corpore gaudes & præsidio. Huic enim Apostolo debet primordia fidei tuæ; huic debes illam victoriam, quam anno Domini 834. Duce Ramiro præeunte visibiliter exercitum ejus Jacobo, de Mauris & Saracenis obtinuisti, dum hostes omnes partim cæsi, partim capti, partim fugati sunt; huic debes, quod in fide semper usque in hodiernum constans perstitisti. Gloriatur Galliæ Rex titulo, Christianissimi, quod ita vocatus sit Carolus Martellus avus Caroli Magni à Gregorio Papa III. Gloriatur vicissim Hispaniæ Rex titulo Catholici, tum ob fidem ad Gentiles eorum opera propagatam, Reccaredi regis imprimis, qui ob causam dictam cognomen hoc in Concilio acclamatione Episcoporum tulerat; deinde Cinthilani regis, qui in Concilio Toletano IV. conspiravit cum Episcopis, ut nemo nisi Catholicus in regno toleretur, idque deinceps posteri reges servare promittant sub gravi anathemate Baron. Anno 639. & 738. denique regum Hispanorum qui elapso sæculo in ultimas terræ provincias fidem invexerunt, mittendo suis navigiis & sumptibus fidei præcones, qui barbaras gentes erudirent.

Felices etiam nos si Jacobi & Ioannis Heroicos imitemur Spiritus. Et vero hæc deberet esse tessera fidei nostræ contra hæreticos hujus temporis. *Possumus.* Nihil enim aut parum videntur posse hæretici. Quæramus ex iis aliqua. Potestisne credere Christum pro sua omnipotentia, vere & realiter esse in Eucharistia, tametsi non videtis? Respondebunt mox: *non possumus.* Potestis servare præcepta decalogi? *minime*, inquient, *possumus.* Potestis vos continere & servare virginitatem? *non possumus* ajunt. Potestis carnem vestram jejunio, cilicio vel flagello nonnihil castigare? absit hoc, *non possumus*, inquiunt. Potestis relicto sæculo, pauperem Christum sequi voluntaria paupertate, castitate, obedientia? *Non possumus.* Potestis amore Christi & Evangelii ad exteras nationes pergete & cũ discrimine vitæ gentibus prædicare? *Non possumus.* Potestis pro Evangelio vestro calicem passionis bibere? *Non possumus.* Nos vero cum Apostolis ad hæc omnia voce respondemus: *Possumus*: Tametsi enim hæc facere non est omnium, faciunt tamen è nobis plurimi. Quod si adhuc in multis virtutum exercitiis infirmi & impotentes sumus, colligamus vires & si interrogemur à Christo: Potestis una hora mecum vigilare in oratione? dicamus: *possumus.* Potestis singulis diebus sacro interesse? *possumus.* Potestis conscientiam vestram quotidie examinare? *Possumus.* Potestis in anno sæpius confiteri & communicare? *possumus.* Potestis injurias æquo animo ferre & inimicis benefacere? *possumus.* Potestis imperare vestris passionibus? *possumus.* &c. Hæc si possimus, Auditores; respondebit nobis Christus categorice: Sedere ad dexteram & sinistram meam meum est dare vobis, quia vobis paratum est à Patre meo.

CONCIO VII.

MYSTERIA.

I. Quomodo Jacobus & Joannes ausi petere primas sedes.
II. Quare Christus respondet discipulis, non matri?
III. Quomodo nesciebant quid peterent?
IV. Cur passio vocatur calix.
V. Quomodo Joannes bibit calicem?
VI. Quomodo dicit Christus non esse suum dare quod petitum.
VII. Cur & nos aliquando repulsam patimur?

THEMA.

Accessit ad Iesum Mater filiorum Zebedæi, Matth. 20.

A.

CHarissimi, aliud est audire vel legere Dei verbum, aliud intelligere. Ecce enim filii Zebedæi una cum Matre audierant à Christo Matth. 19. Sessuros se cum ipso super sedes duodecim, &c. rursum postea Christum dicentem: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, &c.* Hinc re malè intellecta putabant Christum regnaturum in Jerusalem regno temporali, & jam nunc instare tempus ejus reguli, quasi ideo nunc pergat in Jerusalem, ut regnum ibi capessat. Idcirco petentes gloriam mundanam, fœde decepti sunt, & jure à Christo reprehensi, quia nimirum, ut ait S. Lucas, *ipsi nihil horum intellexerunt.*

Ne ergo & nos fortasse decipiamur in verbi divini intellectu, non ipsi nos id interpretemur, sed Magistros & Doctores interpretes audiemus.

Quæstio Prima. Qua ratione Jacobus & Ioannes ausi sunt petere primas sedes? Respondetur primò secundum Lyranum, quia erant cognati Christi. Unde *per eos significantur ambitiosi,* ait Lyranus, *quæ habentes prælatum consanguineum volunt per hoc in Ecclesia præ cæteris promoveri.* Et D. Thomas Matth. 20. *Credebant,* inquit, *quod deberet eis dare, quia conjuncti ei erant secundum carnē, &c.* Dicebant enim Christo [secundum Marcum] *Volumus, ut quodcunque petierimus facias nobis.* En, quàm imperiosa est carnis cognatio: quam fortiter tentat & trahit hominem ad danda vel concedenda quæ non licent vel expediunt?

B. I. *Quomodo Iacobus & Ioannes ausi petere primas sedes.*

Secundo. Secundum Bedam, Chrysost. & alios, quia videbant se præ cæteris à Christo honorari ac diligi. Nimirum periculosa res est favor & gratia humana apud Magnates. Plerumque enim tales solent abuti eâ gratiâ, & nimium se inflare & exaltare, unde facile postea crepant & dejiciuntur. Exēplo est Lucifer in cœlo, Aman in aula Assueri, Plautianus in aula Severi Imp. qui ex humili fortuna in tantam amplitudinem elatus est, ut pene ipsum Imperatorem æquaret, in tantam gratiam apud ipsum, ut palam affirmaret Severus, non posse ullum malum á se Plautiano accidere: plurimis statuis honoratus anteambulones aliquot habebat, qui denuntiarent, ne quis in proximo consistere neve illum contueri auderet. Tandem à Severo interficitur & in viam projicitur, statuæ dejiciuntur, nomen abraditur, liberi relegantur, & tandem occiduntur, Baron. Anno 206. Simile fortunæ lusu ex humili loco in altum evectus Ablavius in aula Constantini Magni ut una cum Constantino filio Imperii Rector ab Imp. relictus fuerit, & penè Imperatore plus posset, sed mox dejectus in Bithynia exulare cogitur. Eò cum missi essent percussores, literas humiliter ei exhibuerunt ab Imp. Constantio honorarias, quibus ille perlectis, purpuram in literis oblatam magno fastu petiit. At illi foris stare ajunt, qui purpuram offerrent. Intromissi pro purpura necem illi purpuream intulerunt, & frustatim eum secuerunt ad instar pecudis. Volater. Baron. Anno 337.

G. II. *Quare Christus respondet discipulis non matri?*

Quæst. Secunda. Quare Christus respondet Discipulis, non matri petenti? Respondetur Primo ut, demonstret se novisse, quod filiorum instigatione mater petat, adeoque eos pellat & erubescere faciat, tanquam conscius consiliorum ipsorum. Sic cū David intellexisset Thecuiten à Ioab subornatam ipsa cœpit admirari sapientiam Regis dicens: *Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Multo magis hoc de Christo dicere poterant hic Ioannes & Iacobus, adeoque velut cordium cognitionem metuere.

Secundò. Quia ipsi gravius quam mater in proposito corrigendi erant. Ipsi enim per matrem sibi petebant honorem: Mater affectu materno non sibi, sed filiis. Ita sæpe numero liberi causa sunt parentibus vel occasio peccatorum, ideoque majori censurâ digni. Filii superbi, ambitiosi, prodigi, facinorosi, cogant sæpe parentes per fas & nefas conquirere pecunias, præbendas, dignitates, &c.

Tertio ut doceret cum mulieribus parce loquendum esse, Clericis præsertim, & sermonem quanto citius fieri potest, abrumpendum. Ita S. Augustin. si forte ab aliquibus fœminis, ut videretur & salutaretur, rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis, unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset. Possidon. in ejus vita, c. 26. Ita S. Xaverius mulieres adiri ajebat minori fructu, & majori periculo vel tentationis vel suscipionis sinistræ. Imo Concilium Carthaginense can. 25. decernit ne Episcopi, Presbyteri vel Clerici fœminas accedant, nisi adsint Clerici vel graves aliqui Christiani.

D. III. *Quomodo nesciebāt quid peterent?*

Quæst. Tertia, Quomodo fratres illi nesciebant quid peterent? Respondetur primo, quia forte terrenas tantum sedes & dignitates à Christo velut regnaturo in hoc mundo petebant, cum tamen ipsius

ipsius regnum non esset de hoc mundo. Simili ratione merito nobis respondet, cum neglectis bonis spiritualibus temporalia quærimus, noxia vel inutilia vel vilia. Et certè si hoc illi petierunt, merito illis responsum est; *nescitis quid petatis*, quãtum scilicet oneris, periculi, curarum, invidiæ, laborum, &c. Id cognovit ille Rex apud Val. Max. lib. 7. cap. 2. qui traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu consideravit & dixit: *O nobilem magis quam felicem pannum? quem si quis penitus cognoscat, quam multis solicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.*

Secundo. Quia cœlestes sedes petebant, nesciebant, quam magnum rem sua excedentem merita petebant. Dextera Christi Deiparæ debebatur, sinistra forsitan Joañi Baptistæ, aut Michaeli Archangelo, alterivè majoris meriti homini. Quare sicut puella duodennis petens vestem sororis adultæ merito audiret à matre: Nescis quid petas, quia vestis illa tibi nec congruit nec debetur: ita & hi Discipuli simile responsum acceperunt: quia gloria illa tam sublimis eis non congruebat.

Tertio. Quia finem ante media, quietem ante laborem, mercedem ante opera petebant. Volare ad cœlum volebant, antequam pennas haberent, metere antequam sererent. Unde respondet Christus: *potestis bibere Calicem, &c.* q. d. prius seminate & exerce te terram, postea metetis.

Deficiebat ergo in multis hæc petitio. Petebant affectu cognationis; petebant importunè & indiscretè: *Volumus ut quodcunque petierimus, facias nobis*? petebant vel rem vilem, & sibi noxiam, vel contra nimis magnam sibique non debitam; petebant obtinere non per media convenientia. Quod ipsum sæpissime nos facimus, ideoque nec mirum, si non audiamur.

E.
IV.
Cur passio vocatur calix?

Quæst. Quarta. Quare Christi passionem suam vocet calicem, & secundum Marcum etiam Baptismum? Respond. poculum seu calicem vocare primo, quia erat amara, sed salutifera potio: Ea vero portio cum nobis periculosissime ægrotantibus deberetur, nauseam verò pareret, sumpta est à Christo veluti nutrice nostra, ut sic ex ipso lac Sacramentorum sugeremus in remedium nostrum.

Secundo, quia brevi tempore Christus eum exhausit & ebibit. Unde dicitur 109. Psal. *de torrente in via bibet.*.

Tertio. Quia libentissime & cum desiderio eum Christus ebibit, quasi sitibundus haustum. Unde dicebat? *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, Luc. 22. Et *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, &c.* Luc. 12. Hoc amoris calice inebriatus est velut Noe, ut nostri causa nudari non metueret & illud

Baptismum vocavit, quia in passione sanguine tinctus & quodammodo lotus fuit, juxta id: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, Gen. 49.

Baptismus extra hominem abluit, calix intus afficit: ita passio Domini partim externa, partim interna fuit.

F.
V.
Quomodo Ioannes bibit cal cẽ.

Quæst. Quinta. Quomodo Joannes calicem passionis bibit, & baptismo Christi Baptizatus est? Respondetur bibisse, quando in dolium ferventis olei à Domitiano immissus & demersus fuit, & incolumis imò vegetior inde exiens, in Pathmon Insulam relegatus.

Deinde cum Christo pendenti in Cruce adstitit, particeps dolorum ejus.

Denique cum pro Dei gloria, & proximorum salute poculum venenatum exhausit sine damno.

G.
VI.
Quomodo dicit Christus non esse suum dare quod petitum?

Quæst. Sexta. Quomodo dicit, *sedere ad dexteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo?* Respond. non ait Christus suum non esse, dare sedes, imo hoc affirmat: sed suum non esse, dare eas Joanni & Jacobo, quod nimirum iis deessent ea merita, quæ ad has sedes primas requirebantur. Ad hunc modum si Ludimoderator proponat præmium optime scripturis: Et duo ejus amicissimi Discipuli venirent cupientes sibi donari præmium illud, merito audirent: Non est meum id dare vobis, quia obtuli & proposui non vobis, sed optimam scriptionem allaturis, &c. Quare sicut in Comœdia, non qui nobilem personam egit, laudatur sed qui suam bene egit qualemcunque tandem, ita regnum cœlorum non datur personis, sed virtutibus. Nec magnus jam apud Deum est S. Jacobus, quia fuit Apostolus, sed quia Apostoli personam bene & cum laude egit. Is enim tam forti animo martyrium subiit: ut qui duxerat eum ad tribunal, inde mox conversus sit. Rursum cum is veniam ab eo peteret, osculum illi dedit, dicens; *Pax tibi sit*, &c.

H.
VII.
Cur & nos aliquando repulsam patimur.

Quæst. Septima. Cur etiam nos, qui panem nostrum quotidianum quotidie à Deo petimus, quandoque repulsam patimur, cum videlicet fruges damna patiuntur? Resp.

Primo. Ut ne industriæ nostræ aut naturæ necessitati, sed De benignitati frugum ubertatem adscribamus, adeoque ipsi dicamus illud Psalm. 103. *Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore, Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: auferente autem te faciem turbabuntur.* In Actis Apost. cap. 11. legimus prædictam esse famem futuram in universo orbe. Quæ quia tempore Claudii Imperatoris, qui tunc per biennium successor erat Caji Caligulæ, accidit, verisimile est ea voluisse Deum punire recentem Idololatriam Caji Cæsaris, qui eo dementiæ venerat, ut ubique vel ut Deus voluerit adorari, adeo ut nec Jovi cederet cujus statuam commutari in suam voluit, teste Suet. in ejus vita cap. 22. & Dione l. 56. Qui & addunt templa ei erecta, in quibus exquisitissimæ hostiæ, pavones, phasiani & similia sacrifi-

crificarentur. Quin & à Iudæis adorari voluit in imagine, quam poni jussit in templo Ierosolymitano. Ex ea igitur fame homines didicerunt, vel certe discere debuerunt, panem vinumque non dari à Cajo, sed à Deo: qui proinde solus ad hoc invocandus & colendus sit. Scribit etiam Rob. Holcot. in lib. Sapientiæ. Deum in Noofortia Britannica Provincia, cum aridæ jam essent fruges & ad metendum aptę, numerosum locustarum immisisse exercitum, qui ita segetem omnem depastus est, ut ne granum superesset; additque comprehensas earum aliquas intra alas scripturam hanc habuisse. Ira Dei. Nimirum ostendere voluit Deus, ipsius esse dare fruges & panem quotidianum: sine ipso frustra expectari, tametsi jam præ manibus sit.

Secundo. Propter peccata nostra. Ita enim Ezechielis c.16. postquam varia populi peccata recensita essent, subdit Dominus: *Ecce ego ostendam manum meam super te, & auferam justificationem tuam*, pro quo alii transferunt: *Diminuam statutum cibum tibi.* Nimirum sicut equo indomito pabulum minuitur, ut mitescat: ita nostram rebellionem fame castigat Deus. Scimus ex lib. 2. Reg. c.14. Absolonem, postquam sæpius, frustra tamen, ad se vocasset Ioabum, tandem misisse servos suos, qui segetem ejus incenderent sicque obtinuisse, ut veniret ad se Ioab. Quid mirum, si & nos Deus multoties ad se, frustra tamen, vocatos, simili plaga venire compellat.

Tertio. Quia fortè non damus Deo, quæ Dei sunt: quid mirum si neget nobis nostra? Sanè quia Iudæi subtraxerunt Deo victimas & decimas, ait illis per Amos. c.4. *Unde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, & indigentiam Panum, &c.* q. d. quia me in sacerdotibus meis privatis cibo & sacrificiis, privabo & vos pane vestro, ita ut dentes vestri obstupescant præ fame. Adhæc instituta sunt ab Ecclesia jejunia quatuor temporum frumenti, vini & olei gratia juxta prophetiam Zach. 8. ut jejuniis illis sacrificemus quodammodo carnem nostram simulque impetremus frugum omnium proventum. At si istud sacrificium Deo non reddimus: non mirum, si quæ nostra sunt, non accipiamus. Certe servos nostros, si non exacte nobis serviant præstentq; obsequia debita, punimus fame, verbere & carcere: nostram vero negligentiam impunè à Deo ferri volumus?

Quartò. Denique per has clades probare vult nos Deus, utrum in ipso confidere possimus, quod etiam in rerum penuria & annonæ caritate possit nos sustentare. &c.

IN FESTO SANCTÆ ANNÆ.

CONCIONES.

I. Virtutes S. Annæ gemmis expressa.
II. Parentum exemplar S. Anna.
III. Signa inhabitantis gratiæ in homine.
IV. Quis modus servandus in utraq; fortuna.

CONCIO I.

VIRTUTES S. ANNÆ GEMMIS expressæ.

I. Jaspis Magnanimitatis.
II. Hyacinthus conformitatis cum Deo.
III. Chrysolythus studii orationis.
IV. Chrysoprasus Liberalitatis.
V. Saphirus Sanctitatis & amoris rerum cœlestium.
V. Smaragdus bonæ liberorum educationis.

THEMA.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, Matth. 13.

Corona gemmea debita B. Anna.

Nihil ferè communius quam mittere ac donare corollas in die alicujus natalitio. Hodie celebramus natalem Sanct. Annæ; jure igitur merito coronam ei damus capitique ejus imponimus. Verum quia variæ sunt corollæ, ex floribus, auro, gemmis qualem S. Annæ dabimus? Olim qui coronas aliquas in vita meruissent, iis & mortui condecorabantur, permissu legis 12. tabularum, uti factum in funere Scipionis memorat Plin. l.21. c.3. Nos igitur qua B. Annam corona condecorabimus, nisi, quam ipsa meruit sibique comparavit, dum viveret è gemmis & margaritis? Ipsa enim velut sapiēs negotiatrix quæsivit & coëmit non unam sed complures easque pretiosas virtutum margaritas, è qui-

quibus nunc ei sertum contexemus & debiti honoris gratia imponemus.

I. *Jaspis magnanimitatis.* I. Gemmam primam voco Jaspidem quæ ostendit nobis magnanimitatem S. Annæ, in humili & paupere statu, in quo degebat, tametsi è regia Davidis domo oriunda. Jaspis enim gemma virens & firmissima est, in argento virtuosior quam in auro, ut refert Barth. Angl. l. 16. propriet. cap. 53. Vincent. in spec. nat. l. 8. cap. 77. qui ait: *Virtus est in argento.* Nobilissima de familia fuit S. Anna, sed una cum familia in humilem & plebejam conditionem dejecta est, ubi tamen virtutibus clarius eluxit, quàm omnes Reginæ, quæ in stirpe David olim fuerunt. Illæ in auro dignitatis & abundantiæ obscuræ fuerunt: Anna in argento paupertatis, vel certè mediocritatis splendidissima, toti orbi conspicua. Non potuit hoc Satan sibi persuadere, ut dejectus è fælici in adversum statum Deo benediceret; Idcircò petiit Jobum è supremo loco devolvi in imum, sperans illum haud dubie à Deo avertendum. Verum deceptus fuit, & Jobus in sterquilinio Deum glorificans, magis resplenduit, quam priùs in senatu & rerum copia; adeò ut Deus in Jobo tanquam victore gloriaretur adversus Dæmonem: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus!* Planè rectus, qui etiam in adversa fortuna rectam & ad Deum erectam tenuit mentem, nec ab æquo vel latum unguem deflexit. Non passim occurrunt gemmæ tales: nam *tange cuncta, quæ possidet,* inquit Dæmon ad Deum, *nisi in faciem benedixerit tibi,* hoc est, mox valedicet tibi, quasi diceret: *Tange montes & fumigabunt.* Psal. 143. Plerique enim magna adversitate tacti, dejiciuntur animo, murmurant, indignantur, blasphemant, desperant. Non ita Job. Non ita S. Anna, quæ etiam in humilem & pauperem dejecta statum Deum strenuè colebat ac laudabat, sicut acanthis in spinis cantans, & regulus in hyemali frigore. Annam secuta est S. Elisabetha, quæ ex filia Regis & principatu Thuringiæ in privatum ac plebejum devoluta statum, ejecta ex aula (procerum injuria & vili in domo habitans, labore manuum victitabat, eoque in statu longè clarius emicabat virtutum splendore, quàm prius in aula, magis gaudens de paupertate, quam de opibus. Has Jaspides imitemur nos, tam recti & erecti ad Deum in calamitate, quam in prosperitate, juxta id Abac. 3. *Ficus non florebit* (hoc est, etiamsi ficus non floruerit) *& non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ & arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo.*

II. *Hyacinthus conformitatis cum Deo.* II. Secundam dico Hyacinthum, quæ est conformitas voluntatis cum Deo. Etenim hyacinthus (qualis olim fuisse describitur ab antiquis authoribus: nunc enim melleus ostenditur) cœli sereni colorem refert, ejusque variationem sequitur, sereno serenus & hilaris: fusco obscurus & quasi mœrens ac marcescens. Hac ratione S. Anna conformem se exhibuit voluntati divinæ ac cœlesti. Nam inprimis sterilis erat, teste D. Damasceno in orat. de Mariæ Nativit. & orat. de ejusdem dormit. per multos annos, quod apud Hebræos probrum erat, interim tamen *omni virtutum genere florebat,* ait Damascenus ibi, Post 50. annorum sterilitatem (ut habet auctor lib. de ortu Virg.) exaudita, prolem suscepit, sed præter consuetudinem, fœmineam; aliæ enim proles sterilibus parentibus, singulari Dei beneficio in senectute concessæ, omnes leguntur masculæ, uti Isaac, Jacob & Esau, Samson, Samuel, Joan. Baptista. Hoc ergò contristare poterat S. Annam, quia tales parentes masculam prolem desiderant, quæ familiam conservet. At nihil hoc dimovit Annam à comprobanda & exosculanda DEI voluntate, quandoquidem accepit talem filiam, qualem Deus voluit, & qualis inter natas mulierum nec ante fuit, nec post futura est. Habent hic Christiani parentes, quam imitentur, & sibi comparent gemmam; si forte prolem non acquirant, vel non qualem volunt, vel si illa extinguatur; ut cœlo per omnia se conforment, dicantque cùm Juda Machabæo: *sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat,* 1. Machab. 3. Ita docuit S. Petrus apud Clementem l. 1. recognit. *Nos Christiani,* inquit, *de nulla re vel eventu soliciti sumus, sed in DEI providentia plenè conquiescimus, scientes nos illi curæ esse, ac ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum.* Tiberius secundus designatus Cæsar à pio Imperatore Justino, ipse quoque piissimus: *Si volueris, sum,* dicebat: *si nolueris, non sum.* Evagr. l. 5. cap. 13. Niceph. l. 17. cap. 40. Idem nos dicamus Deo, & hyacinthi erimus. Sic orabat piissimæ memoriæ Ferdinandus II. Imper. cum de ejus successione in regna & hæreditarias provincias ageretur: *Domine si est ad laudem & gloriam tuam, ut major sim; exalta me, & glorificabo te. Si ut persistam in gradu meo; conserva me, & glorificabo te. Si ut in humiliori gradu sim; humilia me & glorificabo te.* P. Guil. Lamorm. in ejus virtut. cap. 6.

III. *Chrysolithus, orationis studium.* III. Tertiam Chrysolithum appello, quasi dicas, *aureum lapidem,* quia aureum colorem cum marino mixtum habet, ardentes scintillas diffundens, ideò Græcis *aureus lapis:* Hebræis *Tharsis,* hoc est, *Mare* dictus ob marinum colorem, mixtum aureo. Debetur hæc gemma B. Annæ propter orandi studium, quod ardentes desideriorum scintillas effundit in cœlum, præsertim in mari, hoc est, tempestate & tribulatione, juxta tritum illud: *Qui nescit orare, eat ad mare.* Jam verò B. Anna per orationis studium continuum, filiam à Deo lectissimam, Mariam impetravit, teste S. Epiph. Greg. Nyss. Damasceno. Illa domi in horto suo, Joachim foris in monte orare consueverunt pro impetranda prole, voventes se illam DEI obsequio dedicaturos. Germanus Patriarcha Constantinop. ait, addidisse eos jejunia 40. dierum. *Tandem post longa sterilitatis opprobria* (ait

(ait Judocus Clichtoveus Theol. Pariſ. Commentator in Damaſc. lib. 4. Orthod. fidei) *& rejecta ipſius Joachim in propatulo munera, quæ templo obtulerat, cum exprobratione infœcunditatis, uterque ipſorum, Joachim inquam & Anna, nuncium de cœlo accepit, naſcituram eis filiam, quam Mariam vocare debeant, & DEO ab ineunte conſecrent ætate, ut conſtituerant.* Vidimus hic piorum preces ſæpe diu differri, nec tamen incaſſum fieri, ſed tandem cum fœnore audiri. Sic Iſaacum pro tollenda Rebeccæ ſterilitate 20. etiam annis, non minus quam parentes Deiparæ, oraſſe ſcribit S. Chryſoſt. ſiquidem anno ætatis 40. duxit Rebeccam, 60. demum accepit non unam, ſed duos ſimul proles. Ita nimirum Deus dilationem petitionis, ſi perſeveremus orando, compenſare ſolet, dando plus quàm petitur.

IV. Chryſopraſus liberalitatis.

IV. Quartam Chryſopraſum do, ex auro & porro, quorum colorem refert, ſic appellatam Germanicè, Goldlauch. Fertur hæc gemma dilatare ſpiritus, ideoque ex arcto & avaro facere liberalem & Jovialem, apud Corn. à Lap. in cap. 21. Apoc. Quod bene cum ejus nomine concordat, compoſito ex auro & porro; quaſi faciat aurum non plus æſtimare quàm porrum, adeoque liberaliter diſpergere. Debetur hæc gemma S. Annæ, quæ in ſua etiam paupertate liberalis & dives in Deum fuit. Refert enim auctor de ortu Virg. tom. 4. S. Hieron. quod una cum marito omnem ſuam ſubſtantiam trifariam diviſerit: unam partem templo ejusque miniſtris, alteram peregrinis impenderit: tertiam propriis uſibus reſervarit. Sed quonam fructu? pro tam liberali eleemoſyna, quam cum Vidua illa paupere miſit in Gazophylacium, accepit filiam nobiliſſimam, Dei Genitricem. En fructum eleemoſynæ. *Da & accipe*, inquit Eccleſ. cap. 14. quod explicans Janſenius ait: *Da pauperi eleemoſynam, & accipe a Deo beneficentiæ tuæ meritum, & hic & in futura vita.* Da parum, & accipe multum: da bonum corporale, & accipe ſpirituale. Duæ iſtæ ſorores ſimul ſe comitari ſolent: *Da & accipe*: ſi priorem pellas, non veniet ad te altera. Lingua & auris in homine naturalem connexionem habent, ut qui mutus naſcitur, ſit & ſurdus; unde græcum κωφὸς utrumque ſignificat. Lingua damus verba & voces, aure accipimus: qui ergò lingua non dat alii, aure nihil accipit. Sic ſe habent duo illa: *Da & accipe.* Das eleemoſynam, accipies remunerationem & gratiam: non das, non accipies.

V. Sapphirus Sanctitatis & amoris rerum cœleſtium.

V. Quintam voco Sapphirum, hoc eſt, ſanctitatem & amorem rerum cœleſtium, nec non odium peccatorum. Etenim ſapphirus colore cœruleo, punctis quaſi ſtellulis interſtincto cœlum repræſentat, noctu ſerenum. Deinde veneno eſt contrarius, teſte Dioſcoride, & araneæ junctus eam occidit. Ita S. Anna ſanctitatis ſpeculum, hoſtis omnis peccati fuit. Adhæc ejus tam vita, quàm familia quaſi cœlum ſerenum; illa quidem quot virtutibus, hæc quot perſonis, totidem quaſi ſtellis plenum erat. Quid enim non ſanctum in domo ſanctæ Annæ? Sanctus ejus maritus Joachimus, ſancta ejus ex ſorore neptis Eliſabetha cum conjuge Zacharia & horum filio Joanne Baptiſta, ſanctus ejus gener Joſephus, ſanctus Joſephi frater Cleophas ejusque conjux Maria, & horum filii Jacobus minor, Joſeph cognomine juſtus, Judas Thaddæus, Simeon Epiſcopus Jeroſolymitanus & martyr, ac filia Maria & Salome; quæ mater fuit SS. Jacobi majoris & Joannis: ſanctiſſimæ Annæ filia Maria, Dei genitrix: Sanctus Sanctorum ejus nepos Chriſtus. Videte quid momenti ſit habere parentes bonos! Sanctum enim hoc par conjugum, Joachim & Anna, ſanctiſſimam genuere filiam Mariam. S. Zacharias & Eliſabetha S. Joan. Baptiſtam. S. Cleophas & Maria conjuges quot ſanctos liberos! Nimirum filii ſaltant plerunque, ſicut à parentibus cani vident. Hinc cum ſaltaret Saul in cuneo Prophetarum, ſtupentes alii dicebant: *Quænam res accidit filio Cis?* 1. Reg. 10. Sciebant enim patrem ejus Cis hominem fuiſſe ruſticum & rudem ab omni urbana diſciplina alienũ; unde mirabantur, quomodo filius prophetaret & ſaltaret una cum Prophetis; quod nec viderat unquam, nec didicerat à parentibus. Miraculum ergò id erat. Communiter enim partus ſequitur uterum, & filii imitantur parentes. Quod vicino exemplo demonſtrat Joan. Baptiſta, qui excipiens Chriſtum ad ſe venientem illis verbis: *Tu venis ad me?* Matt. 3. canit planè eodem modo, quo prius mater ejus Eliſabeth, quando excepit venientem ad ſe Chriſti matrem; *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1. A matre ergò præcentrice canere ſimili modo didicit Ioannes. Quare filii & filiæ ſtimulent ſe ad virtutem & fugam vitiorum intuitu parentum ſuorum; ſi pios & ſanctos habuerunt; quemadmodum fecit Tobias, increpans ſuos cognatos temerè loquentes: *Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum ſumus*, Tob. 2. Sic egit Boleslaus Rex Poloniæ, qui cum patris ſui imaginem collo appenſam & in lamina aurea expreſſam ferret, quando aliquid magni momenti dicendum ei vel faciendum erat, illam oſculabatur dicens: *Pater mi ne ſinas, ut quid vecors indignumque tuo nomine admittam.* Cauſſin. in Aula S. lib. 1. cap. 2.

VI. Smaragdus bona liberorum educatio.

VI. Sextam affero Smaragdum, qui eſt bona liberorum inſtitutio, Smaragdus enim viridi ſuo colore res, quibus admovetur, aëremque ipſum circumfuſum imbuit, ac viridem reddit, politus verò inſtar ſpeculi omnia repræſentat, adeò ut Imper. Nero gladiatorum pugnas in ſmaragdo inſpiceret, teſte Plinio l. 37. cap. 5. Eodem modo S. Anna filiam ſuam ſanctis ſuis moribus imbuit adeoque perpolivit, ut in ipſa omnium virtutum ſpecimina relucerent, ipſiusque matris ejus effigies ſanctiſſima. Ex tam ſancta enim filia patet ſanctitas matris, quæ

quæ filiam ſic inſtituit, juxta id Eccleſiaſtici c.11. *In filiis ſuis agnoſcitur vir.* Et mulier illa ex Chriſti ſanctitate mox conjectavit ſanctitatem matris ejus, quando exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit.* Luc.11. Nam *ſolent plerumq; filiolæ ad rationem educationis componi & mores imitari maternos*, ait Sanctus Chryſoſt.hom.10. in Epiſt.ad Coloſſ. Qualis ergò eſt inſtitutio accepta à parentibus, tales erunt & liberi. Hinc ſanctus Ignatius martyr in ſuis Epiſtolis crebrò monet parentes, uti epiſt. 7. ad Tarſenſes: *Educate liberos veſtros in diſciplina & exhortatione Domini.* Et Epiſt. 12. ad Antiochenſes: *Erudite liberos veſtros ſacris diſciplinis.* Plinius lib.8. cap.47. & ante eum Ariſtoteles de hiſt. anim. l.6.c.19. *colorem futuri fœtus* (ſic enim loquitur, de pecoribus) *non ex ipſius villi colore, ſed ex eo, qui ſub lingua in vena patris reperiatur color, animadverti.* Qualis igitur erit lingua, ſermo, admonitio & inſtructio patris, talis erit & filius. Sed & mater plurimnm poteſt, ac ferè plus quàm pater ſua inſtitutione. Scimus enim Hebræorum, qui in captivitate duxerunt uxores Gentiles, liberos, non linguam patrum ſed matrum potius didiciſſe, ideoque Azoticè non Iudaicè locutos. 2. Eſdr.15. Scimus etiam Deum filios ab Oſea procreandos appellâſſe *filios fornicationum.* Oſe. 1. eo quod juſſus erat in matrimonium accipere fornicariam, ad cujus imitationem magis, quam ad patris continentiam, proclives fore filios præſcivit. Ut ibi Cornel. quod pluribus exemplis oſtendi poteſt. Salomon tot mulierum amator unde? matrem habuit adulteram. Nero Imp. cur in omnem libidinem projectus? matrem habuit ſibi ſimilem, Agrippinam. Sic & Afra ante converſionem ſuam matris Hilariæ vitam impudicam ſecuta fuit. Sugunt enim proles unà cum lacte matrum propenſiones & indoles, præterquam quòd ab iis teneriùs educantur & majori cum labore. Videant ergò parentes, quantum in filiorum inſtitutione ſitum ſit; quantam proinde Deo reddere rationem habeant, ſi per ipſos pervertantur pereantque liberi; quantam econtrà conſolationem & apud Deum remunerationem habituri ſint, ſi bene illos inſtituant. Expectat enim illos corona, non abſimilis illi, quam meruit S. Anna, de qua Chriſtus ait Apoc. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.*

CONCIO II.

PARENTUM EXEMPLAR S. Anna.

I. S. Anna à teneris filiam inſtituit ad pietatem.
II. Removit filiam à mundi laqueis.
III. Magno conſilio ſponſum filiæ quæſivit Sanctum.
IV. Filiam Dei ſervitio vovit & educavit.

THEMA.

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, Matth. 13.

Boni filiorum inſtitutores parentes magnus theſaurus.

DIximus heri de fratribus Iacobi ſpuriis & malis, nec paucos deprehendimus. Dicemus hodie de Annæ fratribus & ſororibus bonis ac legitimis. Utinam ergò tam multos hodie invenirem bonos, quàm heri inveni malos. Bonos inquam parentes & imitatores S. Annæ. Exiſtimarem ſanè me tot theſauros reperiſſe. A parentum enim bona inſtitutione pendet ſalus liberorum; quin imò diſciplina & decor Cleri, Rectorum, ſubditorum, ſalus & fortuna reipublicæ totius. Sed en theſaurus hic videtur eſſe abſconditus & paucis notus: paucæ reperiuntur Annæ, pauci Ioachimi. *Mulierem fortem quis inveniet?* ait Eccleſia de S. Anna. Non tamen deſpondebimus animum, ſed ſperabimus complures, ſi fortè necdum ſunt, fore ſaltem impoſterum tales parentes, quales in S. Anna nunc deſcribemus.

I. S. Anna à teneris filiam inſtituit ad pietatem.

I. S. Anna cum conjuge à teneris inſtituit ſuam filiam ad virtutem & pietatem. Colligo hoc infallibili argumento, quòd filia vix trimula Deo à parentibus oblata ſit in templum, ut inter virgines ſacras DEO ſerviret: deinde ex ejusdem virginis ſanctitate. Quomodo enim tantos in virtute progreſſus tamque citò feciſſet, niſi à parentibus optimè inſtituta fuiſſet? pulcherrima imago eſſe debet, quæ Deo ſic placuit, ut Deipara fieret: nec non pictor optimus qui eam pinxit: quemadmodum mirabilis ſtructura templi Salomonici, ſapientiſſimum indicat Architectum, Salomonem. Infirmæ plantulæ ſunt liberi, quales hedera & vitis, quæ per ſe aſſurgere nequent, ſed arbori alicui inniti, & ſe implectere debent. Iam ſi arbor recta ſit, rectâ & ipſæ aſcendent: ſi curva, & ipſæ in obliquum creſcent. Sic omninò liberi ſequuntur conditionem & inſtitutionem parentum. Unde Pſ.121. *Generatio rectorum* (parentum) *benedicetur*, ait David.

Quare ſi parentes deſiderant rectos & virtute præditos liberos, à teneris eos inſtituere & curvare debent. Sæpe hoc inculcant SS. litteræ, uti Eccleſiaſticus cap. 7. *Filij tibi ſunt? erudi illos & curva illos à pueritia illorum.* Et cap. 30. *Curva cervicem ejus in juventute; & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi* (non obediendo) *& erit tibi dolor animæ.* Alludit ad ramuſculos arborum teneros, qui quaquaverſùm flecti, & in varias figuras efformari queunt; non item inveterati. Vel ad juvencos, qui ut jugo collum ſubmittant, à juventute aſſueſieri debent. Vel ad olivas, quæ ut oleum dent, premi immaturæ debent, teſte Plinio lib.1.cap.3. de quibus Pſal.127. dicitur: *Filij tui ſicut novellæ olivarū*, Bene verò addit Eccleſiaſticus: *ne forte non credat tibi* (quod Syrus vertit, *ne fortè*

Trip. in F. Innocent. C. 5.

ne fortè proterviat in te:) & erit tibi dolor animæ, protervire est petulanter agere & insurgere in aliquem, quod certè rependunt tandem parentibus filii indisciplinati. Addit: *Et erit tibi dolor animæ*; si nimirum videris eos jam induruisse & indomitos evasisse. Belgæ dicunt: *Filij dum pueri sunt, afferunt parentibus capitis dolorem, dum adoleverint cordis dolorem.* Capitis dolor facilè curari potest, curato scilicet stomacho: sed non item cordis dolor. Sic puerorum pravitas facilè emendari potest, sed non adultorum. Inde cordis dolor, quem serò sensit David in filiis suis pravis, Amnon & Absalom, quos bellicis negotiis distentus non corripuit suo tempore.

II. Removit filiam à mundi laqueis.

II. S. Anna removit filiam à mundo & malis societatibus, eamque addixit sacro gynecæo, ubi sanctissimè erudiretur inter virgines sacras, in templo scilicet, procul ab omni mundi strepitu: non secus ac Samuel ab ubere matris ablactatus, circiter triennis etiam juxta votum matris adductus ad domum Domini in Silo, 1. Reg. 1. Quod inprimis omnibus suadet. S. Chrysostomus hom. de Anna & Sam. *Oportet filios*, inquit, *ab uberibus carnis protinus transferri ad ubera spiritualia, ubi rebus divinis assuescant.* Docuit hoc etiam Ecclesiast. cap. 7. cit. *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum*; quod utique de filiis etiam intelligendum. *Serva*, inquam, à consortio juvenum, & lascivarum puellarum, à tripudiis, conviviis, spectaculis parum honestis. Qui nummum aureum recenter cusum vult in suo splendore & nitore conservare, includit eum in pixide munda. Si enim distrahatur & per hominum manus vagetur, citò perdit suum splendorem & nitorem, imò & valorem. Unus eum sordidis manibus fœdabit, alius ponderabit, alius curvabit, alius etiam fortè Judæus circumcidet, adeoque informem reddet, ut ab omnibus repudietur velut adulterinus. Sic contingit filiabus passim libere vagantibus. Bene igitur Psal. 127. cit. mater viti comparatur, filiæ palmitibus. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quis enim nescit palmites vitium domesticarum alligari ad latera & parietes domus, sed ita altè ut nemo transiens uvas queat decerpere? Sic nimirum filiæ ad domum alligandæ, & ibidem etiam sedulò custodiendæ, in superiori sive secretiori loco, à pravis comitibus: quemadmodum Judith fecit sibi secretum cubiculum in superioribus domus suæ, ubi cum puellis suis clausa morabatur, Judith. 8. morabatur, inquam, semper exceptis Sabbatis & festis diebus in quibus ad inferiorem partem domus descendebat, ut synagogam frequentaret, quod asserit græcus textus cap. 10. v. 2. Hieron. epist. ad lætam scribit, etiam cum ad templum eunt filiæ à matribus non deserendas: *Nusquam sine matre in publicum procedant*, ait, *Basilicas martyrum sine matre non adeant.* Ideò Dina quia à matre sua Lia digressa est ad videndos homines regionis, à Sichem rapta & violata est, Genes. 34. Habet etiam hoc vitis à natura sua, ut palmites suos abstrahat à brassicis, raphanis & aliis plantis amaritiem continentibus, ne eandem contrahat, teste Plinio; Pierio & aliis nat. hist. Scriptoribus sæpius à me citatis. Fecit hoc Sara, quæ videns filium Agar Ismaëlem ludentem cum filio suo Isaac, dixit ad Abrahami virum: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Genes. 21. Quis verò hic ludus fuerit, plures sunt sententiæ. Sanctus Hieronymus in Tradit. Hebr. lib. Genes. ait exponi ab Hebræis ludum pro Idolis, quæ ludo fecerit, quo modo Hebræi vitulo conflato, *surrexerunt ludere*, id est, idololatrari. Vel certè ludus ille erat, saltare, vociferari, cantare, ut vult Abulensis. Vel significat illusionem, pugnam & contemptum. Quidquid sit, nihil boni fuit, quod egit Ismaël, ideò prudens Sara vult removeri eum à consortio filii, ne per eum pervertatur; non attenta cognatione sanguinis. Habemus etiam in lege gratiæ præclarum hujusmodi exemplum in matre S. Melitonis Mart. qui inter 40. milites cappadoces natu minimus sub Licinio in lacum frigidissimum propter fidem injectus, cum frigore non prorsus, ut alii, enectus, & idcircò vivus ab impiis relictus esset; cæteris ad rogum abductis, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad Idolorum cultum revocari posse, mater ne filius superstes ab impiis everteretur, ipso semivivo in humeros sublato vehicula martyrum corporibus onusta strenuè prosecuta est, & cùm in ejus amplexu filius spiritum reddidisset, eum in eundem rogum cæterorum injecit, ut cum illis coronaretur, cum quibus pugnarat. Metaphrastes apud Sur. 9. Martii, & S. Basilius hom. 20. quæ est de 40. istis martyrib. Hanc ob causam olim Christiani parentes, Principes ac potentes liberos suos in monasteriis educari curârunt ad pietatem simul & doctrinam perdiscendam, uti hodieque in Italia crebrò fit.

III. Magno consilio sponsum filiæ quæsivit sanctum.

III. Anna filiæ suæ sponsum quæsivit magno consilio, non qui opibus, forma & decore vel dignitate præstaret, sed qui virtute & sanctitate, sanctum scilicet Josephnm, virum ejus ætatis omnium integerrimum, (nam S. Annam usque ad Christi Nativitatem vixisse volunt communiter apud Ribadeniram in Floribus SS.) Hoc idem præscribit Ecclesiasticus cap. cit. mox subjiciens: *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. Sensato*, id est, prudenti. Verum est Themistoclis Ducis Atheniensis dictum, filiam viro tenuis fortunæ sed prudenti elocantis: *Malo virum pecunia quam pecuniam viro indigentem.* Valer. Max. l. 7. Cum ramus unius arboris alterius trunco inseritur, non quæruntur in eo flores aut poma (imò hæc abscinduntur) sed vis vegetandi & proveniendi: sic in conjugio ineundo, non opes, forma, nobilitas spectanda; sed virtus & prudentia, quibus omnia parari non difficilè possunt. Attendit ad hoc sedulò inter alias matres Rebecca Gen. 7. quæ cùm vidisset, quòd Esau filius ejus duxisset uxores alienigenas, improbas, Chana-

Chananæas & Hethæas, quæ erant posteræ impii illius & maledicti Chanaan, cavit diligenter, ne Jacob alter filius, ei dilectus, tales acciperet; dicebat enim: *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.* Hebr. *ad quid mihi vita?* ad quid enim vivunt parentes, nisi ut filiis quasi baculo innitantur & conservent vitam?

Ex novo etiam testamento audiamus exemplum, quod habetur ad longum apud Metaphrastem & Sur. 15. Novembr. in vita SS. Samonæ, Guriæ & Abibi. Venerat tempore Constantini Magni Imper. cum exercitu Romano miles Gothus Edessam, qui hospitatus apud viduam Christianam, Sophiam, vidit ei esse filiam unicam speciosissimam nomine Euphemiam. Institit ergò modis omnibus, ut à matre filia in matrimonium ipsi traderetur, fingens nescio quas divitias domi se habere, promittens ingentia, mentiens insuper se cœlibem. Vix tandem promissis victa mater filiam ei tradit, ita tamen ut adductus ad corpora SS. Martyrum prædictorum juramentum præstaret, se filiam non deserturum, sed comiter & honestè habiturum. Juravit improbus, & adduxit eam imprægnatam in patriam. Ibi indicat ei se uxorem & liberos habere, gerat se proinde ut famula, ni mori velit, quod & facere compulsa est. Mortua uxore; ancillam Euphemiam in suspicionem necatæ uxoris trahit, & vivam in defunctæ sepulchrum includit. Ubi deserta invocat prædictos Sanctos fidejussores suos, à quibus liberata mox reducitur in patriam. Impius eodem fortè postliminio nihil de Euphemiæ, quam in sepulchro periisse credebat, liberatione somnians, reversus & mendacii reus ac perfidiæ deprehensus pœnas dedit capite abscisso.

IV. *Filiam Dei servitio vovit & educavit.*

IV. Annam filiam suam Deo ac divino cultui devovit atque educavit, ut scribunt S. Gregorius Nyssenus orat. de Nativit. Christi. S. Germanus Archiepiscopus Constantinopol. in orat. de oblatione V. Nicephorus & alii, indeque non solum filia ad summam evecta dignitatem, sed etiam per ipsam mater maximam consecuta est gloriam. Omnes ferè parentes contendunt, ut magnos efficiant liberos, & simul in illis magni fiant. Qua autem meliori ratione id consequentur nisi ea, quam dixit. Miratus sum heri cum in Evangelio legi: *mater filiorum Zebedæi.* Cur filii tantùm Zebedæi, & non etiam filii matris dicuntur? Quia mater petiit illis terrenam duntaxat dignitatem, pater autem Zebedæus, si (ut videtur) defunctus aliquid eis peteret, utque cœlestem peteret. Quid videtur vobis? an avis illa præferenda, quæ gignit ova & derelinquit ea; an ea, quæ posita fovet & excludit? nonne hæc illi præferenda? Atqui matres & patres qui terram solùm liberis quærunt, ova ponunt, sed non vivificant. Planè instar struthionis Job. 39. *Derelinquit ova sua in terra, obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* Aspicit quidem struthio subinde ova, & arena contecta Soli committit fovenda. Sed quid juvat hoc si conculcentur, utpote in terra posita? Sic parentes aliqui ponunt liberos suos in terra, tegunt arena temporalium bonorum, fovent calore Principum: sed interim permittunt eos à mundo perverti & conculcari. Omnes nos in hoc mundo quasi pulli in ovo sumus, nondum exclusi & formati sumus, ut evolare in cœlum possimus; vitam mortuam vivimus. Quid ergò prodest liberis; si velut ova ponantur in terra, & congregantur sabulo, exponantur calori Solis? si, inquam, abundent rebus temporalibus, interim non excludantur, non acquirant plumas & pennas, quibus aliquando exclusi ex hac vita evolare in cœlum, ibique vivere queant? si conculcentur à mundo & diabolo, bestia illa? si fœtore compleantur? Scimus enim ova, quæ supposita non excluduntur, fætere & abjici.

Quid effecit Herodias in filia sua, cùm bellè eam saltare docuit? quid sibi & filiæ comparavit? Ipsa mater cum Herode ab Imperatore missa est Lugdunum in exilium: inde profugientes in Hispaniam multis afflicti calamitatibus perierunt. Filia autem cum aliquando flumen glacie concretum transiret pedes, glaciem rupit, & cadendo caput glacie resectum perdidit; quod & in pœnam saltationis suæ funestæ, & postulati capitis Baptistæ, supra glaciem saltus edidisse fertur. Nicephorus l. 2. c. 20. Econtrà verò S. Anna quantam suæ filiæ & sibi per eam comparavit gloriam? Deipara non esset Regina cœli, si non fuisset à tam sancta matre tam sanctè instituta: Anna nesciretur, in tenebris lateret, si non habuisset talem filiam. Ergò, ô parentes, ut unà cum filiis & filiabus vestris exaltari & ad cœlum evolare possitis, estote similes Annæ.

CONCIO III.

SIGNA INHABITANTIS GRATIÆ in homine.

I. *Odium & horror peccati.*
II. *Virtutes cum humilitate.*
III. *Morum commutatio luculenta.*
IV. *Promptitudo ad obsequendum Deo in omnibus ex amore. Item Experientia singularium Dei beneficiorum constans.*
V. *Lumen internum: Lætitia Cordis: & Tranquillitas conscientiæ.*
VI. *Contemptus mundi: dolor de peccatis omnibus: propositum vitandi omnem Dei offensam: Christi imitatio.*

THEMA.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, Matth. 13.

Anna gratiā sonat.

AUdimus interdum non neminem sic loquentem: Si thesaurum invenirem, jam absolutus dominus forem, & gaudiis circumfluerem in omni vita mea. Et quid si vobis Audit. thesaurum aliquem ostenderem, ut possitis esse domini, pleni omni gaudio? Ecce vobis S. Annam matrem ditissimam, thesauro onustam, cujus si vos filii sitis, thesaurum invenistis, & domini opulentissimi eritis. Qua verò ratione? Audite S. Joannem Damascenum l.4. Orthod. fidei c.15. *Gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum,)* inquit, *Dominam parit*; etenim Mariæ nomen Dominam significat. Anna Mariam, gratia Dominam parit. Igitur qui Annam habet, thesaurum habet, qui gratia Dei thesaurus est, de quo Sap.7. dicitur: *Infinitus enim est thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Quisquis igitur filius, aut filia S. Annæ, hoc est, divinæ gratiæ est, is certè infinitum invenit thesaurum; quomodo igitur dominus aut domina non erit qui gratiam invenit; siquidem *Gratia Dominam parit*? Bene est, dicet aliquis; sed unde nobis constabit, quòd Annæ filii simus in Dei gratia constituti? Hoc enim si sciremus, nequaquam dubitaremus, thesaurum nos invenisse, adeoque verè dominos futuros. Quis verò ostendet nobis thesaurum hunc in nobis esse? Ad hoc respondet Evangelium hodiernum, thesaurum hunc absconditum esse, itaque fidei certitudinem adeoq; infallibilem de hoc haberi non posse. *Nescit homo*, inquit Ecclesiastes cap.7. *utrum amore an odio dignus sit.* Et Apostolus 1.Cor.4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Moralem tamen certitudinem, quæ anxietatem & perplexitatem tollat, possumus habere, quam indicat idem Apostolus ad Rom. 8. dicens: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Quis ergo saltem hoc testimonium nobis ostendet? Patres & Doctores, quos hic referam.

I. Odium & horror peccati.

I. S. Basilius in regulis brevioribus interrog. 296. quærens, qua ratione persuaderi possit animæ cuipiam, quòd à peccatis libera sit & expiata, hoc dat responsum: *Si quis in se ipso animi affectionem illam similem David inesse animadverterit, apud quem est: Iniquitatem odio habui & abominatus sum: aut assecutum se præceptum illud Apostoli, qui dixit: Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, &c.* Et mox: *porrò intelligit aliquis se in hujusmodi affectione positum, si etiam adversus peccantes admirabilem & horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut David quidem, apud quem est: Vidi prævaricantes & tabescebam, Apostoli verò, qui ait: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror: &c.* Et infra: *Quandocunque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quemadmodum diximus, animo affectum se esse animadvertit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato.* Probat id ex similitudine corporis, quod utique mundum nos habere colligi potest, si ab omni fœditate & sordibus magnoperè abhorreamus, v.g. qui munditiei valde studens abhorret vehementer à pediculis, & si vel unum aspiciat, vultum avertit, hic indicium dat se vestes suas ab his bestiolis immunes conservare atque mundas habere: qui verò eas non horret neque curat, suspectum se reddit de earum commercio. Rursum quando ægrè & cum horrore aspicimus alios torqueri, vulnerari, excarnificari, à bestia laniari, signum est, quòd nos ab effusione sanguinis & crudelitate procul absimus: pari modo quando non sine commotione & tristitia videmus alios peccare, Deum & proximos offendi; utique demonstramus nos ab omni peccandi voluntate & pronitate longè distare. Quis credat S. Anselmum Cantuar. Episcopum non fuisse in statu gratiæ, de quo Edinerus ejus convictor scribit in ejus vita (21. April. apud Sur.) se multoties audisse eum sub veritatis testimonio profitentem: *Quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò uni eorum immergi deberet, prius infernum quàm peccatum appeteret.* Et rursum: *malle se purum à peccato & innocentem gehennam habere, quàm peccati sorde pollutum cœlorum regna tenere?* Addit auctor: *Propter hæc magno studio semper nitebatur peccatorum contagia devitare, & quidquid eis aliquam nascendi occasionem poterat ministrare, ab intentione sua omni solicitudine propulsare.* Quomodo enim peccatum in se admittat, qui ab eo tantoperè abhorret?

II. Virtutes cum humilitate.

II. Sanctus Gregorius lib.1. Dial. cap.1. hoc indicium proponit: *Mens quæ divino spiritu impletur*, inquit, *habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet & humilitatem, quæ si utraque in una mente perfectè conveniunt, liquet, quod de præsentia Spiritus sancti testimonium ferat.* Secura illa civitas vel arx est, quæ vigilantissimam in suis mœnibus, turribus, vallis & propugnaculis custodiam habet: similiter qui virtutes humilitate munitas habet, de inhabitante Spiritu sancto sibi gratulari potest. Humilitas enim est fundamentum simul & custos virtutum optima, teste sancto Bernardo serm. 1. in natali Domini. Templum Jerosolymitanum *in summo aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus avibus pollueretur*, inquit Josephus lib. 6. de bello cap. 6. Aureæ igitur illæ cuspides mundum conservabant templum ab avium sordibus: similiter humilitas custodit cor virtutibus ornatum, quod est DEI templum, ab insidiis Dæmonum & sordibus. Ubi ergò virtutes sunt hujusmodi

verubus humilitatis armatæ, ibi vix esse dubium potest, quin thesaurus gratiæ in corde mundo sit reconditus. Qui habet thesaurum sub fida & firma custodia, nonne divitem se appellare potest? Quare qui virtutes sub custodia humilitatis habet, confidere etiam poterit, se in gratia Dei esse.

III. orum mmu-tio lu-lenta.

III. S. Bernardus in serm. de 4. orandi modis: *Quæras*, inquit, *unde aut quando nosse poteris, utrum hanc consecutus sis indulgentiam.* Et respondet: *Ait Dominus paralytico: surge, tolle lectum tuum & ambula. Et tu ergo primo, si jam surgis desiderio supernorum. Secundo si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud & ferat, quò non vult. Tertiò si demum ambulas, quæ retrò sunt obliviscens, & ad ea, quæ ante sunt, te extendens, desiderio & proposito proficiendi; curatum te esse non dubites: Neque enim surgere poteras si non aliquatenus onus esset alleviatum: nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis: quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est.* Mira hæc mutatio morum, de perversis in sanctos, satis etiam manifestè indicat hominem de castris Dæmonis transiisse ad castra Christi, cujus jam insignia & arma gerit. Idem Bernardus epist. 170. confirmat his verbis: *Spiritum novum advenisse, certissimè nova conversatio testatur.* Hoc etiam inter alia signa dedit Samuel Sauli, 1. Reg. 10. *Insiliet in te spiritus Domini & mutaberis in virum alterum*, moxque subdit: *Quando ergò evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Sciat igitur qui ex iracundo mitis, ex ebrioso sobrius, ex avaro liberalis, è superbo humilis, ex impudico castus evasit, sciat inquam Dominum secum esse, seque jam non iræ, sed Annæ & gratiæ Dei filium esse.

IV. Promptitudo ad obsequendum Deo in omnib. ex amore.

IV. Cardinalis Cajetanus in cap. 8. Epistolæ ad Rom. duo alia indicia depromit. *Media*, inquit, *quibus utitur Spiritus Sanctus, quæ assumit Spiritus Sanctus simul cum nostro in testimonium, quòd sumus filij DEI, sunt regulariter duo. Alterum est amor DEI promptus ad obsequendum Spiritui sancto quem efficit Spiritus sanctus in iis, qui Spiritu DEI aguntur: alioquin non agerentur spiritu DEI nisi ad momentum. Alterum est experta continuatio divinæ gubernationis: custodiendo à damnabilibus, illustrando, inspirando, excitando, movendo, fovendo & hujusmodi. Nam cùm experimur tam promptè nos diligere DEUM, & tali tantaque cura gubernari à DEO, testimonium à Spiritu sancto & nostro habemus sufficientissimum, ad hoc ut credamus, quòd simus filij DEI.* Sic ille. Primum illud ferè coincidit cum eo, quod dat Origenes in eundem sancti Pauli locum ad Rom. 8. *Ipse spiritus adoptionis*, ait, *per quem in filium qui adoptatur, reddit testimonium & confirmat Spiritum nostrum, quòd sumus filij DEI, posteaquam à Spiritu servitutis in adoptionis spiritum venerimus, cùm jam nihil inest timoris, id est, nihil propter pœnam gerimus; sed propter amorem patris cuncta perficimus.* Sic ille. Quare sicut promptitudo obsequendi cum amore demonstrat filium non servum, qui timore magis ducitur: sic quando quis deprehendit se alacriter ferri ad faciendum ea, quæ Deus præcipit, indicium habebit se esse filium Dei, in gratia constitutum.

Quando currum stridere audimus, unguen ei deesse non vanè conjectamus; inesse vicissim, cùm expeditè pergit: pari modo cùm quis ægrè & stridula voce seu murmurando peragit, quod jubet Deus; indicat sat superque se Dei gratia, quæ est unctio Spiritus Sancti facitque hominem promptum ad obediendum, esse destitutum; eadem verò junctum, cum promptè & absque omni renitentia *viam mandatorum DEI currit* cum Davide Psal. 118. Angeli boni à malis inter alia hoc discrimine discernuntur, quòd illi DEI voluntatem promptissimo semper animo exequantur, mali verò invito, cum murmure & indignatione. Raphaël, quem DEUS misit ut esset comes Tobiæ, in foro stetit præcinctus & paratus ad ambulandum, se ipsum quasi Tobiæ offerens in comitem itineris. Tob. 5. Unde bene se appellavit *Azariam*, hoc est, *auxilium DEI, filium Ananiæ*; hoc est, *nubis DEI*; quia in auxilium Tobiæ nubis instar promptissimus advolavit. At econtrà Dæmon ille Marci 1. & Lucæ 4. quem exire ab obsesso Christus jussit, exclamans voce magna & discerpens hominem projecit in medium, ut ostenderet quàm invitus & indignabundus Christo paréret. Quod ergò discernit bonos Angelos à malis, hoc idem non obscurè discernit filios DEI & gratiæ à filiis tenebrarum: promptitudo scilicet ad parendum DEO.

Experientia singularis Dei beneficiorum constans.

Non minoris momenti alterum indicium est, si quis divinæ gubernationis singularia beneficia constanter in se experiatur. Tametsi enim DEUS etiam peccatores & tepidos suo tempore excitat stimulatque beneficiis, castigat flagellis, hortaturque ad frugem: multò tamen magis pluribusque modis id præstat justis, adeò ut S. Ambrosius lib. 4. in Lucam dicat, *Dominum dormire tepidis, vigilare perfectis.* Patet inprimis in eo quem diximus Tobia, cui dedit socium itineris unum è septem Angelis, qui stant coram ipso, ut eum custodiret in omnibus periculis, præveniretque benedictionibus. Patet in Abrahamo, Elia, Daniele, Joanne Baptista in deserto, Paulo Eremita aliisque innumeris, quorum Deus majorem habuit curam, ut eos aleret, protegeret, solaretur, quàm multorum millium impiorum. Unde beatus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone cap. 25. ait: *In tribulatione DEUS justos comitatur, ut illos in præsentiarum eripiat & glorificet in futuro: comitatur ipsos in negotiis, ne delinquant: in periculis ne cadant:*

in dubiis ne errent : ne hujus vitæ consolationem amittant. Qui ergò hæc in se constanter experitur, næ ille gratulari sibi potest de invento apud se thesauro.

V. *Lumen internum.*

V. Alexander Halensis celeberrimus Doctor tria alia signa adducit. p. 3. quæst. 71. Primum est lumen, quo replentur justi, ut mysteria divina & agenda omnia, se ipsos denique pleniùs possint cognoscere. Scimus enim ubicunque habitabant filii Israël in Ægypto, ibi lucem fuisse: tenebras verò apud Ægyptios, Exod. 10. eosdem etiam à columna ignis ductos per desertum, Exodi 13. Hinc quandoque sancti viri, alioquin parum docti, plus vident & annunciant de rebus altissimis, quàm doctissimi alii.

Lætitia cordis.

Alterum est lætitia & gaudium, quo replentur corda justorum. Non enim habet amaritudinem conversatio eorum, sed lætitiam & consolationem. Sanè S. Antonius ex animi lætitia dignoscebatur ab aliis fratribus; quanto magis noscetur justus ab injusto per eandem viam?

Tranquillitas conscientiæ.

Tertium est pax & tranquillitas cordis, carentis omni remorsu aut conscientia alicujus peccati mortiferi. Hæc enim tranquillitas sequi solet adventum Spiritus S. quia *in pace factus est locus ejus*, Psal. 75. Sic bona disciplina & tranquillitas in domo indicat præsentiam boni patrisfamilias: dissolutio & tumultus, ejusdem absentiam.

VI. *Contemptus mundi.*

VI. Andreas Vegas præstans Theologus in l. de Justificatione, tria alia suppeditat. Primum est Despicientia mundi & bonorum ejus, honorum, voluptatum, opum: ac desiderium cœlestis patriæ. Qui enim spernit vilia bona, sibi fortè oblata, hoc ipso indicat se possidere longè præstantiora; & qui talia habet, spernit viliora. Ita Abraham, quia Deum secum habebat, sprevit oblata sibi munera à Rege Sodomorum, Gen. 14. *Ne dicas*, inquit, *ego ditavi Abraham*, quasi dicat, nolo divitias, quæ ab homine veniunt. *Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona, supernæ gratiæ innitor*, ait ibi Chrysostomus.

Dolor de peccatis omnibus.

Alterum est, *dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis.* Hæc est Bulla illa & attestatio divina de remissis peccatis, quam petiit à B. Catharina Senensi sibi impetrari Confessarius ejus Raymundus. Quando enim oblata ejus menti fuit insolita peccatorum suorum consideratio, adeò ut præ nimio dolore lachrymarum vim profunderet, ac rugitus ederet, timeretque ne pectore rumperetur; tum ait illi Virgo, hanc esse Bullam & testimonium divinum, quod petierat. Ut in vita S. Catharinæ Senen. 29. Apr.

Propositū vitandi omnem Dei offensam.

Postremum, *propositum vitandi omnem Dei offensam & servandi per omnia, cuncta divina mandata. Hi probabilissimam sanè suæ justificationis conjecturam habent, & meritò toto pectore totisque præcordiis de tanto & tam præcellenti beneficio possunt intra se exultare*; inquit Vegas. Certè firmum conceptæ pietatis ac virtutis propositum plurimum valet ad perseverandum in pietate & virtute: sicut Judicum sententiæ definitivæ semel pronunciatæ & in tabubulis conscriptæ, stabiles & fixæ manent, quod vel Pilatus ostendit, qui semel scriptam judicii sententiam ut mutaret, nullis Judæorum clamoribus adigi potuit; qui tamen priùs eorum postulatis cesserat: *Quod scripsi, scripsi*, inquit: quod jam relatum est in tabulas, mutare nefas est. Quòd si igitur nos pari animi robore mentem obfirmavimus ad persistendum in æquitate, signum est, ab ea nos nullis machinis & molitionibus facilè esse dimovendos.

Christi imitatio.

Denique si adhuc aliquod signum desideratis, Christi mores & vitam in vobis repræsentate. Pomum odoriferum in sacco reclusum prodit se odore suo: ita Dei gratia in corde recondita per bonam vitam tuam. Hinc Apostolus 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus*; unde, nisi à Christo ejusque gratia in corde reclusa? Ergo Christophori simus (cujus Sancti festum heri celebravimus) semper Christum ejusque vitam in nobis circumferentes, & sciemus quòd filii Annæ & in gratia DEI simus: sic thesaurum inveniemus; sic domini evademus & omni gaudio perfruemur, hîc in gratia, ibi in gloria.

CONCIO IV.

QUIS MODUS SERVANDUS in utraque fortuna.

I. *In prosperis beneficium agnosce & gratus esto: in adversis tibi etiam gratulare.*

II. *In prosperis non te extolle: in adversis ne dejiciaris.*

III. *In prosperis moderatè utere fortuna: in adversis patienter fer sortem tuam.*

THEMA.

Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31.

Meritò Ecclesia de sancta Anna legit & intelligit, quod Proverb. 31. dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quis enim non dicat S. Annam mulierem esse fortem; quæ in suis brachiis (ita enim pingi solet) gestat fortissimas duas proles, filiam Mariam & nepotem Christum? Hic enim Idololatriam evertit, mortem vicit, infernum destruxit, Satanam regno exuit, cœlum occupavit. Illa caput serpentis contrivit. Deinde Anna sonat *Gratiam.* Gratia duplices gestat proles, & ambas ad cœlum effert: in dextra eos, qui hic prospera utuntur fortuna, & quidem plurimos: in sinistra, qui adversam patiuntur, longè adhuc plures: adeò ut nemo de hac

matre queri possit. Quamquã attẽdere debẽt proles istæ, ut ne è matris hujus brachiis culpa sua excidant 1. *Cadent* enim *à latere tuo mille, & decẽ millia a dextris tuis*, ait Psalmista. Ne hoc fiat, audiamus.

I. [Qu]i in [dex]tera [sed]ent. [Be]neficiũ [ag]noscant [&] Deo [gra]tias [ag]ant.

I. Qui in dextra sedent, beneficium agnoscant, & Deo gratias agant. Licet enim prosperitas, honor, opes, generis nobilitas, velut res periculosæ passim homines perdant; id tamen non ex natura illarum, sed ex errore utentium accidit. Malè enim utentibus plumbum sunt, demergens ad interitũ; Bene utentibus pennę sunt, elevantes eos ad cœlum. Inprimis enim qui his bonis à Deo muniri sunt, ab innumeris curis & anxietatibus se suosque sustentandi (quę hominem à Dei cultu multùm avocant) liberi sunt, remotique à periculo, necessitatis gratia rapiendi, fallendi, furandi; cui subjacent miseri, ut agnovit Salomon Proverb. 30. dicens; *Mendicitatem ne dederis mihi, ne necessitate compulsus furer & perjurem.* Quemadmodum ergò Adam in paradisum omnibus ad victum necessariis rebus instructum positus fuit ut facilius Deum coleret: ita qui in hoc mundo degunt felices, facillimè Deo servire possunt.

Deinde lapidem habent philosophicum ad vertendum lutum in aurum, si nimirum dent eleemosynas: quod facere nequeunt pauperes. Possunt ergò divites & magnates quasi in curru & lectica sine molestia ascendere ad cœlum, si currui suo applicent pauperes, quomodo Sesostres Rex Ægypti junxit currui suo Reges. Jungent autem, si in eos fuerint liberales.

Denique si & bona, quæ posident, calcaverint per contemptum, tunc ex iis facient sibi quasi scalam ad cœlum. Quod licet etiam suo modo facere posint egeni, non tamen pari merito. Quis enim nescit plus esse spernere opes, quæ habentur, quam quæ non habentur? Unde talibus Sanctus Hieronymus ep. ad Demetriad. dixit: *Vestri generis est & calcare divitias.*

Qui in sinistra, sibi [e]tiam gra[tu]lentur.

Vicissim qui in sinistra sedent, habent & ipsi, quod à Deo gratias agant, & sibi gratulentur. Nam primo omnibus spectatis planior & securior est ad cœlum via per adversitatem, quam per prosperitatem. Pauci enim sunt, qui prosperis bene uti sciunt. Unde Psalm 90. dicitur: *Cadent à latere tuo (sinistro) mille & decem millia à dextris tuis.* Decem ergò in prosperitate pereunt, antequam unus in adversitate. Demonstrari id multis posset, uti exemplo Davidis, qui dum exularet à Saulis aula, oberrans pauper in montibus & alienis terris, bene sibi attendit ne delinqueret. Factus Rex, & quietem ac divitias nactus, in peccatum lapsus est. Hinc Tyranni, cum Christianos tormentis superare non possent, blanditiis & voluptatibus aggressi sunt, uti Decius & Julianus, multamque stragem ediderunt. Nabuchodonosor quamdiu felix erat, Dei contemptor fuit: ubi è regno ejectus miser in bestiam quasi deformatus fuit, tum agnoscere Deum & laudare cœpit. Unde Daniel appellat eum leænam, quæ priùs alas aquilę habebat; at ubi evulsæ sunt ei alæ, tum super pedes stetit ut homo, & cor hominis accepit. Daniel. 7. v. 4.

Deinde ad virtutes & scientias capessandas magis idonei & dispositi sunt. Sunt humiles, mãsueti, obedientes, laboriosi; unde plerumque plus quã divites proficiunt in studiis & aliis disciplinis, Sic acanthis in spinis vivens summa cantus amænitate floret.

II. Qui in dextra sedent, non se extollant.

II. Qui in dextra sedent, non se extollant, multo minùs alios spernant, sed potius se humilient ac timeant, ne excidant & ad sinistram transferantur. 1. *Qui ut in rerum natura, quæ spectatissimè florent celerrimè marcescunt: velut rosæ, lilia, violæ, cùm alia durent. Ita in hominum vita, quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diversum*, inquit, Plin. l. 21. c. 1. Notum est à veteribus fortunam rotæ insistentem depingi solitam, cui consonat id Psalm 82. *Pone illos* [principes fortunatos] *ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Et id Prov. 12. *Verte impios & non erunt.* Exemplo sunt Adonibezek Judic. 1. Abimelech, Nabuchodonosor, Holofernes, Herodes, Act. 12. Antiochus & alii.

Vide Trip. Dom. 3. post Paschac. 3. B.

Dionysius junior, ut scribit Ælian. l. 6. var. hist. c. 12. humili loco natus astu tyrannidem Syracusanorum ac Siciliæ paravit, imperiumque optimè constructum habuit, scilicet naves non pauciores quadringentis, pedestres copias ad 100000. hominum, equitum 9000. Civitas Syracusana, portubus & mœnibus optimis erat instructa, omnique bellico apparatu, frumento ad 100000 medimnorum. His rebus confidens adamante firmatum imperium habere se putabat, sed deceptus miser ipse primũ fratres suos morte affecit: vidit etiam filios suos crudelisimè mactari, pudorem filiarum eripi, atq; deinde nudas trucidari. Breviter, nemo ex ejus propagine sepulturam justam adeptus est. Nam alii vivi combusti sunt, alii dissecti, & in mare projecti. Id ei evenit, cùm Dion Syracusanus imperium ejus invasit. Ipse demũ cæcutiens, privatus sedit in tonstrinis, risum scurriliter hominibus cõmovens, & in media Græcia turpiter versatus miserrimam vitam duxit; atque ut alii scribunt, iterum quod anteà fuerat, Ludimagister factus est. Plutarchus in Dione refert; qua fortuna regno à Dione exutus sit. Cùm enim Dionysius cum 80. manibus abesset in Italia, Dion Syracusas cum classe movit. Cujus rei nũcius mittitur ad Dionysium. Nuncius in via assatæ carnis frustrum à quodam acceperat, & peræ suæ alligârat: qui cum noctu in sylva paululum requiescere vellet, peram juxta se deposuit. Eo dormiente lupus carnem odoratus, abstulit unà cum pera & inclusa epistola. Ergò ubi evigilavit, & peram abesse vidit, non ausus ad Dionysium pergere, epistloa perdita, fugam iniit: sicque nesciente Dionysio regnum ejus à Dione occupatũ est. En fortunæ rotam. Bene igitur Sapiens Prov. 1. dixit: *Prosperitas stultorum perdet eos*; qui scilicet uti fortuna sua nesciunt.

2. Quia in prosperis facilius Deum obliviscimur, quomodo Pharaonis pincerna succedentibus rebus secundis oblitus est Josephi Oedipi sui, Gen.40. Facilius etiam indolescimus & limites moderationis egredimur, indeq; in pericula incidimus quemadmodum limaces, quando humore aliquo cœlesti in se delapso exeunt è domunculis suis in vias publicas, ibique pedibus transeuntium proteruntur. Ita Nabuchdonosor post victoriam de Medorum Rege Arphaxad obtentam nimium elatus, voluit omnes Reges sibi subjugare Judith c.1. Suave quidem & jucundum est iter per mare, sed periculosum: vicissim molestum & laboriosum iter per terram, sed multo interim securius. Unde S. Bernard. serm. de obitu Malach. *Nemo*, inquit, *nostrûm charissimi, plana mollioris viæ superficie delectatus, iter illud marinum sibi commodius arbitretur.*

3. Quia forsan hic tam bene habentur, quòd in altero seculo nihil habituri sint nisi miserias & pœnas. Timeant ergò ne sint oves ad pinguia pascua ductæ, destinatæ ad marcellum; quod indicant impii Sap. 2. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: ubiq; relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra.* Quasi dicant: aliam non exspectamus, Et confirmat Abraham Epuloni dicens: *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Theramenes cum in quâdam domo versatus; inde prodiisset, illa subito lapsu corruit. Atque cùm Athenienses alii aliunde ad eum confluerent; & inopinatæ saluti congratularentur, ille præter omnium opinionem respondit: *ô Jupiter, cuinam me tempori reservas?* Ne multo pòst à 30. tyrannis de medio sublatus est, coactus cicutam bibere. Ælian. l.9. var. hist. c.21. Cogitet etiam, qui hic bene semper habetur, ne æternę infelicitati reservetur, ex pavescat, cum res prosperè eunt. Ita monet Sanctus Gregorius magnus hom.40. in Evang. *Si qui estis*, inquit, *qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorundam vestrorum actuum recompensatione sit datum. &c.*

Qui in sinistra, non dejiciantur.

Vicissim qui in sinistra sedent, non dejiciantur, sed bene sperent, 1. facilè mutari posse fortunam, ut cras ad dextram transeant. Soldanus quidamà Rege Franciæ Ludovico II. Capuam captivus abductus, cum toto biennio non risisset, tandem aliquando ridere visus, causam Regi interrogatus, hanc dedit: *Currum contemplabar ejusque rotas, ut earum aliæ partes in imum, aliæ in summum obverterentur, atque hanc inconstantis hominum felicitatis imaginem sentiens risi, quod in mentem mihi veniret, posse fieri ut quomodo ex summo infimus factus sum, ita ex humili rursum loco ad prius attollar fastigium.* Quo audito Rex de suo quoq; statu cogitans, Soldanum virum judicans sapientē, liberè secum versari permisit. Zonaras tom. 3. Annal. Cedrenus & Glycas. Ludovicus XII. Franciæ Rex delectabatur symbolo crateris illius cœlestis, qui aureis radiis refulgentes inter eclipses oritur, hac inscriptione: *Inter eclipses orior.* Caussin. in Aula. S. Contigit id inter alios Jacob Patriarchæ, qui postquam subtractū esset quidquid dilexerat, Rachel, Joseph, Benjamin; tum ecce adfertur ei nuncium lætissimum: *Joseph filius tuus vivit & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Sic revixit spiritus ejus. Gen.45. sic inter eclipses ortus est.

2. Licet in sinistra per hanc vitam hæreant, consolentur se spe futuræ felicitatis, quam in altera vita accipient, quia in hac nullam habuerunt. Ita. S. Basilius hom.13. in Ps.48. *Ne sis pusillanimis erga præsentia*, inquit, *sed expecta beatam illam & perpetuam vitam, videbis enim tunc, quod in commodum justo datur paupertas & ignominia & privatio deliciarum, &c.* Hac ratione Iob in sinistra gestatus se consolabatur: *Cunctis diebus quibus nunc milito*, inquit, *expecto donec veniat immutatio mea.* Abraham dedit filiis concubinarum, id est servilium conjugum, munera, mobilia scilicet bona, aurum, argentum, vestes, &c. Sed vicissim Isaaco filio Saræ dedit cuncta, quæ possederat, hoc est, immobilia & vinculata bona, seu jus majoratus, tanquam hæredi totius substantiæ suæ. Gen.25. Cogitent hi se filio Saræ, illos verò filios concubinarum esse.

Qui in dextra sedent moderatè utantur fortuna sua.

III. Qui in dextra sedent, moderate utantur fortuna sua, non se dedant deliciis, non proluant voluptatibus, ne iis inviscati hæreant, captivi sicut muscę cùm melle plenę insidēt. Delibent potiùs moderatè fortunam suam, ut semper avolare ad Deum & animæ curam possint, juxta id Prov.25. *Mel invenisti: comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Satietas enim mellis nauseam parit. Novinus sub Gedeone Duce, jussu Dei reprobatos à militia eos, qui proni ad bibendum è flumine procubuerunt, seseque proluerunt: electos econtrà illos, qui stantes manu aquam ad os projecerunt: & velut canes è Nilo obiter ac moderatè biberunt, Iudic.7. Priores imitantur, qui suis cupiditatibus fræna laxant, semper in conviviis hærent, semper in bysso & purpura incedunt, & dormiunt in lectis eburneis ad instar illius epulonis: qui epulabatur quotidie splendidè, quotidie vestiebatur purpura & bysso, nihil unquam remisit aut dedit pauperibus, ideò periit miser. Iactant illi se provinciarum columen & defensores esse. Verum deliciis assueti, ne arma tractare, nec quidquam pro patria defendenda sustinere possunt. In hac dextra perversus est Salomon, dum omnia sibi comparavit, quæ desideravit cor ejus: sicque scidit & perdidit regnum suum in deliciis & pace quod poter ejus parârat & servârat in persecutione & bello. Sic periêre Romani in deliciis, qui crêvere in paupertate, laboribus ac malitia, teste Livio l.1. dec. 1.

Qui in sinistra, patienter ferant fortem suam.

Vicissim qui in sinistra sedent, patienter ferant sortem suā, & cogitent 1. se forsan eam promeruisse; id quod indicat Deus Ier. 4. populo Hebræorum, præ-

prevaricatori: *Viætuæ & cogitationes tuæ fecerũt tibi hæc*; ut scilicet à Chaldæis tã arctè obsidereris. Bene in Apologo, conquerentibus de securi, à qua tot exscinderentur, arboribus dixit una: *Quid querimur, cùm nos ei porrigamus manubrium?* Pari modo infelices, quid quæruntur contra Dei iram & severitatem: cùm ei manubrium dent, peccatum? Descendant cum nautis illis tempestate jactatis Jon. 1, ad interiora navis, hoc est, in conscientiam suam & invenient ibi Ionam, tempestatis suæ causam. Aperiant cum fratribus Josephi saccos suo, & invenient scyphum alienum, persecutionis causam; tunc dicent; *meritò hæc patimur*, Gen. 42. Deinde Deum velut optimum patrem prævidisse, quid unicuique conducat sicut mater uni filio fortioris stomachi permittit poma, pira, cerasa, & quæ alteri debilioris stomachi filio negat. Sic medicus uni infirmo permittit vinum & carnes, alteri prohibet & illorum loco dat amaras potiones, &c. Quòd si hic queratur contra medicum, ille respondebit: Poteris quidem si velis etiam vino & carnibus uti, sed ad tuam perniciem. Novit Deus pauperes, ægros & plebejos homines ad meliorem fortunam ferendam inidoneos esse, in eaque facilè perituros: unde sinistram illis dedit. Exemplo sunt Hebræi, qui in captivitate positi unum Deum verum invocabant: in patria verò sua variorum sæpe Deorum opem implorabant. Exemplo est domus illa paupercula, in vita S. Antonini, quæ postquam ab Antonino ditata fuit, mox perversa fuit. 3. Nesciunt etiam plerumque presbyteri Conf. Scoti scribit miro prorsus, non tamen incredibili exemplo Adamañus Abbas Huensis apud Surium 9. Junii c. 24. his verbis: *Alio in tempore quidam ad Sanctum plebejus venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ stagni littoribus aporici est contermina. Huic ergò miserabili viro, qui unde maritam & parvulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miseratus, ut potuit quandam largitus eleemosynam, ait, miselle homuncio, tolle de sylva contulum vicina, & ad me citiùs defer, Obsecundans miser juxta Sancti jussionem, detulit materiam, quam Sanctus excipiens, in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens, & illi adsignans inopi dixit: Hoc veru diligenter custodi, quod, ut credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris bestiis quoq; & piscibus. Et quamdiu talem habueris sudem, nunquam in domo tua cervinæ carnis cibatio deerit abundãs. Quod audiens miser mendiculus valde gavisus, domum revertitur, veruq; in remotis terræ infixo locis, quæ sylvestres frequentabant feræ & vicina transacta nocte manè primo pergit revisitare volens veru, in quo miræ magnitudinis cervum cecidisse reperit transmissum. Quid plura? Nulla, ut nobis traditũ est, transire poterat dies, qua non aut cervum aut aliquam reperiret in veru infixo cecidisse bestiam, repleta quoq; tota de ferinis carnibus domo, vicinis superflua vendebat, quæ hospitium suæ domus capere non poterant. Sed tamen diaboli invidia per sociam, ut Adam, & hunc etiam miserum invenit, quæ non quasi prudens, sed fatua taliter ad maritum locuta est: Tolle de terra veru. Nam si in eo homines, aut etiam peccora perierint, tu & ipse, & ego cum liberis nostris aut occidemur aut captivi ducemur. Adhæc maritus inquit. Non ita fiet. Nam Sanctus vir mihi benedicens sudem dixit: quòd nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Post hæc verba mendicus uxori consentiens, pergit, & tollit de terra veru, intra domum quasi amans illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus ejus incidens canis disperiit. Quo pereunte, rursum marita. Uunus ait, filiorum tuorum incidet in sudem, & peribit. Quo audito ejus verbo maritus veru de pariete removens ad sylvam portat, & in densioribus infixit dumis, ut putabat, ubi à nullo possit animante offendi: sed postera reversus die capream, in eo cecidisse & periisse reperit. Inde quoq; illud removens in fluvio, qui latine potest dici Nigra Deo, juxta ripam sub aquis abscondens infixit. Quod alia revisitans die esocen* (Salmling.) *miræ magnitudinis in eo transfixum & retentum invenit, quem de fiumine elevans vix solus ad domum reportare poterat; veruq; secum de aqua simul reportans extrinsecus in superiore tecti affixit loco, in quo & corvus de volatus impetu lapsus disperiit jugulatus. Quo facto miser fatuæ consilio conjugis depravatus veru tollens, de tecto assumpta securi, in plures concidens particulas, in ignem projecit, & postea quasi suæ paupertatis amisso non mediocri solatio, remendicare, ut meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum solamen sæpe superius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis & retibus, & omni venationis & piscationis genere servatum posset sufficere, beati viri donatum benedictione, quodq; amissum miser plebejus eo ditatus pro tempore ipse cum tota familiola serò licet omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ.* Patet hinc egenos plerumque impotentes esse ad ferendam fortunam ditiorem, ideoque eam illis consultò negati à Deo: quomodo militiæ dux dat unicuique arma, quæ quis ferre potest. Et hoc est, quod Dominus dicit, Matth. 25. data unicuique servo talenta, *secundum propriam virtutem.* Quare bene Apostolus 2. Cor. 6. ait: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* Potens est enim Anna, id est gratia Dei in utroque brachio sustinere nos & ad cœlum deportare: si nobis ipsi non defuerimus.

IN

IN FESTO SANCTI LAVRENTII.

Evangelium, Joannis 12.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministraverit, me sequatur: & ubi sum ego illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.

CONCIONES.

I. Fructus Eleemosynæ.
II. Decem tituli, quibus homo ad serviendum Deo obstrictus est.
III. Servitus Dei qua in re consistat.
IV. Quomodo Christus & Laurentius granum frumenti fuerit, & quivis Christianus esse debeat.
V. Lauro comparatur Laurentius.
VI. Laurentii ignis nobis salutaris.
VII. Quomodo odisse oporteat se & sua.
VIII. Documenta.

CONCIO I.

FRUCTUS ELEEMOSYNÆ.

I. Mundat à peccatis.
II. Gloriam parit.
III. Fiduciam præbet coram Deo.
IV. Vitam æternam meretur,
V. Iram Dei exarmat.
VI. Bonis temporalibus auget.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, Joan. 12.

HOc granum frumenti, quod Dominus sibi comparat in hoc Evangel. hoc idem comparat Apostol. 2. Cor. 9. eleemosynæ, cum de ea loquens ait? *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Optimè dixit Magister, optimè Discipulus. Granum frumenti Christus est, quia nisi in terram sepulturæ cadens mortuus fuisset, solus ipse mansisset, homines non redemisset: quando vero mortuus est, multum fructum attulit. Granum frumenti etiam annona est, quia nisi in sinum pauperum mittatur, ipsa sola manet, imo tandem à vermibus corroditur & avolat: jactata vero in sinum pauperum, multum fructum affert. Audiamus S. Basilium orat. in divit. *Quemadmodum frumentum in terram cadens, lucrum projiciendi parit,* inquit, *sic & panis in esurientem projectus multam imposterum tibi reddet utilitatem.* Hoc frumentum S. Laurent. in terram jecit, cum thesauros Ecclesiæ sibi creditos jussu Xysti Pont. ante martyrium pauperibus divisit: propter quod Ecclesia de illo canit: *Dispersit & dedit pauperibus.* Quare pauperum sinus per terram Palæstinam designatus videtur, Genes. 26. *Sevit enim Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus: Et locupletatus est homo, & ibat proficiens & succrescens, donec magnus vehementer effectus.* Nunquam legitur alia terra fuisse tam fertilis: nec fertilior est in mundo præterquam sinus pauperum. Jam igitur si Agricolę terram illam maximè percolunt, quæ fertilissima est: Ita & nos terram pauperum libentius excultu-ros spero, si, quantos ea fructus afferat, perspexerimus.

Fructus Eleemosynæ non absimiles sunt ii, quos peperit Christi mors.

B.

1. *Mundat peccatis.*

Primo, Christus morte sua filios suos non videlicet omnes vivificavit, & à peccatis mundavit. Hoc facit etiam Eleemosyna teste Raphaele Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat pec-*

peccata. Et Eccl. c. 3. *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Imo Christus Luc. 11. *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* Unde elemosyna à S. Ambr. serm. 32. S. Leon. serm. 2. de collectis S. Hier. in Psalm. 133. quasi secundus baptismus appellatur; qui pœnam & culpam aufert. Quod posterius intelligendum dispositivè saltem, quia instar Syrupi disponit cor ad contritionem & impetrat à Deo efficacia auxilia ad gratiam consequendam: (non ad proximum & formale antidotum sit peccatorum) quemadmodum dicere solemus de iis, qui Judices vel Dominos suos muneribus reddunt sibi benevolos: Wann man schmieret/ so gehets. Non possumus ipsam Dei personam muneribus nobis conciliare & reddere propriam: Possumus verò, si propter ipsum demus eleemosynam, pauperibus. Hæc est axungia, quæ currum disponit ad facilem progressum, non quod sola axungia faciat progredi currum [debent enim nihilominus equi adhiberi. Unde S. Aug. serm. 6. ad fratres in eremo ait: *Misericordia ad Deum dirigit hominem, Deumque deducit ut habitet in homine.* Cujus rei exempla sunt Zachæus, cujus liberalitate audita, qua dixerat, Luc. 19. *Ecce dimidium Bonorum meorum do pauperibus:* mox adjecit Dominus, *Hodie salus huic domui facta est.* Centuriones duo, prior ille Evangelicus, qui quod Judæis Synagogam ædificarit, sanitatem puero & sibi fidem impetravit. Alter in Actor. Apost. c. 10. ob suas eleemosynas meruit ab Angelo admoneri, ut accerseret Petrum, & fidem ac baptismum susciperet ab illo. Ex quo loco probat S. Aug. de prædest. Sanct. c. 7. Cornelium per eleemosynas impetrasse à Deo gratiam fidei & justificationis. Aliud pręterea exemplum refertur in vita S. Joan. Eleemos. de Petro, cive Alexandrino divite, sed inprimis avaro; ut propter ejus avaritiam sit inter Mendicos ortum certamen: Unus asserebat se ab eo eleemosynam eliciturum, alter abnuebat. Qui promiserat, accessit cum multo precum ambitu, & dum hominem avertentem sese urgere cœpisset, ad iram concitavit, ita ut furore ardens, repente arreptum panem in faciem postulantis projiceret: qui cum declinasset ictum sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum socio nuntiavit. Petrus dehinc ægritudine captus cum aliquot horis exanimis jacuisset, & ad se rediisset, narravit se, ut videbatur, ad tribunal Dei pertractum fuisse, & aliis eum accusantibus, aliis vero defendētibus, peccata ejus in unam libræ lancem appensa fuisse, in altera vero unicum illum panem, quem ipse quondam in pauperem projecerat. Et cum exæquatum utrinq; pondus staret: præceptum illi est, reverteretur ac pani superadderet aliquid, quod præponderaret, si multi reatus supplicia cuperet evadere. Exinde quæ cupide conflaverat, libenter cœpit effundere, neminem indigentium excludens, ac demum seipsum vendidit, quo aliorum inopiæ succurreret. Quod si ergo unicus panis cum indignatione datus tantam in homine mutationem potuit efficere, quid non efficiet copiosus cum charitate porrectus?

G. II. *Gloriam parit.*

Secundo. Christi mors gloriam illi etiam temporalem in orbe universo peperit, adeo ut ipsum sepulchrum ejus fuerit gloriosum, & ipsa Crux ejus ab omnibus coli & adorari cœpta sit. Similiter eleemosyna gloriam & nominis celebritatē parit eleemosynario, & conciliat benevolentiam plurimorum, quod ipsi bene precentur, loquantur & Deum propitium reddant. Sic Ps. 111. dicitur: *In memoria æternà erit justus ab auditione malà non timebit, &c. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Unde S. Chrysost. vocat eleemosynam torquem auream nobiliam Sanstorum: de qua & Salom. Prov. 3. ait: *Circumda eam gutturi tuo, & invenies gratiam bonam coram Deo & hominibus.* Idem Chrysost. in Gen 11. ait, nos per eleemosynam posse celebrare nomen nostrum, quod contendebant ædificatores turris Babel. *Pecunias tuas,* inquit, *in manus inopum dispensa, relictis lapidibus & splendidis ædificiis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria à sarcina peccatorum alleviat, hæc multam fiduciam apud Deum conciliat. Audi obsecro verba, quæ singuli dicturi sunt: Hunc misericordem benignum: hunc suavem largumque dispensatorem.* Subditq;: *Tali ergò ædificio nostri memoriam relinquere studeamus.* Hæc ille. Nihil magis mundi Principes & nobiles quærunt, quam gloriam sibi parere & nomen suum celebrare; sed præposterè rem aggrediuntur: Vestiuntur enim serico, prægravantur aureis torquibus, conglomerant famulos, & familiam, alunt equos & canes venaticos, splendida convivia instruunt Magnatibus, &c. atque hinc se gloriosos reputant. Sed multum decipiuntur: hæc enim & apud alios inveniunt, hisque longe majora: & qualiacunque tandem sint, divitias prædicant, non divites: & post mortem evanescunt. *Vbi sunt, qui in avibus cœli ludunt? exterminati sunt & ad inferos descenderunt,* Baruch. 3. Longe aptius medium celebrandi nomen est eleemosyna, quæ quo largior, eo rarior & mirabilior ac celebrior, quę largitores ipsos etiam post mortem celebrat. Talis Laurentius de Thesauris interrogatus, numerosum pauperum gregem ostendit Tyranno, dicens: *Ecce isti sunt thesauri, &c.* Cujus factus æmulatus Amedæus Dux Sabaudiæ, de quo alias, magnam sibi laudem peperit. Magnam hinc laudem habent Galliæ Reges, è quibus S. Ludovicus 120 pauperes sibi semper adscivit & iisdem cibis aluit, quibus ipse vescebatur; Quadragesimæ verò diebus duplicabat numerum, atque ita annos 44. cum summa nominis sui gloria imperavit. Ex eodem regno Robertus Capeti filius mille pauperes continuo aluit, eisque jumenta præbuit, ut ipsum, quocunque iret, sequerentur, proque ipso vota facerent. Unde contigit ut nemo diutius felici usque regnaret. Consueverunt ejusdem Galliæ Reges

Reges quotidie 30. nummos aureos [tot scilicet quod denariis venditus fuit Christus] in pauperes erogare; atque hinc magnam habent laudem.

D. III. *Fiduciam præbet coram Deo.*

Tertio. Christus morte suâ promeruit sibi potestatem judicandi totum mundum. At eleemosyna præbet fiduciam & securitatem coram Judice illo in articulo mortis. Sic Tob. 4. dicitur: *Fiducia magna erit, coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Et Psal. 111. *Jucundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in judicio.* Et Jac. 2. *Superexaltat misericordia judicium*: Græcè: *adversus judicium gloriatur misericordia,* tamquam victrix scilicet: *quia nimirum eleemosyna,* ut inquit S. Chrysostom. hom. 33. ad pop. *Christi tribunali astat, non tantum patrocinans, verum etiam persuadens judici, ut pro reo sententiam ferat.* Quemadmodum ostendit Dominus illa judicii forma: *Venite benedicti, esurivi enim, &c. Habet enim eleemosyna multos intercessores,* inquit S. Hieronymus. ep. ad Nepotian. *& impossibile est multorum preces non exaudiri.* Exemplum scribit S. Gregorius homil 32. in Evang. de Matrona, cui duo martyres habitu peregrinorum, quibus ipsa eleemosynam largiebatur propius astâtes dicebât: *Tu nos modo visitas, nos te in die judicii requiremus & quidquid possumus præstabim⁹ tibi.* Et hoc dicto evanuerût: probabiliter erant SS. Processus & Martinianus, in quorû Ecclesia id fiebat. Similiter opem præstitisse non ita pridem Carthusianos Martyres sub Henrico VIII. Angliæ Rege, matronę cuidam agonizanti, quæ eos in carcere eleemosyna & variis obsequiis juverat, refert Cornel. à Lapide in Deutero cap. 26.

Et hinc nascitur spirituale quoddam gaudium & internum solatium in homine liberali erga pauperes, ita ut S. Cyprianus in serm. de eleemosyn. vocet eleemosynam *grande solatium credentium.* Hoc enim præcipue convenit eleemosynæ, quia per eam Deo simul & proximo gratum præstamus obsequium, eosque nobis obligamus ac quasi (ut ait Chrysostomus hom. 32. ad pop.) devincimus; estque opus, quod no obscure, sed apertissime dignoscitur esse bonum. Unde fit ut maximam habeat fiduciam remunerationis in Judicio. Cujus exemplum patet in S. Stephano Ungariæ Rege, apud Surium. Cum enim nocte quadam divino motus instinctu, pauperum gregem viseret, ut pecuniam eis distribueret: Ecce pauperes distributione pecuniæ nimium inhiantes, regi barbam evulserunt. Unde is gaudio ingenti perfusus coram B. Virgine prostratus orat: *Regina cœlestis & mea en quem tu regem constituisti, eum sic honorarunt milites tui, At nunc sciens, hinc mihi parari æternam felicitatem, impense lætor,* gratias agens illis piissimi Salvatoris consolatoriis verbis, quibus Discipulos suos confirmavit: *Capillus,* inquiens, *de capite vestro non peribit.* His dictis cum se vir cœlesti gratia & spirituali charismate perfusum sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia opem poscentibus claudere.

E. IV. *Vitam æternam meretur.*

Quarto. Christi mors æternam illi summamque attulit gloriam, ut esset rex omnium Cœlitum. Similiter eleemosyna æternam meretur gloriam, si videlicet ab homine justo, & ex charate fiat, sic Dominus: *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo.* Hanc enim iniit nobiscum Deus contractus societatem ut pro terrenis bonis, quæ ipsi damus, velit nobis dare cœlestia: sicut comercia nostra sunt cũ Indis, nos afferimus eis nostra, quæ sunt fere exigui momenti, illi dant nobis sua, quæ sunt maximi pretii, sed apud ipsos propter copiam parvi æstimantur, ut aurum & gemmæ. Multo magis abundat omni genere bonorum terra viventium, unde pro nihili ducit Deus ea nobis pro re vili dare, modo nos ei vilia nostra præbere non dubitemus. Unde S. Leo serm. 9. de jejunio 10. mensis ait: *Temporale donum in præmium transit æternum.* Et Chrysost. hom. 19. de pœnit. *Mercatura,* ait, *negotiatioque tua cœlum est; da panem, & accipe paradisum; parva da & magna suscipe; da mortalia & recipe immortalia.* Et quam multa sunt hujus veritatis testimonia.

Testatur Severus Sulpitius in vita sancti Martini, quod pro vili tunica, quam pauperi dederat, receperit aliam splendidissimam cœlesti manu sibi factam dum Missam celebraret.

Testatur S. Gregor. lib. 4. Dial. c. 36. visa à quibusdã exædificari in cœlo tabernacula certis Eleemosynariis, aureis lateribus ab omnibus iis, quibus Eleemosynas præbebant.

Narrat Eviratus ex Leontio in prato spirit. cap. 195. de Synesio Episcopo, adductum ab eo ad fidem Evagirum quendam Philosophum, qui cum sæpius audisset centuplum à Christo promissum, iis, qui sua pauperibus elargirentur, Synesio dedit auri tria centenaria in usus pauperum dicens: *Accipe aurum istud & distribue illud pauperibus & fac mihi cautionem manu tua, quod Christus ipsum mihi reddet in futuro sæculo.* Qua accepta, post aliquot annos morti vicinus mandat filiis suis ut cum ipso chirographum hoc sepeliant. Tertia die post sepulturam apparuit sub quietem Synesio dicens: *Veni ad sepulchrum ubi jaceo & accipe chirographum tuum, accepi enim debitum & satisfactum mihi est.* Aperto igitur sepulchro recepit de manu Evagrii Chirographum Episcopus, in quo Philosophi manu hæc verba exarata erant, *Ego Evagrius Philosophus tibi sanctissimo Domino Synesio Episcopo salutem. Accepi debitum in his literis manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, & nullum contra te jus habeo, propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo & Salvatori nostro.*

Quinto.

F. V. *ram Dei xarmat.* Quinto. Christi mors Patris iram exarmavit, ne puniret peccatores. Idem suo modo facit Eleemosyna. *Nam* ut ait S. Augustinus hom. 29. inter 50. *Sacrificium Christiani est, Eleemosyna in pauperem, hinc enim fit Deus peccatis propitius.* Testem adhuc graviorem vultis? sanctum Paulum audite ad Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostibus promeretur Deus.* Hinc Daniel suasit Nabuchodonosori: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemosynis redime & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan* (hoc est utique) *ignoscet delictis tuis.* Audi Joan. Moscum in prato spirituali cap. 175. *Narravit*, inquit, *nobis quidam Patrum de Zenone Imp. dicens: quod mulierem quandam in filia ipsius injuriose tractaverit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ S. Dei genitricis, orans, & deprecans & cum lachrymis dicens. Vindica me de Zenone Imp. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei Genitrix dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibet me.* Erat enim valdè misericors, & Eleemosynas faciens. Merito ergo ait Eccles. capite 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemosyna resistet peccatis.*

G. VI. *Bonis temporalibus auget* Sexto. Christus sua morte velut semen in terram jactum ingentem sibi peperit segetem Christianorum, imo etiam Clericis suis bona temporalia, prædia, &c. Ita & pecunia pauperibus erogata nequaquam dantem depauperat, sed temporalibus etiam bonis auget & sæpe centuplum affert: Sic testatur Sap. Prov. 3. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et Prov. 20. *qui dat pauperibus; nunquam egebit.* Imo hoc promisisse videtur Dominus cum dixit: Luc. 6. *Date & dabitur vobis.* Cujus rei specimen edidit cum ex quinque panibus sibi oblatis, & à se multiplicatis ac destribuere jussis satiavit ingentem turbam, & præterea affecit ut duodecim corbes pleni superessent fragmentorum. Vidua etiam Sarepthana, quæ modicum farinæ & olei Eliæ in Eleemosynam tribuit, pro eo recepit plurimum farinæ & olei ad longum tempus sufficiens; nam *hydria farinæ non defecit, & lecythus* non est *imminutus*, 3. Reg. 17. Unde S. Augustinus serm. 25. de verbis Domini, ait: *Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum.* Quare S. Cyprianus in serm. de Elemos. & S. Basil. in orat. ad divit, comparant divitias aquis puteorum? quæ si frequenter hauriantur, semper puriores & copiosiores scaturiunt: Si vero immotæ serventur, putrescunt & decrescunt. Idem expresse habet Isaias c. 58. cum ait: *Cum effuderis esurienti animam tuam & c. Eris sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ.* Cujus rei non pauca referuntur exempla, apud Gregor. Turon. lib. 5. histor. Fran. apud Leont. in vit. S. Joan. Eleemos. apud Sophron. in prat. Spirit. cap. 58. & 201. Unum de Muliere Nisibeno Christiana, quæ suaserat Marito gentili ut pecuniolam suam pauperibus ad esuram daret: Quo facto cum egere cœpissent, fortè coemerunt piscem, in quo pretiosissimam reperere gemmam, quam vendentes centuplo plus, quàm erogaverant consecuti sunt: indeque vir conversus. Alternm de juvene aurifabro, qui crucem auream jussu Magistri fabricandam acceperat, quam vir quidam patricius fieri curabat, Ecclesiæ dedicaturus. Cum enim juvenis cogitaret, quantum auri vir ille expenderet pro donario Ecclesiæ, ipse quoque suæ mercedis pretium subductis rationibus addere cogitabat, velut vidua illa duo saltem minuta, Examinata cruce & ponderosiore inventa, quam aurū traditum foret, suspicabatur primo patricius fraudem fortè factam in auro adulterato: sed intellecto juvenis facto & voto: eundem adoptavit & bonorum suorum hæredem instituit. Aliud refert Paulus Diacon. lib. 18. de gestis Rom. de Tiber. 11. Imp. qui cum omnia sua ad pias causas expendisset, eo penè redactus est, ut sumptus mensæ principali deessent. Ob quod Sophia Augusta (Justini Imp. Vidua) ei molestè insultabat. Sed respondit ille: *Non deerit Deus vel pecunia fisco nostro, thesaurizemus in cœlis & nihil nobis deerit in terris.* Postea in palatio deambulans, vidit in pavimento tabulam marmoream humi stratam, cui signum crucis insculptum erat. Quam cum elevari jussisset, ne crucis signum pedibus tereretur: alteram similem, & sub ea tertiam eadem cruce insignitam reperit. Quibus omnibus sublatis, ingentem reperit thesaurum, ad coronatorum ferè millionem, quam summam cum brevi in pauperes & Ecclesias largiter effudisset: rursum majorem acquisivit thesaurum, defossum à Narsete Eunucho, senis cujusdam indicio patefactum: cui effodiendo multis opus fuit diebus. Aliud refert Leontius in vita S. Joan. Eleemos. de pater famil. qui cum esset tenacior, mandavit famulo ut se inscio, quolibet die quinq; denarios daret pauperibus, diffidens sibi, ne fortassis à tenacitate vinceretur. Famulus dum id agit, sensit rem domesticam augeri, & audacior factus duplicavit denarios & animadvertit multo majus fænus quemadmodum & ipse herus, qui famulum audiens. *Animadverto*, inquit *quod ob 5. denarios quos pauperibus quotidie distribuimus, singulariter nobis divina largitas benedicat, unde jubeo ut decem de cætero distribuas.* Ad quod ille: *imo ita jam aliquamdiu etiam non jussus feci, reipsa namq;* comperiens divinitus opes multiplicari.

Qua ex re apparet non vanam esse Chrysost. sententiam, quod Eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima, super qua scripsit hom. 33. Quod enim non quæstus parit? Parit remissionem peccatormu, & gratiam, gloriam & celebritatem apud homines,

amicos & defensores in diem necessitatis, vitam æternam, & temporalium denique bonorum copiam. Quid ultra desideretur?

Errant igitur toto cœlo qui cum Ethnicis dicunt vel sentiunt, perire, quidquid egentibus datur. Quam impiā sētētiam refutat Lactantius Firmian. l. 6. cap. 11. Verissimè enim dixit Salomon. Proverb. 19. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis & vicissitudinem suam reddet ei.* In quæ verba ait S. Basilius conc. 2. in Psalm. *Cum pauperi dare voles propter Dominum, idem est & donum & mutuum. Donum quidem quia non speras receptionem: mutuum vero propter Domini magnificentiam, qui pro ipso persolvit & paucis per pauperem acceptis magna reddit.* Ergo quisquis super quæstuosam hanc artem exerceat, præsertim vero divites, qui cum alias artes laboriosas addiscere & exercere nolint, saltem hanc addiscant, sibi non modo salutarem, verum & gloriosam. Certè in die judicii severè examinabuntur, num artem hanc exercuerint. Et væ illis, si non, quia audirent: *Discedite, &c.*

CONCIO II.

DECEM TITULI, QUIBUS HOMO ad serviendum DEO obstrictus est.

I. Creatio.
II. Obsequia in bonum hominis.
III. Conservatio.
IV. Incarnatio.
V. Redemptio.
VI. Merita Christi.
VII. S. Eucharistia.
VIII. Beneficia privata.
IX. Adoptio & jus ad vitam æternam.
X. Professio Christianismi.

THEMA.

***Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, Joan. 12.**

MIrum & miserandum est, quod bruta animalia, licet fines suos, ad quos à Deo creata sunt, non cognoscant, ad eos tamen rectissimè & sine errore maximoque conatu, quam primum etiā nata sunt, ferantur, solus homo ratione præditus finem suum partim non agnoscat, partim non curet vel quærat. Si quis enim Catellum recens natum, vel murilegum dimittat, nequaquam ad sylvas currēt, sed ad ædes hominum, & ibidem mox incipient, ille Dominum sibi quærere eique inservire & ædes pervigili latratu custodire: hic vero muribus domesticis insidiari. Dimittat contra vulpeculam aut lupi catulum: statim ad sylvas current, ibidemque se abdentes insidias parabunt, illa anseribus & gallinis: hic ovibus, &c. Similiter aranea & apicula, quamprimum nata sunt, illico nullo Magistro, hæc è floribus mel, illa venenum suget, hæc favum conciñabit, illa retia texet & muscas aucupabitur mirabili industria. Nec minus alia animalia ad amussim tendunt rectissimè ad fines suos. Solus homo ratione præditus non videtur agnoscere finem suum. Hinc enim tam multi errores gentilium, dum alii dicebant finem hominis esse, contemplari cœlum & solem, alii edere & bibere & sectari voluptatem, alii alia. Et quamquam lumen ipsum naturale satis dictat, factum esse hominem, ut serviat Deo suo; idque multi intelligunt; ad hunc tamen finem suum pauci admodum tendunt seipsos impellendo. Indigemus multis stimulis, quibus ad hoc instigemur, multis promissionibus, quibus alliciamur, quod in hodierno Evangelio fecit Dominus, cum dixit: *Si quis mihi ministraverit me sequatur & ubi sum ego; illic & minister meus erit.* Et rursum: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Indigemus denique multis argumentis & motivis, quibus persuadeamur: Quæ cum multa & fortissima sint, proponenda mihi visa sunt.

B. I. *Creatio.*

Primus titulus est creatio, Et hic triplex. Est enim Deus causa nostra efficiens, quia nos ex tenebris nihili & profundissima abysso, & in lucem essentiæ & naturæ eduxit. Est causa exemplaris, quia nos ad imaginem & similitudinem suam fecit. Est causa finalis, quia ad seipsum tanquam ad proprium finem nostrum nos condidit & ordinavit, ut scilicet serviamus ei. Ratione primæ magis Deo subjicimur, quam filius parentibus, mancipium Domino, jumentum possessori, statua sculptori, & vas figulo. Parentes enim corpus tantum filio tribuunt Dominum in servi corpus tantum potestatem habet: Sculptor aut figulus solam externam figuram rebus arte factis tribunt: Deus verò usque ad fundum penetrans, totum hominem produxit, eique totum quod habet esse tribuit. Quare sicut filius obligatur ad serviendum, & amandum Patrem, & in necessitate ab eodem vendi potest juxta leges: sicut Dominus de suo mancipio vel jumento: Opifex de suo opore, statuere potest pro arbitrio, eoque prout libet, uti: Sic è potiori potest nos Deus extollere & deprimere, percutere & sanare, occidere & vivificare, salvare & condemnare. Unde Dominus: *Nolite timere, eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam,* Matth. 19. & Job cap. 11. *Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei; vel quis dicere potest: Cur ita facis?*

Ratione secundi, ita ei subjecti sumus, sicut imago suo

go suo prototypo. Unde sicut totum imaginis officium est, exprimere & repræsentare suum exemplar: ita tota hominis functio & munus est, imitari Deum ejusque perfectiones, quantum potest; sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, &c. Est enim homo imago Dei viva, non mortua.

Ratione tertii nihilominus ei servire obligamur, quam corpus animæ, jumenta Domino, domus suo Architecto, vinea suo cultori & plantatori. Quis enim emit jumentum aut mancipium nisi ut servitio ejus gaudeat? Quis ædificat domum aut plantat vineam, nisi ut illius usu & hujus fructibus perfruatur? Fecit autem Deus hominem ut ab illo cognoscatur, ametur, timeatur, honoretur, laudetur, præcepta sua serventur, & omnia ad gloriam suam fiant, id quod est, servire Deo. Quod si nos potestatem habemus in creaturas inferiores, quia propter nos velut finem factæ: & si pro libitu cum eis agimus: eas etiam, quæ nobis parum aut nihil servire videntur, exterminamus: quãto majus jus ex hoc titulo in nos habet Deus: maxime exterminandi nos, si non serviamus ei? Propter ipsum enim intrinsecè sumus, & secundum substantiam ipsam: ipse præterea noster creator est, &c.

C. II. *Obsequia in bonum hominis.*

Secundus est, quod omnia quæ in mundo sunt, in bonum & obsequium hominum deputavit, ubi triplex etiam beneficium continetur. Primò enim mundum totum creavit in nostrum commodum; siquidem Angeli corporeo hoc mundo non indigebant. Secundo mundum præterea totum nostri causa assiduè laborare & perpetuo nobis servire fecit. Nobis enim gyrantur cœli, nobis splendet sol, lucent astra, flant venti, coguntur nubes, destillant imbres, labuntur flumina, stant maria, fœcundatur aqua, germinat terra, & parturit omnis rerum natura. Unde Dominus: *Solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Non vescimur quidem muscis, sed vescimur tamen avibus, qui nutriuntur illis: non vescimur nos herbis, sed vescimur tamen bobus, qui pascuntur illis. Et vide quid Deus agat, ut bolum panis, quem comedis, tibi det, providet motum cœlorum & elementorum, labores ejus, qui terram coluit, frumentum seminavit, messuit, trituravit, collegit: ejus item qui illud moluit, pinsuit, ejus qui ad mensam portavit, vel fortè liberaliter tibi donavit. Ad unicam vestem tuam, quot creaturæ operam suam contulerunt, donec eam indueres? Tertiò Angelos multo nobis præstantiores ad custodiam nostram deputavit. Quæ cum ita sint, quis non videt quanto jure Deo obligemur? Si enim ille totam hanc mundi domum tam vastam & tam instructam omnis generis apparatu, nobis ædificavit & commodavit, quis non illi censum reddat, perpetuæ servitutis? Si illius imperio & impulsu sine intermissione omnia nobis serviunt, laborant & fatigantur: imò ipse in & cum illis, velut causa prima & opifex cum instrumentis: quis non vicissim illi totis viribus serviat? S. Martinum legimus subinde famulo suo inservisse, calceamenta detraxisse, & tersisse: quid igitur putamus fecisse illi vicissim famulum? Denique si nobilissimos illos regni sui Principes ad tutelam nostram ablegavit, ut essent nostri satellites: quod obsequii genus ei non debemus? Præsertim cum hæc omnia fecerit, ut nos ad obsequium suum alliceret? Si cui peregrino adventanti Princeps civitatis omnes suos famulos & aulicos mitteret, ut ei inservirent, quid putas, faceret peregrinus ille Principi? Unde S. Augustinus libro 10. Confess. cap. 3. ait: *Cœlum & terra & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem: nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles.*

D. III. *Conservatio.*

Tertius est conservatio. Non enim solummodo creavit nos Deus, sed etiam perpetuo conservat in esse. Neque enim ita res à Deo factæ sunt, ut possint per se solæ consistere, sicut domus semel facta, abeunte artifice per se stat: sed opus est assidua conservatione earundem, sine qua ne ad momentum quidem poterunt subsistere. Eam vero quadruplici modo possumus concipere. Primo per modum sustentationis, quasi mundus & creaturæ Deo velut firmissimo fundamento innitantur, quo sublato in centrum nihili sui recidant; sicut vitrum supra manum, qua subtracta statim corruit: Sic S. Dionysius vocat Deum *omnia tenentem, fundum & fundamentum*, libro de divin. nominibus c. 10. Secundo per modum suspensionis. Deus enim per creationem, trahit creaturam ex nihili abysso sursum, & per conservationem ibidem suspensam tenet, velut pondus; quod alioquin mox decideret, si à manu dimitteretur. Unde Isaiæ 40. dicitur: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Et ad Hebr. 1. dicitur: *portans omnia verbo virtutis suæ.* In quem locum sanctus Anselm. in capite 1. ad Hebr. ait: *portat omnia, id est, sursum tenet, ne decidant & in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant: & sustentat ea non labore & difficultate, sed imperio suæ potentiæ.* Tertio per modum influxus & subministrationis. Sic Deus dicitur omnium esse *vita & spiritus oris nostri*, Thren. 4. quia sicut non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed debet id conservare continuo à fluxu: à quo si vel per momentum cesset, totum extinguetur, sicut spiritu interclusо & respiratione impedita statim extinguitur animal: sicut organum aut tibia utricularis, nisi continuo subministretur aer, mox conticescit: sicut Horologium, nisi à pondere continuo moveatur, ilico quiescit: sicut Deus est vita nostra & essentia omnis creaturæ. Quartò, per modum constrictionis: ut enim res fluxa, nisi assiduè constringatur in vase, v. g. statim diffluit & dissolvitur: ita nisi DEUS interius constringat omnium rerum particulas, omnes in nihilum solventur. Quocirca si Deus singulis momentis confert nobis & omnibus creaturis, totum illud bonum, quod semel in creatione dedit: profecto singulis momentis obstringit nos

nos ad obsequium suum. Neque enim necessario, sed libere conservat, sicut non necessario, sed libere creavit. Singulis momentis subtrahere se mundo & abstrahere manum potest, sistere influxum suum potest, cessare à constrictione partium potest: & totus in nihilum ruet. Unde optimè S. Ambros. lib. de dignit. hum. condit. cap. 2. ait: *Sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur DEI bonitate & misericordia, ita nullum debet esse momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria.*

E. IV. *Incarnatio.*

Quartus. Incarnatio, Deus enim nostræ salutis causa: naturam & miserias nostras (absque tamen peccato) voluntariè assumpsit & in eo summum potentiæ suæ fecit: nec non 33. annis in terris conversatus est, nullo suo commodo, imò maximo suo incommodo: nam famem & sitim, frigus & calorem, labores & fatigationes, dolores & contumelias omnisque generis calamitates mortalium sustinuit, ut nobis viam salutis ostenderet & exemplum sibi serviendi præberet. Non indiguit ille orandi studio, jejunandi severitate, circumcisione, baptismo aliisque operibus humilitatis, obedientiæ, patientiæ: omnia nostri causa fecit, ut exemplo suo nos alliceret ad viam vitæ æternæ. Jam si quis Rex deposito regio cultu & plebejo indutus habitu Turciam intraret, & ibidem multo tempore pateretur, faceret & tentaret, quo mancipium suum ibi captivum liberaret: quod quæso huic Domino suo mancipium non deberet? At infinitis partibus majus est, quod fecit Deus. Unde merito S. Bernard. serm. de quadrupl. debito ait: *Quid tibi dirum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille in forma DEI in die æternitatis, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limen tuum, infixus usque ad cubitos (ut dicitur) in limo profundi? Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primo quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, &c.* Sic ille. Quælibet Christi actio nostri causa susceptæ fuit infiniti meriti: nihil ergo est, quidquid rependimus.

E. V. *Redemptio.*

Quintus. Redemptio à servitute peccati, diaboli & mortis, per mortem & passionem Christi. Per peccatum enim subditi eramus peccato, diabolo & morti æternæ: à quibus Christus nos liberavit, non pretio vulgari exhibito, neque pugnando & occidendo. sed pretio sanguinis sui patiendo & moriendo. Quorum utrumque infinitam à nobis postulat & gratitudinem & servitutem, quia nimirum ab infinitis & æternis malis nos liberavit: & quia infinito pretio. Unde si omnes vitæ hujus labores & supplicia perferremus & soli præstaremus, quidquid præteriti omnes sancti fecerunt, nulla adhuc compensatio foret: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Igitur ex hoc capite Deus servitium nostrum triplici jure exigit; Primo jure victoris; qui enim legitimo prælio hostem vincit, jure belli omnia ejus bona capit, arma, captivos, servos, spolia, uti Dominus Luc. 11. hac de re loquens asserit. Ideo *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, ut ait David Psalm. 67. q. d. ex captivitate diaboli abstractos fecit captivos suos. Secundo jure emptionis, quia cum à justitia ad servitutem illam condemnati essemus, solus ille pro redemptione nostra pretium dedit, quod solus dare poterat, unde merito de servitute illa Tyrannica, ad suam servitutem paternam, quæ verissima est libertas, nos transtulit. Hinc in SS. libris vocamur *empti & redempti*, 1. Cor. 6. ad Romanos 3. 1. Cor. 1. Ex quibus sequitur jus tertium, compensationis videlicet, ut vicissim serviamus ei, qui nos à tam dira servitute eripuit. Unde Bernardus sermone de quadrupl. debito ait: *Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam, posuit pro tua & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres.* Et quid magnum hic à nobis exigit? Vult excusso gravi dæmonis jugo suave ejus jugum in nos suscipiamus. Vult ut abdicato Tyranno, ipsum in Dominum nostrum acceptemus. Vult ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo. Quid suavius, quid æquius, quid minus à nobis exigere poterat?

G. VI. *Merita Christi.*

Sextus est thesaurus meritorum Christi, & infinitæ miserationes inde nobis impensæ. Hinc enim Sacramentorum vis & efficacia: hinc indulgentiæ: hinc operum nostrorum valor & meritum vitæ æternæ: hinc omnis nostra satisfactio, reconciliatio, justificatio, adoptio, glorificatio. Quoties à peccatis resurgimus, quoties pœna nobis remittitur, quoties opus bonum in gratiæ statu facimus, toties nobis thesaurus ille communicatur. Quod bene novit dæmon, propterea per ministros suos hæreticos tanto conatu nititur evertere vascula illa salutifera, Sacramenta inquam, indulgentiarum distributionem & bonorum operum exercitium. Jam vero quid ei nos deberemus dicere: qui omnes nostros morbos, quoties indigemus, curaret, & remedium generale contra omnes daret? Quid illi, qui omnes nobis pœnas jure alioqui decretas prævaricantibus donaret? Quid illi, qui omnia nostra verba, cogitationes & opera ita gratiosa & accepta faceret, ut singula mererentur favorem Principum & ingentia donaria? Fecit hoc nobis Christus. Vide num tu ei non debeas servire. Præsertim quia facillimum esse voluit, haurire ex thesauro illo, solam displicentiam peccatorum cum proposito emendationis requisivit: Neque ad hujus Thesauri applicationem & communicationem requisivit perfectam contritionem vel dilectionem DEI, sed rudem tantum & imperfectam animi dispo-

dispositionem per attritionem cum externo aliquo ritu, &c.

H. VII. *Eucharistia.*

Septimus, est memoriale Eucharistiæ in qua seipsum nobis totum dedit in cibum & potum, ut sic totum suum spiritum in animam nostram transfunderet, & in corpus immortalitatem; utque sic in nobis ipse maneret & nos in ipso, ut unum cum ipso intimè fieremus. Non satis erat Christo dedisse se nobis in socium, in amicum, in Magistrum, in Ducem & exemplum, in redemptorem, in pretium, in hostiam & sacrificium: sed præthereà se nobis dedit in cibum & potum, in alimentum vitæ æternæ, non ut ipse in nos miseros & mortales transformaretur, sed ut nos in ipsum beatum & immortalem. Quis hoc audiens, non obstupescat & cum Hebræis manna de cœlo defluum videntibus non exclamet: *Manhu*, Quid hoc? *Quis loquetur potentias Domini*, exclamat hac de re S. Chrysost. hom. 10. ad pop. Antioch. *Auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Cur igitur non & nos vicissim debeamus Deo tradere in famulatum? plus enim est dare se in cibum, quam in famulum. At quid excusationis poterimus obtendere si studia & cogitationes nostras alio converterimus? An nescimus, qualem Deo cultum famulatumq; voverit Jacob ob victum & vestitum tantũ, & reditum in patriam? *Si fuerit Deus mecum*, inquit, *& custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum*, (h. e. promitto quod eum imposterum colam speciali & majore cultu, quam unquam antea) *& lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus DEI* (id est, super eo sacrificabo DEO) *cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi*, Gen. 28. Quod si ergo Jacob pro pane & vestimento specialiter sibi colendum putavit Deum, quid nos illi debemus, pro pane Eucharistico, quo & in anima reficimur & spiritualiter vestimur? Id quod datur immensum est: is qui dat immensus est; charitas, cum qua dat, immensa est: fructus qui inde percipitur, immensus est: homo verò qui hoc donum percipit, minimus vermiculus est.

I. VIII. *Beneficia privata.*

Octavus, beneficia privata & specialia sunt, & hæc multiplicia, tum spiritualia, tum corporalia, fortunæ & gratiæ. Fortunæ sunt: Quod infans non sis extinctus in utero matris: quod non sis natus ex parentibus infamibus, illegitimo thoro, hæreditario morbo infectis, corpore vitiatis, magis & veneficis, mendicis, nebulonibus, &c. Quod à parentibus piis educatus, Magistris probis & Catholicis ad educandum traditus; quod severiore disciplina educatus & à pravorum societate abstractus, &c. Gratiæ sunt. Quod tempore gratiæ natus, quod à Catholicis parentibus, quod lacte Ecclesiæ Catholicæ enutritus & in ejusdem gremio semper perstiteris. Quod occasionem nactus, multa bona in concionibus audiendis, vel quod nactus præceptores & Magistros pios. Magis arcana & unicuiq; propria sunt, ut quod ab hæresi conversus, in fide perstiteris etiam post graves tentationes, indeque à gravibus peccatis præservatus, vel misericordia Dei erutus, quod sępe ad pœnitentiam expectatus, quod à multis periculis subitæ mortis ereptus, & alia innumera, quæ si æqua lance ponderaris, quomodo non obligatum te invenies ad serviendum Deo tota vita & totis viribus, etsi mille annos viveres.

K. IX. *Adoptio & jus ad vitam æternam.*

Nonus. Adoptio divina & consequenter jus ad vitam æternam. Quid tanto beneficio possit à nobis digne rependi? Si quis Rex rebelles servos: milites mortem commeritos, in gratiam reciperet, & insuper in filios adoptaret, eosque regni sui Hæredes constitueret, modo fideliter ei servirent: quis non obstupesceret ad tantam liberalitatem? Et quis non damnaret servos illos, si suis se voluptatibus & lusibus addicerent potius quam regio servitio? Videmus sæpe milites pensiunculam annuam post diuturnos militiæ labores à Principe accipere, & infinitis gratiis actis, reliquum vitæ ipsius dedicare obsequio & nunquam non cogitare de Principis sui honore tuendo & imperio amplificando, paratos etiam esse quibusvis periculis se objicere, ubi de ipsius honore vel imperio agitur, & nos adoptati à cœli rege & ejus hæredes designati non erimus soliciti de honore ejus tuendo & amplificando & de cultu ei debito? Et quid sunt opera & obsequia nostra, si cum illa hæreditate nobis promissa comparentur? In hod. Eu. ait Dominus: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Vult dicere, fore ministrum ejus in cœlo, ubi ipse tunc erat secundum divinitatem. In quem locũ S. Aug. tract. 51. ait: *Quem majorem honore accipere poterit adoptatus, quam ut sit, ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati, &c.* Addit etiam hoc: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quanta hæc promissio? Perpende quam gloriosũ fuerit Mardochæo, quòd à Rege ipso tanquam servus ejus fidelis fuerit honoratus, ut regio equo impositus regioque cultu adornatus fuerit circumductus à primate regni clamante: *Sic honorificabitur, quemcunque voluerit Rex honorare*, Esth. 6. Quid verò hi honores cum cœlestibus collati, qui Dei servis sunt parati? Quid assuerus Rex ad Deum: si ergo sic honoravit unicum servi obsequium Rex terrenus: quid erit in cœlo honorificari à Rege cœli? Itaque certus esto, te potius tibi ipsi servire & consulere, cum Deo servis.

L. X. *Professio Christianismi.*

Decimus. Professio Christianismi, quam in baptismo fecimus. Ibi enim renunciavimus diabolo & pompæ ejus, sæculo & voluptatib⁹; vicissim Christo fidem dedimus & servitio ejus nos mancipavimus.

Unde

Unde S. Hieron. ad Psal. 128. ait: *Pactum fuit Israeli cum DEO, quando dixit ad Moysen: Omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus. Sed & nunc nos paciscimur in baptismo, ut abrenunciemus diabolo & operibus ejus.* In baptismo exuimus veterem hominem, & induimus novum. Vita hominis veteris est vita sæcularis & amor mundi. Vita hominis novi est imitatio Christi & amor Dei. Cum Religiosus facit professionem, scribit sua manu cautionem, servaturum sese vota & regulas religionis traditque superiori. Similem etiam tu tradidisti Deo. Unde Ambros. in l. de iis qui mysteriis initiantur cap. 2. ait: *Renunciasti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventiū: Præsentibus Angelis locutus es; non est fallere, non est negare.* Quæ cum ita sint, quis non videt quam obligati simus Deo? *Quis?* inquit S. Bernard. serm. de quad. debito. *amplius grunniet dicens: nimium laboramus, nimium jejunamus, nimium vigilamus: cum nec millesimæ, imo nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere?* Et superius: *Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nunquid istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam vel potius unum minutum voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? &c.* Quia ergo tantò jure & tot nominibus Deo obstricti sumus, dicamus cum Davide: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Singulis his titulis totos nos Deo debemus, quomodo satisfaciemus omnibus. *Si totum me debeo Deo pro me facto, quid dabo pro me refecto?* ait Bern. alibi. Sed nimirum Deus optimus memor imbecillitatis nostræ, non exigit quantum ei debemus: sed quantum dare possumus. Demus itaque ei saltem minutum unum, bonam voluntatem.

CONCIO III.

SERVITUS DEI QUA IN RE consistat.

I. *In cognitione Dei.*
II. *In officiis charitatis.*
III. *In officiis religionis.*
IV. *In custodia mandatorum.*
V. *In studio imitandi.*
VI. *Quomodo possimus imitari Deum.*

THEMA.

Quid mihi ministrat, me sequatur, Joan. 12.

A. NEmo est, Auditores, qui se in alicujus Domini servitium tradens prius non percontetur, Quod est mecum officium? quæ munia? quæ functiones? & parum sanus haberetur, qui in servitiō constitutus, nesciret quæ sint partes sui ministerii. Omnes Christiani volunt dici & esse servi Dei: interim tamen certum est multos inveniri, qui nesciant munus suum, vel quid requiratur à servo Dei. Hoc igitur, quia nos ex parte docet Christus in hoc Evangelio, cum ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur*, in præsentia exponemus fusius.

Consistit primò, In cognitione Dei, & eorum, quæ ad ipsum pertinent.

B. I. *In cognitione Dei.* Nam primo, debet servus Dominum suum cognoscere, ut sciat ipsum esse Dominum, se vero servum ejus. Hinc Pauli à Christo vocati prima ea vox fuit: *Quis es Domine?* Actor. 9. q. d. Volo esse servus tuus, & Dominum te cognoscere, si modo clarius te noscam. Præcedere debet hæc cognitio. *Nec enim potes*, ait S. Bern. ser. 57. in Cant. *aut amare, quod nescias, aut habere, quem non amaveris. Noveris proinde te ut Deum timeas; noveris ipsum ut æque diligas.* Sic Bern. Servus diligenter observat titulos Domini sui, ut iisdem eum compellet, & ab aliis compellari faciat. Idem faciat servus Dei, noverit & profiteatur ipsum esse Oceanum immensum essentiæ, bonitatis, sanctitatis, perfectionis, beatitudinis & gloriæ, à quo veluti fonte omnes Angeli, homines & creaturæ cæteræ guttulam suę entitatis, sapientiæ & virtutis emendicant & participant; Ipsum esse omnium sustentaculum, omnium locū, omnium ævum, omne denique bonum totius naturæ, in cujus comparatione nihil fit omne, quod extra ipsum est. Secundo debet indagare & cognoscere voluntatem Domini sui. Quod etiam docuit Saulus, cum vocanti Christo secundam hanc reddit vocem: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. Quare Christianus exquirat & probet, quæ sit *voluntas Dei beneplacens*, uti monet Apost. Rom. 12. modo legendo sacros libros, in quibus loquitur Deus nobiscū: modo instando orationi, in qua nos loquimur cum Deo: modo audiendo verbum ejus. Ita S. Franciscus qui audiens Deum sibi in corde loquentem, solebat gradum sistere, licet in itinere esset, mentemque intra se colligere, ut totus illi intenderet & statim exequeretur, quod audierat. Quo imprimis medio ad apicem sanctitatis pervenit. Teste Bonov. in ejus vita. Tertiò debet servus crebro stare in conspectu Domini sui & de ipso cogitare: Ita & servus Dei sæpe ad eum oculos attollere: juxta id Proverb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Et Tob. 4. *omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Denique semper quasi coram ipso stare præsentemque intueri; quod petiit Deus ab Abraham servo suo, Gen. 17. dicens: *Ambula coram me* (Chald. *servias coram me*) *& esto perfectus.* Idem docet nos Christianos Seneca gentilis, Epist. 10. scribens: *Sic vive cum hominibus, tanquā Deus videat: sic loquere cū Deo, tanquam homines audiant.* Quin & hoc ipsū exemplo canū discamus, qui ab hero se divelli ægre patiuntur, & si heri jussu alio trāsferre eos coneris, renitētur & abstracti ad

ad herum sub inde respicient. Atque observatum est (ut scribit Anton. de Balinghen in Zoopæd. tit. *Deus*) cum unus de istis canibus Augusto mense summo æstu, jam tria millia passuum jejunus cum hero itidem jejuno confecisset, atque is advertisset exerta lingua canem vehementer sitire, jussisse vi abreptum transferri ad proximum fontem: quo bibit ille quidem, sed ita ut ad haustus singulos caput atque oculos attolleret, eosque ad viam converteret, heri videndi causa, qui ubi abesse herum suum deprehendit, licet nondum extincta siti, nequivit contineri, quin citissimo gradu herum suum repeteret. Hunc in modum mente cum Deo assidua versemur, Deum subinde respectemus, cum eo colloquamur, ab eo pendeamus, illi adsimus, etiam cum edimus vel bibimus, aut aliud quid agimus, aut si ad tempus ab eo divelli nos oportet, mox ad eum celerrimo cursu recurramus. Sic cum Deo ambulavit Enoch, Gen. 5. & Noë, Gen. 6.

C. II. *In officiis charitatis.*

Consistit secundò, in officiis charitatis & benevolentiæ: 1. Dum de bonis ipsius gaudemus, & illa ex intimo cordis affectu ipsi gratulamur. Hoc enim facit bonus & fidelis servus, gaudet de divitiis & gloria Domini sui, delectatur audire laudes ejus. Sic Apoc. 4. cum 4. animalia darent Deo gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, procidebant 24. Seniores ante sedentem in throno, eandemque laudem confirmantes, ac repetentes dicebant: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Pari modo cum audimus vel videmus bruta animalia, i. e. peccatores hæreticos converti, & Deo laudem canere, inde nos gaudeamus & Deo gratulemur non secus ac si nobis ea gloria obtigisset, imo longè magis, quia Deo competit, non nobis. Sic dicebat S. Aug. apud Ribad. in vita S. August. & alios quos citat Corn. Lancillot. in vita ejusdem Sancti l. 3. c. 42. *Domine valde exultat anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus. Verum si per impossibile fieri posset, ut Augustinus esset Deus, & tu esses Augustinus, omnino vellem esse Augustinus, ut tu esses Deus.* Quod intelligendum non de mutatione personæ, sed status & conditionis, q. d. si ego manens Augustinus, haberem dotes & gloriam tuam, tu vicissim manens Deus haberes miserias meas: ego assumerem mihi miserias meas, & redderem tibi gloriam & dotes tuas. Dum 2. ejus gloriam promovere omni studio conamur, animam, corpus, curas & cogitationes omnes ejus dignitati amplificandæ, & honori tuendo ac defendendo devovemus. Sic boni aulici suo principi toti addicti faciunt; illius enim virtutes & potentiam ubique extollunt, ut omnes in ejus amorem & obsequium alliciant, nec sustinent ipsius nomen à quoquam lædi. Cujus exemplum habemus in Abisai, qui audiens maledicta, quæ una cum lapidibus jaciebat Semei in Davidem, zelo honoris Domini sui: *Quare*, inquit, *maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput ejus*, 2. Reg. 16. Dei igitur servus, ubi honorem ejus lædi videt, strenue se opponat & delinquentes arguat, quemadmodum fecit Archangelus Michael, qui Luciferum Deo se opponentem, zelo honoris divini incensus cœlo in gehennam deturbavit, facto ipso exprimendo nomen suum: Michael, hoc est: *Quis ut Deus?*

Tertio. Dum omnia ad ejus gloriam facimus vel referimus, quidquid agimus. Sic enim Domino suo laborat servus bonus, quin & Domino suo comedit, Domino suo dormit, Domino suo se vestit, quia hæc ideo facit ut Domino suo prosit. Ita serviemus Deo, si, ut ait S. Greg. l. 2. in Ezech. hom. 22. *Omne quod facimus, non nostro, sed Dei Zelo faciamus.* Eodem pertinet, quod S. August. tractat. 5. in Ioan. ait: *Ministrant Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi.* Qui non ad Dei gloriam, sed ad suam vel gloriam, vel ad commoditatem quidquam agit, suffuratur & retinet in suis manibus reditus Domini sui, qui per manus servi transire debent ad Dominum. Servus bonus census Domini dirigit per manus suas ad manum Domini sui.

D. III. *In officiis religionis.*

Consistit tertio. In officiis religionis primo, dum illum colimus sacrificiis, cæremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis, oblationibus, decimis. Hoc est Officium Angelorum & Sanctorum in cœlo, qui toti in eo sunt, ut Deum honorent, laudent, benedicant, quod nos hic in terra imperfecte peragimus & inchoamus potius. Ita solent subditi variis muneribus honorare suos Dominos, & obsequiis venerari, v. g. ad eorum commemorationem caput aperire, propinare poculum ad eorum sanitatem, ad eorum imperia manum osculari, genua inflectere, &c. Debet ergò servus Dei æmulari perfectam illam Beatorum servitutem, & curare inprimis, ut singulis diebus impendat Deo certos religionis actus, præsertim orationis. Cur enim præcepit Deus in veteri lege quotidie sibi offerri agnum bis, mane scilicet & vespere, quod dicebatur juge sacrificium, Exod. 29. Num. 28. nisi ut moneretur quivis offerre Deo sacrificium saltem orationis, matutinæ & vespertinæ? Talis Dei servus fuit B. Thomas Morus Angliæ Cancellarius, qui in publica supplicatione crucem præferebat Sacerdoti &, æditui munus obibat, serviebat Sacerdoti sacrificanti eiq; canenti indutus superpelliceo succinebat: cumq; dux Norfolciæ casu superveniens diceret, hoc dedecere esseque contra dignitatem Cancellarii Regii, adeoque Regi Henrico displiciturum, respondit: *Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino, Domino, inquam, dominantium obsequium impendo.*

Secundo. Dum vices ejus, si sacerdotes vel superiores simus, sedulo obimus & dignos tanto munere nos præstamus, juxta id Lev. 19. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.*

Tertio, si pauperib. & afflictis operib. misericordiæ subveniamus. Illi enim sunt pedes Christi, quos cum Magdalena capillis nostris tergimus, cum superfluis nostris eos juvamus, ut docet S. August. in Ps. 51.

E. IV. *In custodia mandatorum.*

Consistit quarto. In custodia mandatorum & in officio virtutis. Primo dum aliquid boni facimus, ut mandatis ejus pareamus & ipsi gratificemur. Ad hoc enim servi boni omnes intendunt vires suas ut Dominis perplaceant, ideoque ea faciunt, quæ Dominis esse grata vident. Deo nostro grata sunt opera virtutum; his ergo incumbat Christianus, si Deo placere quærit. Opera bona hoc intuitu (ut Deo scil. gratificemur & voluntatem ejus impleamus) facta induunt aureum quendam & supernaturalem splendorem ac valorem, & promerentur vitam æternam. Exod.21. præcipitur, ut servus qui ex amore Domini sui perpetuò ei vult servire, applicetur ad ostium Heri & perforetur ei auris subula, sitque servus ei perpetuus. Christianus ejusmodi servus est, qui se Dei servitio perpetuo addixit in baptismo, ideoque ad fores Ecclesiæ tetigit ejus aurem sacerdos, dicens: *Epheta*, id est, adaperire, scil. ad audiendum Dei mandata. Nemo nostrum hinc exemptus est, ad ostium Domini nostri omnes affixi sumus.

Secundo. Dum ejus negotia nostris præferimus. Id enim facit servus vel certè facere debet, uti discimus ex parabola Christi, Luc.17. *Quis vestrum*, inquit, *habens servum arantem aut pascentem boves, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: & non dicat: para quod cœnem & præcingere te & ministra mihi donec manducem & bibam & post hæc tu manducabis & bibes*? Debet servus Dei ministrare prius Domino suo & postea sibi vacare: prius adesse rei divinæ, postea mensæ: prius festos dies colere, postea per hebdomadem laborare, &c.

Tertio. Dum ejus voluntati nostram conformamus. Sic enim videmus servos observare, sensum & propensiones Dominorum suorum eorumque capiti sese, quantum possunt accommodare. Quanto magis decet hoc facere servos Dei, siquidem voluntas Dei nunquam errare potest, sed est ipsa lex & regula æquitatis & virtutis: nostra autem voluntas facile aberrat & ad malum prona est. Ejusmodi servus Dei fuit Iudas Machabæus, qui 1. Mach. 3. suos ad pugnandum excitans, dicebat: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*, q. d. sive vivere nos velit Deus, sive vinci: pugnemus pro gente & sacris nostris. Nec caret laude sua illud Rudolphi II. Imp. Symbolum: *Omnia ex voluntate Dei.* Apud Majol. tom.4. Canic. col.5.

F. V. *In studio imitandi.*

Consistit quinto. In studio imitandi eum. Servus enim sequitur Dominum suum, nec tantum gressibus; sed & moribus ac vestitu imitari eum satagit. *Præcedat Dominus meus*, inquit Iacob ad Esau fratrem suum, *ante servum suum, & ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad Dominum meum in Seir*, Gen. 33. Huc pertinent verba Christi in hodierno Evangelio: *Qui mihi ministrat, me sequatur. Quid est, me sequatur*, inquit S. Augustin. in hom. super hoc Evang. *nisi me imitetur*? Et in hoc præcipuè videtur consistere Christianismus, quem Gregorius Nyssenus initio operis Epist. ad Harmonium sic definit: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ.* Et ejus frater S. Basilius hom. 10. Hexam. *Christianismus quid est?* inquit, *Assimulatio Dei, quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ.*

G. VI. *Quomodo possimus imitari Deum.*

Sed qua ratione Deum imitari possumus, cum de illo scriptum sit: *Ecce iste venit saliens in montibus & transiliens colles*? Cant.2. Quis tantos sequi saltus queat? Verum uti Iacob dixit: *Sequar paulatim sicut videro parvulos meos posse*, ita sequemur & nos Deum pro modulo scilicet nostræ facultatis. Et primo ejus immutabilitatem imitabimur per constantiam & æquanimitatem in prosperis & adversis. Unde S. Chrysost. hom. 77. in Matth. ait: *Semper stare & nunquam cecidisse, divinum est atque mirabile.* Et S. Greg. Nazianzen. orat. 27. ait justum dicere cum Deo posse id Malach. 3. *Ego idem sum & non mutor, quia est fixus in rebus minime fixis, immotus in incertis & fluctuantibus non aliter ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur: sed etiam incursantes undas circa se frangit.* Non moveant nos illecebrosæ opes, dignitates, pompæ, voluptates, quæ in momento transeunt: nec terreant nos pauperies, morbi, ærumnæ, persecutiones, quæ sæpè subitò & semper in morte finiuntur: Sic Dii quidam terrestres erimus.

Secundo. Ejus omnipotentiam, si anchoram spei nostræ in ipsum jaciamus: Ita enim Apost. ad Phil. 4. ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* In quæ verba S. Bern. serm. 85. in Cant. ait: *Omnipotentes facit omnes, qui in se sperant.*

Tertiò. Ejus divitias & sufficientiam, si sua quisque sorte contentus sit; sic enim nihil appetens nullo indigebit & sibi sufficiens erit. Sic Apost. ad Phil. 4. *Ego didici*, inquit, *in quibus sum, sufficiens* (græcè αὐτάρκης, mihi sufficiens) *esse*; quæ alioquin sufficientia propriè in solo Deo est.

Quarto. Ejus præscientiam & providentiam, si tentationes providentes, nobis provideamus, & contra eas nos armemus. Item si novissimis prævisis prospiciamus rebus nostris & saluti æternæ.

Quinto. Ejus clementiam & mansuetudinem, si injurias facilè condonemus & tardi ad iram simus: quemadmodum Hebræi dicunt, Deum habere lentos pedes, longas aures & latas nares. Quo sensu etiam dixit Apostolus ad Ephesios cap. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*: ut scilicet donemus invicem injurias, sicut Deus donavit nobis in Christo, uti dixerat immediatè antè.

Sexto. Ejus misericordiam, si miserias proximorum sublevemus, hac enim virtute proximè accedunt homines ad Deum. Unde S. Gregorius Nazianzenus oration. de cura pauperum ait? *Esto calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus.*

Denique si Christum imitemur, Deum imitabimur.

bimur. Adhoc enim Christus nobis datus est ut esset exemplar imitationis Dei, quemadmodum datur puero exemplar elegantissimæ literaturæ à Magistro exaratum, ut illud sua manu imitari discat.

Hujusmodi servus Dei & insignis quidem fuit S. Laurentius, verè Diaconus, id est, Minister, Dei videlicet, qui omnia, quæ habuit, in servitium Dei liberaliter impendit, opes Ecclesiæ sibi, creditas corpus & vitam suam, &c.

CONCIO IV.

QUOMODO CHRISTUS ET Laurentius granum frumenti fuerit, & quivis Christianus esse debeat.

I. *Christus granum frumenti ratione persecutionum.*

II. *Ratione jucunditatis.*

III. *Ratione utiliatis.* 1. S. Laurentius granum frumenti ratione tribulationis. 2. Ratione fructus. 3. Ratione cibationis.

1. Christianus quilibet granum frumenti si moriatur spiritualiter. 2. Si fructum afferat. 3. Si cibet esuriens, &c.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, Ioan. 12.

A. HOc tempore, Auditores, post collectas fruges exeunt formicæ de cavernis suis in agros, & colligunt ibi relicta grana deferuntque in horrea, ut habeant unde per anni curriculum vivant. Hanc industriam admiratur & commendat nobis Sapiens Prov. 6. cum ait: *Vade ad formicam ô piger, & considera vias ejus & disce sapientiam: quæ cum non habeat Ducem nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi & congregat in messe, quod comedat.* Deprehendo in hodierno Evangelio duo insignia frumenti grana, Christum & Laurentium. Igitur exemplo Formicæ moniti exeamus in hodiernum Evangelium, veluti in agrum, & colligamus ibi grana ista, ut inde vivat anima nostra.

B. I. *Christus granum frumenti ratione persecutionum.* Granum frumenti Christus est. Primo, ratione persecutionum, quas sustinuit. Ut enim granum, antequam fructificet, plurima sustinere debet; dum primo trituratur; vel flagellis tunditur, deinde ventilatur, postea cribatur, denique in agrum exportatur, & in terram projicitur, ac tandem emoritur: ita omnino Christus hæc omnia & plura pertulit. Colaphis enim & flagellis percussus est, in judicio ventilatus & falsò accusatus est: adhæc, de tribunali ad tribunal, de Anna ad Caipham, de Caipha ad Pilatum, de Pilato ad Herodem, de hoc rursum ad Pilatum raptus, & quasi in cribro agitatus est. Denique de urbe eductus ad Calvariæ montem, ibidemque in terram prostratus ac crucifixus ad extremum mortuus est.

Secundo uti granum non ideo flagellis cæditur vel trituratur, nec ideo projicitur in agrum, quia inutile vel vitiosum sit, sed ut multa similia sibi progignat: unde necesse est ut granum illud sanum sit & vividum: ita etiam Christus non utique passus est & mortuus, ob aliquod delictum, sed ut plurimos Christianos faceret & videret semen longævum, ad quod omnino necesse erat, ut innocens pateretur. Propterea itaque paulo ante passionem suam protestatus est: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et hæc causa est, cur patientissimus Dominus servo se cædenti dixerit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malè: si autem bene: quid me cædis?* Ioan. 18. Nolebat enim Dominus ullius peccati convinci, ne velut reum putaremus mortuum, & ita fructus passionis ejus caderet.

Tertio, uti granum licet plurima sufferre cogatur, nequaquam tamen frangitur ac resistit, sed omnia facilè tolerat, sive trituretur, sive ventiletur, sive in mola conteratur, sive in furno cremetur, sive dentibus comminuatur, sive in terram dejiciatur: similiter etiam Christus in omnibus tormentis quantumvis horrendis patientissimum se ubique exhibuit, *& quasi agnus coram tondente se obmutuit*, ut Isaias prædixit cap. 53. Sive etiam ligaretur sive raperetur, sive velaretur, sive illuderetur, sive cæderetur, sive probris appeteretur, sive in crucem prosterneretur, ipse granum frumenti fuit: *tanquam surdus non audiebat, & sicut mutus non aperiebat os suum*, Psalm 37. Unde Esa. 50. prædicitur membra tormentis ultro obtulisse: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.*

C. II. *Ratione fœcunditatis.* Secundo, ratione fœcunditatis, quâ post mortem claruit. Ut enim granum in terra mortuum, Primo multiplex resurgit & majori ornatu, tametsi non absque jactatione tempestatum: sic etiam Christus, primo multiplex surrexit. Neque enim solus ipse revixit Christus, sed cum ipso mundus penè totus, qui per ejus mortem, fidem & gratiam acquisivit, adeoque cum ipso surrexit, ex sepulchro scilicet infidelitatis & peccati: Idcirco cum Christo multa corpora Sanctorum resurrexerunt, ut indicaretur seges Christianorum per Christum suscitanda. Quod si quis de magnitudine hujus segetis cognoscere aliquid cupit, legat martyrologia Sanctorum, & inveniet ibi tantum numerum omnis generis, status, conditionis, sexus, ætatis, ut sine dubio cum Regina Sabæ spiritum amissurus sit considerans magnitudi-

tudinem domus veri Salomonis. Videbit enim illic exercitum innumerabilium martyrum, virorum, fœminarum, decrepitorum, juvenum, qui omnes incredibili fortitudine sævissima quæque tormenta læti superarunt: quorum multi ultro se ad necem obtulerunt; alii passim velut oves occisionis rapiebantur ad macellum & mactabantur tota die, ita ut primis quidem trecentis annis, si quotidie non unus & alter, sed quam plurimi simul occiderentur, nemo magis miraretur, quam quod in regno Salomonis tanta auri & argenti copia esset, quanta lapidum. Videbit illic cuneum Apostolicorum virorum, Pontificum, Doctorum, Prædicatorum, quorum plurimi vitam cum sanguine deposuerunt, & omnes universim super gregem Domini custodias egere vigilantissimi, & pro illo se innumeris exposuere periculis. Videbit greges Monachorum & Eremitarum incomparabiles, qui velut apes in alveario Christo Regi suo strenuissimè servierunt, & velut greges caprarum montes perambularunt, in fame & siti, in frigore & nuditate, segregati ab hominibus, radicibus herbarum victitantes, nocte dieque in rerum cœlestium contemplatione occupati: quo cibo & vitæ genere adeo recreabantur, ut cum Regum aulis id non commutassent. Videbit chorum SS. Virginum innumerabilium, quæ contemptis sæculi deliciis, in magna vitæ austeritate & perpetua virginitate sanctissimam duxere vitam. Omnis ista seges ex grano frumenti, Christo prodiit & prodit in hodiernum. O granum frumenti nobile!

Secundo granum frumenti nudum seritur, sed vestitum culmo resurgit: Sic Christus ejusque seges. Ipse quidem nudus in cruce obiit: sed gloria & honore circumdatus resurrexit: seges vero Christiana, primo sub gentilitate nuda & deformis, per fidem & gratiam pulcherrimè vestita est, ut ipsis etiam Dei oculis vehementer placeret. Quid enim erat videre v. g. (ut è multis millibus paucissima videamus exempla) Ludovicum Franciæ Regem lavantem manus & pedes pauperum, abstergentem & deosculantem? Eduardum Angl. Regem cum uxore in perpetua virginitate viventem, pauperem item ulcerosum humeris suis à regio palatio ad ædem D. Petri ferentem? Elzearii Comitis domum instar monasterii gubernatam: Gallicanum Baronem lavantem pedes pauperum, pransuris aquam affundentem, infirmis servientem? Uxorem Theodosii Imp. Xenodochia perambulantem veluti infimam famulam abjectissima quæque facientem? Alexium 18. annis in ditissimi & nobilissimi Patris ædibus peregrino habitu latentem, & omnia indigna sufferentem? Euphrosynam unicam Patris filiam, virili habitu Monachum per 38. annos agentem, à Patre proprio sæpe visitatam, sed non agnitam? &c. Hæc omnia ignoravit gentilitas: raro etiam vidit lex vetus.

Tertiò. Seges è granis exorta tempestatibus est obnoxia, & iisdem agitatur, sed magno suo commodo: Sic etiam Christus, & seges Christiana, quam progenuit, tribulationibus obnoxia fuit, maxime sub persecutionem gentilium & hæreticorum, eritque semper: sed maxima sua utilitate. Si quæreremus ex adolescentibus & studiosis qualem ipsi desiderarent hyemem; Responderent utique totam serenam, calidam & claram, sine pluviis, sine ventis, sine nivibus: nimirum ne deambulationes & ludi eorum impedirentur. Sed si quæreremus idipsum è rusticis; longe aliter responderent. Mallent enim in hyeme frigora, nives, pluvias, &c. Quia sciunt hoc pacto cohiberi segetem, ne subito exoriatur & sine fructu: quod fieret hyeme calida. Ita res habet cum Christi segete, quæ tribulationibus purgatur & perficitur.

D. III. *Ratione utilitatis.*

Tertio. Ratione multiplicis utilitatis. Granum enim frumenti tandem fit panis, qui vitam hominibus conservat, esurientes recreat, languidos confortat, si tamen prius è spicis excutiatur, in mola conteratur, & in furno pinsatur. Sic etiam Christus passionis suæ meritis peccatoribus vitam præbet, justos in gratia conservat, & gustum ac pignus æternæ vitæ hic propinat. Idcirco enim Eucharistiam in specie panis & vini instituit, & sub illis à nobis comeditur & bibitur ad indicandum, quod ipse reversa sit unicum nostrum pabulum, à cujus meritis & omnem nostram vitam, perseverantiam & merita desumimus, & veluti lac ab uberibus matris sugimus, si tamen ea nobis applicare per cooperationem nostram volumus, & Sacramentis uti.

E. IV. *S. Laurentius granum frumenti ratione tribulationis.*

Granum frumenti Laurentius fuit. Primo, quia etiam ipse non solum mortuus, sed præterea mirum in modum vexatus ac tribulatus fuit à persecutoribus. Fuit enim flagellis, fustibus & scorpionibus cæsus, extensus in catasta, laminis ardentibus ad latera adustus, igne examinatus & velut panis in furno coctus. Magnus Christi Athleta, qui tam gravi certamini reservatus est, quod prædixit illi Xystus: *Nos quasi senes*, inquit, *levioris pugnæ cursum recipimus: te autem quasi juvenem gloriosior de Tyranno triumphus manet.* Ecce suum martyrium leve existimat Xystus comparatione illius, quod subiturus erat Laurentius; nec vero immerito, quid enim tormenti esse putatis lento assari igne super cratem ferream? Aurum esse oportuit Laurentium, cujus fides & charitas adeo magna erant, ut per ignem probari debuerint. Æreum esse oportuit, qui tantis malleorum ictibus est examinatus.

Deinde innocenter & sine causa pertulit hæc Laurentius. Cur enim tot generibus tormentorum cruciatus est? Quia Diis sacrificare noluit, quia Christianos prodere noluit, quia thesauros Ecclesiæ sibi commissos Tyranno tradere noluit. Quis arguat ob hæc Laurentium? imo quis non maximis laudibus extollat? primum pietatis erat debitum, alterum charitatis, tertium justitiæ. Itaque passus est Laurentius propter Christum & justitiam. Hæc autem summa gloria est. Denique non solum patientissime tulit, sed ma-

magno insuper desiderio appetiit martyrium. Hoc ex illo patet, quod pergentem ad Martyrium Xystum sequebatur gemens, ac dicens: *Quo progrederis sine filio pater, quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras, quid ergo in me displicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem me probasti? Experire utrum idoneum ministrum elegeris, &c.* O incendium charitatis! Et quid mirum, si externam non sensit flammam, qui adeo intus ardebat. Respondit illi Xystus: *Non ego te desero fili neque derelinquo: sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina: post triduum me sequeris, sacerdotem Levita.* Consolationemne audio, an desolationem? Sane hæc Laurentio maxima consolatio & gratissimum nuntium fuisse, vel ex eo probatur, quod mox commissos sibi thesauros pauperibus distribuit, & ad mortem se præparavit. Quis verò satis explicet Laurentii fortitudinem in tormentis perferendis? Dum scorpionibus cæderetur, dicebat ad Tyrannum: *Infelix has epulas semper optavi.* Dum secundo cæderetur, subrisit & gratias egit. Dum assaretur in craticula: *Disce miser,* inquit ad Valerianum, *quia carbones tui sunt mihi refrigerium.* Item: *Assatum est jam, versa & manduca.* Intelligite Auditores, cujus sunt hæc verba? Hominisne an vero alicujus Angeli? Hominis planè, similis nobis, sed qui æneo fortitudinis thorace munitus sit. Videri mihi videor trochylum aviculam, quæ dum in veru assatur, seipsam girare dicitur, Alberto Magno Auctore de animal. Hoc enim fecit Laurentius, dum quasi nihil sentiret versari in crate voluit.

F.
II.
Ratione fructus.

Secundò, quia etiam ipsius Passio multum fructum attulit, non tantum ipsi sed & aliis. Etenim *Sanguis martyrum semen est Christianorum,* ait Tertull. in Apolog. Inprimis autem sanguis Laurentii. Nam primò videns miles quidam nomine *Romanus*, juvenem quendam pulcherrimum Laurentio vulnera abstergere, ilico conversus Christianum se professus est & gloriosam martyrii palmam accepit. Similiter & Hippolytus cum tota domo sua, in qua 19. personæ erant, à Laurentio baptizatus est. Cui martyrium ambienti, & ad hoc prodere se volenti benedixit Laurent. *In interiore homine absconde Christum, & postmodum dum clamavero, audi & veni.* Clamavit Laurentius quando moriens Tyranno illusit: & hunc clamorem audiit non Hippolytus modo, qui & ipse postea martyr effectus est: sed universus mundus, è quo innumeri partim ad martyrium tanti Herois exemplo ac fortitudine accensi sunt, partim attracti ad fidem. Quis enim videns tam invictum animi robur, non advertat Deum esse, qui in ipso loquatur & inhabitet? Non ita pridem ex Iaponia scriptum est Patribus societatis in ea persecutione assatos esse à Tyranno simul 40. homines, eoque facto mox se obtulisse 40000. hominum ad simile martyrium. An multum aberravero si hunc ego fructum, post Christum Laurentio adscripsero.

G.
III.
Ratione cibationis.

Tertio, quia etiam ipse cibavit turbam pauperem, dum Ecclesiæ Thesauros sibi creditos jussu Pontificis, pro cujusque necessitate egentibus distribuit. Idcirco enim Ecclesia de ipso canit. *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Maximam verò laudem hac elargitione, promeritus est Laurentius. Nam licet ipsius proprii non essent illi Thesauri, vita tamen ipsius, propria ipsi erat, quam scivit sibi eripiendam exquisitissimis tormentis, si thesauros non exhiberet. Itaque ne exhibere posset, pauperibus distribuit, atque ita non pecuniam tantum, sed etiam vitam suam in Eleemosynam egenorum expendit. O heroicam charitatem! si thesauros conservasset & Tyranno præbuisset, incolumis fuisset. Et quid durum fuisset, tradere alienos nummos, ut propria servaretur vita? Sed maluit Laurentius eripi sibi vitam, quam pauperibus Christi patrimonium.

H.
I.
Christianus quilibet granū frumenti si moriatur spiritualiter.

Granum frumenti etiam Christianus quilibet esse debet: Idcirco enim subjunxit Dominus; *Qui amat animam suam perdet eam.* Sed quomodo granum ejusmodi esse possumus; Siquidem modo martyres esse non possumus? Primo si spiritualiter moriamur; id est, si, ut Apostolus monet, mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram. Si appetitum rationi subjecerimus, si omnibus nostris sensibus & affectibus frænum injecerimus, si carnem cum concupiscentiis crucifixerimus, &c. Mortificabimus intellectum, si eum subdamus DEO fidei dogmata revelanti & Ecclesiæ proponenti. Doctoribus prædicantibus articulos fidei, præcepta & consilia bona tradentibus. Voluntatem, si eam legibus per omnia conformemus & quodammodo alligemus, ut ne movere quidem pedem audeat contra Dei, Ecclesiæ & Superiorum mandata. Memoriam, si injurias nobis illatas oblivione sepeliamus. Phantasiam, si terrenas & inutiles cogitationes excludamus, & potius de rebus solidis cogitemus. Passiones, si iracundiam reprimamus; inimicis benefaciamus: Si ineptam lætititiam comprimamus: si tristitiam moderemur: Si libidinis æstum extinguamus: Si cupiditatem deponamus. Visum, si illicitos aspectus oculis interdicamus: Auditum, si spinis eum sepiamus ne audiat detractiones, lascivas cantilenas, scurriles jocos, verba turpia, &c. Gustum, si intra sobrietatis terminos eum contineamus, si cibos interdictos certis temporibus non attingamus: Si ad necessitatem & sustentationem, non ad voluptatem vivamus. Tactum, si ab impudicitia quam longissimè eum removeamus. Manus, si ab iniquo mammona, usura, muneribus illas contineamus. Pedes, si post concupiscentias nostras non eamus, &c. Hæc & horum similia omnia facienda sunt nobis, si Christum & Laurentium imitari, si multum fructum afferre; imo si animam nostram custodire volumus. Qui enim hoc pacto non odit, sed perperam amat animam suam, certo certius perdet eam. Ex hoc est.

quod toties in Evangelio inculcatur, sub aliis licet verbis; Veluti: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. 16. *Et regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, Matth. 11.

I. II. *Si fructū afferat.*

Secundò, si fructum multum afferamus faciendo etiam alios bonos & alliciendo ad virtutem, sive per doctrinam; sive per jussionem, sive per consilia, sive per exempla. Debent enim Concionatores & Doctores alios instruere, parentes bene educare liberos, patres familias bene gubernare familiam, Magistratus subditos, Ludimoderator Discipulos, proximus bono exemplo ædificare alios. Alioquin qui *amat animam suam*, id est, qui otium tantum & propriam quietem quærit, sibi tantum vacare vult, ad proximorum necessitates & calamitates non attendit: is profectò *perdet eam*. Hoc enim ostendit illa Domini parabola de servo pigro, Matth. 25. qui reposuit talentum acceptum in sudario: quod cum usura reddere debebat. Audiit: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.*

K. III. *Si cibet esurientes, &c.*

Tertio, si cibum præbeamus esurientibus, & liberales simus erga pauperes. Quod enim ait Dominus: *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c.* Hoc etiam de pecunia intelligere debemus; si enim cadat in terram, id est, sinum pauperum, multum fructum affert; alioquin solum manet. Scio mundum aliter loqui, videlicet; nisi pecunia adhibeatur ad pompam, splendorē vestium, apparatum domesticum &c. Vel ad convivia & pocula, & in ventrē dejiciatur; vel in arcam recludatur: vel ad usuram detur, tunc peribit aut sola manebit. Sed contrarium docet Christus, nimirum nisi mittatur eo ubi servetur æternum, qualis est sinus pauperum, tunc ipsa perit. Sive enim mittatur in ventrem, tunc corrumpetur: sive in cistam, tunc ærugo eam consumet & fures effodient, &c. Locus optimus est sinus pauperum, ubi cum fœnore servabitur.

CONCIO V.

LAURO COMPARATUR Laurentius.

I. Dispellit venena.
II. Fulmine non tangitur.
III. Semper viret.
IV. Abdicat ignes.
V. Coronat virtute.

THEMA.

Beatus Laurentius Christi Martyr triumphat coronatus in cælis. Vox Ecclesiæ.

PLinius libro 15. vocat Laurum *gratissimam domibus janitricem Cæsarum Pontificumque*, quæ & domos exornat & ante limina excubat. Hoc honoris titulo merito nos exornamus Martyrem Laurentium, non utique frustraneè à Lauro appellatum. Exornat enim totam Ecclesiæ domum & quasi ante limina excubat, dum eam & sua fortitudine condecorat, & sua fide defendit. Inprimis verò adornat Romam, Romanorum olim Impp. unaque Pontificum sedem, totius Christiani orbis communem domum, Dominam & caput. *Quàm enim glorificata est Ierosolyma Stephano, tam illustris facta est Roma Laurentio*, ut scribit S. Leo Papa serm. de hoc sancto. Hunc ergo videamus, quàm bene cohæreat nomini suo, qualis nimirum sit Laurus.

B. I. *Dispellet venena.*

Primò. Credita est Laurus dispellere venena; unde lustrationibus seu purificationibus adhibitam scribit Plinius lib. 15. c. 30. & qui periculum feliciter effugissent, laureum Baculum gestare dicebantur. Facit hoc Laurentius, quia hæreseos venenum dispellit & enervat. Fuit enim Levita, seu Diaconus, minister Sixti Papæ, quem ipse vocabat patrem, & à quo vicissim vocabitur filius: minister, inquam, in sacrificio missæ; unde ait: *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.* Adhæc custos erat thesauri Ecclesiastici SS. vasorum à Sixto constitutus. Item signo crucis cœcos illuminavit. Sic enim August. serm. 38. scribit de eo: *Crucem Christi super cœcorum oculos faciebas, cœcos illuminabas.* Quæ omnia ostendunt, Laurentium fuisse Catholicum. Nemo autem negabit fuisse virum sanctum, & esse generosum atque illustrem Martyrem Christi. Eliminat ergo & à vera Christi Ecclesia expellit omnes sectas, quæ papam obominantur & missæ sacrificium, sacra item Ecclesiæ vasa & lignum crucis, unaque ostendit eas à vero aberrare totas.

C. II. *Fulmine non tangitur.*

Secundo, Laurus fulmine non icitur; idcircò Tiberius Imperator tonante cœlo, jugiter in capite gestabat Lauream coronam, teste Sueton. & Plinio loc. cit. Ita & Laurentius tonitruis ac fulminibus mortem illi ac tormenta comminantibus minimè ictus aut perculsus fuit; quin ea non solum contempsit, sed epulas suas esse dixit. Inprimis enim Sixtus jam Cruci affixus prædicit illi sequelam, & acerbius Martyrium. Sic enim canit Prudentius περὶ στεφάνων

Fore hoc Sacerdos dixerat, jam Sixtus affixus cruci,
Laurentium flentem videns crucis sub ipso stipite.
Desiste decessu meo fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoque post hoc sequeris triduum.

Et apud Surium: *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te autem quasi juvenem manet gloriosior de Tyranno triumphus.* Quem hoc tonitru non percelleret? prædictio acrioris supplicii, quàm sit ipsa crux: Sed hoc ipsum nuntium Laurentius optavit. Audite tonitru. Valerianus Imperator ut Laurentium terreret, & à Christo absterreret, jussit ante ejus conspectum in medium afferri omnia tormentorum genera, ut vel sacrificaret, vel illa experiretur.

riretur. Sed quid ad hoc nostra Laurus? *Infelix has epulas semper optavi.* Minatur iterum Tyrannus: *Testor Deos Deasque te sacrificaturum aut torquendum tamdiu donec emoriaris.* Qui ad hoc Laurentius? *Deum meum colo, illi soli servio, & ideo non timeo tormenta tua, quæ ad modicum tempus durant.* Rursum horrendum in modum tonat Tyrannus: *Aut Diis sacrificabis*, inquit, *aut nox ista in te suppliciis expendetur:* Sed intrepidè Laurentius. *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Iterũ fulminat Tyrannus: *Afferatur lectus ferreus, ut requiescat in eo contumax Laurentius:* jussitque eum extendi super cratem ferream. Sed audite Laurentium *Disce miser, quia carbones tui sunt mihi refrigerium, tibi autem æternum supplicium præstant.* En tibi laurum illam, fulmini non obnoxiam. Sed lubet hic hærere Auditores. Quis est qui hæc loquitur? quid ad quem loquitur? Angelus est an homo? De cœlone hæc loquitur an de terra? An fortè ex castello aliquo munitissimo? An ad hominem plebejum, an ad Imperatorem? Homo sane est & adolescens, in ipso ætatis flore, Imperatori Tyranno coram & in faciem hæc talia & tanta loquitur, infracto & inconcusso animo. Nimirum alta mente tenebat illud Salvatoris monitum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animã autem non possunt occidere.* Hæc igitur est Laurus, quam in similibus periculis, minis & terroribus, capiti nostro imponere debemus. Cogitemus Laurentium; juvenẽ decorum, thesaurorum custodem atrocissima quæq; tormenta, & ipsos ignes spernentem, imò hæc desiderantem, ut animam salvaret.

D. III. *Semper viret.*

Tertiò. Laurus semper viret, tam hyeme, quàm æstate, nec perdit folia sua. Plin. lib. 16. capite 20. Ita & Laurentius semper viruit robore & constantia, tam in tormentis, quam extra sibi semper similis. Nam cum lapidibus os ejus contunderetur, subridens Deo gratias egit: similiter in craticula: *assatus gratias ago*, inquit: Semper etiam retinuit folia, id est, loquendi libertatem cum Tyranno imperterritam, illius perfidiam & crudelitatem redarguens, nec non ad acriora tormenta inferenda eum provocans, & quodammodo lacessens; siquidem Tyranno velut victo insultavit; uti cum requisitus de Ecclesiæ thesauris, ostendit ei greges pauperum, quibus eos distribuerat, ne Tyranno cederent, dicens: *Ecce isti sunt thesauri.* Rursum, quando proposita sibi tormentorum instrumenta vocavit epulas suas. Iterum quando eum appellavit *Tyrannum & miserum.* Denique quando in craticula semiustulatus eum quasi irridens dixit: *Assatum est jam versa & manduca.* An non intelligimus his vocibus provocari Imperatorem ad majorem crudelitatem in martyrem exserendam? An hoc non est Tyrannum velut victum & imbecillem irridere, quasi non tantum possit cruciare, quantum Martyr pati? Et sanè Valerianus victum se professus est. Ecce lignum tibi quod *plantatum est secus decursus aquarum & folium ejus non defluet*, Psalm. 1. Nisi enim plantatus juxta Christum & flumine gratiarum irrigatus fuisset, quomodo folia retinuisset, talem inquam, loquendi libertatem? Nimirum hic impletum est illud Christi præsaguim: *Cum steteritis ante Reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquimini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquimini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Sed expendamus hæc verba, Auditores. Scribunt Plinius & alij, Lauri folio annuum fastidium purgare aliquas volucres, uti palumbes, merulas, graculos, perdices. Quando ergò tædium aliquod aut tristitia nos invaserit, arripiamus isthæc folia seu verba hujus Martyris. Quid est quod nos patimur? num lapidibus contundimus, num scorpionibus & plumbeis cædimur? num ardentibus laminis urimur? num lento igne torremur? minimè gentium. Modico ære fraudamur, levi contumelia aspergimur, verbo uno tangimur: & quanta in nobis impatientia? Quæ animi dejectio? Deindè quo nos loco thesaurizamus? in terra, an in cœlo? Laurentius in cœlo reposuit thesaurum, dum abscondit in sinu pauperum. Hujus sapientissimam industriam secutus Amedæus Dux Sabaudiæ, cum rogaretur à quibusdam oratoribus num & canes haberet venaticos: annuit & postera eos die redire ad se jussit. Cumque jam adessent, ostendit eis Dux ex una parte ædium ingentem pauperum turmam una discumbentium. *Atque hi sunt*, inquit, *canes mei, quos alo quotidie, quibusq; cœlestem gloriam me spero venaturum*, Raph. Vol. l. 2. Geograph. Adhæc, itane constituti sumus, ut in media tribulationum & afflictionum nocte dicere cum Laurentio possimus: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Itane nihil tunc perturbamur, ut cum S. Iob. nihil stultum loquamur contra Deum, sed insuper eum laudemus, & cum S. Laurentio tribulationibus insultemus? Felices nos si hoc faciamus. Sed vereor ne hæc avis rara sit in terra.

E. IV. *Abdicat ignes.*

Quartò Laurus, inquit Plinius loco dicto, *manifestè abdicat ignes crepitu & quadam detestatione.* Noster Laurentius manifesta protestatione ostendit se contemnere ignem, siquidem in eo Tyranno insultavit & Deo gratias egit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Non erant isti crepitus tristitiæ aut impatientiæ, sed gaudij & victoriæ, Quia enim Tyrannus victoriam de Martyre sibi pollicebatur, & jam triumphũ adornabat, non debuit Laurentius tacere in hoc articulo, ne dolore victus crederetur. Olim incendebatur Laurus, si abũdè crepuisset, felicitatẽ portẽdi opinabatur, unde Tibullus?

Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.

Ita signum victoriæ optimum dedit Laurentius, cum ex igne Deum laudavit, & Tyranno insultavit: Anno 471. Orthoxus quidam Philosophus cum Ariano ex igne disputavit, & comprobavit fidem, illæso corpore & vestibus, sub Acacio Constantinopolitano Episc. apud Baron. anno 471. Nihilominus fecit noster Laurentius: Itaq; ex igne epinicia

sibi canit. Quam putamus istos crepitus doluisse Tyranni auribus. Quanta confusione recessisse eum Laurentio relicto? Atq; ita dolet dæmoni nostra patientia, si in tribulationibus non modò non dejiciamur & murmuremus, sed gaudeamus etiam & laudemus Deum. At quis nostrum audet vel ad minimam horæ partem conscendere cratem Laurentij?

Quintò. Denique Lauro coronabantur triumphantes Cæsares, teste Plinio loco citato. Ita & Laurentius corona triumphalis erat Christo, Ecclesiæ, Sixto, sibiipsi: Christo, qui in ipso vicit mundum, & sic est *corona gloria in manu Dei*, Isa. 62. quia ut vinceret Laurentius, id à victrice manu Christi accepit. Ecclesiæ, quæ per ipsum vicit Idololatriam & vincit etiamnum hæresin. Sixto Papæ, qui in Christo eum genuit, & ad palmam promovit, animavit, confirmavit, atq; ita dicere ei potuit id Apostoli ad Philippenses, 5. *gaudium & corona mea*. Sibi ipsi, qui seipsum vicit, seipsum abnegavit odioq; habuit animam suam, tradendo eam in mortem, acerbissima tormenta, lentam denique ignis combustionem.

Superest, ut hanc lauream faciamus etiam nostram. Sit ergo nobis Laurentius laurea triumphalis, contra hæreses inprimis, quas ipse tanquam Catholicæ fidei assertor strenuus sternit & conculcat. Sit laurea contra minas & vana mundi terriculcamenta. Sit laurea ad loquendum & operandum ea, quæ ad Dei gloriam & salutem nostram pertinent, summa libertate. Sit laurea ad sustinendum fortiter quascunque tribulationes ipsam etiam mortem, & si opus sit pro Christo subeundam, Amen.

CONCIO VI.

LAURERENTII IGNIS NOBIS salutaris.

I. Calefacit.
II. Illuminat.

THEMA.

Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas, Psalm. 16.

DUo verbi Dei officia sunt, intellectum illuminare, & affectum inflammare. Unde ab Ieremia cap. 2. rectè vocatur ignis, qui illuminat & calefacit. Quod præstat homini verbum Dei, hoc idem præstat mundo ignis ille, quo afflatus Laurentius. Ad hunc enim ignem lumen fidei acceperunt Hippolytus miles, Concordia ejus nutrix, familiaque tota, & qui eum sepelierunt, aliique plures: ad hunc calefacti sunt in fide, spe, & desiderio patiendi omnes Christiani. Unde S. August. serm. 1. de hoc Festo ait: *Illuminavit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipse accensus est: & flammis quas ipse pertulit, ominum Christianorum corda calefecit.* Ad hunc ignem vos invito. Auditores; sic enim ut spero, partim illuminabimur, partim calefiemus.

B. I. *Calefacit*

Calefacit nos ignis Laurentianus primo, quia confirmat in fide. Quis enim sibi persuadeat juvenem hunc tam crudeli supplicio sanguinē suum fusurum fuisse, nisi certissimum & perspectissimum habuisset, fidem Christi, veram fidem esse, quæ ducit ad salutem? Quomodo hoc invictum animi robur in mediis flammis perstitisset, nisi suprà firmissimam petram Christum, firmissimè fundatum fuisset? Quomodo humanum corpus alioquin dolorum tam impatiens, tantum incendium ferre potuisset, cum tanta alacritate & constantia, nisi divinitus roboratum fuisset? Quis dubitet eam esse veram & plusquam humanam fidem, pro qua asserenda & comprobanda hic ardere ausus est, imo arsit, & in craticula Deum non negavit, & ad ignem applicatus Deum confessus est? Verum & genuinum oportuit esse aurum, quod per ignem probatum est: quod si victum & alchymicum fuisset in igne deperiisset. Miros & varios modos Tyranni excogitarunt, mira exquisitissima tormenta, quibus fidem Christi expugnarent. Novum & atrocissimum in Laurentio tentavit Valerianus lentæ ustionis, postquam alia multa frustrà adhibuisset, totamque noctem in cruciando eo consumpsisset. Referunt scriptores ignem Chaldæorum Deum, Canapo Ægyptiorum Deo, publico certamine victum. Siquidem Ægyptii urnam aqua refertam, undique perforatam, cera tamen oblitam, in Dei sui formam adornarunt & Chaldæorum Deo, igni, apposuerunt, à quo resoluta cera, stillans ex urna, aqua ignem facile extinxit, & Chaldæos pudefecit. Aliquid ejusmodi videre est in certamine Laurentii martyris fortissimi. Pugnat pro Diis suis Valerianus variis tormentis & inprimis igne accenso: pugnat item pro suo Laurentius, & gloriosè vincit, dum in mediis incendiis insultat Tyranno, nedū ut in partes ejus concedat. Contendebat Tyrannus, ut Martyri Christum auferret, sed Martyr Christo fortius adhæsit: cōtendebat martyrem affligere & contristare, sed martyr solatio plenus & in spiritu exultans irridet Tyrannū: Contendebat martyris nomen extinguere, sed martyr hoc ipso celeberrimus factus est gloriosus: Contendebat Martyri vitam & fortunas omnes auferre, sed hoc ipso eum bonis omnibus auxit & cœlo transcripsit. Vivit adhuc cum gloria Laurentius in cœlo & in mundo: Contra Valerianus anno sequenti statim Sapori Regi suppedaneum præbuit, ab eo deniq; excoriatus & sale conditus est, Baron. an. 262.

Secundo, quia confortat nos in spe. Ostendit enim hic ignis, quam Deus adsit suis tempore tribulationis. Nisi enim Christus præsentissime illi adstitisset, quomodo sævum hoc & durans incendium superare tam hilari animo potuisset? Quomodo Tyranno insultare? Quomodo in eo gratias agere?

Qualia

Qualia enim sunt hæc verba: *Disce miser, quia carbones tui sunt mihi refrigerium? Assatum est, jam versa & manduca? Gratias tibi Domine, quia januas tuas ingredi merui?* Quis non existimet loqui hæc Laurentium inter epulas & delicias? Quomodo externi illius incendii & dolorum obliviscitur? quî fit, ut singultum nullum, ejulatum nullum, querelam nullam in tanto cruciatu edat? Nimirum, Christus verus Samaritanus vulneribus ejus oleum infudit. Vel certè Angelus, qui prius visus est Romano vulnera ejus extergere linteo, eadem nunc lenivit & Laurentio? Et quomodo? internis consolationibus: Ostendit enim illi, quod pro Christo pateretur, quod brevi internum cum ipso sit futurus: quod Ecclesiam hoc martyrio lætificaturus, &c. non abstulit cruciatum, sed addidit solatium. Hoc est quod Isaia c. 43. dixit Deus: *Cum transieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris.* Pulchrè S. Athanas. l. de incar. verbi, & ex eo Leo à castro: *Sicut,* ait, *ex amianto lapide* (teste Diosc. l. 5. c. 113. & Plin. l. 39. c. 119.) *utpote ductili & flexili textores sua fila deducunt, ex eisq; telas & vela contexunt, quæ si in ignem injiciantur, ardent quidem, sed flammis invicta, splendidiora exeunt: Ita B. Virgo agnum peperit, è cujus glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecti nec igne comburi possumus, nec aquis concludi aut re ulla, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, & ad cœlum evolemus.* Hac veste procul dubio indutus erat Laurentius, cum velut rubus arsit, & minimè interim combustus est.

D. Tertiò, quia nos invitat, & accendit ad simile certamen & patiendum pro Christo, saltem aliquid. Quemadmodum enim unus insignis Athleta in prælio omnia vulnera spernens, omniaq; pericula fortiter adiens, cæteros commilitones animat ad sui imitationem & pugnandum fortiter: Ita & Laurentius cæteros Christianos. Iulius Cæsar visa Alexandri Magni statua ingemuit, quod ipse in tanta ætate nihil adhuc eorum gessisset, quæ Alexander juvenis patrarat. Ita nos cum juvenis Laurentii imaginē intuemur, ingemiscere & confundi deberemus, quod provecta ætate nihil adhuc gesserimus, quod ejus virtuti vel parum comparari queat. Quis enim nostrum auderet Laurentii craticulam conscendere? Sed persecutor abest? Deo sint gratiæ. Si enim minima quæq; ferre non possumus, quomodo lentum ignem ferremus? Si pecuniam egenti dare non possumus, quomodo sanguinem fundemus? Si levia verba, quæ per aërem volant, sustinere non possumus, quomodo verbera feremus? Si ad horam orare, concioni interesse, uno die jejunare non possumus, quomodo in lecto Laurentii ignito recubare? Cæterum quid Augusti. ferm. 1. de hoc festo dicat, audiamus: *Nos verò fratres dilectissimi,* inquit, *si ad consortium sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione, Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare. Si enim tormenta, quæ sancti Martyres pertulerunt, sufferre non possumus: vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus.* Sic Aug. Quod si igitur persecutor non succendit nobis ignem Laurentii, succendit tamen diabolus multoties ignem avaritiæ, ignem luxuriæ, ignem iracundiæ. Vel tunc igitur ostendamus nos Athletas Christi, illudamus dæmoni, & ignem excutiamus, ne illo in corde saltem aduramur. Ita S. Dominicus quidam ex ordine Prædicatorum (non fundator, sed alius) tentatus à muliere forinsecus, à dæmone intrinsecus igne libidinis, cùm fortiter omnia tentamenta superasset, audivit inclamantes dæmones: *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti & non arsisti.* Narrat Barth. Pisanus in gestis S. Francisci, sanctum illum invitatū aliquando à concione, quam habuerat contra vitiū libidinis, à Friderico II. Imp. ad convivium splendidum, & posteà solum introductum in cubiculum, ubi erat paratum scortum, quod ad turpitudinem eum illectabat. Sed quid egit Franciscus? In focum ibi paratum sese injecit, in eoque decumbens, ad eundem meretricem invitavit. Illa & ignis incendio & viri sanctitate perculsa fuga se proripuit. Imper. qui hæc per rimulam observarat, ex eo tempore magis venerari virum sanctum cœpit. Ejusmodi Salamandras utinam multas haberemus? Hoc pacto cum Laurentio martyres fieri possemus. Hoc Laurentianæ fortitudinis exemplum haud dubiè provocavit ad imitationem SS. Macedonium & Theodorū Martyres, qui jussu Amachij Iuliani Præfecti, cratibus ferreis impositi & lento igne tosti, simili voce Tyrannum compellarunt: *Amachi assum desideras? convertito nos in alia latera, ne semiassati palato tuo minùs sapidi videamur,* Suida auctore.

E. II. *Illuminat.* Deinde illuminat hic ignis primò, quia ostendit nobis viam cœli, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Si enim per hanc viam eduxit amicissimos sibi & innocentissimos; uti S. Laurentium per tot cruciatus & tam sævum ignem, quid nos aliud sperabimus? *Duo sibi tempora,* ait Augusti. ser. 1. de S. Laurent. *ordine succedunt: tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo se circumveniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi,* &c. An non legimus de templo Salomonis, quòd dum erigeretur, malleus in eo non audiretur? 3. Reg. 6. Nimirum alio loco, & quidem distantissimo secabantur & aptabantur lapides, ut delati in ædificium nulla re indigerent, nisi connexione. Ita in templo gloriæ nullus mortificatificationi aut labori locus; hic tunsionibus & pressuris expoliendi lapides. Neq; ullus Sanctorū in illo ædificio est repositus, qui non prius in hoc mundo variis tribulationibus fuerit elaboratus. Falleris ergò si existimas, aliam te inventurum viam. Dicito potius cum Uria; *Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego dormiam cum uxore mea? per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc,* 2. Reg. 11. Christus Dux noster in lecto crucis jacet, sancti ejus servi varia patiuntur, angustian-

gustiantur, affliguntur, fetantur, excoriantur, dilaniãtur, præcipitantur, elixantur, assantur, uti inprimis S. Laurentius, qui super cratē igneam manet, & ego domi dormiam, comedam, bibam, & ducam in bonis dies meos ? per salutem meam non faciam rem hanc.

Secundò. Quia demonstrat nobis immensam coronam & gloriam Laurentio in cœlis collatam. Colligimus hoc primo ex grandi pretio, quod pro ea dedit, siquidem in igne arsit. Secundò ex heroica ejus virtute, qua Tyrannum & minas ejus vicit. Plumbum non examinatur per ignem sed aurum. Olla fictilis non examinatur ad ictum mallei, sed ad levem digiti pulsum. Ergo aurum, ergò aurichalcum oportet fuisse Laurentium, qui igne examinatus & probatus est. Concedit illi primas hac in parte S. Xystus, qui eidem dixit: *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem velut juvenem manet gloriosior de Tyranno triumphus.* Tertiò ex gloria, quam in terris obtinuit? ubi in gloriæ & triumphi titulos transierunt instrumenta passionis ejus. Magna reverentiâ asservatur adhuc craticula, & prunæ, quibus assatus est: Romæ quinq; celebres obtinet Ecclesias suo nomini dicatas: unam Sancti Laurentii in carcere: ubi vinctus baptizavit Sanctum Hippolytum; aliam Sancti Laurenti in panis perna, ubi tostus fuit; Aliam Sancti Laurentij extra muros, ubi sepultus; Aliam Sancti Laurentii in Damaso; Aliam Sancti Laurentii in Lucerna. Denique quam *clarificata est Ierosolyma Stephano, tam illustris facta est Roma Laurentio*, ait S. Leo serm. de hoc Festo.

Tertiò, quia depingit nobis aliquo modo gehennæ cruciatum. Depingit inquam solùm, quia quod est ignis pictus ad ignem verum, hoc est, ignis verus ad ignem infernalem, ut scribit Polycarpus presbyter in vita Sancti Sebastiani. Et tamen quam sævus, quam crudelis esse debuit focus Laurentianus? quid enim esse putatis lento igne torreri, & alterna versione in candenti crate ustulari? Vidi Romæ ad S. Laurentium extra muros lapidem multis foraminibus pertusum, super quo hoc spectaculum editum & craticula posita fuit: vidi inquam & inhorrui. Et certè si infernus aliud non esset, nisi ejusmodi supplicium, quod pertulit Laurentius, an non satis superque foret, ut quidvis pati & facere mallemus? Et quid si præterea æternum foret? Cogitate saltem, quid esset, æternum ita assari? In molli lecto per unam noctem vix uno in latere cubare possumus, & quomodo in crate ferrea ignea cubabimus æternum? Sed non possum adduci, ut credam non fore sæviorem ignem illum, quo puniet hostes suos Deus, quàm fuerit is, quo ad tempus afflixit amicum suum Laurentium: & non magis puniendum ibi servum inutilem, quàm hic servum fidelem. Habent vitriarii inter alias fornaces candentes, unam minùs accensam, quam vocant refrigerantem, den Kühlofen/ cùm tamen vehementer inflammata sit. Fornax Laurentij sæva quidem est, sed tamen refrigerans solum dici debet respectu illius infernalis. Arsit jam Laurentius, sed non ardet amplius. At palmes infrugifer, qui à vite Christo exscinditur, in ignem mittetur & ardet, ut dicit Dominus, hoc est; ardet & ardebit semper in omnem æternitatem.

Quæ cùm ita sint, quis non eligat potius omnia hic adversa pati, quam ibi torreri? *Quis nolit*, inquit S. Augustin. serm. 1. de S. Laurent. *ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* Et S. Polycarpus Herodi Proconsuli ignem minitanti respondit. *Ignem minaris hunc, qui ad momentum incenditur, & paulò post extinguitur. Verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impiis.* Euseb. l. 4. c. 15. Quare precemur cum S. August. *Hic ure, hic seca Deus, ut in æternum parcas*, Amen.

CONCIO VII.

QUOMODO ODISSE OPORteat se & sua.

1. *Amici odio habendi.*
2. *Divitiæ.*
3. *Honor.*
4. *Forma.*
5. *Corpus.*
6. *Vita.*

THEMA.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, Ioan. 12.

A. PRæclarum & utilissimum artificium docet nos hodie Christus, qua ratione nimirum res nobis charissimas, interim tamen fragilissimas & coruptioni obnoxias, conservare nobis possimus sartas tectas, in perpetuas æternitates. An non res charæ, amici? Divitiæ? Honor & Fama? corporis decor? caro nostra? vita nostra? At hæc tamen interim suapte natura semper ad interitum tendunt & vitro fragiliora sunt: hodie possidentur, cras perduntur. Hodie sunt amici, cras nullus aut inimici: hodie divitiæ, cras inopia, hodie honor, cras infamia: hodie venustas, cras deformitas: hodie sanitas, cras ægritudo. hodie vita, cras mors. Christus Dominus hæc omnia quomodo æternum servanda sint, docet cùm ait: *Qui odit animam suā in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; (Per animam intellige quidquid tibi hic charum est, adeoque omnia supradicta) ô præclarum igitur, ô utilissimum artificium! Audiamus.

B. I. *Amici* Primò. Amici odio habendi, sicut membrum infectum & putridum, quod ideò abscindendum ne totum

odio habendi.

totum corpus inficiat. Idcircò videns Sara Ismaelem colludentem cum Isaac: ait: *Ejce Ancillam & filium ejus.* Ajunt enim SS.PP. Ismaëlem figuras quasdam seu parva Idola ex luto fecisse: Itaque ne id exemplum Idololatriæ ansam Isaaco præberet, ejectus cum Matre, Gen. 21. In locum abscissæ manus, adhibetur ferrea, loco abscisi pedis, fit pes ligneus: quæ etsi indecora sunt valdè & inhabilia, utiliora tamen sunt homini, quam putrida illa membra. Unde Matth. 18. dicitur: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te: & si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* In quæ verba S. Hier. ait, *Si ita est quis tibi conjunctus ut manus, pes, oculus: & est utilis atq; sollicitus & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam, melius est ut & propinquitate ejus & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causas habeas ruinarum.* Hæc ille. At verò acerba est ejusmodi abscisio & separatio. Esto sit: sed hoc pacto pervenitur ad Dei & Sanctorum amicitiam, & conservatur vera amicitia. Etiam Abraham durè accepit verbum id Saræ, ut ibi dicitur: & dura est membri abscisio. Sed ait ei Dominus: *Non tibi videatur asperum super puero*, &c. Mugiebant vaccæ illæ, 1. Reg. 6. & dolebant se à vitulis suis domi reclusis separari: cum ferrent arcam. Sed hoc pacto pervenerunt in Bethsames, id est, domum solis: non perventuræ, si ad vitulos regressæ essent. Etsi dura videtur hæc separatio: multò durior erit illa, qua pater à filio, mater à filia æternum separabuntur. Ne igitur aspera tibi videatur separatio ista ad tempus. Heroicum hujus sancti odii exemplum præbet nobis Saturus Hunerci Regis procurator, qui ad Arianismum solicitatus abnuit; mox uxor timens familiæ eversionem, adductis liberis ad genua mariti advolvitur, perque omnia sacra obtestatur, misereatur sui, & pendentis à lacte matris filiolæ: aliorũq; pignorum: Deum condonaturum, quod invitus ipse fecerit, cùm alii idipsum fecerint voluntarii: tum ipse cùm S. Iob. ei respondit: *Tanquã una ex insipientibus mulieribus loqueris. Reformidarē ista Mulier: si tantũ hujus vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione rerum nostrarum, imò si tu verè diligeres Maritum, nunquãeum tuis insidiosis blanditiis, in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates: Ego Domini promissionum planè securus, verba in mente fixa tenebo: Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrum, aut domum, meus non poterit esse Discipulus.* Uxor discedit: Saturus spoliatus omnibus & multis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur. Testis est Victor Uricensis in persecut. Wandal.

B. I. Amici

Contra verò qui amicos perperam hic amat, & in eorum gratiam à recto deviat, ibi in gehenna summo prosequetur odio, & proprijssimè implebitur quod ait Dominus Matth. 10. *Inimici hominis domestici ejus.* Tunc enim quasi canes in se mutuò ringent, maledicent, & improperabunt dicendo. Maledictus sis pater, qui me lascivientem non castigasti, sed in scelere educasti, ut fierem fomes gehennæ. Maledictus sis frater, qui me ad scorta & crapulam verbo & exemplo invitasti. Maledicta sis uxor, quæ me ad opes per fas & nefas corrogandas solicitasti. Maledictæ sitis filiæ: quia propter vos ornandas & ditandas ego injustè bona aliena occupavi, fœnora & injusta lucra captavi, ob quæ nunc uror igne æterno

C. II. Divitiæ.

Secundò, Divitiæ & fortunæ bona odio habenda, sicut merces navim pondere suo submersuræ. Divitiæ enim sunt, quæ navim animæ tuæ gravant innumeris solicitudinibus & peccatorum periculis, Ioan. 1. Nautæ periclitantes ejiciunt vasa in mare. Et similiter Act. 27. Idem cum suis opibus ferunt fecisse Cratem Philosophum, quibus in mare abjectis dicebat, *Abite pessima divitiæ: ego vos mergam, ne à vobis mergar.* Nos hoc fecere convenit, saltem quoad effectum. Cæterum qui divitias & merces è navi projicere cogitur ut vitam servet, si potest, eò projicit, ubi iterum inveniat. Ita fiet si pauperibus tribuuntur, nam sicut ligna in flumen conjecta, eò deferuntur, ubi caro væneunt: ita eleemosyna ad cœlum per pauperes delata. Unde Eccl. 11. dicitur: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Non ait super stagna aut lacus, sed super transeuntes aquas: pauperes enim sunt, qui hinc velut aquæ transeunt, futuram inquirentes & desiderantes civitatem. Divites velut stagna, qui hic stare cupiunt & manentem quærunt civitatem. Unde S. Sebast. apud Sur. tom. 1. dixit: *Divites si verè amare velint divitias suas, ita amare debere ut eas nunquam perdant. Nam si cum marsupio nummis pleno pergeres per hostium castra, & amicus quidam tuus, vir fortis, qui tibi nummos illos donasset, diceret tibi: Da mihi servandos nummos illos, quos si tecum tuleris, certò propter illos occideris: nonne tu deberes ad genua ejus procidere & gratias agere, nedum nummos ei credere?* Ita ferè S. Sebast. Transis hic per hostium cuneos, qui tibi ob divitias insidiantur, sicut Iudæi fugitivi tempore obsidionis Ierosolymitanæ, ob aurum quod devoraverant, occisi sunt, & ejecta eorum intestina ut scribit Iosephus de bello Iudaico. Quid differs abjicere à te aurum & credere ijs, qui reddent in altera vita?

D. III. Honor.

Tertiò, Gloria & honor transitorius; quo modo Leo sua vestigia, cum Venatorem sibi insidiantem odoratur, (ut scribit Epiphan. in Physio. c. 1. de Leo.) cauda sua dissipat & obliterat, ne facilè agnoscantur, gressus Leonum sunt præclara virtuosorum facinora, & talia ferè semper sequitur gloria & fama: quæ post virtutem velut vestigium ejus remanent. Sed periculosa sunt hæc illis, sæpe enim gloriam interim æternam perdunt, & dæmonum præda fiunt. Igitur turbanda sunt ea vestigia decisoria illa Christi sentẽtia, Matth. 5. *Receperunt mercedem suam.* Princeps aliquis inter hostes constitutus odit annulum suum signatorium, per quem proditur, eum enim abjicit, ne

ne prodatur. Ita enim per annulum suum proditus est Conradinus ultimus Suevorum Princeps, & posteà Neapoli capite plexus. Idem accidit iis, qui laude sua delectantur vel eam etiam captant, perdunt enim merita sua dum ea vel ipsi prædicant, vel prædicari sinunt. Inde est, quod viri perfecti cum aliquid laude dignũ per se narrare coguntur, utantur tertiâ personâ: uti docuit & fecit David ad Saulem, 1. Reg. 17. inquiens: *Pascebat servus tuus gregẽ, & veniebat Leo & Ursus*, &c. Et Paulus 2. Cor. 12. *Scio hominem, qui raptus est in tertium cœlũ*, &c. Considerabat hoc prudens illa fœmina, qui apud Avernos cum viro suo perpetua in virginitate, defuncta demum in sepulchrum dum deponeretur, maritus dixit: *Gratias ago Deo meo omnium opifici, quòd eam reddam illi intactam & impollutam*. Illa verò: *Sile, sile*, inquit *vir Dei, quia non est necesse aperire nostrum nemine interrogante*. Gregor. Turon. de glor. confess. c. 32.

E. IV. *Forma.*

Quartò. Forma & venustas corporis odio habenda, sicut Elephas dentes suos eburneos odit. Eos enim, ubi propterea insidias patitur, ad arborem allidit & excutit; quo venatores eum persequi cessent, capto ebore, atque ita vitam prædâ redimit. Ut est ap. Plin. l. 8. c. 3. Nemo nescit, quod insidias patiatur corporis forma. Non hæsisset è quercu pendulus Absolon, fortè nec periisset, si capillos totondisset sæpius in anno quàm semel, & tanti non æstimasset. 2. Reg. 14. Dum avicula plumas suas comit & componit, ab aucupe dejicitur, non trajicienda, si sibi attendisset. Ita dum Iezabel stibio se depingit, per fenestram præcipitatur, 4. Reg. 9. Idcircò viri cauti oderunt formam suam & Elephantis instar destruxerunt. S. Brigitta Virgo ne insidias formæ suæ pateretur, alterius oculi deformitatem à Deo impetravit, S. Euphrosina ap. Sur. sub veste virili peregrinata Deo servivit in Monasterio. S. Alexander quòd forma pereleganti & rara esset, ne vel alios læderet, vel ob eam ipse læderetur, carbonarium induit, officiumque id exercuit, quò faciem nigrore tegeret. Ut est apud Baron. anno 233. Super omnia est Ebba illa Collinghamensis monasterij Abbatissa, quæ audiens paganorum Danorum vicinitatem & in sacras Virgines impudentiam & crudelitatem, persuasit suis monialibus, ut si salvam suam virginitatem cuperent, exemplum suum sequerentur: moxque arrepta novacula nasum sibi cum superiori labio ad dentes usque præcidit: quod exemplum pari ardore secuta tota congregatio, paganis horrorem incussit, salva sua pudicitia. Ut est apud Bar. an. 870. Sed dura sunt ista nobis. Esto, sint majora viribus nostris, faciamus id quod facilè est. Cessent inutiles corporis compturæ, &c. Quid faciunt aurum & gemmæ in caligis rusticorum? Et quid superfluus ornatus in sacco stercorum & vermium?

F. V. *Corpus.*

Quintò. Caro & corpus proprium, sicut Admirales Christiani oderunt Turcas & Mauros remiges Triremium suarum. Etenim Gubernator Christianus & Triremium Dux, ubi adversantes sibi Turcas vel fugare vel fortiter aggredi vult, si fortè advertat remiges à remigando cessare, quòd sperent se in libertatem asserendos, si in potestatem hostiũ venirent, vel quod similiter Turcæ aut eorum affectæ sint, accipit flagellam & per medium Triremis incedens acriter eos verberat: quod si nec ita proficit, gladium arripit, uni crus, alteri brachium amputat, quò reliquos in officio contineat & vel invitos compellat fortiter remos trahere. Quod si cum hoste pugna ineunda, arctissimè vincit Mauros & Turcas, mancipia sua, alioqui ab his non minùs timendum ei esset, quàm ab hostibus. Ita res habet in proposito. Dum enim in hac vita navigamus, caro nostra ita in officio continenda est, ne dæmoni sibi confœderato nos prodat. Ita fecit Apostol. 1. Cor. 9. dicens: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo*. S. Macharius cum sacco terra impleto spatiari solitus ajebat de corpore suo, *vexo vexantem me*. Apud Sur. tom. 1. Evagrius teste Palladio objicientibus sibi. *Ut quid corpus tuum occidis? occidit me*, ait, *occido illud*. Moyses Abb. dicentibus sibi corpus seriò affligenti Discipulis: *Quiesce paulisper pater. Quiescant passiones*, ait, *& quiescam ego*.

G. VI. *Vita.*

Sextò. Vita nostra sicuti granum quod in agrum jacitur, & multiplicatum resurgit ac vestitum. De Alphora pisce narrat Albertus Magnus de animalibus l. 24. in Alphora, eum primò vermem esse, posteà in piscem transire. Rursum si tabe aliqua consumatur, in piscis extra aquam se recipit, & etiam defluxa omni carne usq; ad caput ipsum & oculos, si in aquam remittatur, corpus quod fuerat absumptũ carne rursum vestitur, & renascitur. Cæterum restauratum hoc corpus longè vivacius est, quàm si incorruptum semper fuisset, nam accedit illi longævitas, cùm antea brevissimæ esset vitæ. Ita nimirum qui brevem & ærumnosam hanc vitam Dei amore contempserit, longam & beatam inveniet.

Pertinet huc, quod Thomas Morus martyr Regis Angliæ Henrici VIII. Cancellarius, cum in vinculis esset, quod Regis divortium cum Catharina Caroli V. matertera, & adulterium cum Anna Bolenia superinducta approbare noluisset, Uxori suæ quę instigabatur, ut viro persuaderet, ne secum bona, liberos, famam, vitam perditum iret, ac proinde consentiret, respondit. Quærebat enim ab ea Thomas, quot annos adhuc ipsum vivere posse opinaretur. *Totos 20.* ait illa, *& pluribus etiam si Deo placuerit: Vis ergò*, ait Morus, *ut æternitatem viginti annis commutem? Ne tu imperita mercatrix es: Nam si viginti annorum millia diceres, aliquid viderère dicere. Sed quid vel hoc ad æternitatem?* Atq; ita mori maluit & occidi, quã impio regis facto subscribere. Pontan. in Artic. bellar. Syntag. 4. de Apophtheg. Unde Chrys. hom. 28. de diversis ait? *Quid sunt decem annorum millia cum sæcula cogitas infinita? Nonne quantum est stillicidium minimũ abysso comparatum?* Apud eundẽ ibid. Ad extremum ita vitam suam temporaneam, tametsi in ipso adhuc adolescentiæ flore, odio habuit

buit Laurentius, ut pro Christo eam ponere nihil dubitaret: certissima spe nixus, sibi in altero sæculo donandam esse æternam, felicem, beatam, &c. quam & nobis omnibus largiatur Deus.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. *Nisi granum frumenti mortuum fuerit solum manet.*

II. *Qui amat animam suam perdet eam.*

III. *Qui mihi ministrat me sequatur.*

THEMA.

Amen, amen dico vobis, Ioan. 12.

A. Sapienter quidam dixit: *Tribus hisce paruisse nunquam te pœniteat: Veritati potissimum divinæ: consilium danti bonum: gallo gallinaceo è somno excitanti.* Iam verò in hod. Evang. audimus inprimis veritatem divinam: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Audimus dantem consilium bonum: *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam.* Audimus denique vocem quasi galli gallinacei, de somno vitiorum & ignaviæ excitantis, nec non ad laborem & sequelam Christi incitantis: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* His ergò tribus Auditores, pareamus, & nunquam nos pœnitebit. Ea verò nunc discutiemus.

B. I. *Nisi granum frumenti mortuum fuerit solum manet.* Documentum primum: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hæc divina veritas docet nos Primò mortem homini Christiano optandam potius, quam timendam; siquidem & Christus, cujus resurrectio exemplar est resurrectionis nostræ, resurrexit à mortuis maximo cum fœnore, dum & sibi gloriam immortalem & innumeris hominibus vitam peperit & salutem, ad instar grani frumenti, quod emortuum in terra, multiplicatum resurgit & vestitum. Hinc Apost. 1. Cor. 15. resurrectionem nostram hujusmodi grano comparat, *Dicet*, inquit, *aliquis: Quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insipiens tu quod seminas non vivificabitur nisi prius moriatur, & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, utpote tritici aut alicujus cæterorum; Deus autem dat illi corpus sicut vult, &c.* Quanquam enim granum hujusmodi putrescit & moritur in terra; inde tamen renascens germinat, & quod nudum erat seminatum, resurgit spica vestitum & granis cumulatum. Pari modo nos Christiani; tametsi per mortem seminamur nudi, resurgemus tamē vestiti gloriâ & dotibus animæ & corporis, resurgemus & multiplicati, si nimirum alios verbo vel exemplo perduxerimus ad salutem. Nos certè insigniores spicas, quæ plurima grana, & rariores culmos, qui plures spicas progenuerunt cum honore ostendam9 & quandoq; depingi vel in æs incidi curamus. Qualis ergò gloria erit illorum: qui plurimis vestiti dotibus, plurimis cumulati filiis in Deo genitis prodibunt in illo die? Cæterorum hominum gloria & felicitas desinit in morte & sepelitur in sepulchro: Christianorum gloria & felicitas incipit in morte. Quid nobis, quæso, prodesset hæc vita, si in hoc corpusculo tot calamitatibus & miseriis obnoxio perpetuò viveremus? nonne semper miseri, nudi, soli ac desolati maneremus? Vidit hoc Laurentius, qui ut vestem gloriæ indueret, neglexit vestem corporis sui & igne absumi passus est. Viderunt hoc illi, qui vinculis carnis expediti & ad superos evecti ad vitam postliminio revocati, ægre redierunt. Ita discipulus S. Mutii Abbatis jam defunctus, à Magistro superveniente rogatus, malletne abire & esse cum Christo, an permanere in carne? resedit & recepto spiritu ait: *Quid me revocas pater? Melius est mihi redire & esse cum Christo.* Ruffinus in Vitis PP. l. 2. c. 9. Sic Marcellus à morte suscitatus per S. Fortunatum Episcopum Tudertinum ingemuit ac dicit: *O quid fecisti ò quid fecisti?* S. Greg. l. 1. dial. cap. 2. Sic & S. Salvius Episcopus resuscitatus ingemuit; uti narrat fusè Greg. Tur. l. 7. hist. Fr.

Docet secundò persecutorum & inimicorum injurias minimè timendas; siquidem dum nobis obesse volunt, prosunt: dum nos deprimunt, exaltant: dum in terram abjiciunt, ad cœlos evehunt. Quemadmodum enim is qui frumenti grana ex odio vel indignatione abjiceret in agrum, prodesset non obesset granis: ita qui nos premunt & vexant, ad vitam æternam promovent, & ad Deum ire compellunt; quemadmodum Moyses & Aaron, cum seditio populi oriretur contra ipsos, fugerunt ad tabernaculum, Num. 16. Ita Ioseph Patriarchæ profuêre fratres, aliique persecutores, dum eum vexavêre. Pro odio enim fratrum acquisivit gratiam regis ac principum ejus. Pro exilio evocatus est ad aulam regis. Pro labore manuum in servitio cophini, accepit annulum aureum. Pro pallio, quod adulteræ reliquit, indutus est stola byssina. Pro compedibus, cinctus est torque aurea. Pro carcere currui impositus est regio. Pro servili nomine accepit regium, dictus Salvator mundi. Quin & dæmonis injuriæ in bonum nostrum cedunt. Audi Iacobum Eremitam, qui cum ei dæmon minaretur: *Tantam tibi inuram infamiam, ut nemo te aspicere velit*; respondit: *Agam tibi gratias; nam invitus inimicum tuum beneficio afficies; ut qui efficies, ut magis verser in Dei recordatione:* Theodoretus in Philotheo cap. 21. Quid dæmon, quid Iudæi nocuerunt Christo, dum ejus nomen extirpare cru-

crucis ignominia conati sunt. Promoverunt hoc ipso, non impedierunt gloriam ejus.

C. II. *Qui amat animam suam perdet eam.*

Documentum secundum. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam.* Consilium hoc optimum primò suadet ut nosmetipsos mortificemus, frænando concupiscentiæ motus & sensus nostros, carnem spiritui subjiciendo. Vivunt enim in appetitu nostro carnalia desideria, motusque concupiscentiæ, quibus vitaliter concupiscimus delicias, cupedias, veneres, honores, aliasque res carnales; quæ desideria nisi edomemus, iis resistendo, eaque supprimendo, perdemus animas nostras. Quia verò magis vitaliter inhærent animæ, quam dens ori, imò quam anima corpori, hinc absque dolore nequeunt evelli; ac propterea oportet odisse animam suam, id est, præcidere cupiditates carnales, licet id fieri absque dolore nequeat. Verum dolor hic exiguus est, respectu doloris æterni, qui sequitur immortificatos. Igitur si sapis, odi teipsum ad momentum, ut amare te possis in æternum: & ne odisse te in inferno debeas semper. O si nobis explicarent inferi odium illud, quo se ipsos prosequuntur & redarguunt? quam inde saperemus & leve duceremus odium animæ temporale? Hinc enim sancti nihil tam abominabile, nihil tam amarum existimarunt, quod non libenter devorarent causa gehennæ effugiendæ. Talis Paphnutius Abbas, à vino abstemius; qui cum incidisset in latrones, qui noverant eum vini osorem, coëgerunt eum stricto gladio grande vini poculum protinus haurire. Paphnutius absque mora bibit. Quo viso is, qui coegerat, veniam ab eo petiit. Cui Paphnutius perbenignè: *Deus tibi retribuat in hoc & altero sæculo oblatum vini calicem.* Hoc audito responso emendati latrones à latrociniis abstinuerunt. In Vitis PP. pag. 2. cap. 141. Talis sanctus Franciscus, qui adhuc in sæculo degens, dum in itinere leprosum offendit, horruit primò aspectum ejus; mox tamen seipsum corrigens, substitit, & ut seipsum vinceret, facta sibi vi leprosum osculatus est & liberali eleemosyna excepit. Similiter sanctus Conradus Episcopus semetipsum vicit, quando araneam, quæ forte in sacratum inciderat calicem; intrepidus exhausit. Nec non Episcopus ille Salisburgensis (sanctum Eberhardum existimat fuisse, Raderus pag. 1. Bav. Sanct.) qui cum leproso præbuisset sanctam Eucharistiam, rejectam ab eodem, quasi simulata nausea, manibus suis excepit & in honorem tanti sacramenti sorbuit, immunditiis licet aspersam. Probavit nimirum ejus virtutem Christus, qui in specie leprosi hoc agens postea disparuit. Cæsarius lib. 8. cap. 33. pag. 147. Denique Laurentius noster ne thesaurum Ecclesiæ proderet Tyranno & fidem suam, nónne craticulam amplexus est, carni supra quam dici potest adversam & crudelem? Atqui hoc est odisse animam suam, ut in vitam æternam custodiatur.

Secundò dissuadet Philautiam seu amorem sui-ipsius, dum ait: *Qui amat animam suam perdet eam.* Qui enim blanditur carni suæ, & concupiscentiis ejus, videtur quidem amare se, revera tamen odit: veluti se æger noxia sibi procuret & concedat; hic enim ad momentum sese recreat cibo vel potu desiderato, interim tamen sibi mortis aculeum infigit. Voluptatis sensu afficitur ulcerosus vel scabiosus, dum proprium ulcus vel scabiem fricat, sed postea magis dolet ex ipsa fricatione. Quare sanctus Augustinus tractat. 123. in Ioanne ejusmodi amorem verissimè appellat, non amorem, sed odium sui. *Quisquis*, inquit, *seipsum, non Deum amat, non se amat.* Dicito enim mihi: Num tui amantem dices eum, qui te hostibus tuis tradit? Nam Dalilam illam dices verè Samsonis amantem, quæ illum blanditiis delinitum, consopitum & enervatum tradidit Philisthæis ligandum, exoculandum, illudendum? Minime, inquies. Idem præstabit tibi caro tua, si ejus desideriis obsecutus fueris. Unde monet Ecclesiasticus cap. 18. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*, id est, dæmonibus, ut ait gl. interl. Expertus id est ille, qui dixit animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*, Luc. 12. Ecce quomodo istius anima deliciis nutrita fecerit eum in gaudium dæmonibus.

D. III. *Qui mihi ministrat me sequatur.*

Documentum tertium. *Qui mihi ministrat me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quibus verbis Christus Primò excitat nos è somno vitiorum & ignaviæ ad servitutem sui, utpote gloriosam, omnibusque mundi servitiis, imo regnis præstantiorem. Qui terrenis Dominis servit, non fit particeps bonorum Domini, saltem optimorum; nec ubicunque Dominus est, illuc admittitur servus. At de servis suis ait Christus: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*, in cœlo videlicet particeps regni cœlestis. Adhæc qui hominis servus est, vel nunquam vel rarò ejus amicus est: Verum Dei servus semper etiam Dei amicus & filius est. Servitus enim divina innititur timori filiali, servitus humana servili. Hinc amicos suos intimos, uti Moysen, consuevit Deus vocare servos suos. Rursum gratiæ principum citò expirant & servitia eis præstita levi de causa oblivioni traduntur. *Novimus*, inquit Cornelius à Lapide in cap. 1. Exodi, *nuper in Belgio aulicum primarium, qui principi cuidam vicino per multos annos intimus & in summis fuerat deliciis: Postea vero levi de causa omni ejus gratiâ excidit. Is ex aula secedens altius philosophari Deoque & animæ suæ vacare cœpit: tumque dictitare solebat: Experientia didici quantum intersit inter obsequia delata principi & delata Deo: rursum quantum intersit inter gratiam Principum & gratiam Dei. Didici enim & vidi obsequia magna, & multa Principi delata, cito oblivioni tradi & parum remunerari: si principem vel leviter*

ter

ter offendas, vidi, quod manet alta mente repostum quodq́; severè vindicatur: obsequia vero etiam parva Deo delata, didici in æterna ejus memoria servari, magnisque & æternis præmiis ab eo remunerari: offensas autem in eum etiam graves levi pœnitentia ita deleri, ut ipse protinus omnis injuriæ obliviscitur pœnamque ultro condonet. Denique Domini terræ parum præstare servis suis possunt; in rebus enim omnium arctissimis, & maximis necessitatibus juvare eos nequeunt. Dei verò servi omnipotentem Dominum habent. Refert Vincentius Belvacensis in speculo morali, militem quendam postquam fideliter serviisset Marchioni cuidam, ægrotare cœpisse, & à Domino suo sæpius visitatum interrogatumque esse, quid rerum ipsi deesset: nullis se impensis parsurum, dummodo æger desiderium suum exponeret. Respondit æger: *si pro meis laboribus & servitio fideli aliquid mihi gratum rependere decrevisti, fac ut aut mortem imminentem evadam, aut saltem una hora ab his meis doloribus sublever, & si continget me hinc emigrare, una saltem nocte provideas mihi de hospitio commodo & optato.* Cumque Marchio diceret hæc omnia in Dei solius manu esse, se vero temporalia, quæ posset, libenter ei subministraturum. Tum æger ad astantes versus: *Videtis*, inquit, *nunc charissimi, quam malè tempus impenderim, serviendo isti Domino, qui nec ad unam horam liberare me ab his doloribus & animæ periculis potest. Suadeo itaque vobis, ut meo exemplo sapiatis & tali Domino serviatis, qui vos in extrema necessitate potest adjuvare, & à pœnis præsentibus ac futuris præservare cœloque adscribere, id quod etiam si convaluero, facturum me spondeo.* Obiit ergo in hac bona cogitatione, bene ut spes erat. Vere itaque dixit sanctus Ambrosius: *Dignitas est servum esse potentis.* Et sancta Agatha ad Tyrannum: *Multo pretiosior est Christiana humilitas & servitus regum opibus & superbia.* Quem vero non excitabit ad serviendum Christo, sententia illa; *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus?*

Secundo, Excitat ad sui imitationem: *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Quorsum verò vult ut sequamur eum? Ad crucem utique & mortem, de qua paulò antè locutus erat, & ad quam præcessit nos. Dicebat Vespasianus Imperator: *Imperatorem decet stantem mori*, q. d. laboribus immori? idque ei contigit, dum inter manus servorum obiit. Eodem modo Christus stans in cruce & perdurans in laboribus obiit. Hujus igitur exemplo decet Christianum patientem & laborantem mori; si à Duce suo præmium expectat. Sic obiit sanctus Stephanus, qui inter imbrem lapidum non desiit convincere & devincere Christo Iudæos. Sic Petrus in ipso carcere convertit Processum & Martinianum cum aliis 45. sanctus Paulus & ipse in carcere convertit Philemonem, & quosdam de familia Imperatoris, nec destitit per Epistolas hortari & confirmare Ecclesias. S. Andreas biduo in cruce pendens prædicare nunquam intermisit: Ita beati Confessores, Ambrosius, Hieronymus, Beda aliique sacrorum librorum scriptioni institerunt usque ad mortem. Denique Laurentius noster in ipsa craticula jam semiustulatus, Tyrannum redarguere & cohortari non omisit: hunc igitur sequamur &c.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

Evangelium Luc. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CONCIONES.

VIII. Ad virginis devotionem quæ nos excitare debeant.
IX. Documenta.
X. Mysteria.

CONCIO I.

ENCOMIA MARTHÆ ET MAGdalenæ, per excellentiam deberi Deiparæ ostenditur.

I. Excepit Christum.
II. Audit verbum illius.
III. Ministravit.
IV. Sollicita.
V. Elegit optimam partem.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, Luc. 10.

A. CAvillantur nostri Hæretici Ecclesiam Romanam, quasi inepté agat, dum in Festo hodierno legit Evangelium de Martha & Magdalena, idque Deiparæ applicat, cum de hac ne mentio quidem fiat in isto Evangelio. Sed jure optimo respondere illis possumus, quod aliquando similibus Novatoribus respondit S. Hilarius: *Sero venistis: nimis tardè surrexistis. Jam olim didicimus, quid de Christo & Ecclesia & Sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc primum apparetis: siquidem bonum frumentum non post, sed ante Zizania & seminatum est & natum est.* Sic ille. Iam dudum nos didicimus ab Ecclesia, & viderunt SS. Patres rectè huic Festo quadrare hoc Evangelium. Quamquam enim Deiparæ mentionem nullam facit, quidquid tamen de Martha, quidquid de Maria Magdalena prædicat, id totum Deiparæ convenit & quidem per excellentiam.

Si enim Martha suscepit Christum, fecit hoc Deipara: si Maria sedit ad Christi pedes, audiens verbum ejus, fecit id Deipara: Si Martha satagebat circa frequens ministerium, satagebat & Deipara: Si Martha fuit sollicita & turbata erga plurima, fuit & Deipara: si Maria elegit partem optimam: elegit & Deipara, & quidem multo perfectius. Vult ergo dicere nobis Ecclesia: si unquam fuit aliqua Martha, quæ excepit Christum? si unquam fuit aliqua Maria, quæ assedit Domino, audiens verbum ejus: si unquam fuit aliqua Martha, quæ sedulo ministravit Christo; quæque ipsius causa solicita & turbata fuit: si unquam fuit aliqua Maria, quæ optimam elegit partem, fuit hæc Maria, Deipara nimirum, id quod nunc accuratius expendemus.

B. I. *Excepit Christum.* Primo, Maria Virgo excepit Christum in domum suam, quemadmodum & Martha, imo multo excellentius. Nam primò excepit illum in uterum suum virginalem, omni regio palatio præstantiorem, adeoque talem, qualis præter ipsum non inveniebatur in mundo, qui dignus esset tanto hospite. Etenim purissimum & sanctissimum Dei filium decebat utique purissimus adeoq; virgineus thalamus, qui omnia carnis inquinamenta nesciret in perpetuum. Hujusmodi autem Virgo ante Mariam non inveniebatur. Nam tunc omnes conjugio studebant vel studere saltem intendebant, & illa reputabatur magis benedicta, quæ plures gigneret liberos; unde vel nulla tunc reperiebatur propriè Virgo fœmina, vel saltem non talis, ut Maria, quæ ex voto in perpetuum virginitatem Deo dicarit. *Est enim virginitas*, ut ait S. Aug. de virg. c. 13. *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*, id est, perpetuum propositum; quia in proposito perseverare debet: ideoque à virore dicta est, quod in eo persistat, & ab adustione caloris immunis sit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 1. Talis autem fuit virginitas Mariæ, ut ex eo patet, quod cum ei ab Angelo filius promitteretur, respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Si cuilibet Virgini*, inquit super hoc Anselm. serm. in hod. Festo, *desponsatæ, in animo suo disponenti nubere, diceretur, Filium habebis, non miraretur, neque interrogaret, quomodo illud fieret, utpote quia se desponsatam & in proximo nupturam sciret & a viro fœcundari usu speraret naturæ. Hæc autem mirata est, & quomodo, quod promittebatur fieret, sciscitata: quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissimè sciebat.* Hæc Anselm. Fuit itaque Maria vere & propriè virgo, ob perpetuum virginitatis propositum, ideoque sola fuit, quæ Christum hospitem è cœlo ad nos adventantem digna erat recipere. Quod si igitur laude digna est Martha, quia recepit Christum in domum suam arte factam: quanto dignior Maria, quæ recepit in ipso utero virgineo, nomine totius mundi? Gratias igitur debemus Mariæ, quod Redemptori nostro præpararit habitaculum, ipsi placitum & congruum, & quod eundem in id receperit animo promptissimo. Quanquam non in utero solum, sed & in domo sua arte facta recepit Christum, siquidem in ea Christum concepit, enutrivit, educavit & suscepit non semel aut iterum, uti Martha: sed toto vitæ ejus tempore, neque in divitem & amplam, qualis erat domus Marthæ: sed in pauperculam & angustam, quia aliam non habuit. Et hinc absque dubio, quia angustissimam suam ædiculam illi communem fecit, voluit Deus ut ea in hodiernum incolumis & integra persisteret, & ab Angelis eum in locum transferretur, ubi maximo in honore & cultu haberetur: Nimirum uti Iosue solam domum Rahab, ex omnibus, quæ in Iericho erant, incolumem & salvam esse voluit, quia ipsa absconderat in ea exploratores suos: cæteras ædes omnes succendit, Iosu. 7. Ita Chri-

ſtus ſolam hanc Hoſpitæ ſuæ ædiculam uſque in hodiernum ſalvam & integram conſervare voluit, quia mundum exploraturus, in ea hoſpitatus & bene habitus fuit. Quare ex hoc capite etiam Deipara Martham ſuperat, & quidem multis partibus; ſiquidem ordinaria & perpetua Chriſti hoſpita fuit. Unde etiam diſcimus ſedulo aſſervari & conſervari, quidquid Deo datur. Commodavit Maria Chriſto ſuum habitaculum, & manet adhuc integrum. Donavit Martinus Chriſto in forma pauperis ſuum palliolum, & aſſervavit illud Chriſtus monſtravitque ei de nocte. Dedit S. Eduardus Angliæ Rex pauperi annulum amore S. Ioannis Evangeliſtæ, imo ipſi Ioanni in forma pauperis: & eum aſſervavit Ioannes, ac poſtea remiſit Regi per peregrinos Anglos. Dedit Oſvvaldus item Angliæ Rex pauperibus diſcum argenteum una cum epulis: & dextera ejus, quæ diſcum illum dederat ex menſa juxta præſagium Epiſcopi tunc aſsidentis, nunquam putrefacta eſt, ſed poſt mortem ſemper integra manſit. Ita nimirum in tuto eſt, quicquid Deo datur.

C. II. *Audit verbum illius.*

Secundo. Maria Virgo ſedebat ſecus pedes Domini & audiebat verbum illius quemadmodum & Magdalena, imo etiam in hoc Magdalenam longe ſuperavit. Nam primo longe attentius verba Chriſti Mariam audiviſſe quam Magdalenam, probatur inde, quia longe melius ſciebat Chriſtum eſſe filium Dei, quam Magdalena. Noverat ſibi ab Angelo nuntiatum, ſine complexu viri à ſe genitum, noverat Divinitatis radios ex ipſius moribus, & verbis coruſcantes, noverat fide firmiſsima & illuminatiſsima: unde certiſsimo ſciebat verbum filii ſui, eſſe verbum Dei. Cur nos Dei verbum tam frigidè audiamus, cauſa eſt, quia frigidè credimus eſſe verbum Dei, quod nobis à Concionatoribus paſsim annuntiatur. Si vobis literæ Principis noſtri ſigillo & manu ejus communitæ à Magiſtratu prælegerentur, multo attentius audiretis, quia nihil dubitaretis eſſe verbum Principis, quod auditis. Quoniam ergo Deipara longe certiora teſtimonia Divinitatis filii ſui habuit, longe avidius, & attentius & reverentius audiit verbum ejus, quam vel Magdalena vel quiſquam alius Sanctorum. Idcirco exactiſsimè obſervabat etiam ea, quæ à paſtoribus vel aliis dicebantur de Chriſto, quia ſciebat quorſum tenderent, utpote cognitione myſteriorum Chriſti omnibus præcellens. *Conſervabat*, inquit Lucas, *omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, Luc. 2. Adhæc ſciebat etiam Chriſtum eſſe filium ſuum. Nemo autem neſcit parentes valde delectari prudentibus filiorum reſponſis & argutiis, eaque memoriæ commendare. Quoniam igitur nullum Chriſti verbum, etiam infantile, fuit, quod non ſapientia & myſteriis plenum eſſet, idcirco ſumma cum delectatione, admiratione & aviditate audiebat eum loquentem Mater. Hinc Lucas, qui de Magdalena ſcribit: *Sedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius*; excellentius de Maria ſcribit, nimirum: *Et Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo*, Luc. 2. Omnia verba, i. e. omnia dicta & facta ejus. Multum itaque dilexit Chriſtum Magdalena: ſed plus ultra mater ipſius: Ideo illa verbum Chriſti audiſſe: hæc vero omnia ejus verba conſervaſſe deſcribitur.

Deinde longe frequentius verba Chriſti audiebat, quam Magdalena. Hæc enim ad ſummum per biennium aliquoties Chriſtum audierat: ſed Deipara per annos 33. aſsiduè loquenti aderat & cum illo ſermocinabatur. O quis capere queat, quanta illic ſermonum ſublimitas in Chriſto? quantus audiendi fervor & intelligendi vis in Matre. Equidem mihi perſuadeo, idcirco tam raro locutam ſcribi Deiparam, quater videlicet tantum, quod non placuerit ei loqui, dum audiendi tantum Doctorem, filium, poteſtas fuit. Quemadmodum enim nos, virum prudentem & expertum de longinquis nationibus adventantem, & ſtupenda quædam de exteris terris narrantem, ita avide audimus omnes, ut nullus facile præſumat loqui, ſed omnes magno ſilentio ipſum loquentem audiamus: ita feciſſe Deiparam credo. Quando enim filius ejus de cœlo venit & cœleſtem doctrinam mundo attulit, quomodo Maria non audire potius filium ſuum quam loqui aliquid vellet? Si Magdalena pedibus Chriſti aſsidebat propter ſermonem ejus, ſi Petrus propter eundem divelli ab eo noluit, dicens: *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Si denique populus innumerus verborum Chriſti dulcedine illectus ſecutus eſt eum ad ſolitudines & montes, aliquot dierum itineribus, non putamus eadem Chriſti verba longe mellitiora fuiſſe in auribus Matris?

D. III. *Miniſtravit.*

Tertio. Satagebat circa frequens miniſterium, plus etiam quam Martha; ſiquidem Martha Chriſto hoſpiti ſuo cibos apparabat, & forte lectum componebat, aut ſimilia miniſteria obibat, & hæc quamdiu hunc hoſpitem habebat. Sed Maria virgo hæc & his majora ſervitia Chriſto impendebat, quamdiu eum filium habebat. Quid enim non facit ſolicita & amans Mater cauſa liberorum; quas curas, quos labores, quæ faſtidia non ſuſcipit, donec ex infantia ad maturiorem ætatem eos perducat? Et quid feciſſe putamus talem matrem tali filio? Quod opus miſericordiæ, quod illi non impenderit? An non eſurientem & ſitientem pavit & potavit lacte ſuo virgineo? An non veſtivit nudum cum infantem faſciis involvit, & parvulo veſtem fecit congruentem & neceſſariam, deſuper contextam per totum: cum ut pie creditur, denudato ad crucifixionem verendam nuditatem detracto ſibi velamine texit, cum denique carne ſua eum induit; An non captivum quodammodo redemit, cum parvulum Herodis furori & gladio ſubtraxit? An non infirmum viſitavit, cum infantem fovit, balneavit, in ulnis geſtavit, lachrymantem blanditiis demulſit: cum pendenti in cruce adſtitit? An non peregrinum ſuſcepit, cum & in uterum & in domum ſuam filium Dei recepit, alioquin non habentem, ubi caput ſuum reclinaret? An

An non eundem filium suum mortuum sepelivit? Porro in misericordiæ operibus spiritualibus maxime occupatam fuisse post ascensum Christi, nemini dubitandum est. Cum enim esset tunc Magistra Apostolorum & omnium Christianorum omniumq; solatium & refugium, num otiosam fuisse putabimus, & non magis peccantes modeste & graviter correxisse, ignorantes docuisse, dubitantibus recte consuluisse, pro salute proximorum, pro Ecclesiæ incremento, pro infidelium conversione, &c. Deum sedulo orasse, mœstos consolatam esse, injurias Iudæorũ patienter sustinuisse, & offensas remisisse? omnia hæc tam vera esse mihi persuadeo, quam vere scio eam Dei Matrem fuisse. Unde Rupert. optime distinguit in B.V. duo tempora, alterum tacendi, alterum loquendi, designata Cant.4. Primum viventi filio: Erat enim tunc *hortus conclusus, fons signatus*; audiebat verbum Dei *& custodiebat illud, & conservabat conferens in corde suo.* Alterum post Christi ascensionem, quando emissiones ejus erant Paradisus malorum, labia ejus favus distillans, cum Apostolorum erat Magistra, Evangelistarum instructrix, & rerum nostræ religionis interpres, hæresum interemptrix & omnium dubitantium oraculum. Qua ex re nos discimus, consimili modo non vacare tantum nobis, sed etiam saluti proximorum; & id inprimis, tacere & attendere sub concione, postea quæ audivimus & didicimus, aliis communicare.

E. IV. *Solicita.*

Quarto. Solicita erat & turbabatur erga plurima, multo magis & laudabilius, quam Martha. Occupatur Martha circa mensam apparandam: quod non reprehendit Christus; sed potius commendat; nimiam tamen solicitudinem deponendam monet, quia in re tali necessaria non erat. Solicita erat Maria & turbabatur erga plurima; sed in rebus majoris momenti, unde ex hac parte laude dignissima est. Hanc enim solicitudinem requisivit Micheas, cum dixit cap.6. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium & diligere misericordiam & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Nemo autem magis solicitus ambulavit cum Deo, quam Deipara, cujus fidei & custodiæ commendatus erat Deus. Cogita quam solicitus foret is Pædagogus, cujus fidei & disciplinæ commissus esset Regis filius in extera natione. Mariæ commissus fuit ipsemet Dei filius. Itaque solicita ambulavit cum Deo & turbata est, quando ei annuntiabatur ab Angelo, metuens ne detrimentum aliquod virginitatis pateretur; solicita in partu quando veniens in Bethlehem non invenit locum in diversorio, sed divertere in stabulo vel speluca debuit: solicita post partum, quanda filium circumcidendum obtulit: solicita ambulavit cum Deo suo, quando Herodis insidias fugiens secessit in Ægyptum: solicita in Ægypto, quando inter gentiles una cum filio degebat. Solicita & anxia, quando filium triduo perdidit. Solicita cum metuit, ne ulla ratione, verbo vel cogitatione filium offenderet. Hinc enim responsioni filii statim acquiescere solebat, nec verbulum adjecit, ne qua ratione illum offenderet, ut quando invenit eum in templo, & quando vinum in nuptiis procuravit. Solicita, quando advertit Iudæos insidiari filio suo. Solicita cum vidit juxta Simeonis prædictionem, filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, condemnari & Crucem sibi bajulare. Maxime vero solicita & turbata supra modum, cum stabat juxta Crucem. Quin etiam de aliis solicita quoque fuit, uti de iis, quos in nuptiis vinum defecerat, siquidem pro iis rogavit.

Docemur hinc & nos similem habere solicitudinem, ante S.Communionem, ut conscientiam nostram sedulò purgemus: in ipsa communione, ut cum debita reverentia & devotione Christum suscipiamus: post communionem, ut ne hospitem tantum rursum perdamus, vel aliqua ratione offendamus.

F. V. *Elegit optimam partem.*

Quinto. Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea magis, quàm à Magdalena. Nam inprimis nemo unquam tot tantaque præsidia ad vitam contemplantem habuit, uti ipsa. Habuit enim ipsam Dei sapientiam pro domestico & privato institutore ad annos 33. Hujus facta & dicta omnia in cordis sui scrinio reposuit, ac postea orbata filio jam in cœlos assumpto, eadem ruminavit, jam à mundi curis & negotiis, quibus anteà distinebatur, libera. Adhæc ab omni peccati nævo semper integra & in gratia Dei confirmata, in carne sine carne vixit, conversationem in cœlis firmam ac fixam habuit, divinæque charitatis præceptum maximum, ut nemo alius observavit. Quo autem mundius est speculum, eo melius suscipit & clarius repræsentat imagines. Unde nihil illi facilius erat atque usitatius, quam intellectu & affectu se cum Deo conjungere, & in cœlestem amorem rapi, unumque cum summo illo bono, quod votis ardentissimis exoptabat, per amorem excellentem effici. Duplici enim nomine in amorem Dei & unionem cum ipso rapiebatur, naturæ scilicet & gratiæ. Hinc Albert. M. in suo Mariali, Dionys. Carth.l.4.de laudib.Virg.art.3. Et post hos Theologi statuunt Deiparam, non vi alicujus morbi, sed vi ardentissimi desiderii & intensissimæ contemplationis obiisse. Accedit revelatio S.Brigitæ l.2.c.62. ubi de se ipsa hæc scribit? *Paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat: Cumque quadam die animus meus suspensus esset in admirationem divinæ charitatis, tunc anima mea ipsa cõtemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* Sic illa ex persona Deiparæ:

Deinde quia cum contemplativa vita activam etiam junxit, ut videmus, adeoque mixtam ex utraque egit, & proinde non Magdalenam tantum, sed & Martham sese præstitit & utriusque laudem ac partem promeruit. Ejusmodi autem vita majoris est meriti; siquidem non tantum habemus præce-

ptum diligendi Deum, ſed etiam diligendi proximum. Chriſtus etiam talem vitam egit; unde Luc. 6. dicitur deſcendiſſe de monte & docuiſſe ac ſanaſſe turbas, ſic Moyſes cum Deo interdum in excelſis loquebatur, interdum cum populo egit in tabernaculis, Exod. 18. Angeli etiam illi quos Gen. 28. in ſomno Iacob ſuper ſcalam vidit, aſcendebant & deſcendebant: quo indicabatur, modo aſcendendum eſſe ad Deum per contemplationem, modo deſcendendum ad proximum ſublevandum & juvandum. Quando igitur Maria utramque vitam egit, jure utriuſque partes obtinet.

Denique quia vita Magdalenæ manet, vita Marthæ ceſſat, & in meliorem tranſit, ideo ex hoc etiam capite Maria Virgo *optimam partem elegit*, & meliorem quam Magdalena; ut enim poſt laborem & fatigationem quies, poſt æſtum umbra, poſt famem & ſitim refectio ſuavior & gratior eſt: ita poſt activam illam, ærumnoſam & laborioſam vitam requies æterna. Itaque Deipara optimam elegit partem, quia non jam ipſa ſuſcipere habet Chriſtum in domum ſuam, ſed à Chriſto ipſo ſuſcepta eſt in domum ipſius cœleſtem. Non jam amplius ad illius pedes ſedet audiens verbum ejus: ſed ad ejus dexteram, audiens cœleſtem omnis generis melodiam: non jam ſatagit amplius, quomodo ei miniſtret, ſed videt potius ſibi ab omni cœli militia miniſtrari: non jam amplius ſolicita eſt de filio: ſed videt eum in gloria ad Patris dexteram. Non jam turbatur erga plurima, non metuit crudelem Herodem, non metuit Iudæos, ſed videt filio ſuo omnia ſubjecta. Denique ipſa partem illam, quam dudum elegerat & diu expectarat, hodie conſecuta eſt, æternum retentura. Ibi in domo filii æternum hoſpitabitur: ibi ad ejus dexteram cœleſti ſymphonia æternum recreabitur: ibi nulla ſolicitudine aut perturbatione tangetur in æternum: ibi parte optima fruetur in æternum. Sed jam ſupereſt, ô Regina cœli, ut de nobis Clientulis & filiis tuis ſolicita ſis. Nos enim adhuc ſedemus ad pedes filii tui: nos adhuc miniſtramus: nos ſoliciti ſumus & turbamur erga plurima: nos deteriorem partem ſectamur: dic ergò filio tuo, ut nos adjuvet.

CONCIO II.

DEIPARA CASTELLUM SEU virtutes ejus præcipuæ.

I. Foſſa, Humilitas.
II. Vallum, Virginitas.
III. Murus, Temperantia.
IV. Perſpicilia, Prudentia.
V. Propugnacula, Juſtitia & Fortitudo.
VI. Sacellum, Religio.
VII. Armarium, Clementia.
VIII. Tormenta, Charitas.
IX. Turris, Confidentia in Deum.
X. Specula, Fides.

THEMA.

Intravit Jeſus in quoddam Caſtellum, Luc. 10.

MAgnos Principes magna, munita & ſplendida decent Palatia, tum ut in iis digne, tum ut ſecure habitent. Quod igitur Dei filio in terras deſcendenti palatium aſsignabimus, niſi ſplendidiſsimũ & munitiſsimum? Hoc vero ubinam? *Mulierem fortẽ quis inveniet?* Hodier. Evang. indicat hoc Palatium, cum ait ingreſſum Dominum in Caſtellum quoddã. Quod enim hoc Caſtellum (Senſu myſtico) niſi Mater ejus, in cujus uterum ingreſſus & ab illa exceptus eſt, quando homo factus eſt? Dignum tanto Principe palatium. *Nec enim in terris*, inquit S. Bern. ſerm. 1. de Aſſumpt. *locus dignior, uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit.* Porro cum vulgo Caſtellum appellemus arcem munitam, bellicis præſidiis inſtructam, videamus an Deipara ejuſmodi Caſtellum fuerit.

B. I. *Foſſa, humilitas.*

Caſtellum habet Primo foſſam. Hæc in virgine eſt humilitas. Cum enim ipſa à Deo miris prærogativis eveheretur ſupra omnem creaturam, ne ſuperbiæ aditum præberet, fodit circa ſe foſſam humilitate; veluti cum ab Angelo miris laudibus affecta ſalutaretur *gratia plena, &c.* Se humilitate armans ait: *Ecce ancilla Domini*, Luc. 1. Ut enim turbini melius non occurrimus, quam ſi in terram corruamus: ita & Deipara maximorum præconiorum turbini humilitate obviavit, confugiendo & quodammodo corruendo in foſſam humilitatis, penſando quid ex ſe, non quid ex Dei gratia eſſet. Eadem foſſa ſe munivit, cum jam in utero ferens Deum, ivit ad Eliſabetham, major ad minorem, eidem ſervitura: quò videlicet in ſumma dignitate memor eſſet humilitatis: quo modo apis contra venti impetum lapillo ſeſe prægravat, ne ab eo abripiatur, Ariſtotel. l. 9. de animal. c. 40. Obſervavit ergo id Eccleſ. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Non attendebat ad gratiæ ſuæ prærogativam, non ad generis ſui proſapiam, ſed ad ſtatus ſui humilitatem, ad ſexus fragilitatem, ad ſuam paupertatem, &c.

C. II. *Vallum, virginitas*

Secundo. Habet vallum ſeu aggerem, qui in Virgine caſtitas eſt virginitatis. Eò enim ſpectant illa ſponſi verba virginem laudantis cum ait: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis*, Cant. 7. Vallum hoc liliorum, propoſitum ſeu votum virginitatis eſt, ventrem Mariæ muniens, quod ipſa objecit Angelo conceptum annuntianti, cum ait: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* q. d. non patet fœcunditati ullus ad me ingreſſus, niſi fides mihi detur conſervandæ virginitatis: ſiquidem ejus voto quaſi vallo quodam jam dudum me incluſi ac munivi. Hanc fuiſſe ipſius mentem patet; alioqui enim fruſtra interrogaret: *quomodo fiet iſtud?*

D. III. *Murus, temperantia.*

Tertio. Habet murum, quem in Deipara statuimus temperantiam, qua seipsam inclusit intra limites honestatis & virtutis. Huc pertinet abstinentia, qua virginem excelluisse non est dubitandum, & colligitur ex illo ejusmodi verbo, quo nuptialibus convivis, non sibi, vinum procuravit. Non enim ait: *Vinum non habemus*, sed: *Vinum non habent*. Sanctus etiam Ambrosius de ea scribit libro 2. de virginibus: *Si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Item modestiam in vestitu, de quo Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in vita Deiparæ & ex Epiphanio, Nicephorus libro 2. histor. cap. 32. scribit: *Vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis ejus velamen ostendit.* Et Cedrenus in Compend. de eadem: *Vestes*, inquit, *amplexans nullo colore tinctas.* Et Damascenus oration. 1. de nativitat. *Honestus*, ait, *vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens.* Item verecundia & pudor, quo se velut muro inclusam continuit, & tutata est ab omni morum levitate vitæque licentia. Quod sanctus Ambrosius ostendit ex eo, quod Lucas ait, ingressum ad eum Angelum. *Discant*, inquit libro 2. in Lucam, *mulieres propositum pudoris imitari, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, &c.* Et libro 2. de Virginitat. *Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus & propinquis.* Denique taciturnitas, quam veluti murum, custodiam & circumstantiam apposuit labiis suis. De qua re sanctus Bernardus sermone *signum magnum*, loquens ait: *Pudibunda fuit Maria, ex Evangelio id probamus: Ubi enim aliquando loquax? ubi præsumptuosa fuisse videtur? foris stabat quærens loqui filio: nec materna authoritate aut sermonem interrupit aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur; in omni denique textu Evangeliorum non nisi quater Maria loquens auditur.* Sic Bern.

E. IV. *Perspicilia prudentia.*

Quarto. Habet in muro sua perspicilia, per quæ circumspici possunt ea, quæ extra muros sunt. Hæc in Virgine sunt prudentia & circumspectio in sermone & actione. Quanta enim ejus circumspectio in colloquio Angelico, sive ad tuendam virginitatem: *Quomodo fiet istud?* Sive ad exserendam humilitatem: *Ecce ancilla Domini?* Quanta in templo Ierosolymitano, cum invenit Christum ad dolorem exprimendum: *Quid fecisti nobis sic?* Luc. 2. Quanta in Cana Galilææ, ad compassionem ostendendam? *Vinum non habent?* Ioan. 2. Ad ministros instruendos: *Quodcunque dixerit vobis facite.* Quanta in conservandis & expendendis dictis & factis filii sui?

F. V. *Propugnacula.*

Quinto. Habet propugnacula, quæ in Virgine fuerunt, Iustitia & Fortitudo, Iustitia unicuique suum jus tuetur. Id quod fecit Virgo; quod vel ex eo cognoscimus quod Deo reddidit obedientiam, veluti quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Similiter sponso suo, cujus directioni se in omnibus submisit, veluti cum eum fugientem in Ægyptum & inde redeuntem sine mora comitata, tametsi soli Iosepho Angelus ea de re locutus est. Denique inclinavit à malo & fecit bonum, quæ sunt duæ partes justitiæ, secundum D. Thom. 2. 2. q. 79. art. 1. Fortitudo perstat in rebus adversis, seque invictam præbet, uti fecit in Maria; quæ non solum incommoda plurima propter filium ex voluntaria paupertate, & crebris itineribus, modo in montana Iudææ, modo in Bethlehem, modo in Ægyptum, modo in Galilæam, modo Ierosolymam; ex difficili item & molesta commoratione inter Ægyptios & perfidos Iudæos, sustinuit; Sed etiam dolores & cruciatus incomparabiles ex compassione erga filium, qui velut acutissimi gladii cor ejus multoties transverberarunt, maxime vero cum juxta crucem stetit: *Stantem enim illam lego, flentem non lego*, ait S. Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani. Taceo opprobria, quæ illius cor directè feriebant, ut cum audiit Iudæos per contemptum dicentes: *Unde huic hæc omnia? Nonne hic est faber, filius Mariæ?* Marci c. 6.

Iustitia & fortitudo.

G. VI. *Sacellum Religio.*

Sexto. Habet utique & Sacellum quod in Virgine est Religio, qua animam & corpus suum Spiritui S. templum dicavit, quod Dei filius sua inhabitatione consecravit. Præter hoc ab ipsa tenera ætate, à parentibus avulsa ad templum præsentata, divino se obsequio mancipavit: Deinde filio materna obsequia præstitit tanta solicitudine, quanta nulla unquam Mater: adhæc purificationis legi se subjecit, quâ non tenebatur: templum item Ierosolymitanum statis temporibus cum filio adivit, quod ipsi lex non præceperat. Eodem spectat virtus orationis, quæ in ea excelluit, ut ex Actis cap. 1. discimus, ubi dicitur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu.* Quibus verbis indicatur, Mariam fuisse Magistram & directricem orationis, & spiritualium exercitiorum, velut Abbatissam in Monasterio, quæ velut Navarchus in puppi stans navem religionis dirigit.

H. VII. *Armarium Clementia.*

Septimo, Habet & armarium suum; quod in Virgine aliud non est nisi clementia & mansuetudo, quæ veluti armarium inclusa continent arma. Audi Bernardum sermon. *signum magnum*, in Assumptione: *Quid*, inquit, *ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offeret lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, & accedere verearis:* Hæc ille. Hujus argumentum maximum est, quod injurias filio irrigatas patientissimo animo tulit; nam, ut ait Bonaventura cap. 8. *Interfectores filii sui nunquam odivit, nunquam contra eos impatiens fuit.* Unde Ecclesia meri-

merito eam invocat: *O Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.*

I. VIII. *Tormenta charitatis.*

Octavo. Habet tormenta sua bellica; quæ in Deipara quid aliud sunt, quam actus charitatis vehementer inflammati & magno impetu erumpentes partim versus Deum, in cujus amorem tota exardescebat, uti ex ejus Cantico *Magnificat*, colligit sanctus Bonaventura in spec. cap. 4. *Anima enim*, inquit, *quod amat, hoc magnificat & in hoc exultat: idcirco anima Mariæ Deum decentissime magnificavit & in Deo firmissime exultavit, quia Deum excellentissime amavit.* Quis explicet quanto amoris impetu exploserit, quodammodo è cordis sui penetralibus verba illa: *Ecce ancilla Domini?* Et illa: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Partim erga proximum, uti indicat ejus solicitudo pro sponsi & sponsæ inopia sublevanda & honore tuendo, cum dixit: *Vinum non habent.* Et compassio ejusdem pro sponsi sui mœrore, quem is pertulit ob amissum filium, quando dixit: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.*

Perfecta charitas foras mittit timorem, ait sanctus Ioannes Epistola 1. capite 4. Id fecit in Maria, quando ea, omnibus recedentibus à Christi cruce, non recessit.

Perfecta Charitas cognoscitur maxime in rebus adversis. Et Deipara omnium molestiarum & passionum Christi socia fuit, eique ad finem usque adstitit, imo postremum lanceæ vulnus pro filio in corde suo excepit.

Denique majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Maria posuit pro amicis suis filium suum, quem magis dilexit quam seipsam.

K. IX. *Turris confidẽtia in Deum.*

Nono. Habet turrim. Hæc significat spem & confidentiam Deiparæ, quam habuit in DEO firmissimam, ut posset ei dicere id Psalmi 60. *Factus es spes mea turris fortitudinis à facie inimici.* In hac enim turri quasi in securissimo refugio consistens contempsit omnes difficultates, quæ se illi objiciebant, pericula, insidias, metus; velut cum assensum dedit Angelo Gabrieli. Poterat enim tunc, & nostro judicio debebat cogitare ac respondere: Vides me parentes habere, quibus hac de re cogar reddere rationem: Scis me habere sponsum: quid ille de me sentiet, cum gravidam me viderit, quæ thoro ejus non jungor? Dicet me adulteram, vel si dixero esse opus Spiritus sancti, blasphemam. Adhæc qua ratione potero superare difficultates, quas prævideo, uti paupertatem meam, insidias Iudæorum, invidiam contribulium & vicinorum, gladium doloris, qui non semel tantum cor meum penetrabit, &c. Nihil horum ipsa, sed in Deo nixa totam se ei commisit. Rursum quanta animi fiducia per furentem turbam Sacerdotum, Iudæorum, militum penetravit ad filii crucem? Quid enim agis mulier? non metuis ne insanus furor populi filium tuum obruens, una te quoque obruat? Quis ibi te defendet? Quis non omni ludibrii genere te subsannabit & manibus super te plaudet? Nihil horum timuit, quia in Turre spei stetit.

L. V. *Specula fides.*

Decimò. Habet in turri speculam; quæ denotat fidem MARIÆ, prædicatam ab Elisabetha Lucæ 1. dicente: *Beata quæ credidisti*; videlicet Gabrieli. Maxima ea fides fuit. Credidit enim Deum fore hominem, & quidem in utero suo sine detrimento Virginitatis & sine viri opera. Quanta & quam miranda sunt ista? Deinde tempore passionis & mortis CHRISTI in fide inconcussa fuit. Ideo eidem crucifixo adstitit, & cum cæteris mulieribus ad ungendum corpus ejus (quem firma fide tertia die resurrecturum credebat) nequaquam accessit, ut merito dicamus ipsam esse mulierem illam fortem, de qua Proverb. 31. dicitur: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Ea videlicet nocte, in qua cœcutiebant & nutabant ipsi Apostoli. In cujus rei memoriam in officio hebdomadæ sanctæ reliquis candelabri triangularis candelis extinctis, una accensa remanet, quæ in Deipara fidem resurrectionis explicitam & inextinctam significat.

Habemus ergo Deiparam verè castellum fuisse, & proinde dignum, in quod Christus intraret, & quod inhabitaret. Securus ibi Christus, ubi tali Castello clausus. Non auferetur Christus ab eo, qui eum tali hospitio receperit. At verò cum hæc præsidia negliguntur, facilem acquirit hostis aditum ad expugnandum Castellum, & qui in eo est, Christum.

Quid verò de iis dicam, qui his omnibus præsidiis carent? Verbo dicam. Hi Castellum dæmonis sunt, quod inprimis fossa caret humilitatis; quare ibi fastus & arrogantia, proximi contemptus. Caret vallo castitatis; Unde ibi impudicitia & lascivia, fornicationes & adulteria, cantilenæ & choreæ. Caret muro temperantiæ; hinc ibi gula & ingluvies, comessationes & ebrietates, vestium superbia, libertas & impudentia, levitas & garrulitas. Caret pinnicidiis prudentiæ, unde ibi tenebræ & in quævis præcipitia facilis lapsus. Caret propugnaculis justitiæ & fortitudinis; unde jura violantur & hosti manus dantur. Caret Sacello religionis; unde nulla pietas, timor Dei exulat. Caret armario mansuetudinis; unde armis & furore omnia implentur. Caret denique bombardis charitatis, turre spei, speculâ fidei; quia charitas ibi extincta est, spes friget, fides claudicat. Et quid mirum ejusmodi Castellum à Diabolo occupari & possideri.

CONCIO III.

DE GLORIOSA DEIPARÆ obdormitione.

I. B. Virga dormivit plena dierum.

 II. Præ-

II.	*Præscivit diem mortis.*
III.	*Morienti Christus adstitit.*
IV.	*Et Apostoli.*
V.	*Obiit sine dolore.*
VI.	*Mors miraculis illustris.*
VII.	*Corpus vitæ redditum.*

THEMA.

Huic erat Soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Luc. 10.

MAgnum quidem humilitatis actum exercuit Magdalena, cum ad pedes Domini sedens verbum ejus audivit, sed inde tamen tantam sibi peperit gloriam, ut ne tantam quidem Cleopatra, cum unionem pretiosissimum ingenti fastu devoravit. Siquidem id Magdalenæ factum celebrat S. Lucas tanquam præclarissimum & post eum tota Christi Ecclesia. Scio ego & alteram Mariam, quæ & ipsa simili humilitate sedens secus pedes Domini audiit verbum ejus, & inde etiam multo maximam consecuta est gloriam. Ea vero est Deipara virgo, quæ etiam sedit secus pedes Domini, quando ad instar aliorum hominum, imo ad instar etiam filii sui, mortem ipsa quoque oppetiit & in sepulchro reclinata est, adeoque audiit verbum illud Domini, quo statutum est omnibus hominibus semel mori. Hæc ipsa tamen mors ad majorem ejus gloriam cessit, quam si mortua non fuisset: Ita nimirum Christum mortem vicit & mors mortis fuit, ut ex contempta morte faceret pretiosam mortem. Quam verò pretiosa & gloriosa fuerit mors Deiparæ, nunc discutiemus.

B. I. *B. Virgo obdormivit in Domino.*

Primo. Obdormivit plena dierum in venerabili senectute, licet incertum quo ætatis anno; alii sexagesimum ætatis annum attigisse volunt, alii sexagesimum tertium, alii septuagesimum secundum. Quidquid de hoc sit, constat Deiparam post filii ascensionem superstitem fuisse: deinde satis certum etiam est ad senectutem pervenisse, quæ gloriosam virginis transitum non parum decoravit. Si enim teste Sapiente Prov. 16. *Corona dignitatis senectus, qui in viis justitiæ reperitur*: Cur non in Deipara, quæ in viis justitiæ nunquam non ambulavit, omnem ætatem trivit, & ad multam usque senectutem perseveravit? Hinc non immerito ad honorem ætatis ejus recitamus Rosarium seu Coronam, sexaginta trium globulorum; quoniam omnes illius anni pleni fuerunt justitia & virtutibus. Sed quid causæ fuit; quod matrem dilectissimam Christus tamdiu post se relinquere in terris voluerit? Primo ut Manichæorum hæresi os obstrueretur, neganti Christi corpus verum fuisse, sed phantasticum asserenti. Mater enim tamdiu superstes hujus veritatis testis erat, quæ eum in utero novem mensibus gestavit, eundem peperit, educavit & nutrivit.

Secundo in gratiam Apostolorum, nec non pusilli gregis Christianorum, qui tunc erat: ut eos regeret, doceret & in persecutionum initio consolaretur & animaret. Nemo enim nescit primos Christianos veluti adhuc infantes præsidio Matris indiguisse, à qua adhuc in tenella ætate alerentur & manducarentur, id est edocerentur, dirigerentur ac confortarentur, donec ipsa Ecclesia sapientia & robore ita cresceret ut suismet pedibus consistere & in aciem prodire posset. Sic Soli abscedenti succedit Luna. Et quidem Apostolos & Evangelistas plurimum ab ea informatos esse in fidei mysteriis nulli dubium esse potest, & testatur in specie de Ioanne Evang. Ambrosius.

Tertiò. In consolationem fidelium justorum, si hic diu vivere sinantur, & merces gloriæ eis differatur. Si enim dilectissima Christi Mater tamdiu dilata fuit: quis non patienter sustinet? Certe S. Ignat. Lojola aliquando dicebat, si optio sibi daretur, ut vel confestim excederet cœli securus; vel superstes aliquamdiu, sed non proinde certus degeret; in hanc se partem iturum esse: dum præclarum aliquod operæ pretium Deo facere interim liceret; periculo præ obsequiis contempto. *Nam quis nostrum*, inquit, *est Principum, qui oblata videns stipendia tantisper à milite differri, quoad pluribus illa titulis promereatur: non obstrictum se credat, ad eadem illa vel conservanda vel etiam duplic..nda? & Principes nostri igitur hoc soleant: negliget Deus? aut beatitudinem sua causa dilatam patietur amitti? Ego ut hæc de Deo credam, animum inducere non possum.* Ut in ejus vita scribit Iac. Bidermann. n. 153.

Quarto, In consolationem etiam ipsius Deiparæ; ut ita scil. videret adhuc in carne præsens initia & incrementa surgentis Ecclesiæ, adeoque filios, nepotes, ac pronepotes filii sui. Siquidem *corona senum filii filiorum*, inquit Sap. Proverb. 17. Quemadmodum Deus Moysen tunc demum mori voluit, quando jam è propinquo conspiciebat ex monte Nebo terram promissam, Deut. ult. Sic etiam dilectam matrem suam, quando ipsa jam è propinquo videbat Ecclesiam filii sui per orbem propagatam. Et quis explicare posset illius gaudium, cum ex omnibus orbis partibus tot filios ad se venire supplices videbat?

Quintò. Ad majorem ipsius gloriam, ut ita ampliorem meritorum copiam imo superabundantiam compararet, quæ omnium Sanctorum Regina futura erat: ne quis obtrectatorum dicere posset, eâ gratis ad tantum gloriæ apicem esse evectam. Atque utinam S. Ioannes vel alius quispiam Apostolorum literis commendasset, quid toto illo tempore Virgo designarit. Sed quid opus erat hæc conscribere; Nemini enim dubium esse potest, vixisse sicut Matrem Dei decebat, adeoque in omni virtutum genere sese exercitasse. Invenisses ibi Martham in fovendis pauperibus, docendis ignorantibus, consolandis af-

flicti

flictis, corrigendis errantibus, diligendis inimicis. Invenisses ibi Mariam in perpetua contemplatione & oratione, in visitandis sacris locis, in quibus filius ejus dimoratus erat, in osculandis pedum ejus vestigiis.

C. II. *Præscivit diem mortis.*

Secundò, Præscivit mortis suæ diem, præmonita ab Angelo, à quo etiam palmæ ramum accepit, velut bravium & victoriæ mortis signum, vitæque immortalis imaginem, ut testantur Metaphrastes in orat. de virg. & Niceph. l. 2. hist. c. 21. Quo nuntio mirifice recreata, veluti ad festivitatem omnium maximam sese præparavit. Unde lumina illata, domus mundata, propinqui accersiti. Ut testantur iidem ibid. Quid enim dulcius nuntiari poterat Matri, quam quod ad filium, cœli Regem factum, coronanda vocaretur? Quando nuntiabatur Patriarchæ Iacob, quod filius ejus omnium charissimus, Ioseph, quem mortuum credebat, viveret & dominaretur in omni terra Ægypti, quodque ab eo vocaretur, ut gloriæ ejus particeps esset: eo audito, quasi de gravi somno evigilavit, & revixit spiritus ejus, ait? *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, & videbo illum antequam moriar,* Genes. 45. Considerate jam, quam suave fuerit nuntium Deiparæ allatum, quod tamdiu postulabatur? Cōmuniter quidem dies mortis nemini revelatur: revelatus tamen est aliquibus magnis Dei amicis, qui toto desiderio ad Christum anhelabant, & cum ipso esse desiderabant. Et quis ex omnibus Sanctis majorem causam habuit cupiendi resolvi & esse cum Christo, quam ejusdem Mater? Merito etiam palma, victoriæ trophæum, ad ipsam est delata, quia mors ipsius non tam mors quam somnus exigui temporis tridui videlicet, adeoque mortis victoria erat. Qua ratione etiam Christo appropinquante ejus morte, palmæ à pueris prælatæ tanquam mortis domitori. Meritò denique per Angelum nuntium accepit, quod ipsa ad filium ventura esset, quia per eundem acceperat olim nuntium, quod filius Dei per incarnationem ad ipsam venturus esset.

D. III. *Morienti Christus adstitit.*

Tertiò. Morienti adstitit Christus, Angelorum stipatus agmine, animam Matris suscepturus, ut scribit Damasc. orat. 2. de Assumpt. & Nicephorus dicto loco. Nimirum uti ipsa filio suo in cruce morienti fideliter adstiterat, depositumque de cruce in brachia sua acceperat, & terræ commendaverat: ita vicem rependit ei filius, sed lætiore exitu; quia ejus animam manibus suis exceptam ad cœlos secum detulit, quod Mater filio mortuo non poterat præstare. Videmus hic manifestè nihil Christo fieri gratis, sed omnia servitia ei hic exhibita, fideliter ab eo rependi: id quod promisit Luc. 12. Cum enim dixisset: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis: ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei,* mox subjunxit: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis.* Ecce vicem redditam. Præcingis te ad serviendum Domino: Præcinget & ille se ad serviendum tibi. Ministras illi? Ministrabit & illi tibi.

E. IV. *Et Apostoli.*

Quartò. Apostoli toto orbe dispersi divino imperio, per tonitru & nubem, ad Virginem morituram mirabiliter congregati sunt: ut scribit Damascenus Metaphrastes & Nicephorus loc. cit. Et Iuvenalis Archiep. Ierosolymitan. apud eundem Niceph. l. 15. c. 14. *Nimirum ubicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ,* dicit Dominus Matth. 24. quam rationem reddit Damasc. Ad literam enim ibi comparat Christus seipsum in judicio adventurū cadaveri, quod ejus odore omnes homines è distantissimis quibusq; orbis partibus attrahendi, & celerrimè advolaturi sint, quodq; justorum ipse Cibus tunc sit futurus & vita sempiterna. Similiter ergò ad Deiparā celerrimè advolarunt Apostoli ex variis terræ partibus, tum ut Virginis aspectu, qui deliciæ ipsorum erat, ad extremum recrearentur, tum ad discessum & funus ejus debitis officiis cohonestandum. Decuit enim ut orbis Principes Dominā & Reginam orbis suis cohonestarent obsequiis. *Quemadmodū Salomō,* inquit Damasc. orat. 2. *ob requiem arcæ in templo Domini, Seniores omnes Hierusalem in Sion coegit, ut arcam fœderis deferrent de civitate David,* id est, *de Sion. Et tulerunt Sacerdotes arcam, & portabant eam tum Sacerdotes tum Levitæ, & Rex & omnis populus gradiebantur ante arcam, boves & oves innumerabiles mactantes, & intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum Domûs, in sancta Sanctorum sub alas Cherubin. Ad eundem modū, ob requiem spiritualis arcæ, ipse novus Salomon Christus, tum mundo sublimiores cœlestium mentium ordines, tum primarios novi testamenti viros,* id est, *Apostolos unà cum universa plebe Sanctorum, qui erant in Ierusalem, in unum cogens animam quidem in sancta Sanctorū, in exemplaria inquam vera & cœlestia per Angelos introducit. Corpus autem Apostolorum manibus portatur, Rege Regum invisibilis suæ Deitatis splendore illud contegente, atq; universo Sanctorum cœtu præcurrente sacrasque voces emittente, &c.*

F. V. *Obiit sine dolore.*

Quintò. Obiit sine dolore, nec ulla ægritudine confecta, ut habet Damasc. orat. 2. & præ amoris incendio, ut Albertus Mag. in suo Mariali scribit. *Quemadmodum,* inquit Damasc. *antequam ullo partus dolore afficeretur, peperit: ita etiam ipsius è vita discessus doloribus caruit. &c.* Adhæc jam dudum experta dolores mortis erat, sub Cruce videlicet, quando ipsius animam doloris gladius pertransivit. Hac enim de causa etiam Ioannes Evangelista non solum absque Martyrio, sed etiam absque doloris sensu, suaviter & placide mortuus est, ut habet Cedrenus in Compend. hist. in Nerva. & Eusebius Emes. homil. de S. Ioan. quia nimirum ambo jam olim gustarunt mortis dolores. Didacus Osorius Hispalensis à Rege Catholico in carcerem conjectus adhuc admodum juvenis,

venis, unica tantum incarcerationis nocte, præ nimia animi angustia, cogitationibus mentem exagitantibus, totus incanuisse dicitur: ideoque demissus à Rege & vita donatus, quod mortem jam gustasset. Refert Petr. Hisp. Sylv.p.2.c.7. Cur non igitur libera foret à mortis doloribus Deipara, quæ jam illos plus nimio degustarat? Deniq; quia Mater Domini innocentissima & gloriosissima erat, suavissima & gloriosissima mors ei conveniebat: talis autem est mors præ amoris magnitudine: *fortis enim est ut mors dilectio*, ait Salomon Cant. 8. Nicephorus ubi sup. refert, eam postquam filio gratias egisset, composuisse cum gaudio corpus ad mortem & dixisse: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: & ita spiritum tradidisse. Quo verbo indicavit se tanta cum alacritate & lætitia proficisci nunc ad filium: quanta eundem recepit olim in hospitium uteri sui. Et sicut per hæc verba traxit quodammodo Dei filium in terras & uterum suum: ita nunc per eadem tracta est anima ejus de corpore ad cœlum & filium ejus.

Prædictum videtur hoc mortis ejus genus Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

G. VI. *Mors miraculis illustris.*

Sexto. Mors Deiparæ multis illustrata est miraculis. Damasc. orat. 2. Et Niceph. l. 2. c. 22. refert cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum, infirmis aliis sanitatem esse redditam, solo virginis tactu. Ibidem etiam refert Iudæum quendam dum sanctum corpus efferretur in hortum Gethsemani, odio & invidiâ repletum, sacro loculo manus injecisse, quo eum in terram dejicere & conculcare posset: sed ilico manus ejus à brachiis avulsæ tumbæ adhæserunt. Unde miser Dei vindictam cernens, facti pœnitere & lachrymas profundere cœpit. Quare jussu S. Petri, avulsæ manus iterum juncturis suis applicatæ, ita coaluerunt, uti prius erant. An non videmus veteris arcæ miracula in hac nova revocata? Tetigerat illam Oza absque reverentia, & subitò extinctus est. Tetigit hanc Iudæus manibus hostilibus, & mox illis destitutus est.

H. VII. *Corpus vitæ redditum.*

Septimò. Sanctissimum Corpus Virginis corruptioni obnoxium non fuit, sed triduo post vitæ redditum, & ad cœlos assumptum. Ita tradit Damasc. orat. 1. & 2. Et Andreas Cretensis Archiep. Ierosolymitanus in orat. de assumpt. Iuvenalis similiter Archiepisc. Ierosolymitanus apud Niceph. l. 15. c. 14. ubi respondet Martino Imp. sacrosanctum corpus illius Angelica simul & Apostolica hymnodia elatum in tumulo quodam in Regione Gethsemani repositum esse, & in tertium usque diem eo loco carmina Angelos perpetua in honorem & laudem Dei genitricis cecinisse, & cum eodem tertio die, is qui in obitu Virginis matris choro Apostolorum non adfuerat, advenisset & sacrum illum cœtum, ut tumulum recluderet, quo & ipse Verbi matri debitum supremũque persolveret honorem, precibus summoperè sollicitasset, atque sigillo ablato sepulchrum apertum esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepulchrales illius fascias tantum suo loco intactas atque inviolatas, perinde ac si eas corpus paulo ante reliquisset, repertas. Et quidem inenarrabili odoris suavitate redolentes, eaque suavitate illos abunde afflatos, signaculo rursus tumulo imposito, abiisse. Atque illud solum pro eo ac decebat animo secum meditatos, Deum corpus Virginis ante communem omnium resurrectionem immortalitate cohonestasse, &c. Quam convenienter istud factum sit, alibi diximus. Videmus igitur quã gloriosa mors consequatur sanctam vitam; quia verissimum est illud Augustini, *non memini malè mortuum, &c.*

CONCIO IV.

GLORIA VIRGINIS assumptæ.

I. Symphonia.
II. Complexus.
III. Stola.
IV. Epulum.
V. Annulus.

THEMA.

Maria optimam partem elegit; quæ non auferetur ab ea, Luc. 10.

A.

NOn video, quomodo hodiernum sermonem melius inchoare posim, quam cum verbis S. Bern. serm. 3. de hoc Festo: *Non est equidem*, inquit, *quod me magis delectet, sed nec est, quod terreat magis, quam de gloria virginis Mariæ habere sermonem.* Nihil me magis delectat: quis enim non vehementer gestiat, eam summis laudibus vehere, quæ salutem mundo tulit? commendare navem, quæ famescenti civitati & pene desperatæ, de longe frumentum attulit? hæc autem sola desperato mundo, *facta est quasi navis institoris de longe portans panem*, ut dicit Sap. Prov. 31. & interpretatur Ecclesia. Quis non vehementer gaudeat celebrare illam, quam non dubitamus Deo esse proximam, & per quam speramus æternam consequi salutem? Sed interim tamen nihil est, quod me magis terreat; etenim *tanto eam devotionis affectu*, inquit S. Bern. ibid. *amplectuntur, honorant, suscipiunt (ut dignum est) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso, quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur.* Quod si uspiam alibi, certè in hac solennitate verum habet. Quis enim explicare sufficiat? assumptionis ejus gloriam, triumphi pompam, cœli applausum, Angelorum lætitiam, coronationem Matris Dei? *Assumptionem ejus quis enarrabit*, inquit ibid. Bern. *Si oculus non vidit,*

vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se & diligenti præ omnibus, quis loquatur? Hæc ille. Nec erravero si dixero stellas omnes si scribæ forent, cœlum Papyrus, mare atramentum, scribere non posse ejus gloriam: quia ut B. Ildephonsus ser. 2. de assumpt. dixit: *Sicut est incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit: ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit.* Et tamen (ô insaniam Hæreticorum) hanc Deiparæ celeberrimam solennitatem, de qua SS. Patres S. Hieron. S. Aug. S. Athanas. S. Bern S. Bernardin. S. Petrus Damian. S. Laurent. Iustinian. S. German. S. Gerard. S. Ildephons. & alii tam præclaras & multas homilias scripserunt, non modo non venerantur, sed eidem impie derogant Lutherani, dum authore Luthero suo in serm. quem habuit de natali Virg. impio ore dicere non erubescunt: *Omnes Christiani æque magni sumus sicut Mater Dei, & æque sancti, sicut ipsa.* O os blasphemum, linguam æternis flammis ustulandam! ostendemus igitur quam ad gloriam evecta sit.

Scio sane hæreticos parcissimos & cautissimos esse in commendatione virginis Deiparæ, odio potius erga illam, quam erga Deum Zelo; sed tamen spero daturos si non plus, saltem tantum obtigisse gloriæ Matri Dei in cœlo, quantum obtigit filio prodigo, postquam is ad Patrem rediit. Quis enim hoc negare ausit? si filius ille, qui (ut Luc. c. 15. ait) devoravit substantiam suam cum Meretricibus, ingrediens domum Patris sui tanto cum honore & jubilo à Patre exceptus est: mater filii Dei; quæ non modo nullam dissipavit substantiam, sed potius proprii lactis substantiam reliquamq; quam habebat omnem filio impertivit, ingrediens aulam filii cœlestem, non honorificentius suscipi debuit? Audiamus igitur quali exceptus sit honore prodigus.

B. I. *Symphoniam.* Pater ejus Primò symphoniam instituit & chorum. Ita etiam non dubitare possumus exceptā esse in cœlo Dei matrē cum maximo Angelorū jubilo. Sed ubi hoc scriptum est? dicunt Hæretici. Inprimis scripsit hoc S. Anselm. de exercitio virg. c. 8. *Contempletur*, inquit, *animo qui potest, quo animo, qua festivitate, quibus concentibus jubilant omnes beatorū spirituum ordines, quando & unicam Domini sui matrē adventare, & ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratū velle occurrere?* Hæc ille. Accedit Autor antiquus ser. de Assump. V.M. qui habetur inter opera S. Hier. ubi idem scribitur. S. Bern. Cœlum tunc evacuatum putat serm. 1. de assumpt. *Quis cogitare sufficiat*, inquit, *quam gloriosa hodie mundi Regina processerit: & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronū gloriæ canticis sit deducta? &c.* Si enim venienti victrici Iudith occurrerunt de civitate omnes à minimo usque ad maximū, ut dicitur c. 13. ejus libri: Cur non item Matri Dei, quæ contrivit caput serpentis, cœlestes omnes obviam procederent? Deinde quis nescit qua solennitate, quo jubilo deducta sit arca de domo Abinadab in domum David 2. Reg. 6. Certe ibi David, & omnes Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & systris, & cymbalis. Quanto magis hoc credendum de viva illa arca, in qua Dei filio habitare placuit, cum in domum cœlestis David introducta est? Adhæc si plures Angeli mendici Lazari animam susceperunt, & cum gaudio in sinum Abrahæ portarunt, Luc. 16. Quemadmodum testatur Chrysost. vel qui est autor homiliæ de divite & Lazaro, dicens: *Non suffecerat ad portandum pauperem unus angelus, sed propterea plures veniūt, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisq; Angelorum tantum onus tangere. Libenter talibus oneribus prægravantur, ut adducant homines ad regna cœlorum, &c.* Cum tamen in lymbo non esset propriè locus lætitiæ, sed tantum expectationi illius. Si igitur ad congratulandum Lazaro conveniunt plures angeli, quando ad sinum Abrahæ tantum portatur: quem eorum fuisse putabimus, qui non obviam ierit Deiparæ ad cœlum gradienti? Deniq; quando ædes Lauretana B.V. è Dalmatia in agrū Recinetensem ab Angelis per mare Adriaticum mirabiliter translata & in sylva collocata erat, arbores sese incurvarunt, reverentiam ædiculæ exhibentes; ut scribit Horat. Tursell. de S. æde Lauretana, quæ etiam sic curvatæ ad hominum memoriam diu permanserunt: Non dubium, quin hanc ipsam & majorem reverentiam exhibuerint in cœlo Deiparæ ligna illa & Cedri Libani, id est, Angeli. Iam vero quis explicet gloriam & gaudium Deiparæ gradientis in multitudine tot nobilissimorum & diversissimorum spirituum, sibi laudes varias canentium; Alexander M. felicem se fore putabat, si Homerum nactus fuisset Poëtam, factorum & laudum suarum præconem. Ideo enim Achillem felicem prædicabat, quòd laudum suarum præconem Homerum habuerit. Plut. in Alexand. quid igitur gloriæ ac lætitiæ putatis accessisse Deiparæ, cum audiit à tot millibus celeberrimis poëtis Angelis, laudes suas sine fuco, sine periculo decantari? Sed parum fuit illi, Angelos habere præcones: Ipsemet Christus, filius ejus Præco illius factus est, & veluti David inter cantores alios ante arcam lusit. Multum est quod dico, sed nimirum ipsemet Christus dixit, Marc. 8. *Qui me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum Angelis sanctis.* At quis magis eum confessus est, quam B.V. juxta crucem inter crucifixores filio adstans? O quanta est differentia inter hunc & illum diem? In illo Christus non audebat eam vocare matrem. *Ne materno nomine*, inquit S. Chrys. hom. 84. in Ioan. *amplius dolorem excitaret: non enim tempus tunc erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen Matris exprimendi.* Sed dicebat: *Mulier ecce filius tuus*, scil. Ioannes. In illo vero dicebat de se: *Mater ecce filius tuus.* Ibi non audebat dicere: *Ecce*

Ecce mater mea: forte ne quid ea adversi propterea pateretur à militibus. Sed hic coram Patre & Angelis dicebat: *Ecce Mater mea.*

C. II. *Complexus.*

Secundò. Accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Nec dubitemus id ipsum fecisse Christum matri suæ benedictæ; de solio, inquam, suo surrexisse, & obviam illi occurrisse eamque cum suavissimo amplexu excepisse. Ubi hoc scriptum est? inquis. Scribit inprimis Autor ser. de Assumpt. M. *Nec immerito creditur, quod ipse Salvator per se totus festivus occurrerit, & eam cum gaudio secum in throno collocaverit, alioqui quomodo creditur implesse, quod ipse in lege præcepit: honora patrem tuum & matrem tuam?* Similiter S. Bern. serm. 1. de Assumpt. cũ ait: *Etenim non solum tota cœlestium legionum multitudo in Mariæ occursum prodit, illamq; ad thronum gloriæ magno devotionis affectu deduxit, sed & filius placido vultu, serena facie, divinis amplexibus eandem suscepit, &c.* Et propterea Petrus Damiani serm. de assumpt. magis quiddã fuisse colligit in assumptione virginis, quam in ascensione Christi; *Soli quippe* Angeli, inquit, *Redemptori occurrere potuerunt: matri verò Christus ipse cum tota cura tam Angelorum quam justorum solenniter occurrens evexit ad beatæ consistorium sessionis.* Deinde nonne etiam Rex Salomon, quando ad eum ingrediebatur Mater ejus Bethsabee, surrexit in occursum ejus, 3. Reg. 2. qui cum sapientissimus esset, nequaquam id fecisset, nisi id decere, & præcepto divino congruum esse intellexisset. Quin etiam ipse Christus Stephano certanti, & jam jam morituro visus est, stans, videlicet de solio surgens ad eum suscipiendum: Et non fecerit hoc Matri suæ? Quomodo vicem Matri rependisset alioqui, quæ quoties eum ad manus ducebat, & ingredi docebat, adhæc modo in Ægyptum; modo Ierosolymã in templum introducebat, modo crucem gestanti cum lachrymis occurrit? Ut scribunt S. Bern. de planctu Virg. & S. Bonavent. in medit. vitæ Christi c. 77. O quantum interest hunc inter occursum & illum? Ibi occurrens mater filio, vidit eum in forma inusitata, ut meditatur S. Bonav. in vita Christi c. 77. nimirum spinis coronatum, lictoribus stipatum, despectum, ligatum, sanguine respersum, ligno prægravatum: nec præ doloris vehementia verbum illi ullum loqui poterat: ibi velut Luna ex aspectu solis Eclipsin passa est: ibi mater filium, & filius matrem mutuo aspectu acerrimè torquebant: ibi corruentẽ filium mater sublevare non audebat. At hic videt mater filium iterum inusitata forma, sed gemmis coronatum, angelorum exercitibus stipatum, gloria & decore indutum, candidũ, claves cœli gestantem. O quam suavis utriusque aspectus; quam dulce colloquiũ? qualis amplexus & introductio in gloriã? &c.

D. III. *Stola.*

Tertiò. Induit eam stolã primã, id est, primaria & quæ inter omnes primatum obtinet, ut aliqui interpretantur, teste Barradio ibi. Stola autem gloriam repræsentat. Unde Eccl. 15. dicitur: *Stola gloriæ vestiet illum.* Et in Apoc. sæpius visuntur Sancti amicti stolis. Et qualem putabimus datam esse Deiparæ stolam, nisi primam & omnium principem præ omnibus sanctis? Crederem hoc, inquit hæreticus, si id scriptum esset. Sed id scripsit inprimit S. Chrysost. in Liturgia, ubi eam *honoratiorem Cherubim & gloriosiorem incomparabiliter Seraphim* appellat: atq; *ut vere dignum ac justum est*, inquit S. Ephrem. in orat. de laudibus. Virg. ita scribit: *sanctior Cherubim, sanctior Seraphim & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* D. Epiph. similiter in serm. de laudibus Virg. ait: *Maria solo Deo excepto cunctis superior existis, natura formiosior es ipsis Cherubim, Seraphim & omni exercitu angelico.* Et D. Bern. serm. de Assumpt. idem testatur, & simul rationem dat, inquiens: *Nec in terris locus dignior, uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis Regali solio, in quo Mariam filius sublimavit*, q.d. quia Maria filium Dei dignissimo in terris loco utero videlicet suo virginali & sanctissimo suscepit, decuit ut eadem ab illo dignissimo in cœlis loco susciperetur. Hanc virginis gloriam vidit & describit Ioannes Apoc. 12. dicens: *signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quod ut intelligamus, notandum ex Apostolo 1. Cor. 15. gloriam Beatorum differre, sicut stella differt à stella in claritate. *Alia clãritas Solis*, inquit, *alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.* Iam uti Sol sine comparatione reliquas stellas excedit, ita dicendum est gloriam Deiparæ excedere gloriam reliquorum Sanctorum: quia à Ioanne dicitur *amicta Sole.* Luna verò præcipuorum Sanctorum gloriam repræsentat; unde Sanctos, de quorum sanctitate nihil dubitamus, Luna coronatos depingimus. Quoniam igitur B. Virgini Luna sub pedibus visa est, significat id quod in Sanctis præcipuis est maximum & supra caput, id in Deipara esse minimum & infra pedes. Corona verò stellarum 12. quid designat, nisi quidquid eminet sparsim in omnibus Sanctis, id totum fulgere in Mariæ corona & gloria? Ibi gloria Patriarcharum, quia & fides. Ibi gloria Prophetarum, quia Prophetia, Ibi gloria Apostolorum, quia & charitas; gloria Martyrum, quia & fortitudo, gloria Doctorum, quia & intelligentia, gloria Confessorum, quia & patientia: gloria Sacerdotum, quia & sanctimonia, gloria Eremitarum, quia & contemplatio; gloria Monachorum, quia & humilitas; gloria Virginum, quia puritas; gloria Viduarum; quia continentia, gloria conjugatorum, quia & fœcunditas. Adhæc si Maria vestivit Dei filium, optimo & præstantissimo quod habuit, purissimo videlicet sanguine totius corporis sui, uti certissimum: si in præsepi involvit pannis: si labore manuum & arte textrici vestivit tunica inconsutili, ut asserit ex traditione Patrum Euthymius in Matth. c. 27. si denique cum nudaretur ad crucifixionem filius, velo de capite sibi detracto verendas ejus texit partes, non dubitans inter medios accurrere lictores, ut putat D.An-

D. Ansel. de passione: An non decebat, quæso, ut filius Matrem similiter vestiret: imo supra omnes alios splendidissimè ornaret, à qua splendidissime sicut potuit, decentissimè & opportunissimè vestitus est? Quamquam enim exigua videntur hæc obsequia, Deo tamen præstita sunt, & in ejus paupertate, & à paupercula matre: ac proinde excellentissimam præ omnibus merebantur remunerationem. Si enim S. Martinus quia aliquando ante missarum peractionem vestem suam pauperi dedit, postea in sacrificio circa brachia nudatus, ob defectum vestis erogatæ, divinitus vestitus fuit manicis supra modum ornatis & splendidis (ut habet in ejus vita Sever. Sulpit.) quali putatis veste ornatam à filio matrem esse, quæ ipsummet Deum tam officiosè vestiit? Quis comprehendere possit splendorem illius vestis, quam miratur David Psalm 44. dicens: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate? &c.*

E. IV. Epulum.

Quartò. Instruxit ei convivium & cum eo epulatus est. Hoc Christus matri fecit, dum gloriam suam ei communem fecit, adeoq; gaudia sua, quotquot habet, veluti epulas (quemadmodum ipse Dominus vocat Luc. 22.) eidem degustanda apposuit. Ita sensit Arnoldus Carnotensis tract. de laudib. virgin. & refertur tom. 6. Biblioth. SS. Patrum, cum dixit: *Filii gloriam cum matre non tam communem judico quam eandem.* Ita S. Ioannes Damasc. orat. de Assumpt. ait: *Decet matrem ea, quæ sunt filii, possidere.* Sed quænam illa gloria, inquis, quam matri communicavit? Sed dic tu mihi inprimis quæ & quanta fit Christi gloria? Dicam tamen aliqua. Communicavit inprimis matri gloriam sessionis, ut si non in eodem throno, saltem in eadem hierarchia supra omnes Angelorum hierarchias, juxta se considerent. Ita enim insinuat Author serm. de Assumpt. supra citat. cum ait, non immerito credi, quod eam Christus cum gaudio secum in throno collocaverit, ob præceptum illud: *Honora Patrem & matrem.* Ita sentit & explicat id Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis*, Card. Bellarminus; A dextris inquam, hoc est, loco paulo inferiore & post Christum proximo, in eadem tamen hierarchia (utpote quæ per unam solam personā constitui non potest, ut nomine patet) Præfiguravit istud Salomon Rex, qui ad dextram suam collocavit matri thronum; 3. Reg. 2. Item Pater ejus David qui arcam fœderis intulit in domum suam, 2. Reg. 6. Communicavit secundo gloriam cultus & venerationis, non quidem quod eodem cultu adoranda sit mater cum filio (quia hic Latria illa, hyperdulia, ut S. Thomas ostendit 3. p. colenda) sed alia duplici ratione; Primò quod omnis cultus filii redundet in matrem, quatenus mater ejus est; quo sensu dixit Arnoldus Carnot. ubi sup. *Quicunque Iesu curvat genu, matri quoq; pronus supplicat.* Secundo, quod ipsa ab omnibus colatur creaturis, tam Angelis quàm hominibus, quemadmodum & Christus, imo suo etiam modo ab ipso Christo. Siquidem de se ipsa prædixit Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Utrumq; complexus Rupertus lib. penul. in Cantica ait: *Tanta es, ut te honoret ipse sol (Christus) honore, quo decet filium honorare parentes suos, qui enim dixit: honora patrem tuum & matrem, non dubium quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis velit honorari matrem.* Hæc Rupert. Communicavit tertiò gloriam visionis, quia quæcunque videt filius scientia visionis, videt & ipsa. *Omnia observas*, inquit S. Germanus serm. de Assumpt. ipsam alloquens, *omnia intueris & inspectio tua ad omnes se porrigit.* Et ratio est, quia unusquisque beatus videt omnia quæ pertinent ad statum suum; ut docet S. Thom. 1. p. quæst. 12. B. Virgo autem ut instrumentum cooperata est ad totius humani generis redemptionem, estq; Advocata, mater & refugium omniū mortalium: adhæc Christo cœlis conjunctissima: quomodo igitur ipsi celare aliquid potest filius? Quæ omnia non difficile, credo, admittemus, si pensemus Deiparam in vita participem fuisse totius tristitiæ, confusionis & dolorum filii sui. Quomodo enim ea non videret jucunda & delectabilia omnia, visa à filio: quæ & dolores ejus vidit omnes & diu ante prævidit? Quomodo ea non esset particeps venerationis, quæ sub cruce filii particeps fuit confusionis? Quomodo non communem habeat vel potius eandem Christi hierarchiam & aulam, quæ communem ei fecit in terris domunculam suam? Quomodo ea non adhæreat lateri Christi in cœlis, quæ in omni tribulatione adhæsit ei in terris? quæ cum ipso in stabulo mansit, fugit in Ægyptum, cum ipso sub cruce stetit, quæ in medio hostium furore, militum tumultu & armorum strepitu omnibus amicis recedentibus ab ipso non recessit? quæ omnes illos dolores, omnia tormenta, quæ in corpore tulit Christus, ipsa in corde passa est? quæque extremum illud lanceæ vulnus, quod filius sentire non potuit: ipsa pro eo in animo sensit & excepit? Quare verissimè Apostolus dixit 2. Cor. 11. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Iam verò ô quantum interest inter utramque societatem? Quam angustum, quam pauperculum erat illud Mariæ tuguriolum (sicut in hodiernum Laureti visitur) in quo Christum concepit, educavit, & enutrivit? Quam magna contra est domus Domini & ingens locus possessionis ejus, quem filius matri communem fecit? Quam diversum est convivium, quod matri in cœlo exhibet, ab illo, quod in monte Calvariæ exhibuit? Quid enim tunc cernere poterat, quod tristitiam & mœrorem non afferret: si montē in quo erat, aspiciebat ubiq; mortis vestigia, fœtorem & horrorem videbat. Si circūstantem turbam: hinc quidem pauculos collachrymantes amicos, illinc turbam frementem & furentē videbat; Si cœlum: solem præ mœrore obscuratum, aërem tenebricosum, diem in noctem conversum. Deum Patrem implacabilem videbat. Si deniq; pen-

dentem in cruce filium videbat lumen oculorum suorum extinctum, nudum, sanguine conspersum. spinis coronatum. At verò hodie omnia contraria; omnia in gaudium conversa aspicit, infra se locum amœnissimum, plateas auro & gemmis stratas: circa se hinc ordines Angelorum & Beatorum lætantium, sibique applaudentium: illinc turbam inimicorum in gehennam demersam. Supra se Deitatem totum irradiantem cœlum, diem perpetuum, noctem nullam. Iuxta se filium gloria & honore coronatum, decore vestitum, totius universi gubernacula tenentem, seipsam denique omnibus gaudiis & deliciis affluentem & circumfluentem, supra Angelos exaltatam, omnium in se oculos conversos, &c.

F. V. *Annulus.*

Quintò. Annulum manui ejus indidit, qui significat potestatem imperialem, obsignandi quascunque Regis literas, & bona ejus dispensandi pro libito & gratias concedendi, ut patet Esth. 3. ubi Assuerus Amani, & c. 8. Mardochæo in hunc finem annulum suum dedit. Et num putamus hunc negatum à filio matri? minimè gentium. *Constituta quippe est super omnem creaturam*, inquit Arnoldus ubi sup. similiter S. Ioannes Damasc. orat. 3. de Assumpt. docet filium matri res omnes conditas in servitutē addixisse. *Rerum omnium conditarum Domina effecta est*, inquit. De eadem D. Gregorius Nicomed. Archepiscopus orat. de edit. B. V. in templo oblatæ, ait: *Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt.* In hujus rei figuram Assuerus, cum adamasset Esther, plusquam omnes mulieres, posuit diadema regni in capite ejus & fecit eam regnare in loco Vasthi, ut dicitur Esth. 2. Quid est autem diadema regni alteri imponere, quam imperium tradere & Regem vel Reginam constituere? Nec difficile hoc admittemus Deiparæ factum esse. Nam si ipsa diademate humanitatis suæ coronavit filium, ut dicitur Cant. 3. & exponit S. Ambrosius lib. de instit. virgin. cap. 16. Cur non item filius coronet matrem diademate divinæ potestatis suæ? Cæterum uti Esther duas habebat famulas, una cui innitebatur, altera quæ defluentia in terram vestimenta sustentabat, ut habetur Esth. 15. ita & Deipara. Nam B. Bonavent. in specul. virgin. *Duæ*, inquit, *famulæ, quarum Domina est Regina Maria, sunt angelica & humana creatura: Humana est famula illa, quæ sequitur Dominam suam in mundo, colligens vestimenta Dominæ, hoc est, virtutes & exempla Mariæ: Angelica vero est illa altera super quam in cœlo innititur se sociando ac deliciando cum Angelis, innititur insuper tanquam potentissima Angelis imperando.* Hæc Bonaventura.

Superest nunc ut matri Dei, tanquam sorori nostræ congratulemur.

CONCIO V.

QUAMOBREM DEI GENETRIX Maria ad celsissimum cœli thronum post filium evecta sit.

I. Ob merita bonorum operum.
II. Ob humilitatem.
III. Ob charitatem.
IV. Ob tribulationem.
V. Ob Christi imitationem.
VI. Ob propinquitatem.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, Luc. 10.

A.

IN parabola de prodigo filio introducit Dominus Luc. 15. fratrem ejus indignantem & murmurantem, nec volentem introire paternas ædes, eò quod pater filium è longinquo revertentem tanto honore excepisset, quantus ipsi nunquam fuerat exhibitus. Audivit enim quomodo Pater instituisset ei symphoniam, quomodo eum excepisset obvians illi, quomodo induisset stolâ primâ, quomodo instruxisset ei convivium, & dedisse annulum in manu ejus. Ob quæ omnia indignabatur & fratri invidebat. Ostensurus hac parabola Dominus gloriam cœlestem justis præparatam, non voluit indicare, quod in cœlo ejusmodi murmur sit futurum, quod alter alteri Beatorum majorem invideat gloriam: sed voluit ostendere, tanta Sanctos aliquos in cœlo gloria præmiandos, ut si inter Beatos murmur & invidia esse posset, quemadmodum inter viventes; Plurimi ob id indignaturi & murmuraturi essent. Quam verò præ omnibus Sanctis in cœlo fulgeat Maria Virgo, alibi vidimus, idq; ex fundamento scripturæ, SS. Patribus & ratione: ostendimus enim ei omnia illa (eminentiori tamen modo) à Deo esse exhibita, quæ exhibuit filio prodigo Pater. Ostendimus institutam ei symphoniam SS. Angelorū, Christum ei ad cœlos gradienti obviam prodiisse, induisse eam stola prima, id est gloria omnium principe; excepisse eam convivio, hoc est, gloriam suam ei communicasse, deniq; donasse eam annulo, hoc est, potestate imperiali, ad distribuendas gratias. Audivimus, ergo sororem nostram Mariam exaltatam super Angelos, sedentemque à dextris filii dominari in toto cœlo. Hoc tamen audito nuntio, fortasse non deest etiam malevolus quispiam frater, qui ob tantam sororis nostræ gloriam indignetur & murmuret, vel saltem curiosius inquirat, quamobrem Maria tantum gloriæ apicem conscendere meruerit.

Certè

Certè hæretici instar lucifugarum splendorem gloriæ ejus ægrè intuentur & suis circumvolationibus extinguere aut saltem obfuscare conantur. Sed frustra laborant miseri, & sibi ipsis tantum malum creant. Ringantur enim licet, non delebunt id quod scriptum est: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.*

Tertio Reg. 10. legimus Salomonem fecisse sibi thronum de ebore grandem auro fulvo nimis vestitum, ad quem sex gradibus ascendebatur. Quoniam igitur asserimus à dextris filii consistere Mariam, necesse est ut ipsa prius ascenderit per sex gradus ad filium, qui aliud non sunt, quam totidem examina.

B. I. Ob merita bonorum operum.

Primus gradus seu examen est meritum bonorum operum, ut patet ex illo examine Iudicis: *Esurivi & dedistis mihi manducare, &c. Qui enim parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, ait Apostol. 2. Cor. 9. Et Psal. 127. *Labores manuum tuarum manducabis.* Quis autem plus bonorum operum seminavit, quàm Maria? Nam inprimis à juventute religiosissime fuit educata, & deinceps vivente Christo semper in ejus schola & conversatione vixit, & ad magnã ætatem pervenit; quodq; caput est, semper in Dei gratia, sine ullo peccato vixit, unde nullũ omnino bonũ opus unquã mortificavit. Hinc ipsa in articulo mortis optimè canere potuit id sponsæ Cant. 7. *Mandragoræ*, id est, poma pulchra, odorifera & rara secundum Lyran. *Dederunt odorem suum in portis nostris. Omnia poma nova & vetera dilecte mi, servavi tibi.* Nos enim poma operum nostrorum sæpe putrefacimus per peccata: non illa. Unde sicut veniente Regina Saba ad Salomonem, *non sunt allata ultra tam multa aromata*, id est, merita & virtutum odores: atque ipsa attulit, 3. Reg. 10. Ita nemo unquam intulit tanta in cœlum merita ac Deipara, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*, Prov. 31. Secundò, omnia illius opera erant charitate intensissima informata, quia erat gratia plena; nec licet cogitare, quod ipsa hanc gratiæ plenitudinem in vacuum receperit, & veluti servus ille piger talentum suum absconderit. Ergo omnia sua opera gratiæ illius plenitudine informavit, & quodammodo inauravit, ita ut majus meritum haberent, quam reliquorum Sanctorum opera. In cujus rei figuram, Salomon omnes templi parietes aureis laminis vestivit, ita ut intus templum universum fulgeret aureum: nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur, 3. Reg. 6. Ad idem pertinet, quod sponsus dilectæ dicit Cant. 4. *Emissiones tuæ*, id est, germina seu propagines fructuum, *Paradisus malorum punicorum.* Mala enim punica omnia coronata sunt, indicantque hoc loco singula virginis opera singulas meruisse coronas.

Tertio, utramque vitam contemplativam & activam vixit accuratissimè: patet autem vel ex hodiern. Evang. utramque hanc vitam simul junctam præstare singulis. Magdalenam egit Deipara, quia omnia ejus verba conservavit in corde suo, & semper ad pedes illius sedit. Martham egit, quia tota ei vita ad instar ancillæ solicite ministravit. Audi Bernard. sermon. 51. art. 3. c. 3. *Sicut nulla unquam fuit similis contemplatrix, sic nunquam fuit virgini similis ministratrix. Alii induunt pauperes de lana ovis, ipsa induit filium Dei de purissimis sanguinibus suis. Alii induunt de panno, ipsa de corpore suo. Alii pascunt pauperem pane extrinseco, ipsa pavit humanatum Deum de lacte proprio. Alii suscipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa vero suscepit immensum Deum in corde & corpore suo. Alii propter Deum ministrant infirmo, ipsa Deo in pauperculo corpore ministravit. Alii soliciti sunt, ne aliquid deficiat inopi, virgo solicita ministratrix fuit & manibus suis laboravit, ut subveniret Deo homini indigenti. Alii incarceratos & vulneratos homines visitant & eis compatiuntur dum vivunt & mortuos sepeliunt, Virgo Christo pro nobis capto, ligno crucis affixo, vulneribus dilaniato tanto dolore compassa est ut inexpressibile sit etiam angelicæ linguæ.* Unde optimè designatur per Esther, quæ duabus comitata famulabus (quarum uni innitebatur, quæ contemplatrix est vita: altera defluentes vestes sustentans sequebatur, quæ activa) ad conspectum Assueri prodiit, Esth. 15.

C. II. Ob humilitatem.

Secundus gradus & examen est humilitas. Hoc examen indicavit Dominus cum Matth. 18. interrogatus, quis major esset in regno Cœlorum: parvulum in medio discipulorum statuit & dixit: *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.* Ad hanc mensuram quicunque proximè accesserunt, magni effecti sunt. Inter Angelos Michael jure princeps est, & princeps magnus à Daniele vocatur, quia Lucifero superbienti per humilitatem suam restitit. Quid enim sonat Michael, nisi, quis ut Deus? Ecce humilitatem ejus. Inter Patriarchas princeps Abraham, quia & humillimus: *Loquar ad Dominum*, dicebat, *cum sim cinis & pulvis.* Inter Reges princeps David, quia & humillimus: *Et ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis*, dicebat cum ante arcam ludens & exiliens rideretur ab uxore 1. Reg. 6. Inter Prophetas princeps Ioannes Baptista, quia & humillimus: *Non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus*; dicebat. Inter Apostolos princeps Petrus & Paulus, quorum ille dicebat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Hic vero: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*, 1. Cor. 15. Viden quam propè hi accesserint ad propositam sibi pueri humilitatem, & quantum ob id evecti sint. Sed hos omnes superavit Maria, quia cum esset ad supremam maternitatis Dei evecta dignitatem, & præterea gratiæ plenitudine omnes superaret, nihilominus in ipso tantæ exaltationis momento, dum ab Angelo tam honorificè salutatur, ad imam humilitatis abyssum se demisit,

dicens : *Ecce ancilla Domini.* Quis enim dubitat, longè majorem fuisse humilitatem S. Eduardi Regis Angliæ, qui claudum pauperem humeris suis ad templum gestavit, quam si hoc idem nobilis quis aut plebejus fecisset ? Nemo nescit aquas quanto altius descendunt, tanto altius rursum ascendere. Sic pila quanto fortius dejicitur in terram, tanto altius salit. Maria tanto conatu se allisit terræ, cum positis humi genibus, ut vult Anselmus, dixit : *Ecce ancilla Domini.* Hanc ob causam Christus fuit omnium humillimus, quia cum esset filius Dei, humiliavit se usque ad crucem. Si enim personæ dignitas non intenderet & augeret humilitatem , sequeretur Petrum fuisse humiliorem Christo , quia non putavit se dignum, qui erectus penderet in cruce, uti Magister suus. Ergo,&c. Quando igitur Maria de supremo illo dignitatis fastigio, quod homini contingere potest, descendit ad tantam abyssum, à quo nemo alius Sanctorum potuit descendere; sequitur etiam tanto altiorem ei deberi ascensum. Unde S.Bernardinus tom.1.serm.51.art.1.cap.3.ait: *Sicut nulla post filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ.* Erat igitur Maria granum sinapis, quod minimum erat omnibus seminibus, per electionem humilitatis; sed ideo tantum crevit ut majus factum sit omnibus oleribus, Matth.13. Misit enim radicem deorsum & fecit fructum sursum, 4. Reg. 19. Sicut contra Lucifer, quia misit radicem sursum & altissimi throni similitudinem ambivit, fecit fructum deorsum & in profundissimum barathrum est detrusus. Adhæc si reliqui sancti humiles fuere, habuere non modicam se humiliandi causam , quia saltem aliquas habuerunt imperfectiones & venialia peccata. Nihil horum in Maria fuit ex communi PP. consensu : ergo major & gloriosior ejus humilitas. Bona est humilitas cum peccatis, melior sine peccatis, optima cum virtutibus & fastigio honoris; sicut contra mala est elatio cum virtutibus , pejor sine virtutibus, pessima cum vitiis. Act. 1. legimus Deiparam post alias Mulieres ultimo loco poni : *Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre Jesu.* Quod miratur S.Bernardus in serm. de verbis Apoc.12. *signum magnum.* Itanè, inquit, & mulierem sese ultimam exhibeat, ut novissima omnium poneretur ? mox causam subdit : *cum Maria quanto major erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed & præ omnibus : merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium , sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam ; Merito denique super Angelos exaltata est, & quæ infra viduas & pœnitentes, infra eam, de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.*

D. III. *Ob charitatem.*

Tertius gradus & examen est charitas erga Deum. Hoc examine cribravit Deus Petrum, antequam eum ad primatum & summum pontificatum eveheret, ter interrogando: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quo respondente: *Domine tu scis, quia amo te*, summum Ecclesiæ gubernatorem eum fecit, dicendo: *Pasce oves meas*, Ioan.21. Probaverat nimirum paulò ante Dominus amorem Petri præcellentiorem , dum in littore stans & discipulos piscantes alloquens, vidit solum Petrum, ubi agnitus ab eo fuit, in aquas se misisse & natando ad se tamquam moræ impatientem venisse ; cæteri enim navigio venerunt, ut habetur eodem capite. Quam vero Deipara Virgo excelluerit amore Sanctos reliquos, vel ex eo patet, quod ipsa Deum non tantum amavit ut Patrem, quemadmodum reliqui Sancti, sed etiam ut filium,& modo aliquo ut sponsum. Aliæ matres dividunt amorem, alium habent erga parentes, alium erga liberos, alium erga Deum: sed Maria totum suum amorem impendit filio, quia idem erat filius & Deus.

Adhæc si Christus dixit Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi ut accendatur* ? Quomodo non imprimis accendit & inflammavit matrem, cum qua tamdiu versabatur ? Si enim duorum illorum discipulorum euntium in Emaus, cor ardere cœpit , dum Christus ad breve spatium loqueretur cum illis in via & aperiret illis scripturam, Luc. ult. quomodo non multo magis ardens erat cor Matris, &c. Certe autor antiquus (inter opera S.Hieron.) in serm. de Assumpt. scribit : *Puto, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeat , quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, &c.*

Sed reipsa examinatus & probatus fuit illius amor triplici præsertim examine. Primo. Cum Christus inscia ea remansit in templo. Secundo post ascensionem Domini , cum ad annos 15. ad Ecclesiæ utilitatem, hic relicta, filii præsentia caruit. Tertio, & gravissimè in filii crucifixione & morte , cum aliis fugientibus ipsa inter strepitus armorum & furorem Iudæorum rabiemque militum filio constanter adhæsit. *Tanta virtute Christum dilexit*, ait Guilielm. in cap. 1. Cant. *ut ad Titulum suæ laudis sufficiat, quod mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ne fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis adstans cruci, & condolens morienti animam suam pro filio suo, etsi minimè posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.* Hæc ille. Imò etiam animam pro eo posuit, dum se matrem Christi exhibere non timuit, seque Iudæorum furori & vitæ periculo exposuit. Unde verissimè ei competit, quod Cant. 8. dicitur : *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Aquæ multæ tribulationes multæ fuerunt , quas cum filio & propter filium passa est : Sed flumina fuerunt tres illæ horæ juxta crucem : quæ tum charitatem ejus non modo non extinxerunt, sed potius accenderunt. Ibi Abrahamum vicit, magis heroicum amoris in Deum actum exercendo, cùm filium suum longè præstantiorem Isaaco Deo Patri fortiter & reipsa immolavit. Qua-

Quare si Dominus Apostolis dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus; idcircò ego dispono vobis regnum ut edatis & bibatis super mensam meam, &c.* Quanto magis debebatur hoc ejus matri?

E. IV. *Ob tribulationem.*

Quartus gradus seu examen est, tribulatio & passio. Quod examen proposuit Dominus filiis Zebedæi petentibus sedere ad dextram & sinistram ejus, Matth.20.cum dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? Et Apost. suis 2.Cor.3. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Quo in examine inter cæteros optimè stetit Ioseph Patriarcha, qui quo pluribus tribulationibus vexatus fuit, tantò major posteà Dominus factus est. Similiter S.Paulus vas electionis factus est, sed antequam talis fieret, prius multoties in fornacem mitti & percolari, plurimis in incudibus tundi debuit: Cæterum hos & alios multis parasangis superavit in hac proba Virgo; Nam, ut taceam, quod tota vita non caruit doloribus & compassione filii: ipsa sola fuit socia passionum Christi, quæ omnia vulnera recepit, & sensit in corde suo, quæ Christus accepit in corpore, ut scribit S.Bonavent. in stimulo amoris, sola ipsa propriè bibit calicem Christi (Apostoli enim alium mitiorem biberunt, uti & martyres omnes) ob intimam cum illo conjunctionem & amorem. Et si licuisset, maluisset pro eo pati, quàm patientem cernere. Si enim de filio immorigero Absolone dixit prudentissimus alioqui David: *Fili mi Absolon, quis mihi hoc tribuat, ut ego moriar pro te?* Quanto promtius hoc factura erat Maria pro filio omnium optimo? Unde S.Bern. in serm. super id: *Signum magnum, &c.* Et Author serm. de Assumpt. asserit, eam plusquam martyrem esse, quia in anima passa est, juxta Simeonis prædictionem: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc.2. alii martyres in carne passi, in anima consolationem recipiebant. Anselmus l.de excellent. B.V. cap.1. ait, leve fuisse respectu passionis Mariæ, quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum. S. Bonavent. in Offic. de compass. Virg. ait: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.*

Adhæc Deiparæ passio quasi myrrha prima est, quæ ultrò ex arbore defluit, quia merè voluntaria fuit. Unde in hodiern. Offic. in persona ejus dicitur: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Passio Sanctorum myrrha incisa est & minus electa, quia carnificum incisionibus procurata.

F. V. *Ob Christi imitationem.*

Quintus examinis gradus. Imitatio Christi: quod indicatur Luc.6. dicente Domino: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister ejus.* Quis autem dubitet Mariam in schola Christi super omnes profecisse, ejusque imaginem in se accuratè depinxisse, quæ & naturali complexione similis ei erat, & in ejus conversatione ac schola quodammodò semper versabatur, ejusque verba & acta omnia diligentissimè observabat? Luc.7. Si tantillo tempore Magdalena ad pedes Domini sedens adeò profecit; quid sentiemus de Matre perpetuò ei adhærente? Omnes nos Christiani conamur, vel saltem conari debemus depingere in nobis Christi effigiem, id est, mores & vitæ imitationem: Id enim Exemplar nobis propositum est à Deo Patre, cujus typus exemplar erat tabernaculi fabricandi, Moysi ostensum in monte Sina: *Aspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, ait Deus Moysi: Sic & Christus discipulis: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci & vos faciatis.* Et ad Pharisæum, post parabolam Samaritani, id est, Christi: *Vade & fac similiter*, ait. Tanto ergò majus præmium à Christo accipiet, & tanto vicinior ei erit in gloria, quanto exactius quis eum in se depinxerit. Iam verò an non putatis Mariam præ omnibus exactissimè depinxisse in se filii imaginem? Quis enim alius ita perpetuò ipsum contemplabatur? Quis ita indivisibiliter ei adhærebat? An non ille pictor cæteris paribus, qui perpetuò aliquem contemplatur, exactius eum delineabit, quàm qui raro vel nunquam & per relationem tantum eum cognovit? Quis autem crebrius & exactius Christum intuebatur, quàm ea, quæ dicebat. *Ecce ancilla Domini?*

G. VI. *Ob propinquitatem.*

Quibus omnibus accedit ratio propinquitatis; cum enim sit Mater Dei, quis ei jure invideat, si eam filius etiam juxta se à dextris suis collocavit? Si enim Apostol. ad Hebr.1. ex eo probat Christum esse majorem Angelis, quod longè eminentius nomen præ Angelis sortitus sit: *Cui enim Angelorum?* inquit, *dictum est, filius meus es tu*? licet similiter concludere, Mariam longe eminentiorem gloriam præ cæteris Sanctis hæreditasse, quia nulli prætterquam ipsi nomen matris Dei collatum est. Deinde si Deus ipse mandavit: *Honora Patrem & Matrem*, quomodo id non ipse quoque faciat? & quod fecit Matri suæ Salomon, ponat matri suæ sedem à dexteris suis? 3.Reg.2. An non Christo Domino suggerere possemus, quod Chaldæi dixerunt Nabuchodonosori: *Tu Rex posuisti decretum, &c.* Dan.3.

Absit igitur, ut quisquam nostrum indignetur, aut murmuret, aut invidiâ tabescat ob supremam Mariæ gloriam, quam vidimus ei debitam non uno sed multis titulis. Gaudeamus potius, quia soror nostra Maria dominatur in toto cœlo. Ex hinc enim sperare possumus, quod etiam nos ad cœlum evehere & possit, quia Regina cœli; & velit, quia soror nostra. Congaudeamus igitur & congratulamur tibi Regina, petimusque uti nos ad te, non dicimus, ad solii tui celsitudinem, sed solummodò ad pedes tuos, & scabellum pedum tuorum trahere digneris. Amen.

CONCIO VI.

QUAM MERITO B. VIRGO CORpore assumpta sit.

I. *Quia recepit Christum.*
II. *Christo fidelissima.*
III. *Dilata gloria.*
IV. *Immunis ab omni peccato.*
V. *Dei thronus.*
VI. *Regina privilegio gaudens.*
VII. *Mater Dei.*
VIII. *Ingressa in mundum cum privilegio.*
IX. *Mediatrix nostra.*

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, Luc. 10.

A. PRimo Reg. 5. legimus Philistæos, postquam cepissent arcam fœderis, intulisse eam in templum Dagon Dei sui, veluti trophæum, quod ab Israelitis suis tulissent virtute & potentia Dei sui. Sed male id cessit Dagoni: nam corruit ante arcam, capite & manibus à trunco revulsis, adeoque turpiter victus est, qui de victoria gloriabatur. Unde coacti Philistæi imposuerunt arcam plaustro & adhibitis vaccis dimiserunt eam. Vaccæ autem recta pergebant ad terram Israel veneruntque in Bethsames. Hodierna die impleta est hæc figura in B. V. Maria: cujus typum fuisse arcam testamenti docet S. Bernard. in sermon. de S. Maria, qui incipit *Ave Maria.* Capta est arca illa à Philistæis (id est cinere conspersis) cum eam per mortem naturalem, redegere in suam potestatem habitantes in regione umbræ mortis Philisthæi, seu mortui; Unde & intulerunt eam veluti trophæum suum in templum Dagon, id est, in sepulchrum à morte absumendam. (Dagon enim piscis exponitur, unde & piscinio capite fingebatur; quid autem aliud mors nisi grande Cete) sed non successit ei negotium. Tantum enim abest, ut eam piscis iste devorare & digerere potuerit: ut ei potius cedere & reverentiam exhibere, eamque sartam tectam & corpore glorioso vestitam dimittere debuerit in terram Israel (id est, visionis Dei) in Bethsames (id est, domum solis) Angelicis manibus & choris deportandam. Ita rem habere docet, inprimis S. Ioannes Damasc. orat. 1. de dormit. virgin. Author libri de Assumpt. B. V. tom. 9. operum. D. August. Iuvenalis Episcop. Ierosolymitanus apud Niceph. l. 2. c. 23. Docet hodierna festivitas Assumptionis ejus, quam Nicephor. qui ante 300. annos vixit, minimè novam esse scribit. Docet denique res ipsa, siquidem nulla comparent aut comparuisse leguntur corporis ejus reliquiæ, cum tamen reliquorum Sanctorum corpora adhuc extent, & successu temporum prodita sint. Corpora Sanctorum Principum Apostolorum, aliorumque multorum Romæ visimus. S. Iacobi ubi sit novimus. Ossa Martyrum & Confessorum undique aureis & argenteis thecis inclusa reperiuntur & coluntur singulari studio. Corpus verò B. Mariæ ubi est? ubi latet? Et vero latere vel putrescere id solum permittat Deus, & cultu suo privet, qui aliorum SS. ossa manifesta & celeberrima esse voluit? Absit ut hoc credamus. Translata est à phano in Bethsames Arca ista, sublata est Mulier in domum Pharaonis: ubi sedet ad dexteram filii: Quam meritò autem id factum sit à Deo, dicemus.

B. I. *Quia recepit Christum.* Primo, Quia etiam ipsa sola recepit Christum in domum suam, quæ causa est cur Evangelium de Martha legat hodie Ecclesia. Maria est enim quæ singulari modo recepit eum, cum è cœlo ad nos descenderet. *Venit* filius hominis *in propria, & sui eum non receperunt*, ait Ioan. c. 1. venit in Bethlehem, *& non erat ei locus in diversorio.* Quod si postea eum aliqui receperunt in domum, uti Martha; nulla tamen inveniebatur, quæ reciperet eum in utero, quod fecit Maria: idque non tardanter, sed confestim tribus quodammodò verbis tantum interpositis: *Quomodo fiet istud?* Decens igitur fuisse quis neget, ut & ipsa reciperetur à filio in domum ejus cœlestem, nec longa interposita mora, sed trium tantum dierum? quod scribit Niceph. ubi sup. & lib. 15. cap. 14. Ita Rahab solius domus illæsa & incolumis servata est ab Israelitis in Iericho, eò quod recepisset & servasset eorum nuntios, quibus insidiabatur Rex Iericho, Iof. 2. Cur ergò non & Deiparæ corpus servetur illæsum à vermibus & putredine, cum & ipsa receperit Legatum Dei altissimi in uterum suum, & deinde servaverit ab ira Herodis? Certè & ipsi Gentiles rem hanc intellexerunt. Sic enim & Alexander Magnus captis Thebis hospites patris sui (apud quos puer adhuc obses vixerat) servavit, cum reliquos omnes trucidaret. Homines igitur hoc faciant: & non faciat Deus? Homines recipiant & servent susceptores suos: Deus verò hospitem suam excludat, & in plateis imò in sepulchro hospitari sinat?

C. II. *Christo fidelissima.* Secundo. Quia ipsa sola perfectè semper fidelis Christo fuit, adeoque fidem semper virentem, integram & immotam habuit; decuit proinde, ut & ipsa semper virens & integra servaretur ac cœlo transcriberetur. Credidere quidem & discipuli & mulieres piæ complures in Christum, etiam in triduo mortis ejus, sed non perinde fidem explicitam resurrectionis ejus habuere. Unde S. Anselmus de compass. virg. dixit. *Maria in fide Jesu constantissima & patientissima: nam discipulis fugientibus cunctisq; viris recedentib. in gloriam totius fœminei sexûs, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat in fide Jesu.*

Jesu. Quid igitur? nonne vicem ei rependat Christus? Et quo aptiore modo, quàm si eam, quæ resurrectionem ejus constanter credidit, resurrectionis similis gloria condecoret? Et quæ semper in fide viruit eique fidelis extitit, viridem semper & immarcescibilem conservet? De Agrippa Rege, scribit Baptista Fulgosus, quod cum is Romæ à Tiberio Imperat. ob falsas suspiciones catenis ferreis arbori alligatus esset, sitique æstuans à prætereunte quodam servo Cay Thaumaste haustum frigidæ obtinuisset: postmodum liberatus & Iudeæ Rex constitutus, in beneficii repensionem Thaumasten à servitute liberarit, & in regnum suum evocatum in suorum numerum receperit, perpetuoque retinendum à suis testamento caverit. Simili modo Deipara Christo ad crucem affixo, & sitienti salutem animarum, adstitit: meritò igitur hanc ei fidelitatem rependit Christus, liberando eam à servitute mortis, & postquam ipse Rex cœli est constitutus, eam in regnum suum transferendo & æternum beatificando. Convenit hoc ipsum etiam sacris literis. Nam 1. Reg. 30. cum persequeretur David Amalecitas Latrunculos cum 400. viris, ducentos verò lassos relinqueret ad sarcinas: percussis hostibus legem fecit, & judicavit æqualiter dividendam esse prædam viris, qui pugnaverant & qui remanserant ad sarcinas. Pugnavit in cruce Dominus contra principes tenebrarum: B. Virgo, cæteris à longè stantibus, & in fide præsertim resurrectionis nutantibus, ad sarcinas remansit; & fidelis Christo fuit: cur non igitur ipsa æqualem cum Christo Bellatore prædam sortiatur anticipatæ resurrectionis?

D. III. *Dilata gloria.*

Tertiò. Quia decebat ut dilatio gloriæ Deiparæ quoad animam, compensaretur ejusdem acceleratione quo ad corpus. Videmus enim passim in sacris literis dilationem donorum desideratorum Deum compensasse Sanctis suis, eorundem præstantia. Sic dilationem filiorum compensavit eorundem excellentia & sanctitate: Saræ dedit Isaac, Racheli Iosephum, Annæ Samuelem, Elisabethæ Ioannem. Sic tarditatem miraculi in nuptiis Canæ, ejusdem præstantia: dilationem apparitionis suæ in Thoma ita compensavit, ut qui postremus eum vidit, mereretur etiam tangere. Sic desiderium Zachæi, videndi Christum, compensavit, manendo apud ipsum in domo. Iam vero Dei Mater, post filii discessum, relicta est in mundo per annos 15. Quis hic dubitare potest, ardentissimis eam semper desideriis cupivisse dissolvi, & esse cum Christo? Utpotè quæ ab Epiphanio hæresi 78. *Perpetua Christi assectatrix* nominatur? Quis dubitet eam Turturis instar hic semper gemuisse, dimidium animæ suæ quæsivisse per omnia loca, in quibus sciebat filium suum vel egisse aliquid vel passum esse? Hoc enim eam fecisse testatur Sophronius in serm. de Assumpt. Itaque nunc pergebat in Bethlehem, modò in Nazareth, nunc in Bethaniam aut Ierusalem, nunc ad montem Oliveti, modò ad Golgothæ locum, modo ad sepulchrum, ubi eam aliquoties habitasse credit Sophronius ibid. Sed quia nullibi inveniebat, quem quærebat, quis explicet ejus gemitus & suspiria erga filium? Nimirum uti agnus perdita ovicula undique discurrit & balat, donec oviculam suam videat? ita fecit Mater Christi. Et hæc tam diutina & vehementia desideria per 15. annos suspensa, non compenset filius? Et qua ratione melius, quam si dilationem gloriæ in anima compensit acceleratione gloriæ in corpore? Equidem mihi persuadeo, B. Virginem, quæ tota semper anima, totoque simul corpore Deo servierat, si in anima solum beatificata fuisset, non minus desiderium habituram fuisse resumendi corpus, quàm anteà habuerit moriendi. Cum enim tota servire, & omni possibili modo Deo desideraret: non videbatur hoc desiderium matri à filio denegandum. Potuisset, meo judicio, anima Deiparæ jam beatificata conqueri de suo corpore, quomodo in hodierno Evang. Martha de sorore Magdalena: *Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergò illi ut me adjuvet.* Dic ut Magdalena sedens ad pedes Domini, id est, corpus in sepulchro surgat, & unà mecum tibi ministret.

E. IV. *Immunis ab omni peccato.*

Quartò. Quia ab omni peccato immunis erat, incineratio autem & putrefactio corporis pœna est peccati: siquidem post peccatum suum primum audivit Adam: *Pulvis es, & in pulverem reverteris,* Gen. 3. Meritò igitur ab hac maledictione exempta fuit: quæ innocua fuit. Ita enim leges jubent eorum tantum domos dirui & subverti, qui proditores Regum fuissent. Nos omnes proditores fuimus, qui legem Dei infregimus: Non item B. Virgo; absit ergò ut ejus domicilium corporis, more nostrorum subvertatur, & in cineres redigatur. Exod. 3. vocatus ad Deum Moyses audit ab eodem; *Non appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* In quem locum S. Ambrosius l. 7. sup. Luc. cap. 10. dixit: *Vocaturus enim populum ad Dei regnum, prius carnis exuvias deponere jubet.* Corpus ergò nos cœlum ingressuri exuere, veluti calceamentum seu mortuam pellem, & in sepulchro relinquere debemus, tum quia mancipia sumus; (quorum erat sine calceis incedere, ut notat Cornel. de Lapid. in c. 3. Exod.) tum quia in illis pulverem peccati & lutum contrahimus: nihil autem coinquinati intrabit in regnum cœlorum. Longè alia res est in B. Virgine; siquidem ipsa ne minimum quidem peccati pulverem unquam contraxit in corpore vel anima, ac proinde nec mancipium fuit. Non erat igitur cur Maria corpus in sepulchro relinqueret, quod nunquam contaminaverat.

F. V. *Dei thronus.*

Quintò. Quia meritò asservandum & loco honorificentissimo reponendum erat illud corpus, ex quo Deus carnem assumere & nasci voluit. Si enim tabulas legis, virgam Aaronis, & manna Deus asservari voluit in arca fœderis, tam honorifico lo-

co, quia Deus in iis operatus erat: Si denique arcam sibi fieri pro sua inhabitatione voluit ex lignis imputribilibus, eamque postea asservari usque ad judicii diem in monte, 2. Mach. 2. Quanto meliori jure corpus Deiparæ in cœlum evehitur in-& ex quo Spiritus S. Christi corpus efformavit, & cujus typus tantum arca illa fuit, teste Bernardo in sententiis? Ut meritò de ea Psal. 131. dixerit Salomon: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* An non majori honore dignum Deiparæ corpus censebimus, quàm ejusdem terrestrem domum, quam inhabitavit? at illa in hodiernum usque sarta tecta conservatur, mihique visa est Laureti: quæ Horatio Tursell. relatore in hist. Lauret. angelorum manibus primò è Nazaret in Dalmatiam, deinde per mare in Italiam mirabiliter translata est, & in hodiernum usque à toto orbe visitur & colitur. Quid igitur dicemus? domum Mariæ lapideam conservari & coli ab Orbe: corpus verò ejus, quod inhabitavit Deus jacere sub terra, in cinere, inter vermes, & nesciri? Plut. in apopht. refert Augustum Cæsarem cum Alexandriam Ægypti obsidione premeret, idcircò evertere noluisse, quòd eam Alexander Magnus ædificasset, nomineque & præsentia sua condecorasset: quanto rectius ergò corpus virginis incorruptum & mox gloriosum esse voluit Deus, quod inhabitavit & extruxit ipse? Horret enim animus cogitare Matrem Dei putredini dicere: *Mater mea es, & soror mea vermibus.* Ita de Ierusalem dixit Deus 4.Reg.19. *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me.* Et paulò antè: *Non ingredietur urbem hanc* (Senacherib. videlicet excidium ei minitans) *nec mittet in eam sagittam, &c.* Ita neque corruptio in B.Virginis corpus ingredi debebat.

G. VI. *Regina privilegio gaudens.*

Sexto. Quia cum filium regem genuerit, Regina est effecta: Reginas autem gaudere privilegiis Regum asserit Ulpianus in l. princeps ff. de legibus. Unde Rex & Regina inequitantes in ipsum palatium equo vecti ingrediuntur, cæteri verò omnes præ foribus descendere ex equis debent, & pedibus ingredi regiam. Hoc nos decet facere antequam ingrediamur cœlum, uti nimirum equos carnis nostræ præ foribus in sepulchro relinquamus: illud Christo & matri ejus competit. Hinc etiam sponsa ad sponsum Cant.1.ait: *Lectulus noster floridus, ligna domorum nostrarum cedrina.* Soli duo, Christi & Mariæ lectuli floruerunt, quia corpora glorificata intra triduum ex sepulchris prodierunt: sola eorum corpora cedrina sunt & imputribilia. Unde Doctor Guilielmus in eum locum Cant. ait: *Cur dicit non tantum, domus tuæ: sed domorum nostrarum? Quia non tantum domui Iesu, sed domui Mariæ hoc privilegium commune fuit; eo quòd Iesus os ex ossibus & caro ex carne Mariæ fuit. Ideò enim corpus matris propter corpus filii cum corpore filii à generalis lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conservatum fuit.* Hæc Gulielm. Adhæc Reges & Reginæ hoc privilegium habent, ut pro arbitratu secum ducere posisint in regiam, quos volunt & quando volunt: non ita privati Cives. Regio hæc corporum est propria, in qua proinde corpus primum advenit, anima post illud. Contra cœlum, regio animarum est, inquam animæ primum, corpora verò post judicii diem admittuntur in gratiam animarum. Quemadmodum igitur Christus, tanquam Rex huic legi non subjiciebatur, sed corpus secum cœlo invexit, utpotè in regiam propriam, cujus ipse Dominus erat: ita jure etiam potuit facere Maria, tamquam Regina.

H. VII. *Mater Dei*

Septimo. Quia mater erat observantissimi filii, qui cum moriens eam commendaverit, veluti depositum unicum dilectissimo discipulo, quomodo potuisset eam deserere jacentem in sepulchro? Habent hoc naturali instinctu Ciconiæ, ut senio confectos & implumes parentes, juniores succollent, & suarum beneficio pennarum sustentent, teste Plinio lib. 10. c. 23. Unde Græcis proverbium: *Antipelargiam serva.* Servavit eam & Christus, cum morte confectam, adeoque etiam implumem matrem, utpotè quæ viribus suis volare cum corpore ad cœlum non poterat, ad cœlos pennis suis evexit. Quod si Assuerus Rex cum præcepisset gentem Iudæorum omnem deleri, Reginam Estherante se corruentem videns, festinus exiliit de solio, & sustentans eam ulnis suis donec rediret ad se, his verbis solabatur: *Quid habes Hesther? Ego sum frater tuus noli metuere. Non morieris, non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est,* 1. Esth. 13. Qua ratione negabimus Christum hoc fecisse Matri suæ corruenti quodammodò in morte? Quomodo non ipse quoque solio suo exiliens eam sublevasset? Ac licet incinerationis legem pro omnibus tulerit, matrem tamen ab ea meritò exemit. Audi authorem serm. de Assumpt. virg. tom.9. oper. D. August. *Si elegit divina voluntas*, inquit, *inter flammas non solum puerorum corpora servare illæsa, verùm & ipsa vestimenta servare inusta, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Ionam servare in ventre cæti voluit incorruptum sola misericordia: Mariam incorruptam non servabit gratia? servatus est Daniel ab intemperatissima fame Leonum; non servanda est Maria tantis dotata meritis dignitatum?* Hæc ille. Igitur quod fuerunt pueri in fornace: quod Ionas in ventre cæti: quod Daniel in lacu, hoc erat Maria in sepulchro, illæsa scilicet & mox erepta.

I. VIII. *Ingressa in mundum cum privilegio*

Octavo. Quia decuit Deiparam talem egredi è mundo, qualis ingressa est, cum privilegio videlicet juxta id Psal. 120. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Etenim Exod.21. præcipit Deus, uti servus cum quali veste intraverit ad herum suum, ei serviturus; cum tali exeat ab eo dimittendus. Ubi sanctus Hieronymus id explicans, ait, præcipi, servum non lacerum, aut nudum: sed bene vestitum, sicuti ingressus est, dimittendum esse.

esse: Iam verò nos omnes laceri aut nudi ingredimur in mundum, quia peccato originali deformati: quid mirum si etiam laceri & nudi dimittamur è mundo, corpore relicto in sepulchro: Iuxta id Iob 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc?* At B. Virgo bene vestita venit & sine culpa originali: non decebat igitur, ut sine veste corporis gloriosi dimitteretur. Sic arca illata est per Iordanem in terram Israel: & inde iterum ante captivitatem Babylonicam à Ieremia relata in montem, ubi vidit à longè Moyses terram promissam, ibique mirabiliter occultata, ut ejus locus inveniri amplius nequeat. Ut ex 2. Mach. 2. patet. Non inveniuntur etiam sacræ virginis reliquiæ: quis dubitat ergo tanto eas honoratiori quam arcam loco, ac proindè in cœlo servari, quanto honoratiores erant arca?

K. XI. *Mediatrix nostra.*

Nono. Quia nostra apud Deum Mediatrix esse debebat, ac proinde corpore etiam in cœlo esse, ut nostra in cœlo negotia salutis efficaciter pertractaret, ut ait sanctus Bernardus serm. de Assumpt. Et (ut ait Arnoldus Canot. in tract. de laud. virgin. tom. 6. Bibliot. Patr.) *sicut Christus Patri ostendit latus & vulnera, sic Maria ostendat Christo pectus & ubera.* Equidem *fidelis planè & potens Mediator Dei & hominum Christus*, ait sanctus Bernardus in sermon. de verb. Apoc. *sed divinam in eo homines reverentur majestatem. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium. Judiciariam habet potestatem, Deus noster ignis consumens est. Quid ni vereatur peccator accedere; ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei? opus est mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior, quàm Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est.* Hæc Bernardus. Indiguimus ergò apud Deum Mediatore & Oratore: nec melior esse poterat, quàm Maria. Tum quia ipsa mediante jam olim Deo pacificati, confœderati, imò sanguine juncti sumus, tum quia ipsa præ omnibus Deo placet ob eximiam ejus gratiam sicut & Esther Assuero, de qua ait Mardochæus, Esther. 4. *Quis novit utrum idcircò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?* id est, ut populo tuo afferres opem, ne deleatur? Tum quia Mater Dei ac per hoc potentissima ad intercedendum est. Sic enim Salomon dixit Matri suæ quidpiam postulanti: *Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam*, 3. Reg. 2. quanto magis id faciat Christus Matri suæ? Quid ergò non sperare possumus à Maria, &c.

CONCIO VII.

PATROCINIUM B. M. V. OMNIUM excellentissimum.

I. Potentissimum Patrocinium
II. Liberalissimum.
III. Universale.
VI. Cum patrocinio B. M. V. cooperandum.

THEMA.

Dic ergò illi, ut me adjuvet? Luc. 10.

A.

Conquerentem hodie audivimus Martham, quod soror Magdalena eam solam reliquit in ministerio & ad pedes Domini sedit. At nos jure potiori conqueri hodie possumus, quod magna illa soror nostra Maria hodie nos reliquit solos in terra ministrare, ipsaque in cœlo ad pedes Domini sedere cœpit. Ita enim quæritur S. Bern. serm. 1. super hoc Festo. *Meritò*, inquit, *resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis, sed plangendum nobis quàm plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est, ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Cesset tamen querela nostra*, inquit, *quia nec nobis hic est manens civitas, sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit.* Et paulo infrà: *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam judicis mater & mater misericordiæ, simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit, &c.* Quæ cum ita sint, cum Martha contenti erimus, imò & gaudebimus, ob tantam sororis nostræ exaltationem. Tu saltem Christe Rex noster dic illi ut nos adjuvet suo patrocinio commorantes hic in terra: siquidem ejus patrocinio nullum arbitramur esse excellentius, uti nunc videbimus.

B. I. *Potentissimum patrocinium*

Primo. Est potentissimum. Primo, quia est patrocinium matris Dei, quæ utique audietur præ omnibus aliis. Scimus enim quid responderit Salomon matri suæ, 3. Reg. 2. *Pete mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Narrat Valerius Maxim. l. 5. c. 5. Coriolanum maximi virum animi, & optimè de republ. meritum, à Romanis iniquè condemnatum, ad Volscos Romanorum hostes profugisse, ibique brevi tempore summum imperium obtinuisse. Qui pòstea Romanorum fines & urbem obsidens, gravia eis intulit damna, ita ut Romani supplicare illi cogerentur. Missi ad eum Legati nihil profecerunt. Missi deinde Sacerdotes cum Infulis, æque sine effectu redierunt. Stupebat Senatus, trepidabat populus. Tunc Veturia Coriolani Mater Volumniam uxorem ejus & liberos secum trahens, castra Volscorum petiit, quàm ubi filius conspexit, properè ut amens matris complexum petiit, ac ubi ejus postulata audivit: *Expugnasti*, inquit, *& vicisti iram meam patria. Precibus hujus admonitus, cujus utero conceptus sum, te quamvis meritò mihi invisam, dono*, continuoque agrum Romanum hostilibus armis liberavit. Simili modo cum offensum habe-

habemus Deum, non possumus potentiorem ad eum mittere oratorem, præter matrem ejus. Si ergò nil proficiunt orationes nostræ, vel orationes & sacrificia sacerdotum, mittamus Deiparam. *Exaudiet utique matrem filius, & exaudiet filium Pater*, inquit S. Bern. serm. de nativ. Virg. Rationem affert. S. Anton. 4. p. tom. 15. c. 17. §. 4. Quod oratio Deiparæ sit nobilissimus modus orandi; quia habet rationem jussionis & imperii. Oratio Sanctorum non innititur alicui rei ex parte sua, sed tantum misericordiæ ex parte Dei: oratio autem virginis innititur gratiæ Dei jure naturali & justitiæ Evangelii. *Nam filius non tantum tenetur audire Matrem, sed obedire.* Sic ille.

Secundò, quia præ omnibus creaturis magis à Christo Rege diligitur, utpote omnium sanctissima. Quò autem quisque est Deo charior & familior sanctiorque, eo potentior in impetrando, ut patet Ier. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quia enim hi duo viri sanctissimi fuerunt, ideò etiam in orando potentissimi: Vult ergo dicere: Si quis uspiam est, qui possit apud me aliquid impetrare, hi duo mei amici sunt.

Tertiò, Quia ipsa plurima & gratissima exhibuit obsequia Christo filio suo, unde non potest repulsam pati. Fundatur ergò virginis patrocinium ex hac etiam parte, in æquitate juris naturalis. Si enim mater filio per omnia servivit, & nullum obsequium obtrectavit, nonne decet ut filius idipsum præstet matri? Taceo quod Aristoteles sensit, non posse par rependere filios parentibus.

C. II. *Liberalissimum.*

Secundò. Liberalissimum & promptissimum. Primò, quia ipsa est mater nostra, eo ipso quòd Mater Christi communis nostri parentis. Accedit quod sub cruce in persona Ioannis nos omnes in suam curam & tutelam maternam à Christo commendatos accepit, cum audivit: *Mulier ecce filius tuus*, Ioan. 19. *Nunquid* verò *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* ait Isa. c. 49. Certè in nuptiis Canæ maternum suum affectum tum satis ostendit erga indigentes, cum ultrò, non rogata, supplicavit filio suo pro vino. Quid faciet nunc postquam ejus curæ singulariter commendati sumus? *Et si illorum corporali inopiæ condolebat & succurrebat, etiam non rogata, quanto magis nostræ spirituali indigentiæ compatietur auxiliumque præbebit, si fuerit fideliter invocata?* inquit Dionysius Carth. super c. 2. Ioan.

Secundò. Quia summa & potentissima cœli Imperatrix. Quod si Imperatorem ita decet clementia & liberalitas, ut Titus Imp. dixerit, non decere ut quis ab Imperatore tristis recedat, teste Eutropio libr. 3. quanto æquius hanc ad benefaciendum propensionem tribuimus ditissimæ illi & potentissimæ cœli Imperatrici? Et certè qui à Rege quidpiam obtinere nequit, Reginæ supplicare incipit, ut ipsa regem emolliat: ita si peccatorum nostrorum demerita vetant nos accedere ad Regem cœli, non tamen prohibent adire Reginam matrem, quia ipsi non considerat dignitatem vel indignitatem nostram, sed misericordiam implorat. Exemplo est vir quidam nobilis (ut refert Steph. Binet in Tessera salutis) qui cum à Rege capite damnatus esset, ejus matrem una cum filio in conclave secum duxit, & ab utroque impetravit, ut se ad Regis pedes abjicerent: hisque verbis eum alloquerentur: *Si matrem tuam, O Rex clementissime, juxtaque filium tuum diligis, oro & obsecro clementem te erga hunc virum nobilem ostende, quod si decretum est, mortis sententiam in ipsum ferre, ecce parati sumus mortis supplicium una cum ipso subire.* Rex ubi vidit hoc tam insigne amoris stratagema, ingenti stupore percussus, Iudicis persona deposita personam patris induit, atque ita amor manus vinxit severitatis, & reum in pristinam gratiam recepit. Putabit aliquis minorem fore sive Deiparæ erga miseros amorem & benevolentiam, sive precum ejus apud Deum valorem?

Tertiò, Quia ipsa constituta est communis nostra advocata, ut sicuti Christum Deum & hominem mediatorem habemus ad patrem, sic Mariam purum hominem, mediatricem haberemus ad Christum. Si enim in republ. decet aliquam personam piam constitutam esse ad hoc, ut in pauperum causis advocaret, ut olim factum testatur Plut. tract. de magnificentia, & nunc idem statuitur in l. nec quisquam ff. de officio proconf. Cur non idem in curia cœlesti fieret? Non ergò dubium, quin piissimum erga miseros gerat affectum patrona & Advocata illorum. Unde *non fortuitò aut solum placito, ut quidam putant, sed divina dispensatione nomen accepit, ita ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam innueret: interpretatur enim Maris stella, ut aspectu illius dirigere cursum possint & destinatum portum apprehendere*, ait D. Epiphanius hæresi 78.

Quare sicuti infantes maxima cum fiducia, in quibuscunque terriculamentis ad gremium matris se recipiunt: miseri ad Imperatricem, aut quamcumque magnatis conjugem: pauperes ad suum Advocatum: navigantes in periculis ad stellam maris: ita maxima cum confidentia recurrere ad Mariam possumus ac debemus.

D. III. *Universale.*

Tertiò. Amplissimum & universale: *Cæteri Sancti*, inquit Idiota in contempl. virg. c. 2. *jure quodam patrocinii pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in Curia altissimi, quàm pro alienis. Beatissima verò Virgo Maria sicut est omnium Regina, sic omnium patrona & Advocata, & cura est illi de omnibus.* Cæteri Sancti certorũ locorum, ubi vixerunt vel ubi requiescunt, sunt patroni, & sæpe certis tantum medentur afflictionibus: at Mariæ patrocinium universale est: ipsa omnibus sinum aperit, & amplissimo suo pallio, quotquot ad eam se recipiunt, contegit omnisque generis impertitur beneficia, quia ut vidimus est omnium Mater, omnium Imperatrix, omnium Advocata. Nec enim fidelibus tantum ope

sua

sua adest, sed etiam in fidelibus, cum ab eis colitur. Primò hæreticis. Oeniponti sacerdos quidam magna apud Hæreticorum Duces auctoritate, dum in hæresi versabatur, eximio quodam pietatis studio erga B. V. tenebatur, unde ejus ope ex hæresi emersit, & postea grati animi causa ad ædem Lauretanam nullo viatico, nullo itineris subsidio profectus est. Ex Nic. Orland. in Annalib. de hist. Coll. Oenip. Ausim etiam cæteris hæreticis polliceri veræ fidei lumen: si Mariam colerent, sed horrendo dæmonis astu, qui hoc futurum noverat, eam nec colere, nec invocare volunt.

Secundò. Iudæis, scribit enim Niceph. libr. 17. capite 25. Puerum quendam Iudæum, cum aliis Christianis Constantinopoli se sociasse, & in templo reliquias SS. Eucharistiæ, pro more illius loci & temporis, à Sacerdotibus exhibitas sumpsisse. Quod cum aliquando indicasset Patri, qui vitriarius erat, ab eodem Patre arreptus & in ardentem vitri fornacem injectus est. Mater amisso filio undique circumire, & lamentis omnia implere, utpote rei ignara cœpit. Venit ergò tandem prope fornacem illam, & dum filium ejulatibus quærit, respondentem sibi è fornace filium audit, ibique filium sanum & incolumen conspicatur: Rogat itaque unde hæc ei salus advenisset. Respondet puer, spectabilem quandam Dominam purpureo vestitam pallio sæpius ad se venisse, & frigidam infudisse, nec non famescenti cibum attulisse: quæ utique Virgo Deipara fuit. Re intellecta, Iustinianus Imperator matrem cum puero baptizari curavit: Patrem verò, quia resipiscere noluit, ad ficum suspendit. Aliud exemplum ex annalibus Lauretan. Rieræ de Hebræo audiamus. Narrant enim sexagenarium Hebræum ob patratum grave quoddam facinus, à Turcis comprehensum perpetuis addictũ fuisse vinculis, & tandem ærumnis confectum, corporis salute desperata, ad animam cunctam suam cogitationem convertisse, veniaque suorum peccatorum à Deo suppliciter postulata, Iesum Christianorum Messiam, & matrem ejus Mariam religiosissimè adorare cœpisse. Cumq; noctu spei & fiduciæ plenus cubasset, in quiete Christus ei apparuit; quem cùm ex specie, qua à Christianis coli solet, agnovisset, verum Deum atque Messiam professus etiam supplex in somnis adoravit. Sed quid? statim ei Virgo beatissima, eximia pulchritudine ac majestate prædita præsto fuit, quæ Luciæ Virgini ejus comiti jussit, ut Hebræum catenis, quibus vinctus tenebatur, eximeret, & reseratis carceris foribus ad portum deduceret; admonens illum, ut oppidum Laureti in Piceno, Italiæ Regione situm, statim peteret, ibique Christiana Sacramenta susciperet. At Hebræus evigilans Christi, & Mariæ ejus matris auxilio permotus & excitatus, navicula, quam clementissima Virgine hortante conscendit, per mare sua sponte incredibili celeritate delata non sine divino ductu atq; impulsu, Anconam biduo ex Nazaret appulit; & illico Lauretum pergens, ibi Christianis mysteriis instructus ingenti suo, & aliorum gaudio sacrum baptisma religiosissimè suscepit. Erat hic Hebræus origine Nazarenus, vir gravis ac prudens, qui Nazareth habitabat in vico, ubi Lauretanæ domus vestigia relicta fuerunt, cùm ad Picenum per manus Angelorum deducta fuit, & Mariæ suæ civi semper favebat; à qua tam magnam misericordiam deinceps est consecutus.

Tertiò. Turcis. Narrant enim iidem Annales Ecclesiast. Lauretani Corcutum Turcarum Prætorem seu Bassam anno 1551. dum esset Constantinopoli ex gravi occultoque pectoris Apostemate ad extremum vitæ discrimen venisse, & à pio ejus servo Christiano jam moribundum admonitum fuisse, ut Lauretanam Virginem, cujus admirabilem opem in morbis quibuscunque depellendis illum edocuerat, invocaret: vovens si morbum depulisset, se in ejus gratiam illi servo libertatem daturum. Cum itaque votum emisisset, mox dirupto apostemate Bassa sanatur, & servum illum libertate donatum cum literis ac muneribus mittit Lauretum ad Virginem. Literarum tenor, qui adhuc Laureti asservatur, ex Arabico in Latinum conversus, sic habet. *Quod bonum fortunatumque nobis esse velit, magnus ac misericors mundi Dominus. Cùm mihi ipsi divinitus quiddam evenerit: Ego Corcut Bassa (ne meo desim officio, tantæque rei momentum aliquod posteris extet) rem omnem ordine exponam: ortum erat atrox apostema nobis in pectore, jamque haud dubium imminebat exitium, cùm desperata à Medicis salute, meus me servus adiit, & sanè fidenter: si mihi libertatem polliceris inquit, Dei mei matrem exorabo, ut tibi pristinam restituat valetudinem. Itaque ego confestim accersito tabellione libertatem ei promisi, si ipse promissa præstaret. Exemplo servus positis humi genibus, & quædam super se signa ducens manu, rogitat, ut semel verbo præeuntem sequar. Inde ipse præire his verbis cœpit: Ego B. Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obsecutus triduo post, Deo favente, convalui: ego servo in libertatem vindicato, hoc chirographum dedi cum votivis donis, quæ meæ observantiæ, gratique animi monumenta sunt Beatæ Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos salvos fecit.*

Quartò. Desperatis etiam & qui seipsos dæmoni devoverunt. Cujus rei illustre exemplum est multis clarissimorum scriptorum (uti S. Bern. S. Bonavent. Petri Damian. & aliorum) testimoniis celebratum de Theophilo Adanensis Ecclesiæ Oeconomo, qui cùm per iniquorum calumniam ab officio suo depositus fuisset, in tantam perturbationem incidit, ut opem à dæmone requirens ei se devoverit, dato suo chirographo, Christo ac Deipara abnegatis. Quo facto recuperavit quidem pristinum munus Oeconomi, sed paulatim admissi sceleris pœnitens, ad Deiparæ templum confugiens, lachrymis, precibus, jejuniis se afflixit per 40. dies, unicum Deiparæ subsidium in re desperatissima ex-

exspectans. Itaque exacto illo tempore apparuit ei virgo nocte media, & ob gravitatem sceleris, non facile dimittendi, acriter objurgat; cumque is instanter veniam postularet, jubet illa ut fidei in Christum professionem edat, spondetque se ei veniam à filio impetraturam. Itaque dum is in eodem templo ante virginis aram humi stratus solitis pœnitentiæ operibus insistit, apparet ei rursum per quietem, asserens acceptatam esse ipsius pœnitentiam, adeoque ipsum quoque receptum in Dei gratiam. Restabat adhuc chirographum dæmoni exhibitum, pro quo recuperando cùm virgini supplicasset: manè experrectus, reperit illud repositum supra suum pectus. Qua ex re una cum ipsa universa Ecclesia in gaudium effusa Deo gratias egit. Inde mox ægrotare cœpit Theophilus, & post triduò in Dei & Deiparæ laudibus animam Deo reddidit. Ex quo exemplo concludit Petrus Damiani in cit. serm. 1. de nativ. Virg. datam esse ei omnem potestatem in cœlo & in terra. *Quomodo*, inquit, *illa potestas tua potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans; Domina non ancilla.* Nimirum sicut olim Iosue solem stare fecit, Deo obediente voci hominis, Iosue 10. ita & Deipara imperare cœlo, terræ & inferis potest.

E. IV. *Cum patrocinio B.M. cooperandum*

Verum licet virginis patrocinium potentissimum, liberalissimum & amplissimum sit, oportet tamen cum illo ad nostram salutem cooperari. Vidimus enim supra ex Ier. 15. Deum dixisse: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*; quia nimirum populus ille ad salutem suam cooperari noluit, ideo amicissimorum etiam preces se repulsurum ait. Certè magnus Dei amicus & efficax precator fuit Moyses: si tamen ipse solus in monte manus ad Deum tetendisset orans, & interim Iosue infra non pugnasset contra Amalec, nihil haud dubiè effecisset, Exod. 17. Ergò dum Maria tibi Moyses est, esto tu illi Iosue; Ita Nathan mittens Bethsabeam ad Davidem pro regno Salomoni obtinendo dixit: *Vade & ingredere ad Regem David & dic ei, nonne tu Domine mi Rex jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Quòd Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo? Quare ergò regnat Adonias? Et adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam post te & complebo sermones tuos*, 3. Reg. 1. Quare si volumus ut impetret nobis Deipara, ne regnet in nobis Adonias, peccatum; sed potius Salomon, id est, Christus, tu ea intercedente, interveni & comple Sermones ejus: *Illi autem complent Sermones Sanctorum*, inquit Chrysostomus in eum locum, *qui operibus humilibus & pijs correspondent eorum intercessionibus.* Speciatim verò Divus Bernardus hom. 2. super *Missus*, ait: *Ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.*

CONCIO VIII.

AD VIRGINIS DEVOTIONEM quæ nos excitare debeant.

I. Est mater Christi.
II. Pulchræ dilectionis.
III. Mater timoris.
IV. Agnitionis.
V. Sanctæ spei.

THEMA.

Dic illi, ut me adjuvet, Luc. 10.

A.

QUi è nova Francia ad nos remeârunt, ferunt ibi reperiri aviculas nomine Godetz tam debiles, ut sublimè volare nequeant quòd vento abripiantur. Quare sub alas magnæ cujusdam avis sese recondunt, cujus pennis adhærentes, in aëra tolluntur. Refert Iacob, Carter. de nova Francia, & Steph. Binett. Soc. Iesu, in Tessera Salutis. Aviculæ ejusmodi nos sumus, Auditores, qui levibus innixi virtutũ pennis remissè & languidè ad cœlum volamus, & tentationum procellis facilè abripimur, ideoque nisi nos sub alas magnæ alicujus avis conferamus, cœlum nostro volatu difficilè & vix attingemus. Sed ubi hæc avis magna? Ecce tibi hodie Virginem Mariam corpore glorioso ad cœlum evolentem; illa utique nos, si pennis ejus adhæserimus ad cœli sublimitatem evehet. Adhærebimus autem illi, si peculiarem devotionem ad illam habuerimus.

Ergò ô Christe Iesu dic Mariæ, Matri tuæ ut nos adjuvet. Avolat illa in regnum tuum & sedet, non ad pedes, sed ad dextram tuam: nos autem cum Martha discurrimus in hoc mundo & turbamur erga plurima: dic ergò illi ut nos adjuvet.

Ad suam devotionem invitat nos Deipara verbis illis Ecclesiastici c. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ spei*, cui invitationi meritò obtemperandum.

B. I. *Est Mater Christi.*

Primo, Quia est Mater Christi adeoque summo apud eum loco & honore. Et hoc significat Ecclesiasticus, cum ait: *Ego Mater.* Solemus certe illorum gratiam ambire, ad illorum genua accedere, & munera afferre, illorum limina terrere & familiaritatem quærere, qui apud Regem plurimum valent: hos enim si à nostra parte stantes habeamus, Regem quoq; ipsum habere nos existimamus. Atqui Christo Regi nostro nemo charior, nemo conjunctior ex Angelis vel hominibus, ipsa ejus Matre. Quare sicut Abraham Genes. 12. cum prævidisset uxorem suam ob insignem pulchritudinem, placituram Pharaoni & tollendam in ejus aulam, supplicare ei

ei cœpit: *Dic obsecro, quòd soror mea sis, ut bene mihi sit propter te.* Ita & nos Deiparæ preces & gratiam merito ambimus, quia summè placet summo Regi. Audi S. Bonavent. in spec. B. Virg. cap. 6. *Obsecrare,* inquit, *possumus Mariam, sicut Abraham obsecravit Saram: Dic obsecro te, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. O Virgo Maria, ô Sara nostra, dic quod sis Soror nostra, ut propter te bene sit nobis à Deo, & ob gratiam tui vivant animæ nostræ in Deo, ut propter talem Sororem Ægyptii, id est, dæmones nos revereantur, &c.* Congruit Deiparæ nomen Saræ, quod Principem vel Dominam significat. Quare non dubitandum, si favorem hujus Dominæ & Reginæ habuerimus, habituros & favorem Dei.

Accedit quod honor & cultus Mariæ cedit & terminatur in honorem & cultum Christi, eumque amplificat & auget, quando scilicet propter tantum filium colimus & matrem: ergo si cultum CHRISTI amplificatum volumus, jure colimus & Matrem ejus. *Si enim*, inquit Damascenus orat. 1. de dormit. Virg. *honor is, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendũ erit?* Et si Ioannes Baptista calceamento Christi ita honoranda existimavit, ut indignum se reputaret, qui portaret ea, Matth. 3. quia scilicet in iis Christus stetit omni honore prosequendus: annon potiori jure colimus Deiparam, in cujus utero Christus stetit? Ut enim honor calceorum Christi, ita multò magis honor Matris ejus in ipsum Christum tendit. Sane Christiani qui proficiscuntur ad terram sanctam, cum primo in ea pedem ponunt, salutant eam flexis genibus & osculantur, quia nimirum protulit & tulit Salvatorem mundi. Atqui Maria etiam terra ipsa viva est, quæ protulit nobis Christum: Ita enim de ea dicitur Isai. 45. *Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Iure ergo Mariam & majore quidem omni obsequio colimus.

C. II. *Pulchra dilectionis*

Secundo. Quia est *Mater pulchræ dilectionis*, hoc est, insignis benefactrix & amatrix nostra. Quod amet nos, ex eo patet, Primo, quia est Domina nostra: amat ergò servos suos. Secundo, quia est Mater etiam suo modo nostra: amat ergo filios suos. Tertio, quia *os nostrum & caro nostra:* amat ergo fratres & sorores suas. Quarto, quia Christus, cujus illa mater est, adeo nos dilexit, ut animam suam pro nobis posuerit: amat ergo amicos filii sui. Amat verò præ cæteris sibi devotos, juxta id Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Neque verò affectu solum, sed etiam effectu diligit nos: Et hoc est, quod ait de ea Eccles. *Ego mater pulchræ dilectionis*, quæ scil. effectum beneficii jungit amoris affectui. Si pauperi petenti eleemosynam, dicas: *Deus tibi opituletur*, est quidem hæc dilectio: non tamen est pulchra dilectio, nisi simul extendas manum & porrigas eleemosynam. *Vox quidem est vox Iacob, manus autem manus Esau, vox levis, manus aspera,* proinde nec pulchra harmonia. At verò Deipara *mater pulchræ dilectionis est*, quia non tantum amat, sed etiam adjuvat: Primo per beneficia generalia. Suo enim modo ad Christi incarnationem cooperata est eamque meruit de congruo: eundem instar Marthæ, nomine omnium hominum recepit in domum suam, uterum scilic. virgineum, & ex suis visceribus subministravit illi corpus, porrexit lac aliaque necessaria, & solicitè ministravit. Secundo, per specialia, quæ partim hic occulta nobis, patebunt in altera vita: partim sunt aperta, quæ quisque in se experitur. Obligamur ergo titulo gratitudinis ad devotionem Virgini & singularem cultum exhibendum. Et hæc etiam pulchra valdè dilectio est, quando amor amori rependitur.

D. III. *Mater timoris.*

Tertio, Quia est *Mater timoris*, hoc est, in periculis & metu instantium malorum, asylum & protectrix. Si quis ergo nulla adhuc particularia beneficia à virgine accepisset, potest adhuc accipere & forte magis opportunè, cum in maximò discrimine vitæ vel salutis erit. Cum enim simus miseri & omnibus periculis tum animæ tum corporis expositi, illi præsertim quo in particulari examine de rerum nostrarum summa agetur: quomodo non quæramus & omni studio paremus nobis asylum, ad quod recipere nos possimus in tempore afflictionis? Solent principes mundi bene & prudenter constituere sibi arcem suæ ditionis aliquam, præ cæteris munitissimam, in quam confugere possint, si hostium incursus vel rebellio subditorum patriam perturbarent. Ergo & nos, si sapimus, simili industria imminentes afflictiones, ultimam præsertim, quæ in mortis articulo seu judicio nos expectat, prævenire satagamus. Et quam fortiorem arcem nobis eligemus præter Virg. Mariam, cujus patrocinium, ut alibi ostendimus, omnium est efficacissimum & tutissimum. Sane Christus monuit Matth. 24. ut Christiani, qui Ierosolymis essent excidio imminente, fugerent ad montes, quod etiam fecerunt, fugiendo in Pellam oppidum teste Epiphanio hær. 29. In quem montem vel oppidum nos fugiemus, imminente tribulatione? nonne ad Mariam, montem *umbrosum*(Abac. 3. juxta versionem LXX. Interpr.) *securissimum*? Hoc verò nobis Asylum maturè præparandum est, per devotionẽ Virginis ne aliquando frustra dicamus *montibus*, id est, Sanctis: *cadite super nos.* Monuit etiam alibi Christus, ut faceremus nobis amicos in diem reddendæ rationis, laudavit etiã villicum iniquitatis, qui debitores Domini sui amicos sibi fecisset. At quis major & potentior amicus noster esse potest, quam Deipara, quæ apud Deum plurimum valet & nihil illi reatus debet? Habent alii Sancti sua & ipsi debita, quorum dimissionem Deo acceptam ferunt. Maria nullum habuit: quid ergo non impetrabit? Archimedes unius parvę rotulæ adminiculo solos pertrahere potuit, quod junctæ plurimorum

rimorum

rimorum manus commovere non poterant. Plutarch. in Mar. Deipara hoc suo patrocinio potest, quod suo multi Sancti nequeunt efficere.

IV. E. *Agnitionis.*

Quartò. Quia est *Mater agnitionis*, hoc est fidei seu fidelium. Sic Abraham dicitur *pater fidei & credentium.* Maria Mater seu Avia *credentium* est, quia Mater Christi, cujus filii sunt fideles. Accedit quod eidem Matri suæ Christus in Ioanne commendavit Ecclesiam universam, ut alibi ostendimus; ex quo ipsa constituta est præses quodammodo Ecclesiæ & protectrix. Quare uti Ioannes ex eo tempore accepit eam in suam, colendo videlicet ut matrem: ita & nos omnes jure merito facimus. Quis enim suo præsidi & protectori non sit addictus & devotus? Egit nobiscum Deus, sicut pater cum filio quem justa de causa vult corrigere: exoptat enim esse aliquem, qui filii plagas ab eo deprecetur. Ita enim Ezech. 13. queritur neminem esse qui se opponat murum contra Dei vindictam. At nobis hoc Maria præstat, quæ se inter Deum puniturum & Ecclesiam puniendam opponit quasi murum. Comparavit Christus Ecclesiam vineæ, Matth. 21. cui sepem circumdedit. Nequaquam verò errabimus, si sepem vel maceriam dicamus esse Mariam, quæ sua protectione totam ambit Ecclesiam, uti maceria vineam. Ipsa enim per os Sapientis Cant. 8. ait: *Ego murus & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Hæc maceria nisi foret, diriperetur utique in membris suis Ecclesia. Audi Eccles. cap. 36. *ubi non est sepes*, inquit, *diripietur possessio: & ubi non est mulier ingemiscit egens.* Mulier antonomasticè Virgo est beata. Antequam venit in mundum hæc mulier, ingemuit genus humanum, quia prædæ expositum fuit, uti etiam ipsa synagoga, quam idcirco *exterminavit aper de sylva?* Psalm. 97. Quam ergo impensè colenda est Deipara rogandaq; ut sua protectione circumdare non Ecclesiam tantum universam, sed & singulos fideles dignetur?

F. V. *Sanctæ spei.*

Quintò. Quia est *mater sanctæ spei*, gignit enim in nobis spem certam vitæ æternæ, si impensè colatur, Dices non constare hoc ex SS. Literis? Respondeo verum esse; sanctè tamen hoc credi & sperari; primò, quia Ecclesia Spiritus sancti instinctu ita loquitur de ea; *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino*, Prov. 8. & Prov. 18. ubi hoc ipsum magis declaratur: *Qui invenit Mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Quænam hæc mulier bona, nisi quæ benedicta in mulieribus? Eodem collimasse Spiritum S. Lev. 26. cum dixit: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea*, admodum credibile est. Et Is. 4. *tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu & in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia.*

Secundo. Idem indicant figuræ aliquot legis veteris. Salomon 3. Reg. 2. dixit Abiathar: *Equidem vir mortis es*, (adjuverat enim partes Adoniæ.) *sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei*, parcet igitur & Christus iis, etiam peccatoribus, qui Virginem Mariam arcam Dei viventis, ejusque devotionem in corde suo portant; quare ut semper parcat, tu semper hanc arcam porta; quotidie eam invoca & aliquò pietatis officio cole.

Tertiò. Quia neminem legimus ab ea repulsum vel relictum, adeoque neminem etiam, qui ei devotus fuerit, cœlo exclusum: Testatur id Ludovic. Blosius, qui in speculo suo cap. 12. *Citius cœlum cum terra perierit, quam ipsa aliquem seriò se implorantem, sua ope destituat.* Olim Principes & potentes thesauros suos in templo Dianæ deponebant, quos ibi nemo, ne hostis quidem Urbem diripiens, tangere audebat. Simile privilegium templo Iesolymitano concessit Demetrius gentilis 1. Mach. 10. ut nimirum omnes, qui confugerint ad templum Ierosolymitanum, obnoxii Regi, in omni negotio dimittantur. Vera Christianorum Diana est Deipara, virtutum & salutis fida custos: ita ut impossibile sit perire eum, qui se suaque ei sedulo commendat. Unde S. Bernard. hom. 4. super *missus est*, inquit: *Mariæ commendare momento, quidquid Deo offerre paras.*

Aquilam ferunt nido suo Ætitem lapidem inædificare, seu ad firmandum illum, seu ad tuendum à veneno Plin. lib. 10. cap. 3. Holcot in lib. Sap. lect. 36. Nobis ætites sit Maria, quam cordi nostro imprimemus, ut firmemus id in gratia & ab hoste mortifero defendamus.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. *A Martha*, 1. hospitalitas, 2. recollectio, 3. Placatio facilis.

II. *A Magdalena*, 1. modus audiendi verbum Dei, 2. contemplatio. 3. committere se Deo.

III. *A Christo*, 1 non accusare Religiosos, quasi otiosos, 2. Marthæ officia non spernere, 3. Animæ plus tribuere.

THEMA.

Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Luc. 10.

A.

Moyses moriturus & valedicturus populo suo, protulit inter alia hanc sententiam: *Qui appropinquant ped bus*, (Dei videlicet) *accipient de doctrina illius.* Appropinquant autem pedibus Christi, secundum glossam ibi; primo, qui audiunt Chri-

Christi præcones, Apostolos, Evangelistas & alios ab eo missos, quibus veluti pedibus suis peragravit orbem. *Ut enim non contristentur*, ait Glossa, *qui Christum in carne docentem non audierunt, quasi ab hominibus decipiantur, per os Sanctorum loquitur Christus, per pedes doctrina capitis auditur.* Secundo qui spirituali desiderio flagrantes Evangelio toti invigilant. Tertiò, qui discunt humiliter. Denique qui cupiunt sequi vestigia ejus. Hac ratione Maria sedit ad pedes Christi ideoque accepit de doctrina ejus. Nos ergo simili modo sedeamus ad pedes Christi, velut Magistri nostri, ut accipiamus doctrinā ejus. Imo non ad Magistri tantum, sed etiam ad discipulorum ejus pedes sedeamus. Nam & ipsæ nos erudiunt.

B. I. *A Martha Hospitalitas.*

A Martha discimus primo, Hospitalitatem. Nam inprimis Christum recipit in domum suam. Secundo apparavit ei refectionem. Tertio satagebat circa frequens ministerium, hoc est, anxiè distrahebatur & querebat quibus rebus tanto hospiti gratificari & servire posset suamque erga illum ostendere charitatem. Denique sororem adjutricem petebat, quasi sola animo suo satisfacere nequiret. Sed cum eam non obtineret, sola in se suscepit laborem haud illibenter, qui duobus alioqui sufficeret. Hoc exemplum Marthæ excitavit pene innumera per orbem Christianum hospitalia, quibus & patrona sæpe electa & proposita est. Excitavit innumeros viros fœminasque qui vel in suis ædibus vel in publicis Hospitalibus peregrinis inservierunt, uti S. Ludov. Rex: S. Elisabetha Regina &c. Neque enim negligentiores in hoc esse debemus, quod servum, non Dominum suscipimus; ipse enim dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Neque obsequium Marthæ reprehendit Dominus, sed postposuit meliori.

Recollectio

Secundo. Recolligere nos subinde & sistere coram Deo, cessando interim ab exercitiis nostris externis. Sic enim & Martha postquam aliquamdiu occupata fuisset in parandis iis, quæ ad reficiendum Dominum erant necessaria, stetit in transitu coram Domino & locuta est cum illo. *Quo perfecto exemplo instruimur*, inquit S. Greg. lib. 5. in li. Reg. cap. 4. *ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemptoris pedes non possumus per aliquantulam moram Redemptori assistere debeamus: sed bene ei assistemus, si transeundo & serviendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere, adipsum dirigere cordis intentionem? Transimus enim, quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus, sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, præsentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplemur.* Hæc Greg.

Hunc in modum, qui domi toto occupantur die vel hebdomade, subinde se coram Deo sistere deberent, sive adeundo templum & audiendo Missam, sive domi se colligendo & loquendo aliquid cum Deo suaque anima, de propria salute, suaque omnia ad Dei gloriam dirigendo. Advertimus hoc in canibus, qui in itinere Dominum comitantes, dum hac illac expatiantur indagando vel persequendo leporem, allatrando obviantes homines, &c. Subinde recurrunt ad Dominum suum eumque recognoscunt, & abblandiendo quodammodo salutant, pudeat hominem vinci à cane.

Placatio facilis.

Tertio. Cito & facile placari & à concepta opinione, æmulatione aut invidentia dimoveri. Sic enim Martha cum tacite expostulare cœpisset cum sorore, ad unam Domini responsionem composuit se ad pacem & quietem nihil contra objiciens, nihil querelarum contra sororem addens. Hoc modo etiam propinqui aliique omnes, si quid inter eos simultatis oriatur, ne foveant conceptam iram vel æmulationem, sed mature frangant, dum adhuc festuca est; ne crescat paulatim in trabem odii, sicque rumpi deinde nequeat, patiantur lites suas componi à viris bonis. Sic enascente simultate inter pastores Loth & Abrahæ, ad unam illam Abrahæ vocem: *Ne quæso sit jurgium inter me & te & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus*; statim lis tota sublata fuit, Genes. 13.

A Magdalena.

A Magdalena discimus primo Modum & rationē audiendi verbum Dei. Nam primo *audiebat verbum* Christi, ait Evangelista: Non dormiebat, non garriebat, non alia cogitabat vel alia agitabat, nec semel, sed sæpius ut indicat vox, audiebat. Secundo audiebat sedens cum magna animi tranquillitate & consideratione, non cursim & raptim, uti probabiliter audivit Martha. Tertio audiebat cum magna aviditate, ita ut aliarum rerum omnium oblivisceretur, nec aliud metueret, nisi ut juberetur à Domino surgere & Martham adjuvare, quod notat Evangelista particula *etiam*, cum ait: *Etiam sedens secus pedes Domini.* Secundū Maldonatū. Quartò cum magna humilitate, quia sedens secus pedes Domini audiebat, quasi discipula Magistrum, ut magis impleretur sapientiā. *Quanto enim humilius*, ait. S. Aug. ser. 27. de verbis Domini, *ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* Ergo hac ratione audiendum est verbum Dei: Primo cum attentione, non dormiendum, non aliud agendum. Audiendum item crebro & frequenter, neque enim uno alterove ictu procera arbor sternitur: nec muri Ierichuntini ad primum corruere circuitum tubarum resonantium, sed post septimum. Secundo cum tranquillitate & ruminatione. Tertio cum aviditate, quod enim sapit, nutrit. Quarto cum humilitate, ut cupias doceri, nō docere.

Modus audiendi verbum Dei.

Contemplatio.

Secundo. Sedere assiduè ad pedes Dei, per contemplationem præsentiæ ejus in omni loco. Ut enim Magdalena frequenter ad pedes Domini sedit instar alicujus famuli aut canis, qui Dominum suum observans, ad pedes ejus cubat: ita decet nos semper observare Deum, tanquam ubiq; nobis præsentem, adeoque ad ejus pedes semper excubare.

Horrent multi hoc exercitium, sive quod libertatem coerceat, sive quod molestiam parere, caput obtundere & perpetuam solicitudinem generare videatur: Sed hoc non obstante, æquissimum est occupare mentem hac consideratione, tum quia verissimum est Deum ubiq; esse; omniaq; nostra intueri perspicacissime, licet hoc non cogitemus. Quanta esset autem perversitas & contemptus scire Regem tuum observare omnia acta tua, & nunquam te interim cogitare de ejus præsentia vel intuitu; tum quia id manifestè sentimus, & profitemur in nostris calamitatibus, in quibus ad Deum fugimus per orationem, ei tanquam indubiè audienti miserias nostras aperimus, & vel sola cogitatione opem ejus imploramus. Cur ergo non humiliter istud cogitamus, quando malè agimus?

Committere se Deo

Tertiò. Committere te Deo & silere cum ob bonorum operum studium argueris aut rideris v. g. quod crebrius quam alii Missam audias, confitearis & communices, largiores des eleemosynas, malorum consortia fugias, &c. Sic enim & Magdalena cum à sorore tacite argueretur, quod verbo Dei audiendo vacans, laboris sociam se non præberet, à Domino defenditur. Sic cum Israelitas à tergo premeret Pharao, & obstaret fugientibus mare rubrum, dixit ad eos Moyses: *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis*, Exod. 14.

D. III. *A Christo. Nō accusare Religiosos quasi otiosos.*

A Christo discimus Primò. Non accusare religiosos, quasi otiosos, dum à manuum operibus liberi, vacant sibi & Deo. Ferunt enim inique hæretici inprimis, & quandoque etiam Catholici quidam eam Monachorum & Clericorum vitam. Quos tamen defendit Christus, cum ait: *Maria optimam partem elegit*. Nam inprimis isti, si vocationi suæ conformiter vivunt, vel activam sequuntur vitam; & tam occupati sunt quam Martha: aut contemplativam, & tam occupati sunt, quam Maria: aut utramq; mixtam; & tunc magis occupati sunt, quam Martha & Maria. Deinde sua scientia, adhortationibus, consiliis dirigunt sæculares, & qui activam vitam tenent. Quis autem nescit oculum, quamvis otiosus videatur, plus agere & prodesse corpori, quam manus externis operibus addictas? Quis nescit Architectum, licet mente solum, non manu operetur, plus stipendii mereri, quam cæteros opifices? Denique suis orationibus aliisque piis operibus, quibus indesinenter vacant, plus conferre credendi sunt, quam si manibus laborarent. Novimus enim Moysen, dum manus ad Deum tolleret à prælio remotus, plus effecisse quam Iosuen, qui cum hostibus pugnabat, Exod. 17.

Martha officia non spernere.

Secundo Magdalenam ita laudandam & sectandam, ut non spernatur Martha: Etenim Christus, dum commendavit Magdalenam non vituperavit Martham. *Maria optimam partem elegit*, inquit, Græcè, *illam bonam partem*. Unde August. serm. 26. de verbis Domini, exponit: *Non tu malam, sed illa meliorem*. Adhæc Christus divertit in ea domo, ubi nec Maria sola, nec Martha sola erat, sed ubi ambæ simul junctæ. Itaque qui meliorem sequitur vitam, non spernat eum, qui minus bonam. Rursum qui Mariam sequitur, non negligat subinde sequi & Martham. Docuit hoc Sylvan. Abb. fratrem quendam suum lepido exemplo. Cum enim frater ille redargueret commilitiones suos manibus laborantes, & solicitudinem illorum supervacuam assereret, ex illis verbis Domini: *Maria optimam partem elegit, sedens secus pedes Domini*; hora cœnæ de industria vocatus non est: Queritur ergo frater & miratur, cur ad cœnam more solito venire non sit jussus. Cui Sylvanus: *Vere existimabam, tibi qui totus spiritualis es, cibo potuq; opus non esse*. Fratre itaque errorem confitente, subdit Abbas: *Scias igitur Mariam Marthæ etiam ministerio indigere auxilioq; juvari*, In vitiis PP. Beyrl. in Apophteg.

Animæ plus tribuere.

Tertio. Non tantum curis corporalibus quantum animæ curæ impendere. Hæc enim est absolute necessaria, illa non item, uti indicat Dominus, cum ait: *unum est necessarium*, q. d. plurima illa tua, erga quæ turbaris, quomodo scil. me & te pascas, non sunt necessaria: illud est necessarium, ut tu animam tuam pascas. Necessarium sane documentum, pleriq; enim mortalium omnem pene laborem corpori impendunt, exiguum animæ. Unde Eccles. dixit: *Omnis labor hominis in ore ejus*: id est, *propter os ejus*, ut habent Hebræa. Præposterum omnino & insanum studium. Nam inprimis servum nutriunt: Dominū autem fame cruciant. Deinde suos ipsi labores devorant. Nam *omne, quod laborant homines*, ait in eum locum. S. Hieron. *ore consumitur & attritum dentibus ventri traditur digerendum*, &c. Itaque perinde agunt atq; scrophæ aliquæ, quæ ubi multo labore multos enixæ sunt fœtus, paulo post omnes illos devorant. Denique modicam gustus voluptatem momento transeuntem præferunt æternis deliciis. Unde miratur hoc genus hominum Isai. c. 55. dicens: *Quare appenditis laborē vestrū non in saturitate?* q. d. quare labore vestro ea tantum comparatis, quæ vos nequaquam satiant? Gubernator quidam civitatis Trajectensis in Belgio, ut refert Cornel. à lapid. in Isac. c. 55. narrabat se aliquando cum primariis nobilibus invitatum fuisse ab alio ad prandium. *Ivi*, inquit, *cum aliis, splendiduminveni castrum, illustre triclinium, mensam oppiparam, epulis & deliciis omnibus instructam. Bibebant & comedebant omnes hilariter. Ast ubi discesserunt, mox inani ventre famere cœperunt & stomachus latrare, atque si nihil comedissent*. Nimirum opera Magi cujusdam hæc omnia præstigiis agebantur & apparabantur. Unde videbantur sibi comedere & saturari homines, cum nihil minus fieret. Talia sunt omnia mundi bona, non enim satiant hominem, quantacunque devoraverit.

Itaque operemur non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, ut monet Dominus Ioan. 6.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. *Cur Christus divertit in domum Marthæ.*
II. *Cur non ad Magdalenam.*
III. *Cur Martha non vocavit silentio sororem ad auxilium.*
IV. *Cur repetito nomine Martha compellatur.*
V. *Quid in Martha reprehensum.*
VI. *Quid illud unum, quod necessarium.*
VII. *Quid significant Martha & Maria in eadem domo.*
VIII. *Quid sentiendum de contemplativa & activa vita?*

THEMA.

Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, Luc. 10.

A. ISaias, qui, ut ait Sanctus Hieronymus in epist. 130. ad Paulinum, potius Evangelium, quam Prophetiam texere videtur, duos potissimum à nobis exposcit sensus ergà Christum, visum scilicet & auditum: *Erunt oculi tui*, inquit, *videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post terga monentis. Hæc est via, ambulate in ea, &c.* Et meritò: duo enim fuerunt in Christo maximè observanda: opera, quæ fecit, & doctrina, quam tradidit. *Cœpit facere & docere*, ait Lucas Act. 1. *fuitque potens in opere & sermone*, ut ait idem Lucas c. 24. Ad opera quæ fecit, exposcit visum: ad verba, quæ docuit, exposcit auditum. Quoniam igitur Christus & verbo & opere docuit nos, utrumque observemus; illud veluti audiremus, hoc quasi spectaremus.

B. I. *Cur Christus divertit in domum Martha.*

Quær. 1. Cur Christus divertit in domum Marthæ? Resp. ad hoc Salm. in hunc locũ: *Intravi Christus, non tam accepturus quã daturus, accepturus quidè parva, hoc est, corporalia; daturus verò pretiosissima, hoc est spiritualia, & corporeis ipse egere voluit, quia se hominem fami & siti atque aliis infirmitatibus obnoxium ex gratia fecerat, ut ita præberet ansam aliis sibi aliquid subministrandi & ipse acciperet occasionem, accepta compensandi beneficia: Nam etsi ipse Dominus egeret, poterat tamen multis modis inopiæ suæ succurrere. Sed ut Heliam prophetam ad tempus per corvum pavit, & postea ad viduam Sarepthanam misit, quo illa ministrando prophetæ meritum compararet, & Propheta recipiendo magis amaret & gratus existeret: ita Christus, cui victori diaboli in deserto ministrarunt Angeli, ad hujus castelli fœminas divertit, quatenus ipsæ recipiendo Christum, bene de illo mererentur, & Christus majoribus donis cumularet illas. Tu ergo agnosce magnum esse beneficium pauperi propter Christum porrigere: præstat siquidem dantis quàm accipientis beneficium, beatius enim magis dare, quam accipere.* Sic Salm. Destinat ergò Deus pauperes ad utilitatem divitum, quasi isti magis indigeant pauperibus, quam pauperes divitibus. Dives ille Luc. 16. & immisericors Epulo jacens in inferno precabatur Abrahamum, ut sibi mitteret Lazarum mendicum, à quo refrigerium tormentorum acciperet. Eccur vero Lazarum, non alium aliquem justum è sinu Abrahæ petiit? Quia nimirum perspexit, licet serius, pauperes esse divitum refrigeria & & Pharmaca, adeoque Lazarum illum sibi olim viventi datum, & præ foribus positum fuisse, ad medelam & salutem suam. Hinc ubicunque Deus creat divitem, ibi creat & pauperem, velut ejus pharmacum: quemadmodum sambucus ilico adnascitur ædibus rusticorum, ubicunque erigantur, ut sit eorum quasi Mythridaticum. Ita præ foribus Epulonis posuit ei Deus Lazarum: ô si de hoc sambuco pharmacum sibi parasset ille dum vivebat?

C. II. *Cur non ad Magdalenam.*

Quærit. 2. Cur non divertit ad Magdalenam? Respondetur, quia Magdalena vel ibi domum non habuit, vel si habuit, maluit Christus divertere ad Martham, ad honorandam Marthæ Virginitatem; delectatur enim Dominus maximè Virginibus. Hinc carnem assumpturus humanam in uterum Virginis, & quidem talis, quæ Virgo semper esset permansura, voluit intrare. Hinc in cœlo visus est Ioanni cum 144. millibus virginum, quæ illum sequebantur, quocumque iret, & dicebant tale canticum, quod nemo alius dicere poterat, Apoc. 14.

Secundò, quia ut credibile est domus Magdalenæ infamis facta erat propter ejus priorem conversationem malam, qua durante impuri amatores domum illam frequentare soliti erant. Tale enim vitium est luxuria, ut ipsas domos materiales infamiæ labe aspergat.

D. III. *Cur Martha non vocavit silentio sororem ad auxilium.*

Quært. 3. Cur Martha silentio sororem non vocavit, & ut se juvaret, monuit? Resp. Primo, quia nihil se profecturam credebat, sororem enim totam à Christi ore verbisque pendere videbat. Ideo ait: *Dic*, id est, jube, *ut me adjuvet.* Ut enim infantes pendent ab uberibus: ita Magdalena adhærebat ori Christi, ex quo lac verbi divini sugebat.

Secundo, Quia ut ait S. Bernard. serm. de assumpt. *Domino præsente non est ausa Martha evocare Mariam.* Timuit ergo offendere Dominum, si absque ejus imperio Mariam ab ejus pedibus avelleret. Discant ergo Mariti non impedire conjuges à devotione vel abstrahere à templo vacantes rebus divinis.

E. IV. *Cur repetito no-*

Quærit. 4. Cur repetito nomine Martham Dominus compellat? Resp. Sanctus Augustinus serm. 36. de verbis Domini: *Repetitio nominis*, inquit, *est indicium*

petito nemine Martha compellatur.

diciū dilectionis, aut fortè movendæ intentionis, ut audiret attentius, bis vocata est. Nimirum qui negotiis sæcularibus occupantur, majori excitatione indigent, ut attendant rebus supernis. Sic Num. 20. petra bis à Moyse percussa, dedit aquas populo. Petrosi & qui mundanis rebus altè indormiunt, fortioribus vel pluribus plagis excitandi sunt; uti contigit Pharaoni & contingit hujusmodi multis, qui plagam super plagam accipiunt, ut tandem resipiscant, vel saltem intelligant, se fideliter & paternè à Deo monitos fuisse. Ita dictum fuit Udoni illi: *Udo, Udo cessa à ludo.*

V. F. *Quid in Martha reprehensum?*

Quærit. 5. Quid in Martha reprehendit Dominus? Resp. reprehendisse non ipsum ejus opus, sed quandam operis circumstantiam tantum, scilicet nimiā solicitudinem, ut docet Sanctus Gregorius lib. 5. in 1. Reg. c. 4. & præterea in escis præparandis redundantiam. Utrumque expressit Dominus: Primum cum dicit. *Solicita es.* Secundum: *Et turbaris erga plurima*, quamvis in Martha utrumq; ex amore & observantia in Christum proficisceretur. Qua re docemur, ita vacare curis domesticis, ut ne à divinarum rerum cura & attentione distrahemur.

Docentur etiam divites & Magnates mensæ suæ adhiberi parsimoniam; quandoquidem Rex Regum noluit suæ refectionis causâ, multum adhiberi vel sumptus vel laboris.

G. VI. *Quod illud unum quod necessarium*

Quærit. 6. Quidnam illud unum, quod est necessarium? Resp. Primo secundum Theophylactum significat simplicem & frugalem refectionem. *Uno*, inquit, *nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercunque, non variis.* Cogitent hoc, qui luxui dediti; quid enim amplius habent paupere, qui & ipse suum implet stomachum, licet epulis vilioribus, majore tamen ut plurimum gustu? Æquè hic saturatur, æquè vivit, æquè sanus est. Sufficit ergo comedere, qualitercunque tandem.

Secundo. Secundum Ambrosium, Augustinum & Basilium significat auditionem verbi Dei, quo pascitur, curatur & ad vitam revocatur anima, & turbata lucem aspicit tranquillam. Hoc est semen gloriæ; unde in multis parabolis vocatur à Domino *regnum cœlorum*, Matth. 13. Viderint ergo qui hoc cibo omnium maximè necessario privant animas suas, quique metere volunt beatitudinem, cujus semen in agro cordis sui nunquam exceperunt.

Tertio. Secundum Dionysium Carthusianum significat gratiam & Charitatem, seu unionem cum Deo, quâ obtentâ habemus omnia, & sine qua nihil. Sic dixit Iacob ad Esau, Gen. 33. *Hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, Domine mi.*

Quarto. Significat negotium salutis, quod aliis omnibus negotiis merito anteponendum, juxta id: *Quærite primum regnum cœlorum & justitiam ejus.* Sic Apostolus 1. Thessal. 4. ait: *Rogamus vos fratres, ut vestrum negotium agatis.* Negotium scilicet salutis; nam alia negotia excludit 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* De hoc uno dicitur Psalm. 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram: Ut inhabitem in domo Domini.* Unam, id est, unam rem, ut exponit Bellarminus.

H. VII. *Quid significant Martha & Maria in eadem domo.*

Quærit. 7. Quid significant duæ sorores, Martha & Maria in eadem domo? Resp. Primo. Secundum Augstinum serm. 27. de verbis Domini. Martha vitam præsentem, laboriosam, Maria vitam futuram, cœlestem & quietam significat; sive, ut ait lib. 1. de Trin. cap. 10. & lib. 2. quæst. Evang. cap. 20. Martha significat Ecclesiam, quæ nunc est, excipientem Dominum in cor suum: Maria significat eandem Ecclesiam, sed in futuro sæculo, ubi cessans ab opere ministerioque indigentiæ, sola sapientia perfruetur.

Resp. Secundo. Secundum divum Gregorium lib. 6. Moral. cap. 18. Martha significat vitam activam. Maria contemplativam. Illa enim ministrat & discurrit in externis operibus: hæc verò ad pedes Domini sedet, & mentis dulcedine Deique contemplatione perfruitur.

Eædem duæ vitæ significatæ sunt Gen. 29. per duas illas sorores & uxores Iacob, Liam, lippam & laboriosam (hoc enim significat Lia). Rachaelem, pulchram & oculorum acie præstantem.

I. VIII. *Quid sentiendum de contemplativa & activa Vita?*

Quærit. 8. Quid de hac utraque vita sentiendum? Resp. Primo contemplativa absolutè præcellit activam, quemadmodum Maria Marthæ præfertur à Christo. Cujus rationes 8. reddit S. Thomas, 2. q. 182. a. 1. Prima. Quia contemplativa convenit homini secundum id, quod in eo optimum, scilicet intellectum, non item activa. Secunda, quia est magis continua, quam activa. Tertia, quia plus sanctæ delectationis affert. Quarta, quia in contemplativa homo sibi est magis sufficiens, paucioribus enim indiget. Quinta, quia contemplativa propter se diligitur, activa ad aliud ordinatur. Sexta, quia illa consistit in quiete, hæc in labore. Septima, quia illa versatur in divinis rebus, hæc in humanis. Octava, quia contemplativa convenit homini secundum id, quod est ipsi proprium, scilicet secundum intellectum. Secundum quid tamen & in certis casibus præferenda est vita activa propter necessitatem præsentis vitæ. Resp. 2. Activa prior est, & per hanc perveniendum ad contemplativam. Prius enim mortificandus animus, ut contemplationi præparetur. Unde Bernard. serm. 3. de Assumpt. advertit, prius Christum à Martha susceptum, quam Magdalena ad ejus pedes sederet: sicuti Lia prius quam Rachel data est Iacobo.

Resp. 3. Activa à contemplativa adjuvari debet; nam absque Maria parum potest Martha, absq; oratione actio. Dic ergo illi ut te adjuvet. Singula illa animalia Ezechielis c. 1. manus alæ supponebant, ut insinuarent, homines spirituales semper tenere manum operis sub ala contemplationis, simul operando &

do & contemplando. Sic Exod. 17. Moyſes orans adjuvit Ioſuen pugnantem, Ioſue vires pugnandi accepit ab oratione Moyſis; Moyſe enim orante vincebat, ceſſante ſuccumbebat.

Rurſum cum neceſsitas requirit contemplativa ad actionem deſcendere debet, adeoque ſuam ad tempus intermittere contemplationem: cujus rei exemplum habemus in Aphraate Monacho ſanctiſsimo, quem cum aliquando Valens Imp. Arianus cito gradu, licet ætate confectum, incedentem vidiſſet, quo iret, interrogavit? at ille: *Pro tuo*, inquit, *regno peccaturus*. *At intra cellam tuam*, ait Impetor, *tibi manendum fuit, ut lex Monaſtica poſtulat*. Cui Aphraates, *præclare admodum*, inquit, *dicis ô Imperator, & ita hactenus feci, dum oves Salvatoris pace fruebantur: at modo cum per te diſperguntur & vexantur, ſatagendum eſt, ne pereant, ſed ſerventur incolumes*. Ad quæ comminatus illi Valens tacuit Baron. anno 370. ſic laudatus à Deipara fuit Accurſius Minorita, qui colloquio cum Virgine ſibi apparente abrupto, ad ingemiſcentem in noſocomio ægrum fratrem accurrit. Ut in Chron. Minor. Sic Ioannes Apoſtolus in Pathmo contemplationi vacans, audit vocem poſt ſe, qua monetur erudire Epiſcopos Aſiæ per literas, Apoc. 1. Denique in ea domo hoſpitatur Chriſtus, ubi Magdalena & Martha, id eſt, vita contemplativa & activa ſimul ſunt.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Evangelium Joan. 6.

IN illo tempore, Exiit Ieſus in montem orare; & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit: Simonem quem cognominavit Petrum & Andream fratrem ejus, & Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes & Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem qui fuit proditor. Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Hieruſalem, & maritima Tyri & Sidonis qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

CONCIONES.

CONCIO I.
DE NUMERO DUODENARIO Apoſtolorum.

THEMA.

Elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit, Luc. 6.

MYſterio non caret duodenarius Apoſtolorum numerus. Etenim Actor. 1. poſtquam Iudas defeciſſet, dicebat Petrus oportere in ejus locum alium ſubrogari, & Matthiam elegerunt. Sic etiam Iſraelitæ ſedulo caverunt nequa ex duodecim tribubus deleretur. Ut patet Iud. ult. ubi idcirco rapuerunt virgines, & dederunt eas tribui Benjamin in uxores, quod ejus mulieres omnes interfectæ eſſent. Unde ibi dicunt: *Magnâ nobis cura ingentique ſtudio providendum eſt, ne una tribus deleatur ex*

Israel. Quod si tantum referebat duodecim esse tribus Israelitarum juxta numerum 12. filiorum Israel, non minus referebat duodecim esse Apostolos. Et licet hujus rei causæ soli Christo notæ sint, scio tamen hunc numerum juxta sacras literas adeo convenire Apostolis, ut congruentior esse non potuerit. Audiamus.

B. I. *Ex Genesi.*

Primo. In lib. Gen. cap. 35. & 42. figurantur per 12. filios Iacob, per quos totum Israelitarum genus ortum & propagatum est: ita enim & totum Christianorum genus & semen Christi spirituale per 12. Apostolos propagatum & prognatum est. Esa. 60. de Apostolis dicitur: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas* (alii legunt, *quasi columbæ cum pullis suis*) nubes sunt Apostoli, quia terram aridam pluvia verbi Dei impraegnaverunt: columbæ sunt, quia maxima fœcunditate innumeros peperêre pullos.

C. II. *Ex Exodi.*

Secundo. In lib. Exodi plures invenimus Apostolorum figuras. Exod. 15. Legimus Israelitas in deserto peregrinantes de Mara venisse in Elim, ubi erant 12. fontes & 70. palmæ, & castra metatos esse juxta aquas; per hos 12. fontes 12. Apostolos, per 70. palmas, Discipulos Christi significari vult Origenes homil. 7. in Exod. quia nimirum Apostoli instar fontium 12. salutaribus doctrinis totam pervasere & irrigavêre terram, omnibusque verbi Dei aquam, salientem in vitam æternam propinarunt. S. etiam Hieronymus Epist. ad Fabiol. ait: *De Mara* (id est, amaritudine) *venimus in Elim* (id est, ad arietes & robustos Principes gregis Christiani) *ubi 12. fontes doctrinæ Apostolicæ, & 70. palmæ victricis fidei 70. discipulorum Domini nos recreant.* Sic & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 29. peregrinamur etiam nos in deserto hujus vitæ, & quid haberemus nisi mara, nisi duodecim illi fontes aquam verbi Dei salientem in vitam æternam nobis propinassent? Quid enim est doctrina gentilium, quid doctrina mundi nisi Mara? Quid enim illa veri & solidi, quid æterni promittit? Certè ut aqua amara magis excitat sitim, ita doctrina & sapientia terrena appetitum beatitudinis non satiat, sed excitat. Igitur quemadmodum Israelitæ mox castra metati sunt juxta fontes illos: ita facere quivis Christianus debet, habitare inquam & vivere juxta doctrinam Apostolicam fluentem perenniter ad nos per ora Doctorum Ecclesiæ, imo figere castra sua, ne latum quidem unguem ab ea discedere, eam sedulo degustare.

Secundo. Exod. 24. post acceptam in monte Sinai Dei legem erexit Moyses ad radices montis 12. titulos, seu lapides instar statuarum vel altarium, in signum testimonii, quod 12. tribus legem Dei acceperint, audierint & servare in æternum promiserint, immolaveruntque ibi vitulos 12. Similiter Apostoli post datam in monte Sion, Festo Pentecostes, legem Christianorum, facti sunt per universum orbem quasi lapides testimonii, quod legem Christi per ipsos acceperimus, quem & sanguine suo firmarunt & subscripserunt. Unde ipsi velut 12. altaria per Martyrium consecrata nobis erecta sunt in testimonium, ne unquam legem hanc desereremus. Væ ergo nobis, si legi illi vel fidem non habeamus vel repugnemus. Quis enim non adhæreat fidei, quæ sanguine 12. Apostolorum, qui Christo semper adhærebant, firmata est? Num ita vesanos putabimus fuisse omnes Apostolos, ut nescierint, quid agerent? quare morerentur? cui crediderint?

Tertio. Exod. 39. Portabat Summus Pontifex supra pectus in rationali 12. lapides pretiosos, juxta numerum 12. filiorum Israel, in quibus & eorum nomina insculpta erant, uti & in superhumerali. Quo loco designari 12. Apostolos vult Tertullianus libr. 4. contra Marcionem, & Divus Hieronymus in cap. 28. Ezech. Ratio est, quia ut gemmæ illæ vestem Sacerdotis, ita Apostoli vestem Christi, id est, Ecclesiam illustrant, vitæ nimirum suæ sanctitate & doctrina. Vestem Christi, Ecclesiam esse, vidit Beatus Petrus Alexandrinus, cui Christus veste discissa apparens dixit, Arrium ei vestem suam, quæ est Ecclesia, ita dilacerasse. Apostolos vero hujus vestis gemmas, ornamentum & splendorem esse quis dubitat? Quomodo enim non maxime illustrat Ecclesiam, quod homines rudes & piscatores, tam pauci, brevi tempore totum penè convertêre orbem, tot nationes, tot Reges Christo subjecerunt, sine armis, sed prodigiis, verborum efficacia & vitæ exemplo? non potuerunt omnes gentiles Impp. cum tot machinis & exercitibus tot sibi subjicere nationes, quot pauculi Apostoli inermes.

D. III. *Ex Levitico.*

Tertio. In Lev. cap. 24. præcepto Dei duodecim panes propositionis constituebantur in mensa coram Domino, & singulis hebdomatibus renovabantur, ut sic continuo Deus panum conspectu recordaretur populi sui ad necessaria eis subministranda: & similiter populus moneretur ad Deum pro pane quotidiano exorandum, & ad gratias ei agendas. Apostoli panes ejusmodi sunt, tum, quia totum pavere mundum pane verbi Dei: tum, quia instar panis tribulati, moliti & in furno passionis cocti sunt atque ad mensam Christi in cœlo appositi (juxta id D. Ignatii eorum Discipuli: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*) adeoque Deo & hominibus ad spectaculum propositi. Et quid putatis faciunt in illa mensa? Deum pro Ecclesia sua conservanda perpetuo orant & monent, sicut & in deserto fecere Matt. 14. maxime vero pro iis nationibus, quas eorum quilibet in Christo genuit, velut pro clientibus suis. Nec dubium, quin horum aspectu panum Deus plurimum moveatur, si tamen & nos eorundem crebra renovatione, id est, invocatione Deum commonefaciamus, eique merita illorum repræsentemus. Propterea enim festa illorum, per annum solenniter celebramus, ut inter alia etiam illorum intercessionibus

nibus Deum nostri memorem reddamus: Atque idcirco forte, thure plenæ phialæ ponebantur super panes illos, ut indicaretur nostras etiam addendas esse preces, si illorum preces nobis esse proficuas velimus: juxta id Ps. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

E. IV. Nume-

Quarto. In libr. Numer. cap. 1. legitur Moysen elegisse ex omni populo duodecim Principes, qui ducerent per desertum in Chanaan & terram promissam populum, & instruerent in lege Dei. Qui clarè repræsentant 12. Apostolos: Illi siquidem sunt, qui mundum sub Ægyptiaca dæmonis servitute pressum eduxere ex angustiis peccati ad gratiam & cœlum denique. Thomas duxit Indos, Andreas Achivos, Ioannes Asiaticos, Thadæus Mesopotamios, Simon Ægyptios, Bartholomæus Armenios, &c. Illi dicuntur *nobilissimi*, (Hebr. vocati, scil. à Moyse ad Senatum synagogæ:) Sic Apostoli à Christo ad Senatum Ecclesiæ: de quibus Psal. 44. dicitur: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Ipsi nos docuerunt legem Dei. Ipsi velut Duces nos præcesserunt, debellando ante nos hostes.

Secundo. Num. 7. Iidem Principes singuli singula dona contulerunt ad ædificium tabernaculi: Ita & Apostoli ad spirituale ædificium Ecclesiæ tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, sanguinem, capita sua, Bartholomæus pellem suam: His enim velut lapidibus postquam variis tormentis dolati sunt, extructa est Ecclesia super Adamantem fortis. Cum enim Gentiles viderunt Apostolos quidvis pati malle, quam Christo renuntiare, esseque lapidibus duriores, & ad omnia tormenta paratos & infractos, plus inde convicti & ædificati sunt, quam si eos millies concionantes audissent, & inde agminatim ad Ecclesiam accesserunt, eundemque fortitudinis Spiritum induerunt.

Tertio. Num. 13. legimus à Moyse selectos è populo 12. Viros, qui mittebantur ad explorandam terram promissionis, ut sic deinde populus animaretur ad persequendum iter suum versus eandem terram, qui explorata terra tulerunt secum fructus terræ illius, botrum, ficus, & malogranata, in testimonium bonitatis terræ illius. Designatos fuisse per hos exploratores Apostolos expendit Rupertus lib. 1. in Num. cap. 37. Terra illa humanitas Christi est; eam nomine omnium exploramur & viderunt ipsi, nobisque triplices inde attulerunt fructus: botrum, quia viderunt Christum patientem & abscissum de terra viventium, Esa. 53. pendentem de Crucis pertica: Ficus, quia viderunt eum resuscitatum per 40. dies, quibus cum illo dulciter epulati & conversati sunt; Malogranata, quia viderunt eum coronatum gloriâ, & honore indutum partim in monte Thabor, cum ante eos transfiguraretur, partim in ascensione, cum divina sua virtute ascendit in cœlos; partim in missione Spiritus sancti. Quæ omnia satis superque nobis esse debent, ut fidem eis adhibeamus, atque iter cœli fortiter prosequamur. Si enim *in ore duorum vel trium*, Domino teste, *stat omne verbum:* quanto magis in ore duodenorum?

F. V. *Ex Iosue.*

Quinto. In lib. Iosu. cap. 4. constituit Iosue 12. viros, qui per Iordanem præcederent arcam, & tollerent è Iordanis medio 12. lapides, quos in terram humeris efferrent: & alios 12. statuerent in medio Iordanis alveo, in testimonium præstiti sibi beneficii & miraculi, quo eos Deus cum arca per Iordanem sicco pede transire fecerat. Etsi interrogarentur à filiis suis? *Quid sibi volunt lapides isti?* responderent: *defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini: idcirco positi sunt lapides isti in monimentum filiorum Israel in æternum.* Apostoli sunt & viri & lapides illi. Viri, quia tulerunt de medio Iordanis (id est, de vita & morte Christi) duodecim lapides, (id est, articulos fidei in unum cumulum symboli Apostolici) & per hos fidem nobis fecerunt, arcam humanitatis Christi sicco pede, (id est, triumphata & superata morte) Iordanem, (id est, mortem) transiisse, quatenus mortem quidem ingressa, sed mox iterum sine corruptione & læsione egressa, ac paulo post in terram promissionis elata est. Lapides item in medio Iordanis eminentes & conspicui collocati sunt, quia testantur nobis, viam factam esse beneficio arcæ humanitatis Christi ad cœlum omnibus hominibus juxta id Abac. 3. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum:* in quantum prædicant nobis esse in hoc mundo remissionem peccatorum, adeoque sublatum & retroactum dæmonis imperium, quod deorsum nos trahebat: iter vero cœli siccum, planum, facile effectum. Unde si interrogemur, quid sibi velint duodecim illi lapides, Apostoli? respondemus eos testes esse redemptionis humanæ, concessæ peccatorum Indulgentiæ & novæ ac facilis in cœlum viæ apertæ. Unde Dominus discessurus ab eis dixit: *Eritis mihi testes in Jerusalem & in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ*, Actor. 1. Quemadmodum etiam lapides illos utpote firmissimos nulla aquarum vis subruere poterat: ita nulla tormentorum & persecutionum procella Apostolos dimovere, quin virtute multa redderent testimonium resurrectionis Iesu Christi.

G. VI. *Ex lib. Regum.*

Sexto. In libr. 3. Reg. cap. 4. constituit Salomon 12. præfectos, qui præberent annonam Regi & domui ejus. Quo loco Glossa mor. ait: figuratos esse discipulos & Apostolos, qui veri Salomonis Christi domui, id est, Ecclesiæ præbuerunt alimoniam verbi Dei & Sacramentorum. Ejusmodi enim præfectos videtur constituisse Apostolos Dominus cum eis dixit: *Date illis vos manducare*, Marc. 6. cumque eis panem dedit ut apponerent turbæ. Sed & ipsi Regi Christo præbuere annonam, quando adduxerunt ei gentes noviter à se conversas: cibum Christo omnium suavissimum & gratissimum. Petrus Italiam Christo transmisit; Andreas Achajam, Græ-

Græciam, Thraciam, Byzantium : Iacobus Major Hispaniam, Celticam, Arabiam Felicem : Minor Hierosolymam : Ioannes Asiam : Philippus Syriam : Simon Ægyptum:Bartholomæus Bactriam: Lyaconiam: Armeniam: Matthæus Æthiopiam : Thadæus Persidem & Mesopotamiam : Thomas Indiam, Brachmanes & Hircanos:Matthias Iudæam & Concavam Syriæ.

Secundo. Eodem lib. cap. 7. fecit Salomon mare fusile in templo, quod sustentabant 12.boves, quorum tres ad singulas orbis partes capita vertebant; & posteriora eorum latebant intrinsecus. Figurabant isti boves Apostolos teste Divo Gregorio 2. p. curæ pastor. cap. 5. quia ipsi baptismum & Sacramenta per universum orbem humeris suis portarunt : Tres versus quamvis orbis partem, quia fidem Trinitatis, in qua baptizari debemus, in quatuor mundi partibus annuntiarunt. Posteriora eorum latent, vel quia secundum Gregorium merces eorum, & posterior gloria nos adhuc latet ; vel secundum Rupertum , quia non debemus respicere quales aliquando fuerint Apostoli ; sed quales per Christi gratiam effecti sint, ut sic faciem eorum intueamur,non tergum. Certè bobus triturantibus comparat se suosque Coapostolos Paulus 1. Corinth. 9. nec immeritò, quia arabant agrum Christi, & messem ejus triturabant , denique ad nuptias ejus mactati sunt. Boves primò erant Apostoli, id est, tardi & stupidi, sed postea tales edidere boatus,quos totus audiit terrarum orbis: quemadmodum & de Divo Thoma Aquinate prædixerat Albertus Magnus ejus Magister: bovem scilicet hunc (uti vocabatur à condiscipulis,&c.)aliquando mugitus editurum,qui per orbem audirentur,quod & factum.

Tertio. Eodem lib. cap. 10. leguntur duodecim leunculi ficti ambivisse Thronum Salomonis, stantes super sex gradus. Teste Ruperto & Eucherio hoc loco. Leunculi Apostoli sunt , quia illis dixit Dominus Matth.19. *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Thronus judiciaria Christi potestas: sex gradus, sex dierum opera sunt adeoque omnes creaturæ super quas constitutus est Christus, & modo quodam etiam Apostoli Iudices. Quamobrem habemus sane cur Apostolos non tantum amemus, quod per suam prædicationem nobis mugierint in mundo: sed etiam cur timeamus, quia aliquando rugient & mugient contra eos , qui eorum Evangelio vel non crediderunt vel non conformiter vixerunt.

H. VII. *Ex Apoc.*

Septimo. In lib. Apoc. cap.12. reperiuntur 12. stellæ , quibus coronata Mulier , Ecclesia scilicet, Ioanni visa est, denotantque 12. Apostolos, ut ibi omnes Interpretes docent , quia ipsi luce doctrinæ, vitæ exemplis & miraculorum fulgoribus Ecclesiam illustrarunt. Caput autem Ecclesiæ Christus est ; Unde Apostoli primario quidem Christum ipsum coronant , quatenus sua prædicatione & industria Christum Regem omnibus gentibus suscipiendum & colendum persuaserunt, atque ita quodammodo Regem orbis constituerunt , quamvis non propria sed Christi virtute. Secundario vero Ecclesiam, quia eandem luce sua mirum in modum illustrarunt. Unde Dominus ait illis : *Vos estis lux mundi,* Matth. 5. In quem locum S.Basilius ait: *Adveniente luce auroræ ægritudines alleviantur,homines in somno excitantur, aves garriunt, bestiæ ad latibula sua fugiunt : Sic veniente fide Apostolorum mundus fuit ædificatus in credendis , fœcundatus in operibus bonis, alleviatus à peccatis, excitatus à negligentiis, animatus ad contemplationem cœlestium,& ereptus de potestate Dæmonum.* Certè sine stellis navigaremus in mediis tenebris & undiq; erraremus, quemadmodum ante lucem Evangelicam errarunt homines,ita ut etiam fornicationes,adulteria & Sodomiæ scelus non viderentur peccata , & dii lignei ab ipsis colerentur: Lucentibus vero de nocte stellis mox dirigere cursum suum, ne exerrent, nautæ possunt : ita & Ecclesia, beneficio Apostolorum.

Eodem lib. cap. 21. Vidit Ioannes cœlestem Hierusalem , cujus murus habebat fundamenta 12. & portas duodecim , & in portis Angelos duodecim. Quæ fundamenta & portæ typus Apostolorum sunt,ut ibi Blasius Vegas ostendit. Fundamenta, quia ad Ephes.2. dicitur : *Estis cives sanctorum superædificati super fundamentum Apostolorum.* Fundamentum inquam tum Ecclesiæ militantis, tum triumphantis (non quidem primarium, quod est Christus, sed secundarium.) Quia super eorum prædicatione eatenus fundamus fidem & salutem nostram , quatenus Christi fidem & salutem æternam nobis annuntiarunt ; & hoc testimonium suum vitæ sanctitate, miraculis & sanguine suo firmarunt. Portæ illius Ierusalem sunt,quoniam per eos patefactus est aditus ad regnum cœlorum omnibus nationibus sive ex Oriente veniant, sive ex Occidente, sive è Septentrione, sive à Meridie. Duodecim Angeli in portis sunt Angeli collaboratores Apostolorum. Unde merito concludimus,quantum debeamus Apostolis, per quos viam cœli didicimus & ingredimur.

Sed quid nos ex hoc discursu emolumenti capiemus ? Sanè duodecim Apostoli sub his expressi typis documento sunt Senatoribus Civitatum, qui communiter sunt duodecim , & in rebus politicis Civitatis sunt Apostoli. Monentur ergo ex I. Genesis , ut sint Patriarchæ seu magni Patres Patriæ ; sic enim apud Romanos vocabantur Patres conscripti. Monentur ex lib. Exodi : ut sint fontes Elim, unde hauriri queat justitia; sint tituli seu testes legum datarum & observandarum ; sint gemmæ in rationali, id est splendeant bono exemplo in Republ. Monentur ex I. Levitici, ut sint panes propositionis , hoc est, altores civium præsertim miserorum & egenorum. Monentur ex lib. Numeri, ut diligant & procurent decorem domus Domini, eamque sua inprimis præsentia ornent : sint morum

rum exploratores & Censores. Monentur ex l. Iosue, ut lapides ex Iordane efferant, id est, scandala è Rep. tollant. Monentur ex l. Regum, ut sint præfecti annonæ ad civium sustentationem commodam: sint boves capita in diversum inclinantes, ita ut ne omnes in quacunque re in eandem eant sententiam, ne rempublicam evertant, si ad unius caput omnes se conforment: quis enim nescit everti navem, cum omnes navigantes ad unum tantum latus propendent? Sint leunculi, id est, Leonino animo curent, parcere prostratis & debellare superbos. Monentur ex l. Apoc. ut sint stellæ & corona reip. sua sapientia & morum gravitate eam cohonestantes. Sint fundamenta reip. hoc est, immobiles in justitiæ administratione: sint portæ patentes omnibus miseris ad ipsos confugientibus.

CONCIO II.

DUODECIM APOSTOLI TOTIDEM LAPIDES PRETIOSI.

I. S. Petrus Iaspis.
II. S. Andreas Sapphirus.
III. S. Jacobus Major Chalcedonius.
IV. S. Joannes Smaragdus.
V. S. Philippus Sardonius.
VI. S. Bartholomæus Sardius.
VII. S. Matthæus Chrysolitus.
VIII. S. Thomas Beryllus.
IX. S. Jacobus Minor Topazius.
X. S. Thaddæus Chrysoprasus.
XI. S. Simon Hyacintus.
XII. S. Matthæus Amethystus.

THEMA.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Luc. 6.

A. IN hodierno Evangelio fundamentum posuit Christus Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis, quando elegit 12. discipulos, futuros orbis Apostolos & Ecclesiæ fundamenta, quorum humeris quodammodo nixus Ecclesiæ murus incubuit; (uno Iuda proditore dempto, cui suffectus est Matthias.) Apertè hoc testatur S. Ioannes Apocal. 21. ubi ostensam sibi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo; cujus murus habebat fundamenta 12. Et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Quod inprimis Alcazar non malè exponit de 12. articulis fidei, quos Apostoli contulerunt. Sed nec male Ribera aliique, qui idipsum de 12. Apostolis exponendum asserunt. Huic igitur sententiæ in præsentia insistemus.

B. I. *S. Petrus Iaspis.* Primus. Lapis Iaspis dicitur, D. Petrum Apostolorum principem denotans. Primo quia ut Iaspis gemma virens & firmissima est: ita Petri fides omnium fortissima; siquidem ipse dictus est petra & constitutus Ecclesiæ fundamentum, quod usque hodie firmiter consistit & durabit usque ad mundi finem; ei præterea dictum à Christo; Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Secundo. Iaspis dicitur resistere phantasmatibus & magicis operationibus: & Petrus restitit Simoni Mago eumque suis precibus ex aere dejecit. Tertio. Iaspis in argento virtuosior & efficacior est, quam in auro auth. Bart. Angl. lib. 16. cap. 53. ita Petrus in Occidente Cathedram ponens (Romæ scilicet, Occidentis Metropoli,) firmior extitit, quam in Oriente (Antiochiæ scilicet Orientis Metropoli) quod ex hoc apparet, quia ex Oriente migravit in Occidentem, & quia Oriens defecit à fide, non Occidens.

C. II. *S. Andreas Sapphirus.* Secundus. Sapphirus, Andreæ typus. Primo quia coloris est cœrulei, cœlum serenum referentis; qui tamen color non est nisi altissimæ lucis profunditas, oculum absorbens & hebetans, ut videatur esse cœruleus oculo, cujus acies infirma in eo perspiciendo succumbit. Talis autem & Andreas, qui primus omnium cum altero quodam Christum secutus, mansit apud eum die illa & arcana doctrinæ & divinitatis ejus perspexit. Unde sanctus Augustinus Tract. 7. in Ioan. ea de re ait: *Quam beatum diem duxerunt? quam beatam noctem? Quis est, qui nobis dicat, quæ audierunt illi à Domino?* Sic ille. Secundo, Sapphirus radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem: ita Andreas majestate, vocatione & sermone Christi quasi percussus ac vulneratus, in amorem & sequelam Christi mox exarsit & Petrum fratrem inveniens voce illa: Invenimus Messiam: quasi fulgore quodam collustravit, & ad Christi amorem accendit. Adhæc in cruce pendens & cœlesti lumine perfusus populum docere non destitit. Tertio. Veneno resistit & araneæ junctus eam occidit teste Dioscoro apud Angel. libr. 16. capite 87. ita Andreas Ægeæ proconsuli pestifero, qui à populo compulsus, ipsum de cruce soluturus venerat, Victor restitit: Dæmones præterea ligavit & ab hominibus depulit.

D. III. *S. Iacobus Major Chalcedonius.* Tertius. Chalcedonius (quibusdam videtur esse carbunculus, uti in Exodo ponitur) Iacobum Majorem repræsentans. Primo quia ut is lucernæ vel igniti carbonis instar splendet: ita Iacobus primus ex Apostolis subiens Martyrium, cæteris ad idem præluxit. Secundo quia ut ille digitorum attactu incandescens paleas ad se attrahit, ita Iacobus à lictoribus comprehensus & tortus paleam, hoc est, impium, à quo ductus ad tribunal erat, fortitudine sua ad fidem & martyrium suique amorem attraxit; Veniam etiam petenti osculum pacis impressit. Tertio. Ut is sub dio splendet, non sub tecto: ita Iacobus liberè Christum Deum confessus

fessus est, ac proinde sub dio, passim in foro & plateis, in Hispania & Iudæa: quæ causa videtur esse, quod ipse primus & præ omnibus Apostolis comprehensus & occisus est ab Herode, Actor. 12. quod videlicet esset filius tonitrui in concionando & terribilis Iudæis; quemadmodum & Hispanorum hostibus terribilis fuit in acie, visus equo in albo præliari ex aere contra Mauros.

E. IV. *S. Ioannes Smaragdus.*

Quartus. Smaragdus Ioanni debitus 1. quia ob perpetuum clarumque virorem signum virginitatis est, ut scribit Pierius l. 41. Hierogl. Ioan. virginitate perpetua præ cæteris enituit & semper quasi virens diutissimè vixit, usque ad annum Christi 101. scili. 2. Smaragdus vino vel oleo perunctus proficit in virore, ut scribit Anglicus lib. 16. cap. 88. Ioannes in ferventis olei dolium immissus vegetior inde exivit. 3. Res, quibus admovetur aeremque circumfusum suo colore viridi imbuit: pari modo Ioannes totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias ac sua doctrina & sanctitate imbuit; in Patmon etiam Insulam relegatus, incolas in fide instituit, authore Metaphraste.

Quarto. Politus instar speculi omnia repræsentat; Unde Nero Imperator gladiatorum pugnas in Smaragdo aspiciebat, teste Isidoro apud Anglicum loco cit. Ita Ioannes in suo Evangelio, in quo Christi Divinitatem ejusque gesta accuratissimè & quasi ad oculum demonstrat, totius mundi elegantissimum speculum factus est.

F. V. *S. Philippus Sardonyx.*

Quintus. Sardonyx, Philippi typus. Primo ob candorem ab onyche participatum. Candor autem animi in Philippo inprimis fuit: Propterea enim illum præ cæteris discipulis Christus interrogavit: *Philippe unde ememus panes?* Secundo, ob ruborem etiam à Sardio mutuatum, candori onychino mixtum. Ita enim Philippus ruborem Sanguinis & Martyrii sui à Christo mutuatus est; siquidem & ipse cruci affixus & præterea lapidibus obrutus est. Tertio, quia ad sigillandum adhibitus ceram non attrahit vel aufert; quemadmodum & Philippus non sumpsit sibi honorem non debitum, nec prætulit se alteri, aut intrusit se ad Christum interpellandum, quando Gentiles ei dicebant: *Domine volumus Jesum videre*, Ioan. 12. Prius enim hoc Andreæ tanquam priori & digniori, ut volunt Chrysostomus & Euthymius, indicavit.

G. VI. *S. Bartholomæus Sardius.*

Sextus. Sardius Bartholomæum designat. Primo quia sanguinei coloris est, quemadmodum Bartholomæus excoriatus, totus undique sanguine rubens. Secundo. Sardius feris terrorem incutit: ita Bartholomæus Idolorum Sacerdotibus in Armenia, cujus Regem & Conjugem cum 12. civitatibus converterat; Unde ab illis incitatus Astyages Regis frater ei pellem detrahi jussit. Tertio. Onyx noxias suas virtutes exercere præsente Sardio nequit: ita dæmon in Indico Idolo Astaroth, præsente Bartholomæo homines affligere non potuit, sed catenis constrictus fuit.

H. VII. *S. Matthæus Chrysolithus.*

Septimus. Chrysolithus Matthæum exprimit. Primo, quia marinum colorem aureo mixtum habet; Unde Hebræis vocatur tharsis, id est, mare, ut docet S. Hieronymus in Comment. super Dan. cap. 10. Mare autem pœnitentiam designat, ob sui amaritudinem; proinde Matthæo competens, qui prope mare in telonio sedens à Christo vocatus surrexit, & peccatis pristinis valedicens, Christum secutus est & pœnitentium exemplar factus. Aureum igitur colorem habuit in telonio, dum auro inhiaret: marinum in pœnitentia.

Secundo ardentes Scintillas diffundit Chrysolithus. Idem fecit Matthæus suo inprimis Evangelio, quod primus omnium & copiosius scripsit, Apostolis Bartholomæo & Barnabæ cæterisque describendum, & in orbem spargendum, deinde sua prædicatione, cum in Æthiopia Evangelii Scintillas in audientium animos effudit, idque miraculis confirmavit, illo inprimis, quo Regis filiam à mortuis excitavit, Regem Patrem & uxorem ejus cum universa provincia ad fidem convertit: Iphigeniam Regiam filiam ad Virginitatis votum traxit, quamobrem ab Hirtaco Regis successore necatus est.

Tertio. Chrysolithus nocturnos pellere timores fertur. Fecit & hoc Matthæus, partim dum ex Æthiopa tenebras ignorantiæ & nigrorem scelerum depulit, partim dum in regia & amplissima civitate Naddaver duos Magos Zaoren & Arphaxat (qui præstigiis suis homines ludificabant, sensibus privabant, serpentum immissorum morsibus sauciabant) confutavit, eorum fraudes detegendo & eos qui ab iis delusi & circumventi erant, sanando, apud Ioan de la Haye, in Appat. Evang. c. 47.

I. VIII. *S. Thom. Beryllus.*

Octavus. Beryllus Thomæ perquam similis.

Nam Primo Beryllus in India gignitur, gentis suæ linguæ nomen habens, inquit sanctus Isidorus lib. 16. Etymol. cap. 6. Atqui sanctus Thomas in prædicatione Evangelii Indiam sortitus est, ibique martyr occubuit.

Secundo. Colore refert aquam puri maris solis fulgore percussam. Ita etiam Thomas Christi aspectu & attactu, velut solis radiis percussus, pervictus & quasi colliquefactus est, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Quæ verba etiam marinum colorem, id est, habitum pœnitentis præ se ferunt.

Tertio. Beryllus politur in Sexangulam formam, ut repercussione angulorum splendor ejus alioquin hebes & surdus excitetur, ut scribit Isidorus loco citato & Plinius libr. 37. cap. 5. Ita sancti Thomæ fides primo, surda & hebes excitari debuit à vulneribus Christi, quæ sibi post attactum, utique fortiter impressit, indeque non ad fidem tantum, sed & amorem Christi eximium inflammatus est. Adhæc in sex angulos perpolitus fuit, quando sex diversis nationibus, Parthis, Medis, Persis, Hircanis, Bactris, Indis Christianæ fidei & vitæ præcepta dedit, uti habe-

habemus in Breviario. Lect. 4. & cum Calaminæ telis confossus fuit.

K. IX. S. Iacobus Minor Topazius.

Nonus. Tapazius Iacobo Minori dandus primo, quia coloris partim aurei, partim cærulei: seu ætherei est, gratissimo aspectu. Ita verò & Iacobus in facie Christo similis adeoque elegantissima forma fuit, & præterea suavissimis moribus, ita ut vel ab ipsis coleretur Iudæis Evangelii hostibus. 2. Si Topazium polire & levigare velis, asperatur magis, cum ipse natura sua sit euglyphus, id est, optimæ formæ, bene sculptus & scalptus, ut scribit. Ambrosius in Psal. 118. Ita Iacobus *ab utero matris suæ sanctus fuit*, inquit Eusebius l. 2. hist. c. 22. *vinum & siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit, novacula caput ejus nunquam rasum fuit, neq; corpus oleo perunctum aut balneis lotum.* Cum ergò à teneris sanctus & omni virtutum genere excultus fuerit, nostra commendatione obscurabimus eum potius, quam illustrabimus.

L. X. S. Thaddæus Chrysoprasus.

Decimus. Chrysoprasus designat Iudam Thaddæum, Iacobi Minoris fratrem. Primo quia est gemma viridis porri colore aureis guttis intermicans; Unde & appellationem habet. Ita Iudas eximiam habuit fidem & charitatem.

Fidei suæ virorem & fervorem ostendit, quando in epistola sua Hæreticos acerrime exagitavit, Charitatem, quando Christo dicente: *Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum*; interrogavit: *Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum & non mundo?* q.d. cum tu sis mundi Rex, quare nobis solum & non toti mundo te vis manifestare? Ioan. 14. Optabat ergo Christum à toto mundo agnosci, diligi & coli.

Secundo. Tradunt Chrysoprasum ingenerare animo opum contemptum & liberalitatem, quia dilatat spiritus: apud Cornel. à Lap. in Apocalyps. c. 21. Et de Iuda tradunt aliqui missum esse ad Abagarum Edessæ Regem, atque Abagaro aurum tum cælatum tum rude offerenti, dixisse: *Si nostra dereliquimus: quomodo accipiemus aliena?* Sicque aurum respuisse: Euseb. 1. hist. cap. 13.

M. XI. S. Simon Hyacinthus.

Undecimus. Hyacinthus Simoni correspondet. Primo quia ut hyacinthus ex nominis sui flore vocatus est, cæruleum colorem habens, inquit S. Isidorus lib. 16. Etymol. cap. 5. Ita & Simon dictus est Zelotes à Zelo, ut vult S. Hieronymus epist. 53. ad Ripatium, quia Zelo fervebat, adeoque cæruleum seu cœlestem colorem præ se tulit, quia omnes homines cœlo transcribere optavit. Quanquam à patria, Cana, dictum Cananæum (Zeloten Hebr.) volunt alii.

Secundo. Hyacinthus magnam cum cœlo Sympathiam habet & cum ejus facie mutatur, Sereno Serenus & perspicuus, nubilo coram oculis evanescit atque marcescit, ut ait Isidorus ibidem. Ita Simon Christo se conformavit, quando in civitate Suanyr captus à sacrificulis & populo, raptusque ad templum solis, data sibi ab angelo optione, ut vel populi repentinum interitum, vel suum martyrium eligeret, elegit potius martyrium suum, ut populus viveret & converteretur. Hoc autem & Christus egit; quando noluit civitatem Samaritanorum igne perire, & quando maluit in Oliveto pergere ad passionem, quam defendi à Discipulis. Denique lapis iste sectus & exsculptus est, quando serra divisus.

N. XII. S. Matthias Amethystus.

Duodecimus. Amethystus Matthiæ decretus, ultima gemma ultimo Apostolo. Quia ut Amethystus purpureus est permixto violaceo, & quasi rosæ nitor, leniter quasdam flammulas fundens, ut ait Isidorus lib. citat. cap. 9. Ita Matthias *fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus Sacræ Scripturæ acutus, in consilio providus, in Sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in cœlum manibus Martyr Spiritum Deo reddidit*, inquit sanctus Antoninus p. 1. titul. 6. Cætera in quibus Apostoli gemmis istis similes fuerunt, quia hic in terris non agnoscimus ob historiæ defectum, videbimus in cœlo, &c.

CONCIO III.

APOSTOLI OSTENDUNTUR Catholici.

I. Quomodo Catholicus S. Petrus.
II. S. Andreas.
III. S. Jacob Major.
IV. S. Joannes.
V. S. Philippus.
VI. S. Bartholomæus.
VII. S. Matthæus.
VIII. S. Thomas.
IX. S. Jacobus Minor.
X. S. Simon.
XI. S. Thaddæus.
XII. S. Matthias.
XIII. S. Paulus.
XIV. Judas Iscariotes manet hæreticis.

THEMA.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Luc. 6.

A.

Genesis 26. legimus Isaacum in terra Geraræ puteos fodisse adaquandis suis pecoribus. Sed ubi reperit aquam vivam, ilicò pastores Geraræ cum pastoribus Isaac pro puteis litigasse, di-

centes: *Nostra est aqua.* Aliquid non absimile contingit nobis, Auditores. Fodit nobis Christus tanquam suis ovibus puteos duodecim in hodierno Evangelio, quando totidem elegit Apostolos, quorum aqua sapientiæ omnes suas oves refici volebat. Sed ecce tibi pastores Geraræ, hoc est, Prædicantes Lutheranorum & Calvinistarum insurgentes contra pastores Isaac, id est, Christi & Ecclesiæ, iisque occlamantes: nostra est aqua: nostri sunt Apostoli, nostra eorum doctrina, nostra eorum Religio. Volunt enim Christianos Ecclesiæ saltem primitivæ, ita credidisse, ac docuisse, quemadmodum ipsi nunc credunt & docent. Magnum quoddam est hoc, si demonstrent. Sed prius cœlum & terra transibunt, quam hoc faciant. Nos ergo contra ipsos ostendemus Apostolos esse nostros.

B. I. *Quomodo Catholicus S. Petrus.*

Primus. S. Petrus Catholicus ostenditur. Primo. Quia primus fuit Pontifex, fundavitque sedem Pontificiam, primo Antiochiæ, postea Romæ & tenuit ibi 25. annis: cujus etiam Cathedra lignea miraculis illustrata & à Majoribus asservata adhuc ostenditur & custoditur in Vaticano. Exercuisse autem primatum suum patet ex multis. Ipse enim Concilii Præses in electione sancti Matthiæ fuit, Act.1. Et in Concilio Ierosolymitano Act. 15. Ipse pluribus Ecclesiis dedit, & ordinavit Episcopos, ut videre est in Baronio anno Christo 44. Secundo. Quia à gentilibus attonsus fuit more Sacerdotum in contemptum, teste Germano Episcopo Constantinopolitano in Theoria Ecclesiastica. Quemadmodum etiam Philippus & Ioannes eadem tonsura clericali & sacerdotali habitu apparuerunt Theodosio Imper. apud Baron. ann. 394. Unde colligitur hanc tonsuram cæteris etiam Apostolis fuisse usitatam. Tertio. Quia Missas celebravit super Altari ligneo, quod hodie visitur Romæ, estque ipsum, in quo ex Decreto Sylvestri Papæ nemo ob reverentiam S. Petri celebrare poterat. Martin. Polon. in Chron. sub Constant.

Quarto. Quia in Epistolis suis docet Catholicè; præcepit enim obedientiam erga Superiores, contra doctrinam Luther. 1. Pet. 2. Vult ut bonis operibus certam nostram vocationem faciamus, 2. Petri capite 1. &c.

C. II. *S. Andreas.*

Secundus. S. Andreas monstratur Catholicus. Quia Primo, Cælibem vitam duxit, ut scribit Sophronius Episcopus Ierosol. homil. de certam. SS. Petri & Pauli: talem autem vitam aversantur nostri hæretici. Secundo. Ex proprio testimonio, quotidie immolavit agnum immaculatum in altari, sicut audisse, & vidisse se scribunt Sacerdotes Achaiæ. Tertio. Maximus amator Crucis fuit, eamque sibi præparatam & procul visam salutavit, ac dixit: *Securus & gaudens venio ad te, &c.* Item: *O Bona Crux, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita & jam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus & redde me Magistro meo.* Longè aliter Lutherani & Calvinistæ, qui Crucem fugiunt & exterminant. Certè Lutherus tomo 2. Ger. VVittemb. in lib. de bello contra Turcam: *Si miles essem,* inquit, *viderem que in acie Sacerdotem aut Vexillum Cruce insignitum, vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, quàm si me ipse Diabolus fugaret.*

D. III. *S. Iacobus Major.*

Tertius. S. Iacobus Major, frater Ioannis. Primo. Virginitatem semper tenuit, teste Epiphanio in panario hæresi 58. Et certè non erat facilè sancto Iacobo cum Uxore & liberis Hispanias adire, & inde in Iudæam redire, uti nec aliis Apostolis orbem totum peragrare, nisi cælibes vixissent. Quare universim Apostoli, vel non habuerunt uxores (præter Petrum, de quo constat) vel eas dimiserunt. Secundo. Impressit signaculum Crucis ei, à quo ipse ad tribunal ductus fuit; qui tamen ductor videns virtutes sancti Iacobi & ipse conversus est & cum eo ductus est, uti Euseb. scribit lib. 2. cap. 9.

E. IV. *S. Ioannes.*

Quartus. S. Ioannes Catholicus demonstratur. Nam, primo Virgo permansit omnium sententia. Virginitatem etiam & Virgines miris præconiis extulit in Apoc. c. 14.

Secundo. Virginem Deiparam sibi à Christo commendatam impensissimè coluit, quia accepit eam in sua. Hæretici nostri à Beata Virgine Maria alienissimi sunt, imò ejus hostes.

Tertio. Crucis signo se muniens descendit in monumentum. Niceph. lib. 2. c. 24.

Quarto. In sua Epistola totus est Catholicus. Primo. Vult omnino mandata Dei observari, 1. Ioan. 2. *Qui dicit, se nosse Deum,* inquit, *& mandata ejus non custodit, mendax est,* quod impossibile dicunt Lutherani. Secundo. Urget & requirit vitam sanctam & bona opera, ibidem, *qui dicit, se in ipso manere,* inquit, *debet sicut ille ambulavit* (Christus) *& ipse ambulare.* Tertio. Requirit Confessionem 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra.* Quarto. Iustitiam imputativam rejicit; ait enim 1. Ioan. 3. *Filioli, nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est, qui facit peccatum, ex Diabolo est.*

F. V. *S. Philippus.*

Quintus. S. Philippus altaria statuit & extruxit ad sacra mysteria ritè celebranda in Scythia & Phrygia. Ordinavit etiam Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Clericos; Metaphr. in vita & alii.

G. VI. *S. Bartholomæus.*

Sextus. S. Bartholomæus: Primo Centies per diem & centies per noctem flexis genibus orare consuevit Deum. Lutherani & Calvinistæ in centum annis ne semel quidem Deo flectunt genua. Expansis etiam manibus orasse scribitur, quem orandi ritum isti irrident. Secundo. Crucem, ad quam alligandus excoriari debebat, adoravit & salutavit, simili ferè modò, quo id fecit S. Andreas. Nimirum: *Salve Crux, per quam humanum genus gaudio affectum est. Salve ejus Crucis imitatio, per quam mors mortem dissolvit & mortales ipsos immortalitate donavit. Salve Crux, in quam cum Christus ascendit,*

terre-

terrenos homines cœlestes effecit. Salve Crux, quia mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad cœlos perduci possim, quæ denique mei Præceptoris imitatorem me fecisti &c. Ut in ejus vita apud Surium.

Septimus S. Matthæus. Primo, persuasit Iphigeniæ Æglyppi Æthiopum Regis filiæ vovere Virginitatem cum ducentis aliis, & ideo occidi jussus ab Hircaco Regis successore, qui Iphigeniam petebat in matrimonium. Quam ob rem *Victima Virginitatis* appellatur ab Hippolyto Episcopo & Martyre in l. de 12. Apost. Hæretici nostri Virgines Deo sacras à voto absolvunt & nuptui tradunt. 2. Carnibus abstinuit, oleribus tantum, baccis & seminibus victitans ut scribit Clemens Alexandri. lib. 2. Pædag cap. 1. Quæ sane delicato nostrorum hæreticorum stomacho minimè sapiunt. Dicunt enim, insanum esse talibus victitare, cum possis melioribus. Tertio ad Altare misterium celebrans occisus est, postquã sacras Virgines consecrasset. Metaphr. & alii.

I. VIII. S. Thomas

Octavus. S. Thamas, orans genibus flexis ante imaginem crucifixi hasta transfixus est, ut scribit Hieronym. Osor. lib. 2. de rebus Indicis. Non ergo Lutheranus aut Calvinista fuit. Pingunt quidem & sculpunt se hoc schemate Lutherani in suis Epitaphiis: Attamen dum vivunt nunquam conspiciuntur orare flexis genibus ante Crucifixum. Præterea multas extruxit Ecclesias, Niceph. libr. 2. cap. 40. Septem etiam dierum jejunium indixit & communionem dedit sub una tantum panis specie, ut refert ex Autoribus Guil. Eisengrein Centen. primo p. 5. dist. 7.

K. IX. S. Iacobus minor.

Nonus. S. Iacobus Alphæi, seu minor frater Domini dictus. Primo. Carne semper abstinuit (Euseb. lib. 2. hist. cap. 22.) imò ab animatis omnibus ab ineunte ætate. Secundo. Tam assiduus in flectendis ad Deum genibus fuit ut callum genibus obduxerit, quod duritie cameli pellem æquaret. Ut in Brev. & vita ejus habetur. Hæretici nostri Elephantes sunt, qui genua flectere nesciunt. Tertio. Primus Missam solemni ritu celebravit, unde & Liturgiam scripsit, seu ejus celebrandi ritum & formam, ut indicat Sexta Synodus de consecratione d. 1. c. Iacobus. Quarto. In Epistola sua Catholicum se ostendit; præcipit enim extremam unctionem Iac. 5. Urget vehementer bona opera, sine quibus fidem inutilem & mortuam asserit, Iac. 2. Rursum in Concilio Ierosolymitano voluit abstineri à suffocato & sanguine, adeoque delectum ciborum probavit, Act. 15.

L. X. S. Simon.

Decimus. S. Simon una cum Iuda Persiden implevisse templis scribitur.

M. XI. S. Taddæus.

Undecimus. Iudæus Thaddæus acerrime insectatur hæreticos, præsertim eos, qui docent solam fidem sufficere sine operibus; & eos, qui nullum agnoscunt peccatum nisi infidelitatis. Tales verò hæretici nostri.

N. XII.

Duodecimus. S. Matthias, de quo parum certi habemus, præter ejus vocationem legitimam, qua vel sola confundit nostros hæreticos, qui suam asserere non possunt. In reliquis haud dubiè fuit sectator suorum Coapostolorum & Electorum. Accedit ejus Axioma: *Adversus carnem pugnandum & in nullo prorsus voluptati ejus ac libidini concedendum.* Euseb. lib. 3. hist. c. 29. At hoc profecto Lutheranum non est.

S. Matthias.

O. XIII. S. Paulus.

Decimustertius. S. Paulus, Atque hunc magnis extollunt vocibus Hæretici, tanquam pro se stantem, quia scilicet in ejus Epistolis, ut dixit Petrus, 2. Petr. 3. *quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles (uti hæretici nostri) depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Velut cum ait 1. Cor. 9. *An non habemus potestatem circumducendi mulierculam sororem?* Supponunt illi mulierculam uxorem; Verum ludunt operam; in omnibus enim Epistolis suis Catholicam fidem confirmat, hæresis vero confutat.

Primo enim Cœlibem se ostendit 1. Cor. 7. cum ait: *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* Eodem loco suadet & extollit cœlibatum ac virginitatem. Deinde gloriatur in cruce ad Gal. 6. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri, &c.* Commendat jejunia & vigilias 2. Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in Vigiliis, in jejuniis, &c.* Rursum mortificat se ipsum, timens fieri reprobus 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Merita bonorum operum commendat & mercedem, 1. Cor. 3. *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Damnat eos, qui fidem Deo datam, id est, vota frangunt, 1. Tim. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Adstruit liberum arbitrium 1. Cor. 15. *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et 1. Cor. 3. *Dei adjutores sumus.* Deum peccati auctorem facere abhorret: Rom. 9. *Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Iubet cum timore & tremore salutem nostram operari, Phil. 2.

Secundo. Romanæ fidei fuit; ait enim ad Rom. 1. *Fidem vestram & meam.* 3. Confessiones audivit Act. 19. 4. Positis genibus oravit, Act. 20. 5. Theclam ad Virginitatis studium sua prædicatione incendit, apud Baron. an. 47.

Restat igitur solus Iudas Iscariotes, quem libenter damus Hæreticis. Et vero ad ipsos spectat.

P. XIV. Iudas Iscariotes manet hæreticis.

Primo. Quia fur erat, sacrilegus, ex Domini bursâ furatus. Hoc autem fecerunt hæretici nostri, quando passim diripuerunt & in profanos ac proprios usus verterunt bona Ecclesiastica. Cæterum sperandum est eos tandem pretium sanguinis malè acceptum relaturos in Ecclesiam, sicut & Iudas fecit, meliori tamen eventu.

Secundo. Quia ægrè tulit, unguentum effundi super caput Christi. Idem vero faciunt Hæretici, qui decorem Ecclesiæ iniquis oculis aspiciunt, & cum possunt, amoliuntur.

Tertio. Quia à Christo ejusque Collegio apostata factus est, quod item fecerunt hæretici, cum ab Ecclesia defecerunt.

Quarto. Quia ficto osculo Christum prodidit hostibus. Nihilo secius egerunt nostri hæretici, cum sub specie pacis politicæ nec non confessionis Augustanæ Catholicis dexteras dederunt, interim verò Calvinismum & alias plurimas sectas in Imperium clanculum invexerunt, nec aliud machinati sunt, quam ut fidem Catholicam penitus opprimerent.

Nostra igitur est aqua, nostri sunt Aopstoli, nostra eorum Religio, nostra & doctrina. Cæterum libentissimè communicabimus illis aquam nostram, modo ad nos venire & bibere nobiscum velint, quod largiatur eis Deus.

CONCIO IV.

QUÆ DOCUMENTA NOBIS det culter S. Bartholomæi.

I. Fidei sinceritas docetur.
II. Fortitudo.
III. Magnitudo præmii cœlestis.
IV. Usus salutaris in variis.
V. Abusus cavendus.

THEMA.

Omnis turba quærebat eum tangere, Luc. 6.

A. EX lib. 3. Reg. cap. 10. Scimus thronum Salomonis ita fuisse extructum ut inter 12. Leones fictiles ad illum ascendendum esset. Thronus verò ille non obscure significabat Thronum gloriæ Christi Domini, quem occupat in cœlo. Ad hunc thronum, Auditores, omnes nos contendimus, & speramus aliquando Christum manu nostra tangere. Sed videte quales Leones circumstant ejus sedem: duodecim ejus Apostoli, quam formidando aspectu! Unus tenet gladium, alius Crucem, alius serram, alius clavam, alius securim, alius hastam, alius fustem; alius cultrum, &c. Omnes illi enim per varia cruciatuum & suppliciorum genera ascendere ad thronum illum jussi sunt: & hi sunt eorum baculi & scipiones, quorum nixu ascenderunt. Hæc eorum symbola & virtutum testimonia, terribilia quidem sed salutaria. Accedamus igitur ad illorum aliquem, Bartholomæum, & quæramus ex eo: quid sibi vult culter tuus?

B. I. *Fidei sinceritas docetur.* Docet Primo, fidei & amoris S. Bartholomæi in Christum synceritatem, ut qui nec tam crudeli excoriationis supplicio ab eo separari potuit, & quem ore confessus est, eundem sanguine suo testatus. Iansenius, Rupertus & alii quidam putant Bartholomæum esse Nathanielem illum, de quo dicebat Christus: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est,* quique dixt Christo: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* Ioan. 1. Quod si verum est, optime profecto quadrat Bartholomæo, quod de eo dixit Christus. Quam enim Bartholomæus omnis doli expers esset in fide & dilectione Christi, patuit Deo & hominibus in pellis ejus detractione. Solemus enim dicere dolum & nequitiam hominis latere intra cutem. *Non enim qui in manifesto, Judæus est: sed qui in occulto, Iudæus est,* ait Apostolus ad Rom. 12. Multi extra parent Israelitæ & Christiani veri, qui tamen sub ovina pelle intrinsecus sunt lupi rapaces, hæretici vel hypocritæ. Atqui Barthol. qualis apparuit foris, talis fuit intus: qualis in Apostolatu, talis in Martyrio. Non enim ore tantum & habitu, sed & sanguine & facto testatus est, quali esset fide & amore in Dominum & Magistrum suum, ut merito posset dicere: Cultro *me examinasti & non est inventa in me iniquitas.* Utinã & de nostrûm unoquoque dici queat: *Ecce verè Israelita,* vere Christianus, *in quo dolus non est.* At si vero cuivis nostrum pellis detraheretur, timendum ne in hoc hæreticus, in illo politicus, in alio hypocrita, in alio falsus frater deprehenderetur. Et certe veniet aliquando tempus: quando detracta nobis pelle omnes manifestabimur ante Dei tribunal, & tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. Quantum ibi confundetur, qui se hic Christianos & Synceros ostendebant, intus tamen nequam erant? Quam enim confusus est Aman, cum ei prandenti cum Rege larvam detraxit Esther & imposturam ejus detexit, dicens: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman!* Hoc enim ille audiens *illico obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens,* Esth. 7.

C. II. *Fortitud.* Secundo. Fotitudinem Christianam, ut quidvis paratissimus potius agere vel pati, quam fidem aut charitatem deserere: ita ut si moriendum sit, & Tyrannus cultrum jam expediat ad detrahendam nobis pellem, potius mori velimus, quam fidem abnegare, aut in hæresin consentire, vel unicum etiam peccatum lethale perpetrare. Sic enim fecit Bartholomæus, qui cutem sibi abstrahi prius passus est, quàm à Christi fide & amore separaretur; non aliter ac Polypus petræ, quam apprehendit brachiis suis, ita firmiter adhæret, ut partes potius carnis sibi avelli à corpore sinat, quam ut avellatur ipse. Pier. l. 27. Hierogl. Sic nos, Auditores, adhærere decet Christo, qui est Petra nostra, gemino illo brachio, fide & charitate; ut dicere cum Apostolo possimus: *Quis nos separabit à charitate (& fide) Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas! an periculum? an persecutio? an gladius?* ad Rom. 8. Ita adhæsit Christo sanctus Basilius, qui cum à VALENTE Imp. Ariano juberetur in crastinum deliberare, an assentiri Imperatoris perfidiæ velit, aut mori, respondit: *Ego cras idem ero qui nunc sum; tu te utinam non mutares!*

Hist.

Hist. Ecclef. l. 11. cap. 9. Ita ſancta Agatha, cum à Quintiniano Præſide Siciliæ tradita eſſet Aphrodiſiæ depravanda & à virginitatis propoſito flectenda, reſpondet ei: *ſurdo canis. Ego enim ita fundata & firmata ſum in amore Domini mei Jeſu, tanquam conſtans in voto virginitatis meæ, quod ipſi nuncupavi, ut per ipſius gratiam confidam, quod prius ſoli deficiet ſua lux, igni calor, nivi albedo, quam ego mutem meum propoſitum & voluntatem, &c.* Quocirca reſpondit Aphrodiſia Tyranno: *Facilius eſt lapides molles & teneros facere, aut ferrum in plumbum vertere quam mentem Agathæ à Chriſti amore & caſtitate ad te traducere.* Ut in ejus vita. Ita univerſim peccatum omne fugiendum, ut quidvis malimus pati, etiam cultrum Bartholomæi: quidvis potius deponere, etiam pellem, quam peccato inquinari. Ferdinandi II. Regis Aragonum parœmia erat: *Malo mori quam fœdari*; teſte Æneа Sylvio; deſumpta ab Arminio animalculo, quod ſe capi potius ſinit, quam ut per luti inquinamentum effugium ſibi quærat. Ita Benevolus ille apud Valentinianum Imperatorē Arianum ſcriniis præpoſitus, cum juberetur ab Imperatore impium decretum dictare contra Patrum fidem, abnuit & cum celſior honor ei promitteretur: *Quid mihi*, inquit, *pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? hunc ipſum, quem habeo tollite, tantum mihi conſcientia fidei duret illæſa.* Ruffin. l. 4. de fide Cathol. Theod. Hunc in modum honores, opes, pellem ipſam perdere potius deberemus, quam vel uni peccato conſentire. Sed quam nos ab hac conſtantia abſumus, quam levi vento dejicimur à propoſito virtutis.

D. III. *Magnitudo præmii cœleſtis.*

Tertio. Magnitudinem præmii cœleſtis & quid non pro ea faciendum ac patiendum ſit, quando Bartholomæus cultro ſe incidi & pellem ſibi abſtrahi paſſus eſt. Et verò admirandum eſt, quod gentiles aliqui fecerint in Deorum ſuorum vel potius Dæmonum gratiam: ſive ut eos placarent, ſive ut honorarent. 3. Reg. 18. legimus ſacerdotes Baal, ut impetrarent à Deo ſuo ignem de cœlo ſuper ſacrificium ſuum, inter orandum inciſiſſe ſe cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine. Lactantius etiam lib. 1. de falſa religione c. 21. Gentilium Sacerdotes olim Bellonæ ſuo cruore diſſectis humeris ſacrificaſſe. Hiſtoriæ Mexicanæ referunt, ejus regionis ſacrificulos in honorem dæmonis, quem pro Deo colunt, ſeipſos cruentare, lapidum ictibus & acutis ſtylis pedes manuſque ſibi perforare. Denique inter Turcas reperire eſt, qui cultro armati velut fanatici circumcurſant, & ob ſpem modici lucri in honorem Regis ſui, grandia ſibi vulnera in corpore incidunt, & hujuſmodi cruentatione turpe pariter & miſerum quæſtum faciunt, uti vidiſſe ſe ſcribit Dux Radivales in peregrinatione Ieroſolymitanæ. Si hæc talia faciunt & patiuntur iſti ſive in gratiam dæmonis, ſive inani gloria vel mercede ducti: cogitate Chriſtiani, quod non pati nos conveniat æquo ac lubente animo pro cœleſti gloria? Certe cruentus Bartholomæi culter manifeſte nobis indicat, vim pati regnum cœlorum, & pugnandum eſſe pro eo multaque adverſa toleranda. Sed cogitare ex altera parte debemus pro quanta re pugnemus, & ſi cum hoc Apoſtolo pellem dare oporteret, non difficulter obſequendum. Itaque exuenda eſt vetuſta pellis malæ conſuetudinis: Et ſi aſſuetus es jurare vel blaſphemare, detrahe pellem linguæ: ſi aſſuetus inebriari, detrahe pellem gutturi: ſi rapere & fraudare, detrahe pellem manibus &c. vis tibi inferenda eſt, quia regnum cœlorum vim patitur.

E. IV. *Uſus ſalutaris in variis.*

Quartò. Uſum hujus cultri nobis ſalutarem. Solet verò unuſquiſque geſtare ſecum cultrum, utpote paſſim utilem & neceſſarium. Ego vobis Auditores, Bartholomæi cultrum offero. Sed quem in finem? Docuit nos Sap. Prov. 23. quando ſedemus ad menſam Principis, conſiderare quæ appoſita ſunt & ſtatuere cultrum in gutture. Sedemus ad menſam Principis, quoties cibum ſumimus, quia menſæ noſtræ non ſolum Deus cibos ſuppetit, ſed revera etiam adeſt. *Statue* igitur *cultrum in gutture tuo*, ut ne intemperanter ſumas dona Dei, præſcinde gulæ tuæ ſuperfluitatem, ingluviem & crapulam, certus alioquin imminere tibi grave ſalutis tuæ diſcrimen: tua enim intemperantia teipſum jugulabis, ſæpe quoad corpus, ſemper quo ad animam.

Sedemus ad menſam Principis noſtri Dei, quamdiu in mundo degimus. Quædam enim menſa omnis generis dapib. & cupediis referta totus iſte mundus eſt. *Statue igitur cultrum in gutture tuo*, tum ne abutaris creaturis ad uſum tibi conceſſis tum ne linguæ tuæ fræna laxes. Nihil enim proclivius, quam delinquere ſermone. Cum quid igitur falſum, cum quid obſcænum, cum quid odioſum, cum quid ſtultum vel otioſum in mentem tibi venit & per linguæ oſtium egredi conatur, ſtatue cultrum in gutture tuo, præſcinde vocem.

Sedemus ad menſam hujus Principis, cum ſacra eloquia audimus. Quid enim eſt ſacra concio niſi menſa Dei, in qua paſcit animas noſtras? Itaque tunc attende diligententer, quæ poſita ſunt ante te & ſtatue cultrum in gutture tuo, hoc eſt, cum diſcretione arripe & concide minutim ſeu perpende accurate, an te, quæ dicuntur, tangant, & quomodo ea tibi applices ac ſalutaria efficias. Concionatoris eſt apponere eſcas, auditoris eſt eaſdem cultro diſcretionis ſcindere & ſalubriter deglutire.

Denique ſedemus ad menſam Principis ſeu potentis, ut exponit S. Auguſt. tract. 47. & 48. in Ioan. quando communicamus. *Nam quæ eſt menſa potentis*, inquit, *niſi unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis*? Tunc ergo ſedulo attende (Hebr. conſiderando conſiderabis) quæ appoſita ſunt: quis ſcilicet invitans, quis cibus, quæ præparatio adhibenda, &c. & ſtatue cultrum in gutture tuo, hoc eſt, judicium divinum, quod incurres, ſi non in corpore, ſaltem in anima, ſi indigne manducaveris,

caveris, juxta Apost. doctrinam 1. Cor. 11. Periculosum est accumbere mensæ Regis, qui potest corpus perdere, & postea non habet quod adjiciat: quanto periculosius offendere Regem Regum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam? Et si coram Rege accumbentes abstineamus ab ingluvie & crapula, & loquendi libertate, à mentis evagatione, ab omni denique immunditia: non abstineamus coram Deo?

F. V. *Abusus cavendus.* Quintò. Abusum ejus cavendum, ut ne videlicet hoc cultro sæviamus in pellem alienam. Hoc enim non fecit Bartholomæus, sed passus est à Tyranno. Hoc etiam exprobrat iniquis principibus Deus per Michæam c. 3. *Comederunt carnem populi mei*, inquit, *& pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt & conciderunt sicuti in lebete & quasi carmen in medio ollæ.* Hoc autem faciunt, quicunq; opprimunt pauperes laboribus, exactionibus, usuris, & qui facultates eorum (pecunia enim est hominis anima, sanguis & vita ait Ethicus) in suum luxum, pompam, libidinē convertunt vel expendunt. Quid enim est hoc aliud nisi excoriare & devorare illos? Ut enim arbor decorticata cito exarescere debet: ita homo suis facultatibus spoliatus nimiove onere pressus perire. Sed bene dixit Ludov. 12. Rex Franciæ, plebem & rusticos esse pascua Tyrannorum & militum: Tyrannos autem & milites esse pascua diabolorum, ut habent Annales Franc. Clamor enim istorum ascendit usq; ad Deum, uti clamor Hebræorum à Pharaone oppressorum, Exod. 2. sed quia oppressores audire eos & videre eorum calamitates nolunt, fiet suo tempore, ut nec ipsi audiantur. Unde subdit ibi mox Michæas: *Tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.* Et nonne sicut ipsi excoriarunt alios, ita excoriabuntur? Byzantii Iudæus Christiano certam auri summam mutuam dederat, ut constituta die præter sortē; usuræ loco, duas carnis ejusdem Christiani uncias reciperet. Die illa sortem reddit Christianus, fœnus negat. Aditur Solymannus, ut rem decidat. Ille Iudæum animo detestatus, novaculam adferri jubet & Iudæo potestatem facit, qua velit membri parte, debitori duas carnis uncias exscindat: ea lege, ut omnino duas tantum: sin minus plusve exsciderit, capite luiturū. Non ausus hanc Iudæus aleam subire, Christianum absolvit. Refert Corozetus de dictis & factis memorabilibus. Inveniuntur certe huic Iudæo non absimiles Christiani aliquot, qui per usuras insusitatas & iniquissimas exscindunt aliis carnes, dum emungunt eorum cruorem & sudorem. Et verò scindant & exscindant; viderint tamen interim, ne justitiam offendant. Observat enim illos Deus & siquidem in pauperem iniquiores fuerint, capite suo luent & supplicio æterno. Quis tam periculosam aleam audeat subire, ut pro iniquo & modico lucro caput suum pendat?

CONCIO V.

EFFECTUS SACRAMENTI Eucharistiæ, seu communionis.

I. *Illuminat mentem.*
II. *Corrigit vitia.*
III. *Delet peccata venialia.*
IV. *Conservat & auget gratiam.*
V. *Ad cœlum ducit.*
VI. *Contra hostes tuetur.*
VII. *Beneficia extraordinaria confert.*

THEMA.

Virtus de illo exibat & sanabat omnes, Lucæ 6.

QUæso Auditores: An non merito confundimur, cum hodiernum audimus Evangelium? Videmus enim in illo, quam longe superemur à turba Iudæorum: Siquidem omnis turba quærebat Christum tangere, ut ab ipso sanaretur. Nos autem cum Christum in Eucharistia habeamus & tangere possimus modo nobiliori, quotiescunque volumus: num ita contendimus eum tangere sicut turba Iudæorum. At forte illa turba quæsivit solum sanitatem corporalem? Non arbitror: quomodo enim turba quæreret eum tangere? Num omnis turba infirma erat corporaliter? Quærebat ergo & alia bona ad sanitatem mentis pertinentia. Deinde nonne anima plus est quam corpus, & animæ sanitas quam corporis? Denique non est abbreviata manus Domini. Licet enim Eucharistiam principaliter instituerit in remedium animæ: sæpe tamen in ea confert etiam beneficia corporalia. Quid igitur causæ est, cur tam ignavi simus ad quærendum Christi tactum in S. communione? Num forte quia non vident aliqui, quales ab eo virtutes exeant in illa? Conabimur ergo eas proponere ante oculos,

B. I. *Illuminat mentem.* Primo. Illuminat mentem; Cujus figura fuit mel, quod gustavit Ionathas, unde illuminati sunt oculi ejus, 1. Reg. 14. Neque enim fieri potest ut qui tantum hospitem frequenter suscipit in domum suam, non ab eo multis in rebus illustretur & informetur cum Magdalena sedente ad pedes Domini & audiente verbum illius. Illuminatur ergo ut magis apprehendat & firmius credat fidei mysteria ac dogmata, quorum difficilimum, Eucharistiam scilicet, gustavit. Illuminatur ut magis intelligat, quam potens, sapiens, bonus & suavis sit Dominus in hoc inprimis Sacramento juxta id Psalm. 23. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Sic discipuli cognoverunt Dominum in fractione panis, Luc. 24. Illu-

illuminatur, ut melius intelligat, discernat & ponderet peccata sua. Unde sicut sanus oculus videt in aëre atomos non item caliginosus? Ita pii huic Sacramento assueti, melius vident defectus suos & de iis perpetuo conqueruntur, cum cæteri nihil horum in se curent aut videant. Sic Vir nobilis parvas horret maculas, rusticus nequaquam. Denique illuminatur, cum per aliquod vitium, aut dæmonis astutiam obscuratus est intellectus & phantastica nube obductus, ad amandum ea, quæ non decet. Quo in casu suaserim, quod Episcopo Laodiceno Christus Apoc. 3. per Ioannem suasit: *Collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Huic enim collyrio comparat Eucharistiã S. Bern. ser. 53. de 12. fructibus ligni vitæ, qui enim tot cæcis suo tactu cæcitatem absterſit, non dubium quin idem facturus sit in Euchristia, cum sedulo & rite suscipitur.

C. II. *Corrigit vitia.*

Secundo. Corrigit naturæ pravitatem & habitus atq; inclinationes vitiosas, mutatq; in virum alterũ. Cujus rei typum legimus Iof. 6. Ubi Israelitæ jubentur à Deo, septies cum arca & buccinis circumire Civitatem Iericho: quo facto muri civitatis ultro corruerunt, captaq; est ab eis. Civitas in hunc modum beneficio Eucharistiæ junctæ cum Sacerdotali absolutione, pravi habitus & malæ inclinationes dejiciuntur, & mutatur homo in virum alterum, qui prius Deo clausus & rebellis erat, postea fit apertus & subjectus, adeoque Deiformis. Unde S. Dionys. Areop. de cœlest. hierarch. inquit; *Quemadmodum ignis sensibilis ea quibus insederit in suum traducit officium, omnibusq; quomodolibet sibi propinquantibus sui consortium tradit: haud aliter Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, deformesque reddit.* Rursum uti potentissimum aliquod medicamẽtum intus assumptum à natura vinci nequit, sed eam victam & domitam sibi assimilat, suas ei proprietates impertiens: ita corpus Domini non potest à natura nostra superari, sed mutat nos in se & transfundit in nos spiritum Christi, unitque cum ipso. Socratem refert Cicero 3. Tuscul. quæst. Zopyro Physiognomo judicanti ipsum ex inspectione manus intemperantem, vinolentum, stupidum, mulierosum, &c. respondisse: *Non multum aberrasti: Talis enim eram naturæ vitio, sed correxi me Philosophiæ beneficio.* Ita quam plurimi beneficio frequentatæ communionis mutatos se se sensêre & naturam correxêre, ac corrigunt etiamnum, deponentes pravos habitus & inclinationes suas. Ita civis Ferrariensis, qui ex consilio viri religiosi contra graves carnis tentationes Uxorem duxerat: postmodum mortua uxore frequentare cœpit confessionem & communionem, indeque tantum virium sibi contra eas furias accrevisse sensit, ut seipsum admirans & dolens superioris ætatis infelicitatem, diceret: *Heu me miserum! & cur non olim adolescens incidi in hominem, qui non diceret: uxorem duc; sed utere frequenter Sacramentis.* Guil Baldesan. in stimulis virtutum. Cæterum non primo statim aggressu dejiciuntur hi muri: sæpius circumeundum est: & licet inprimis aliquamdiu nihil sentias inclinari hos muros, perge tantum, & videbis tandem te victorem tuarum passionum. Neque refert si nihil aut parum sentiamus initio nos proficere: nam nec crescere nos sentimus, & tamen crescimus: similiter ciconias non videmus advenire, sed advenisse. Multum profecit, qui peccata & vitia sua agnoscit, horret, fugit, in seipso exosa habet, & impugnat.

D. III. *Delet peccata venialia.*

Tertio. Delet peccata venialia & munit adversus peccata futura. Cujus figura erat arca prædicta quando stare fecit aquas Iordanis, Iof. 3. Ea siquidem illata in Iordanem, aquæ inferiores descenderunt in mare mortuum, superiores autem steterunt ne defluerent. Ita & hoc Sacramentum delet veniale, & cavet mortale, ut ait Innocent. 3. apud S. Thom. 3. p. q. 79. a. 6. Delet venialia, quia cum sit nutrimentum animæ, reparat fervorem charitatis, qui deperditur seu minuitur per venialia: Unde velut panis quotidianus *sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*, ut ait S. Ambros. in l. de Sacram. Delet etiam interdum mortalia, quæ scilicet post diligentem conscientiæ discussionem remanserunt inscio & putanti bona fide se nulli mortali obnoxium esse; & cum quis scit se obnoxium alicui mortali, in defectu tamen confessarii putat bona fide se contritum, cum tamen sit solum attritus. Ut docet S. Thom. 3. p. q. 80. a. 4. Sic enim cum Philistæi bona intentione posuissent arcam in templo suo juxta Dagon, quasi per hoc magnum honorem arcæ delaturi; non evanuit arca, nec destructum est altare: Sed Dagon corruit, 1. Reg. 5. Corruet ergo & peccatum tuum mortiferum, si bona fide & inculpabili laborans ignorantia constitueris Sacramentum hoc in templo cordis tui, tametsi adhuc profano.

Cavet etiam futura qualiacunque peccata juxta modum & dispositionem recipientis, quia confert ei varia præsidia ad tentationes superandas, motus concupiscentiæ reprimendos. Unde S. Bern. serm. de cœna Domini ait: *Duo in nobis Sacramentum illud operatur, ut videlicet sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ aut cæterorum hujusmodi gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et Cyril. lib. 4. in Ioan. c. 17. *Sedat, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem: pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

E. IV. *Conservat & auget gratiam.*

Quartò. Conservat & auget gratiam, (quæ est vita spiritualis animæ) sicut panis corporalis vitam, uti habet Concil. Florent. restaurando subinde vires animæ deperditas. Nam uti lux lampadis semper consumit oleum quod effunditur: ita calor naturalis corporum nostrorum consumit substantiam; unde novus semper cibus ingeri illis debet. Idem etjam

jam cernitur in anima. Concupiscentia siquidem ardore suo depascit, quidquid in homine boni est, à studio pietatis retrahit, & ad sensualia effundit. Providit igitur Deus animæ nutrimentum, sacramentum corporis sui, de quo ait: *Caro mea vere est cibus.* Et *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Hujus igitur usu conservat homo vitam suam spiritualem, & crescit in perfectione ejus: recipit etiam novam fortitudinem, & robur ad ambulandum in via virtutis, unde quoad hoc typus illius fuit panis Eliæ subcinericius, ab Angelo illi suggestus, in cujus fortitudine resumpsit delassatus vires & ambulavit 40. diebus. & noctibus usque ad montem Dei Horeb, 3. Reg. 19. Item lignum vitæ in paradiso, de quo si homines subinde comedissent, nunquam mortui fuissent. Rex Ponti Mithridates inventor theriacæ, fertur ejus esui adeo assuetus, ut venenum illi innoxium fieret; cum enim postea in Romanorum potestatem venisset, & veneno vitam sibi eripere vellet, non potuit, Plin. l. 25. c. 2. & alii. Ejusmodi antidotum contra venenum peccatorum instituit & confecit Christus, Eucharistiam, ut si quis ejus usui cum debita devotione assueverit, ita confirmetur in vigore animæ, ut vix quacunq; infici cupiditate aut tentatione vinci queat. Interroga homines spirituales hujus sacramenti studiosos, utrum pro toto mundo Deum lethaliter offendere vellent. Respondebunt enim se nec velle nec posse. Quod si etiam tenerrimi fructus cerasa & fraga & hujusmodi, sacchаro in melle tincta, conservari usque ad annum possunt, quid mirum si etiam corda nostra virtute Eucharistiæ multo tempore à peccati putredine conservari queant? O quantum confundentur & ingemiscent damnati Christiani, qui, cum sibi ipsis temere vitam gratiæ eripuerint, hoc remedio conservare vel reparare noluerunt? Nonne enim in medio paradisi, id est, ubicunque locorum adire & gustari poterat hoc vitæ lignum.

F. V. *Ad cœlũ ducit.*

Quinto. Dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam, & ideo *viaticum* dicitur, ut ait S. Thom. 3. p. q. 79. a. 2. Colligitur ex verbo Domini Ioan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Unde morientibus datur, quasi necessarium viaticum & pignus ad gloriam parandam. Cujus figura fuit agnus paschalis, quem Deus ante exitum de Ægypto comedi jussit in habitu peregrinorum, Exod. 12. Ita etiam jubet nunc Deus ante exitum ex hac vita sumi prius Eucharistiam, Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth. ait: *Propter hoc corpus cœlum & bona, quæ in eo sunt accepturum me spero.* Idem lib. 6. de Sacerdotio asserit, sibi narratum ab eo qui vidisset animas eorum, qui cum pura conscientia mysteriorum hujusmodi ante obitum fuerint participes, recta ad cœlum deduci à SS. Angelis. S. Gregor. hom. 40. in Evang. scribit, quandam piam Virginem, sed pauperem nomine Romulam, postquam hoc viaticum accepisset, à duobus Choris cœlitum psallentium, quos audiebant tantum circumstantes, ad cœlos deductam, deficiente paulatim psalmodia in auribus audientium. Idcirco viri sancti tam soliciti fuere morte instante pro hoc viatico, necnon & Deus pro illis. Uti pro S. Ambrosio, quo in agone posito, Honoratus Vercellensis Episcopus tertio vocem audivit dicentem: *Surge & festina, quia modo est recessurus.* Surrexit ergo & Ambrosio corpus Domini obtulit: quo facto, statim ad Christum migravit Ambros. Paulinus in ejus vita. Hæc videtur vestis nuptialis, in qua velut Iacob in veste Esau primogeniti fragrantissima, placere Deo Patri debemus. Viderint igitur, quid agant, qui hoc viaticum negligunt, aut morituris intercludunt.

G. IV. *Contra hostes tutur.*

Sexto. Fortissimum affert præsidium contra malignos Spiritus eorumque machinationes. Cujus figura fuit panis ille subcinericius, quem per somnum vidit quidam volvi in castra Madian, & subvertere illa ac terræ coæquare, Iud. 7. Hoc enim facit castris dæmonum panis Eucharisticus. Unde Chrysost. homil. 45. in Ioan. ait: *Ut Leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.* Exemplum unum memorabile refert Comes Mirandulanus in l. de strigibus his verbis: *Fuit in alpibus Rhetiis Sacerdos quidam probus ante annos duodecim; cui cum foret opus, ad ægrotum quendam gravi oppressum morbo Eucharistiam deferre, cum longius ille abesset, videretque se non ita, ut oporteret celeriter ad eum pedibus posse pervenire, ascendit equum colloque sanctissimum Christi corpus pixidi inclusum satis honorifice alligavit, iter suum quantocyus accelerans. Cum nonnihil processisset, obvium habuit quendam: qui, ut equo descendens secum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum invitavit. Imprudens homo & cupiditate rei tam stupendæ ductus paruit: vix equo se dimiserat, cum sensit se per aera cum comite deferri & brevi tempore in altissimo montis cacumine statui; ibi amplissima, & amœnissima planicies erat arboribus undique excelsissimis obsepta, rupibus horrendis circumcincta. In medio choros innumeros ac varios ludos cujusvis generis, mensas lautis ac diversis ferculis instructas erat videre, audiebantur etiam concentus quilibet omni suavitate affluentes. Deniq; aderant, quæ animos hominum jucundissimis delinimentis tenere possent, & dulcedine perfusos intima demulcere solent. Obstupefactus improvisa re simplex bonusque Sacerdos, neque eloqui præ admiratione aut hiscere audens, pene extra se positus, attonitusque hærebat. Tum socius, qui eum adduxerat, petiit ab eo, velletne Reginam, quæ ibi aderat, venerari, & munus illi aliquod offerre. In alto quodam solio Regina adsidebat, effigie formosissima, regio cultu, & ornamentis mirificis ornata. Accedebant ad eam prosternentes se humi cuncti, qui aderant bini, quaternive, ordine pulcherrimo, & humi se prosternentes eam colebant, varia munera offerentes. Ad mentionem Reginæ homo, cum videret eam sic fulgentem, & ministris plurimis cinctam, putavit esse Matrem Christi, cœliq; &*

terræ

terræ Reginam. Neque enim suspicabatur ullas præstigias, dæmonumque spectra, alioquin eò non appropinquasset. Reputans igitur secum, quid illi dono daret; æstimavit nihil ei gratius aut jucundius futurum in munus, quam filÿ corpus, accessit & ad pedes accidens in modum supplicis, arculam, in qua erat augustissimum Sacramentum, è collo detractam, in gremio mulieris illius posuit. Mira res, omnia continuo evanuere. Perculsus hujusmodi novitate homo rudis, & præstigiis irretitum se videns, & in horroribus densissimis & lustris destitutum conspiciens, opem divinam tremens implorare, ut è tantis ipsum anfractibus expediret, cumq; diu per loca invia silvásque vastissimas errasset, vix tandem pastorem reperit, à quo ductus didicit, se millia centum à loco abesse, quo Eucharistiam deferre cupiebat. Ad suas tandem sedes reversus, rem totam detulit ad Magistratus; contigit hoc imperante Maximiliano. Hæc Comes Mirandulan. Palladius in hist. Lausi. cap. 16. tradit, Uxorem cujusdam Ægypti maleficis carminibus sic affectam fuisse, ut aspicientibus equa videretur, cum tamen sermonis humani usum retineret. Adducta mulier à marito ad sanctum Macharium: qui eam liberavit & dixit, tantum dæmonibus in misellam licuisse, eo quod multo tempore ab Eucharistiæ perceptione abstinuisset: frequentius proinde ad eam accederet.

G. IV. *Contra hostes tuetur.*

Hac de causa Christus iturus cum suis ad passionem, prius Eucharistiam instituit & ipse sumpsit (non in remedium suũ, sed in exemplum nostrum) ac suis distribuit, ut nos idem in omni tentatione & tribulatione facere doceret.

H. VII. *Beneficia extraordinaria confert.*

Septimo. Beneficia confert extraordinaria. Cyryllus Alex. l. 4. in Ioan. c. 17. *Mihi crede, ait, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit.* Refert S. Gregor. l. 3. dial. quendam mutum susceptione hujus Sacramenti recipisse loquelam. Evagrius l. 4. c. 14. narrat puerum Hebræum post susceptionem Sacramenti in fornacem ardentem projectum incolumem extitisse, de quo alibi. Multi multo tempore sola Eucharistia sustentati fuêre. Sic enim in vitis PP. legimus Sanctos nonnullos sine cibo, sola Eucharistia sustentatos, vitam sanam & longævam egisse. Pallad. in Lausiac. cap. 15. scribit Ioannem Monachum cibum nunquam sumpsisse, nisi die Dominico Eucharistiam: hanc enim solam ei Sacramentum fuisse & victum. Sic Severus Abb. Dominico die Eucharistia & modico pane refectus per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludovicus pius Imp. in supremo morbo, quo obiit, totos quadraginta dies jejunus transfegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, ut, qui adfuit ei, scriptor testatur, inquit Thomas Bozius tom. 2. l. 25. de signis Eccles. c. 2.

Scribit Sigebertus in Chronico anno Domini 823. in ditione Tullensi puellam quandam duodennem, sumpta in paschate Eucharistia per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oigniacensis in Belgio sanctitatis fama celebris infirma cibum omnem respuebat, sola Eucharistia vivebat & valescebat: ac subinde facies ejus quosdam ex se radios lucis vibrare & diffundere videbatur, inquit Card. Vitriaco in ejus vita l. 2. c. 12.

Scribit S. Gregorius Nazianzen. orat. 19. in funere patris, patrem suum ardentissima & diuturna febri exhaustum sumpta S. Eucharistia convaluisse, ac subjungit idem miraculum matri suæ aliquanto post contigisse. *Nam cum nunquam non, inquit, dolore premeretur* (Mater) *& quidem persæpe singulis diebus atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus tamquam ex edicto & imperio fugatus se subducebat.* Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ, scribit illam ad S. Eucharistiam orantem, à membrorum omnium dissolutione, ac gravissimis, quibus angebatur, sanitati sibique restitutam. S. Ambrosius in funere Satyri fratris sui, scribit eum Eucharistia ad collum appensa è naufragio incolumem enatasse.

Surius in Commentario suo scribit anno 1567. ult. Iulii, exemplum memorabile. *Cum patibulo septem addicti jure fuissent apud Harlinghen Phrisiæ, ex iis unus duntaxat ad fidem Catholicam se recipiens peccata sua cuidam Franciscano Patri confessus est, petiitque Missam fieri, in eaque sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi: quod cum factum esset, atque ille cum aliis suspensus animam exhalasse putaretur, animadvertit præfectus, eum etiamnum animam agere: jussit igitur Lictori, ut mortem uno adhuc saltu illi acceleraret: quod cum ille tentaret, funus ruptus est: at ille humi collapsus paulo post tum à Deo, tum à præfecto ore titubante veniam & petiit & impetravit, traditusque Chirurgo curandus, hodieque fortassis adhuc superest: quotquot vero spectaculo illi aderant, miraculi loco istud habuere, quod sacrosanctæ Eucharistiæ virtute a morte servatus esset homo ille. Et multi sane in Phrisia hac re permoti quotidie redeunt ad Catholicam Ecclesiam. Est etiam de fune facta diligens inspectio coram illustrissimis præsidibus, certoq; compertus est, eundem fuisse, quo cæteri essent strangulati, minusque quam cæteri ponderis habuisse, sicque ruptum fuisse, ac si ense dissectus esset.* Hæc ille.

Quanto igitur tantæ & tot virtutes exeunt de Christo in Eucharistia, quæramus & contendamus eum tangere, cum turba hodierna, & quidem frequenter, &c.

CONCIO VI.

REMEDIA CONTRA IMPAtientiam ægrorum, à Christo profluentia.

I. *De ore Christi impatientiæ antidotum.*
II. *Ex oculis Christi.*
III. *De manibus.*

VI. E vulneribus.
V. Ex veste.

THEMA.

Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes, Lucæ 6.

MAtthæi c. 9. legimus oblatum Christo paralyticum, ut ab illo curaretur. Dominus curationem ejus aggrediens ab animæ incipit ægritudine & ait: *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Postmodum verò corpus sanat ac dicit: *Surge & ambula.* Quid hoc sanandi ordine voluerit sibi Dominus, non est difficile conjectu. Voluit enim insinuare, quam perperam agant homines, qui corporis tanquam curam quærunt, de cura vero animæ nihil prorsus cogitant; cum tamen animæ ægritudines longe graviores sint morbis corporis. Et verò morbos corporis sæpe consequuntur etiam morbi animi, indignationes, impatientia, murmurationes etiam de ipso Deo, & interdum desperatio; quæ longe periculosius animum affligunt, quam omnes febres, podagræ, hydropes, &c. Sed plerique hominum de his nihil sunt soliciti, soli corporis ægritudini maximis laboribus & impensis quærunt remedia. At non videtis miseri, quam perperam agatis? Curatis pedem, stomachum debilitatum relinquitis, unde tota corporis sanitas pendet. Curatis servum, Reginam deseritis. Non est hoc quod docuit Dominus: prius animæ medendum est, postea primum corpori. Sed ubi nobis, inquis, morborum animi Medicus? En hodierno in Evangelio Christus, quem *omnis turba quærebat tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Qui corpora sanari à Christo cupiebant, corporaliter eum tangebant. Qui spiritu sanari per Christum cupiunt de morbo impatientiæ, &c. Spiritualiter eum tangant, consideratione videlicet & meditatione, Missa igitur nunc, tamquam minus necessaria, corporis cura accingamus nos ad curam animæ contra morbos illos, qui corporalem ægritudinem ordinarie consequuntur. Tametsi enim forte nunc ægri non sumus, erimus tamen aliquando & forte sæpius: colligamus nunc cum formicis in æstate valetudinis fruges salutaris doctrinæ, pro hyeme ægritudinis.

B. I. *De ore Christi impatientiæ antidotū.*

Primò. Virtus sanandi hanc impatientiam exit de ore Christi, qui sicut solo verbo multos curavit infirmos, uti filium Reguli & Puerum Centurionis, filiam Chananææ, &c. ita etiam curare infirmitatem impatientiæ potest. Audiamus præscriptum Archiatri nostri: *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam,* Matth. 16. Ioannis 12. dicitur: *in vitam æternam custodit eam.* Sed quomodo quis perdet animam? *Id faciet* (inquit S Bern.) *aut vitam suam tradendo in mortem, sicut Martyr, aut eam affligendo, sicut pœnitens.* Martyrium autem non solum illud intellige, quod à persecutoribus infertur, sed etiam quod per dolores, afflictiones, morbos, &c. à Deo solo provenientes. Certo igitur tibi persuadeas, si verus Christi discipulus esse, & animam tuam invenire & custodire in vitam æternam velis, alterutro modo eam tibi esse perdendam, sive per spontaneam tui mortificationem, sive per cruciatuum & dolorum (undecunque tandem illi tibi immitantur, sive à Tyranno, sive à Deo) patientem exantlationem; alioqui te non tam Christi quam Epicuri discipulum fore, faciendo nimirum carnis tantùm curam in desideriis, ut dicitur ad Rom. 13. nec animam tuam te inventurum in cœlo, sed perditurum. Elias maximæ sanctitatis & austeræ vitæ vir per turbinem in cœlum raptus est, 4. Reg. 2. ita etiam per turbinem cruciatuum & dolorum, & ut Apostoli dicunt Actor, 12. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; Id quod ipsi facto suo egregie comprobarunt: Alii enim eorum secti sunt, alii lapidati sunt, alii præcipitati sunt, alii crucifixi sunt, alii in oleo assati sunt, alii capite truncati sunt, alii ut Bartholomæus excoriati sunt. Noverat nimirum noster Bartholomæus id, quod ipse dæmon testatus est, Iob. 2 *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*, id est, omnia temporalia bona, & ipsam quoque pellem perdere oportet, si quis pellem immortalitatis induere desiderat. Cæterum hanc suam excoriationem Bartholomæus, sua martyria cæteri Apostoli patientissime tulerunt, & virgam Dei ad se extensam (more Assuero usitato) velut divinæ benevolentiæ signum exosculati sunt.

Noli igitur aliam tibi fingere viam: Regia & sola ad cœlum via crucis est & patientiæ: Non dico tamen, ut tu infirmitatem quæras aut culpabilem ei præbeas occasionem: sed ut SS. Martyres imiteris, qui (ut S. Athanasius in Apol. pro fuga sua ait) prudenter subducebant se ab ira Tyrannorum, uti & ipse S. Athanasius; quando autem eos Deus eorum manibus tradebat, cum hilaritate Martyrium acceptabant. Similiter & tu prudenter debes sanitati tuæ consulere: si tamen ægritudo tuam domum inviserit, gratanter eam velut à Deo missam accipito.

C. II. *Ex oculis Christi.*

Secundo. Exit de oculis Christi, id est, de providentia Dei, quia uti Christus oculorum suorum obtutu, spiritualem Petri infirmitatem curavit: ita si consideremus divinam providentiam acutissime videre nostrorum morborum & dolorum causas, remedia, præmia, vires nostras ad tolerandam, & quas ipse ex gratia addere potest, nequaquam habemus causam ullam impatientiæ. Mundus & terrarum Domini sæpe non vident quem, qua ratione, & ob quid puniant; ideo sæpe modum excedunt imprudenter ac inique sæviunt. Idem facies & tu si tibi ipsi mederi velis; vel enim nimio valetu-

valetudinis desiderio nimium pharmaci sumes: vel nimio tui amore, nimis parum sumes, & utrobique peccabis. Non ita Deus, qui optimè novit quid & quantum tibi expediat. Idcirco pulchrè comparatur à Balaam Rhinoceroti: *Deus*, inquit, *eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinoceroti*, Num. 23. Quia enim Rhinoceros cornu infra oculos, super naribus habet (unde nomen habet à ῥίν, id est, *nasus*, κέρας, id est, *cornu*) vidit, quorsum, quem ac quomodo feriat. Ideo pugnans cum Elephante, alvum ejus petit, utpote penetrabiliorem; non ita taurus & monoceros, qui cornua in fronte supra oculos gerunt ac proinde dubie feriunt. Mundus uti taurus & monoceros sæpe imprudenter & dubie ferit, non habito ad finem & modum respectu. Sed Deus uti Rhinoceros, finem ac circumstantias optime expendens. Modo enim ferit aliquem propter gloriam suam, uti cœcum illum à nativitate, Ioannis cap. 9. cœcitate. Et Lazarum Ioan. cap. 11. infirmitate & morte: Et sanctum Iob cap. 2. plagis maximis; licet omnes essent innocentes; Et hoc maximam consolationem parit, quia Christo & Martyribus, qui sine culpa passi sunt, assimilat: Quis autem non malit pendere in cruce cum innocente Christo, quam cum bono quidem latrone, culpæ tamen reo? Modo, ut per ægritudinem peccata tua deleat vel ab iisdem te præservet; Et hoc quid potest esse suavius? Quis enim non eligat potius pruinam quam nivem? lavare manus in aqua quam in igne? Puniri hic quam ibi? Modo ut tuam patientiam ac fortitudinem probet exerceatque; Et hoc est valde gloriosum: Deus enim cum Angelis suis certamen tuum spectat, (sicut Christus Act. 7. S. Stephanum aspexit lapidatum à Iudæis, & sanctum Antonium cæsum à dæmonibus) ut vincentem te coronet. Modo affligit corpus tuum, ut spiritum fortiorem reddat, opera veræ pietatis, ut pœnitentiam, patientiam, pietatem & misericordiam, &c. à te extorqueat, quæ alioqui sanus nunquam eras facturus.

D. III. *De manibus.*

Tertio. Exit de manibus Christi: nam ut extensione manuum, & tactu multos curavit Dominus: ita si consideres ægritudinem, dolores tuos, à manu Dei provenire, habebis statim cur omnem ponas querelam. Posset Deus impedire, & sine dubio impediret omnem ægritudinem, si nobis noxiam judicaret: Magis enim nos diligit, quam ulla mater filium. Si tu hostem haberes, qui te in cubiculo tuo occidere pararet, non posset autem ullo modo ad te penetrare, nisi communicato cum parentibus tuis consilio, & nisi claves cubiculi ab iisdem acciperet, num tu hostem illum timeres, & non potius rideres? an non secure in utramque aurem dormires? Quomodo enim fieri posset ut parentes in necem tuam consentirent, & claves hosti traderent? an non potius claves solicite custodirent teque securum redderent? Idem prorsus existimato facere tibi Deum, modo tu in ipsum non pugnes. Sive enim dæmones, sive mundus, sive Elementa pugnent in corpus tuum, non possunt habere vel arma vel claves ad nocendum tibi, nisi per manus Dei, hoc est, vel imperante vel permittente ipso accipiant. Nihil est igitur quod timeas ullam calamitatem, vel ægritudinem tibi exitialem fore, si Dei gratiam & amicitiam bene vivendo conservare studeas. Verissime tibi dictum existimato, quod Christus de amico suo Lazaro dixit, Ioan. 11. *Infirmitas hæc non est ad mortem*, (animæ videlicet) *sed pro gloria Dei*, & animæ tuæ salute. Ligat enim te compedibus morbi ad salutem tuam, ne ipse elabaris. Falconem ignobilem, inertem & indocilem facile pateris avolare liberum & negligis: sed falconem nobilem & magni pretii, magni industria educas, & pedicas illi injicis, oculosque velas, ne tibi elabatur: Ita Deus Davidi, viro secundum cor ejus & amico plurimis affecto beneficiis, pedicas persecutionis induit, nunc per Saulem, nunc per Semei, nunc per proprium filium; ne ipsi elaberetur; quod agnoscens David, lubens patiebatur: *Dimittite eum ut maledicat*, ait de Semei, 2. Reg. 16. *Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Quis scit si forte respiciat Deus afflictionem meam*, &c. Similiter & Paulus vas electionis erat Deo & Falco nobilissimus, qui volavit ad tertium cœlum, nihilominus tamen Deus induit ei pedicas, stimulum carnis, seu motus concupiscentiæ, quos etiam ter rogatus auferre ipsi noluit, 2. Cor. 12. ne is magnitudine revelationum extolleretur. Agnovit vero medicam Dei manum Apostolus, & sua infirmitate optime contentus fuit. Denique sicut Medicus & mater curam ægro adhibent, interim tamen saccarum porrigunt: Ita Deus in ipsa ægritudine suas mittit consolationes secundum id Psalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ac quemadmodum misit Lazaro canes, qui vulnera ejus lingerent & lingendo lenirent ac sanarent: ita mittit ægro aliquos qui eum consolentur, ei compatiantur & ministrent, &c.

E. IV. *E vulneribus.*

Quarto. Exit ista sanitatis virtus è vulneribus Christi: quorum interventu sanavit ulcus infidelitatis in Thoma. Per eadem & tu sanare impatientiam tuam potes, si cogites Christum fuisse *virum dolorum & scientem infirmitatem*, ut ab Isaia vocatur cap. 53. *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*, ut dicitur 1. Petr. 2. *Et sicut ovis coram tondente se obmutuit*, Isa. 53. Considera igitur quatuor illa infirmitatis incommoda, morbi gravitatem, medicamentorum acerbitatem, ciborum insipiditatem, & inservientium ac Medicorum incuriam, quatuor esse clavos, quibus cum Christo in Cruce fixus pendeas, & gaude quod Christo modo aliquo similis sis, & cum Paulo dicere ad Galat. 2. possis: *Christo confixus sum*

cruci.

cruci. Vilissima res est purpura ex conchyliorum genere, postquam tamen Imperatores ejus sanguine tingere vestes suas cœperunt, nemo non veneratur illam, & maximo sibi honori ducit, purpurâ donari. Et quid sunt tribulationes, morbi & cruciatus, nisi res abjectæ & abominabiles? Atqui ubi Christus in Cruce ejusmodi induit purpuram, & factus est vir dolorum sanguine perfusus; quis non sibi maximo ducat honori, simili decorari veste? Certè S. Franciscus è stigmatibus sibi impressis, dolorem sentiebat; sed & maximam interim gloriam habuit, & sensit consolationem. Exod. 15. legitur Israel murmurasse contra Moysen, quod venisset ad aquas amaras, quæ potabiles non erant: Quare Deus ostendit Moysi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Similiter *si passio Domini ad memoriam revocetur*, inquit sanctus Gregorius, *nihil est adeo durum, quod non æquo animo toleretur.* Igitur si morbus tibi gravis & acerbus videtur, immitte in eum crucem Domini, & cogita eum quoque & longe gravius infirmatum fuisse: si medicamenta tibi aspera videntur, si cibus insipidus, intinge ea in Christi vulneribus, & cogita eum acerbiora propter te devorasse, fel & acetum, probra, contumelias, &c. Cujus rei exemplum scribit Thomas Cantipratanus lib. 2. cap. 57. part. 26. de Monacho, qui fastidiens panem similagineum quotidianum, Apostasiam cogitabat: cui Christus apparens panem hordeaceum, sed in vulnere lateris sui intinctum, porrexit: qui in melleam ei suavitatem mutatus, tentationem omnem exclusit.

F. V. *Ex veste.*

Quinto. Virtus illa de veste Christi exit. Sic enim & Hæmorrhoissa cum tetigisset fimbriam vestis Christi, sanata est. Fimbriam Christi tangimus, cum tribulationum & infirmitatum mercedem, gloriam æternam consideramus. Ut enim fimbria finis & ornamentum est vestimenti: sic gloria cœlestis laborum & dolorum. Quod si pauculis lapillis, pulcherrimam tibi & pretiosissimam comparare vestem posses, licet eos diu conquirere deberes, quam libenter eos expenderes? Dolores, cruciatus, morbi & tribulationes lapilli sunt, vilissima sunt, quia & communissima (nec ea quis emeret hic teruntio) at in cœlo ista multum valent, quia pecunia sunt, qua gloria cœlestis comparatur, nec in cœlo reperiuntur, quia nullus ibi dolor, &c. Quis ergo non libenter commutet cum æterno gaudio & beatitudine, temporalem ægritudinem & tribulationem, tametsi aliquo labore constet? Hinc sanctus Franciscus cum aliquando nudus in urgente frigore à quodam visus, interrogaretur, num aliquid sudoris vellet vendere; graviter respondit & sapienter: *Tibi quidem non vendam, qui eum contemnis, sed Christo, qui magno pretio illum emit.* Denique sanctus Antoninus 3. p. Chron. tit. 13. cap. 4. §. 10. scribit, sanctum Dominicum aliquando invisisse quandam fœminam nomine *Bonam*, Romæ circa portam Lateranensem habitantem, quæ gravi infirmitate tentabatur, siquidem ejus pectus plurimis scatebat vermibus, id mali tamen patientissime tolerabat. Petiit igitur sanctus Dominicus ab illa vermem unum sibi porrigi: quem cum in manus sumpsisset Dominicus, subito vermis in gemmam pretiosam mutatus apparuit: quem illa vix precibus & lachrymis à viro sancto impetratum, statim pectori suo restituit: quæ mox iterum in vermem versa est. Simile quid legimus Isa. 6. ubi Angelus Domini calculum manu tenuit, quem forcipe de altari tulerat, eoque labia Isaiæ tetigit. Quo loco calculus & carbonem significare potest ignitum, & carbunculum gemmam pretiosam, ut vertit sanctus Hieronymus. Carbunculum ergo Angelus forcipe de altari tulit, quasi tunc videretur esse carbo ignitus: sed acceptus & de prope inspectus, deprehensus est carbunculus, ut advertit Alcazar in Apoc. 2. Talis prorsus ægritudo est, quæ de procul videtur esse carbo ignitus & adurens, melius inspecta deprehenditur esse gemma pretiosa. Viden' igitur, quid valeant apud Deum, dolores & cruciatus? gemmæ sunt & omni re creata longe præstantiores. Unde vere dixit Apostolus ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quam fulgebit in cœlo pellis Bartholomæi? Quam purpuram non superabit?

Contra vero impatientia plurima affert mala & longe majora, quam sint ea, quæ toleras. Dum enim in murmurationem, vel iracundiam, vel desperationem aut impatientiam cadis, in longe gravius malum incidis, utpote de malo pœnæ in malum culpæ, & præterea malum tibi conduplicas. Atque ita instar pisciculorum de sartigine in ignem saltas. Cervus illaqueatus dum laqueos nititur excutere, magis induit: avicula visco retenta, dum eluctari conatur, magis inviscatur. Et præterea totum ægritudinis meritum, quod habere poteras vel habuisti, perdis: opus sæpe multorum dierum. Cogita igitur nunc utrum cum Catharina Senensi hic spineam potius eligere coronam, an roseam velis. Illa certe mox spineam elegit & capiti suo impressit, sperans ibi roseam: metuens vero ibi spineam, si hic roseam elegisset.

CONCIO VII.

RITUS INAUGURATIONIS Summi Pontificis.

I. In conclavi.
II. Ad S. Petrum.
III In Laterano.
IV. In sede marmarea.
V. In Palatio.

THE-

THEMA.

Elegit Simonem, quem cognominavit Petrum, Luc. 6.

A. MUlta fabulantur Hæretici de Papa ejusque electione, Auditores. Quibus os obstruendum videtur, arrepta occasione ex hodierno Evangelio, in quo legimus electum rite à Christo, Petrum Apostolorum primum adeoque summum Pontificem, & cum eo cæteros Apostolos. Et quia ritus illi, qui in Papæ inauguratione adhibentur, salutares doctrinas continent, eos nunc proponam.

B. I. Concla-[vi] Primo habito & promulgato Pontifice, omnes surgunt ad congratulandum, deinde eum exuunt crocea & caputio parvo, & sic cum suo rochetto faciunt illum sedere super ornata sede, quam locant ante mensam, ubi priores sedebant. Tum imponunt illi annulum piscatoris, sive ad indicandum, quod ipse velut Ecclesiæ caput, totam repræsentans Ecclesiam, per hunc annulum Christo desponsetur, ad fidem ei servandam, juxta id Ose. 2. *Sponsabo te mihi in fide*, sive ad indicandam potestatem Pontificis à Christo collatam Petro ejusque successoribus ad elargiendas & concedendas quascunque gratias decretaque sancienda, &c. Quomodo Assuerus dedit annulum suum Mardochæo, Esther. 8. & Pharao Iosepho, Genes. 41. ubi tamen humilitatis admonetur, dum piscatoris, id est, humilis Petri annulo insignitur. Deinde exquirunt, quo nomine velit nuncupari. Et hoc ad exemplum Petri primi Pontificis, cui Christus mutavit nomen ad designandum futuram ejus excellentiam, quod videlicet inposterum Christi personam repræsentaturus esset, (idcirco enim Deus Petro suum nomen communicavit, Petræ scilicet ut in hodierno Evangelio audivimus) & futurus Ecclesiæ caput, &c. Id vero sibi ipsi imponit, quia superiorem in terris non habet. Solius Petri nomen nemo Pontificum sibi assumit, ob honorem D. Petri. Et in hoc etiam humilitatis memores sunt, dum summa potestate sibi ipsis nomen imponunt, non tamen Petri, quo nomine se indignos censent.

Tum super altare collocatur & imprimis à Cardinalibus, reverentia ei exhibetur, osculo pedum, manuum & oris: veluti Christi Vicario, Domino, amico & Patri. Aliàs Cardinales manum, cæteri pedem ejus osculantur. Calumniantur hunc morem hæretici, quod Papa recipiat osculum pedis. Sed non considerant insani, prædictum inprimis hoc ab Isaia cap. 49. dicente: *Erunt Reges nutricii tui & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et cap. 60. *venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi.* Hoc enim de Ecclesia prædictum, si ejus capiti non convenit, cui membro ejus conveniet? Non advertunt hoc ipsum prophanis quibusdam Regibus fieri solitum, uti apud Parthos. Quanquam summi Pontifices nequaquam sibi arrogarunt, sed ab ultrò offerentibus solum receperunt hunc honorem, & accipiunt non tanquam privatis suis personis, sed tanquam Christi Vicariis debitum: unde & calceo rubro holoserico crucem appictam gerunt, ut ostendant se non tam pedem quam Crucem, seu Christi personam osculandam exhibere. Non advertunt antiquissimum hunc esse morem apud Christianos receptum: accidendi scilicet ad genua Pontificum, imo etiam sacerdotum quandoque & Episcoporum, id quod S. Ambrosio fecit Theodosius Imper. Legitur in Vita S. Sabinæ Virginis, & Martyr. Maximus Caij Papæ pedes osculatus esse, apud Baron. Anno 294. Idipsum ab aliis hactenus observatum. Dixisse etiam Christum Ioan. decimo septimo ad Patrem; *Gloriam* (ut habetur in græco) *quam dedisti mihi, dedi eis.* Hoc fecerunt Papæ Pipin. Rex Franc. Carolus M. Imp. ejus filius Ludovicus Pius, Fridericus I. &c.

Interim Prior Diaconorum aperta Sacrarii fenestella, qua populus expectans videri potest, Crucem profert alta voce clamans: *Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus: Reverendissimus Dominus Cardinalis N. electus est in summum Pontificem, &c.* Tum pulsantur campanæ, & omnis generis signa lætitiæ eduntur. Merito & hoc fit: Maxima enim Dei gratia est, habere Pontificem novum ritè & concorditer electum, sine schismate ac turbis in tam longa & continua serie, quæ certissima fidei nostræ nota est & comprobatio: Quo plures enim fiunt indies Pontifices, eo fortior catena, & invincibilior. Petra hæc hæreticis clavus in oculis est, lancea in lateribus, qui nil mallent, quàm videre scissuras in nobis: & jam dudum sperabant interitum hujus Cathedræ juxta Lutheri pseudoprophetiam.

C. II. Ad S. Petrum. Secundo. Ex conclavi descendit ad sanctum Petrum & prostratus ante altare orat: tum exeunte eo de capella S. Gregorii, cæremoniarius incendit stupam coram eo & genuflexus ait: *Pater sancte sic transit gloria mundi.* Idque tertio facit, distinctis spatiis. Tum procedit per navim ipsius Capellæ, ubi sepulchra sunt Romanorum Pontificum è parietibus eminentia: ut in summa hac festivitate & pompa etiam mortis reminiscatur. Ad Exemplum nimirum Christi, qui in ipsa transfigurationis suæ gloria, de morte sua sermocinatus est, & in pompa triumphali flevit super Hierusalem. Ne igitur ullatenus ob summum honoris fastigium efferrentur, hisce monitis frænum sibi imponere voluerunt: ut se quoque mortales esse meminissent. Quæ res ostendit maximam Pontificum humilitatem; siquidem hæc ipsi sibi procurarunt & exhiberi jusserunt, ut omnibus notum facerent, sed honoribus illis nec allectos nec affectos, sed præter voluntatem & merita sua ad

eos se evectos esse, nec eos magni æstimare. Ut mirum sit, quomodo mentiantur hæretici Papam divinos sibi honores assumere & requirere.

D. III. *In Laterano.*

Tertio. Procedit ad Lateranum, humili equo, vel in sella gestatus, sub umbella. Non quasi, ut vulgus credit, terram nunquam contingere debeat: (hoc enim falsum) sed ob reverentiam: Sic enim & Christi pedibus Iudæi & Apostoli vestes substernebant. Dignior Princeps, qui adest (etsi Imperator sit aut Rex) pro recepto more, Papæ equum ascensuro stapedem tenet, & aliquantum fræno equum ducit: quod tamen modeste detrectat Papa: & post aliquot passus omnino subsistit, officium recusans: ad quod alii duo magni nobiles substituuntur. Si in sella gestatur, quatuor majores principes sellam aliquantulum portant, sed magis ob reverentiam, quàm ut pondus gerant, siquidem alii quatuor ad hoc adsunt. Hæc vero officia non ipse Pontifex exigit; sed ultro oblata modestè primo recipit, & humiliter mox detrectat: prius agit ut Christi Vicarius, posterius ut persona propria. Legimus enim Christum acceptasse hoc genus officii à Iudæis. Certum hoc præstitisse pontificib. non unum, sed plures Reges, Boz. design. Ecclesiæ 20. cap. 5. Ludovicus Franc. & Henricus Angl. Reges cum scirent Alexandrum III. ad eos venire, progressi obviam, stratorum functi officio, dextra lævaque equi frænum tenuerunt, & ad hospitium paratum sunt comitati. Non enim intuebantur eum ut hominem, sed veluti ipsum Christum, cui servire regnare est. Porro hæretici, qui hunc honorem Papæ invident, similes sunt Pharisæis, qui à turbis acclamantibus Christo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: Dicebant Domino: *Magister increpa discipulos tuos.* Sed respondet Dominus. *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, Luc. 19.

Porro Iudæi in certo loco cum sua lege observant & expectant transeuntem Pontificem, eamque genu flexi Pontifici offerunt, lingua Hebraica dilaudantes eam & hortantes Pontificem ut eam veneretur. Quibus is respondet: *Sanctam legem, viri Hebræi, & laudamus & veneramur*, *utpote ab omnipotenti Deo per manus Moysis patribus vestris traditam: observantiam verò vestram & vanam interpretationem damnamus & improbamus, quia Salvatorem, quem adhuc frustra expectatis, Apostolica fides jam pridem advenisse docet & prædicat Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.* Sed ad quid Iudæi Romæ? Primo ad fidei nostræ confirmationem: ut sic agnoscant illi miseriam & cœcitatem suam, dum Ecclesiæ Christi subesse ut mancipia coguntur, eoque loco, à quo ipsis exitium partum, & in quem sacra eorum translata sunt. Secundo ut ibidem convertantur: Ibi enim ad concionem Christianam hebdomatim audiendam adiguntur, unde aliqui convertuntur: cæteri confunduntur.

E. IV. *In sede marmorea.*

Quarto. In æde Laterana, ducitur à Priore & Canonicis illius Ecclesiæ ad sedem marmoream stercorantiam (non ob Ioannem Pseudo-Papam, ut hæretici mentiuntur) sed ut iterum meminerit humilitatis & quis fuerit: Ibi occinitur ei versiculus: *Suscitat de pulvere egenum & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.* Hac enim cæremonia ostendit se hac gloria indignissimum & optime nosse, quis fuerit & quis sit: vult enim Pontifex indicare, quod nihilo se meliorem aliis reputet, sed conditione naturali omnibus parem. Propterea etiam Papa, id est, Pater, vocari vult, non Dominus: aliosque omnes fratres vel filios vocat.

Tum quantum pugno potest complecti pecuniarum, ubi tamen nihil prorsus sit argenti & auri spargit inter populum dicens: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do*: ad designandam paupertatem spiritus, qua in mente præditus, pecuniis nequaquam afficiatur, nec appetat aliena, sed bene & parcè utatur suis, liberaliter elargiatur, &c. Hinc tamen non sequitur, ut donata Ecclesiæ bona abjicere debeat; utpote sine quibus conservari sedes non posset. Alia ratio fuit Apostolorum, & alia Pontificum: alia illius temporis, alia posterioris.

F. V. *In Palat.*

Quinto. Ab Ecclesia sancti Ioannis per pontem ligneum ascendit ad Palatium Lateranense, & postea ad Capellam sancti Sylvestri, ibique sedens in porphyretica sede, accipit à Priore Ecclesiæ Lateranensis genu flexo, ferulam in manum, in signum correctionis & regiminis: & claves Ecclesiæ & palatii, in signum potestatis claudendi & aperiendi, ligandi & solvendi. Deinde sedens in altera porphyretica sede ad aliam partem, restituit eadem dicto Priori: veluti relicturus hæc post se Ecclesiæ, ubi de sæculo hoc ad aliud migrarit, vel quod paratissimus sit hæc libentissime mox deponere, & aliis concedere.

Tum præcinctus cingulo rubro serico cum bursa item rubra, in qua sunt duodecim lapides pretiosi cum musco: capit denarios argenteos omnifariam è gremio Camerarii, quotquot potest continere, & super populum spargens dicit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*, idque ter facit. Quo denotat dispensationem thesauri Ecclesiæ, è Christi & Apostolorum maxime meritis constantis: è quo largiter concedere queat indulgentias, vel etiam ob dispensationem bonorum temporalium quam facturam se in pauperes polliceatur: uti plerique fecere Papæ. Gregorius Magnus inprimis, qui successorem Sabinianum tenacitatis in somno sæpe arguit, & demum in capite percussit, unde dolore vexatus postea obiit.

Nostrum est jam rogare Dominum Deum ut & Pontifici nostro adesse & Ecclesiæ hostes omnino profligare velit: *Ut ita sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi: In sanctitate & Iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

CON-

CONCIO VIII.

DOCUMENTA ex Evangelio.

I. *Quid in electionibus faciendum?*
II. *Modus orandi.*
III. *Primatus Petri.*
IV. *Nova nomina Pontificum & Religiosorum.*
V. *Unio in Ecclesia.*
VI. *Peccatores ultimo loco.*
VII. *Non mirum si aliqui mali in communitate.*

THEMA.

Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, Luc. 6.

A. Dilecti in Christo, faciemus in hac concione quod fieri in messe solet. Ibi enim alii agrum demetunt, alii spicas derelictas colligunt. Postquam ergo ex agro hodierni Evangelii multa jam messuimus, nunc cum pauperibus colligere spicas, id est, reliqua documenta minus præcipua volumus: quod eo libentius faciemus, si meminerimus S. Evangelium esse agrum illum, de quo Dominus Matth. 13. ait: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* In quem locum ait Origenes in cap. 13. Matth. tom. 2. *Agro non est dissimilis sacra scriptura, in qua reconditus est inæstimabilis thesaurus sapientiæ Dei.* Cum ipso sentiunt August. l. 1. quæst. Evang. c. 13. tom. 4. Hieron. in c. 13. Matth. tom. 9. Quando igitur tam pretiosus thesaurus latet in scripturis sanctis, præsertim in Evangelio, tanto majori studio ac diligentia conabimur eum inquirere & minima quæque rimari.

B. I. *Quid in electionibus faciendum.* Primo, Discimus quid in arduis negotiis & in specie quid in electionibus facere debeamus. Etenim primo Christus antequam eligeret duodecim Apostolos, prius ascendit in montem, & ibi pernoctavit in oratione. Unde S. Ambros. in hunc locum ait; *Quid te facere convenit cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus Apostolos oravit prius?* Quod postea observatum ab Ecclesia. Sic enim Actor. 1. ante electionem Matthiæ in sortem Iudæ proditoris, Apostoli prius oraverunt Deum, ut ostenderet eis, quem eligere deberent. Sic Act. 13. prius jejunabant & orabant, antequam Paulo & Barnabæ imponerent manus, & munus prædicandi, unde & Ecclesia instituit jejunia quatuor temporum, pro sacerdotum ordinatione.

Secundo, non processit ad electionem de nocte, sed expectavit diem: *Et cum dies factus esset, vocavit ad se discipulos,* ait Lucas: sic etiam non fortuito absque examine, aut ad nudam aliorum relationem eligendi sunt sacerdotes, Magistratus, &c. sed exploranda singulorum vita & mores atque habilitas: siquidem ex illis pendet multorum salus.

Tertio: *Vocavit ad se, quos voluit ipse,* ait, S. Marcus cap. 3. docens ambitionem & amicorum intercessiones à Christo non admissas: sed qui placebant ipsi, hos elegisse (si quidem & Iudas tunc bonus erat) & similiter tales eligendos, non qui nobis, sed qui Deo placeant: nec qui ambitu quærunt dignitates, sed potius qui fugiunt. Quod utinam in electionibus suis servarent homines; quid enim insulsius & iniquius, quam ad aliorum preces ordinare vel eligere inidoneos? Plerumque etiam qui ambiunt honores, inhabiles sunt. Unde lex, si quamquam Cod. de Episc. & Cler. dicit: *Quæratur cogendus, qui rogatus recedat, invitatus fugiat. Profecto indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Sic lex.

Ad eandem orationem in similibus negotiis confugere oportet: ut cum parentes suis liberis statum eligere volunt, vel cum quis sibi ipsi. Solent dicere parentes de suis liberis: Iste debet mihi fieri miles, ille canonicus, tertius aulicus, ista materfamilias, illa monialis, &c. Non considerantes, quod facillime in hoc errare possint, & liberos in ruinam impellere. Rogare deberent Deum, ut eos ad competentem statum vocare dignetur, qui solus novit, quid illis competat, debent etiam considerare eorum inclinationes & talenta.

C. II. *Modus orandi.* Secundo. Discimus modum & rationem orandi. Primo enim Dominus oraturus ascendit in montem. Ita nos oraturi mentem à terrenis rebus avocare, & ad Deum elevare debemus per præviam præparationem, cogitando nimirum quid & cum quo locuturi simus, juxta id Eccles. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Ut enim is illuderet patrifamilias, qui pulsaret ejus fores, & illo aperiente mox recederet vel ludicram rem quæreret: Sic etiam qui inconsulto Deum adit precaturus. Unde etiam fit ut tales mox distrahantur, & alio se conferant suis cogitationibus, quod est Deum tentare & quodammodo illudere. Ambros. in cap. 6. Luc. super hunc locum ait? *Ille non ascendit in montem, qui de sæculo, divitiis aut honore solicitus est; non ascendit in montē, qui fundi jus optat alieni. Ascendit ille, qui Deum quærit, &c.* Non ascendit etiam montem, qui ingrediens templum ad orandum, ilico caput in pileo condit, & cortuit in sedem velut truncus. Aliter longe S. Narcissus Augustam veniens, & cibum in domo Afræ sumpturus, prius toto corpore, vultu & oculis ad orationem se adeo devote composuit, ut inde compuncta Afra, & velut miraculo obstupefacta, ad ejus se pedes abjecerit, & turpem vitæ suæ labem ultro confessa sit atque absterserit.

Secundo, oravit de nocte; docens orationi congruum esse locum obscurum & solitarium, quo nimirum sensus minus distrahantur. Unde S. Antonius pernoctabat in orationibus, & mane adventante diem accusabat, quasi causam distractionis, dicens: *Quid me impedis sol? qui ad hoc jam oriris ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate?* Cassian. Coll. 9. cap. 31. Hinc apud primos Christianos preces nocturnæ frequentissimæ erant: utinam forent & nunc, ita saltem ut ad matutinas horas vel Missas mane conveniremus!

Tertio, pernoctavit in oratione, docens perseverandum in eadem. Si enim Christus Dei filius non ilico exauditus est in suis orationibus, sed per integram noctem ad fores Patris sui pulsare & stare permissus est, (uti in primis patet in monte Oliveti.) Quid conquerimur nos servi? Unde Ambrosi. in hunc locum ubi supra ait: *Species tibi datur, forma præscribitur, quam debeas æmulari. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando Christus in oratione pernoctat?* Optima argumentatio: Si enim nostra salus Christo adeo cordi fuit, ut causa illius pernoctaret: an non magis eadem nobis cordi esse debet?

D. III. *Primatus Petri.*

Tertio. Discimus Petro primatum à Christo promissum & postea collatum, hic confirmari; siquidem ordine primus ab omnibus recensetur Evangelistis: Et Matth. 10. expresse dicitur: *Primus Simō, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, &c.* Non dicitur secundus Andreas, tertius Iacobus, &c. quia de reliquorum ordine non laborabant Evangelistæ. Similiter quoties alibi nominantur Discipuli, semper Petrus velut Paterfamilias aut Dux aliis præponitur. Ut Marci 1. *Simon & qui cum eo erant.* Et cap. 16. *Dicite Discipulis ejus & Petro.* Et Act. 2. *stans Petrus cum undecim.* Sic Luc. 8. & 9. omnium nomine respondet. Signum ergo est, denotari hic primatum Petri: non ratione vocationis, nec ætatis; nam Andreas ipso senior & prior vocatus erat; nec ratione sanctitatis: quis enim credat Evangelistas ausos esse de Apostolorum sanctitate discrimen & judicium ferre? Quod si Paulus ad Gal. 2. Petrum inter Iacobum & Ioannem medio loco ponit, vel ibi rationem dignitatis non habuit, vel quia Iacobus senior & Episcopus, eo loci, scilicet Ierosolymæ erat. Ut taceam aliquos Patres in textu Petrum præponere, adeoque fortasse immutatum esse textum. Est ergo hic locus hæreticis clavus in oculis & lancea in lateribus, qui primatum Petro & ejus Successoribus denegant, non enim tam constanter omnes Evangelistæ Petro primatum darent, si eum non esset à Christo sortitus. Neque Iudam omnes ultimo loco posuissent, nisi Apostolorum indignissimus & Magistri proditor fuisset, neque in solo cæterorum & Apostolorum numero dissentirent, si ejus aliquam rationem habendam censuissent.

E. IV. *Nova nomina Pontificum & Religiosorum.*

Quarto. Discimus non male fieri, cum summis Pontificibus & Religiosis nova imponuntur nomina. Hoc enim fecit Dominus, cum Petrum vocavit Simonem, filios Zebedæi *Boanerges.* Voluit enim illis insinuare, quales esse debeant, Petrus fundamentum & Petra fidei immota; cæteri duo prædicatores eximii, &c. Sic Pontifex novum accipit nomen, ad exemplum Petri, & ut noverit se jam novam repræsentare personam debere, Christi videlicet Vicarium in terris: similiter Religiosi, qui exuto veteri & sæculari homine, novum & spiritualem induunt. Fabulantur aliqui cum hæreticis nominis mutationem in Pontificibus Romanis originem traxisse ex Sergio Pontifice, quod prius vocaretur os porci. Sed fallunt. Nam Sergius Quartus (non Secundus ut illi putant) dicebatur quidem Buccaporci, id est, os porci, cognomine; non tamen ob hoc mutavit nomen, sed quia vocabatur Petrus nomine Proprio. Mutavit autem hoc nomen ob reverentiam S. Petri: quod nulli alteri Pontifici commune fuit. Ut Baron Anno 1009.

F. V. *Unio in Ecclesia.*

Quinto. Discimus charitatem mutuam & unionem cum Ecclesia perpetuo servandam. Etenim ea de causa semper bini & bini Apostoli nectuntur & recensentur à Luca in hod. Evang. Similiter Matth. 10. Sic binos & binos mittit, Marci 6. sic duo missi ad solvendum Asinum, Luc. 19. Et ad parandam cœnam Petrus & Ioannes, Luc. 22. Nec male Marcus omnes Petro connexuit copula illa: Et nimirum hic nexus Sacramentum charitatis est. Et bini nectuntur: *quia duo sunt charitatis præcepta: vel quia omnis charitas minus quam inter duos esse non potest*, ait S. Augustinus l. 2. quæst. Evang. Hæc ergo unio Apostolorum totum mundum vicit & convertit: Et hoc nexu juncti sunt inter se & cum sede Romana omnes Catholici, unde inter eos perpetua concordia in articulis fidei & Ecclesiæ obedientia: nequaquam inter hæreticos, quia nexu isto carent. Hinc Ecclesiæ firmitas, quia *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas fortis*, Prov. 18 Hinc fidei propagatio, quia si in ore duorum vel trium stat omne verbum, quanto magis in ore omnium Catholicorum? contra regnum hæreticorum in seipsum divisum, utique desolabitur. Et quis eorum dogmatibus credat, cum iis adeo dissentiant? Alibi probant & usurpant ritus Catholicos, Missam, vestes sacras, lumina in templo, confessionem auricularem, &c. alibi improbant & rejiciunt, &c.

G. VI. *Peccatores ultimo loco.*

Sexto. Discimus quo loco sint peccatores in Evangelio; ultimo nimirum; siquidem Iudas semper ab omnibus Evangelistis ultimo loco ponitur. Sic Carnifici plerumque ultimo & sordidissimo civitatis loco habitatio assignatur, ne ejus commercio cives honesti se commisceant & contaminent. In hoc mundo omnia involvuntur & plerumque peccatores summis collocantur & se intrudunt locis, justi contemnuntur & abjecti sunt: Unde Psal. 72. *Ecce ipsi peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt divitias,*

tias, &c. Sed non ita erit in regno Dei. Contingit in mundo, quod in domo, quæ non inhabitatur vel occupatur à militibus, ubi omnia involvuntur: at cum Dominus aliquis eam incolere incipit vel ad eam redit, tum omnia suis locis reponit. Mundus hic epulonem primo loco & in splendida mensa posuit; Lazarum vero præ foribus. Sed quando venit Deus mediante morte utriusque, Lazarum posuit in sinum Abrahæ, epulonem sepelivit in inferno. Contendamus igitur in hoc mundo, non pro primo, sed pro ultimo potius loco, ut ibi exaltari & audire mereamur: *Amice ascende superius.*

H. VII. *Non mirum si aliqui mali in communitate.*

Septimo. Discimus mirum non esse, si in quovis cœtu reperiantur aliqui mali, siquidem etiam in ipsius Christi Domini Collegio fuit unus fur & diabolus. Quid ergo mirum si inter plurimos summos Pontifices bonos aliqui mali fuerunt? Si inter multos adhuc Clericos aliqui delirent? si in aliqua domo aut familia reperiantur aliqui reprobi? Neque enim propter unum aut alterum malum, cæteri sunt infamandi aut contemnendi. Quis enim propter unum Iudam culpet reliquos Apostolos? Hinc nota proditoria ab Evangelistis consulto notatus est, ut ejus infamia cæteris non aspergeretur, sed aliorum bonitas appareret & ab opposito magis elucesceret. Neque etiam mirum valde si plures mali nunc reperiantur in aliquo cœtu vel statu, quam boni: quia in schola Christi tam sancta fuit inter duodecim unus reprobus; non adeo mirum, si nunc in aliquo cœtu sint quandoque plures mali quam boni. Ubi enim ejusmodi disciplina, exempla, doctrina, miracula, uti tunc visebantur in schola Christi? Unde etiam sequitur neminem propter paucos malos debere scandalizari. Si enim non legimus ullum Apostolorum vel aliorum in lapsum Iudæ impegisse: cur scandalizemur nos in illis, qui in tali disciplina non sunt? Timeamus potius & cum timore ac tremore salutem nostram operemur, ne quemadmodum Iudas ita & nos aliquando cadamus.

CONCIO IX.
MYSTERIA.

I. Cur noctibus fere oravit Dominus.
II. Cur exiit in montem.
III. Cur elegit duodecim.
IV. Quis ritus electionis.
V. Cur vocavit eos Apostolos.

THEMA.

Venerant, ut audirent eum & sanarentur à languoribus suis, Luc. 6.

A. IUre meritoque assurgimus, Auditores, & stamus in Ecclesia, cum Evangelium nobis prælegitur. Primo quidem, quoniam ipse Dominus in hodierno Evangelio concionem ad populum habens: *Stetit in loco campestri*, ut ait S. Lucas, *& cum eo multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, &* Metropoli ejus Ierosolyma, nec non à maritimis regionibus idolis servientibus, Tyro & Sidone; utique & ipsa stans concionante Domino.

Deinde Iudicum cap. 3. legimus Regem Eglon gentilem, cum locuturus illi Aod dixisset: *Verbum Dei habeo ad te, O Rex*, illico de throno surrexisse, ut stans audiret illud; tametsi Rex, isque obesus & ventricosus, coram alienæ gentis homine, servo & juvene.

Denique quia audimus Dei verbum, ut virtute ejus sanemur à languoribus animæ nostræ. Iure igitur stamus & quidē aperto capite, ut attento animo Dei jussa percipiamus & præcepta exequamur quasi dicentes. Loquere Domine, quia audit servus tuus. Hoc ergo nunc agamus, ut acta hodierni Evangelii attente audiamus.

B. I. *Cur noctibus fere oravit Dominus.*

Quæritur 1. Cur noctibus fere orabat Dominus? Resp. primo, quia dies in docendis & juvandis hominibus & peragrandis castellis ac civitatibus consumere solebat.

Dies ergo hominum curæ, noctes quieti & contemplationi impendit: docens interim nos tempus universum bene & utiliter expendere, & omnia suo tempore agere, ne qua ejus particula sine fructu nobis elabatur. Sic obsessi cives de die pugnant, de nocte restaurant muros seque muniunt & includunt.

Secundo, quia nox ad orandum commodior. *Purior est anima*, inquit sanctus Chrysostomus, *tempore noctis ipsæque tenebræ & silentium possunt ad compunctionem perducere.* Purior autem est anima nocte orans non solum à vana gloria, quam Dominus Matth. 6. vitari oratione jubet, cum in cubiculo vult orandum; Sed etiam à distractione & sensuum evagatione, qui interdiu expatiantur, noctu vero conclusi & collecti sunt.

Magnum autem orationis defectum esse mentis evagationem docet nos Eusebius apud Theodoretum in Historia SS. Patrum cap. 4. *Cum, inquit, divinus Ammianus legisset locum Evangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit magnus Eusebius, ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset; Illis qui arant forte delectatus, minime exaudiisti: suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum unquam contemplarentur, neq; cœlesti pulchritudine & chori astrorum aspectu fruerentur, sed angustissima utens semita, cujus mensuram ajunt fuisse unius palmi ferenti ad oratorium: extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Quin & cum lumbos zona ferrea alligasset & gravissimum collare collo imposuisset, alio ferro conjunxit zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assidue in terram despicere.* Has ipse de se exegit pœnas neglectæ auditionis Evangelii.

Tertio. Quia oratio vigiliæ juncta duplex meritum habet, dum aliis dormientibus, somnum oranti adimit. Voluit nimirum Dominus, velut bonus Pastor vigilare super gregem; & dum ille sibi & somno & plerumque malis operibus (quæ noctu frequentius, quam interdiu perpetrantur) vacat, Deum pro illo exorare & placare. Sic Iob dum ejus filii convivia celebrarent, consurgens diluculo offerebat holocausta pro illis, dicens: *Ne forte peccaverint filii mei, &c.* Iob.1. Commendat ergo hac sua oratione Dominus, & instituit quodammodo Vigilias olim à primis Christianis, & nunc à Religiosis & Canonicis in cantu & oratione celebrari solitas. Damnat vero vicissim Vigilias mundi & diaboli, quibus totæ noctes impenduntur aleis, poculis, tumultibus, fidibus per urbium plateas deductis, furtis, latrociniis, &c. Quæ quidem adhuc sedulo vigent, cum illæ pene defierint.

C. II. *Cur exiit in montem.*

Quæritur 2. Cur in montem exiit orare? Resp. primo, quia legis novæ perfectionem ibi tradere instituerat; Quomodo etiam Moyses legem in monte sibi traditam accepit. Venerabilis Beda inquit: *Mons altitudo est justitiæ, qua instituendi erant Apostoli.* Voluit ergo Dominus ut Apostoli Christianos reliquos, & Christiani gentes alias tantum excellerent, quantum extat mons supra valles.

Secundo. Ut doceret formam orationis, quæ est elevatio mentis ad Deum, & recessum ab hominum consortio requirit, ut attenta & devota esse queat. Sane Moyses cum Deo in monte constitutus intravit in nubem Exod.19. At infra inter populum consistens, non potuit intrare in tabernaculum nube opertum, Exod. 40. quia nimirum in monte, loco ab hominibus remoto facilis est contemplationis locus; Sed non ita in plebe & mundi tumultu.

Tertio. Ut doceret nos fugere subinde mundi negotia & tumultus, ac recipere nos in solitudinem cordis saltem, vel locum aliquem solitarium, ut cum Deo familiarius agamus, errata nostra multiplicia introspiciamus & defleamus mentemque à curis aliis avocemus. Sanè hoc faciendum videtur iis inprimis qui è peccatis emergere vitamque prius dissolute actam seriò emendare volunt, ut videlicet ad tempus saltem se recipiant ad locum solitarium, ubi in piis meditationibus & exercitiis veterem vitiorum pellem exuant & novam virtutum induant. Præbuit hujus rei immortale exemplum Carol. V. Imperator, qui expendens, quam difficile esset inter mundi strepitus & aulæ inprimis atque imperii discrimina immaculatum se custodire, abdicatis omnibus regnis suis in solitarium monasterii locum se recepit, ubi liber à curis & turbis totus sibi & Deo vacaret, atque ad instantem mortem vitamque beatam se compararet, ut reipsâ præstitit perstititque usque ad vitæ finem. Quocirca Franciscus Borgia, olim sub eo Dux Gandiæ, in ejus funere rogatus, ut oratione funebri illi parentaret, hoc Thema proposuit Caroloque adaptavit: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine,* ostendens quam pie & sapienter egisset, qui mundum prius reliquisset, quam mundus ipsum; quod propediem futurum erat. Novum hoc & orbi nostro sæculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Major fuit Carolus in sua eremo, quam in imperio, quia major mundo æque ac seipso. Ita P. Sachinus tom. 2. Annal. Societatis Iesu, ad annum Domini 1558.

Caroli avi sui sensa animi secutus est Philippus III. Hispaniæ Rex, moriens Anno Domini millesimo, sexcentesimo, vigesimo primo, licet enim vitam juste, innocenter & pie traduxisset, adeo ut hoc obfirmatum haberet, malle se omnibus regnis privari, quam scienter Deum vel venialiter offendere; tamen in mortis agone penitius rationem regni administrati Deo mox reddendam considerans & expavescens, in has voces & vota erupit: *Utinam nunquam fuissem Rex, utinam annos, quos in regno egi, exegissem privatus in eremo; utinam vitam solitariam cum Deo duxissem in Thebaide! Quam nunc securius morerer? quam fidentius ad Dei tribunal pergerem?* Ita habet ejus mors typis vulgata, & testantur quotquot ei interfuere.

Ita demum Iacob subinde in agrum egredi solitus est ad meditandum (70. Interpretes vertunt: ad se exercendum) meditando scilicet & orando, Gen.24.

D. III. *Cur ele[gerit] duodeci[m]*

Quæritur 3. Cur duodecim Apostolos elegit? Resp. duas potissimum causas insinuari à sancto Marco. Prima est, ut mitteret eos ad prædicandum. Quemadmodum enim ex duodecim Patriarchis, filiis Iacob, totus Iudaicus populus carnaliter propagatus est: ita voluit Dominus, ut totus populus Christianus spiritualiter ex duodecim Apostolis propagaretur. Venerat enim Dominus, ut carnem in spiritum commutaret.

Secundo. Ut essent cum illo, inquit Marcus, hoc est, ut essent testes actorum & dictorum vitæ, mortis & resurrectionis ejus; itaque omnia ista sedulo observarent: Unde ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta,* Matth.10. & Actor.1. *Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria & usque ad ultimum terræ.*

Præfigurati sunt à viris

Magna dignitas Apostolorum in utroque munere, præconum scilicet & testium. Quos proinde Deus voluit præfigurari tam in viris illis duodecim quos elegit Iosue & vocavit ex omni populo, ut portarent duodecim lapides ex alveo Iordanis usque ad castrorum metam, quam in ipsismet duodecim lapidibus, ad hoc erectis, ut essent signum, ac testes æterni, translatam esse arcam fœderis per Iordanem divisum, adeoque siccis pedibus, Iosue 4. A viris illis præfigurati sunt. Primo, quia è populo electi sunt, à Christo quemadmodum illi à Iosue. Secundo, quia viri fuerunt, animi virtute ac robore va-

re valentissimi. Unde in ipsorum persona Paulus ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. Tertio. Qui jussi tollere duodecim lapides è Iordanis alveo, id est, omne mortalium genus, qui fluxis mundi aquis tegebantur, & in imo gurgitum positi solem nunquam aspexerant. Quartò. Iussi eos deferre ad castra Christi; id est, Ecclesiam tutissimam mansionem. Quintò. Iussi inquam, ferre humeris & sat longo spatio, hoc est, convertere gentes multo labore & sudore. Ita S. Xaverius Iaponiæ & Indiæ Apostolus, antequā in illas partes tenderet, imo ut tenderet, divino commonitus viso est: dum in humeros Indum hominem sibi attollere visus est, prægravem quidē illum & permolestum, sed cui ad æternam felicitatem ea necessaria gestatio foret. Ut est in vita Sancti Ignatii libro secundo, capite decimo sexto apud Ribaden. Asportavit autem suum quisque lapidem, id est, gentem, ad quam missus fuit. Petrus Syriam, Pontum, Galatium, Bythiniam, & & Italiam, Iacobus Major Samariam & Hispaniam, Ioannes Asiam minorem, Iacobus Minor Ierosolymam, Andreas Scythiam & Achaiam, Philippus Phrygiam, Matthæus Æthiopiam, Simon Ægyptum, Iudas Mesopotamiam & una cum Simone Persiden, Bartholomæus Armeniam, Thomas Indiam aliasque, Matthias Iudæam & extremos Æthopas.

D. III. *duodecim lapidibus.*

A Lapidibus verò 1. Quia erant Ecclesiæ fundamenta. 2. Quia durissimi & firmissimi, adversus mundi illecebras & tentationum procellas. 3. Quia in mundi Iordane positi, velut piscatores hominum, & rursum in castris extra Iordanem, quia illorum conversatio extra mundum & in cœlis erat. 4. Quia omnium Christi gestorum testes erant; præsertim resurrectionis ejus, in qua sicco pede Iordanem mortis transiit. Unde nos commonefaciunt divinæ misericordiæ, bonitatis, &c.

E. IV. *Quis ritus electionis.*

Quærit. 4. Quem electionis ritum adhibuit? Resp. 1. prius pernoctavit in oratione Dei (seu divina) 2. Cum dies factus esset vocavit ad se, quos voluit. 3. Elegit ex eis duodecim. 4. Quorundam nomina mutavit. 5. elevatis in eos oculis docebat eos. 6. *Fecit ut essent cum illo,* inquit Sanctus Marcus, id est; ut semper ejus lateri adhærerent. Quibus cæremoniis indicavit sex conditiones necessarias Consiliariis principū & senatoribus, quæ non male quadrant illis, quas vidit S. Ioannes in 24. Senioribus, Apoc. 4.

Primo itaque pernoctavit in oratione Dominus ante electionem, docens Consiliarios devotioni, Dei timori adeoque orationi addictos esse debere, quo consilia bona à Deo, à quo est omne datum optimum, quærant. Sic filii Israel post mortem Iosue consuluerunt Dominum, quis eorum Dux futurus esset, Iudic. 1. Inde in multis amplisque civitatibus moris olim fuit, ut ne Senatores & Consiliarii in consilium irent, priusquam sacro Missæ interfuissent officio, ut testantur sacella ad hoc extructa, Aquisgrani, Coloniæ, & alibi. Fecerunt id & Gentiles aliqui. Plinium audiamus initio Panegyrici: *Bene ac sapienter P. C. ait, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur, quod nihil rite nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Hoc in 24. senioribus expressum fuit, cum prociderunt ante thronum & adorarunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum.

Secundo. Cum dies factus esset, vocavit ad se, quos voluit, diem electionis discipulorum destinavit, non noctem, quia voluit uti apostolos, ita & Consiliarios esse filios lucis, non tenebrarum, hoc est veritati addictos, mendacio vero infensos. Veritas lucem amat quia lux veritatem aperit, mendacium tenebras quærit. Hinc proverbium: Veritatem aperit dies. Hanc requirit Iethro in Moysis Consiliariis Exod. 18. *Viros,* scilicet, *in quibus sit veritas.* Et Ioannes Apoc. 5. cum videt 24. Seniores versari circa librum scriptum intus & foris. Veritatem enim, quam plerumque Consiliarii non audent dicere principibus, dicere solent libri. Hinc Alphonsus Rex interrogatus quibus consiliariis maxime delectaretur: *Libris*, respondit, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. Panorm. lib. 3. de rebus Alphon. Ludovicus XI. Galliæ rex ajebat, se in aula omnibus rebus abundare, una excepta. Rogatus quænam ea esset? *Veritas,* inquit.

Tertio. Elegit ex iis duodecim. Cum dicitur elegisse, utique elegit eos, qui probatis moribus & bona fama essent. Ex horum enim fama pendet fama principis, cujus quodammodo pectus sunt Consiliarii; Ideo 24. Seniores visi sunt in vestimentis albis; morum candorem & innocentiam Senatoribus & Consiliariis necessariam indicantes.

Quartò, Elevatis in eos oculis docebat eos. Debent ergo Consiliarii docti & providi esse, rerum experientia & prudentia pollentes, adeoque non clausos sed apertos & elevatos oculos habere. Hinc in Apoc. Seniores dicuntur illi, quos circa Christum vidit Ioannes. *In antiquis enim est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Iob. 12. Vere Carolus V. Imp. audita nece Thomæ Mori, qui Vir sapientissimus & Angliæ Cancellarius fuit, & Martyr, dixit; *In Moro Henricus Rex Octavus totius Angliæ caput præcidit.*

Quintò. Petri nomen indidit Simoni, filios Zebedæi appellavit Boanerges, id est, filios tonitrui. Ita Consiliarii fieri quodammodo à se alii debent; affectum enim omnem exuere, & magnanimitatem heroicam induere debent, ut sine respectu aut discrimine jus omnibus dicant, sintque velut Petræ immutabiles, & in ferenda justitiæ sententia filii tonitrui. Quam ob causam 24. Seniores habere in capitibus coronas visi sunt, quasi regio animo & liber-

libertate præditi, ut ne obsequantur cupiditatibus Principum, sed libere, quod æquum est, pronuntient. Ita Fridericus Imp. Tertius rogatus, quos è suis haberet charissimos? Respondit. *Eos, qui non magis me quam Deum timent.* Celebratur etiam hoc nomine Trajanus Ethnicus Imp. qui Magistratum & Iudicem constituens, illiq; de more gladium porrigens: *Illo* inquit, *pro me, quamdiu æqua mandavero: Sin iniqua, contra me utere.*

Sexto. Voluit eos sibi adesse semper à latere: Ita Consiliarii jugiter adstent Principi, & sine eorum consilio nihil agat Princeps, quemadmodum 24. Seniores erant in circuitu sedis Christi. Peccarunt in hac re turpiter Nero Imp. & Hieronymus Siciliæ Rex, qui omnia nutu & sensu suo nullis usi consiliariis, expedierunt, ideoque ambo misere perierunt. Significatur etiam in hoc fidelitas Consiliariis necessaria ut pura intentione Reip. salutem quærant, & secreta Principum servent.

F. V. *Cur vocavit eos Apostolos.*

Quær. 5. Cur vocavit eos Apostolos? Resp. Primo ad exprimendam summam eorum dignitatem, quam significat nomen Apostoli, id est, Legati; cujusmodi nomen & dignitatem habent Legati seu Nuncii Apostolici, quorum nomen non officii tantum, sed maximæ insuper dignitatis est. Secundo. Ad exprimendum eorum officium; quia revera nuncii erant Evangelii, quod bonum nuncium significat; ut proinde nuntiarent provinciis, ad quas mittendi erant, fideliter quod ipsis erat injunctum. Tertio. Ad continendos eos in humilitate, patientia & rerum terrenarum contemptu. Ut enim tabellarii, si prospera annuncient, non sibi id adscribere aut inde extolli possunt, quia illius prosperitatis non Authores, sed nuncii tantum sunt: ita etiam Apostoli suum Evangelium Christo acceptum ferebant, non osculabantur manus suas illud afferentes. Denique ut tabellariis continuo pergendum est ad locum sibi destinatum omnesque tempestates perferendæ: ita Apostolorum munus perpetua erat peregrinatio & plurimarum persecutionum, incommoditatum, periculorum tolerantia. Denique nullibi sistere poterant, sed nunciorum instar semper ulterius pergere debebant; per quod etiam monebantur nihil in mundo concupiscere quod in alteram vitam secum ferre non possent.

IN FESTO S. ÆGIDII.

CONCIONES.

I. *Mirus venator S. Ægidius.*
II. *Quomodo colendus noster Patronus S. Ægidius.*
III. *Lac cervæ Ægidianæ salutare.*

CONCIO I.

MIRUS VENATOR S. Ægidius.

I. *Fugiendo prædam cepit.*
II. *Prædam e retibus suis exclusit.*
III. *Vulnera non inflixit, sed accepit.*
IV. *A cerva non nisi lac accepit.*
V. *Pauperibus loco canum prædam comprehendit.*

THEMA.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino, Gen. 10.

Cervorum venationi hodierna S. Ægidii dies, communi venatorum lege, finem imponit, ideoque venatorum quin & cervorum Patronus habetur. Et jure quidem, meo judicio. Nam ipse in sylvis una cum cerva vixit, ejus lacte se pavit, à canibus eam defendit, denique velut venator precibus & sanctitate sua cepit, cicuremque reddidit, ut verè ipsi applicare possimus id proverbium, Gen. 10. *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Fuit Nemrod robustus venator, sed magis coram Deo: cujusmodi venatores plerique sunt in mundo, qui temporalia bona venantur. Atqui S. Ægidius verè *coram Deo robustus venator* fuit, qui prædas suas non in terrâ, sed in cœlo indagavit; unde factum ut non solum cum viveret, coram Regibus in honore esset, sed & nunc post mortem coram DEO & omnibus cœlitibus adeoque toto mundo. Verum ut hanc prædam assequeretur, non venatorum hujus sæculi, sed aliam longè, ac contrariam venandi rationem tenuit; ut videbimus.

I. *Fugiendo prædam cepit.*

I. Venatores alii persequendo capiunt feras: sed non ita S. Ægidius, qui fugiendo prædam cepit. Venatores mundi miro modo laborant, ut gloriam sibi parent, sed non assequuntur, nisi fortè vanam & momentaneam coram paucis. S. Ægidius

ctius fugiendo vanam gloriam, comparavit sibi veram & immortalem gloriam. *Contemne gloriam & eris omnibus gloriosior*, ait S. Chrysostomus hom. 4. in Matt. Honor est instar timidi canis; insequeris illum, fugit: fugis illum, insequitur. Sic honor Episcopalis S. Sylvestrum, Gregorium, Augustinum, fugientes secutus est: fugit alios insequentes. Hanc ad honores consequendos viam, fugam scilicet, docuit nos Christus, dum, ne raperetur ad regiam dignitatem, fugam cepit: inde exaltari meruit & accipere *nomen super omne nomen*. Hunc secutus noster Ægidius, magnus coram Deo & hominibus evasit. Solẽt feræ cum in latibulis suis deprehenduntur à venatoribus, alio migrare: uti leæna illa, quæ in antro quodam à Malcho Monacho inventa, illicò catulos suos mordicus prehensos in aliam specum tulit; teste D. Hieron. in vita ejus. Pari modo S. Ægidius, è regia stirpe factus humilis, ubi miracula patrare, famaq; coruscare cœpit, ne stygio venatori præda ipse fieret, mox alio se contulit: Athenis in Galliam ad S. Cæsarium; inde ad Veredemium Eremicolam: ubi rursum proditus, inde in densissimam Eremum, ad Rhodani ostium confugit. Moyses à filia Pharaonis Thermut, nupta sed sterili, adoptatus & regiè educatus ut esset regni hæres, quid egit adhuc puerulus? Coronam à Rege sibi comiter impositam de capite prolabi passus pedibus calcavit, teste Iosepho l. 2. Antiquit. c. 5. Grandior autem factus profugit ex aula ad Hebræos, inde in Madian, negans se filium Pharaonis (ex Philone l. de Moyse, & Apostolo ad Hebr. 11.) eligens magis affligi cũ populo Dei, ibiq; dum honorẽ fugit, ad maximũ evectus, & Deus Pharaonis constitutus est. Hæc igitur via, hæc industria est venandi veros honores, fuga honorum, quam tenuit & Ægidius.

II. *Prædam è retibus suis exclusit atq; ejecit.*

II. Venatores alii feras in retia cogunt: S. Ægidius econtra Prædam à retibus suis exclusit atq; ejecit. Ridetur in proverbio simplex quidã rusticus qui in venatione vulpium lepores reti implicitos ejecit dicens, non institutam venationem pro leporibus. At hoc egit S. Ægidius, sed omninò sapienter. Nam opes & munera sibi à Rege Clodoveo amplissima oblata aversatus respuit ac rejecit, movens Regem, ut ea egenis potius aliis conferret vel inde monasterium conderet, in quo servos Dei cœlestibus ornandos disciplinis congregaret. Periculosa præda sunt munera, quæ capientes se capiunt, ad instar illius arcæ ornatissimè & elegantissimè elaboratæ, quam Typhon Osiridis, Regis Ægypti, frater ad eum capiendum regnoq; exuendum fieri curavit ea longitudine, qualis erat Osiridis. Hanc enim in convivio inter pocula allatã cum convivæ admirarentur, promisit Typhon se dono daturum illi, qui longitudinẽ ejus exæquaret. Cumq; varii subintrassent, nullique quadraret. Osiridis tandẽ & ipse in eam procubuit. Mox Typhon cum subornatis suis operculo arcã clausit, clavis affixo & plumbo liquido superfuso, fratremq; inclusum in Nilum projecit. Plut. in Osiride. Hunc in modum munera fortiter alliciunt, ut in causam offerentis turpiter te demittas; sed dum offeruntur, auferunt: dum capiuntur, capiunt. Sensit id Balaam ille, quando legati Balac ad eum venerunt, *habentes divinationis pretiũ* (Hebr. habetur, *divinationes*; quia scil. ipsa pecunia incantare solet eum, cui offertur) *in manibus*. Ea enim illecebra, tandem victus malũ dedit consilium regi Balac contra Hebræos, Num. 24. sed sibi pessimum; quia inter Madianitas ab Hebræis occisos & ipse occubuit. Quicunq; igitur sapuerunt, munera excusserunt, quod præstitit noster Ægidius, exemplo magni illius Abrahæ, qui oblatam sibi prædam à Rege Sodomorum, licet sua manu ab hostibus recuperatam, respuit, ita ut nec filum subtegminis, aut corrigiam caligæ, seu minimum quidpiam accipere vellet, ne dicere posset Rex: *Ego ditavi Abraham*, Gen. 14. Quare in mercedem tantæ continentiæ, mox illi Deus dixit c. seq. *Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.*

III. *Vulnera non inflixit, sed accepit.*

III. Venatores alij vulnerando, jaculando, & venabulum infigendo prædam venantur. Contra S. Ægidius vulnus accipiendo, idque purulentum conservando, & medicinã respuendo coronam in cœlo sibi comparavit. Venatores mundi prædam ex vindicta & jugulatione quærunt; sed nil assequuntur nisi perniciem & ignominiam suam. Sic Pharao, dum insequitur Hebræos dicens: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, dividam spolia, implebitur anima mea, &c.* demergitur cum exercitu suo in abyssũ maris. Georgius Fraispergius hæreticus Caroli V. inter Germanos milites in Italia Dux, laqueum unũ inauratum in sinu secum Romã gestavit, quo summum Pontificem: alios purpureos, quibus Cardinales manu sua suspenderet, quod erat comminatus; spe tamẽ sua delusus, in paralysin incidit. Iovius lib. 6. Elogior. viror. bellic. Non hoc Christus docuit, sed econtra: *mitto vos sicut oves in medio luporum*, ait. Item: *non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. 10. non ad infigendum, sed ad excipiendũ, uti mox explicat. Hanc doctrinã secutus est S. Ægidius, vulnus ita accipiens, ut curari nollet. Secutus Simeon Stylites, qui cum in pœnam alicujus levis peccati per annum in uno pede stetisset, vulnus accepit in femore vermibus scatens, ita ut inde excidentes subindein terram caderent. Quid ille? jussit sibi eos iterum sursum porrigi, & reposuit in ulcus dicens: *Manducate quod vobis Dominus dedit*; ut refert Antonius ejus discipulus apud Rosvveid. in vitis PP. Conformiter illi, quod habetur Habacuc 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat* (scilicet vermibus) *ut requiescã in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctũ nostrum*; id est, ad Sanctos in fasciculo viventium colligatos, quasi diceret: Vermes illi devorabunt peccata mea: & lectum mihi in cœlo suavissimum parabunt, plumarum instar futuri.

Quare si quis te vulneravit sagitta alicujus probri, contumeliæ, derisionis, detractionis, &c. si te ipsum vindices, aut famam tibi restitui contendas: si læsus fortè in corpore, vel fortunis tuis, par pari refe-

referas aut damnum tibi resarciri facias, lucraberis aliquid in terra, sed perdes aliquid in cœlo, quod alioquin lucratus fuisses, longè excellentius. Vicissim si injurias patienter feras, parum aliquid damni accipies in terra, & prædam ingentem comprehendes in cœlo. Hinc Apostolus 1. Cor. 4. reprehendit Corinthios, quod judicio contendant, & quidem apud infideles addens: *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?*

IV.
A cerva nõ nisi lac accepit.

IV. Venatores alii feras occidunt & devorant, at S. Ægidius lac solum à cerva accepit, ipsam innoxiã servavit, & à canibus tutatus est; lac cervæ hausit, non sanguinem. Venatores peccuniarum subditos suos exactionibus exhauriunt, nec tondent solum oves, sed & deglubunt, quod Tiberius Cæsar Gentilis provinciarũ suarum præsidibus prohibuit, apud Sueton. cap. 13. Severe olim vetuit Deus sanguinem comedi, Gen. 9. Deut. 12. *Hoc solum cave, ne sanguinẽ comedas*, quia voluit Deus absterrere homines à pauperum oppressione. Qui enim nimis eos premunt, sanguinem eorum sugunt; (quia sicut vita conservatur sanguine; sic & rerum substantia) imò exsugunt etiam illis salutem animarum, dum cogunt eos blasphemare, furari, prostituere corpus. Unde Gen. 9. sanguis ille vocatur *sanguis animarum*; cum alioquin anima sanguinem non habeat: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Et si *de manu bestiarum*, (uti Exod. 21. ubi bovem homicidam jussit lapidari) multò magis *de manu hominum*. Sanè David aquam illam, quæ à tribus viris cum periculo vitæ eorum ipsi conquisita & allata fuit, effudit, nolens bibere; quod putaret se eorum sanguinem bibere: *Propitius mihi sit Dominus*, ait, *ne faciam hoc. Non sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23. At qui pauperes nimiũ premit, cogitque afferre sudorem ac victum suum, nonne sanguinem eorum & animarum periculum bibit, dum vel ad desperationem, vel ad execrationes, vel ad prostitutionem corporum vel ad furta eos impellit?

V.
Pauperib. loco canũ prædam comprehendit.

V. Venatores alii canibus comprehendunt feras; at S. Ægidius pauperibus usus pro canibus, prædam in cœlo comprehendit. Notus est ex insigni facto, & à nobis alibi etiam celebratus, non tamen omnino hîc prætereundus. Amedaus tertius Sabaudiæ Dux, qui ab oratoribus apud se morantibus interrogatus, an & canes venaticos haberet; respondit, *Cras eos vobis exhibebo.* Interim de more ingentem pauperum turbam cogit eisque cibos dari mandat, tunc ait oratoribus: *Hi sunt canes mei* (pauperes monstrans) *quos alo quotidie, quibusque spero me gloriam cœlestem venaturum.* Bzovius anno 472. His jisdem canibus Ægidius cœlum venatus est. Multò certiores sunt hi canes, quàm venatici alii, qui & prædam sæpè non assequuntur, & quandoq; apprehensam Dominis non servant aut afferunt, sed ipsimet devorant. Divites amici, in quos opes tuas confers, infidi tabellarii sunt: pauperes fideles sunt, teste S. Laurẽtio, cum Tyranno dixit: *Facultates, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Mundus ea, quæ pauperibus dantur, perdita esse putat, sed fallitur; quod docet nos idem S. Ægydius, qui duo ostia cypressina, in quibus imagines Apostolorũ erant affabrè facta, à Papa Romæ impetrata, misit ibi in Tyberim, omnibus id spectantibus non solum admirantibus, sed etiam stultitiæ virum sanctum arguentibus. Verum ubi is terrestri itinere domum rediit, in suo adventu nuntiatur ei duo illa ostia in portu fluminis ante monasterium ipsius hærere. En per tot maris interjecti spatia, per tot tempestates & scopulos deferuntur Ægidio ostia, vastissimo mari commissa, Angelorum utiq; ductu; idem expecta de pauperib. qui datã sibi eleemosynã securè ad cœlum devehent. Hoc est: quod Ecclesi. c. 12. suasit, *Mitte panẽ tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa invenies illũ.* Mittũtur ligna in fluvios & denatantia colliguntur in rastro. Idẽ fit cum Eleemosyna: im rechen/ in die rationum invenies eam in rastro judicii divini, quod intercipiet & rastrabit omnes mortales.

Atq; hæc est venatio, jucunda simul & utilissima ars, quam vobis Auditores suadeo. De B. Macedonio scribit Theodoretus Cyri Episcopus in vitis PP. inventum eum aliquando in solitudine à quodam Duce venationi incumbente, atque interrogatum, quid illic ageret? Quem vicissim Macedonius: quid ipse illic moliretur? *Venaturus*, inquit, *huc veni*, Et Macedonius: *Et ego venor hic Deum meum, & capere eum cupio per contemplationem, nec ab hac pulchra venatione unquam cessabo.* Idem nos dicamus: non cessemus à venatione nostra, donec prædam in cœlo consequamur.

CONCIO II.

QUOMODO COLENDUS noster Patronus, sanctus Ægidius.

I. Confugiendum ad eum in necessitatibus.
II. Honore prosequendus.
III. Eleemosynis colendus in pauperibus clientibus

THEMA.

Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore, Prov. 5.

S. Ægid. multorũ protecto[r]

Majores vestri Audit. haud dubie non absq; magnis rationibus S. Ægidium in protectorem hujus urbis elegerunt. Si enim percurramus ejus vitam, reperiemus eum, dum viveret, communem quasi omnium afflictorũ fuisse protectorem. Protector fuit pauperum, quando illis distribuit suum patrimonium: protector navigantium, quando suis

precibus eripuit eos à naufragio, sibi iminente: protector ægrotorum, quando eos sanavit, ad se currentes: protector peccatorum, quando Clodoveo Regi suorum notitiam peccatorum & pœnitentiam impetravit: protector deniq; etiam ferarum, quando cervam, cujus lacte subinde sustentabatur, à canibus agitatam & ad se confugientem tutatus est ab injuria. Bonum itaque & magnum protectorem ac Patronum habetis ô Græcenses. Verum bonus Patronus bonum etiam clientem quærit. Nos ergò si ejus protectione frui & gaudere volumus, demus operâ necesse est, ut boni ejus clientes simus. Hoc verò quis docebit nos? Cerva Ægidii: si enim hæc obsequia ei exhibeamus, quæ cerva ipsi præstitit, boni, ut spero, clientes erimus: juxta id Prov. 5. *Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore.* Multi non satiantur nisi planè inebrient se. Hic datur vobis occasio simul & licentia, bibendi ad ebrietatem usque; sed ab uberibus cervæ.

I. *Confugiendum ad Patronũ in necessitatibus.*

I. Cerva S. Ægidii ad ipsum velut ad tutorem suum in necessitate recurrit. Cum enim à canibus agitaretur venaticis, præpeti fuga cellam ejus petiit, & trepida ac solito mœstius immugiens ante ejus pedes se provolvit, ut cujus humanitatem diu experta fuerat, ejus ope à præsenti periculo liberaretur. Sic omnino decet nos in nostris necessitatibus confugere ad protectorem & patronum nostrum. Cum enim Sancti aliqui in patronos eliguntur, non dubium, quin suorum clientum singularem tutelam habeant: decet igitur clientes, ut in suis necessitatibus ad ipsos inprimis recursum suum habeant. Displiceret jure meritò Medico perito & celebri, si homines civitatis, cujus ipse Medicus est cooptatus, ipso neglecto currerent ad alios longe dissitos, licet alioquin juxta se & alios consuli non ægrè pateretur. S. noster Ægidius, cum in terris viveret quoscunque morbos miraculo sanavit: quid jam in cœlis sanare non poterit? Tametsi ergò ad alios quoque Sanctos in nostris necessitatibus possumus recurrere; non decet tamen ut Patronum, quem ipsi elegimus, in hoc prætereamus. Vixit in Syriæ eremo S. Hilarion, discipulus S. Antonii, sanctitate & miraculis magistro suo non impar. Quando ergò Syri excurrerunt pro impetrandis gratiis & sanitatibus usque in solitudinem Ægypti ad S. Antonium, dicebat illis Antonius: *Quare vos tam longe vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum, Hilarionem?* In vita Hilarion. 21. Oct. apud Sur. Idem opinari licet nobis dicturos Sanctos alios, si præterito patrono nostro in ipsis solis spem reponeremus. Quanquam uti Antonius non repulit venientes Syros: ita sperandum etiam de aliis Sanctis. Prima tamen precum instantia vel primaria saltem deferenda videtur loci patrono. At si præterea aliqui in suis morbis vel periculis, spreto Deo & Sanctis ejus recurrere ad ariolos, magos, & veridicos vellent; quanta quæso, hæc injuria foret? Nonne id exprobrandum illis diceres, quemadmodum Deus per Eliam exprobravit Ochoziæ Regi Israel ægroto, mittenti ad Deum Accaron: *Nunquid non est Deus in Israel, ut exeatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*, 4. Reg. 1.

Gentilium mos fuit ponere lares seu tutelares Deos suos post fores domorum suarum, eosque cereis venerari ac lucernis, ut notat S. Hieronymus in Isa. c. 57. & Alexander ab Alexandro l. 5. Gen. c. 24. Errarunt illi in hoc, quod fictitios Deos pro vero coluerunt. Non ita nos Christiani, qui Sanctos non ut Deum, nec pro Diis colimus, sed ut Dei amicos tantum & servos. Recte tamen faciunt pii Christiani, qui Sancti tutelaris imaginem domi suæ habent, & certis temporibus venerantur accensis cereis. In usu apud eosdem veteres erat, ut in magna præsertim calamitate, Deos suos funibus manicisque vincirent; ne discederent ab eis. Ob hanc causam Tyrii ab Alexandro M. obsessi Herculem vixerunt, apud Curt. l. 4. Lacedæmonii Martis statuam, Pausan. l. 3. Superstitiosè isti, non tamen omninò stultè: quia Patroni nobis diviciendi sunt, ne nos deserant in Periculis. nos ergò precibus longè sanius & fortius eos alligabimus, quando aliqua nos premit calamitas.

II. *Patronus honorandus à clientibus est.*

II. Cerva illa ad Ægidii pedes provoluta jacuit, ut diximus. Ita decet nos honorare Patronum nostrũ, velut omnium communem patrem. Ac primò ejus Festum solenniter celebrare, non secus ac si ab Ecclesia præceptum foret; quandoquidem patronorum festa ubique ferè vim præcepti ex consuetudine habent. Sed jam SS. Patronorum festa (quod dolendũ) occasione nundinarum, quæ ob confluxum hominũ ad rem divinam, instituebantur, in nundinas transierunt, ut passim cernere est. Admisit honesta Matrona ancillam comptam in domum: quæ ubi placuit viro, domina domus facta est, & dominam ancillari fecit: sic contigit festivitatibus SS. Patronorum. Ad eorum SS. Missas & laudes in concione audiendas confluxerunt Christiani: occasione ejus confluvii nundinæ excitatæ sunt; quæ jam ita prævalent, ut pietatem ferè extinguant, certè multum opprimant.

2. Ejus templum humiliter frequentare piis operibus. Placuit Magdalena Christo, dum ad ejus pedes sedit, eosque osculis, lachrymis & unguento perfudit, ut propterea ab eo magnoperè commendaretur. Cur non placeat Sanctis, si ad eorum domos & reliquias, (quæ quasi eorum pedes sunt) crebrò confideramus? humili oratione, lachrymis & piis aliis operibus eosdem honoremus? S. Ægidius cervam ad pedes suos jacentẽ defendit à canibus & venatoribus: Christus Magdalenã ad pedes suos abjectam, à Pharisæo & proditore eam allatrante. Idem per virtutẽ Christi sibi communicatam præstare nobis possunt SS. Patroni, & præstabunt invocantibus.

3. Spectat etiam ad ipsorum honorem nomina eorundem indere filiis; quod sane antiquus Christianorum mos habet. Inde in Austria tot Leopoldi, in Bohemia tot Wenceslai: Stephani in Ungaria, Galli

in Helvetia & Suevia, Wilibaldi & Walpurgæ, in Eystetensi, Chiliani in Herbipolensi, Udalrici in Augustano, Wolfgangi in Ratisbonensi Episcopatu, &c. Per hoc enim videntur parentes devovere filios velle protectioni sui Patroni, unaq; ad illius cultum, venerationem & imitationem incitare. Nisi hoc placeret Sanctis, certè S. Stephanus Protromartyr non postulasset à conjuge Regis Geisæ: ut filio nomen suum Stephani, imponeret: nec S. Nicolaus Episcopus matronæ Amatæ, ut filio (Nicolao Tolentino) idem suum nomen inderet. Sed nunc ferè potentum Patrinorum nomina quæruntur filiis, quia ferè etiam temporalia tantùm, non æterna & cœlestia bona: hominum favores potiùs quàm Sanctorum; quasi verò divites plus boni conferre liberis possint, quàm Sancti. Malè & imprudenter ageret, qui peregrinaturo filio daret baculum arundineum, & non potiùs solidum. Reprehenduntur Iudæi, quòd in auxilio Ægypti confisi sint aliquando, velut in baculo arundineo, Isa. 36. Hujusmodi autem baculi patrocinia humana sunt.

III. Prosequēdus eleemosynis in pauperib clientibus

III. Cerva S. Ægidii statis horis ad eum venit, & lac ei porrexit. Quomodo nos in hoc facto cervam imitabimur? Num adhuc lacte aliquo eget Ægidius? Eget sanè in pauperibus hujus civitatis suæ clientelæ commissis. Quàm multos ego in hoc ejus templo, singulis ferè Concionibus vobis, Auditores, ejus nomine commendo? Cogitate me ex ore Patroni vestri mendicare pro pauperibus. Vos divites estis, lacte redundantes. (Quid enim divitum plena horrea & cellaria, nisi turgentia ubera?) pauperes sunt Ægidius vester, desolati & famelici. Eccur putatis replentur fœtæ matres, seu hominum, seu brutorum, nisi ut fœtus alant? Et cur divites à Deo replentur bonis, nisi ut pauperes sustentent? Nescio quid matres responsuræ sint Deo, quæ filios suos non lactant, cum ad hoc à naturæ auctore lac accipiant. S. Ambros. lib. 5. hexam. multis feris eas inhumaniores asserit. Et quid respondebunt divites, si ex tot bonis sibi datis non aluerint fratres suos pauperes, quorum gratia ditati sunt.

Ac licet vobis omnes universim pauperes commendatos velim, præcipuè tamen eos cupio, qui honesto loco nati per inevitabiles calamitates inciderunt in pauperiem. Hi enim quasi in Ægidii antro & eremo latent, nec sine confusione prodire ad petendum necessaria possunt; similes misero illi paralytico, jacenti ad piscinam, qui non poterat se juvare, sicut alii poterant; unde ait: *Domine hominem non habeo, qui mittat me in piscinam.* Idcircò Christus ipsius præ omnibus misertus; sanitatem ei contulit, licet non rogatus. Deinde religiosos pauperes, qui vi professionis suæ Deo serviunt, adeoq; manuum labore sibi victum parare nequeunt; qualis fuit S. Ægidius, cui proinde Deus per cervæ lac succurrit; quod certè non fecisset, si ejus vita sibi displicuisset. At quemadmodum cerva frustrà lac non dedit, sed ab Ægidio suo defensa est contra canes & venatores: ita ne dubitate, religiosi pauperes suis precibus vos & urbes ac fines vestros defendent contra hostium insidias. Testatur id Hermas Pauli discipulus l. 3. c. 3. cùm ait: *Sicut vitis ulmo fulcitur, sic dives oratione pauperis juvatur.* Iustinianus Imperator in novell. Constit. 133. Imperium, militiam, agros ipsos, & quidquid habent homines sæculares, per orationes conservari Sanctorum Eremitarũ ait. S. Teresia etiã idcircò erexit monialibus monasteria, ut cum aliter non possint, precibus defendant rempublicam. Si enim dixit Deus, Isai. 37. *Protegam civitatem hanc* (Ierusalem contra Sennacherib) *propter me & David servum meum:* cur non defendet istam propter plures servos suos? Obtulit S. Ægidio Clodoveus opes & munera, quæ ille respuit, & in pauperes alios eroganda consuluit: deinde monasteriolum ei extruxit cum duplici Ecclesia. Ægidius vicissim suis precibus impetravit Regi alicujus sceleris pœnitentiam & remissionem. Idem expectandum à religiosis: vos date eis temporalia, illi dabunt vobis spiritualia.

Sic erimus sancto Ægidio *cerva charissima*: sic inebriabimus eum lacte nostro: ipse vicissim defendet nos à canibus, & venatoribus, hæreticis & dæmonibus: impetrabit nobis denique vitam æternam à cœlorum Rege.

CONCIO III.

LAC CERVÆ ÆGIDIANÆ salutare.

Quia docet nos I. Quàm bonum sit Dei præceptis per omnia obedire.

II. Quàm obligentur divites ad faciendas eleemosynas.

III. Quàm non deserat Deus eos, qui ipsi serviunt, & qui aliquid ipsi dederunt.

IV. Quid in morte nobis eventurum sit.

V. Quorsum nobis in tribulatione confugiendũ sit.

THEMA.

Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore, Prov. 5.

Antiquus & celebris Historicus Iustinus l. 44. hist. suæ scribit Curetum (populi sunt in Creta Insula) Regem, Habidem, in infantia expositum & lacte cervæ enutritum fuisse. *Inde denique conversatione nutricis eximia puero pernicitas fuit*, inquit, *interque cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit:* Habis ergò iste è cervæ lacte cervinam ad currendum velocitatem acquisivit; quid dicemus de sancto nostro Patrono Ægidio, qui & ipse lacte cervæ diu in sylva enutritus fuit? Numquid non & ipsum cervi velocitatem

ad currendum adeptum esse asseremus? Utiq; profectò; sed quia cerva illa divino beneficio in nutricem illa data fuit, inde sanctus Ægidius non ad montes & saltus, sed ad regnum cœlorum & justitiam ejus currendi virtutem accepit, ut posset dicere cum Psalmista: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me*, Psalm. 17. *Nos omnes in stadio curramus*, 1. Cor. 9. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: Sic currite ut comprehendatis*. Igitur ut patroni nostri velocitatem imitari pro viribus possimus, & super excelsa statui, contendamus etiam sugere lac de cerva ejus. Eò nos videtur mittere Sapiens Prov. 5. ubi ait: *Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore*. Prorsus *charissima*, si quale lac Ægidio dedit; nobis quoque offerat. Quodnam verò illud? Præclaræ quædam doctrinæ, quas à cerva Ægidiana hauriemus.

I. *Quàm bonum Dei præceptis per omnia obedire.*

I. Videte & à cerva ista discite, quam sit bonum Dei voluntate ac præceptis per omnia obedire. Ecce enim cerva ista serviit Ægidio pro matre seu nutrice; ad quem statis temporibus venit, & ubera ei præbuit: fugit interim Regem Franciæ, ac totam ejus aulam. Eccur verò, nisi quia Ægidius vir sanctus, Deo per omnia obediens fuit, Rex (saltem eo tempore) cum suis non item? Quamdiu Adam in paradiso innocentiam suam servavit, Deoq; obediens fuit, tamdiu & animalia omnia ad nutum ei paruêre; at ubi is spreta Dei voluntate, suam fecit adeoque innocentiam perdidit, tunc & bruta animalia rebellare ei cœperunt. Hinc quam plurimi Sancti, qui vitã prorsus innocentem duxerunt, imperium hoc in animalia iterum receperunt; uti Noë in omnia animalia suæ arcæ, Daniel in leones, Sanctus Franciscus in pisces & aves, & nostro ævo Iosephus Anchieta in Brasilia, qui avibus Quaracies dictis præcepit, uti sibi navigantibus umbram facerent: avibus aquatilibus, ne pisces captos invaderent: pantheris duabus ut se monstrarent: simiis ut interfectos suos exequiis, saltibus & lamentis sepelirent: & ad nutum ei paruerunt, (ut in ejus vita Sebastianus Beretarius lib. 4.) aliique ut dixi alibi. Imò *si voluntati Dei obtemperes*, ait Origines hom. 5. in Exod. c. 14. *sic legem ejus sequaris, ipse tibi elementa etiam contra naturam suam servire compellet*, quo modo scilicet mare se divisit ad imperium Moysis, Exod. 14. *petra aquas dedit*. &c.

Trip. in F. Om. SS. C. 4. Ben. 5.

Pari ratione Magistratus habebit obsequentes sibi subditos, quamdiu ipse obtemperavit Deo. Ita enim loquuntur subditi Hebræi ad Deum suũ Iosuen: *Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus & quocunque miseris, ibimus; sicut obedivimus incunctis Moysi, ita obediemus & tibi, tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse*, Iosf. 1. Patet in Salomone, qui quamdiu Deo obtemperans fuit, omnes sibi subditos obtemperantes habuit; ubi verò Deo rebellem se exhibuit, sensit sibi rebellare servum suum Ieroboam, unà cum decem tribubus: adversari quoque vicinos Reges, audiitq; à Deo: *Quia non custodisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam re num tuum, & dabo illud servo tuo*, 3. Reg. 11. Sic & sanctus Ambros. lib. 5. ep. 33. scripsit Valentiniano Imperatori. *Si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus*. Iniquum est à subditis requirere, quod quis suo superiori non præstat. Contrà verò subditi timent dominum suum, quem Deo cordi esse vident.

II. *Quã obligentur divites ad faciendas eleemosynas.*

II. Videte & à cerva hac discite, quanto jure divites obligentur ad faciendas eleemosynas. Ecce enim cerva ista, quæ ubera lacte impleta habebat, quia vel hinnulum non habuit, vel si habuit, nihilominùs lac redundans habuit, esurienti Ægidio id communicavit. Quid sunt, quæso, divites nisi cervæ, lacte divitiarum prægnantia ubera gerentes? Et quo fine ea acceperunt, nisi ut pauperes alant? Quid sunt nisi nubes aquis plenæ, ut sitientem terram rigent? Ita enim Ecclesiastes cap. 11. ait: *Si repletæ fuerunt nubes, imbrem super terram effundent*. Non enim propter se, sed propter terram irrigandam coguntur & circumferuntur imbriferæ nubes. Sic etiam persuasum habere divites debent, divitias ipsis non propter se, aut propter corporis sui abdomen, fastum & luxuriem, datas, sed ad sublevandam pauperum inopiam. *Accepisti*, inquit D. Chrysost. hom. 34. ad populum, *non ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynam erogares*. Et sanctus Leo sermone de collectis: *Idcirco Deus te abundare voluit, ut per te alius non egeret*. Iam sicut in magna siccitate terræ avidè expectamus nubem roridã, ac si ea prætervolet, nec pluviam in nos effundat, dolemus & ingemiscimus: ita pauperes, quando vident adventantem divitem, gaudent, & expectant ab ipso elemosynam. At si, spe frustrati, videant eum prætereuntem, nihil ab eo accipientes; cogitate, quam acriter hoc sentiant, quamque ingemiscant! Quòd si nubes illa tonaret tantùm, & fulminaret, pluviam interim non daret, graviùs adhuc sentiremus: similiter, si dives calumniaretur pauperem, aut verbis asperis objurgaret, nec intereà juvaret, quî pauperes id ferrent? Nubes super bonos & malos fundit aquas suas: sic etiam dives omnibus aperiat misericordiæ suæ viscera.

III. *Quàm nõ deserat Deus servos suos, & qui aliquid ei dederunt.*

III. Videte, & à cerva hac discite, quàm non deserat Deus eos, qui ipsi serviunt, & qui aliquid ipsi dederunt. Etenim Ægidius, priusquam ætatem virilem intraret, omne patrimonium suum in pauperes erogarat, & pauper Deo servire cœperat. Quis non diceret: Iste adolescens jam peribit, & fame morietur, præsertim in tam vasta solitudine? At ecce, Deus paravit ei cervam, quæ eum lacte suo aleret. Nimirum bene Ecclesiastes, ut diximus, eleemosynam comparavit pluviæ, pauperes terræ aridæ, divites verò nubibus. Quemadmodum enim terra semel irrigata vapores subministrat nubibus, è quibus illæ rursum imbrem terræ infundant: ita, ut inter cœlũ & terram quædam videatur esse concertatio, uter vincat, cœlumnè pluendo, an terra, quasi gratitudinis ergò, vapores reddendo: pari modo, quod opulen-

opulentus homo impendit egenis, iterum ab his redit ad divitem, non sine fœnore; hoc tamẽ discrimine: quòd sicut terra visibiliter è cœlo compluitur, at vapores invisibiliter, aut saltẽ vix sensibiliter, è terra ad cœlum redeunt: ita divitis eleemosyna videtur, ac sensu percipitur; eleemosynæ verò fructus nõ videtur. Nam vel spiritualis est, & sub sensum non cadens; vel si corporalis est, communiter etiam minùs attenditur & sentitur; qualis est prolongatio vitæ & diuturna sanitas, pax, pii liberi, conservatio & augmentum bonorum temporalium, proventus agrorum ac vinearum, &c. Talis concertatio cum Deo enituit in Leontio Neapoleos, in Cyro Episcopo, qui cum insigni animi exultatione aliquando inventus est cum Deo colloquens: *Si sic, aut tu mittendo, aut ego, dispergendo, videbimus, quis vincat.* Simili modo certavit aliquando cum divite quodam Alexandrino S. Ioannes Eleemosynarius. Ille enim dives cùm misisset Ioanni vestem, seu, ut alii volunt, lecti operculum, Ioannes ad forum vænum misit, ut pretium pauperibus daret. Emit is, qui donarat, & iterum Ioanni mittit. Is rursum ad forum mittit, alter rursum emit, & Ioanni remittit, idq; cum sæpiùs faceret, Ioannes: *Videamus*, inquit, *quis ex nobis priùs defatigabitur, ego quidem ipsum vendens, tu autẽ emens & offerens*, in vita Ioannis Eleemosyrii, 23. Ian. cap. 24.

IV. *Quid in morte nobis eventurum sit.*

IV. Videte, & à cerva discite, quod nobis aliquando eventurum sit in articulo mortis; id nimirum, quod huic cervæ contigit, quando à canibus agitata, & undiq; cincta, atq; allatrata, mugiit, & invocatura opem Ægidii ad antrũ ejus confugit. Ita enim in articulo mortis circumdabunt nos canes illi tartarei, qui, ut timendũ, undiq; circumsistent & allatrabunt, & forsan infigent diros ac tremendos morsus, qualis est timor instantis mortis & judicii, amor charorum jamjam deserendorum, vita malè acta, dolores corporis &c. præsertim, si in malo animæ statu fuerimus. Vidit & deploravit hoc aliquando sanctus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, ad villam suã Heysem equitans: quando pueri ejus leporem, fortè deprehensum, canibus insecuti sunt. Lepus, cùm jam fugæ locus non esset, recepit se infra equum sancti Anselmi, ubi, firmante equum Episcopo, canes leporem undiq; latratibus impetierunt, lædere tamen ob Sancti preces non poterant. Rident ad spectaculum famuli, Sanctus verò in lachrymas solutus: *Ridetis?* inquit, *At verò infelici huic lepusculo nullus risus, nulla lætitia est. Hostes ejus circa eum sunt, & ipse de vita solicitus confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc plane est & animæ; nam cum de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt, crudeliter adsunt, parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare. At ipsa nimis anxia huc illucq; circumspicit, & qua se tueatur, defensionis & auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Dæmones autem à contrario rident, & magno gaudio gaudent, si illã nullo fultam adminiculo inveniant.* Sic discessit, & canibus bestiam persequi prohibuit, quæ mox ad sylvas cucurrit. In ejus vita 21. Apr. cap. 21. Hujus igitur ærumnosi temporis sedulò meminerimus, juxta id Ecclesiasticis 11. *Si annis multis vixit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.*

V. *Quorsum nobis in tribulatione confugiendũ sit.*

V. Videte & à cerva hac discite, quorsum nobis in tribulatione confugiendum sit. Illa nequaquam, pedum suorum celeritati confisa, ad montes vel aquas aut densa dumeta se recepit, sed ad tutorem suum Ægidium, ejus opem mugitibus invocans. Id quod etiam alii cervi dicuntur facere, ut in necessitate positi ad homines confugiant. Sic ergo & nos in tribulatione non ad proprias aut aliorum hominum vires, sed ad divinam opem recurramus, & si propriis meritis diffisi Deum ipsi adire non audemus, ad Sanctum aliquem convertamur, ejusq; merita interponamus. Ita Iobo in tribulatione posito consuluit Eliphaz: *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*, Iob. 5. Hoc est: (ut S. Thomas explicat) *Invoca Deum, si fortè tibi ad hanc dubitationem respondere voluerit: & sic per merita propria hoc à Deo obtinere non putas, ad aliquem Sanctorum convertere, ut eo mediante hujus rei veritatẽ à Deo cognoscere possis.* Iacob, Gen. 27. quia in propriis vestibus benedictionem à patre obtinendam non sperabat, fratris sui primogeniti, patri perchari, vestes valdè bonas & odoriferas induit; ita benedictionem non suo, sed fratris nomine obtinuit. Nos etiam, quia propriis meritis fidere non audemus, merita alicujus Sancti, Deo valde chari, imploremus & sub ejus nomine ad Deum accedamus.

Porrò, majores nostri vestem S. Ægydii induere voluerunt, & sub ejus patrocinio accedere ad precandum Deum; non una, ut arbitror, de causa. Nam imprimis ipse, adhuc puer, ad templum vadens, cùm ægrum humi jacentem & petentem eleemosynam vidisset, lacerum sua veste induit, adeoq; mox sanavit. Potuit hoc puer in terris constitutus: non poterit nos operire veste sua, & sanctitate donare regnans in cœlo? Deinde, qui cervam ad se confugientem tutatus est à canibus, ut ne propè quidem accedere possent; non faciet hoc Christianis & suis clientibus? Canes nos persequentes sunt Turcæ & Hæretici, sunt grando & tempestas, sunt fames & pestilẽtia, sunt dæmones & peccata. Contra istos igitur ut nos defendamus, convertamur ad S. Ægidium, ad ejus umbraculum fugiamus, cum ipsius cerva mugiamus, & miserias nostras ei conqueramur. Aderit ipse velut advocatus & defensor noster, præsertim, ut speramus, in articulo mortis, velut patronus noster contra canes illos tartareos, ubi perficiet pedes nostros sicut cervorum, suoque patrocinio super excelsa statuet nos.

IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

Evangelium Matth. 1.

Liber Generationis JESU Christi filii David, &c. Ut in festo Conceptionis ejusdem.

CONCIONES.

I. *De communi lætitia per ortum Mariæ mundo allata.*
II. *De Arboribus hujus Genealogiæ præcipuis.*
III. *Significationes Nominis Mariæ.*
IV. *Ostenditur Deiparæ deberi summam gratiarum plenitudinem & dignitatem.*
V. *Ostenditur Mariam matrem esse Justorum.*
VI. *Quomodo Maria sit signum magnum.*
VII. *Cultus & honor Deiparæ comprobatur omnium suffragiis.*
VIII. *Ratio colendi Virginem Mariam.*
IX. *Documenta.*

CONCIO I.

DE COMMUNI LÆTITIA PER ortum Mariæ mundo allata.

I. *Gaudium Parentibus V. B.*
II. *Patribus in Limbo.*
III. *Angelis in cœlo.*
IV. *Deo ipsi.*
V. *Universo mundo.*

THEMA.

Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo, Eccl. Cath. Vox.

A. Mirum alicui videri posset, cur hodierno die Ecclesia insolito & peculiari gaudio prorumpat in celebrationem nativitatis B. M. V. Quid enim magnum est nasci in vitam mortalem, miseram, calamitosam? Nonne Ecclesiast. dixit c. 9. *Melior est dies mortis die nativitatis?* Nonne Divus Augustin. lib. de visitatione infirmorum ait: *Audenter pronuntio, quia principium vitæ hominis, initium dolorum est, fuere Philosophi hoc non ignorantes, qui in ortu pueros lugebant, in morte autem gaudebant, hoc significantes, quia homo ad laborem nascitur, ad quietem moritur?* Sed respondemus meritò gaudere Ecclesiam in Mariæ ortu, quia ipsa nata est, immunis à peccato & nunquam peccatura, imò per sui ventris fructum aliquandò omnes à peccatis liberatura. Nascitur ergò parentibus, nascitur patribus in limbo constitutis, nascitur angelis in cœlo positis, nascitur ipsi Deo, nascitur toti mundo, ad omnium commune gaudium. Meritò igitur hodiè canit Ecclesia: *Nativitas tua genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo.* Id quod nunc ostendemus.

B. I. *Gaudium parentibus B. V.* Gaudium annuntiavit Primo, sanctis ejus Parentibus Ioachimo & Annæ. Primo, quia sterilibus usque ad senectutem, nata est filia prius continuis precibus & quadragenario Ioachimi jejunio impetrata, Deo etiam devota & ab Angelo annuntiata; uti scribunt S. Epiphanius sermon. de laud. Virg. S. Hieronymus vel quisquis est autor libri de ortu Mariæ. Germanus Patriarcha Constantinop. in orat. de Virg. præsentatione. Damascenus & alii. Cum autem in veteri lege sterilitas probro esset parentibus, inde colligi potest, quantum fuerit gaudium parentibus Deiparæ.

Secundo quia tanta filia eis nata est, quam nimirum didicerunt angelico nuntio fore matrem Messiæ. Quare si Abraham in ortu Isaac; si Anna in ortu Samuelis, si Zacharias in ortu Ioannis gaudio repleti sunt, eo quod agnoverint fore eos magnos coram Deo: quanto magis Mariæ parentes in ortu tantæ filiæ? Quantopere gauderet paupercula mater, si nosset natam sibi prolem, quæ futura esset Episcopus vel Cardinalis, vel Rex aut Regina? Et quid hæc ad dignitatem Deiparæ?

Cæteri parentes non ita possunt gaudere, cum nascitur eis proles, quia nesciunt qualis ea futura sit. Quam multæ matres gavisæ sunt in ortu filiorum, quos postea lamentabili aspectu videre in patibulis debuerunt, uti Respha uxor Saulis septem filios suos crucifixos? 2. Reg. 21. vel quos in inferno per omnem æternitatem cruciari videbunt? Hinc Eccl. 2. ait: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole osten-*

studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit.

C. II. *Patribus in limbo.*

Secundo. Patribus in limbo constitutis, quia hodie acceperunt nuntium appropinquantis liberationis suæ & diei mox sæcuturi post tam longam noctem, juxta id Isa. 9. *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Cum enim intellexerunt natam Messiæ Matrem, intellexerunt etiam non longe abesse liberatorem suum. Ante hunc diem, videtur illorum vox fuisse ea, quam describit Isaias c. 21. *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte:* Et dixit Custos: *Venit mane & nox*, id est, venit man, e sed adhuc non omnino transiit nox, q. d. venit medium inter noctem & diem. Quotquot antea Patriarchæ ad limbum descenderunt, non poterant annuntiare illis patribus, quando nox finienda esset. Hodie illis dictum est. Venit mane & nox, id est aurora diem annuntians; Cogitate, Auditores, quantum nobis gaudium foret, si post longam aliquam noctem, v. g. 30. annorum (nescio ubi detento sole) rediret ad nos lux & aurora, quos plausus, quæ jubila ederemus? Multo longior fuit nox illorum Patrum: unde nihil dubitandum, quin hanc diem lætissimis vocibus & plausibus exceperint.

D. III. *Angelis in cœlo.*

Tertio. Angelis in cœlo, quia nata est ipsis mater Domini sui, per quem acceperunt plurima bona, illuminationem, perfectionem, beatificationem, & per quem restaurandæ erant ruinæ perfidorum angelorum. Exultavit in utero matris Ioannes ad præsentiam & adventum matris Domini sui: quis dubitet exultasse & in cœlo angelos ad ortum matris Domini sui? Lætantur Ægyptii cum vident Nilum alte increscere, quia sciunt inde agros fœcundari & magnam sibi proventuram messem: cur non etiam lætarentur angeli, videntes nasci Virginem, quæ paritura illis erat Dominum suum, à quo maximis ipsi bonis partim affecti partim afficiendi & ordines ipsorum redintegrandi cœlumque totum beatis replendum erat? Domino teste, *gaudium est angelis Dei supra uno peccatore pœnitentiam agente:* quanto magis super ortu Mariæ, cujus ope & beneficio omnes peccatores, acturi erant pœnitentiam, quotquot erant acturi? Imo angeli causa sunt institutionis festi hujus, sicut refert Vincentius Belluacensis in spec. hist. l. 6. c. 65. & lib. 7. c. 119. *Solitarius,* inquit, *quidam sanctæ vitæ fuit, qui singulis annis harmoniam in cœlo nocte nativitatis Deiparæ audivit, hic cum miraretur, quod hoc alio tempore non audiret, rogavit Deum ut sibi ostenderet, quid hoc significaret, cui angelus Domini apparens talia retulit. Virgo perpetua quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit, quod licet ab hominibus ignoretur, ab angelis celebre habetur. Qua revelatione divulgata, ejus Nativitas celebrari ab Ecclesia instituta est.* Hæc Belluac.

E. IV. *Deo ipsi.*

Quarto. Deo ipsi ter optimo, quia hodie fecit opus præstantissimum & dignum filio suo extruxit habitaculum. Sic enim lætatur artifex, cum perfecit opus aliquod præclarum & Cedro dignum. Atque idcirco Deus cum perfecisset omne opus initio creationis, vidissetque cuncta, quæ fecerat, essentque valde bona, requievit ab omni opere egitque & instituit diem festum Sabbathi. Et tamen eo tempore terreno solum Adamo servo suo præparaverat habitaculum, hunc videlicet mundum. Quanto magis ergo lætatum credimus, cum præparavit filio suo, animatum habitaculum. Virginem sc. Mariam? Quanto enim præstantior gratia naturâ & Christus Adamo, tanto excellentior Maria isto mundo. Neque tantum Deus Pater, sed & filius & Spiritus sanctus hodie lætati sunt. Filius, quia hodie invenit matrem & ministram sibi competentem, & se dignam, in cujus utero requiesceret, cujus potissimo sanguine vestiretur, cujus lacte pasceretur, cujus ministeriis & obsequiis in tota vita foveretur. Et hæc est mulier illa fortis, quam requirebat Salomon Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Fortis autem erat, quia victrix dæmonis, cui nulla unquam ratione subjecta erat.

Spiritus sanctus item, quia hodie invenit domum & templum perpetuo sibi dicatum, in quo semper immotus requiescere posset. Sicut gaudet Dux occupato aliquo castello inexpugnabili. Cæteri mortales omnes contristant aliquando Spiritum sanctum, cum vel in peccato nascuntur, vel in peccatis vivunt.

F. V. *Univer[so] mundo.*

Quinto. Universo mundo, siquidem hodie illuxit ei aurora, post diuturnas ignorantiæ & gentilismi tenebras, adducens solem Iustitiæ Christum. Unde Ecclesia canit: *Nativitas tua genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster.* Quare sicut aurora ægris levamen, jactatis in mari tranquillitatem, hominibus & animalibus omnibus diem amantibus gaudium affert: ita & ortus Deiparæ omnibus hominibus justis & peccatoribus solatium & fiduciam. Sic enim vocatur Maria à Salomone, Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Audi Rupertum l. 6. in Cant. *Quanto nata es*, inquit, *ô Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni: quia sicut aurora finis est præteritæ noctis & diei sequentis initium; sic nativitas tua finis dolorum & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* In aurora prodeunt ad cantum aviculæ: sic post ortum Mariæ genus humanum cœpit ad Dei cultum exhilarari.

Hodie nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendit de mari, attulitque nobis pluviam salutarem; id est, gratiam Christi, qua restinguerentur ardores mali & humectarentur arida & indurata corda, (de qua Isa. ait c. 45. *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum*) post tot sæculorum ariditatem & sterilitatem, 3. Reg. 18. Maria est nubes illa de qu[a Isa]. c. 19. ait: *Ecce Dominus ascendit super nubem levem.* Nu-

Nubes levis seu nubecula erat propter humilitatem, qua sese ancillam Domini profitebatur, & hinc etiam vestigium hominis dicitur; levis quia sine gravedine Christum gestavit in utero; Levis, quia nullo prorsus peccati pondere premebatur.

Hodie mundo obsesso & penuria oppresso venit *navis institoris de longe portans panem suum*, Prov. 31. *de longe*, id est, de cœlis: *panem suum*, quia sola absque viri opera illum concepit, quem apud Bethlehem (domum panis) per partum suum virgineum, tanquam ex navi in omnium utilitatem exposuit, quo in S. Eucharistia pascimur, nutrimur, ac vires ad laborandum in vinea Domini & ad confligendum cum hostibus nostris, resumimus.

Hodie extructa est arca Noë, in qua non homines tantum, id est justi, sed & animalia, id est, peccatores evadere peccati naufragium & Dei iram possunt, Gen. 8.

Hodie data est nobis Civitas refugii, ad quam confugere possunt peccatores omnes & ea mediante pacem & gratiam invenire, Num. 35.

Quæ cum ita sint, Auditores, gaudeamus & nos hodierna die, nec gaudeamus solum, sed etiam gaudii hujus fructus amplectamur. Si nobis illuxit aurora, *abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum*, ad Rom. 13. Ad ortum auroræ aves lucifugæ se abscondunt, fures & rapaces feræ rapere & furari desinunt; ergo similiter abjiciamus & nesciamus opera, quæ lucem Dei & hominum fugiunt. Incedamus honeste vestiti & culti, velut in die: ita ut omnis noster incessus, gestus, sermo, actio talis sit, qualem decet esse in luce Evangelii, in qua spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus. Si aurora prodiit, prodeamus & nos ad laborem.

Si hodie nubecula parva apparuit, quæ effudit nobis pluviam gratiarum cœlestium: ergo suscipiamus pluviam istam: & extinguamus æstum concupiscentiarum malarum: maceremus & emolliamus indurata corda nostra: bibamus ore pleno aquam sapientiæ salutaris.

Si hodie appulit nobis navis institoris portans panem, veniamus, emamus absque argento: & fruamur hoc pane frequenter & cum gustu.

Si hodie fabricata est nobis arca, dataque civitas refugii, ad eam nos recipiamus in omnibus nostris afflictionibus magna cum fiducia. Non recurramus ad fraudes, dolos, nequitias, opem dæmonum, ad baculum arundineum caducorum solatiorum: sed ad Arcam, ad Asylum nostrum, Mariam, pergamus.

CONCIO II.

DE ARBORIBUS HUJUS genealogiæ præcipuis.

I. Ab Abrahamo vitis, parentibus debita.
II. Ab Isaac Amygdalus, liberis.
III. A Jacob persicus, subditis.
IV. A Davide olea, Dominis.
V. A Salomone morus, sapientibus.
VI. A Roboam sycomorus, rudibus.
VII. A S. Josepho palma, conjugibus.
VIII. A B. Virgine arbor pudica, virginibus.
IX. A Christo lignum vitæ, afflictis omnibus.

THEMA.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, Eccles. 24.

A.

Sanctus Bernardus sermon. 23. in Cant. historiam sacræ Scripturæ comparat horto, quod in ea inveniantur viri virtutum tanquam ligna fructifera, de quorum bonis actibus ac moribus quot sumis exempla, tot carpis poma. Quod quidem si uspiam alibi, in hodierno præsertim Evangelio cernere est, quod dum lego, puto me ingredi hortum pulcherrimis consitum arboribus, ubi variæ reperiuntur arbores, virorum, fœminarum, diversorum fructuũ, pulcherrimo satæ ordine. Ut de eo dictum videatur Cant. 4. *Hortus conclusus, fons signatus: Emissiones tuæ*, id est, germina & propagines tuæ, *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* In hunc hortum invitat nos Deipara ex ore Ecclesiastici c. 24. loquens: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*, q. d. transite ad hunc hortum, ut ex variis ejus arboribus colligatis fructus & impleatis corda vestra. At multis videtur hortus hic conclusus, quemadmodum ibi dicitur: Evangelium aut sterile, aut obscurum. Aperiemus igitur cum Dei gratia illum, & quia circa hæc tempora fere colligi hortorum fructus solent, eamus ad spiritualem hunc hortum. Inveniet suam quisque arborem: parentes, liberi, servi, sapientes, rudes, conjugati, Cœlibes, miseri, denique omnes. Adeste animis & audite.

B.

I. *Ab Abrahamo vitis, parentibs debita.*

Prima arbor vitis est, parentibus debita, eaque Abraham, ob fœcunditatem; nam ut vitis multos palmites, quilibet palmes, multos botros, quilibet botrus multas uvas, quælibet uva multa grana habet: Ita erat & Abrahæ semen. Cæterum in duobus maxime vitem repræsentat Abraham. Nam vitis in primis surculos suos variis anfractibus curvat & pa-

lo

lo alligat, ne in terram defluant humique putrescant: ita fecit & Abraham. Filios enim suos, dum teneri adhuc erant curvavit & palo obedientiæ ac subjectionis alligavit, ne paulatim decidentes & terrenis rebus assueti corrumperentur. Quid enim statuit de Isaac. Nonne ad vocem Domini tulit ligna holocausti & imposuit super eum? nonne aligavit eum posuitque in altare super struem lignorum? nonne arripuit gladium ut immolaret eum? Gen. 22. filius unicus & dilectus erat Isaac, & tamen ita dure habetur. Gustate ex hac arbore parentes & audite Ecclesiasticum c. 7. *filii tibi sunt*, inquit, *erudi illos & curva illos à pueritia eorum*. Et Prov. 23. *si percusseris eum* (filium) *virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Sic enim palmites alligati fructum ferent, alioqui putrescent.

Denique uti vitis brassicam odit, & ab ea palmites suos tanquam ab hoste abstrahit, nec ulla ratione attingit, teste Pierio libr. 58. Hierogl. Ita & Abraham filium Isaac à perversore Ismaele separavit, videns hunc colludere cum illo, parvas imagunculas, quasi Idola faciendo, ut advertit S. Hieron. ibid. seductorem enim domo ejecit Genes. 21. Brassica sunt & Ismael, socii mali, peccandi occasione. Videant igitur parentes, ut liberos suos ab istis separent.

C. II. *Ab Isaac Amygdalus, liberis*

Secunda arbor est Amygdalus, liberis debita; eaque Isaac. Nam uti amygdalus prima omnium floret arborum, eaque si floruerit, ubertatem frugum prænuntiat apud Pier. lib. 5. Unde amygdalus bonæ spei typus erat. Ita & Isaac in juventute floruit virtutibus, atque adeo virtutis futuræ specimina certa dedit. Vultis scire parentes, quales olim futuri sint filii vestri? tales erunt olim, quales se jam exhibent in juventute; si pios, obedientes, morigeros habetis, tales & olim habebitis & contrà. Ecce Isaac, quam egregia amygdalus! protulit in ipsa juventa statim florem pietatis & obedientiæ insignem: Pietatis, quia Genes. 24. dum ei sponsa adduceretur, egressus erat ad meditandum in agro. Si tunc egressus est ad meditandum, quando nemo orationis recordatur: non dubitandum eum aliis temporibus id facere solitum. Idipsum ex eo patet quod Genes. 21. cum videret patrem gestare ignem, ipse vero portaret ligna, non ait: ecce ignis & ligna, coquamus nobis cibos; vel incendamus ædes, aut faciamus festivitatem, sed ubi est sacrificium? Obedientiæ vero, quia patri ducenti se ad victimam instar oviculæ paruit, suscepit in se ligna, patitur se alligari, obmutescit & expectat ictum, nihil inquirens, cur ita duriter à patre tractetur: Ita ut sanct. Chrysostom. hom. 47. super Gen. intelligere se non posse asserat, utrum virtutis major fuerit, patris fortitudo, an pueri obedientia. Scribit quidem Iosephus lib. 1. antiquit. c 13. Isaacum, postquam intellexit à patre Dei præceptum de sua immolatione, respondisse se, nisi alacriter obediret utriusque placitis, indignum futurum, qui natus esset: atque adeo etiamsi pater solus ita vellet, nefas esse non obsequi. Discite hic juvenes, à teneris assuescere virtuti. Non enim mentitur Sapiens Prov. 12. dicens: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

D. III. *A Iacob Persicus subditis*

Tertia arbor servorum & subditorum est; eaque Persicus. Et quænam ex Genealogia? Iacob. Nam uti Persicus in propria patria, Perside, unde & nomen habet, venenosa: in Italiam vero & exteras terras perlata innocua est, teste Pier. lib. 54. Hierogl. Ita & Iacob in domo paterna sibi & parentibus afflictio erat, fratri Esau clavus in oculis, uti Gen. 27. videre est. Ideo missus à parentibus in Mesopotamiam ad Laban, cui tam utilis erat, ut Dominus benedixerit domui ejus propter Iacob: ita ergo melius est servire liberos alienis in ædibus quam domi semper hærere & otiari aut dominari in paternis ædibus. Porro sicut nucleus persici typus est curarum & anxietatis, ob mille puncturas quas refert ut Pierius ubi sup. Ita decet & servos anxios & solicitos esse in munere suo. Certe Iacob, dum serviret 20. annis die noctuque æstu urebatur & gelu, fugiebatque somnus ab oculis ejus, ut inquit ipse Gen. 31. Item, *arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam.* Gustate hinc vos servi. Quis est hic? qui servit eidem domino 20. annis? à cujus oculis fugit somnus? qui die nocteque æstu uritur & gelu? qui nihil minuit domino? qui damna per suam negligentiam illata compenset? sed multi sunt qui ore fideliter serviunt, corde non item: omnes dicunt fideliter se agere; paucissimi agunt. Norint isti persicum habere simul folia, figura linguæ, & fructum figura cordis, ita ut persicum cum suo folio veritatem repræsentet, ut ibid. Pierius scribit. Quod si igitur veri Iacob & servi boni esse vultis, utrumque sibi cohæreat. Ea quæ de se prædicat Iacob, fatetur etiam Laban herus. Multa talia de se prædicant nostri servi, sed ea non confirmant domini, qui vera non inveniunt.

E. IV. *A David olea, dominis*

Quarta arbor dominorum est eaque olea. Et talis in Genealogia David, ut de se ipsemet testatur: *Ego autem sicut oliva fructivera in domo Dei*, Psalm. 51. Merito oliva David, nam uti oliva pacis & mansuetudinis typus est, teste Pierio lib. 53. David autem mansuetissimus juxta id Psalm. 131. *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus.* Quis non miretur ejus mansuetudinem, qua Semei sibi improperanti 2. Reg. 6. nihil noceri voluit, sed paterne indulsit? Unde sicut tunc David descendebat de monte olivarum: ita & Christus Dominus, Ioan. 8. postquam descendisset de monte olivarum ad templum, absolvit adulteram. Ita ergo Dominos erga subditos suos clementes esse decet. Unde monet Paulus ad Eph. 6. Dominos, ut remittant minas erga servos, scientes quia utrorumque Dominus est in cœlis.

Quin-

F. V. *A Salomone moro sapientibus.*

Quinta arbor Sapientum & eruditorum est, eaque Salomon, qui moro apte comparatur. Nam (juxta id Politiani: *Mox ubi jam sapiens cœpit frondescere morus*) morus arborum sapientissima est, eo quod, cum ei tam calor nimius quam frigus nimium obsit, non nisi exacto frigore germinet, atque adeo postrema arborum: sed & tunc citissime, quasi una nocte etiam cum strepitu, ut ait Plinius lib. 16. cap. 25. ne scilicet ab ingruente calore præpediatur, ut scribit Pier. libr. 52. Hierogl. Accidit tamen aliquoties ut nihilominus à pruina comburatur juxta id Psalm. 77. *Occidit moros in pruina.* Similiter & Salomon, qui Davidi ex Bethsabee postremo loco erat natus & non nisi exacto bellorum & adversitatis frigore in regnum evectus florere sapientia cœpit: à pruina libidinis depastus & superatus est. Vobis sapientibus proponitur hæc arbor, ut non nimium vobis fidatis, nec vos supra alios extollatis. Si enim Salomon sapientissimus, patris optimi filius, à Nathan Propheta optime educatus, si arbor inquam hæc prudentissima infatuata est, ut dubia sit ejus salus: videte ne idipsum vobis accidat.

Quam multi sapientes seducuntur cum Salomone ut colant Deos alienos, alii Bacchum, alii Venerem, alii Mammonam? Bene igitur monet Apostolus ad Rom. 12. *Dico omnibus, qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.*

G. VI. *A Roboam Sycomorus, rudibus.*

Sexta arbor rudium & indoctorum est: eaque Roboam. Nam ubi hodiernum Evangelium dicit: *Salomon genuit Roboam*; Ecclesiasticus cap. 47. ait: *Dereliquit post se stultitiam & imminutum à prudentia Roboam.* Ita ut eum Sycomoro comparare possimus, quam Augustinus interpretatur ficum fatuam: sermon. de verb. Apostoli. Ficus fatua est sycomorus, partim moro, partim ficui similis, quia & fructum habet fatuum, qui ad maturitatem non perducitur, nisi prius ferreo instrumento radatur, ut refert Textor in officina tit. 2. Talis profecto Roboam, qui ad querelam populi sui, ut jugum eis à patre impositum alleviaret, spreto consilio senum, secutus est consilium juvenum, respondit que: Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Unde factum ut 10. tribus ab eo deficerent: & regnum ejus scinderetur, 3. Reg. 12. Gustate hinc indocti, ne præcipitanter & temere quid agatis: & quorum sequamini consilia, videte. Immatura & incerta ut plurimum sunt horum consilia, ac dum insidiantur aviculæ, perdunt falconem: Radendæ sunt hæ ficus, non cauda vulpina, sed ferro, sed correptione: sequantur consilium seniorum & expertorum, non juvenum imperitorum. Prophetabant Achab Regi 40. illi pseudoprophetæ, quæ placuerant illi: contra Michæas, quæ displicuerant. Sed deceperunt illi Regem, hic autem vera dixit, 3. Reg. ult.

H. VII. *A S. Iosepho palma conjugibus.*

Septima arbor Conjugum est: eaque palma; palmarum enim sexus uterque est; mas & fœmina; ac Iosephi typus. David Psalm. 91. ait: *Justus ut palma florebit.* Quis iste justus, nisi is de quo Matth. 1. dicitur: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, noluit eam traducere.* In palmis mari & fœminæ, mirus amor cernitur: nisi enim vicinæ sibi sint, non fructificant, & læsa vel excisa una, sterilescit altera, teste Barth. Angl. 17. c. 116. Ejusmodi amor cernebatur etiam in Iosepho ad B. Virginem: ejus enim individuus comes erat, in via ad Bethlehem, in Purificatione Virginis, in fuga ad Ægyptum & reditu, in inventione Christi in templo. Tales igitur sint Conjuges, ut sibi mutuo semper assistant, sive in exilio & adversitate, sive in patria & prosperitate, & alter alterius onera portet. Adhæc nonne insignis erat amor, quod cum esset justus ac nesciret unde conjugis uterus intumuisset, noluit eam diffamare & traducere, sed maluit fugam meditari, quam de ea sinistri quid suspicari aut spargere? Amabat summopere conjugem suam: nihilominus maluit ea carere, quam de ea sinistrum quid suspicari.

I. VIII. *A B. Virg. arbor pudica, virginibus.*

Octava arbor. Continentium est & Virginum, nec alia nisi quæ in Insula Pudifetania reperitur & ab effectu pudoris nomen consecuta est. Ea enim ut scribit Nicolaus de Comit. surgit in altitudinem palmorum novem, ramosque expandit suos: sed si quis ad eam propius accesserit, illa velut retrocedens, ramos in seipsam colligit: recedente vero illo, ramos iterum dilatat. Non alia est hæc arbor, nisi B. Virgo, quæ in salutatione angelica *non in plateis erat* (ut ait Eusebius Emissen. expos. Evangel. de annunt.) *non in publico morabatur: intus erat, in penetralib. sola sedebat.* Deinde ab angelo salutata, *turbata est & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Unde Ambr. l. 2. de virg. *Virgo quasi viri mota specie trepidavit.* Et Luc. 1. *Trepidare virginum est, & ad omnes viri aspectus pavere: omnes viri affectus vereri.* Hinc S. Bernard. serm. 86. sup. can. vocat verecundiam sororem continentiæ. Item virgam disciplinæ, expugnatricem malorum, propugnatricem puritatis innatæ, specialem conscientiæ gloriam, famæ custodem, vitæ decus, virtutum primitias, naturę laudem & insigne totius honesti. Contra ubi custos hic castitatis non est, ibi omne periculum est, ut patet exemplo Dinæ, quæ curiosius egressa rapta fuit, Gen. 34. Egressa est, non ut videret juvenes aut viros, sed mulieres tantum regionis illius, ut ibi dicitur. Et tamē à juvene rapta fuit, Ecce inter mulieres juvenis aliquis erat. Ita nisi vitetur occasio, cito sequetur peccatum.

K. IX. *A Christo lignum vitæ, afflictis omnibus.*

Nona omnium afflictorum Christus est, & cui arbori comparabimus eum, nisi ligno vitæ, quod erat in medio paradisi? Arbor illa omnibus conservasset vitam, si ad eam confugissemus, atque ut confugere possemus, in medio paradisi erat. Ita Christus omnibus offert salutem atque ut eam consequi possimus, omnibus dat gratiam, ideo fere semper in medio repertus erat. In medio duorum animalium, in signum universalis providentiæ. In medio Doctorum, in signum universalis illumina-

tionis, qua omnem hominem illuminat. In medio Discipulorum in signum amoris, quo omnes amplectitur & vult salvos fieri. In medio Latronum in signum justitiæ, qua cuique reddit secundum opera sua, unum assumit, alterum relinquit. In medio terræ patitur, in signum misericordiæ, qua omnes redemit. Nemo igitur sit qui de Christo conquæratur, quia omnibus dat quod satis est: & si tu non accedis ad hoc vitæ lignum, idque non degustas, tua est culpa. Non sequitur te lignum; sed in medio est, & gratiam sufficientem habes, qua accedere ad illud potes. O igitur lignum vitæ dulcissimum, concede nobis ut & te desideremus, & meritis B. Virginis Mariæ ad te perveniamus teque in æternum fruamur.

CONCIO III.

SIGNIFICATIONES NOMINIS Mariæ.

I *Amarum mare.*
II. *Domina.*
III. *Illuminata & illuminatrix.*
IV. *Myrrha.*
V. *Stella.*

THEMA.

Jacob genuit Virum Mariæ, Matth. 1.

A. PRimo Regum. 17. ubi pugna Davidis cum Goliath describitur, legitur David de torrente quinque limpidissimos elegisse Lapides: quorum unum fundæ imponens & circumducens, in Goliathum ejaculatus, fronti ejus infixit, ipsumque communem Israelitarum hostem in terram prostravit. Goliath iste communem generis humani hostem Diabolum significat, contra quem omnibus nobis quamdiu in hoc mundo sumus, depugnandum est cum Davide. Teste Apostolo ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed qua ratione vincendus est & prosternendus hic fortis hostis diabolus? Quis ille lapis tam dexter & aptus ad conterendum caput ejus? utique limpidissimum & sanctissimum nomen Maria. De hac enim dicitur Gen. 3. prophetice (ut sentiunt SS. PP.) *Ipsa conteret caput tuum.* Id quod multifariam ipsa fecit. Cæterùm hic lapis ut quinque litteras, ita quinque expositiones habet: quas si rite ponderemus, & fundâ considerationis nostræ gyremus, diabolicum Goliathum non difficile prosternemus.

B. I. Primo. Exponitur amarum mare à mara, id est, amarum; & jam, id est, mare ut exponit Hieronymus l. de nom. hebr. Et hoc quidem in vita fuit filio compatiendo, ut ait S. Bonaventura in spec. Virg. quia particeps omnium tribulationum Christi, in paupertate, persecutionibus, itineribus, doloribus, angustiis individua ejus comes: ac sicut omnia flumina intrant in maria: Ita omnes dolorum Christi fluctus intrarunt in Mariam: ut posset dicere filio: *Omnes fluctus tuos induxisti super me,* Psalmo 87. Et quemadmodum guttas maris nemo numerare preterquam Deus potest: ita & dolores B. Virginis nemo alius intelligere; iis siquidem aliorum Sanctorum dolores comparati sunt tantum rivuli, tum ratione multitudinis, quia omnia Christi tormenta persensit in corde, tum ratione subjecti; quia passa est in anima, cujus dolores longe sunt acutiores, quos Simeon ei prædixit, Luc. 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Martyres vero si in corpore patiebantur, in anima recreabantur; tum ratione modi, quia spectare debuit filium patientem, pro quo ipsa libentius passa fuisset, quam patientem spectarit, quia filium longe plus quam seipsam diligebat. Multo igitur verius quam Noemi illa dicere tunc poterat Ruth, c. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amara, quia amaritudine valde replevit me omnipotens.* Taceant igitur Hæretici, qui tunc nihil doluisse eam asserunt. Nam quomodo tunc Matrem se ejus ostendisset, si filio non condoluisset? Sic enim Salomon agnovit veram matrem, quia commota sunt viscera ejus super filio 3. Reg. 3. Deinde si elementa compatiebantur ei: cor matris non condoleret? Cæterum sicut mare non redundat, licet omnia flumina intrent in mare, ut ait Ecclesiastes c. 1. ita & Maria, licet omnibus dolorum Christi fluminibus obrueretur, non tamen redundabat, quia nullum impatientiæ vel indignationis fluctum effudit in quenquam. Atque hic primus est hujus maris amari fructus, quo patientiam nos exercere in tribulationibus docet & fortitudinem. Quid enim sunt tribulationes nostræ, cum doloribus virginis comparatæ, nisi guttæ respectu maris? Tametsi enim filium aut charissimum tibi morientem videas, non tamen in Cruce pendentem vides. Tametsi ipsemet plurima patiaris, non tamen in te derivantur dolores Christi, qui derivabantur in Mariam. Igitur sicut vase cereo in mare immisso, & aliquamdiu inibi relicto, hauritur dulcis aqua, ut scribit Aristoteles lib. Meteor. c. 1. & 2. ita si nos vasa lutea, cerea & fragilia portantes cogitatione nos immittamus in mare amarum passionum Mariæ, dulcem crede mihi, inde hauriemus aquam. Dicemus enim: nihil est, dulcedo est, totum id quod patior, si cum Mariæ doloribus comparem. Alter fructus est fiducia liberationis de omnibus nostris angustiis per Mariam: quia enim ipsa angustiarum expertissima est & sciens infirmitatem, novit etiam nobis compati & succurrere. Itaque sicut mare ob innatam salsedinem minus patitur mergi naves, quam aqua dulcis, teste Aristotele, ubi supr. ita & Maria, amarum

Amarum mare.

rum inquam mare, minus patietur nos interire & mergi in nostris tribulationibus, quam si nullam calamitatem exantlasset.

C. II. *Domina.*

Secundo. Exponitur Domina, seu Magistra maris, à mora, id est, Domina vel Syriaco *Mara*, id est, Domina vel Magistra. Ita Hieron. ubi supr. Et hoc etiam congruentissimum est Mariæ nomen, siquidem ipsa pene in omni lingua *Domina* vocatur. Græce in Licurgia S. Iacobi, Basilii, Chrysostom. δέσποινα ἡμῶν: Italice, *la Madonna, vel nostra Donna:* Gallice, *nostre Dame*, Hispanice, *nuestra Sennora:* nostra lingua, unser liebe Frau. Quin etiam R. Acados celeberrimus Hebræorum Doctor, ante Christum, Matrem Mesiæ Dominam nuncupandam prædixit. Et quidem jure meritissimo; nam si Reginæ gaudent privilegiis & nominibus Regum, (nam & Imperatrices vocantur Augustæ) cur non etiam Mater Christi, privilegio filii? qui cum ab omnibus vocetur Dominus, cur non & Mater Domina? Imo si ipse Dominus subditus illi fuit, uti Lucas ait cap. 2. quomodo non ipsa Domina, imo Domina Dominarum, & Domina omnium creaturarum, si subditum habet creatorem? Sara antequam ejus Maritus Abraham Pater *multarum gentium* constitueretur à Deo, vocata fuit *Sarai*, id est, Domina mea vel Princeps mea. Post promissionem vero & constitutionem illam præcipit Deus Abrahæ ut vocet eam, non amplius *Sarai*, sed *Sara*, id est, Domina vel Princeps absolute, Genesis 17. quia nimirum antea Domina tantum unius mariti & familiæ fuit; postea vero plurimarum gentium per Isaac, quem paritura erat; ex quo Christus erat nasciturus, Pater omnium gentium. Itaque Sara Mariæ typus erat, ut enim illa secundum carnem Domina & Princeps omnium gentium erat; ita Maria secundum Spiritum. Et si Sara, tam remota Christi avia, ob Christum, domina vocari jubetur: quanto magis Maria ejus Mater? Iam vero Maria in terra unius tantum pauperis familiæ Domina erat: nunc autem postquam in cœlis sedet, & super omnes Sanctos constituta est, rectissime omnium gentium Domina & Princeps appellatur. Quo ex nomine bonos item fructus elicimus. Primo enim si Maria Domina & Magistra est, ergo potestatem habet nos modis omnibus juvandi, & bona omnia nobis dispertiendi. Cum in vivis degeret, vinum gratiæ nobis impetrare à filio poterat, sicut convivis quondam nuptialibus, Ioan. 2. Nunc vero ex quo in cellaria gratiarum & bonorum Dei introducta est, juxta id Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, & in cœlo juxta filium sedet, Domina gratiarum & Dispensatrix esse non dubitatur. Ea enim *antea quasi sub clave custodiebantur*, inquit Gerson tract. 4. super Magnif. *modo ei tanquam Reginæ patent omnia.* Secundo sicut Maria non prius dicta est Domina, quam ipsa se ancillam diceret: ita non meretur exaltari, qui non didicit humiliari; nec bene poterit præesse, qui non prius didicerit subesse. Qui in altum vult saltare: avis quæ de terra surgere & in altum evolare, prius sese deprimit, ut nisu fortiore elevetur. Hoc certe Maria fecit; hoc David, qui de post fœtantes acceptus & positus est in Regis solium; hoc omnes faciant necesse est, qui bene & sine periculo præesse volunt. Denique si nostra Domina est Maria: ubi ejus honor? ubi cultus? ubi obsequium? ubi timor? *Filius honorat patrem*, inquit Malachias cap. 1. *& servus Dominum suum: si ergo pater ego sum: ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Similiter ergo dico: si Domina nostra est Maria, ubi ejus honor, cultus, obsequium? ubi sunt qui Sabbathum, ejus diem honorant? qui in honore ejus labores vesperi deponunt, in ejus vigiliis jejunant: festo solenni confitentur, & communicant? Ubi ejus pedissequæ, quæ vitam ejus & vestigia sequuntur? videamus igitur, ne si nos servi ejus non simus, ipsa non sit nostra Domina.

D. III. *Illuminata & Illuminatrix.*

Tertio. Exponitur à quibusdam, illuminata, & illuminatrix, ut refert idem Hieronymus sup. & Eucher. libro 2. instruct. cap. 5. & alii, rectissime utrumque: Quis enim eam illuminatam dubitet, quæ ipsi Iustitiæ soli Christo perpetuo adhæsit in terris: & nunc adhæret in cœlis? Quod si Moyses spatio 40. dierum cum Deo loquens familiariter, ita luce perfusus est, ut non possent filii Israel intendere in ejus faciem, Exod. 34. quid de Maria credendum, quæ supra triginta annos cum ipso in eadem domo & mensa familiarissime conversata est, & nunc in cœlis perpetuo conversatur? Illuminatrix vero, quia ipsa Apostolos & primos Christianos secum viventes procul omni dubio instruxit, & per illos nos quoque. Propterea enim sanctus Anselmus libro de excell. Virg. capite septimo existimat, tamdiu eam in terris post Christum relictam, ut esset *doctrix Apostolorum.* Sanctus etiam Ambrosius libro de instit Virg. cap. 7. vult ab ipsa edoctum esse in multis Ioannem Evangelistam, qui præ cæteris historiam Christi quasi ad vivum descripsit. *Non miror*, inquit, *præ cæteris mysteria divina locutum, cui præsto erat aula cœlestium sacramentorum.* Ac propterea forte dicitur conservasse omnia verba hæc, id est, quæ circa Christum & ab ipso gesta sunt, ut postmodum alios ea doceret, ut sensit Gl. in capite 2. Lucæ ex Beda. Discimus hinc primo æquanimes esse in tribulationibus, quia enim illuminata est, nostras ærumnas & calamitates non ignorat. Sufficiebat sororibus Lazari, indicasse tantum Domino infirmitatem fratris: *Ecce quem amas, infirmatur*, Ioannis 11. tum enim non dubitabant adfuturum amico suo Dominum, ac quam primum advolaturum, quemadmodum & factum est. Sufficiat etiam nobis, videri calamitates nostras à Maria, vel saltem, precibus ei intimatas esse: non enim amat & deserit; non aspicit, quin juvet in ipsam confidentes: *Nunquid enim oblivisci potest Mater infantem suum?* Isaiæ 49. Maria clientes suos? Deinde qui doctus & illuminatus est, doceat

ceat & illuminet similiter proximum suum ; idcirco enim optime Maria comparatur Lunæ, quod uti Luna à Sole illuminatur , & communicatum sibi solis lumen , nocti mox communicat , ita & Maria participatum à Christo lumen , Apostolis & per eos nobis fideliter participat , sedentibus in tenebris. Decet igitur ut simili modo , qui illuminatus est, fit & illuminator: ut quæ in concionibus audivimus, in piis libris legimus; ignorantibus communicemus.

E. IV. *Myrrha.* Quarto, Exponitur à quibusdam , Myrrha maris , ab Hebræo Mor , id est *myrrha*. Hieron. dicto loco: ac propterea volunt aliqui sororem Moysis Mariam vocatam , quod eo tempore nata fit, quo cœpit amara Tyrannis Pharaonis præcipientis mergi infantes Hebræorum , ut tradunt Hebræi, & refert Corn. à Lap. in pentat. Rectè etiam Deipara myrrha vocatur ob passionis amaritudinem, quam sub cruce hausit. Sed non solum amarorem habet myrrha , verum etiam conservandi vim à corruptela , ac propterea Mariam nostram rectè vocamus Myrrham maris , quia ab ejus nativitate mundi conservatio cœpit , qui prius in profundum mergebatur penè totus ; ipsa siquidem mundi servatorem nobis peperit , ac deinceps meritis & intercessione sua mundi hujus vastum pelagus quantumvis inquietum & turbulentum conservare studuit. Maria itaque soror Moysis Israelitarum dejectionem & eversionem significabat : Maria Virgo mundi erectionem & conservationem nuntiabat : eaque figurabatur in Muliere illâ , 2. Reg. 17. quæ confugientes ad se Ionathan & Achimaas , ab Absolone ad necem quæsitos , abscondit in puteo, expandens velamen super eo , quasi siccans ptisanas. Maria est hæc Mulier, quæ mundum toties æternæ mortis reum , & à Deo ad necem merito quæsitum, velamine suarum abscondit precum & meritorum. Unde enim putamus venire, quod temporibus nostris , tam innumeri & gravissimi peccatores à Deo tolerentur , nec confestim puniantur morte subitanea & gehenna ; sicut factum sæpissimè legimus in veteri lege ? ibi gulosi diluvio absumpti : libidinosi incendio sulphuris & ignis de cœlo cadentis exusti : ibi rebelles & refractarii terra absorpti : ibi blasphemi ab Angelo percussi: ibi mali sacrificiorū ministri igne involuti : ibi qui arcam irreverenter aspexere vel tetigere, morte subita plexi. Nunquid modò in mundo non gulosi? nunquid non blasphemi ? nunquid non mali Ecclesiæ ministri , & qui sacra & sacramenta irreverenter tractant & percipiunt ? Imò verò innumeri : Quis retinet Dei iram ? Utique Maria , myrrha conservans mundum perditum. Ipsa expandit super nos pallium suum , & ab ira Dei repentina protegit nos sicuti pavo mater pullos suos à masculo , qui eos perdere quærit, quia sibi dissimiles videt. Non adducor una causa, ut hoc dicam. Testantur id SS. Patres: testatur mundi perditissimi conservatio , qui nisi interveniente summa Interventrice conservari in tanta perversitate non posset. Testantur visiones & varia exempla. D. Antoninus Archiepisc. Florentin. 3. p. Coron. & Thom. Bozius de sig. Eccl. lib. 9. cap. 10. referunt ex vita S. Dominici , cum Oriens ab Ecclesia totus esset abalienatus, Fridericus II. in Occidente ut Pontificiam potestatem everteret , ferro & flamma omnia vastasset , Saladinus in Syria nostros profligasset , atque ita interitus Ecclesiæ totalis immineret , tunc vidisse sub oratione Christum humano generi iratum tres lanceas in terras vibrasse, quasi eas extincturum ; Mariæ verò filium amplexantis & retinentis precibus sedatum esse : & ab illo tempore tranquillitatem maximam Ecclesiæ subsecutam esse. Alio tempore visum similiter Christum hominibus iratum à pio quodam viro scribit idem Antoninus ib. c. 6. §. 3. Cum comprehensum velut manu totum orbem concutere videretur , quasi in barathrum præcipitaturus, illo adjuncto : *cum judicatur , exeat condemnatus*. Quo spectaculo vir pius territus ad Virginem clamat : *S. Maria succurre miseris* , moxque illa dilationem vindictæ impetrat , quoad per concionatores mittendos homines revocarentur à sceleribus. Discamus hinc charissimi , quantum debeamus Mariæ , propterea quia myrrha maris est , mundi Conservatrix.

F. V. *Stella maris.* Quinto. Exponitur stella maris. Ita Hieronym. & Euchar. ubi sup. Et talis denique Maria est: non utique tantum mundi conservatrix ut sup. dixi , sed cujuscunque afflicti & peccatoris refugium , spes , & solatium , sicut stella maris de nocte navigantibus & inter fluctus periclitantibus. Unde Bernard. hom. 2. de B. Virg. ait : *nomen virginis Maria, quod interpretatum maris stella dicitur , ipsa est præclara & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis.* Porro stella polaris est , quæ nautas maximè dirigit, quia ea polo vicinissima , & penè immobilis , poli altitudinem & per hoc iter nautarum in tenebris ostendit & dirigit. Similiter Maria polo, qui Christus est , in cœlo vicinissima , habet apud ipsum preces præ reliquis Sanctis maximè immobiles , quatenus ab ipso multa audet petere & potest impetrare , quæ cæteri Sancti non auderent : sicut & merita longè excellentiora habet. Igitur qui in tenebris peccatorum, Cymmeriis licet , navigat , qui in periculo animæ vel corporis est , stellam hanc respiciat, Mariam vocet. *O quisquis*, subjungit sup. Bernardus, *te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & potestates fluctuare, quàm per terram ambulare , ne avertas oculos à fulgore hujus syderis , si non vis obrui procellis: respice stellam, voca Mariam.* Nemo potest dicere : non novi stellam istam. Notissima est mundo, pueris & puellis : gentibus & hæreticis. Petunt namque isti etiam Eleemosynam à nobis , per Deum & Mariam. Nemo potest dicere ; non miserebitur mei hæc stella , quia ipsa amarum

rum mare eſt, miſerias experta, miſeris compati docta. Nemo poteſt dicere: non poſſum juvari ab hac ſtella: ipſa enim Domina eſt, Chriſto in polo proxima. Nemo poteſt dicere: non videor ab hac ſtella; ipſa enim illuminata eſt, ſciens & conſiderans calamitates noſtras. Nemo poteſt dicere: non ſervabor ab hac ſtella, ipſa enim myrrha conſervans eſt, etiam perditisſimorum hominum, exitio proximorum. Nemo poteſt dicere: non habeo acceſſum ad eam, ipſa enim in cœlo conſpicua eſt, parata ad capitulandum omnibus. Nemo denique poteſt dicere: non indigeo hac, qui in tenebris peccatorum non navigo. Tametſi enim fortè nunc non navigas, navigabis tamen aliquando, & in mediis tenebris appelles, quod omnium periculoſisſimum, mortis ſcilicet in articulo: Et cur putatis vult Ecclesia ut Mariam omnes invocemus pro felici obitu, dicendo: *ora pro nobis, nunc & in hora mortis noſtræ?* Nimirum optimè novit, quam periculoſum ſit appellere in articulo mortis, mediis viarum tenebris, & propterea monet ut ſtellam illam ſemper intueamur, & ad portum conſequendum propitiam nobis reddamus. Unde Bernardus ſuperius dictis, ſubjungit: *ſi inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum: reſpice ſtellam, voca Mariam, ſi jactaris ſuperbiæ undis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia aut carnis illecebra, naviculam conceuſſerit mentis: reſpice Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore præterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis.* Hæc Bern.

Itaque lapidem iſtum fundæ conſiderationis impoſitum ſedulò gyremus, & in hoſtem animæ noſtræ ejaculemur: ipſe conteret caput ejus.

CONCIO IV.

OSTENDITUR DEIPARÆ debere ſummam gratiarum plenitudinem & dignitatem.

I. Quia filium Dei concepit.
II. Quia geſtavit in utero.
III. Quia peperit.
IV. Quia lactavit.
V. Quia educavit.

THEMA.

De qua natus eſt IESUS, Matth. 1.

A. NArrat Lucianus in hæreſibus, Phidiam ſtatuarium inſpecto leonis duntaxat ungue quantus eſſet leo, perpendiſſe, totumque ex indicio unguis effinxiſſe; atque hinc adagium ortum: *Ex ungue leonem.* Sperabamus Sanctum Matthæum in hodierna Chriſti genealogia, quando ad ſanctiſſimam ejus matrem veniendum eſſet, leonem nobis exhibiturum, hoc eſt, matris dotes egregiè deſcripturum: ſed pro vaſto corpore, unguem tantum exhibuit, dum aliud de ea nihil edixit, quam quod de ea natus ſi IESUS. Verum non difficile eſt nobis ex ungue leonem, & ex brevisſimo hoc verbo virginis Mariæ dignitatem cognoſcere. Tam enim prægnans eſt hoc verbum ut inde, qualis ſit heroiſſa Deipara, non difficilè colligere poſſumus. Ex hac una venula fons omnium gratiarum in Mariam derivatur.

B. I. *Quia filium Dei concepit.*

Primò. Quia filium Dei concepit, formatum è materno ſuo ſanguine, opera Spiritus Sancti. Nam ut argumentatur D. Thomas 3. p. q. 7. a. 9. & q. 27. a. 5. Quo magis aliquid appropinquat ſuo principio ſeu fonti, eo magis participat de illo: jam verò humanitas Chriſti inter omnes creaturas propinquisſima eſt Deo, qui eſt cauſa & fons omnis gratiæ, unde ea maximam gratiarum plenitudinem debuit recipere. Poſt illam propinquisſima fuit Deo Maria, quia ex illa carnem ſeu humanitatem illam aſſumpſit; ergo poſt humanitatem Chriſti, ſumma gratiarum plenitudo debetur ipſi ſuper omnes alias creaturas. Major oſtenditur inductione. Quo enim arbor aliqua vicinior eſt ripæ fluminis, eo magis viret ac floret: Quo quid propinquius eſt igni vel lumini, eo magis calet vel lucet: qui vicinior fonti, plus haurit. Ideo dicitur in Apoc. c. 12. *Mulier amicta Sole*, ob propinquitatem videlicet tota radians & illuminata à ſole, ſicut aëris ſuprema regio lucidior eſt quam infima, quia ſoli vicinior. Itaque ſicut meritisſimo attribuimus Chriſti humanitati ſummam gratiæ plenitudinem, ſummam ſcientiam, virtutes omnes in ſummo gradu, ſummam venerationem, ſummam gloriam, &c. præ omnibus creaturis: ſic etiam poſt illam, attribuenda eſt Deiparæ, ſumma ſapientia & ſcientia, ſummæ virtutes, merita, honor, gloria, &c. *Quemadmodum enim decentiſſimum fuit*, inquit Dionyſius Carthuſ. initio l. 1. de laudib. Virg. *ut illam naturam, quam Creator voluit ſuæ perſonæ unire omni chariſmate gratiæ ac gloriæ, omni virtute perfecta ac dono Spiritus ſancti ſumme & incomparabiliter decoraret, eodem inſtante quo eam aſſumpſit: ita omnino condecens fuit, ut virginem illam, quam ſibi matrem elegit, poſt humanitatem aſſumptam, univerſis gratiæ ac gloriæ chariſmatibus inenarrabiliter excellentius munificentiuſque ornaret, quantum decuit ſine dubio matrem præ mini-*

ſtris exornari, exaltari, atq; Deificari. Et ſicut non decuit naturam humanam, niſi pulcherrime atq; incomparabiliter decoratam aſſumi à Verbo; ita nullatenus decens fuit perſonam humanam effici Dei matrem, niſi ſpecioſiſſimè & glorioſiſſimè ornatam. Sic ille. Quod ſi ad Aſſuerum Regem nulla puellarum intrare poterat, niſi prius regiis ex impenſis mundo muliebri pulcherrimè adornaretur, & ſex menſibus oleo myrtino ungeretur, & aliis ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus uteretur, ut haberetur c. 2. Eſth. quanto magis decuit adornari Mariam talibus gratiarum ornamentis, antequam ad Deum adduceretur, ut ex ipſa fieret homo? Rurſum ſi Deus Iudithæ præter ſplendidisſimum ejus ornatum, *contulit inſuper ſplendorē & ampliavit hanc in illam pulchritudinem* (ut dicitur Iudith. cap. 10.) *ut incomparabili decore omnium oculis appareret; & Holoferni placeret,* quem ejus manu occidere parabat; Virgini ad excipiendum utero Dei filium, quid conferre, qualem mentis ſplendorem, qualem pulchritudinem largiri non voluit?

C. II. *Quia geſtavit in utero.*

Secundo. Quia Dei filium geſtavit in utero novem menſibus. Si enim domus, quâ terrenus Rex excipitur, pretioſis adornatur aulæis & omni ſupellectile ſplendidisſima inſtruitur, nec non odoribus perfunditur: matrem, quæ Deum non tantum hoſpitio excepit, ſed velut in proprio habitaculo novem menſibus tenuit, quibus gratiæ ornamentis, quibus virtutum odoribus perfuſam fuiſſe credendum eſt? Unde S. Anſelm. de excellent. Virg. c. 3. *Si talis apparatus pro adventu terreni hominis (ſcil. Regis vel Monarchæ) qualis apparatus omnis boni, putamus, fiebat pro adventu cœleſtis Regis in corde Virginis, quæ illum non erat tranſitivè hoſpitatura, ſed etjam ex ſubſtantia ſua factum hominem paritura?* Qualem thronum ſibi fabricarit Rex terrenus Salomon, videre eſt l. 3. Reg. c. 10. *Fecit Rex Salomon*, ait ſacer textus, *thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus: duæ manus hinc atq; inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant juxta manus ſingulas: & 12. Leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Num tale opus & talis thronus decuit Salomonem, & non magis Dei filium? Rectisſimè itaq; gloſſa eo loco per hunc thronum intelligit Mariam, in cujus gremio Chriſtus ſedit tanquam in throno nobilisſimo: De ebore, quod ratione albedinis & frigiditatis ſignificat puritatem Mariæ, in aliis refrigerantis motus libidinis, grandem, imo grandisſimum meritis. *Et veſtivit eum auro fulvo nimis:* ferventisſimæ ſcil. charitatis. *Qui habebat ſex gradus*, qui continentur Luc. 1. ubi Chriſtus eum conſcendere volebat. Primus oratio ſolitaria, cum dicit Lucas: *Et ingreſſus ad eam Angelus.* Bern. ſuper miſſus eſt. *Quo ingreſſus? in ſecreto cubiculo, ubi orabat Patrem in abſcondito.* 2. eſt virginalis verecundia, ibi, *turbata eſt in ſermone ejus.* Tertius eſt diſcreta prudentia; ibi, *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* 4. inquirentis diligentia; ibi, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* 5. eſt humiliantis ſe decentia; ibi, *Ecce ancilla Domini.* 6. fidelis obedientia; ibi, *fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Pergit ſcriptura in throno Salomonis? *Et duæ manus hinc inde tenentes ſedile;* per quas ſignificabantur duæ operationes, activæ vitæ & contemplativæ, quæ excellentes fuerunt in virgine: *Et duo Leones ſtantes juxta manus ſingulas:* ſc. duplex fortitudo, in aggrediendis arduis & tolerandis adverſis. *Et duodicim leunculi, &c.* id eſt duodecim fructus Spiritus S. qui habentur ad Gal. 5. vel duodecim prærogativæ illius, de quibus in Feſto Concept diximus: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Nam neq; in terris eſt aliqua creatura pura ei ſimilis. Quam vere hæc applicet Deiparæ gloſſa, vel ipſummet Davidem teſtem adducere poſſumus. Si enim ipſe indignum cenſuit, ut arca Dei moraretur in medio pellium; ipſe verò habitaret in domo cedrina: quid dixiſſet, ſi vidiſſet filium ſuum ſedere in tali throno: filium verò Dei ſedere in utero Virginis, debitis chariſmatum ornamentis deſtitutæ? *Videſne*, inquit ad Nathan, *quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium,* 2 Reg. 7. Et ipſe quidem ilicò ædificaſſet arcæ domum ſplendidisſimam, niſi Deus hoc vetuiſſet, & differre ad Salomonem voluiſſet, præparavit tamen nihilominus ingentem ſummam auri & argenti & omnis generis metalla pro illa; quam Salamon extruxit ſplendidisſimam. *Opus enim grande eſt*, ait David 1. Par. 29. *neque enim homini præparatur habitatio, ſed Domino Deo. Ego autem totis viribus meis præparavi impenſas domus Dei mei: aurum ad vaſa aurea, argentum in argentea, &c.* Quam inſuper implevit etiam nebula Domini, cum in eam arca induceretur. Quæ omnia oſtendunt, quid debeatur matri Dei. Atque hoc in oratione illa tangit Eccleſia: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparaſti, &c.*

D. III. *Quia peperit.*

Tertio, Quia filium Dei peperit, eundem inquam illum, quem Deus Pater ab æterno genuit; ita ut ſicuti ipſe dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita idipſum Maria in die partus ſui dicere potuerit. Unde affirmat S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. titulum matris Dei infinitam quandam dignitatem continere: quoad rationem videlicet maternitatis; quia melior ac dignior mater eſſe non poteſt, quam Dei mater: ſicuti nihil majus eſſe Deo poteſt. *In humano genere,* inquit Card. Petrus Damiani in ſerm. 2. de Nativit. *ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis inſignitur; B. vero Maria licet de generoſa ſit parentum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſimæ nobilitatis genus, qui de illo eſt novo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam ſobolem omnem humani ſtemmatis excedit nobilitatem. Clara proavorum titulis, ſed incomparabiliter clarior generoſitate prolis: filia ſiquidem Regum, ſed mater Regis regum.*

gum. Eſt enim virgo θεοτόκος, id eſt Deipara, non denominatione tantum extrinſeca, quo modo aliqua eſt mater Epiſcopi: ſed quia in ejus utero unio hypoſtatica facta eſt: adeoque genuit Deum & hominem: genuit & geſtavit in utero Regem, quia jam tunc Rex erat; Unde Magi: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex?* Quando ergo filius matrem evexit ad ſummam illam dignitatem, decuit ut eidem conferret, quidquid eam conſequitur. Non enim elargitur Deus vacuos titulos: ſed quemadmodum S. Thom. 3. p. q. 27. a. 5. ait, unicuique datur gratia à Deo ſecundum hoc, ad quod eligitur: ergo quia ad ſummam illam dignitatem elegit Mariam; ſequitur etjam ea illi attribuiſſe, quæ talem matrem decent, ut nimirum gratiis, & privilegiis omnem ſuperaret creaturam. Itaque ſicuti Chriſtus Rex Regum: ſic & Maria poſt ipſum, Regina omnium Sanctorum jure merito eſt: & ſicut Chriſtus ad Regis Regum titulum omnem habuit neceſſarium apparatum: ſic decebat habere quoque ſuo modo matrem. Ut enim Aſſuerus, quando Eſtherem connubio ſibi junxit & Reginam fecit, ſtatim poſuit diadema regni ſui in capite ejus & fecit eam regnare, Eſth. 2. ſic decebat fieri Deiparæ. Iam verò quid conveniat Reginæ, facile eſt indagare. Competit inprimis formæ elegantia & nitor abſque macula vel deformitate: ita, *decens erat*, inquit Anſelmus lib. de Concep. Virg. cap. 18. *ut ea puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi; Virgo illa niteret, cui Deus filium ſuum ita dare diſponebat, ut eſſet unus idemq; Dei patris & virginis filius, &c.* Competit Reginæ veſtium ſplendor, quantus eſſe poteſt maximus: ſic etiam Mariæ virtutum omnium ſplendor incomparabilis, quia omnis gloria filiæ regis ab intus: externa dona nimis vilia erant. Competit Reginæ nobile famulitium & cuſtodia ſatellitum: ſic etiam Mariæ aſſiſtentia Dei ſingularis & Angelus cuſtos Gabriel, ad præſervandam eam ab omni lapſu & infeſtatione dæmonum. Competit Reginæ nobile gynæceum: ita & Mariæ familiaritas SS. Angelorum. Competunt Reginæ reditus ampliſſimi: ſic etiam Mariæ meritorum cumulus plus quam ſit omnium Sanctorum. Competunt Reginæ regia privilegia & exemptiones à communibus legibus: ſic etiam Mariæ plurimæ prærogativæ eam condecentes, ut immunis eſſet à vectigali originalis peccati, ut ſine damno virginitatis mater eſſet, ut ſine dolore pareret, ſine dolore mortem oppeteret, ſine corruptione ante communem reſurrectionem reviviſceret, &c. Competit Reginæ veneratio ſingularis & poſt Regem ſumma: ſic etiam Mariæ cultus hyperduliæ, velut matri Dei. Competit Reginæ prima poſt Regem ſeſſio: ſic etiam Mariæ prima poſt Chriſtum in cœlo ſedes.

E. IV. *Quia lactavit.*

Quartò, quia Dei filium lacte ſuo virgineo pavit. Nam & hinc debetur Virgini maxima dignitas: Si enim Reges quærunt liberis ſuis nutrices ſelectiſſimas, nobiles ac virtuoſas; quia videlicet cum lacte imbibitur ab infante inclinatio quædam ad virtutem vel ad vitia, (An non Cajus Caligula naturæ crudelitatem ex nutricis ſuæ alimento hauſit? An non Titus continuam ægritudinem: & Tiberius Cæſar bibacitatem inde traxere?) quam nobilem & virtuoſam decuit eſſe Mariam, quæ ad hoc electa fuit, ut filium Dei lactaret? Hinc enim devota illa mulier dixit Chriſto Lucæ 11. *beatus venter qui te portavit, & beata ubera quæ ſuxiſti.* Si enim Chriſtus beatos dixit Apoſtolorum oculos, qui ipſum viderent, Luc. 10. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis:* quanto beatiora Deiparæ ubera, quæ Deo lac propinarunt? Nec fruſtra Eccleſia canit: *Quem Virgo lactabat ubere de cœlo pleno.* Tantam enim eſſe hanc dignitatem vult, lactandi filium Dei; ut lac illud non terrenum, ſed cœleſte, hoc eſt, cœlis ipſis præſtantius eſſe debuerit. Sane in hoc etiam Deipara Seraphinos ipſos ſuperat: nam licet illi Chriſto miniſtrarint poſt tentationem, adeoque cibum & potum, juxta communem ſententiam præbuerint, id tamen longe minus eſt eo, quod exhibuit Chriſto Mater. Quando ſenuerat David Rex & veſtibus coopertus calefieri non potuerat; quæſierunt illi ſervi ejus adoleſcentulam virginem, ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael & pulchram nimis, quæ ſtaret coram Rege & foveret eum, 3. Reg. 1. ſi ergo Regi ſeniculo talis debebatur miniſtra: an non multo formoſior & ornatior virtutibus debebatur nutrix Dei filio infanti?

F. V. *Quia educavit.*

Quintò, Quia filium Dei educavit & inſtituit. Nam & hinc concludi poteſt, optimam & omni virtutum genere excultiſſimam debuiſſe eſſe Dei matrem, quæ & apta eſſet inſtituere & dirigere abſque ullo errore filium ſapientiſſimum, imo ipſam Dei ſapientiam: & præterea digna, cujus imperio & directioni ſe Dei filius ſubjiceret. Veriſſimum eſt, quod Sapiens ait Eccleſiaſt. 22. *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.* Uti etiam contra, gloria parentum eſt filius ſapiens: quia filius benè diſciplinatus & virtuoſus, bonos ſe habuiſſe parentes educatores oſtendit: & malus viciſſim malos. Hinc Diogenes videns aliquando adoleſcentem mero ſtupidum & prorſus inſipientem: *Adoleſcentule*, inquit, *ebrio ſeminatus es patre*, apud Stob. Contra vero videns Chriſti ſapientiam & virtutes pia illa fœmina Luc. 11. ex eo ſtatim collegit & prædicavit bonitatem ipſius matris: *Beatus venter qui te portavit, &c.* Ratio, quia qui fructum deprehendit optimum, arborem quoque laudat; unde ille prodiit. Der Apffel fällt nicht weit vom Stamm. Itaque plenam omni ſapientia & virtute oportuit eſſe illam matrem, quæ filium DEI inſtituit & ſubditum ſibi habuit. Quemadmodum enim Deus Beſeleelem implevit Spiritu DEI, ſapientia & intelligentia & ſcientia & omni doctrina ad cogitandum, ſeu ut LXX. vertunt, ad *docendum*, nimirum alios artifices; ut ita per eum tabernaculum fabricaretur affaberrime & juxta præ-

ſcriptum

ſcriptum exemplar à Deo, Exod. 35. Ita quoniam B. Virgo accuratisſimè inſtituere debebat filium: omni virtute & ſapientia prædita eſſe debuit. Tametſi enim filius inſtitutione non eguit, geſſit tamen ſe uti puer per omnia obedire parentibus volens: atque ita neceſſe fuit, ut parentes ejus nihil inconveniens ei præciperent, ſed omnia decentisſima.

Verum ſummam hujus tituli dignitatem enervare videntur verba illa Chriſti, quibus mulieri ſupra dictæ reſpondit: *Quin imo beati qui audiunt verbũ Dei & cuſtodiunt illud. Hoc enim eſt dicere*, inquit Auguſt. tr. 10. in Ioan. *mater mea inde felix eſt, quia Dei verbum cuſtodit; non quia in illa verbum caro factum eſt.* Sed reſpondetur, dupliciter intelligi poſſe hunc titulum maternitatis Dei, vel per ſe ſolum, abſque illa, quam poſtulat, gratia: vel ſimul cum illa. Priori modo ſi ſpectetur, verum eſt, quod ait Aug. ſi poſteriori; quomodo nos accipimus, certum eſt, ſummam eſſe beatitudinem, & felicitatem matris Dei. Mulier verò illa videtur ſolum reſpexiſſe ad maternitatem præcisè, non ad conſequentem ejus gratiam. Sic dicimus hominibus nobilibus, gloriantibus in ſola natalium nobilitate: nobilitatem generis nihil eſſe. Non tamen eam ſpernimus, ſi eam ſequantur nobilia & generoſa facta; quin potius indicare volumus, nobilitatem eſſe præclarum DEI donum, quia eam conſequi debet ac ut plurimum ſolet virtutis ardor & amor; ſine hac ſequelâ nihil eſſe. Abſolutè igitur & ſimpliciter Deipara verisſime beata, hoc ipſo quod mater Dei, quia hunc titulum ſumma gratia & admirabilis virtutum omnium chorus & ſumma gloria comitatur. Secundo hac reſponſione voluit Dominus mulierem abducere à beatitudine matri ſuæ peculiari, ad beatitudinem omnibus communem, & quam ipſa mulier etiam conſequi poſſet, q. d. vere quidem beata mea mater: ſed hæc illi beatitudinis ratio propria eſt: oſtendam autem tibi, quomodo & tu beata eſſe adeoque modo alio mater mea fieri poſſis; Si nimirum verbum Dei in corde tuo concipias & conſervas tandemq; per operationem bonam parias. Tales enim in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum afferunt in patientia, ait Luc. 8.

Sed ad hæc quid turpisſimus ille ſacri fontis fœdator & Iconoclaſta Conſtantinus Copronymus Imp. Græcus? Ajebat is, Deiparan quidem fuiſſe honore dignam quoadusque Chriſtum geſtavit in utero: eum porro ubi enixa eſt, nihil fœminis aliis dignitate præcelluiſſe: quemadmodum loculi auro referti tamdiu habentur in pretio, quamdiu illud continent: poſtmodum verò abjiciuntur: Cum enim aliquando marſupium aureis nummis plenum quibuſdam oſtendiſſet ab eis quærens: *Quantinam hoc marſupium valet*, *multum* reſponderunt illi. Cum verò aurum ejeciſſet, iterumque idem interrogaret: *nihil*, reſponderunt illi. Tum is, ita ſe res habet cum Dei parente, &c. Theophanes Theol. in Niceta & Suidas. O blaſphemum os! Sed nonne mulier illa ſup. dicta prædicabat ventrem Mariæ beatum etiam poſt partum? Deinde ſi Chriſtus hoſpitii ſui uberem mercedem undique reliquit, ut in domo Marthæ, Simonis, Zachæi, &c. Num ergo ſolam matrem ita ingratus eſſe voluit, ut debitam hoſpitii mercedem ei non refunderet pro geſtione in utero, pro lactatione, pro educatione nihil rependeret? Denique abſurda eſt illa locorum ſimilitudo: nihil enim accipit aurum à loculis: Deus autem de Virgine carnem aſſumpſit ejusque filius manſit, ac manebit in omnem æternitatem. Sed quid neceſſe ut reſpondeamus Iconoclaſtæ, cui ſat ſuperque reſpondit ipſa Virgo? Ad extremum enim in expeditione Bulgarica cum eſſet divinitus in cruribus plaga percuſſus, & febre validisſima correptus, dum Conſtantinopolim verſus deferretur, mortuus eſt, clamans ac dicens: *vivens adhuc igni ſum inextinguibili traditus propter Mariam Deiparam.* Iubebatque eam deinceps honorari ut Deiparam, Cedren. Theoph. Glycas. Sed quid impiisſimo illi dicemus Luthero, qui in ſerm. de Natali. Virg. habito, in iſtam vocem erupit. *Omnes Chriſtiani æq; magni ſumus ſicut mater Dei & æque ſancti.* O blaſphemiam inauditam! ò linguam præcidendam & patibulo affigendam! fornax infernalis, ſi nondum ſatis ardes ſuper hunc blaſphemum, ſuccendaris centuplum. Quid enim tibi religionis & fidei deſertori, commune cum Deipara? Et quomodo tecum ipſe pugnas ut natalem ejus celebres, quam te meliorem non cognoſcis?

Nos itaque extollamus vocem cum muliere illa: Beatus venter &c. Et cum Eccleſia: *Felix namq; es S. Virgo Maria & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Ex hoc enim fundamento verum eſſe apparet, quidquid ſcribunt SS. Patres, quidquid præclari nos excogitare poſſumus. Tametſi enim ea ſecundum literam in ſcripturis non reperiantur, verisſima tamen illa non dubitemus, quia ex ungue leonem, ex maternitate cæterorum laudum cumulum deprehendimus. Audacter itaq; ſi de vita Virginis quæras, reſpondeo in utero ſanctificatam, habuiſſe intelligendi vim, voviſſe virginitatem: natam vero Deo perpetuo ſerviviſſe, contemplationi deditam, & vitæ activæ; ſemper optima cogitaſſe, optima locutam, optima egisſe, ſuperaſſe omnes Sanctorum virtutes & merita, &c. Hanc enim virtutum & gratiarum omnium eminentiam deberi matri Meſſiæ dudum ante Chriſtum natum prævidit Rabbi Haccados, quem Iudæi Magiſtrum ſanctum appellabant. Hic, ut tradit Petrus Galatinus de arca. Cath. Verit. cap. 4. dixit: *Sicut abacus eſt armarium, quod Principes conficiunt ut auri & argenti vaſcula in eo recondant ſuamque gloriam & opes cunctis oſtendant: ita Regis Meſſiæ mater erit armarium, quod Deus ipſe conſtruxit ut Meſſias in ea ſedeat, ad majeſtatis ſuæ gloriam mortalibus omnibus monſtrandam.* Felix ergo es Virgo & omni laude dignisſima, &c.

CON-

CONCIO V.

OSTENDITUR MARIAM Matrem esse Justorum.

I. Quia est mater Christi.
II. Quia Christus eam matrem justorum sub cruce constituit.
III. Quia ad salutem justorum cooperata multis modis matris officium præstitit.

THEMA.

Nunc ergo filii audite me, Prov. 8.

A. SÆpe mecum ipse cogitavi, Auditores, quid communi nostro Parenti Adamo venerit in mentem, quando accepta mortis sententia, vocavit nomen uxoris suæ *Heva*, id est, *vita* seu *vivens*, & quidem ob eam causam, quod esset mater cunctorum viventium; quo enim jure vocatur Heva seu vita, quo jure dicitur mater viventium, quæ ex Dei sententia potius mater est omnium morientium, ipsaque morti addicta. Unde est non nemo, qui asserat Adamum hic insaniisse. *Mirabile est*, inquit Rupertus cap. 26. 3. l. de Trinitate, *quod ubi mortis corporeæ sententiam ferebat, ibi Uxorem suam Evam, id est, vitam appellavit. Quid insanius, quam in illo talis causæ judicio illam nuncupare Evam, id est, vitam, quæ nec saltem habebat vitam, & dicere matrem cunctorum viventium eam, quæ potius est mater cunctorum morientium?* Alii quidam per amarum jocum & acerbam Ironiam hoc dixisse Adamum putant, apud Perer. in Gen. Verum in spiritu aliò respexisse videtur Adam ad veram, inquam, matrem omnium viventium & vere viventium, Mariam, quam adumbravit Eva: quia ut hæc mater est omnium viventium carnaliter & ærumnose: ita illa mater est omnium viventium spiritualiter & beatè: Unde S. Epiphan. hæresi. 78. *Maria*, inquit, *per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut mater viventium vocetur.* Et infra: *Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est mundum? Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, &c.* Sane multo potiori jure mater viventium vocanda est, quam Eva. Hæc enim mortem nobis attulit, dum in Patre nostro Adamo vocem ejus audivimus & comedimus cum illa: quam ob causam contemplantur aliqui, accusari illam etiamnum à parvulis nascentibur, qui E vel A. prima lamentantur voce, juxta versum:

Dicent E vel A, quotquot nascuntur ab Eva.

At verò Virgo Maria vitam nobis attulit veram & æternam. Hæc ergo mater nostra est, hanc nos audiamus, quia ad vitam vocat. Unde in hodierna Epistola in persona ejus loquitur Sap. *Nunc ergo filii audite me.* Itaque audiamus. Triplici argumento possumus ostendere Deiparam esse Matrem justorum, seu viventium in gratia.

B. I. *Quia est mater Christi.* Primò. Quia est mater Christi Domini; Christus autem partim pater, partim frater, partim sponsus est justorum: & omnibus his titulis Deipara illorum mater. Pater noster est Christus, quia per ipsum spiritualiter renati sumus in baptismo ad vitam æternam, & facti adoptivi ejus filij, ad Gal. 4. Unde ab Isaia cap. 9. prædicitur vocandus *Pater futuri sæculi*, id est, eorum qui ad futurum sæculum vitæ beatæ pertinent. Et Christus ipse Ioan. 13. vocat discipulos suos, *filiolos*.

Iam si Christus pater est, sequitur Christi matrem, matrem etiam nostram est, quia quod est causa causæ, est causa etiam causati: Sic Eva quoad carnalem generationem dicitur Mater cunctorum viventium Gens. 3. & Sara mater omnium Iudæorum. Sicut Abraham eorundem Pater, Isaiæ 51. Hinc Salomon Cant. 7. ventrem Mariæ deprecans dicit: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Quamvis enim venter Mariæ (virginitatis voto velut liliis vallatus) unum tantum germinarit granum frumenti, quia tamen illud in cruce mortuum plurimum fructum attulit, ideoque de uno grano tritici acervus est factus, completumq; illud propheticum: *Et valles abundabunt frumento*; uti advertit S. Ambros. l. de instit. Virg. c. 13. hinc rectè omnino dicitur totius acervi mater; & totus filiorum Christi acervus in utero ejus contentus fuisse. Sic dictum est Rebeccæ geminos in utero gestanti: *duæ gentes sunt in utero tuo*, &c. quod ex illius geminis duo populi essent nasciturі, Gen. 25.

Frater noster est Christus ob naturæ humanæ consortium. Unde ad Rom. 8. dicitur *primogenitus in multis fratribus.* Et Ioan. 20. vocat Discipulos fratres suos. Iam verò, si Christus est credentium frater, cur non ipsa, quæ genuit Christum, credentium mater? Ipsa enim tribuendo carnem Christo, fratrem eum nostrum effecit.

Sponsus noster est Christus, quia animas nostras per fidem & charitatem sibi desponsat, id est, unit sibi vinculo dilectionis, & obligat se vicissim illis ad regnum suum assumendis, atque ita mutua traditione, acceptat sponsam & tradit se Sponsæ, fecitque hoc Christus triplici ratione: Primo in Incarnatione, quando carnem nostram sicque Ecclesiam totam sibi copulavit. Secundò in passione, quando sponsam suam sanguine suo lavit & emit. Tertiò in Pentecoste, quando Spiritum Sanctum velut desponsationis arrham Ecclesiæ suæ dedit. In Philo Episc. Carpathior. in Cant. c. 3. tom. 1. Biblioth. SS. PP. Iam verò communiter & rectè mater Sponsi solet vocari etiam mater sponsæ; siquidem sponsus & sponsa sunt quasi una caro: Uti & socer Pater vocari generi solet.

Videmus ergo quanto jure Deipara vel ex uno capite mater nostra sit. Si enim humano more de hac re loqui vellemus, dicendum esset, Mariam esse Aviam, matrem & socrum nostram: Aviam ex primo, matrem ex secundo, socrum ex tertio titulo.

C. II. *Quia Christus eam matrem justorum sub Cruce constituit*

Secundo. Quia eam Christus in Cruce moriturus speciali legato matrem justorum constituit, quando eam Ioannis matrem esse voluit. Ioannes autem Christo crucifixo adstans omnes repræsentavit, tum propter nomen, (*Quia enim Joannes interpretatur, in quo est gratia,* inquit Sanctus Antonius 4.p.tit.15.c.2. *cuilibet etiam, qui Joannes dicitur & existit, in quo scilicet est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem*) tum quia Ioannes apud Christum dilectione fuit præcipuus: denique quia solus ex discipulis, adeoque nomine omnium quodammodo præsens Christo morienti fuit. Nec immeritò, Christus voluit tunc matrem suam matrem etiam esse justorum. Sicut enim ipse nos genuit ad vitam spiritualem, in cruce patiendo: ita & Deipara suo modo, compatiendo scilicet filio, uti docet ex Anselmo S. Antonius l. c. Pretiosissimum hoc legatum præfiguratum esse videtur in pallio Eliæ. Sicut enim olim Elias 4.Reg.2.in curru igneo, per turbinem evectus, ascendens in cœlum, Elisæo pallium suum reliquit, per quod ipse Elisæus 3. Reg. 19. à laborioso & humili arandi opere ad salutarem & honorificam Eliæ sequelam antea fuerat traductus, & in quo postea admirabilia effecit, cum Iordanis aquas, ut per eas sicco vestigio pertransiret, divisit: ita Christus per turbinem passionis in curru crucis flammis Charitatis undiq; flagrante recedens B. Virginem, quæ suum erat pallium, in cujus utero, dum carnem suscepit, veluti pallio circumdatus seu obvolutus fuerat, nobis reliquit, cum scilicet in Ioanne nobis etiam eam in matrem tradidit, cujus virtute & precibus tot peccatorum conversiones, tam multa miracula in Ecclesia peraguntur: & aquæ tribulationum præsentis vitæ; ita dividuntur ac mitiguntur, ut per eas tuti transire valeamus. Ac sicuti Elisæus ob suam perseverantiam, qua indivisibiliter adhæsit semper Eliæ, pallium ejus obtinuit: ita & Ioannes Deiparam accepit in matrem, quia Christo Domino suo patienti solus ex discipulis inseparabiliter adfuit: atque ita etiam nos nobilissimum hoc Christi pallium, & hanc matrem tum demum obtinebimus, quando cruci Christi sedulo assistemus per crebram meditationem passionis ejus, cum animi gratitudine & charitatis ardore conjunctam, per societatem passionum pro Christi nomine, hilari ac prompto animo susceptarum, &c. Sub hoc pallium, Auditores, omnes confugiamus, hoc pallio utamur, quia maximi amoris Christi erga nos tessera est, & ad quævis obtinenda potentissima. Sanè si Sanctus Antonius gloriabatur pallio illo ex foliis palmæ conserto, quod reliquit illi Sanctus Paulus Eremita, ita ut non nisi summis Festis eo indutus prodiret, ut scribit S. Hieron. in vita Pauli, quanta cura & reverentia nos asservare pallium istud decet? quantum gloriari in hoc dono?

D. III. *Quia ad salutem justorum cooperata multis modis matris officii præstitit.*

Tertio. Quia Deipara ad salutem justorum cooperata est, adeoque matris officium multis modis præstitit. Quemadmodum enim mater filios suos amat & cura materna fovet, vestit, ornat, instruit & defendit ab ira Patris: ita & Maria, primò amat justos, tum quia illorum mater spiritualis, tum quia soror naturalis, tum quia Christus eos amat. Secundo curam illorum gerit, & primo nutrit justos & portat suis meritis, ita ut sub hac nutrice crescant & adolescant in virtutibus, & brevi evadant in viros probos & perfectos, quales videre est inprimis eos, qui cultui B. Virginis addicti sunt, & in ejus sodalitatibus degunt.

Secundo, vestit virtutum suarum exemplis. Quē enim non movet & accendit ejus singularis castitas & virginitas? *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quem non profundissima ejus humilitas? *Ecce ancilla Domini?* Quem non summa ejus obedientia? *Fiat mihi secundum verbum tuum?* Quem non mira ejus in loquendo parcitas & prudentia: *Fili quid fecisti nobis sic?* Quem non ardens ejus charitas & misericordia: *Vinum non habent?* Quem non admiranda ejus fortitudo & constantia animi, stantis juxta crucem?

Tertio ornat miraculis aliisque honoribus, quibus creberrimis Ecclesiam totam illustrat & exaltat ad confusionem hæresum. S. Alexium, qui profugus à paterna domo annos 17. transigebat Edessæ in vestibulo templi Deiparæ, tandem evulgavit ejusdem Virginis imago, monens Æditum, ut introduceret virum illum Dei; qui dignus esset regno cœlorum, ut in ejus vita habetur.

Quarto instruit doctrinis Apostolorum, quorum ipsa Magistra & Doctrix fuit; nec non revelationibus, quas sæpè facit servis suis. Inter alia per miraculum sapientiam contulit Alberto Mag. Udoni Magdeb. Episc.

Quinto. Defendit ab ira Dei, & impetrat nobis vinum gratiæ & amoris divini, quemadmodum convivis illis nuptialibus impetravit vinum naturale: Si enim de hoc solicita pro amicis fuit; quanto magis de spirituali illo, longe magis necessario? Defendit etiam ab hostibus, tum corporis, tum animæ. Scimus enim innumeros ejus ope servatos ab omnis generis periculis. Quantum verò est hoc, quod Reliquias S. Cæciliæ tutata sit contra Longobardos? ut eas invenire & asportare, uti cupiebant, non possent? quod ope Deiparæ factum testata est S. Cæcilia per quandam revelationem factam Paschali primo Pontifici, Baron anno 821.

Præsertim verò in articulo mortis defendit suos ab hoste maligno.

Iam vero audire mihi videor alloquentem nos Deiparam, verbis illis Sapientis. *Nunc ergo filii audite*

te me. Et quid nobis loquitur? Si vultis me esse matrem vestram, curate ut sitis filii mei, eritis autem filii mei, justi si fueritis. Matrem vestram me dicitis: quia Christum genui, qui nobis Pater, frater & sponsus est; Bene est; & vos sitis & filii, fratres, & sponsæ filii mei. Filius meus præcepit filiolis suis ut diligerent se invicem, Ioan. 13. Id quod ex ore ejus toties repetiit Ioannes: *Filioli diligite alterutrum, quia præceptum Domini est.* Filius meus dilexit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Matth. 5. Item *diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est*, ibid. At vos odio flagratis, vos invicē mordetis & comeditis, persequimini inimicos vestros. *Absit à me ut justos vos esse judicem*, Iob. 27.

Si fratrem agnoscitis filium meum, ubi mutuus amor? ubi morum similitudo? ubi par vivendi conditio? At verò filius meus pro vobis animam suam posuit, ut patri suo reconciliaret: vos illum blasphematis tota die. Filius mitis fuit & humilis corde, quod & vos addiscere voluit: at vos inflati estis, superciliosi, feroces. Filius meus esuriit, at vos ebrii estis.

Si Sponsum agnoscitis filium meum, cur fidem ei non servatis? cur tam facile ab eo disceditis & alteri adhæretis? *Si enim susceperis, ô homo*, inquit Origines homil. 12. in Levit. cap. 2. *in cubili animæ tuæ adulterum diabolum meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eum & consenseris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundum suam mentem suggerit, meritricatus es cum eo.*

Rursum si vultis me esse matrem vestram, curate ut sitis Ioannes, id est, tales, in quibus est Dei gratia: sitis filio meo dilecti, sitis ejus socii etiam in passione.

Denique si vultis me habere in matrem, exhibete vos filios, quemadmodum & Ioannes ex illa hora, qua ei in matrem data sum, accepit me in suam & præstitit se filium meum. Itaque ex hac hora accipite me in vestra, ego accipiam vos in mea. Accipite me in matrem, ego accipiam vos in filios. Inprimis autem cavete, ne peccata peccatis addentes, filiatione mea indignos vos reddatis. Tuemini honorem meum, & inprimis filii mei, & ego tuebor vestrum. Sit pactum inter nos, colite dies Festos meos, Sabbatho quoque abstinentiam servate, ad orationem angelicam flexis orate genibus, &c. Monstrate vos esse filios, & ego monstrabo me esse matrem. Non sum ego mater mortuorum, sed viventium in gratia. Quanquam non justorum tantum, sed & peccatorum, qui ad bonam frugem recipere se volunt, mater esse volo, uti revelavi ancillæ meæ Brigittæ, Revel. l. 4. c. 138. *Ego etiam*, inquit, *sum Mater omnium peccatorum se volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum amplius non peccare, & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere: sicut charitativa mater, dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem; Nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, & filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret & eriperet, & in sinu suo gaudenter conservaret? ita facio & faciam ego omnibus peccatoribus misericordiam suam mecum à filio meo petentibus, sub vera contritione & divina dilectione.*

CONCIO VI.

QUOMODO MARIA VIRGO sit signum magnum.

I. *B. Virgo magnum miraculum.*
II *Magnum vexillum.*
III. *Magnus scopus.*
IV. *Magnum indicium.*

THEMA.

Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole, Apoc. 12.

CUm Rex Iuda, Achaz à duobus aliis Regibus Rasin scilicet Rege Syriæ, & Phacee Rege Israel, gravissima obsidione in Ierusalem cingeretur: Misit ad illum Deus Prophetam Isaiam, qui Achaz Regi polliceretur, fore ut solveretur obsidio: & in hujus rei confirmationem diceret: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Quod cum Rex impius facere detrectaret; adjecit Dominus: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, Isai. 7. Hæc scriptura ex parte hodierna die impleta est. Cum enim genus humanum obsideretur Cacodæmonum exercitu, exhibuit nobis Deus signum liberationis illius, Virginem quæ paritura esset Emmanuelem, id est, Deum incarnatum. Hoc enim in Maria Virgine impletum esse, non obscure testatus est nobis Ioannes Apoc. 12. cum ait: *signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Hoc enim sensu mystico exponunt de Maria, S. Bern. & alii. Quod quam vere dictum sit, & quomodo Deipara sit signum hoc magnum videbimus.

A.

Signum in sacris literis quadruplicem habet significationem. Aliquando sumitur pro miraculò. Ut Ioan. 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus, &c. nisi signa & prodigia videretis, &c.* Ioan. 4. Aliquando pro vexillo ut Esai. 11. *levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Aliquando pro scopo, in quem sagittæ collimantur, ut Thren. 3. *posuit me quasi signum ad sagittam.* Denique pro indicio, ut Luc. 2. *Hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum.*

Omnibus his modis signum magnum est Maria, quod hodie apparuit.

C. I. *Virgo magnum miraculum.* Primo. Magnum est miraculum, sic enim S. Ignat. in epist. ad Ioan. eam vocat *cœleste prodigium & sacratissimum spectaculum.* S. Epiph. in serm. de laud. Deiparæ, appellat eam *cœli terræq; mysterium & stupendum miraculum.* S. Chrysost. serm. de Virg. *Magnum*, inquit, *revera miraculum fuit Beata semper Virgo Maria.* S. Ioan. Damasc. ulterius progressus orat. 1. de Nativ. Mariæ, *Miraculum omnium miraculorum & abyssum miraculorum.* Est autem miraculum primo in operibus naturæ, quia Dei Mater & Virg. de quo Ierem. 31. prophetavit dicens? *Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit Virum.* In quo non unum, sed multa sunt miracula. Primo, Uterus Mariæ circumdedit & clausit, quem totus non capit orbis: Secundo: *Vidit creatura*, inquit S. Basil. in Annunt. Mariæ, *quod antea visum est nusquam, nempe prolem, quæ suæ Matris erat parens, & infantem, qui genitricem ætate longe anteibat.* Tertiò, Maria mater simul est & Virgo, quæ uti sine dolore, ita absque ulla virginitatis læsione Deum mundo peperit. Et hoc maxime indicavit Ioan. cum dixit: *Mulier amicta sole.* Quis enim iste sol, qui amicit & non lædit Virginem, nisi Sol Iustitiæ Christus, qui in Virgine conceptus & ab eadem genitus est sine læsione Virginitatis? Ita intellexit S. Bern. in serm. de Virgine. Ambros. Ansbertus Haymo, & alii, Concinit enim hæc sententia cum illa Gabrielis, qui Virgini objicienti (*Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*) respondit: *Spiritus S. superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi*; q. d. Amicieris quasi Sole, Dei filio, & concipies illum: sed ab ejus lumine & calore nequaquam offenderis: Spiritus sanctus enim obumbrabit tibi, id est, mirabili & incomprehensibili modo efficiet, ut ab hujus luminis conceptu & amictu, nihil læsionis accipias. Ad cujus miraculi confirmationem præmisit Deus in veteri lege, figuram illius miraculosam, rubum ardentem incombustum; Exod. 3. *Magna plane visio*, ait S. Bern. serm. de B. Virg. *rubus ardens sine combustione: magnum signum, mulier illæsa manens amicta Sole: non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum; non mulieris potentia ut sustineat Solis amictum, non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est: Spiritus S.* inquit, *supervenit in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Nihil itaque mirum si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus, &c.* Sicut ergo rubus ille miraculose gignebat & fovebat ignem, sine sui combustione: sic Maria Dei filium sine virginitatis vel minima læsione. Unde de ea Ecclesia canit: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genetrix.*

Secundo etiam in operibus gratiæ; ipsius enim sanctitas non tantum superat naturæ, sed etiam gratiæ cursum ordinarium, & aliis communem; siquidem omni inordinato appetitus motu caruit semper, & ab omni omnino peccato libera fuit & in gratia stabilita. Hinc enim virginem cœlos ingredientem mirantur omnes Angeli dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Cant. 6. Deliciæ sunt miræ & extraordinariæ delectationes, sicut viridarium Regis peregrinis, & incognitis floribus consitum ad ipsius Regis delectamentum. Talibus ornatam gratiis admirantur Angeli, quarum una est; quod Maria in carne sine ulla carnis concupiscentia vixit, atq; ita quodammodo igne circumdata, nihil ardoris aut ustionis ab igne passa est unquam, ut Theologi post D. Thom. 3. p. q. 27. a. 3. In quem sensum etiam accipi potest, quod supra diximus, Mariam videlicet licet amictam sole, nihil tamen ardoris passam, quia Spiritus S. obumbravit eam, omnemque mali concupiscentiam in ea detersit. Si enim miraculum est, ignem in veste gerere, sine ustione: majus est carnem gerere sine carnis concupiscentia. Alia, quod in mundi sordibus incedens nullam omnino contraxit labem peccati, etiam venialis, uti tenet Ecclesia in Conc. Trid. sess. 6. Et ob hoc etiam recte dicitur amicta sole; græcè *circumamicta*, quia nihil prorsus tenebrarum peccati in ea erat: tota luminosa erat. Audi Bernar. serm. de Virg. *Candidissimus sane, sed & calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.* Ac sicut sol radiis suis perambulat etiam vias lutosas, sed absque contaminatione: sic B. Virgo vias mundi hujus perambulavit. Alia, quod in gratia fuerit semper constans & stabilis in virtutum splendore ac fervore. Et propterea etiam dicitur amicta sole, & Luna sub pedibus ejus, quia solis splendor idem semper est, non deficit aut crescit ut luna: ut exponit S. Bern. ib. *Amicta dicitur sole*, inquit, *& Luna sub pedibus ejus: in sole nimirum & fervor & splendor stabilis, in Luna solus splendor atq; is instabilis & incertus, &c.* Certum autem homines alios omnes non tantum in aliquibus delinquere, sed etiam in bono valde instabiles esse, quia omnis homo mendax. Quod si miraculo habetur, quod aliqui stylitæ ad multos annos steterunt in columnis: multo difficilius ac mirabilius est, tota vita stare hominem in gratiæ & virtutum vigore, ut nunquam cadat: quod in Maria post Christum sola pro certo habet Ecclesia. Hæc igitur sunt miracula, hæ deliciæ in horto virginis, quas eo magis mirantur angeli; quòd è deserto mundi tam aspero & inculto prodierint. Non mirum est Angelos carere carnis concupiscentia, quia non habent carnem? non mirum eos non trahere sordes culpæ, quia in cœlo culpæ & luto nullus est locus: non mirum eos semper in gratia stare, quia stant in gloria, unde excidere non possunt. Sed reperiri in deserto, in mundo, in carne fragili has delicias; ambulare super ignem & non

uri;

uri, in luto, & non contaminari; stare in globo & nunquam cadere, hoc miraculum.

Secundo. Magnum est vexillum, quod erexit Deus ad manifestandam hominibus naturam suam. Duo enim sunt attributa Dei, quæ necessario debebant innotescere hominibus: Potentia, ut timeatur: Misericordia, ut ametur, & ut in eum speretur. Utriusque varia exempla ediderat in veteri lege: sed in summo gradu utrumque demonstravit in Incarnatione. *Duo hæc audivi*, dixit David Psal. 61. *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Duo hæc audivit David: sed duo hæc nos vidimus, eaque in summo gradu, in Incarnatione. Non poterat enim ex genere operis majus potentiæ opus efficere, quam Incarnationem, quia per eam homo participavit esse divinum, & factus est Deus. Nec majus opus misericordiæ, quia per eandem incarnationem Deus participavit esse humanum & factus est homo, induitque se veste servili ad redimendum & sublimandum hominem. Quemadmodum igitur Hercules duas laborum suorum columnas statuisse fertur in Hispaniæ finibus ad Gaditanum mare, quibus inscripserat: *Non plus ultra*: sic potentiæ & misericordiæ, quanta quanta ostendi ex genere operis, poterat, columnas erexit Deus in opere Incarnationis; & quidem in utero Mariæ Virginis: quæ post Christi conceptionem canit: *Fecit mihi magna qui potens est*: Ecce potentiam: *Et misericordia ejus à progenie in progenies.* Ecce misericordiam. Est igitur Maria primo vexillum potentiæ divinæ, primo, quia mediante Maria, homo factus est Deus. Secundo, quia mulier Mater Dei effecta est & inde sumpsit vires conterendi caput serpentis, duplici ratione: primo semine suo, id est, Christo, secundo propria sanctitate, quia nullo unquam peccato subdita, ac proinde dæmonis victrix fuit, & cum filio suo dicere poterat: *Venit Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Quod si magna Dei eluxit potentia, quando per manum mulieris, Iudithæ scilicet, vicit Holofernem: quanto major in Maria? Ac propterea rectè dicitur Luna sub pedibus ejus, id est, omnis defectus, omne peccatum imò & ipse diabolus totius stultitiæ Princeps, ut ait S. Bern. ubi sup. quia his superior evasit eaque contrivit, partim, ut dixi semine suo, partim propriæ sanctitatis prærogativa.

D. II. *Magnum vexillum.*

Secundo. Vexillum misericordiæ divinæ, primo, quia ea mediante summam exhibuit Deus hominibus misericordiam, quam poterat exhibere, dum ipsemet ex Virgine carnem sumens redimere nos voluit. Succurrebat Deus ante incarnationem hominis miseriæ sed absque labore: post incarnationem cum labore, imo summis cum cruciatibus. Secundo, quia etiamnum per illam quasi per auream portam omnibus ad eam accedentibus offert suam misericordiam. Atque idcirco Deipara rectè perhibetur amicta sole, qui oritur super bonos & malos. Audi Bern. ubi sup. *Ea est*, inquit, *quæ velut alterum solem induit sibi: quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Quemadmodum ergo vexillum Constantini, quod Labarum vocabatur, neminē, qui id gestabat, patiebatur vulnerari, captivari aut sinistram cladem incurrere, sed omnia tela in vexilliferos jacta in se recipiebat & sustinebat, ut refert Sozomenus l. 1. hist. Eccl. c. 4. Ita facit & hoc vexillum, Deipara, omnibus ad se confugientibus suique devotis cultoribus. Ut merito ad eam referre possimus id Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* Ubi enim latinè habetur, *significationem*? græcè habetur *verbum*, quod etiam vexillum significat. Hoc vexillum est Maria, quod nobis erexit ac dedit Deus, ut ejus arcum effugere possemus, si vellemus. Quis non confugiat ad hoc tam potens & tam benignum vexillum?

E. III. *Magnus scopus.*

Tertio. Est magnus scopus, in quem omnes collimare deberemus. Et primò est scopus fidei, partim quia potissima duo fidei mysteria Trinitatis scilicet & incarnationis nobis credenda persuadet. Unde à Cyrillo Alexand. hom. 6. contra Nestorium. vocatur sceptrum Orthodoxæ fidei. Si enim veri Dei mater est, ergo in divinis personarum pluralitatem, & verbi incarnationem adstruit. Partim quia ipsa speculum & Magistra fidei est. Prima enim fuit, quæ credidit in Christum jam incarnatum: & sola, quæ, in Christum mox incarnandum. Unde commendatur ab Elisabetha dicente: *Beata quæ credidisti*, Luc. 1. Sola etiam fuit, quæ tempore passionis & mortis Domini in fide non nutavit, fidemque explicitam resurrectionis Domini semper habuit: unde meritò Luna, quæ deficiens lumen habet, sub pedibus ejus visa describitur. Hanc igitur Magistram, hunc scopum præfigere sibi deberent fideles, ut videlicet credant quantumcunque difficilia, & nullis tentationum fluctibus à fide dimoveantur.

Sed quemadmodum Christus positus est in signum, cui contradicitur, prophetante Simeone: sic & Maria. Contradicunt enim illi tanquam fidei Magistræ & Hæresum victrici Hæretici: qui cæteroqui dissentientes, ferè in hoc conveniunt: quod Mariæ contradicunt, eamque, quibus possunt modis, carpere conantur. *Alius*, inquit S. Bern. præd. serm. de virg. *non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat. Alius parvulum non peperisse sed repperisse sibilabat: alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime suggillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes.* Nimirum *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmitatæ sunt contra eos lin-*

linguæ eorum, ut eſt in Pſalm. 63. Cum enim hoc ſignum teſte Ioanne in cœlo apparuerit, imò intra cœlum ſit; & nulla jaculantium tela cœlum attingere, nedum penetrare queant, indè nihil obeſſe Virgini potuêre, ſed ſibi tantum nocuêre ſagittis eorum in ipſos jaculatores recidentibus, quemadmodum contigit Caji Cæſaris militibus ſagittas in cœlum contra Iovem ejaculantibus, apud Sueton. in l. de vita 12. Cæſ. Ita Neſtorius, qui negavit Virginem appellandam Theotocon; miſerè periit, cum linguam ejus, qua Virginem blaſphemarat, ebullientes innumeri vermes tamquam Satellites miſsi à Virgine certatim eroſerunt ac depaſti ſunt, ut refert Niceph. l. 14. hiſtor. Eccl. c. 36. & Evagrius lib. 1. c. 7. Conſtantinus Copronym. Imp. qui dicebat Mariam tamdiu honore dignam fuiſſe, quamdiu Chriſtum in utero geſtavit; poſtmodum non amplius: ad inſtar loculi, qui tamdiu ſolum habetur in pretio, quamdiu aurum continet: hic inquam febri acutiſsima uſtulatus moriturus vociferabatur ſe viventem adhuc propter Mariam Deiparam igni inextinguibili traditum; apud Theop. Georg. Creden. &c. Non abs myſterio thronum Salomonis utrinque Leones circumſtabant: ſignificabat enim illos, qui in thronum Chriſti, Mariam, peccant, incedere inter Leones, nec effugituros Dei vindictam.

Secundò eſt ſcopus Chriſtianæ perfectionis, in quem intendere deberemus: Celeberrimus Pictor Xeuxis, picturus imaginem Iunonis, templo ejus dicandam, Virgines quinque pulcherrimas Agrigentinas elegit & ob oculos ſibi poſuit, ut quod in unaquaque erat laudatiſsimum, id imagini inſereret: ut refert Plin. lib. 35. c. 9. Facturus Deus imaginem virginis, templo filii ſui dicandam, non quinque ſolum, ſed omnes ſibi ſanctos propoſuiſſe videtur, & quod in ſingulis excelluit, id Virgini tribuiſſe. Patet hoc diſcurrenti per virtutes virginis. Unde S. Ambr. lib. 2. de virginib. ait: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta Virginitas vitaque B. Mariæ: de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis, &c.* Et ideo rectè dicitur in capite ejus viſa, corona ſtellarum duodecim, id eſt omnium virtutum, quæ tanquam ſtellæ lucent.

Sed ab hoc etiam ſigno & ſcopo plurimi quam longiſsime aberrant, imo ei contradicunt. Stella prima eſt, Virginis devotio, qua ſe trimula Deo præſentavit, & à tenella juventute ad miniſterium Dei in templo educandam devovit. Sed huic contradicit mundus, qui dicit: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua*, Eccleſ. 11. Sufficit in ſenectute Deo deſervire, juventus mundo debetur. Secunda eſt honeſtas, quam tenuit in deſponſatione: non enim conjugem quæſivit, forma aut opibus præſtantem, ſed virtutibus celebrem, prudentem, ætate maturum, ſibi in propoſito caſtitatis ſimilem. Huic contradicit mundus, qui in deſponſationibus ferè ſolum intendit, divitias, honores, &c. Tertia Virginitas, quam devovit Deo & perpetuo ſervavit etiam in conjugio. Contradicit ei mundus, qui maxime à conjugio ablegat virginitatem, & ſæpe etiam caſtitatem conjugalem: Quarta, verecundia, qua fulſit in ſalutatione angelica, cum honorificentiſsime ſalutata, ad tantas erubuit laudes & turbata eſt. Cui contradicit mundus, qui nihil magis optat & quærit, quàm audire ſuas laudes. Quinta, humilitas, qua non tantum ancillam Domini ſe profeſſa eſt, ſed etiam ancillam inferiori ſe Eliſabethæ exhibuit, cum eam viſitavit, eique parturienti velut ancilla miniſtravit. Contradicit totus mundus, qui tantum vult ſibi miniſtrari, miniſtrat vero vix paribus, nedum inferioribus. Sexta, Taciturnitas, ſiquidem quater tantum locuta eſſe legitur in Evangelio: cum Angelo in annunciatione, cum Eliſabetha in viſitatione, cum filio & miniſtris in Nuptiis Canæ, cum filio in ejus inventione. Huic ſtellę quam contradicat mundus, & pene omnes fœminæ, quis eſt, qui neſciat? Septima, Modeſtia in veſtitu: qua de re Niceph. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 23. ait: *Erat faſtus omnis expers, ſimplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens: veſtimentis, quæ ipſa geſtavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiam nunc ſanctum capitis ejus velamen oſtendit, &c.* Contradicit mundus, qui non veſtes tantum variis coloribus, ſed etiam faciem fuco pingit. Octava, patientia in ſtabulo Bethlehemitico, quam in tanta inopia & incommoditate exercuit puerpera, cum ſciret ſe Dei matrem, ſibique deberi pluſquam Regium Palatium. Contradicit ei mundus, qui ſi in regia aliqua excellat, non patitur preſſuras; delicias & commoditates quærit. Nona, paupertas voluntaria, ſiquidem aurum à Magis acceptum, ſibi non retinuit, ſaltem totum, ſed pauperibus elargita eſt, ſecundum communem ſententiam, Cani, Abulenſis, Bonaventuræ &c. cum tamen ipſamet egeret. Contradicit mundus, qui potius aliena rapit & ſuperflua quærit, quam ut non neceſſaria ſibi pauperibus tribuat. Decima obedientia in purificatione, legi enim cui non ſuberat, ſe ſubjecit. Contradicit mundus, qui etiam legibus, quibus obligatur, vix paret & gravatur, nedum ut ſub jugum eat, quo non aſtringitur. Undecima, ſtudium contemplationis, cui tota vita addicta erat. Contradicit mundus, qui totam penè vitam conſumit in curis mundi, & ſecularibus negotiis. Duodecima, Magnanimitas, qua filium unicum non tantum ad Dei ſervitium in templo, ſed etiam ad ſacrificium lubentiſsime obtulit in Cruce. Contradicit mundus, qui liberos ſuos offert plerumque mundo & vanitatibus.

F. IV. *Magnum Indicium.*

Quarto. Eſt magnum Indicium, Primo quidem diei illius; qui jam venit & allatus eſt nobis à Sole, Chriſto. Quemadmodum enim aurora prævenit & nuntiat adventum ſolis mox ſecuturi: ſic Mariæ ortus Chriſti Nativitatem, qui lucem attulit mundo. Unde Cant. 9. dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* In quem locum Rupertus l. 6. in Cantic. ait: *Quando nata es ô Virgo beata, tunc*

vera

vera nobis aurora surrexit , *aurora prænuntia diei sempiterni, quia sicut aurora finis est præteritæ noctis, & diei sequentis initium* ; *sic nativitas tua finis dolorum & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Magna fuit Patrum tristitia sub nocte veteris legis, unde singuli quærebant, quando esset lux oritura, apud Isa.c.21. *Custos quid de nocte* ? Tandem igitur aurora hæc lætitiam mundo attulit. Luctabatur Dominus, id est, Angelus Deum repræsentans cum Iacob tota nocte: sed aurora adventante dimitti ab eo petiit: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, Gen.32. Spirituali sensu, Deus luctabatur cum humano genere in veteri lege, per rigorem justitiæ peccata ejus puniendo. Sed hodie adventante aurora Maria dimisit illud & pacem ei dare incepit. Aurora adventante alleviantur morbi, reconduntur in antra sua feræ, prodit ad laborem homo: Sic in ortu Deiparæ, quæ non tantum, ut aurora solis prænuntia, sed genitrix etiam fuit; Hæc est *illa navis institoris, esurienti & obsesso mundo de longe portans panem & hodie de procul conspecta*, Prov.31. Hæc illa nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendens de mari olim prævisa ab Elia, hodie visa, arescenti mundo pluviam afferens salutarem, 3. Regum 18. Hæc illa columba ferens ramum olivæ, signum pacis cum Deo & cessantis diluvii, Gen.8. Unde Bern. in serm. *Invenisti ô beata Virgo gratiam*, inquit, *quam ante te nemo invenire potuit, inferni scilicet captionem, peccatorum liberationem, angelis & hominibus consolationem.* O quantum putamus recreatos esse SS. Patres partim qui in limbo erant, partim qui adhuc viventes in spiritu cognoscebant Nativitatem!

Secundo. Indicium diei venturi, qui in secundo Christi solis justitiæ adventu expectatur ad æternam felicitatem. Maria siquidem devotè culta, signum est prædestinationis, uti diximus alibi, & dicit Anselm. l. de excellent. Virg. cap.4. Hæc cœlestis Iris, signum fœderis inter hominem & Deum. Hæc Virga Assueri: signum Clementiæ divinæ, si tamen eam exosculemur & syncerè colamus, eique devoti simus: hanc enim devotionem sequuntur prædestinationis effectus, quos ipsa virgo suis procurat devotis, vocationem, justificationis gratiam, tentationum victoriam, præservationem à lapsu, meritorum augmentum, perseverantiam, &c. Sed ut dixi, exosculari & venerari hanc virgam debemus, id est, virginem devote colere, invocare, honorifice de ea loqui: eos, qui contra eam quid agunt aut loquuntur, arguere: Sabbatha ejus colere, præsertim à vespera Sabbathi laboribus abstinere, ejus Litanias & Missas adire, ad pulsum salutationis angelicæ genua flectere, & non flectentes admonere, &c.

Quoniam igitur hodie signum magnum in cœlo vidimus, Mariam scilicet natam: imitemur Magos illos, qui cum vidissent stellam & signum Christi nati in Oriente, venerunt cum muneribus adorare eum. Veniamus ergo similiter ad Mariam, eamque velut Dei Matrem procidentes adoremus & muneribus honoremus, thure orationis, myrrha mortificationis & auro eleemosynæ. Omnes enim hic honor redundat in ipsum Christum, nec potest non placere ipsi, quod matri ejus deferimus. Si enim id remuneraturum se promisit, tanquam sibi exhibitum, quod uni ex minimis ejus facimus: quanto magis id rependet, quod maximæ ejus dilectæ, Matri scilicet fecerimus?

CONCIO VII.

CULTUS ET HONOR DEIPARÆ comprobatur omnium suffragiis.

I. A Deo.
II. Ab Angelis.
III. Ab Ecclesia.
IV. A Sanctis.
V. Ab Infidelibus & Hæreticis.
VI. A creaturis insensibilibus.

THEMA.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra ut Luna? Cant.6.

A. SI ad cœlum hoc spectabile, Auditores, oculos attollamus, videbimus in eo triplicia potissimum lumina, Solem, Lunam, stellas, triplici differentia. Sol enim ex se lumen fundit, idque cæteris stellis communicat, unde & eas quam longissime vincit, adeo ut suo lumine cæteras omnes opprimat. Post Solem Luna superat stellas alias multis etiam partibus, decore, activitate, lumine, huic enim velut sorori aut sponsæ suæ longe majorem luminis copiam Sol impertit. Simillimum quid videbimus, si ad illud invisibile & Empyreum cœlum mentem attollamus. Videbimus enim ibi Christum velut Solem proprio splendore, vigore & decore rutilantem & cœlum omne illustrantem. Post hunc Mariam ejus matrem, Lunæ instar ab ipso adeo cumulatam splendore, decore, potestate, ut cæteros omnes sanctos, qui ad instar stellarum varie inter se differunt, multis parasangis vincat. Quare sicuti nos post solem maxime admiramur, laudamus & amamus Lunam; ita par est post Christum maxime suspiciamus, colamus & veneremur Mariam. Soli canes Lunam allatrant: ita soli Hæretici Mariam. Qualis enim latratus impii Lutheri, qui in serm. de Natali Virgin. prorupit in hanc vocem: *Omnes Christiani æquè magni sumus, sicut & Mater Dei, & æquè sancti sicut ipsa* ? Nec dubitavit idem conferre cum Deipara

para turpissimam suam Bornam sacrilegam, meretricem. Videte canem & horrete. Nos ergo ostendemus, omnibus omnium suffragiis Deiparam esse colendam.

B. I. *A Deo.*

Suffragiis primo ipsius Dei, qui eam primo sibi elegit in matrem,& quodammodo in filiam & sponsam; Deus pater in filiam, filius in Matrem, Spiritus sanctus in sponsam. Et sic eam nominare & invocare solitus est S.Franciscus, ut in vita cap.9. Triplicem ergo coronam obtinuit à Deo,velut ejus Mater, filia, sponsa.

Deinde neminem Sanctorum tot miraculis clarificavit Deus,uti ipsam. Quot enim templa sub ipsius nomine miraculis coruscantia, Laureti, Montisferrati; ad Aquas Lupias, Sichemii, Hallis Oetingæ, ad Eremum, & alibi passim?

Secundo Christus illius se gubernationi subjecit, eratque ei subditus. Ad ejus insinuationem primum miraculum fecit. Moriens eam Ioanni commendavit.

Tertio. Tot figuris & prophetiis eam delineavit ac prænuntiavit in veteri testamento, veluti per rubum Moysis, per virgam Aaronis, vellus Gedeonis, Arcam fœderis, turrim David, Thronum Salomonis, hortum conclusum, fontem signatum, portam clausam,vestimentum summi sacerdotis,&c.

C. II. *Ab Angelis.*

Secundo. Angelorum: primo Archangeli Gabrielis, qui eam honorificentissime salutavit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Secundo Angelorum, qui eam in templo degentem tenera in ætate, quotidie visitabant & pascebant, quod testantur S.Ambros.Hieron.Gregor.Nicomed.Cedrenus & alii.

Tertio Angelorum, qui ejus sepulchrum cum suavissima hymnodia per triduum servabant, uti ex antiqua traditione testatur Iuvenalis Archiepiscopus Ierosolymitanus ad Pulcheriam apud Damasc. orat. 2. de dormit. Virg. Item eorum, qui ejus domunculam transtulerunt, primo è Galilæa in Dalmatiam Tersactum inter & Flumen Oppida Dalmatiæ. Inde quadriennio fere post,anno nim. 1294.7.Id.Decembr.in Picænum & Recinetensis agri sylvam ab Laureta Recinetensi matrona; in cujus ditione nemus illud erat, appellatam. Sed cum ea sylva facinorosorum hominum, avaritia, latrociniis cædibusque eorum, qui eo confluebant, esset infesta, octavo post mense in editum collem mille fere passus ab eo loco Recinetum versus est delata. Atque hic etiam duorum fratrum, quorum ille collis communis erat, avaritiam dissensionemque perosa ad jactum fere sagittæ ab eo loco in proximum collem paucos post menses submota ibi stabilem certamque sibi sedem delegit, quam nunc incolit, ubi innumerabilium miraculorum frequentia claret, ac populorum ex toto terrarum orbe eam pie visitantium concursu celebratur: Spinell. de B.V.

Quarto. Angeli, qui tempore sancti Gregorii Magni cum ingravescente peste, imago Deiparæ in publica processione circumferretur, cantare auditus est: *Regina cœli lætare, Alleluja, quia quem meruisti portare, Alleluja: Resurrexit sicut dixit, Alleluja.* Quibus verbis addidit sanctus Gregorius. *Ora pro nobis Deum,Alleluja.* Carolus Sigon. lib.1.de regno Ital.anno 500.& 591.

Nec mirum coli Deipa. ram ab Angelis.

Nec mirum coli ab Angelis Deiparam. Primo quia cum sit Mater Domini eorum, colunt proinde velut Dominam suam: Secundo, quia per Christum ejus filium ac proinde per ipsam etiam suo modo ruinæ Angelorum sunt restauratæ. Tertio, quia per Christum adeoque beneficio Deiparæ, acceperint plurima bona, illuminationem, perfectionem, propter quod modo aliquo Angelorum mater vocari potest.

D. III. *Ab Ecclesia.*

Tertio. Ecclesiæ, quæ singulariter & variis modis eam colit & colendam præcipit. Primo. Octo diebus festis ad honorem ejus institutis; Sabbatho item, quod ejus honori peculiariter dedicatum est ab Ecclesia. Primo, quia in Sabbatho, quod Christi passionem proxime est consecutum, fides explicata resurrectionis Christi in ea sola remansit.Bernard. in lib. de passio. Domini cap.2.in ejus rei significationem in matutino triduano hebdomadæ sanctæ, una tantum candela accensa, reliquis extinctis, asservatur; ut docet sanctus Antonius 4. p. tit. 15. cap. 41. §. 1. Secundo, Quia sicut Christus ejus filius passus feria sexta in corpore, ita ipsa in mente, præsertim Sabbatho sequente propter filii absentiam. Dies ergo Veneris Christi passioni dicatus est: Dies Sabbathi Deiparæ. Tertio, quia ut Sabbathum est medium inter diem passionis & resurrectionis: Sic Deipara inter hujus mundi tribulationes & futuram gloriam est mediatrix & porta quodammodo. Quarto, quia sicuti in Sabbatho requievit Dominus ab omni opere, quod patrarat, rursum ab omnibus cruciatibus, quos pertulit, in sepulchro: ita requievit in utero Virginis inprimis novem mensibus, eique benedixit multipliciter, uti & Sabbatho. Feria sexta consummavit Deus omne opus: sic feria sexta dixit: *Consummatum est.* Sabbatho requirit. Uterus Virginis, quasi sepulchrum Christi fuit, novum & incontaminatum, hortus deliciarum, prope locum passionis ob perpetuam ejus recordationem, sindone & aromatibus, id est, pura conscientia & virtutibus instructum.

Secundo. Templis frequentissimis ad honorem ejus exstructis, quæ non solum Virgini ex humanis in cœlos assumptæ, sed etiam viventi, imo aliqua nondum natæ dicata sunt, ut videre est in Hieronym.Osorio Episc.lib.1. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitan. Unum Cranganore ab uno è tribus Magis,alterum Calecutii. Aliud Cæsar-augustæ in Hispania, apud Anton. Beuterum in Chron. Hisp. cap.23.&c.

Ter-

Tertio. Precibus horariis, Litaniis & aliis ad honorem ejus inſtitutis, ut pulſus ad ſalutationem angelicam ter in die, ut triplicia roſarii myſteria memoraremus, gaudioſa, doloroſa, glorioſa. Vel ut matutina oratione commendamus actus noſtros Deo, meridiana Spiritum reficiamus, veſpertina nos colligamus ad futuram noctem.

Quarto. Imaginibus & reliquiis ejus religioſiſsime aſſervatis.

Quarto. Sanctorum, Primo S. Eliſabethæ, quæ divino afflata ſpiritu Virginem ſic ſalutavit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde mihi hoc ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino*, Luc. 1.

Secundo. Mulieris illius Evangelicæ, quæ dixit: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, Luc. 11. Cui dum reſpondet Dominus: *Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud:* Non abnuit matris beatitudine, ſed mulierem à peculiari matris beatitudine traducit, ad communem, quæ comparatur verbi Dei auditione & obſervatione. Qua etiam beatitudine prædita fuit Deipara, & quidem per excellentiam.

Tertio. Apoſtolorum, qui eam velut Magiſtram & Doctricem in primitiva Eccleſia venerati ſunt, & ad ejus mortem ac ſepulturam velut aquilæ convolarunt propriiſque eam humeris cum hymnis & laudibus extulerunt, ut teſtatur S. Damaſc. orat. 2. de dormit. Virg.

E. IV. *A Sanctis*

Quarto. Sanctorum aliorum qui eam miris laudibus efferre ſolent ſuper omnes creaturas. Tales Chryſ. Epiph. Auguſt. Ambroſ. Hieron. Bern. Anſelm. &c. Alii Sancti peculiari eam devotione coluerunt; Primo Reges & principes. S. Stephan. Ungariæ Rex ei regnum ſuum per votum obtulit: ex quo Ungari eam in Patronam ſibi delegerunt, & Feſtum Aſſumptionis ejus, Dominæ feſtum appellarunt. Bonfin. de rebus Hungar. lib. 1. Conſtantinus Imp. qui ſuam Conſtantinopolim ei dedicavit. Ludovicus Pius Imp. qui ne venatum quidem proficiſcebatur, niſi Deiparæ imaginem ſecum ferret, ut coram illa in media ſolitudine ſuas fundere preces poſſet. S. Henricus Imp. qui ingrediens in Urbem, primam noctem in Baſilica S. Mariæ Majoris ſemper excubare ſolebat. Ioan. Comnenus Imp. Narſes Dux, &c. Epiſcopi S. Edmundus Cantuarienſ. Epiſc. qui eam ſibi in ſponſam elegit adoleſcens, annulo manui ejus infixo, in quo ſcripta erat ſalutatio Angelica. S. Nicolaus, S. Martinus, S. Gerardus, S. Carolus Borromæus, &c. Religioſi: S. Franciſcus, S. Dominicus, S. Bern. Ordo Carthuſianorum, S. Ignatius, S. Philippus Nereus & alii.

F. V. *Ab infidelibus & Hæreticis.*

Quinto. Infidelium etiam & hæreticorum. Dic age Luthere, quid de Beatiſsima Virg. Maria ſentis? Sic enim in Commentario ſuper Magn. ſcriptum reliquiſti: *Eo ipſo, quod Maria Mater Dei facta eſt, tam ingentia ei dona data ſunt, ut ſuperet captum cujuſq. Hinc omnis beatitudo & honos provenit, ut in univerſo genere humano unica perſona ſit ſuper cunctis, cui nemo ſit par, quod cum patre cœleſti filium habet communem.* Ita Proteus ille Luth. Audiamus etiam Oecolampadium de eadem Virg. Dei Matre apertius loquentem: *Nunquam de me audiatur quaſi averſer Mariam, erga quam minus bene affici reprobatæ mentis certum exiſtimo indicium eſſe. Nollem è cultu Mariæ aliquid diminui. Sicut homini communicantur omnium creaturarum dignitates, ita iſta omnium humanarum excellentiarum particeps fuit.* Ita Oecolampad. ſerm. de laudibus B. Virg. Quid Bulingerus non ex infima hæreticorum claſſe: *Omnia*, inquit, *in Maria ſunt excellentiſſima, nihil ibi vile, nihil vulgare, ſed omnia plena miraculis à manu divina profectis.* Buling. ſerm. de B. Virg. Bucerus quantumvis præfracti & arrogantis ingenii hæreticus, in illa tamē verba de Beatiſsima Virg. plena pietatis, erumpit ſcribens in Matth. *Pius animus*, inquit, *de Maria non niſi ſanctiſſima cogitabit & matre Dei digna, &c.* Turcicus denique Mahometes licet Atheus, veritate tamen compulſus hæc de Reginæ cœlorum excellentia protulit: *O Maria omnibus viris & mulieribus ſplendidior & mundior atque lætior, ſoli Deo perſeveranter ſtudens. Nullus naſcitur de filiis Adam, quem non tangat Sathan præter Mariam & ejus filium. Felices igitur tantæ matris filios, quibus humani generis hoſtis nullum adferre poteſt nocumentum.* Mahom. Azorara 1. & 75. Ita nimirum voluit Deus ut ore proprio jugularent ſe hæretici, & inviti prædicarent laudes Mariæ, adeoque ſtabiliretur ejus prophetia, Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.*

G. VI. *A Creaturis inſenſibilibus.*

Sexto. Creaturarum inſenſibilium. Nam cum B. Virginis ædicula è Dalmatia in locum ubi nunc eſt, Lauretum, transferretur ab Angelis, arbores ſylvæ proximæ verſus eam ſe inclinarunt, quaſi reverentiam exhibentes domui, in qua Deus omnium rerum factor conceptus eſt. Et manſerunt eo modo incurvatæ arbores, uſque dum progreſſu temporis cæderentur. Turſellin. hiſt. Lauret. lib. 1.

Adhæc ſcribit Pelbartus in ſuo ſtellario l. 1. p. 4. art. 2. c. 3. miraculum tale. *In provincia Hungariæ, noſtris temporibus (ſicut ipſe accepi*, inquit, *à quodam Venerabili & ſene Patre fide digniſſimo) quidam frater ordinum Minorum duxerat in conſuetudinem, ut quandocunque ſignum fieret ſero & mane ad Ave Maria, ſicut moris eſt in illa Provincia, flexis genibus ſalutaret B. Virginem ter dicendo: Ave Maria cum tribus genu flexionibus. Cumque quadam die ſignum daretur in aurora ad Ave Maria, ipſe torpore quodam & ignavia ductus, noluit aſſurgere ad ſalutandum B. Virginem cum genu flexionibus. Ecce igitur miraculum grande? vidit ſtatim in viſione mirabili turrim Eccleſiæ ſe inclinare adeo, ut Crux in ſummitate turris exiſtens terram contingeret ſe inclinando, & hoc tribus vicibus ad trinam ſignationem, quaſi per hoc ſit dictum.*

dictum. Ecce miser, creatura insensibilis sua quasi genua flectit, cum se inclinat ad terram pro signo Ave Mariæ, tu autem cum sis rationalis, non vis genua flectere ad Ave Maria. Sicque ille compunctus & miram Dei manum circa se sentiens, semper quoad vixit, cum reverentia ter genu flectendo ad signationem benedictam Virginem cum Ave Maria salutavit, &c. Sic ille.

Supra jam audivimus, quid contra honorem Deiparæ tam inepte quam impie latrarit Græcus ille & suo nomine spurcus Canis, Imperator Iconomachus Constantinus Copronymus. Dicebat enim ille fuisse quidem honore dignam Mariam, quamdiu in utero gestabat Christum: eum vero ubi enixa est, nihil aliis fœminis præstitisse, quemadmodum loculi auro pleni tamdiu in pretio habentur, quamdiu aurum continent: auro expenso nihili fiunt. Sed advertere debebat impius & sceleratus homo, primo Virginem hanc prædicari ab Angelo gratia plenam & benedictam in mulieribus, antequam concepit Christum. Deinde longe disparem esse rationem auri; quod à loculis nihil accipit, unde & nihil eis tribuit. Quod si loculi parerent aurum, procul dubio præstantiores forent aliis conditoriis. At Beata Virgo Christum ex se genuit & vere ejus mater est. Et quomodo à tanto hospite, cui vitam simul & hospitium dedit, non dignum hospitii pretium sortita est? Pecunia inficit loculos: Christus ipsa sanctitas sanctificavit matrem. Sed sufficere nobis potest, quod blasphemus ille meritas tandem dederit impietatis suæ pœnas; siquidem moriens exclamavit: *Vivens adhuc igni sum in extinguibili traditus.* Propter Deiparam scilicet cujus hostis fuerat. Baron. anno 775. Quin & post mortem effossus publice in foro crematus est. Hoc fine periit canis iste, qui Lunam illam, Deiparam latratu suo appetiit; ut in eo impleretur id Psalm. 58. *Convertentur ad vesperam & famem patientur ut Canes.*

Nos ergo, Auditores, fugiamus canes istos, & imitemur potius Cynocephalos, qui venerabundis manibus ad lunarem circulum elatis supplici gestu adorant Lunam, à qua vires suas capiunt. Suspiciamus, veneremur & amemus præclarissimum hoc sidus, cui post Christum debemus omnem nostram felicitatem, &c.

CONCIO VIII.

RATIO COLENDI VIRGINEM Mariam.

I. Offerre se suaque Deiparæ.
II. Non facere contra ipsius honorem aut fieri pati.
III. Facile dare petentibus in nomine ipsius.
IV. Congratulari ejus gloriæ & compati doloribus.
V. Virtutes Deiparæ imitari.
VI. Sponsum ejus S. Josephum colere.
VII. Assidue eam salutare.
VIII. Diem Sabathi & Festa ejus peculiari pietate transigere.

THEMA.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, Prov. 8.

A.

GEnesis 27. legimus, quomodo gemini illi fratres Iacob & Esau certarint pro benedictione parentis brevi morituri. Iste in sylvam abiit, ferinam allaturus patri. Ille matris consilio festinavit afferre arietem, è grege optimum, & à matre coctum, sicut noverat ipsum libenter vesci, obtulit parenti, atque ita benedictionem ejus fratri suo præripuit. Multo magis nos ambire & quærere deberemus benedictionem Deiparæ, utpote, nobiliorem & efficaciorem. Cui enim illa benedicit, is erit benedictus, etiam à Deo. Itaque certemus, Auditores, consequi ejus benedictionem; siquidem in hod. Epist. inquit Ecclesia in ejus persona ex Salom. Prov. 8. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie.* Sed qua ratione, dicetis, consequemur hanc benedictionem & aliis præripiemus? Coquamus aliquot epulas, quibus ipsa libenter vescitur, & procul dubio obtinebimus. Attendite.

B. I. *Offerre se suaque Deiparæ.*

Primum Ferculum seu obsequium, offerre se & sua Deiparæ, adeoque in Dominam, & Magistram & Patronam eam eligere. Hoc enim absque dubio gratissimum erit illi munus. Fecit hoc S. Stephanus Ungariæ Rex, qui se & totum regnum suum per votum, & oblationem in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam assiduis precibus contulit, adeoque Pannoniam suam appellari voluit familiam S. Mariæ. Bonfinius lib. 1. dec. 1. & 2. de rebus Ung. & Sur. in vita S. Gerardi 24. Septembr. Fecit idem VValterus de Birbach, vir potens & prænobilis, qui, ut refert Cæsarius l. 7. mirac. c. 39. cum adhuc in sæculo militiæ vacaret, in quadam paupere Ecclesia B. Virgini dedicata, præsente Sacerdote funem collo suo injecit, & servum glebæ se Deiparæ super altare obtulit, & singulis annis censum de capite suo solvit. Cui postea Virgo crucem auream sub calice ostensam, per manus sacerdotis misit. Iuverit ad hoc, quotidie mane & vesperi, cum surgimus & decumbimus, brevem oratiunculam, qua in Dominam & Patronam eligatur & invocetur, ad Virginem dirigere.

Item Sodalitati ejus nomen dare & certis se legibus ad ejus servitium mancipare.

C. II. *Non facere contra ipsius ho-*

Secundum. Nihil contra ejus honorem facere aut ab aliis fieri pati, Thoa, lupi speciem in Norvegia ferunt hominis ita observantem, ut si forte in eum inciderit, revereatur, ac veluti observantia eum

vorem aut fieri pati. eum prosequatur: præterea ubi illum à feris obsessum advertit, mox accurrere & pro eo contra illas depugnare atque opitulari pro viribus. Ælian. libro 1. cap. 7. Quod si hoc lupi faciunt homini, faciamus hoc nos, homines Deiparæ, & magnum absque dubio obsequium præstabimus. Si quando incidamus in ejus mentionem vel cogitationem, non modo caveamus eam offendere, verum etiam reverentia prosequamur, ac contra offensores & obtrectatores defendamus. Ineamus cum ea pactum, quale cum Isaaco iniit Abimelech, Gen. 26. dicens: *Vidimus Dominum esse tecum, & idcirco nos diximus, sit juramentum inter nos & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus* (aut attingemus) *nec fecimus* (aut faciemus) *quod te læderet:*

D.
III.
Facile dare petentibus in nomine ipsius.

Tertium. Libenter & facile dare petentibus in nomine Mariæ, nihilque denegare, quod absque magno damno saltem dari possit. Quemadmodum enim immensum Dei Patris amorem erga filium suum arguit, quod petentibus in nomine filii sui nihil negare velit: ita maximum etiam amorem & observantiam erga Deiparam continet, nihil negare petentibus in ejus nomine. Ita in gratiam amicorum nostrorum benefaciamus illorum servis, &c. De sancto Gerardo Martyre & Episcopo Canadiense in Hungaria scribit Surrius die 24. Septembris, si quis reus ab ipso veniam peteret per nomen matris Christi, mox eo audito, lachrymis perfundebatur, & reum in gratiam humanissime recipiebat. De Alexandro Alense scribit sanctus Antonius 3. p. histor. tit. 24. c. 8. §. 1. quod cum esset Doctor Parisiis, statuerit nihil cuiquam negare petenti ob amorem beatæ Virginis, idque ex singulari erga eam devotione. Inaudiit hoc quidam Franciscanus & petiit ab eo, ut Virginis amore Franciscanorum intraret ordinem. Territus ille primo tanta tamque inopinata petitione, assensit tamen haud difficulter. Atque deinde multa passus, à B. Francisco secundum quietem solatium accepit, ita ut in omni sanctitate vixerit, Magister S. Bonaventuræ factus.

E.
IV.
Congratulari ejus gloriæ & compati doloribus.

Quartum. Ejus gloriæ congratulari, & præteritis doloribus compati. Quantum enim abominabiles sunt hostes B. Virginis, quia gloriæ ejus invident & detrahunt: tantum illi placere necesse est eos, qui ei congratulantur, ejusque laudes prædicant, amplificant, & quasi suas reputant, hoc enim amicorum & filiorum est, illud inimicorum. Inde mulier illa, quæ accenso lumine invenit drachmam perditam, convocat amicas & vicinas, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam.* Hæc autem dici potest Deipara, quia accendit & genuit Christum, quo mediante nos inventi sumus. Unde simili modo in persona Deiparæ canit Ecclesia in Festo Beatæ Virginis ad Nives. *Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo & de meis visceribus genui Deum & hominem.* Certe ob hanc erga Deiparam charitatem, ereptam è manibus dæmonum, animam Caroli, filii beatæ Brigittæ, à beata Virgine, legitur in revelatione sanctæ Brigittæ, l. 7. c. 13. *Dum*, inquit, *hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revolvens hoc sæpius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare, & ex hoc tanta charitate cœpit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: In tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam Matrem suam habet super omnia charissimam, quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii reciperem: imo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem, etsi possibile esset, quod ipsa in uno puncto minimo à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieri posset, ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari. Et idcirco sit ipsi Deo pro benedicta gratia, illa & immensa gloria, quam dedit suæ Matri dignissimæ, infinita gratiarum actio & gloria sempiterna. Ergo O diabole, vide modo cum quali voluntate iste obiit: quid itaque tibi videtur, utrum magis justum erat, quod anima ejus in meam veniret defensionem ante judicium Dei, an in tuas manus impie crucianda? Respondit diabolus. Non est mei juris, quod illa anima in meas manus veniret, quæ te diligit plus quam se, antequam judicium factum sit.* Hæc ibi. Recte igitur Deiparæ applicat Ecclesia, quod Eccles. 24. dicitur. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eo vero pertinet prima illa pars angelicæ salutationis: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* His enim verbis Deiparæ applaudimus & Deum glorificamus, quod sanctissimam Virginem omni cœlestium bonorum munere cumularit.

F.
V.
Virtutes Deiparæ imitari.

Quintum. Virtutes ejus imitari, eamque velut speculum sibi proponere, prout monet S. Ambrosius lib. 2. de Virginib. dicens: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Et S. Bernard. hom. 2. super missus est, dicens, *Ut impetres ejus orationi suffragium, non deseras conversationis exemplum.* Legimus Estherem duas habuisse famulas, unam, cui inniteretur procedens, alteram, quæ vestes defluentes post eam attollens gestaret, Esther 15. *Hæ duæ famulæ*, inquit S. Bonaventura in speculo virg. *quarum Domina est Regina Maria, sunt angelica & humana natura: humana est famula illa, quæ sequitur Dominam suam in mundo colligens vestimenta Dominæ, hoc est, virtutes & exempla Mariæ: Angelica vero est illa altera, super quam in cœlo innititur, se sociando ac deliciando cum Angelis, innititur insuper tanquam potentissima Angelis imperando.* Unde patet magnum Virgini obsequium nos præstare, adeoque famulari, cum virtutes ejus imitamur. Quot enim sumus æmuli & imitatores vitæ ejus, tot sumus laudum ejus præcones.

G. VI. *Sponsum ejus S. Iosephum colere.*

Sextum. Sponsum ejus Iosephum diligenter colere; hic enim ejus honor redundat in Mariam ej9 conjugem, quia (uxores coruscant radiis maritorum secundum Iuristas) cui procul dubio arctissimo amoris nexu copulatus fuit. Artemisia Cariæ gentis Regina Mausolum maritum suum adeo amavit, ut eo defuncto præmia proposuerit oratoribus, qui quam ornatissime viri gesta decantarent. Mart. de Amphitheat. Domit. Atqui longe majorem Virginis amorem fuisse erga Iosephum, nihil dubitandum. Quis ergo inficiabitur, cœli Reginam maximis donaturam præmiis eos, qui sponsum ejus coluerint, amarint, prædicarint?

H. VII. *Assiduè eam salutare.*

Septimum. Assidue eam salutare, mane, vesperi, & cum audis horam & salutationem Angelicam: item caput aperire, cum audis ejus nomen. In vita S. Gerardi prætacta legimus Ungarorum gentem adeo fuisse observantem B. Virginis, ut nomen ejus ob venerationem non pronuntiarint, sed Dominæ nomine eam appellarent: Et si contingeret nomen ejus pronuntiari, genua flectebant, & capita in terram demittebant. Videte, quid egerit gens penè barbara, & quidem paulo post initium suæ conversionis. Thomas Cantiprat. Episcopus Ordinis S. Dominici vir fide dignissimus, l.2.c.29.§.9. refert, Veteranum quendam militem Ordini Cistericensium se addixisse, sed cum deprehenderetur nescire orationem Dominicam, nec ullo labore posset addiscere, tandem laboratum est, ut saltem disceret salutationem angelicam, quam is inter prandendum ruminans, mira tandem suavitate afficiebatur. Mortuo illo, ex sepulchro ejus excrevit arbustum, pulcherrimis sed ignotis vestitutum floribus, quibus inscriptum erat aureis literis: *Ave Maria, gratia plena.* Viso miraculo denuntiatur id Episcopo loci, qui cum fodi juberet ad fidem miraculo confirmandam, reperit hoc arbustum in ore prædicti militis radices posuisse. Nec mora, ubi frutex iste officium suum præstitit, repente in astantium oculis aruit & defecit.

I. VIII. *Diem Sabbathi & Festa ejus peculiari pietate transigere.*

Octavum. Diem Sabbathi ejus memoriæ dicatum, & Festa ejusdem ac vigilias eorum singulari quodam pietatis exercitio observare: Exempli gratia, in Sabbathis aut pervigiliis confiteri, Vesperas adire, rosarium recitare, jejunare, &c. In Festis vero communicare, templa visitare, eleemosynas præbere, &c. Hæc enim & similia opera Deiparæ grata & accepta esse, non solum innumera declarant miracula, sed & ipsa convincit ratio. Si enim hæc Deum placant & propitium nobis reddunt, cur non & matrem ejus? etenim quidquid impenditur matri, non nisi propter Christum, filium ejus, impenditur. Hæc igitur qui agunt, sane vigilant ad fores Deiparæ, *beati* igitur *servi illi.*

Atque his epulis, Auditores: libenter vescitur Maria, quas si illi obtulerimus, benedictionem ejus obtinebimus. O quantum nobis hæc solatium afferent in agone nostro? Si nihil aliud boni fecimus? hinc tamen virginis cultus spem maximam nobis pariet.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. *Mundi statum esse varium & inconstantem.*
II. *Mundum esse contemnendum.*
III. *Veram nobilitatem in virtute consistere.*
IV. *Gloriam in virtute, ignominiam in vitiis esse sitam.*
V. *Fidei nostræ veritatem consistere.*
VI. *Vitæ rapidissimum esse fluxum.*
VII. *Peccatoribus bene sperandum esse.*

THEMA.

Liber Generationis Jesu Christi, Matth. 1.

A.

Mirum videri potest, cur Genealogiam Christi librum vocet Evangelista (Nam quod non totum Evangelium, sed Genealogiam solam eo nomine vocet, patet ex Gen. 5. ubi etiam Generationem Adæ per seriem recensens Moyses vocat eam librum.) Qualis vero est iste liber, qui sola nomina recenset, nihilque documenti, nihil instructionis affert? Ad quid enim juvat scire (dicent forte aliqui) quod Abraham genuit Isaac, Isaac Iacob, &c. Imo permultum juvat, & vere insignis est hic liber, ac meo quidem judicio talis, ut vel hunc solum legere sufficiat ad vitam bene recteque instituendam. Liber, inquam, non tantum eruditorum, sed rudium quoque & illiteratorum. Quod ut ostendamus, dicendum est quid is contineat.

B. I. *Mundi statum se varium & inconstantem.*

Primo. Discimus ex hoc libro, qualis sit mundi status, utpote varius fluctuans & inconstans, qui modo homines evehit modo deprimit. Excelsa fuit hæc Christi stirps in Abraham, Isaac & Iacob, utpote celeberrimis & ditissimis patriarchis: postmodum paulatim depressa est usque ad Davidem, qui fuit pastor ovium Patris sui viri privati.

Deinde rursus evecta in Davide ad Regiam per multos successores. Post hæc rursus depressa in captivitate Babylonica, in qua serviit 70. Annis in Iechonia incarcerata. Postmodum denuo è carcere ad thronum Regium elevata. Ad extremum iterum depressa ad opificium & lignariam artem in Iosepho. Quare bene Rupertus hom. 1. in cap. 1. Matth. comparat Genealogiam hanc scalæ Iacob, quam ostendit ei Deus, Gen. 28. pertingentem è cœlo ad terram usque. In ea siquidem Angeli modo ascendebant modo descendebant: ita & in Generatione Christi, ejus progenitores modo ascendebant ad Patriarchatum, modo ad baculum descendebant Pastoralem: modo ad thronum regium ascendebant: modo descendebant ad carcerem & compedes

des Babylonicos: modo evehebantur ad sceptrum ducale, modo ad securim fabrilem deprimebantur. Unde lunæ perquam similis est, quæ modo crescit, modo decrescit, modo tota luminosa, modo prorsus obscura. Plenilunium fuit in Abraham, Isaac, Iacob, Novilunium in Iesse & David. Crevit in David, decrevit in Iechonia ducto in captivitatem, &c. Quod si hanc mutabilitatem passa est ipsa Christi Domini generosissima propago: quid gloriantur nobiles mundi & potentes, quasi in sole posuissent tabernaculum suum? Nunquid ipsi melioris sunt conditionis? Quod si Magnatum & nobilium generationes constarent usque ad Noë, O quot & quantæ variationes in iis reperirentur? O quot Rustici, opifices abjectique homines eorum Progenitores fuisse conspicerentur? Clarum certe fieret id quod Plato apud Senecam Ep. 44. dixit: neminem Regem non ex servis esse oriundum: neminem non servum ex Regibus. Sed nimirum nobiles terræ instar Hebræorum nostrorum agunt, qui ut merces suas defectuosas vendant, inducunt emptorem in locum obscurum, ubi splendorem tantum mercium cernere queat, non defectus: Ita illi Annales & Genealogias suas texunt, quousque reperiunt progenitores celebres, & si forte tres vel quatuor nobiles avos repererint, mirè insolescunt. Ast ubi ad obscurum aliquem vel plebejum devenerint, ibi subsistunt & tacent. Non ita Annales Christi, qui tres quidem Reges tacent in Matthæo, neminem vero plebejum. Producantur Annales singulorum usque ad Noë vel Adam: certabit sæpe Rusticus cum Nobili de nobilitate & sæpè victor erit, & saltem aliquando in uno parente consistemus. Ut igitur luna plena non potest merito contemnere lunam novam: nec rotæ pars superior juxta Dominos sedentes in carruca consistens gloriari contra partem inferiorem, pressam & luto hærentem: quia ejusdem vicissitudinis sunt participes. Ita nec nobilis contra ignobilem. Hinc Plutarchus Rom. quæst. q. 79. scribit olim Patricios & nobiles Romanos Lunulas in calceis gestasse: ut sic admonerentur, eorum nobilitatem & fortunam mutationi subjectam esse. Utinam hoc etiamnum facerent nostri nobiles pro novis vestium peregrinarum inventionibus. Sic enim intuentes pedes luteos & instabiles, pennas superbiæ cum pavone demitterent, nec plus se aliquid esse, quam proximum existimarent. Adhæc ex incestu Iudæ cum Thamar prognati sunt omnes viri & Reges Iudæ ipseque Christus Dominus. Hic enim à Iuda per Phares & Thamar descendit. Nam omnes legitimi filii Iudæ, puta Her, Onan, & Sela sine liberis mortui sunt. Pari modo nullus est Rex aut Princeps, qui si suos majores à bis mille annis repetat, inter eos non inventurus sit multos spurios, multos rusticos aut cerdones, aut his viliores, quin imò permulti ex vilissima prosapia mox ad regnum evecti sunt. Ita Saul ab asinis, David ab ovibus ad regnum evasit.

B. I. Mundi statum esse varium & inconstantem.

Iepthe ex latrone factus est Princeps, Arsaces ex Latrone factus est Rex Parthorum, Gyges ex Pastore factus est Rex Lydorum. Darius Hystaspis Cyri Pharetrophorus fuit, Valentinianus I. Imp. Patrem habuit funes torquentem. Tamberlanes ex bubulco factus est Rex Tartarorum. Agathocles Syracusanorum tyrannus Patrem habuit figulum. Tullus Hostilius ex pastore factus est Rex Roman. Aurelianus & Diocletianus humili genere nati sunt. Maximinus fuit opilio. Maximus Puppienus Patrem habuit fabrum ferrarium. Iustinus Imp. primo fuit Subulcus, 2. Bubulcus, 3. faber lignarius, 4. miles, inde Imperator. Mahometes auctor Mahometismi & Alcorani, Camelarius fuit. Othomannus I. Turcarum Princeps agrariis parentibus ortus est, cujus posteri etiamnum Turcarum sunt Imperatores. Sultanos Ægyptios ex gentis & regni instituto prius oportebat servos esse, quam ad eum honorem conscenderent. Denique omnis nobilitas ignobile habuit principium: & qui avorum nobilitate gloriantur, non in sua, sed in aliena virtute gloriantur.

C. II. Mundum esse contemnendum.

Secundo. Discimus mundi contemptum & eorum, quæ in ipso sunt. Cum enim Christus habet progenitores Patriarchas ditissimos, Reges magnificentissimos, Duces strenuissimos, & quidem plerosque tales: Quare nullum ex his in parentem sibi elegit, sed potius omnium infimum & abjectissimum Iosephum, utpote fabrum? Potuit certè ipse tamquam Dei filius (non possumus nos) eligere sibi in Patrem Regem, in Matrem Reginam, Ducissam, vel saltem aliquam Nobilem: non fecit, sed cum primi ejus progenitores penè omnes divites & Magnates essent, illos omnes præteriit, & expectavit quodammodo donec stirps ejus deprimeretur, ut sic in humilibus & plebeis parentibus requiesceret. Ecce quam verè de ipso dixit sponsa Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Transiliit Reges, Patriarchas, Duces: ubi ergò tandem requievit? *Ego flos campi*, inquit eod. cap. *& lilium convallium*, id est, decus parentum humilium uti ait Rupert. Matth. 1. Noluit nasci hic flos in hortis Regum, noluit in montibus, sed in convallibus Iosephi & Mariæ. O quam hic damnat fastum & ambitionem nostram? Si enim hominibus liberum esset eligere parentem, quis nostrum non eligeret magna contentione, Reges, Imperatores, locupletes? An non fere omnes tota vita contendunt, ut divitias, honores, favores aucupentur & ditiones? Nunquid sapientiores Dei filio, qui hæc omnia fugit? Quæso enim te, ubi melius habitare: in montibus an in vallibus? Respondebis ilicò: In montibus jucundius; in vallibus utilius. Ita est; vivunt quidem hic mundani divites, nobiles & potentes, velut in montibus jucundè: sed ô quam difficilè ascenduntur & quam steriles sunt hi montes, & quanto labore, victualia illuc perferuntur? securi habitant ab hostibus, sed interim magis obnoxii sunt

fulminibus & fortunæ ventis. Ibi ceciderunt fortes Israel quamplurimi. Contra valles etsi hominum insidiis patent, à fulminibus, ventis fortunæ & ira Dei securæ sunt: deinde tristiores quidem montibus sunt, longè tamen fertiliores, & sine labore perambulantur. Quare ut nos Christus à montibus abstraheret, utpote periculosis & inutilibus ad valles humilitatis & mediocritatis, in valle parentum humilium requiescere voluit. Christum imitata est S. Elisabetha, quæ revocata ad imperium renuit, malens privatam degere vitam, vallem humilitatis eligens præ montibus honorum.

His adde exempla quæ supra allata sunt in F. S. Barthol. conc. 9. §. 2. n. 3.

D. III. *Veram nobilitatem in virtute consistere.*

Tertiò. Discimus, quæ sit vera nobilitas. Virtus nimirum, non prosapia. Ad quid enim putatis, recenset Evangelista Deiparæ Genealogiam? num ut eam à majorum suorum nobilitate commendet? Minime gentium. Stirpem enim Abrahæ & Davidis commendare vult ex Deipara ejusque filio, sic enim & Prophetæ stirpem illam commendant ex Maria; non contra. Audi Esaiam, cap. 11. *Egredietur virga de radice Jessæ, & flos de radice ejus ascendet.* Virgam Mariam: florem Christum interpretantur Ambros. lib. de exhortat. ad virgin. Hieron. Ep. 22. ad Eustach. Cum enim plures sint virgæ è radice Iesse pullulantes, cur Mariam tantum commemorat, nisi quia hæc gloria est illorum, de qua omnes gloriantur? Maria igitur est, quæ totam hanc progeniem velut annulum aureum gemma pretiosa magis illustret, quam illustretur ab illa. Quæro jam, unde hoc? num quia nobilior, locupletior, potentior, &c. nihil horum, plebeja erat, paupercula erat, opere manuum suarum cum Marito victitabat. Cur igitur? Respondit ipsa: *Quia respexit* (Deus) *humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1. Virtus igitur est ac præcipue humilitas, quæ eam nobilitavit & stirpem ejus licet nobilissimam, longe nobiliorem fecit. O quantum igitur aberrant, qui suas Genealogias inutiliter scrutantur & jactant, virtutis interim pensum nullum habent? Ubi est memoria illorum, qui præcise fuerunt nobiles & virtuti non studuerunt? *Periit memoria eorum cum sonitu*, ait Psalm. 9. David: q. d. sicut fracto forte in mensa vitro, omnes conclamant & gemunt, sed mox ubi frusta colliguntur & in cloacam mittuntur, nulla fit eorum memoria amplius: Ita nobiles terræ quando moriuntur, magno cum sonitu moriuntur; it longe lateque rumor, dolent multi eorum sectatores: ast ubi sepulti sunt, sepulta est quoque eorum memoria. Vivit verè illorum memoria, qui virtuti studuerunt. Undè à tot sæculis tam celebris in orbe fama & gloria S. Alexii? nisi quia licet nobilissimorum & ditissimorum esset parentum filius, in paterna tamen domo ignotus & obscurus sub scalis miserrime & humilimè vixit usque ad mortem. Unde gloria & celebritas S. Ludovici Regis Galliæ? num quia Rex Galliæ erat? Atqui fuere plurimi alii, quorum nulla est memoria. Unde igitur, nisi quia tantus Rex licet, infirmorum tamen hospitalia crebro visere, manus & pedes eorum lavare, abstergere & osculari solebat, fercula demum flexis genibus porrigere & servire? Unde gloria & memoria S. Eduardi? Num quia Angliæ Rex tantum? Minime, sed quia simul humillimus, non detrectavit pauperem claudum per competa civitatis publice gestare humero suo impositum ad ædem D. Petri? Unde ad nos fama & gloria S. Elisabethæ Reginæ, nisi quia mendicorum quantumvis squalidorum & sauciorum vulnera abstergere, alligare saniem, abradere, levare, capita scabiosa pectere, lixiviis purgare: & quandoque velo sui obligare capitis, ægros gestare ad alvum exonerandam solebat: nisi quia voluit ancillarum munia obire, & Domina ab ancillis vocari noluit: Hoc igitur, hoc est nobilitatis ornamentum perpetuum. Non sic coronæ, non ita armillæ & catenæ, non ita gemmæ & annuli ornant personas nobiles, uti virtus & humilitas. Ut enim luna quo remotior est à sole tanto magis splendet: ita & nobilitas quo magis se deprimit & à Deo elongat, tanto magis splendet, cujus typus est Luna, ut supra ex Plutarcho vidimus.

E. IV. *Gloria in virtute, ignominia in vitiis esse sita.*

Quartò. Discimus in quo consistat vera gloria, nimirum in propria virtute: & vera ignominia, nimirum in propriis vitiis, non alienis. Recensentur enim in hac Genealogia multi impii & malæ famæ: Thamar incestuosa, Bethsabee adultera, Rahab meretrix; Salomon, Roboam, Ioram, Achab, &c. Idololatræ. Qui omnes sicut nullam aspersere maculam Christo, ejus matri ac progenitoribus justis, ita nullam mutuavere ex illis gloriam. Nunquid enim S. Achab? nunquid S. Ioram, Roboam, &c. quia Christus ex eorum stirpe prognatus est, vel quia multos habuere progenitores sanctos? Minime gentium. Gloriabantur quidem Iudæi de Majorum suorum sanctitate dicentes: *Semen Abrahæ sumus. Et Pater noster Abraham est.* Sed audiunt à Domino: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, Ioan. 8. Abutebantur illi stirpe sua, virtutem Abrahæ & Majorum suorum defensionem, & tegumentum rati suorum vitiorum, unde & liberius peccabant & impunius. Ita & modo quam plurimi nobiles majorum suorum virtutibus veluti alienis plumis adornare se conantur & nobilitatem suam faciunt pallium vitiorum suorum, quasi ipsi liberius & securiùs delinquere audeant. Sed si filii eorum sunt, qui virtutibus claruerunt, virtutes suas exerant & opera majorum faciant; Alioqui majori ignominia & pœna digni sunt. Si satis erat Achab, quia ex hac stirpe erat, cur delevit Dominus ejus posteritatem: si satis erat Iechoniæ Regi, quia ex hoc stemmate erat; quare permisit eum Dominus abduci in captivitatem & servire Nabuchodonosori: An non & ipse ex Christi progenitoribus erat: Nihilominus abductus est, sicut illi prædixerat & juraverat Deus, Ier. 22. *Vivo ego dicit Dominus, si fuerit Jechonias filius Joacim Regis Juda annulus in manu dextra mea inde evellam eum, & dabo te in manu quærentium animam*

nimam

nimam tuam & in manu Nabuchodonosor, &c. Nullus itaq; quantumvis Deo familiaris & conjunctus sibi videatur, ratione status, officii, vitæ, &c. sibi de hoc applaudat, quia nisi vocationi suæ operibus ipsis respondeat, velut annulus evelletur & in captivitatẽ infernalẽ abducetur. Contra etiam propriæ virtuti non obesse aliena vitia etiam conjunctissimorũ, eodem argumento patet. Iosaphat Rex optimus erat, filius ejus Ioram pessimus: Contra Achaz pessimus erat, filius ejus Ezechias optimus. Mali deniq; omnes hic enumerati nullam attulere maculam Christo aut cæteris piis. Non est igitur exscindenda aut comburenda arbor, quod aliqui ejus rami exaruerint: nec contemnenda familia, in qua reperiuntur aliqui infames.

F. V. *[…]ei no[…] [..]e veri[…] [..]em [..]sistere.*

Quinto. Discimus fidei nostræ veritatem. Cur enim putatis describi voluit Christus suam Genealogiam, nisi quia ostendi voluit veram fuisse promissionem factam Abrahæ & Davidi, quod ex semine eorum nasciturus sit Christus? Propterea enim cum Matthæus vocasset Christum filium Abrahæ & Davidis; mox incipit id ostendere per ordinem Genealogiæ. Et quomodo hoc probat Evangelista? Genealogiam texit & longam, nunquam interruptam, seriem Patrum ab Abraham recensendo usque ad Christum, dicendo Abraham genuit Isaac, &c. & denique colligit omnes ejus generationes per numerum, q. d. quia certissimo constat tota series progenitorum Christi, & ordinata successio certo numero & noto constans, idcirco verissima fuit promissio Abrahæ facta, &c. Iam si vera & bona est hæc argumentatio, (sicuti verissima est & optima) in Christi Patribus, cur non sit vera similis collectio in Christi filiis spiritualibus? (nam carnalem ejus progeniem cessasse nemo nescit.) Audi Psalm. 44. Davidem de Christo & Ecclesia prophetantem: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram.* Quæritur jam, ubi sint hi filii, ubi sit Christi spirituale semen & Ecclesia. Petro factam promissionem, quod nunquam defectura sit fides ejus, scimus ex Evangelio, quemadmodum Abrahæ & Davidi facta est de Christo ex eis nascituro. Ubi est illa Petri fides? Ubi est Christus modo & Ecclesia ejus: Multi dicunt his temporibus, quod prædixit Dominus Matth. 24. *Ecce hic est Christus aut illic.* Dicunt Calvinistæ, dicunt Lutherani: Apud nos est Christus, Ecclesia & fides. Probate hoc quod dicitis: Texite Genealogiam, numerate successionem vestram à Petro? *Vestræ Cathedræ*, inquit Optatus Milevitanus l. 2. advers. Parm. *vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Ante centum annos, ubi fuerunt vestri Patres? Omnes ibi statis: nisi ad nostros divertere velitis, à quibus recessistis. Dico amplius quid: non potest hanc Genealogiam texere sedes Constantinopolitana, in qua hæreticos sedisse Episcopos, Macedonium, Nestorium, Anthimum, Acacium, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Anastasium aliosque plurimos testantur ipsi Græci: Non potest Antiochena, in qua Paulus Samosatenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes, Domninus, Petrus Gnapheus hæretici sederunt: Non potest Alexandrina, in qua Georgius Cappadox, Sergius, Lucius, Dioscorus, Timotheus, Elvius, Moggus hæretici præfuerunt. Non potest Ierosolymitana, ubi Ioannes Origenista, Salustius, Arsenius, Heraclius, Hilarius, hæretici sederunt. Et quomodo vos ô Novelli homunciones Genealogiam Ecclesiæ faciatis, si antiquissimæ illæ sedes hoc non possunt? Una est igitur, una est Ecclesia Romana, quæ id potest sine interruptione, sine defectu. Ibi possumus dicere, Christus genuit Petrum, Petrus genuit Linum, Linus genuit Cletum, Cletus genuit Clementem, Clemens genuit Anacletum, Anacletus genuit Evaristum, & sic deinceps usque ad nostrum Urbanum VIII. Scimus inquam omnes ordine & rite electos eadem docuisse, tot mensibus & annis sedisse: tot dies sedem vacasse usque ad novam electionem: tot Episcopos ab eis ordinatos, scimus tot esse numero. Concludendum igitur in hac esse Christum & ejus Ecclesiam. Hoc argumentum convicit sanctissimos & doctissimos Patres & retinuit in Ecclesia, si quid aliud. S. August. contra Epist. Manichæi c. 4. ait: *Tenet me in Ecclesiæ gremio ab ipsa sede Apostoli Petri usque ad præsentem Episcopatum sacerdotum successio.* Similiter ex hac successione ostendunt fidei nostræ veritatem Optatus l. 2. advers. Parm. Epiphanius contra Carpocratian.

G. VI. *Vitæ rapidissimum esse fluxũ.*

Sextò. Discimus vitæ nostræ fluxum rapidissimum, necessariam & omnimodam extinctionem. Fluxum rapidissimum, quia si quæramus ex quibusdam hujus Genealogiæ personis, quanta fuerit eorum vita, exiguam fuisse dicent. Dic nobis ô Iacob, quot sint dies annorum vitæ tuæ? Respondebit ilico, quod respondit Pharaoni similiter interroganti, Gen. 47. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi & mali & non pervenerunt ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Dic nobis & tu ô David, Respondebit id quod 1. Par. ult. dixit. *Peregrini enim sumus coram te & advenæ, sicut omnes Patres nostri: Dies nostri quasi umbra super terram & nulla est mora.*

Indicarunt hanc vitæ fluxibilitatem Matthæus & Lucas in Christi Genealogia: Matthæus enim utitur verbo: *Genuit: Abraham genuit Isaac, &c.* Quasi in mundũ introducendo homines. Lucas verò utitur verbo: *Fuit: Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, &c.* cap. 2. quasi è mundo iterum eos expellendo. Ecce quos Matthæus introducit in mundũ, Lucas mox expellit: quia quamprimum vivere incipimus, incipimus & mori, de die indiẽ currendo ad mortẽ. Ut enim hedera Ionæ subito crevit, & subito emarcuit, verme abrosa, ita & vita nostra, Ion. ult. Unde omnibus nobis dici potest id 2. Reg. 15.

Heri

Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi. Quod si tam momentaneam esse vitam testantur voce & reipsa patres illi: quid ita laboramus circa vitæ commoditates comparandas? *En morior*, ajebat Esau, Genes. 25. *quid mihi proderunt primogenita?* deditque ea pro pulmento. Utinam hoc dicerent ij, qui ædificant & opes cumulant, quasi æternum essent victuri. En morior, quid mihi hæc proderunt? Necessariam vitæ nostræ extinctionem hinc quoque discimus: siquidem ex tot tantisque viris ne unus quidem fuit, qui mortem evitare potuerit, Non juvit Abrahamum Dei amicitia & familiaritas, Davidem sua bellicositas, Salomonem sua sapientia, Iosaphatum sua sanctitas, Ezechiam suæ divitiæ. Omnes hi flores falce mortis sunt demessi: Omnes hæ aviculæ in virga mortis invisсati sunt; Omnes hi pisciculi in nassa ejus conclusi sunt, & tu evadere speras? Omnimodam verò eorum contractionem, si virtutes demas & bona opera, quis non videt? Quid enim nunc superest de tot Patriarchis, Regibus? Nihil plane aliud, nisi quod Lucas meminit: Fuit, fuit, fuit. Ubi vestra opulentia? fuit: Ubi pompa? fuit: Ubi sapientia? fuit: Ubi regnum? fuit: Unde omnes illi tales videntur fuisse, quales sunt ij Reges ludicri, qui circa festum 3. Regum solent eligi in aulis Principum, ubi sæpe accedit ut coquus eligatur in Regem, serviunt ei tunc omnes Aulici, imo & ipse Princeps: sed quamdiu? forsitan ad triduum, postmodum aufertur ei omnis potestas & manet is, qui fuit prius. Quid habet ex eo, quod Rex aliquando fuit? Nihil. Si Cursor quispiam velocissime transiret hanc civitatem & clamaret juxta portam *Hæc civitas est mea: hæc civitas est mea:* mox vero currens præteriret & nusquam amplius compareret, quis non ridiculum & inane diceret hujus Dominium? Atqui ita pertransierunt regna & Ducatus suos omnes illi Reges & Duces (unde Iob cap. 9. ait: *dies mei velociores fuerunt cursore*) unus post alterum, & eandem regiam singuli suam dixerunt. Interim velocissimè transierunt, nec uspiam modo comparent. Annon vanum igitur erat eorum imperium?

Septimo. Discimus maximam peccatoribus spem concipiendam omnibus, siquidem ille ex non paucis peccatoribus parentibus prognatus est, qui peccatores redimere venit, &c.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Evangelium Matth. 9.

IN illo tempore, cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est: discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu & discipulis ejus. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? Jesus audiens, ait? Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

CONCIONES.

I. *Mystice Publicani qui?*
II. *Quare Matthæus & alii Discipuli tam cito vocantem Christum secuti sint?*
III. *Matthæus homo designatus ab Ezechiele: seu virtutes ejus.*
IV. *Misericordia docetur.*
V. *Immisericordiæ pœnæ proponuntur & excusationes refelluntur.*
VI. *Documenta Evangelii.*
VII. *Mysteria.*

CONCIO I.

MYSTICE PUBLICANI Quid?

I *Impudentes.*
II. *Malitiosi.*
III. *Peccatis indormientes.*
IV. *Avari & raptores.*
V. *Curiosi & detractores.*
V.I *Perversores.*

THE-

THEMA.

Vidit hominem ſedentem in telonio, Matth. 9.

A. EXoſum genus hominum fuere publicani, non tantum apud Iudæos cæteros, ſed etiam apud ipſum Chriſtum. Hinc enim de homine incorrigibili dixit: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Et in parabola de Phariſæo & Publicano, repræſentat Publicanum in Perſona peccatoris & maximi quidem. Neque id immerito. Triplici enim ex capite odioſos ſe faciebant paſſim Publicani. Primo quod odioſum haberent Officium, explorandi nimirum aliorum merces, eaſq; vectigalibus onerandi. Deinde quia hoc officio ſuo male fungebantur, & ut Ianſenius cap. 13. concord. Evang. ait: *hujuſmodi hominibus in proclivi fuit, ut & rapina peccare.* Unde ex hoc nomine male ubique audiebat, indeque ut arbitror, Hebræice in textu S. Matthæi pervetuſto *pariſim*, id eſt, Latrones appellati ſunt. Denique quia vectigalia à ſuis contribulibus (qui libertatem prætendebant) Gentili Imperatori exigebant. Verum, Auditores, ſi exoſi fuerunt iſti propter cauſas dictas: quanto magis abominandi ſunt publicani ſpirituales, qui non Imperatori nobis ſimili, ſed ipſi humani generis hoſti, diabolo graviſſimum vectigal, animas videlicet, exigunt & pendunt? Ipſum enim exactorem eſſe, ab Iſaia notatum cap. 9. ſcribit S. Gregorius l. 3. Moral. cap. 13. Et quid exigit, niſi Quod Rex Sodomorum ab Abraham, Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi?* At verò qui ſunt illi diaboli Publicani? Audite.

B. I. *Impudentes.* Primo Publicani ſunt, *qui amiſſo pudore publice peccant,* inquit S. Greg. Sic enim & Publicani velluti infames pro publicis peccatoribus habebantur. Unde Suidas in Iamblico ait: *Vita publicanorum aperta eſt violentia, impunita rapina, negotiatio nulla ratione conſtans, inverecunda mercatura.* Non injuria Chriſtus Matth. 21. conjungit Publicanos cum meretricibus, ſibi enim ſimiles ſunt. Quare hujuſmodi peccatores meretrices vocat Deus per Ierem. c. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi; noluiſti erubeſcere.* Ut enim publicæ meretrices olim publica conſtituebant ſibi lupanaria & cellas, quibus inſcribebant titulum ſuæ impudicitiæ; quin & in frontibus nomen ſuum inſcriptum gerebant, ut ſcribit Seneca controverſ. 1. & videre eſt in magna illa meretrice Babylone, Apoc. 17. ita publici peccatores omni abjecto pudore in plateis & publicis ædibus ac conventibus delinquere non formidant, imo gloriantur cum malefecerint. Qui cum frænum peccandi, pudorem, excuſſerint, utique ad barathrum deſperationis currunt: *illud enim,* ait S. Greg. in Pſalm. 1. *verum eſt apertæ deſperationis judicium, ſi verecundia non ſequitur peccatum.* Hinc Deus per Ezech. cap. 17. minatur illis duplex væ (temporalis videlicet excidii & æterni) *Væ væ,* ait *Dominus omnipotens, & ædificaſti tibi lupanar & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Lupanar ſibi ædificat,* ait ibi S. Hieron. *qui tota frontis libertate delinquit.* Et ſicuti eo loco minatur Synagogæ publice idololatranti excidium per Chaldæos & per gehennam: ita interminat etiam Væ, & excidium ſimile illis civitatibus, in quibus ſine pudore ac metu publice delinquitur, idque à Magiſtratu toleratur: Solet enim Deus ibi maxime punire, ubi non punit Magiſtratus. Inter plagas Pharaonis non minima fuit illa cynomyiæ (ut legunt aliqui; non cœnomyiæ, ut alij) hoc eſt muſcarum caninarum, quæ graviſſimæ toti Ægypto erant, Exod. 8. à cane & muſca (utroque impudenti animali) dictæ. At hoc ſunt civitati peccatores publici, quod erant muſcæ illæ Ægypto, graviſſimi ſcilicet & moleſtiſſimi omnibus piis & Deum timentibus.

C. II. *Malitioſi.* Secundo. Qui conſulto & deliberate peccant. Duplex enim peccantium genus eſt, aliqui præcipitatione quadam abripiuntur in peccatum ex defectu deliberationis: de quibus ad Gal. 6. dicitur: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* Et hi facile à peccato reſiliunt facilemque obtinent veniam. Alii ex conſilio & ſtudioſe peccant, de quibus dicitur Ierem. 4. *Sapientes ſunt ut faciant mala.* Et hi difficulter reſurgunt & plerumque in laqueum deſperationis cadunt, ut docet S. Greg. 33. p. Paſtor. admon. 33. Hujus generis erant Publicani, ad rapinas & fraudes edocti & ſtudioſi: qui in ſuis teloniis ſedebant velut aranea in textura ſua, muſcarum aucupio intenta, ut advolantes captet, irretiat & voret; ac quemadmodum aranea eviſcerat ſe ipſam, ut retia illa texat; ita illi quoque aſſidue meditantur, quomodo noceant & peccent. Sic enim de illis Iſaias cap. 59. dicens *Telas araneas texuerunt.* Tales videmus eſſe inprimis hæreticos, uſurarios & non paucos advocatos, qui ſuis dogmatibus, dolis, patrociniis capiunt ac vorant plebem. Denique tales ſunt omnes, quotquot ad peccandum ſtudioſi ſunt, ut ornate incedant; ut lucra captent iniqua, puellas decipiant, ut gulæ ſatisfaciant, &c. S. Gregor. 2. p. Paſtor admon. 33. ait tales ſedere in Cathedra peſtilentiæ. *In Cathedra enim peſtilentiæ ſedere,* inquit, *eſt ex judicio prava committere. In Cathedra peſtilentiæ ſedere eſt ex ratione mala diſcernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Et ſicut aſſiſtentibus turbis prælati ſunt, qui Cathedræ honore fulciuntur: ita delicta eorum, qui præciptatione corruunt, exquiſita per ſtudium peccata tranſcendunt.* Nimirum ut paulo ante dixerat, Deum & æterna omni modo deſpiciunt, & ideo diſtrictius contra ſe judicium accendunt.

D. III. *Peccatis indormientes.* Tertio: Qui in peccatis conquieſcunt ijſque ſe affigunt. Tres enim gradus ſunt peccatorum: primus aggredi peccatum, ſecundus in illo ambulare ſeu ſtare; tertius in illo ſedere & conquieſcere, illique totum ſe dedere. Quos expreſſit Pſaltes initio pſalmorum dicens: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio*

lio impiorum , & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit. Primus peccare incipit, secundus peccatum peccato adjicit, tertius peccare pro nihilo ducit. Primus periculosus est, secundus periculosior, tertius periculosissimus. In primo gradu prosternitur homo à diabolo, in secundo ligatur, in tertio captivus tenetur. Ultimum hunc gradum exprimit publicanus sedens in telonio quasi in dæmonis ergastulo. Iam verò quis nostrum auderet diu sedere in ea domo & sede, vel jacere in eo lecto, ubi paulo ante multi pestilentia infecti & confecti erant? Periculosum est ad ejusmodi domum, sedem vel lectum accedere: periculosius ibi stare: periculosissimum illic considere & manere. Atqui istud facit, quisquis in peccatis suis sine remorsu conscientiæ, sine metu damnationis, sine dolore contritionis, sine proposito emendationis dormit & quiescit.

E. IV. *Avari & raptores*

Quartò. Avari & qui iniquis lucris inhiant ditarique volunt offenso Deo: ut qui adhibent mendacia, juramenta, perjuria, fraudes, violationem sacrorum dierum, &c. Faciebant hoc publicani: tametsi enim vectigal licite exigebant, multa tamen admiscebant propria authoritate præter jus & fas. Unde S. Chrysost. hom. 31. in Matth. ait: *Publicanorum studia & exercitatio impudentiæ & crudelitatis plena sunt, quæstus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, imo rapina lege sæculari concessa.* Atqui nihilo melior est avaritia. De hujus enim quæstu & telonio canit David Psalm. 9. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Oculi ejus pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua: insidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.* Quo postremo verbo alludere videtur ad Hortulanum, qui per uncinum attrahit ramos arborum, quò vult, & crebro motu contorquet, donec pomis eos spoliet. Hoc enim facit avarus subditis & pauperibus. Atqui hic est uncinus ille pomorum, quem ostensum sibi vidit Amos c. 8. dicens: *Uncinum pomorum video.* Avaritia inquam potentum. Quid vero poma arborum, nisi opes pauperum brevi perituræ? Delectant poma pueros, sed non ita viros: similiter bona fortunæ magni æstimantur ab iis, qui sensibus ducuntur, ut parvuli: contemnuntur à sapientibus. Verum ego alium adhuc uncinum pomorum video, qui avaros illos iniquis ejusmodi lucris spoliabit, mortem scilicet & Dei vindictam; quæ non facile admittit, ut de male quæsitis gaudeat hæres tertius: *Male enim parta, male dilabuntur; Et salis onus unde venerat, illuc abiit,* dicebat Negotiator ille, cum vidit nautis dormientibus aquam influxisse in sentinam navis sale onustæ, totumque salem resolvisse in aquam & navem demersisse. Quod idem eveniet ejusmodi publicanis, ut videlicet non solum iniquis lucris male spolientur, quæ male comparaverant, sed eorum causa etiam demergantur in infernum.

F. V. *Curiosi & detractores.*

Quintò. Qui aliorum gesta rimantur, censent, taxant & detractione sua commaculant. Hoc enim erat studium publicanorum, prænavigantium, vel prætereuntium quorumcunque merces explorare vel vectigal eis detrahere. Idem facit detractor, sed delicto multo graviore, dum aliis famam decerpit, sive peccata eorum prodendo, aut nimis exaggerando, sive falsa impingendo, sive bona male interpretando vel extenuando, aut omnino supprimendo. Unde quemadmodum apud homines exosi & abominabiles erant publicani ab causam modo dictam: ita detractores apud Deum, (*Deo odibiles*, ad Roman. 1.) tum quia usurpant judicium Dei, cujus solius est de factis & intentionibus hominum, præsertim occultis judicare; tum quia lædunt famam proximi, contra charitatem & justitiam: tum quia suorum peccatorum obliti taxant aliena, cum sua prius vitia deberent emendare: quæ tamen nec emendant, nec ab aliis volunt judicari. Quare sicut publicani, vocati sunt *parisim*, id est, latrones, quod latronum instar prætereuntes observarent, & aliqua saltem parte bonorum spoliarent: ita detractores, fures sunt & latrones, quod latenter & ex insidiis famam pecunia longe præstantiorem adeoque vitam civilem adamant. Unde sibi etiam dictum putet detractor illud Ierem. 3. *In viis sedebas expectans eos, quasi latro* (Hebr. *sicut Arabs*) *in solitudine.* Ut enim Arabes, uti olim, ita & nunc degunt in solitudine, & observant vias publicas, ut peregrinos spolient & abductos vendant: ita faciunt detractores. Pro eadem voce, LXX. Interpretes legunt, *sicut cornix seu corvus.* Hic enim in viis sedens expectat & quærit cadavera equorū aut vaccarum, ut depascat illa. Et sic ad unguem detractores, qui vel in foro sedent vel alienas ingrediuntur domos, ut sordibus alienis se recreent & pascant.

G. VI. *Perversores.*

Sextò. Qui animas pervertunt & diabolo venantur. Sic enim & Publicani gentili Imperatori serviebant, vexando & expilando contribules suos. Sed illi facultates tantum suorum exhauriebant: isti vero publicani, qui animabus insidiantur, salutem eis adimunt. Ejusmodi ergo Publicani sunt primo qui pravis suis consiliis & perversis suis doctrinis alios à viis veritatis, fidei & virtutis abducunt. Isti primæ illæ captivæ aves sunt, quæ cantu suo alias in rete vocant, ut dicit S. Ephrem. l. de recta vivendi ratione. Aves inquam diabolicæ, quales erant illi, qui dicebant Christo: *Si filius Dei es, descende de cruce.*

Secundo. Qui malo suo exemplo alios scandalizant & in laqueum dæmonis inducunt, quomodo anates & columbæ seductrices ab Hero emissæ ad sylvestres, eas secum in retia suo consortio ducunt: Uti inprimis Magistratus, parentes, patresfamilias, clerici mali, subditos, liberos, famulos, laicos.

Tertio. Qui ad peccatum alios adulationibus & blanditiis inescant, solicitant vel cogunt. Ut Pater qui filias prostituit: Mater, quæ easdem dæmoni donat & desponsat: Herus, qui ancillas violat: Iuvenis qui

qui virginem solicitat. Et hi similes sunt falconibus, qui toto impetu invadunt imbelles aves & ex aëre dejiciunt. Talis Nabuchodonosor, qui præcepit suis, ut ad sonitum instrumentorum omnes caderent in genua & adorarent statuam auream. Tales aulici Pharaonis, qui laudaverunt speciem Saræ apud Regem Gen. 12. adeoque pellexerunt eum, ut eam tolleret.

Quartò. Qui novitios in fide vel religione pervertere laborant, similes Amalecitis, qui extremos agminis Israelitici lassos & fame laboreq; confectos cæciderunt, Deut. 25. quos idcirco delere decrevit Deus, Exod. 17. delevitque per Saulem, 1. Reg. 15.

Porro his omnibus utpote pessimis diaboli publicanis horrendum væ minatur Dominus. Primis: *Væ vobis scribæ & Pharisæi, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filiū gehennæ duplo quam vos*, Matth. 23. Secundis: *Væ mundo à scandalis.* Postremis: *Væ vobis qui clauditis regnum cœlorum ante alios: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

Ad extremum rogemus Dominum ut hos omnes publicanos aspicere, & vocare voce atque aspectu suo à vinculis telonii & mercantiæ diabolicæ absolvere dignetur.

CONCIO II.

QUARE MATTHÆUS ET ALII discipuli Christi tam cito vocantem secuti sunt.

I Ob famam Christi.
II. Ob efficaciam aspectus Christi.
III. Vi vocis Christi.

THEMA.

Surgens secutus est eum, Matth. 9.

A. Mirabilem profectò ostendit potentiam suam Dominus noster Matth. 17. cum prope Capharnaum ad mare Tiberiadis transiens, & vectigal pendere jussus, Petrum ad mare misit, jubens ut hamum mitteret, & eum, qui primus ascenderit piscis, tolleret, staterem que illum, quem piscis ore gestaret, sumeret & pro vectigali penderet. Mirabilem, inquam, in hoc facto, ostendit Dominus potentiam suam. Quomodo enim quæso argentiferum hunc piscem tam subito adduxit & hamo inescavit? Deinde quomodo effecit, ut piscis ille argentum, quod forte diu in ventre habuit, tam subito evomeret & piscatori traderet? Sed longe mirabiliorem ostendit Dominus potentiam suam in hodierno Evangelio, & in simili fere negotio. Cum enim à Capharnao descenderet ad idem mare Tiberiadis, statim offendit & vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum: ecce piscem argento plenum. Misit igitur hamum, cum unicam emisit vocem: *sequere me*; & statim cepit hunc piscem: quodque mirabilius est, aurum & argentum, quod in magna copia piscis hic in ventre gesserat, mirabili vi extraxit, ita ut ipsemet Matthæus id expueret, relinqueret & contemneret, adeoque imposterum nil nisi Christum in ore gereret, qui prius nil nisi aurum & argentum gerebat. *Relictis* enim *omnibus, surgens, secutus est eum*, inquit sanctus Lucas cap. 6. Hæc sane piscatio mirabilior est illa. Nam quod piscis statim arripuerit hamum, mirum adeo non est, quia esca sibi connaturali illectus erat: Quod verò argentum per os expuerit, nec hoc magnopere mirandum, quia argentum illi pro esca non serviit: quod vero homo telonarius, auro plenus & avaritiæ deditus, ad unius vocis hamum tam insuetum & insuavem, mox accurrat, aurum suum evomat, avaritiam deponat & relictis omnibus surgat & sequatur pauperem Christum, hoc verè magnum est miraculum, & mirabilem ostendit Christi potentiam. Quamdiu enim nos concionatores clamamus? quot concionum hamos jacimus? quas non verborum figuras & tropos excogitamus? & vix tandem uni persuademus, ut vel obulum unum in sinum pauperis expuat, nedum ut relictis omnibus Christum sequatur, vel saltem avaritiam deponat. Et hinc occasionem sumpsere Porphyrius & Iulianus Apostata, ut scribit S. Hieronym. lib. 1. comment. in hod. Evang. calumniandi, dum arguunt vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti. Sed si Christi piscatoris potentiam & sapientiam; si hamorum, quibus cepit suos discipulos, vim & efficaciam, sedulo perpendamus, nihil imperitiæ in historico, nihil stultitiæ in discipulis fuisse reperiemus: ipsum verò Porphyrium & Iulianum utroque hoc vitio laborasse.

Funiculus triplex difficile rumpitur, ait Eccl. c. 4. Piscatorius verò funis, quo Piscator Christus discipulos suos cepit, & ad sui sequelam traxit, etiam triplex fuit, ut indicat S. Hieron. in comm. super hoc Evang. proinde neque mirum, si tam efficax & infractus fuit. Primus fuit fama Christi, secundus Christi aspectus, tertius ejus vox. Primus indicatur in hod. Evang. cum dicitur Christus *transiisse* juxta Matthæum: secundus cum dicitur *eum vidisse*: tertius cum dicitur *eum vocasse*.

B. I. *Ob famā Christi.*

Primo igitur fama miraculorum doctrinæ, & sanctitatis admirabilis traxit Christus discipulos. Petrus quidem, & filii Zebedæi post stupendam illam piscium capturam, relictis omnibus Christum secuti sunt, Luc. 5. Reliqui discipuli, sicut miracula Christi prius non viderunt: saltem famam miraculorum ejus audierant: *Cum tantæ virtutes*, inquit S. Hieron.

Hieron. sub hod. Evang. loc. cit. *tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est.* Deinde audiebant haud dubie prius aliquoties Christum prædicantem, & verba vitæ æternæ seminantem. Audierunt denique vel viderunt vitæ illius innocentiam & sanctitatem, virtutum omnium fragrantiam: & insuper aliqui testimonium Ioannis dicentis de Christo ad suos: *Ecce agnus Dei.* Hæc omnia injecerunt Apostolis igniculum aliquem amoris erga Christum, qui paulatim serpens, tandem in momento inflammavit corda illorũ, ita ut repente de pristinæ vitæ conversatione exilientes, in novos homines mutati sint. Quod si quædam animantia odore alliciuntur, ut capi se patiantur & in servitutem eant, quid mirum si etiam Matthæus aliiq; Discipuli vitæ Christi, fragrantia allecti, post illum abierunt? Panthera, ut scribit Pierius lib.11. Hierogl. odore & anhelitu suo feras etiam longe distantes allicit & allectas corripit. Quanto fortior ergo fuerit odor ille frangrantissimus innocentiæ, mansuetudinis & omnium virtutum, quem omnis Christi vita, verba & facta perpetuo spirabant? Solebant olim aucupes, ut scribit Basilius ad Iulittam, columbas hac industria venari. Columbam unam, quæ longo usu ad ædes Domini sui redire didicisset, unguento quodam cæteris columbis gratissimo delibutam dimittebant: quæ de more per aërem volans varia loca peragrabat, & quotquot offendebat columbas, odore suo allectas sibi adjungebat, secumque in columbarium ducebat, gratissimam aucupi prædam. Quid humanum genus nisi columba illa, de qua Oseas 7. dicitur: *Factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor?* Homines enim cum è paradisi nido evolarunt, in diabolicos inciderunt accipitres, qui quotidie ingentem inter eos edidere stragem. Quare Deus optimus Maximus velut sapientissimus venator cum ad suum potius domicilium & columbarium has columbas duci cuperet, accepit columbam unam, nostri scilicet Salvatoris innocentissimam humanitatem, eamque omni gratiarum & virtutum unguento delibutam (ideo *Christus*, seu *unctus* vocatus) in aërem hunc demisit, ut passim obviantes sibi columbas, odore miraculorum, doctrinæ & sanctitatis ad se allectas Deo Patri suo in cœleste columbarium adduceret. Atque hinc fiebat, ut quacunque Dominus iret, odorem hunc post se spargeret (quia *divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis*, ait Lucas capite 4.) & quoscunque vellet facile ad se pertraheret. Associabat se aliquibus, & familiari conversatione eos ad se pertraxit ut Andream, Philippum, Nathanielem, &c. alios in transitu statim cepit ut Matthæum, Zachæum, &c. Quare nulla hic temeritas, si tam præclaram columbam, tam prompte sequerentur Discipuli, & *cucurrerint in odorem unguentorum ejus.* Mirandum potius, quod tam pauci sint secuti.

Illud sane mirum, quod etiamnum innumeri pene homines iisdem mediis vocentur à Deo ad pœnitentiam, qui tamen obsurdescunt & nihil horum intelligunt. Pervenit ad nos non fama tantum, sed certissimum testimonium vitæ Christi à quatuor Evangelistis conscriptum. Accedunt plurimi miraculorum libri, qui partim fidei nostræ certitudinem comprobant; partim manifestè ostendunt, quantum peccata Deo displiciant: bona opera placeant. Quot legimus sacrilegos & blasphemos repente à Deo punitos? quot filios in parentes impios? quot usurarios & raptores? quot fornicarios & falsos testes? quot templorum & festorum violatores? quot nobis erectæ salis statutæ, in æternum monumentum, ut aliorum saltem exemplis saperemus, & quam Deo displiceant vitia, perspiceremus? Sed quam multi ea licet testatissima non credunt? quam multi non expendunt? quotusquisque est qui sibi evenire posse existimet, quod alteri evenit? Deinde quam multas audimus conciones sine omni fructu: quæ licet ab ipso Dei ore non procedant, scimus tamen à Christo dictum: *Qui audit vos me audit.* Quam multi in Ecclesia sacri piique libri, ex quibus ingentem comparare thesaurum possemus, quos tamen ne aspicimus quidem, sed pro iis, ridiculos, scurriles & fœdos libros terimus. Denique constat nobis Christi sanctitas & virtus plusquam Matthæo cum vocaretur. Nondum viderat Matthæus Christum patientem, resurgentem, ad cœlos ascendentem: nondum viderat Ecclesiam Christi per orbem dilatam, & tot annis inter innumeras procellas immotam consistentem, non viderat tantum Sanctorum exercitum, & quantus nunc in Ecclesia est sanctitatis & bonorum exemplorum odor. Quot sancti viri in Ecclesia? Christi bonus odor sunt, qui partim jam trumphant in cœlo, partim adhuc in terra milicant: qui omnes præiverunt & viam regiam nobis planam tritamque fecerunt. Quot videmus agmina Religiosorum? Quot Carthusianos & Capucinos, qui rigidissimam ducunt vitam, & circumeunt in melotis, angustiati & afflicti? quorum vita redarguit mundanos de manifesto errore, ut qui carnem tantum sequi volunt & bacchanalia celebrare.

C. II. *Ob efficaciam aspectus Christi.*

Secundo, Aspectu suo traxisse putamus Dominum suos ad se discipulos, qui est alter funiculus: Panthera quidem, ut supra vidimus, odore trahit feras, sed vultu tamen suo admodum truci terret, & idcircò eum abscondit cum venatur feras, uti Pier. ubi sup. Plin. l. 8. c. 7. non ita Christus Dominus, qui non odore tantum, sed etiam aspectu traxit ad se homines. S. Hier. in primis Divinitati Christi in vultu emicanti tribuit hanc tractionem: *Fulgor*, inquit, *ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana Christi facie relucebat ex primo aspectu videntes ad se trahere poterat.* Et in Ep. ad Principissam ait: *Nisi Christus habuisset in vultu quiddam sydereum, nunquã eum statim secuti fuissent Apostoli, &c.* Quod si Moy-

si Moysis facies rutilavit ex consortio Dei: & S.Philippus Nereus sæpe vidit in facie S. Ignatii Lojolæ fulgorem lucis radiantem, ut habetur in vita S.Philippi Nerei apud Anton.Gallon. anno 1538. Eademque illius facies cuidam principissæ adeo quondam rutilare visa est ut oculos ab eo aspectu avertere non posset, ut refert in ejus vita lib. 3. cap. 14. P. Maffejus. Quid mirum si hoc ipsum decus multo præstantius habuit Christi facies? Quidquid vero de fulgore illo apparente sit, potuit Christus Dei filius, solo aspectu suo trahere quos volebat. Si enim S. Benedictus solo aspectu potuit dissolvere vincula & liberare Rusticum à Galla adductum vinctum, ut habetur in ejus vita. Et si verum est, quod de struthione refert Bercorius in reduct. Mor. lib. 7. cap. 71. eum visu tantum suo vivificare ova: si denique tanta est solaris luminis efficacia: Cur non multo major oculorum Filii Dei; *Oculi enim ejus multo plus lucidiores super solem*, ait Ecclesi. cap. 23. Quis autem neget solem à terra vapores aqueos extrahere, & sursum elevare, in tenuissimam nubem cogere & in alto circumferre, nec non in ipsis terræ visceribus gemmas & aurum; in conchyliis margaritas, sub ipsis aquis gignere? Cur ergo non possint oculi Christi piscatores, & terrenos homines è luto peccati extrahere, & ad sublimem perfectionis statum evehere, adeoque in nubes tenuissimas, quæ totum percurrant orbem ipsique ad nutum obediant, denique in aurum, gemmas & Margaritas convertere? Thraces, ut refert Sidonius Apollinaris, oculorum Dei efficaciam descripturi solem pingebant, ex quo tres radii prodibant, quorum unus mortuum illuminans, in lucem revocabat: alter ad induratum lapidem directus, eum conterebat: tertius ad montem nivis tendens, eum liquefaciebat: cui addita inscriptio: *Oculi Dei ad nos.* Hæc quam consentanea sint oculis Christi, nemo, credo, non videt. Etenim conversus ad Magdalenam in peccatis mortuam & ad pedes suos jacentem, erexit eam ad vitam, Luc. 7. *Conversus Dominus respexit Petrum*, Luc. 22. & ecce mons ille nivis, qui præ timore obriguerat; statim liquefactus est, & *egressus foras flevit amarè.* Vidit hod. in Evangel. Matthæum ad mare sedentem avaritiæ, velut cautem immotam: & mox contrivit illum, ita ut *relictis omnibus* exiliret & Christum sequeretur. Ita nimirum *facile est*, ut ait Eccl. 11. *in oculis Dei subito honestare pauperem.* Quod tamen non tam externo & corporali, quam interno & spirituali Christi aspectui tribuendum est. Dum enim exterius Matthæum aliosque vidit, interius corda illorum luce interna collustravit, ut à quo, ad quid, de quo, qui & quare vocarentur, efficaciter agnoscerent. Igitur radio oculi Christi illuminati agnoscebant vocantem esse filium Dei, qui propter eorum salutem de cœlo in terram venerit: intelligebant se ad cœlum & vitam sempiternam invitari: videbant ea, quæ possidebant, Patrem senem, naviculam rimosam, lacera retia, alienum telonium nihil esse respectu bonorum sibi oblatorum, seque in illis perituris bonis frustra desudare: perspiciebant se nihil esse nisi Dei mancipia, ad servitium illius obligata, ab ipsius bonitate prorsus dependentia: videbant se cum terrenis sarcinis temporalium bonorum ad cœli altitudinem conscendere non posse, nec sequi ducem, qui instar Gigantis maximos passus faciebat, currebat non ambulabat in stadio perfectionis. Hac inquam luce irradiati, ne tam benignum Ducem & tantum gigantem sequi non possent onerati, & propter amorem vilium sarcinarum æternis illis præmiis privarentur, excogitato optimo consilio relictis omnibus liberi atque expediti secuti sunt eum. Quid tu ad hæc Christiane? Vellem sane & ipse sequi, ais, si hoc vocarer modo: si similiter aspicerer & intus illustrarer. Sed intra quæso cubiculum cordis tui & tecum ipse rationes pone. Nunquid non sæpius legisti in libris piis, audisti in concionibus, vel aliunde nosti, quis sit, qui te à peccatis ad pœnitentiam, à vitiis ad virtutem vocat? Nonne Deus tuus, qui ut te vocaret, tibique vocationem persuaderet, de summo cœlo descendit, imo & in Crucem ascendit? Deinde ad quid te vocat? nonne ad vitam & cœlestem beatitudinem? nonne ad virtutem, rem in se ipsa præclarissimam & pulcherrimam? nonne ad sanctitatem & innocentiam angelicam? Et à quo te avocat? nonne à perituris & inanibus bonis, quæ te citò deserent? nonne ab exigua navicula, à laceris retibus & infirmis amicis, qui te juvare nequeunt? à laboriosa piscatura? à telonio diaboli? nonne à telonio, ubi non tam tibi quam aliis thesaurizas & laboras? compara cum terra cœlum, quanta differentia? Quis tu, qui ad tantam hæreditatem & dignitatem filiorum Dei invitaris, cum servus esse debeas? Quare denique vocaris? nonne ut abjecta mundi & peccatorum sarcina Deum sequi possis? num tu Deo simul & mammonæ poteris servire? nunquid robustiores Apostolis? Et si illi onusti cursum illum perficere non potuerunt, quomodo tu perficies?

C. II.

Tertio voce traxit, cum dixit: *Sequere me.* Huic enim voci vim trahendi fuisse; quis dubitet? Act. 12. Angelus Domini apparuit Petro vincto in carcere dixitque: *Surge velociter.* Et mox *ceciderunt catenæ de manibus ejus ipseque Angelum secutus est educentem se de carcere.* Quid mirum si angelorum Rex simili voce Matthæum, avaritiæ catenis ligatum ilico exsolvere, & telonii ergastulo liberatum post se trahere potuit? S.Ignatius Lojola, cum Iudæum nomine Isaac à se conversum, postea vero à sociis seductum, rursum ad Iudaismum discedere videret, uno verbo (*Mane nobiscum Isaac*) statim eum reduxit & in fide solidavit. Quid mirũ si hoc potuit in Matthæo aliisq; efficere Christus? Denique *si in magnete & succinis*, ait Hier. ubi sup. *hæc esse vis dicitur, ut annulos & stipulam & festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* verba igitur Christi magnetina fuere.

D. III. *Vi vocis Christi.*

Sed unde dicet aliquis, tanta unius vocis Christi energia. Respondeo primo, quia vox erat Dei ac proinde potentissima. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Ier. 23. Ignis & malleus non indigent præcursore, qui viam illis præparet: sed ipsi sibi viam faciunt, ignis omnia perrumpit, malleus omnia conterit. Sic etiam voxDei, quæ non tantum aures ferit, sed etiam ad cor penetrat & omnia obstacula frangit. Unde ad Hebr. 4. dicitur: *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Vox concionatorum nequaquam ita penetrat: quia aures ferit, sed cor non aperit. Secundo, quia vox erat patris ac proinde vox suavissima. *Perdix fovet quæ non peperit* (aliena sc. ova & pullos) *in medio annorum deseret illa*, ait Ier. 17. id est, ut ibi S. Hier. refert, ubi pulli adoleverint, quam primum matris genuinæ vocem audiunt, agnoscunt ilico & sequuntur relicta perdice, adulterina videlicet matre. Ad eundem modum erat primo Matthæus sub noverca & aliena matre, sub potestate dæmonis & mammonæ: sed ubi audivit vocem Christi, utpote legitimi parentis, ilico agnovit & relicto telonio ad ipsum accurrit.

Deniq; fuit vox Iudicis, ac proinde etiam imperans & terrens. Non enim reddidit rationem Matthęo cur vel ad quid vocaret illum, sed absolute jussit tamquam Dominus & Iudex. Tonitru erat hoc Matthæo: de quo in Ps. 28. dicitur: *Vox Domini præparantis cervos*, ubi Aquila vertit: *Parturire facientis cervos*. Alii: *obstetricantis cervos*. Etenim cerva cum partum diu differat & non nisi perfectos fœtus cursui & pastui mox aptos edat, inde summa difficultate parit, ut habemus in libro Iob c. 39. Cœlo interim nubilo contingit ut vehementius tonet, unde pavefacta cerva fœtum facile & celeriter edit. Ejusmodi cerva Matthæus erat, quando jam rumore miraculorum doctrinæ & sanctitatis Christi gravidus erat. Sed obstabat partui telonium, amor consanguineorum, cupiditas nummorum &c. Et en tibi ingens tonitru: *Sequere me*, q. d. sic volo, sic jubeo: noli causam quærere, ita oportet fieri; væ tibi ni sequaris &c. Tum demum omnibus valedicit, & nullo negotio parit fœtum Deo gratissimum, novam creaturam, ex Iudæo Christianum, ex publicano Apostolum.

Audimus & nos multoties Dei vocem, monentem ut surgamus è mundi & peccatorum telonio. Sed quam parum ea movemur? Audimus vocem Dei ac proinde potentissimam, quoties à Deo flagellamur & à creaturis ejus, alioquin ad servitium nostrum ab illo destinatis. Quid sibi vult flagellum hæreseon nos undique infestantium? quid sibi vult diuturnum hoc bellum? quid annonæ caritas aliquot retro sæculis inaudita? quid sibi vult, cum ignis domos nostras vastat, cum integra urbs ruina montis sepelitur, cum aër inficitur & pestem affert, cum terra fruges negat, cum furtis & latrociniis repletur, cum morbi in nos sæviunt, cum amici moriuntur &c. an non hæc omnia mala ipsius Dei vox sunt? an non cor nostrum penetrant, cum hæc & similia patimur? quid vero aliud clamant, quam: *sequere me? convertimini ad me & convertar ad vos? quiescite agere perverse, discite bene agere &c.*

Audimus vocem patris & proinde suavissimam, quoties dona Dei percipimus. Quis enim te quotidie alit? quis vestis, quis frugum tibi largitur abundantiam? Unde tibi tam constans sanitas? tam longævi parentes? Quis est ille, qui tibi quotidie facit oriri solem? Unde tibi ignis, quo calescis? aer, quo respiras? aqua, qua potaris? terra, qua sustineris? Quis tibi subjecit omnia ut tibi inservirent, & ad tuam conservationem perpetuo laborarent adeoq; vitam tibi penderent? Viden' ergo funiculos Adam, quibus traheris? sed adverte etiam vincula charitatis, superna beneficia. Quis est qui fecit? quis refecit? Quot hic peregrinationes pro te suscepit? quot sermones habuit? quot noctes insomnes duxit? quot mira perpetravit? quot cruciatus pertulit. His omnibus Deus clamat: *sequere me*, dimitte diabolum: non est ille pater tuus: alienus est, adulter est: perdix est, quæ te non genuit, & in medio annorum deseret.

Audimus vocem judicis terribilem, quoties legimus vel audimus scripturam peccatoribus comminantem ac tonantem. Quale tonitru est illud: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestrã?* Quale illud? *O quam difficile est divitem intrare in regnum cœlorum? facilius est camelum, &c.* Non corruis, non tremis, cum tu avare hoc tonitru audis? Quid tonat Apostolus ad Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, comessationes & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Denique quid tonat hominum Iudex, Matth. 25. cum ad reprobos ait: *Ite maledicti, &c.*

Qua ex re patet, quam juste tandem deferat & damnet Deus illos; qui tot funiculos rumpunt, nec trahi se patiuntur, &c.

CONCIO III.

MATTHÆUS HOMO DESIGNATUS ab Ezechiele, seu virtutes ejus.

I. *Bona voluntas.*
II. *Obedientia.*
III. *Humilitas.*
IV. *Mansuetudo.*
V. *Paupertas.*
VI. *Liberalitas.*

THE-

THEMA.

Cum transiret inde Jesus, vidit hominem, Matth. 9.

A. LAërtius lib. 6. de Diogene refert, eum media quondam die lucerna accensa forum perambulasse clamantem: *Hominem quæro.* Alio item tempore in foro exclamasse: *Adeste homines, adeste homines.* Quorum cum multi accurrissent: *En,* inquiunt, *adsumus, dic aliquid.* At ille arrepto baculo eos abigens. *Homines,* inquit, *adesse jussi, non sterquilinia.* Indignos nimirum judicavit hic Philosophus hominis dignitate & nomine eos, qui bestiarum instar degerent. Non aberravit hic à Christi Domini nostri scopo & intentione. Circuibat & hic in mundo homines indagans: homines inquam, qui ratione ducerentur, qui blande se tractari, duci, instrui & virtutibus perpoliri finerent: Sed invenit ut plurimum pro hominibus bestias, refractarios & truncos. Invenit enim viperas, à quibus mordebatur dente detractionis, dum ab illis audiit *Beelzebub, vini potator, homo vorax &c.* Unde eis dixit: *Genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Matth. 23. Invenit mulos, quorum calcibus contemptus impetebatur, dicentium: *Nonne hic est filius fabri?* imo à quibus & prodebatur, juxta id Ioan. 13. *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum.* Invenit aspides surdas, & obturantes aures suas sermoni divino. Invenit vulpes sibi clanculum insidiantes, uti Herodem, juxta id Luc. 13. *Dicite vulpi illi* (Herodi scilicet) Invenit ursos, quorum flagris velut unguibus crudeliter laniabatur. Invenit Tauros pingues, quorum cornibus (crucis videlicet ligno) dire configebatur. Bene igitur dicere poterat id Ierem. 4. *Intuitus sum & non erat homo.* Verum hodie tandem vidit hominem, uti asserit Evangelium, nomine Matthæum. Hominem scilicet illum, quem dudum ante in spiritu viderat Ezech. cap. 1. Et postea Ioannes Apoc. 4. inter quatuor animalia trahentia currum Evangelicæ prædicationis per universum orbem. Is autem de communi Patrum sententia Matthæum effigiabat, qui ab humana Christi generatione Evangelium suum incepit. Superest nunc ut, cujusmodi homo fuerit Matthæus, ostendamus.

Animalia illa, quæ Ioannes vidit, singula senas alas habebant: haud dubie ad instar Cherubim, qui ut vidit Isaias c. 6. duabus velabant facies suas, duabus pedes, & duabus volabant (uti notat Ioach. in cap. 4. Apoc.) Habuit & Matthæus noster sex virtutes quasi alas, quibus Christum sequeretur ad munus Apostolatus.

B. I. *Bona voluntas.* Primo. Alæ, quibus volabat ad sequelam Christi, bona voluntas & obedientia erant; quas subtili penicillo indicat Matthæus illis verbis: *Surgens secutus est eum.* Bona voluntas ex eo elucet, quod audita Christi vocatione statim surrexit à telonio. Non vocabatur nomine suo, nec videtur habuisse prius cum Christo familiaritatem aliquam: nihil audiit de præmio sequelæ, quod promiserit Christus; & tamen mox surrexit, telonii sui oblitus & Christi amore incensus. Nimirum sicut agnus ilico agnoscit vocem matris è mille ovibus, & cursu ad eam fertur: ita & Matthæus, quia scilicet erat una ex Christi ovibus, vocem ejus mox agnovit ac velut sibi salutarem, prosequendam existimavit. Habuit hac in re æmulatores seu imitatores non paucos, omnes eximiæ sanctitatis; veluti S. Antonium, qui in templo audiens id: *Vade, vende omnia, quæ habes;* omnibus mox renuntiavit & paupertatem amplexus est, non secus ac si de cœlo vocem illam sibi dictam accepisset. S. Franciscum, qui audiens legi illud: *Nolite portare sacculum neque peram, neque duas tunicas habeatis;* mox eam sibi regulam amplectendam existimavit. S. Gerardum, qui lecto illo Apostoli ad Phil. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat;* S. Augustinum, qui reperto illo textu Apostoli ad Rom. 13. *Non in cubilibus & impudicitiis, &c.* velut de cœlo sibi missas voces statim amplexi sunt, & vitam in melius commutarunt. In his aliisque innumeris Christianis verificata est prophetia Ezech. c. 11. & 36. ubi promisit Deus fidelibus cor novum & carneum, quod ad Dei vocem flexile & tractabile esset: *Auferam,* inquit, *cor lapideum de carne eorum & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent.* Verum non desunt adhuc etiam inter Christianos, qui, quasi cor lapideum haberent, ita surdi sunt ad Dei voces & conciones, quas non pluris æstimant, quam si in sylva aut deserto vocem audiissent nihil ad se pertinentem; similes Generis illius Loth, qui dum hortaretur eos ut consulerent sibi, & fugerent imminens Sodomæ incendium, *visus est eis quasi ludens loqui,* Gen. 19. Nihil magis, nihil crebrius inculcatur peccatoribus ab Evangelio ejusque præconibus, quam gehennæ fuga, Iudicii terror, mortis calamitas. Et tamen multi sunt, qui his fulminibus & tonitruis adeo non terrentur, quasi hæc omnia ludus tantum & puerorum terriculamenta forent. His optandum & orandum sedulo, ut Deus saxeum eorum cor percutere virgâ alicujus calamitatis semel atque iterum dignetur (quemadmodum fecit Moyses Petræ, Exod. 17. & Num. 20.) quo tandem emollitum lachrymas profundat.

C. II. *Obedientia.* Ala altera obedientia est, quæ quam perfecta fuerit in Matthæo, videtur insinuari ab Evangelistis, qui de eo scribunt omnes in Perfecto: *Secutus est eum:* cum de cæteris Publicanis Christum itidem sequentibus scribat Marcus cap. 2. in Imperfecto: *Sequebantur eum.* Perfecta autem fuit Primo, quia sine mora statim surgens secutus est Christum, adeo ut S. Basilius in reg. interrogat. 8. dicat, eum tam celeriter secutum, ut vectigalium rationes in mensa reliquerit imperfectas. Erat nimirum instar aquæ in mensam effusæ, quæ digito tacta, præcedentem illum mox sequitur.

Secun-

Secundo, quia *relictis omnibus*, ut ait Lucas cap. 5. adeoque integrè, nihil sibi reservans obedivit. Non enim aliqua excepit, nec quæsivit: *Domine quorsum vel in quantum sequar te?* sed quo illum ducturus erat Dominus, sequi paratus erat: nudus nudum videlicet, nihil proprii capitis sibi retinens, atque ut Euthymius hoc loco ait: *Solam adduxit mentem ad omnia paratam, quæ jussisset is, qui eum vocaverat.* Non est passim obvia talis obedientia. Plerique proprii sensus aliquid sibi retinent, ut quemadmodum Saul Rex omnia de Amalec demoliri à Deo jussus, pinguia retinuit sibi & pulchra, cæteris vastatis, 1. Reg. 15. Ita multi in levioribus se subjicere norunt, non item in gravioribus: cæteris peccatis renuntiant, uni vel alteri tantum, cui maxime adhærent, nuntium mittere nolunt: externe quidem obediunt, & quæ jubentur, exequuntur, voluntatem tamen & sensum non frangunt, ut Superiori accommodent.

Tertiò, quia tempore incommodo, dum *sederet in telonio*, quando aliis rebus occupatus, minime venturus sperari poterat. Sic enim invitati illi ad cœnam, dum aliis rebus distinebantur, alius in villa, alius in bobus, alius in nuptiis suis, minime venerunt. Nihil horum Matthæum tenuit, non pecunia, non fama, non uxor: omnia abrupit vincula, ut Christo frueretur.

Quarto, quia in subjecto difficili. Erat enim, ut scribit Metaphrastes in ejus vita, in omni scientia & arte versatus magnoque ingenii acumine & insigni rerum experientia præditus, adeo ut primum locum inter publicanos ejus loci obtineret. Quis autem nescit eos, qui ingenio & experientia præstant, communiter aliàs suæ opinionis tenaces adeoque ad obediendum difficiles esse?

Quinto, quia constanter. Adhæsit enim Christo, individuus ejus sectator. Non ita cæteri publicani, qui sequebantur, hi enim finito convivio ad sua redierunt; quorum similes sunt, qui initio boni operis fervent, in progressu tamen deficiunt, cum se difficultas offert; similes illi Zaræ, qui è geminis prior egredi de matris utero cœpit & manum protendit: sed cum filum ejus alligaretur manui, dolore tactus retraxit manum & posterior natus est, Gen. 38. Tales enim sunt, qui renasci quidem incipiunt & viam salutis ingredi: Sed si filo obedientiæ paulò arctius ligentur, ilicò manum retrahunt.

D. III. *Humilitas.*

Secundo. Alæ tegentes faciem, humilitas & mansuetudo sunt, quibus velut alis Matthæus justitiam & virtutes suas texit. Humilitas ejus inde elucet, quod ea tantum de se scribit, quæ humilitatis & abjectionis sunt: cum reliqui Evangelistæ ea, quæ laudis sunt, de ipso scribant. Nam inprimis, cum duplici vocaretur nomine, Matthæus scilicet & Levi: vulgato illo, hoc honoratiore, (ut vult sanctus Hieronymus in procem. in Matth. Glossa Ord. Beda, Euthymius) ipse se abjectiore nomine *Matthæum* appellat, quem Lucas digniore, *Levi* nominat. Deinde vitium & infamiam suam aperit, dum se publicanum fuisse & in telonio sedisse asserit, nec aliis se Publicanis præfert, sed turbæ eorum miscet. Adhæc cum ad magnam ejus gloriam referri posset, quod tam celeriter è telonio surgens vocantem Christum secutus sit: ne hanc sibi tribueret laudem, in tertia persona quasi de altero id recenset. Denique ea reticet quæ ad propriam commendationem faciebant, ut quod omnibus relictis secutus sit Christum: Et quod fecerit Christo convivium: quæ recenset Lucas; cum Matthæus solum scribat: *Surgens secutus est eum. Et discumbente eo in domo.* Discimus ergo cum de nobis loquimur, defectus tantum nostros intueri, non profectus: contra, cum de aliis, quemadmodum fecerunt Marcus & Lucas, qui Matthæo nomen magis honorificum tribuunt. Sed fere contrarium evenit. Raro è civibus alter alteri suum proprium & honestum tribuit, sed inhonestum nomen affingit eoque illum traducit scurriliter, contra id Apostoli ad Rom. 2. *Honore invicem prævenientes.* Cæterum Matthæi nomen, omisso nomine Levi, ab Ecclesia retentum est, quia ob humilitatem Apostoli factum est altero gloriosius: humilitas ei in gloriam cessit.

E. IV. *Mansuetudo.*

Mansuetudo ex eo patet, quod audiens Pharisæos & Scribas obtrectatores, dicentes: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* non levi probro & contumelia affectus, & quidem in domo sua, nihil tamen respondet, sed dissimulat injuriam. Peccator proclamatur Matthæus & indignus, quo cum Christus & discipuli ejus comedant: nonne insignis hæc contumelia est? nonne eam Matthæus à se amoliri, & in sinum Pharisæorum poterat regerere? Verum tacuit ipse, & Christo suam defensionem commisit, ideoque ab eo defendi meruit. Hoc est, quod Apostolus ad Rom. 12. docet: *Neque nosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Date locum iræ, committendo ultionem Deo, cujus est vindicta. Date locum iræ, tacendo & cedendo irato, donec iram ponat: sic illum sibi restituetis, & vobis reconciliabitis: Date locum iræ, expandendo sinum charitatis vestræ ad excipiendos quosvis iracundiæ fluctus, ita ut parati sitis omnia adversa æquo animo ferre, & charitatis repensione obruere. Hoc amoris philtrum propinavit sanctus Greg. Nazianz. Constantinopolitis suis Catholicis: dum enim ipsi ab Arianis sub Valente Imp. Ariano vexati & oppressi, eo mortuo sub Theodosio Catholico Imp. par pari eis reddere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianzenus: *Non hæc, mi Rex, à nobis poscit Christus; neque sic Evangelium nos docet. Hæc mea sit ultio, ut qui nos affecerunt injuriis, salutem consequantur. Præstate illis beneficia qui vos odio prosequuntur. Quod si animus vehementer exæstuat, neque coerceri se ira patitur, quod ab hoc alte-*

alterum est, præstate, ut hæc Christo permittatis ac futuro tribunali reservetis. Mea enim est ultio, ego rependam, ait Dominus. His dictis populum placavit & in suam sententiam pertraxit. Neque segnius re ipsa præstitit ipse, quod verbo alios docuit. Cum enim in Concilio Constantinopolitano dissidia quorundam Episcoporum orta essent, quod ipsis inconsultis consecratus esset Episcopus, illis Ionæ verbis placare eos studuit. *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare, ut vos jactari desinatis,* atque ita Episcopatu cessit, Gregorius Presbyter. in ejus vita.

F. V. *Paupertas*

Tertio. Alæ, quæ tegunt pedes, paupertas sunt & liberalitas. His enim duabus virtutibus fœditatem bonorum temporalium, quæ per pedes designantur, operire possumus, contemnendo scilicet ea & elargiendo. Paupertatem sectatum esse Matthæum ostendit Lucas, cum ait: *Relictis omnibus secutus est eum.* Ergo qui prius omnibus affluebat, postea omnibus egebat. Quod enim Christus habuit, hoc habuerunt & discipuli, nihil videlicet præter eleemosynam; neque hanc ad sufficientiam nec statis temporibus: alioquin, præ esurie non vellicassent spicas in Sabbatho ad sedandam nonnihil famem, Matth. 12. Docemur ergo à Matthæo perituras opes relinquere, antequam ipsæ nos relinquant extremo nostro damno: quo modo Dux exercitum suum, quem videt esse timidum aut rebellem vel plenum proditoribus. Hic enim si capit, deserit exercitum antequam ab ipso deseratur in summo vitæ discrimine. Hujusmodi autem milites sunt divitiæ, quæ propterea à Domino Matth. 13. *fallaces* nuncupantur. *Fallaces enim sunt*, ait S. Gregorius homil. 15. in Evang. *quæ nobiscum diu permanere non possunt. Fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt.* Fallaces demum, quia in extrema necessitate deserunt possessorem & hosti tradunt. Cæterum qui effectu deserere has cum Matthæo non vult aut potest, deserat saltem affectu; quod fiet, si eas è corde suo excludat. Si quis asservandum tibi gladium dedit & nescias quando eum repetiturus, sit dicens, opinor: Servabo quidem tibi gladium; sed non in meo cubiculo; fieri enim potest, ut eum repente & insperato, ac forsan media nocte à me repetas: quare ne propterea de somno surgere tibique aperire debeam, ponam illum in atrio prope januam, ut quandocunque volueris, venire & auferre queas, sine mea molestia. Ita agendum cum divitiis. Habendæ sunt pro deposito, servando ad tempus, brevi tamen restituendo, quandocunque scilicet Deo placuerit: atque idcirco in cubiculum cordis non sunt admittendæ, non amandæ velut propriæ: sed foris, extra cor collocandæ, ut quandocunque Dominus venerit easque repetierit, pacem & tranquillitatem animi servemus dicamusque cum S. Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

G. VI.

Liberalitas & fraterna Charitas enituit in Matthæo, dum una cum Christo invitavit ad convivium etiam alios Publicanos, ut ita exemplo suo allecti, & familiaritate Christi attracti & ipsi converterentur. Unde Ven. Beda in hunc locum ait: *Matthæus, qui Apostolus & Doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione post se gregem traxit ad salutem.* Invenerat nimirum pretiosam margaritam; hinc omnibus eam ostendit: hinc convocat amicos & vicinos dicens: *Congratulamini mihi, &c.* Terrena bona, quia finita sunt, divisione minuuntur & pluribus non sufficiunt, ideo molesta est eorum communicatio: at cœlestia bona omnibus sufficiunt, & quo pluribus communicantur, eo magis satiant explentq; appetitum. In convivio cœlesti semper superest: & quo plures sunt convivæ, eo majus omnium gaudium; Quod videtur mihi insinuatum in duobus illis Conviviis, quæ exhibuit Christus. Primum Marci 8. in quo plures erant panes, septem videlicet & pauciores discumbentes, nimirum 4000. Reliqui autem erant septem tantum corbes fragmentorum. Alterum Ioannis 6. in quo pauciores panes, utpote quinque tantum: & plures erant discumbentes, nim. 5000. superfuerunt tamen duodecim Cophini fragmentorum. Quid vero hoc aliud significat, nisi in cœlo tanto majorem esse gaudiorum & bonorum omnium affluentiam, quanto major est Beatorum societas?

Hinc ergo qui ad Christum conversi pignus beatitudinis & quasi prægustum cœlestis convivii acceperunt, mox ad idem alios quoque vocare contendernnt, ut Andreas Petrum, Philippus Nathanaelem, Matthæus Publicanos, Samaritana Cives suos ea voce: *Venite & videte hominem, &c.* Ioan. 4. Regulus totam domum suam, aliique postea fideles, præsertim potestate aliqua præditi, qui non satis habuerunt, quod ipsi Evangelii lucem aspexissent, sed præterea adlaborarunt, ut subditos inprimis, deinde amicos & vicinos suos ad eandem traherent, quo modo etiam sponsa, cum pro se dixisset sponso: *Trahe me post te*; mox subjecit: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 2. alios etiam secum ad sponsum ducere volens.

Superest nunc ut nos quoque saltem quoad possumus, Matthæum imitemur, & cum eo curramus in odorem virtutum Christi, si veri homines & veri Christiani haberi & esse volumus, &c.

CONCIO IV.
MISERICORDIA docetur.

I. A primis Christianis.
II. Ab Hebræis.
III. A Gentilibus.
IV. A Bestiis.
V. Ab Inferis.

THEMA.

Euntes discite, quid est: Misericordiam volo, Matth.9.

MOs est in scholis, Auditores, ut discipulus ille, qui in re facillima hallucinatur & impingit, mittatur ad inferiores scholas, ut à rudioribus discat cum pudore, quod dudum scire debuit. Hunc in modum Sapiens Prov.6.pigrum ad formicas mittit, ut laborare discat, sibique providere:*vade ad formicam ô piger*, ait, *& considera vias ejus & disce sapientiam*.Et hoc idem videtur Christus facere in hodierno Evangelio, dum ablegat Pharisæos ad discendam Prophetæ sententiam omnibus notissimam; ait enim; *Euntes, discite, quid est; Misericordiam volo.* Sed quorsum eos ablegat? sane opus non erat, ut consulerent doctiores, aut libros multos evolverent, quod enim misericordia miseris, medicina ægris exhibenda sit, sole clarius est. Ergo à rudioribus, à lippis & tonsoribus discere hoc debebant, quod cœci nesciebant. Porro quoniam etiamnum reperiuntur Christiani, quibus Virtus Misericordiæ adeo peregrina est, ut nescire videantur an requirat eam Deus; necessarium esse duxi, tales ablegare ad scholas inferiores, ut ab illis pudefacti discant, quod docere alios deberent. Sex classes distinguuntur in litteris humanioribus, Principia, Rudimenta, Grammatica, Syntanxis, Humanitas, Rhetorica. Nos, ut arbitror, in hac sexta & summa sumus, aut certe esse debemus; siquidem nunc Ecclesia repleta est scientia plus, quam aliis sæculis, & præterea sumus in sexto annorum millenario ab Orbe condito; & ita nos doctissimi & perfectissimi esse deberemus. Vos igitur qui nescitis quid sit, Misericordiam volo, Itote.

B. I. *A primis Christianis.*

Primo. Ad Humanistas, id est, ad primos Christianos nascentis & adolescentis Ecclesiæ: qui Christi humanitati vicini vere humani & homines facti sunt.

Primo. Hi diebus Dominicis collectas faciebant pro Christianis, qui Ierosolymis & alibi bonis suis spoliati erant, ut patet 1.Cor.16. & Act.11. Ubi Antiochieni prævenientes famem ab Agabo prædictam miserunt suam Eleemosynam per Barnabam & Saulum, & 2.Cor.8. Ubi Apostolus laudat Ecclesiam Macedoniæ, quod in profundissima licet paupertate sua liberaliter tamen sua elargita sit pauperibus Ierosolymitanis, & hortatur eorum exemplo ad idem faciendum Corinthios, quam consuetudinem durasse usque ad tempora Theodosii scribit S.Hieronymus contra Vigilantium.

Secundo. Post sanctam Communionem, qui ditiores erant, faciebant agapes, hoc est, convivia in signum charitatis, pauperibus præsertim, ut colligitur 1. Corinth. 11. & docet Tertullianus & alii.

Tertio. Tam effusa erat illorum largitas erga pauperes & peregrinos, ut impostor quidam Philosophus cognomento Proteus, à Paro insula oriundus ad Christianos se receperit, & baptismo suscepto effecerit, ut pietatis causa in carcerem mitteretur cum aliis Christianis, sed eo tantum consilio, ut ex oblationibus Christianorum (quæ fieri solebant erga vinctos) ingentem pecuniæ vim corraderet, quod etiam ei ex voto cessit; nam dimissus à Syriæ Præside, auro suffarcinatus in Patriam rediit, Luciano teste apud Baron.anno 75. Sane Clemens lib.5. Constit. Apostol.c.1. ad hanc eleemosynam fideles exhortans, scribit: *Sin vero aliquis non habet, jejunet & cibum ejus diei partitus destinet Sanctis. Si vero potest rebus suis omnibus divenditis ex custodia eripere, beatus & amicus Christi erit.* Videte charitatem, videte fervorem primorum Christianorum; qui cum præsenti vitæ suæ periculo sua vinctis elargiti sunt, nullo præcipiente, & ut largiri possent, victum sibi accidebant. Nos in Ecclesia Christi jam adulta sumus, & quasi in meridie lucis Christianæ. Ut ergo in meridie omnia magis clarent & solis luce calent: ita æquum esse videtur, ut nos, qui lucem Evangelii undique diffusam cernimus, incunabula exorientis Ecclesiæ virtutibus superemus.

C. II. *Ab Hebrais.*

Secundo. Ite ad Syntaxistas, id est, Hebræos, qui in legum suarum cæremoniis construendis toti erant, si imitari non potestis primos Christianos.

Primo. Adi S. Iob. Nonne ipse ait, c.29. *Oculus fui cœco & pes claudo: pater eram pauperum,* quasi diceret, cœcos duxi, & claudos succollavi.Et cap.31. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea! feram, & alius comedat, &c.*

Secundo. Ad Tobiam, qui in captivitate positus viam veritatis non deseruit:ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere impertiret, & tertio quoque anno Proselytis & advenis ministraret omnem decimationem. Idem quotidie pergebat per omnem cognationem suam & consolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus suis: Esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat, Tob.1. Ac licet propter hoc à Rege occidi jussus esset, non cessavit tamen ab officio charitatis in sepeliendis mortuis, Tob.2.

Tertio. Ad Israelitas alios. Hi 2. Paral. 28. captivos suos (200000.) non modo dimiserunt liberos, sed etiam eos, qui ex iis nudi erant, vestierunt de spoliis & refecerunt cibo ac potu, unxerunt insuper propter laborem & adhibuerunt eis curam, imbecilles quoque imposuerunt jumentis & adduxerunt ad fratres suos. Rursum 2.Mach.8. Prædam hostibus ereptam diviserunt debilibus, pupillis, viduis & senioribus. Et nonne hodie Iudæi magno studio cavent, ne quis ipsorum egeat & stipem colligat? Quid ergo faciant Christiani? nonne ab illis Christus majorem perfectionem requirit? nonne ipsi promissio-

nes

nes & hortamenta Christi ad misericordiam præstandam luculentiora habent?

D. III. *Gentiles.*

Tertio. Ite ad Grammatistas, id est Gentiles, qui in solis creaturarum elementis, & naturæ lege studebant. Et

Primo. Ad Mulieres illas Obstetrices Pharaonis Exod.1. & Rahab meretricem Iosf. 2. Quæ Erga Hebræos adeoque alienos tantam exhibuere misericordiam, quantam raro aliquis exhibet erga suos. Illæ enim infantes Hebræorum contra edictum Pharaonis in vita servarunt, hæc legatos eorundem à suorum furore defendit.

Secundo. Ad Viros, è quorum numero Cimon Atheniensis fuit, qui, ut scribit Atheneus l. 12. in agris & hortis suis, qui fructus custodirent, nullos esse permisit, ut è civibus, qui vellent ingressi fructus legerent: & si quo egerent, quod in suis possessionibus proveniret, asportarent ut collibuisset. Præterea domum suam omnibus ille communem exhibebat; parata semper frugali cœna, quæ multis hominibus satis esset, ut tenuis fortunæ cives & inopes accedentes & ingressi cœnarent. Illis etiam favebat, qui quotidie ab eo quidquam poscerent, & cum per Civitatem ambularet duo vel tres adolescentuli eum comitari solebant cum minutis nummulis, quibus imperabat, si quis obvius egeret, ei stipem erogarent. Eum quoque tradunt mortuis sepeliendis pecuniam contulisse: ac sæpe cum ex civibus aliquem male vestitum aspiceret; adolescentum cuipiam ex iis, qui sequebantur, mandavisse, ut suam cum eo vestem commutaret. Valerius Maximus l.4.c.8. de quodam alio hæc scribit; *Erat opibus excellens Gillias, sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior, semperq; in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus: adeo ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes Virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissime excepti variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit ac vestivit, &c.* Quid, quæso, hi fecissent, si fuissent Christiani? Alius secta Mahometanus, Mercator conditione, ætate sexagenarius, cum à Regno Xatai per Mecham venisset in Cambogiam, post aliorum testimonia affirmavit Principi se aureorum centena millia Mechæ in eleemosynas profudisse, & idcirco quidem, quod senex esset & cito moriturus, & hæc secum auferre non posse certo sciret, audiente eo, qui hoc scripsit Patre Emmanuele Carvalio, an.1599. Cujus literæ habentur in relatione histor. de India Orientali, P. Pimentæ Soc. Iesu, impressa Moguntiæ, anno 1601. Profudit iste sua in gratiam Mahometis: quid nos in gratiam Christi facimus?

E. IV. *A bestiis*

Quarto. Ite ad Rudimentistas, ad rudes inquam bestias & discite ab illis.

Primo. Vultisne de volatilibus? Aquila nunquam prædam suam (nisi admodum famelica sit) totam sola devorat, sed cæteris volucribus, se, ut ejus participes fiant, consectantibus, eam communiter tanquam mensæ sociis apponit, sua tamen prius accepta portione, Pier.l.19. Narrat Alb.M.tr.2.l.8. de animal. c.6. Aucupes quosdam in Germania Superiori, casu in canum cæcumque arbori insidientem falconem incidisse, eumque admirarentur, qui sibi victum pararet, sese in sylva abdidisse, atque ex lateribus conspexisse duos falcones alios, qui cum eo prædæ prandiique sui partem communicabant.

Secundo. Vultisne ex aquatilibus? Pedunculus piscis sequi solet Delphinum, qui eo tantopere delectatur, ut cum ipso libenter prædam communicet; victitat ergo ipse ex iis, quæ Delphino superfluunt atque intercidunt, quibus tanquam locupleti mensa exceptus pinguescit. Ælian.l.9. c.7. Videtur ergo Delphinus audisse verbum Christi Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam.* Pisces ergo faciunt, quod faciendum monet Christus, & Christiani hoc non faciunt, ut superflua saltem mensæ suæ dent esurientibus?

Tertio. Vultin de terrestribus? Exhibet unum Ludovicus Granatensis l.1. Introd. in symb. c.1. *Erant*, inquit, *in quodam monasterio nostro canes duo. Accidit ut unus procul à Monasterio vulneraretur adeo graviter ut in terram prostratus, mori potius quam vivere videretur. Alius canis videns infortunium sui socii visitabat illum & vulnus lambendo curabat: sed magis mirandum*, inquit, *quod partem panis in ore suo attulit, ut cibaret eum, qui venari non poterat.* Sane etiam in Evangelio legimus canes lambendo ulcera Lazari præstitisse id, quod poterant misero, cum tamen famuli Epulonis ne micas quidem illi porrigerent, Luc.16. Quod à Christo ad confusionem illorum, quorum minor est misericordia, quam brutorum, narratum esse non est dubium.

F. V. *Ab inferis*

Quinto. Itote ad classem omnium infimam, ad Infernum scilicet, ubi Principistæ sedent, qui semper incipiunt damnationis suæ saxum volvere, nunquam autem finiunt; Et vel ibi discite, quid est, *Misericordiam volo.* Audite Epulonem sedentem ad fornacem mediis in flammis, & tamen de fratrum salute solicitum. *Rogo te, pater*, inquit ad Abraham, Luc.16. *ut mittas Lazarum in domum Patris mei. Habeo enim quinq; fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ecce in inferno, ut putes, non deposuit hic Dives affectum charitatis; ecce in mediis flammis solicitus est pro fratribus & succurri eis rogat. Nos ergo exuemus viscera charitatis, cum nobis adhuc bene est, & cum juvare possumus? Verum non verbis tantum docet misereri dives, sed & pœnis suis; videmus enim illum in flammis cruciari & inprimis siti intoleranda, propterea quod micas negavit esurienti. O Quam levi munusculo redimere potuisset æterna illa tormenta! Si vel micas obtulisset, cœlum accepisset, & famem illam ac sitim æternam evasisset. Historiam audite huic rei competentem. Haitonus Armenius Præmonstr.

In historia Tartarorum c.20. scribit: Cum Haolon frater Mangon obsedisset & expugnasset civitatem Baldach, præcepit adduci ad se Regem Califum, cui cum mandasset, ut omnes thesauros suos universamque substantiam in medium proferret, & protinus paruisset ille, obstupuit valde videns tantam auri copiam, tam ingentes thesauros tantumque unionum numerum & ait; *Ut quid non impendisti immensas has opes ut conquireres milites, & exercitum conscriberes ex adjacentibus nationibus, quo te viribus meis opponere posses? Quia*, Respondit, *præstare me viribus & armis arbitrabar. Præsumebas* (replicavit tum) *te magnum esse Doctorem ac sapientem, nec non populi potentem Ducem & Præfectum, ac propterea assignandus est tibi locus, & apponenda fercula majestate tua & Celsitudine digna. Quapropter cibus alius non subministrabitur tibi præter aurum, argentum & lapides pretiosos hos, quæ tam solicite asservabas.* Et ex tunc includi ipsum imperavit in turri munitissima circumdatum opibus & thesauris suis, ut sic fame consumeretur. An non isti Califo similis est Epulo? O stultum Epulonem! cur aurum & argentum tuum, imo panem tantum & micas tuas non eò impendisti, ut faceres tibi amicum Lazarum, & emeres tibi in cœlo æterna tabernacula? Ad quid tibi jam prodest aurum, epulæ, purpura & byssus tuus, qui inexpugnabili gehennæ turri inclusus es? Quare pecuniam tuam non dedisti ad mensam jacenti præ foribus mendico? quanta cum usura eandem recepisses? Nunc vero aliud nihil, præterquam sitim æternam, & incendium perpetuum tibi mercatus es. Vide ergo tu, qui Dives es, ne & tibi aliquando simile carmen occinatur. Profecto si miserorum non vis misereri, *miserere animæ tuæ*, uti inquit Eccles. cap. 30. ne descendat ad Epulonem. Quid enim aliud meretur, qui facere id nescit, quod sciunt, Humanistæ, Syntaxistæ, Grammatistæ, Rudimentistæ, Principistæ? Hunc ergo execrandum descensum fugiamus Auditores, & omni studio adlaboremus, ut potius ascendamus ad summam illam classem cœlestis Theologiæ, ubi audiamus: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*, Matth. 5.

CONCIO V.

IMMISERICORDIÆ POENÆ proponuntur, & excusationes refelluntur.

I. In fortunis.
II. In liberis.
III. In corpore.
IV. In Anima.
V. In vita ista.
VI. In altera vita.

THEMA.

Euntes discite, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium, Matth. 9.

A. Scriptura, ad quam remittit Dominus Pharisæos in hodierno Evangelio, habetur Oseæ 6. Ubi Dominus ad Prophetam ait: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina & quasi ros mane pertransiens. Propter hoc dolavi in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei: & judicia tua quasi lux egredientur: Quia misericordiam volui & non sacrificium*: Quo loco Dominus reprehendit duritiam hominum avarorum erga pauperes, aitque similem eam esse nubi matutinæ, seu rori pertranseunti, quia scil. inconstans & momentanea fuerit; ideoque dolasse eos per Prophetas, corripiendo nimirum, ita ut occiderit eos, id est, pene enecarit & confecerit velut dolabras in præduro ligno, vel dederit occidendos; atque idcirco judicia ejus sint lucem egressura, id est, manifeste eos puniendos toto mundo inspectante, & quasi mundo spectaculum justitiæ divinæ faciendos: quia scilicet misericordiam erga pauperes voluit potius quam sacrificium. Quæ Dei sententia merito sane terrere deberet omnes illiberales & duros erga pauperes. Si enim Deus Prophetas suos exposuit gladio, ad hoc, ut corriperent ejusmodi avaros, quid faciet ipsis avaris? *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* ait Dominus. Nimirum ita eos castigabit, ut in toto mundo spectaculum sint justitiæ divinæ. Eò nos mittit Christus in hodierno Evangelio: *Euntes discite quid est*, &c. velut si diceres furaci puero: Vade ad patibulum & disce quid sit furari. Hujusmodi ergo spectacula nunc contemplatum ibimus.

B. I. *In fortunis.* Primo. Legimus eos punitos in bonis temporalibus. Refert Sigebertus in Chron. apud Baron. anno 605. & Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus in gloria Conf. cap. 108. mendicum quendam decrepitum in littore maris petiisse à nautis nomine Christi eleemosynam, modicum videlicet cibum ex iis, quæ in navi ferebantur. Præfectus plus æquo immitis respondit: *Abi hinc senex, nihil hac in navi est, præter lapides.* At mendicus: *si ita est, ut nihil præter lapides habeatis, faxit Deus ut ita appareat.* Mirum, mox quidquid esculenti ibi est inventum, versum est in lapidem; erant autem plurima ejus generis parata & devecta è longinquo. Dactyli igitur, olivæ atque alia ejusmodi omnia genuina retenta forma ac colore lapides erant, quos se vidisse & attrectasse memorat Gregorius Turonensis. Dominus autem navis inquisitum senem invenire nusquam potuit, & per multas civitates de iis, quæ in saxa mutata erant, circum tulit, & spectanda proposuit in aliorum exemplum. Quis non videt, quam juste sit punitus hic? quia enim

enim cor lapideum habuit erga pauperem, omnia ejus mercimonia merito in lapides sunt conversa. Petrus Bizarus apud Delrium tom. 2. disquisit. lib. 3. pag. 1. quæst. 7. *In Suevia* (inquit) *Bavaris & Franconibus finitimâ, fuit quidam Nobilis valde dives & opulentus, nomine Rickbergerus, cujus annui reditus supra triginta millia nummorum aureorum extendebantur. Hic tametsi in reliquis vitæ actionibus non vulgari laude dignus censebatur, ineffabili tamen cupiditate laborabat: eaque factum est, ut quotidie opes per fas & nefas accumulare omniaque ad se rapere studeret. Cum itaq; prospiceret annonæ charitatem, quæ proximo anno in ea regione subsecuta est, sua horrea tritico & frugibus implevit, magnoque pretio divendere cœpit: adeo ut indigenæ compulsi ab eo victum emere, ob inexhaustam ejus avaritiam, vel fame prorsus perirent, vel, si ali & sustentari vellent, ad magnam egestatem atque inopiam redigerentur; tam care illis granum & reliqua ejus generis divendebat. Ad hunc præter alios innumeros venit quidam pauper & liberis onustus, cum sex daleris, eumque rogavit, ut pecuniam acciperet, ac quandam tritici mensuram sibi daret, seque reliquam partem pecuniæ, quam illi debere, brevi bona fide persoluturum: At ipse hunc superbo vultu & iracundis oculis intuitus à se protinus abire jussit, & quod reliquum erat pecuniæ secum adferre, si frumentum vellet; atque ita miser ac mœstus, diras imprecatus, illinc recessit. Paucis post diebus, cum is quendam ex famulis in horreum misisset ut illud de more inspiceret, ab ipso in reditu accepit, tres nigros boves intus esse, qui granum devorarent. Qui autem hoc retulit, proximo die lecto decumbens, haud multo post è vita migravit. Idem quoque accidit cuidam generoso, quem illuc herus miserat, ut videret an ita se res haberet, sicut prior narraverat: is enim & boves & equos inspexerat. Cum igitur de hac re certior fieri vellet, ipsemet in eum locum proficisci statuit: ivitque ad portam horrei, ibique per quasdam rimas vidit totum horreum plenum variis atq; innumeris armentis, quæ omnes fruges absumebant. Hoc spectaculo ita præterritus est, ut statim furiosus atque insanus evaserit, multaque dementer fecerit, donec tandem catenis adstringeretur. Hic horribilis casus magnam sane admirationem attulit, cum in ea provincia tum præcipue in aula Cæsariana, quæ illum antea prudentissimum cognorat.* Hæc ille narrans quæ in Europa memorabilia post annum 1560. accidisse ipse notarat. Epitom. fol. 281. Cæsarius l. 4. dial. c. 68. & post eum sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus in hist. sua, narrant de quodam Benedictinorum cœnobio, cujus Abbas, quia multum liberalis erat in pauperes, officia omnia in homines ejusdem virtutis distribuerat; ditabaturque cœnobium, omnibus interim, qui illuc divertebant, bene habitis. Post obitum verò Abbatis hujus, contigit alium eligi, qui frugalior videri voluit & ad rem attentior. Quare ex authoritatis illis, qui liberaliores erant, alios substituit sibi similes. Raræ erant & exiguæ eleemosynæ, excludebantur advenæ, omne studium erat ut cœnobij res parcimonia crescerent: sed exitu plane contrario, deficiebat cœnobium res ita accidebantur ut sustentandis religiosis vix sufficerent. Accessit aliquando senex aliquis, in Dei nomine hospitii petens locum; cui janitor de paupertate conqueritur cœnobii, antea tam potentis & divitis. Respondit autem senex: *Solent hic habitare sorores duæ: Date & dabitur: quarum priorem ejecistis, altera verò quia à se mutuo separari nolunt, fugit? Revocate itaque illam; & ista quoque redibit.* Quo dicto evanuit; erat enim angelus. Ianitor autem indicavit omnia Abbati, qui prædecessoris sui revocans charitatem, cœnobium priori loco opibusque restituit. Vere igitur dixit Salomon Prov. 28. *Qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.*

C. II. *In Liberis.*

Secundò in Liberis. Celebre & omnium ore vulgatum extat exemplum in Hollandia factum anno 1276. Margaretha comitis Hollandiæ Uxor, cum pauperculam mendicantem repulisset, eo quod tam numerosam prolem haberet, ab ea maledicta est ut tot proles pareret, quot sunt dies in anno. Maledictionem exaudiit Deus, fecitque ut uxor comitis uno partu 365. proles pareret, quæ omnes per Episcopum Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus in pelvi quadam baptizatæ sunt, & masculis nomen Ioannes, fœmellis verò nomen Elisabeth impositum est: quæ postmodum mox una cum matre mortuæ sunt & in cœnobio sanctimonialium D. Bernard. quod Cosdum nuncupatum, sepultæ: sepulchrum adhuc visitur, teste Guiciardino ejus regionis descriptore & aliis. Nimirum num frustra præcipit Ecclesiasticus cap. 4. *Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua.*

D. III. *In corpore.*

Tertiò. In corpore. S. Willebrordo poscente pabulum & potum à divite, cum ille renuens abiret, ardenti siti percussus est, quam extinguere toto anno non potuit, donec post annum redeunte S. Willebrordo veniam ab eo petens, impetravit. Nam sanctus dedit illi cum benedictione de calice suo bibere, itaque absolutus & sanatus est. Ita Albinus Flaccus in ejus vita. Simile quod contigit Vitali presbytero, qui sancto Emmeramo membris omnibus truncato, potum poscenti abnuit, non quidem ex immisericordia, sed ne diutius viveret sanctus in summis doloribus. In pœnam enim quoties deinde potum ori applicavit, mentis inops factus est in exemplum aliorum: ita Cyrinus in vita Sancti Emmerami.

E. IV. *In anima.*

Quartò in anima, ita ut indurati obsurdescant ad inspirationes & vocationes divinas. Hujus rei exemplum habemus l. 1. Reg. c. 25. in infelici illo Nabal, qui Davidi de se bene merito, subsidium petenti, respondit: *Quis est David, & quis est filius Isai, tol-*

Iam ergo panes meos, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis & dabo viris, quos nescio unde sint? Quem tamen paulo post divina justitia comprehendit. Nam cum uxor ei recensuisset, qua ratione David cum suis militibus perdere eum venisset, nisi obstitisset ipsa; *emortuum est cor ejus intrinsecus*, ait scriptura, *& factus est quasi lapis, & post dies decem percussit eum Dominus & mortuus est.* Nimirum quia obsurduit ad vocem pauperis, ita punitus est; ut obsurdesceret etiam ad vocem Dei vocantis eum per uxorem ad resipiscentiam. Novimus ex parabola seminantis, quantum malum sit non audire verbum Dei, quando semen cadit secus viam, vel in petram. vel in spinas. Hanc pœnam meretur duritia in pauperes. Deus est nobis multo plus quam David Nabalo, omnia enim nostra nobis dedit & conservat: quid magnum ergo si militibus suis pauperibus aliquid subsidii petat? Et tamen plurimi eum non agnoscunt sub tunica pauperum latere: Quibus merito dicere posset Christus, quod Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est, qui tibi dicit: da mihi bibere?* Darent enim utique & hoc ipsum pro dono maximo reputarent.

F. V. *In vita ista.*

Quinto. In vita. Hujus exemplum habemus in Sabiniano Papa illiberali, successore S. Gregorii M. liberalissimi. Cum enim is prædecessoris sui liberalitati derogaret, eleemosynas pauperibus constitutas abrogando, S. Gregorius per visum ei ter apparuit, tenacitatem ejus redarguendo & pœnam comminando nisi resipisceret: tandem ergo persistentem in avaritia in capite percusit. Ex quo ille dolore vexatus, non multo post mortem oppetiit, & corpus ejus, populo impediente, non ex more humatum ad S. Petrum, sed extra muros ad pontem Milvium delatum est, Baron ad annum 603. Nota est etiam historia de Hattone Archiepiscopo Moguntino, prius Abbate Fuldense, qui non procul à Moguntia in monte quodam (Hattenberg etiam hodie dicto) arcem sibi ædificari curavit, ubi ne pauperes eleemosynam petituri ipsum obruerent, frequenter habitavit. Cumque maxima fame homines eo tempore premerentur, pauperes, atque mendicos non paucos in unum locum, quasi stipem eis largiturus convocavit. Quos omnes in horreo quodam congregatos igne supposito crudeliter combussit: quos cum lamentabili voce ululantes audisset, derisit dicens ad suos aulicos: Höre höre! wie pfeiffen die Mäuse (mures enim appellabat pauperes, quod frumentum absumerent) sed non impune hoc tulit: nam à muribus ita infestatus est, ut ad eos effugiendos in medio Rheni Turrim prope Bingen, quæ usque hodie der Mäuß-Thurn vocatur, ædificare coactus sit, in quam se reciperet: sed nec ibi tutus, natantibus per Rhenum muribus præda factus est: nomenque & insignia ejus à parietibus & tapetibus undiq; per eosdem mures abrosa. Refert Genebrardus l. 4 Chornograph. sub annum Domini 970. Hieronymus Zieglerus de viris illustribus Germ. & alii. Quæ tamen narratio, si conficta est, ut videtur Nic. Serario, nolumus huic Præsuli quidquam detractum. Narrat insuper Cedrenus sub anni Domini 553. periodo apud Baron. terribilem casum avari cujusdam divitis Constantinopolitani; qui cum vehementer ægrotans triginta libras argenti pauperibus distribuisset, restitutus autem valetudini facti pœnituisset; re cum amico communicata, ubi non potuit averti ab eo pravo dolore, tunc alter ille promittens ei pecuniam reddere, dum vellet in templo dicere, haud se eam pauperibus, sed illum alium elargitum esse: statim ut hoc avarus præstitit, in ipso Ecclesiæ exitu mortuus concidit; integram verò pecuniam alius pauperibus erogavit. Videmus vascula certa fictilia, quibus recondi solent nummi & per arctum foramen injici, qui postmodum eripi nequeunt, nisi vascula confringantur. Idem accidit avaris, qui ita recondunt nummos ut per eleemosynam nihil ab eis obtineri posit. Hos ergo confringit sæpè Deus per mortem violentam, & tunc nummos eorum dispergit undique in hæredes, advocatos, pauperes &c.

G. VI. *In altera vita.*

Sexto. In altera vita, ubi non exaudientur eorum preces & clamores, ut ostendit exemplum Epulonis, qui quoniam micas Lazaro non dedit, guttā aquæ in inferno non obtinuit. *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*, inquit Iacobus cap. 2. *Euntes igitur discite quid est misericordiam volo.* Ut enim monuit Dominus inconstantes in pœnitentia Luc. 17. *Memores esto uxoris Loth*; sic etiam admonet avaros exemplo epulonis & Hattonis in turre adhuc exsistente &c. Quomodo enim petat misericordiam qui eam alteri negavit? An non Proverb. 21. dicitur: *Qui obturat aurem suam ne audiat pauperem, & ipse clamabit ad Dominum, & non erit qui exaudiat eum?* Exemplum recensetur in speculo tristium Io. Dueg-nij Hisp. cap. 1. de opulento cæteroqui bono, sed adeo tenace & illiberali, ut ne mendicantium quidem voces audire vellet, unde remotius ab ædium januā struxit sibi domicilium, ubi nullos pauperum clamores audire posset. Qui cum esset mortuus, & exequiis in templo solitis cohonestatus, quoties sacerdos ad populum se vertens dicebat: *Dominus vobiscum*, toties imago crucifixi visa est manus suas clavis eximere & immissis in aures digitis, eas obturare. Quo portento obstupefacti omnes, inquisitione facta deprehenderunt defunctum illum pauperibus modo prædicto aures quoque suas olim obturare solitum; atque ita merito à Deo non auditas esse preces, quæ pro eo fundebantur.

Sed allegant avari. Primo multos pauperū fraudulenter agere, dum morbos fingunt & colore superinducto pingunt. Sed respondet S. Chrysostom. hom. 35. & 37. ad pop. vel ex hoc ipso colligi divitum Tyrannidem, qui tam immisericordes sint, ut ad impetrandam eleemosynam pauperes mendacio indigeant. Etenim durus esset pater, cujus filius

ad impetrandum panis frustum, morbos deberet fingere.

Secundo pauperes abligurire suas eleemosynas & opiparè vivere. Respondet idem, non debere nos conservorum expensas tam rigide subducere: quo enim judicio judicamus conservum, eodem & rigidiore judicabit nos Deus. Et quis tibi potius concessit vel aliis abligurire bona temporalia, quam aliis? num pro te solo & divitibus tantum crescit vinum & triticum? num pro te solum creati pisces, aves, pecora &c. Itaque in quo *judicas alterum, te ipsum condemnas*, ait Apostolus ad Rom. 2.

Tertio pauperes esse malos. Respondet: non judicandum esse proximum; & deinde licet mali sint, nihil decedere eleemosynæ, sicut malus nuntius nihil derogat literis, quas per eum mittis amico. Per pauperes Christo das, quod das ipsi pauperi. Adhæc, si quem nosti malum, præbendo ei eleemosynam, occasionem habes reddendi meliorem; sic enim canes famelicos, escam sperantes, instruimus ut nobis per media obediant & ministrent, pileum vel baculum portent, anates ex aquis efferant &c.

Quartò. Alendos esse pauperes ex bonis Ecclesiasticorum. Respondet, nihil ad te pertinere quid faciant alii, vel facere debeant: non enim tu salvaberis eleemosynis aliorum: alioquin etiam sufficere tibi deberent preces Ecclesiasticorum. Scire enim debes, non tam propter pauperes exigi à Deo eleemosynas, quam propter ipsos divites, ut hi per illos salventur.

Quemadmodum ergo Gedeon minatus est viris Socoth & Phanuel, nolentibus dare panes exercitui ejus: *Cum reversus fuero victor in pace, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti*; idque fecit Iud. 8. sic faciet avaris Christus, cum redierit ad judicium, dicet enim: *esurivi & non dedistis mihi manducari, Ite maledicti &c.* Matth. 25.

CONCIO VI.

DOCUMENTA EX Evangelio.

I. *Vocationis divinæ necessitas, ejusdem vis & suavitas.*
II. *Vocati obedientia.*
III. *Ingenium bonorum*
IV. *Ingenium malorum.*
V. *Vis boni exempli.*
VI. *Quanta Virtus misericordia.*

THEMA.

Euntes discite, Matth. 9.

A. Mirum quod refert Philostratus de M. Aurelio Imp. cognomento *Philosopho*. Scribit enim illum puerorum more jam senem in ludum literarium ivisse. Et cum aliquando ei Lucius obviaret percontans quonam iret & cujus rei gratia? Respondit: *Honestum est & seni discere, eo ad Sextum Philosophum, ut discam, quæ nondum scio.* Socrates, qui Delphico oraculo omnium sapientissimus judicatus est, cum jam grandior natu esset, visus tamen est fidibus canere sedens inter pueros. Cumque ob id rideretur, dixit, absurdum non esse, quæ quis nesciret, ea discere velle. Stob. serm. de assiduit. Salvius Iulianus, tum juris prudentia, tum multorum Principum amicitia clarus, in ore habuisse dicitur: *Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem.* In Pandect. l. 4. tit. de fidei commis. L. apud Iul. Sed quorsum hæc ego, Auditores? Paucis verbis dicam. Quantumlibet eruditi, quantumlibet senes simus & rerum experientia clari, erubescere tamen haud debemus ad scholam Christi convenire, & ibidem discere quod nescimus ex sacris concionibus. Sic enim Christus Dominus in hod. Evangel. Scribas & Pharisæos, adultos jam & doctos mittit ad scripturam, quod multa adhuc nescirent, quæ scire tamen deberent: *Euntes discite*, inquit. Quod si igitur Pharisæis discendum adhuc fuit: quod si viri illi eruditissimi discere non erubuerunt: euntes ergo & vos discite Christiani, quod sacræ paginæ docent. Porro nunc hod. Evangel. pro doctrina adibimus.

B. I. *Vocationis divinæ necessitas.*

Discite Primo Necessitatem, vim & suavitatem vocationis divinæ. Necessitatem quidem, quia nisi Christus juxta Matthæum transiisset eumque vocasset dicens: *Sequere me*, absque dubio ille à telonio nunquam surrexisset, sed mensæ suæ affixus perpetuo hæsisset, adeoque laqueis divitiarum suarum irretitus diaboli præda factus esset. Verissime ergo dixit Dominus Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et Apostolus ad Rom. 9. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Proinde qui vocatus à Deo est ad gratiam: non habet unde extollatur; qui verò vocatus non est, habet cur oret ut vocetur & trahatur. Vocat quidem Deus omnes homines ad se innumeris modis: sed non omnes vocat efficaciter, ita nimirum ut vocati respondeant & pareant vocanti. Novimus enim in parabola illa cœnæ magnæ, Lucæ 14. alios simpliciter vocatos, non venisse: alios venisse, sed introductos vel compulsos: Ita ergo aliqui vocantur quidem à DEO, sed vocatione non congrua: quæ nimirum talis non est ut vocatum trahat, quia scilicet non offertur in illis rerum circumstantiis, quibus novit Deus voluntatem ejus, si moveatur, infallibiliter operaturam. Alii vocantur ea ratione, tempore, loco, &c. quibus novit eos Deus certo obtemperaturos: Sicut v. g. potest amicus invitari ad convivium simplici verbo, vel cum ei minus est commodum, v. g. cum aliis negotiis intentus est: potest & invitari majori vi adhibita, precibus, tractione, amicorum interpositione, & cum ei vo-

ei venire omnino vacat, &c. Priori modo difficulter veniet invitatus licet venire possit: posteriori facile veniet. Iam vero quo modo quis vocetur, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Nos tamen orare possumus ac debemus, ut congrua illa vocatione & efficaci vocemur adeoque trahamur.

Ejusdem vis.

Vim porro divinæ vocationis discimus ex eo, quod Christus uno verbo hominem lucris intentum, & divitiis immersum subito extraxerit, & sedentem in telonio, adeoque tempore importuno repente abstraxerit, brevissimoque tempore è rapace & avaro, in liberalem & sanctum hominem mutaverit. Nam ut Eccles. 11. dicitur: *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Quod futurum prævidit Isai, cap. 55. dicens: *Pro saliuncula ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus*, id est, pro spinosis & humilibus herbulis surgent arbores altæ & nobiles, pro Saulo Paulus, pro peccatrice Magdalena, pro publicano Matthæus Apostolus, &c. Nemo igitur diffidat, quantumvis horreat spinis peccatorum, quia cum Dei gratia facile deponere etiam belluinos mores potest & in ovem angelumque mutari.

Ejusdem suavitas.

Suavitatem denique, dum Dominus prius quæsivit Matthæum & allocutus est, cum ille nihil hac de re cogitaret. Ita & nos omnes quærit frequenter Deus, & variis modis vocat, nobis aliud agentibus de ipsoque nihil cogitantibus. Pulchrè autem S. Lucas scribit Dominum exiisse & vidisse publicanum, ut indicaret Christum esse illum Patremfamilias, qui exiit primo mane & reliquis horis conducere operarios in vineam suam: quorum unus erat hic Matthæus.

C.
II.
Vocati obedientia.

Secundo. Discite vocati obedientiam. Nam inprimis ad unam vocationem nullo miraculo confirmatam statim secutus est Christum Matthæus. *Non enim repugnavit*, inquit S. Chrysost. homil. 31. in Matth. *nec ambigendo secum dixit: putasne publicanum peccatoremque me recte absq; fraude vocaverit? Non est enim hujuscemodi intempestativa humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperavit, ut nec domum quidem ad communicandam rem cum suis profectus sit, &c.* Hanc doctrinam utinam perciperent hæretici, qui cum ad veterem ac veram vocantur religionem, rem sibi maturius deliberandam asserunt, & cum amicis communicandã: nec non peccatores, qui pœnitentiam de die in diem differunt, & tot elabi occasiones sinunt, tot vocationes negligunt: interim diabolus suffuratur eis præsens tempus, dum illi omnia differunt in futurum, ad eum modum, quo avis quædam decipit aucupem uti vidisse se asserit sanctus Basilius homil. 23. de exhort. ad baptis. dum appropinquans spem sui capiendæ facit aucupi, interim eum à nido suo abducit, atque vita & se & pullos suos, qui adhuc implumes & vicini facile capi poterant, ab ejus manibus liberat. Sic enim & diabolus dum futurum pollicetur, quod perpetuo fugit, eripit interim præsens, quod solum apprehendi poterat & bene collocari: atq; ita utroque spoliat.

Secundo dimisit omnia: *relictis omnibus*: inquit Lucas, *surgens secutus est eum.* Intellexit nimirum edoctus intus à Christo divitias onera & impedimenta esse perfectionis. Rectè dixit Democrates apud Stob. serm. 91. uti vestes talares corpora, ita divitias magnas impedire animas. Intellexit hoc Matthæus, ideoque totum abjecit. Sed quia non omnium est hæc tam sublimis vocatio, idcirco cæteri divites saltem præcingere vestes illas debent, ad instar peregrinorum ut progredi in virtute queant, id est, debent superflua demere & pauperibus communicare: nisi & se gravare velint & sæpius cadere.

Tertio. Non sua tantum sed & se quoque reliquit, dum seipsum Christo donavit ejusque voluntati & imperio subjecit. Etenim Christus *non dixit*, inquit Chrysostom. serm. 28. *affer ad me, scilicet pecunias tuas; sed sequere me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat.* Et ita secutus est Matthæus Christum non tantum pedibus corporis, sed magis affectibus & voluntate. Aliqui instar aviculæ cantum Deo præbent, sed ubi apprehendere volueris, avolant. Quid prodest relinquere sua, si quis non reliquit se? Quid prodest munera dare pauperibus & Ecclesiis: si teipsum non dones Deo, sed persistas in peccatis?

Quartò secutus est Christum vocantem tempore maxime importuno, cum ad telonium sederet. Nullum negotium majus magisque lucrosum & necessarium est negotio salutis; hoc ergo omnibus negotiis præferendum.

D.
III.
Ingenium bonorum.

Tertio: Discite ingenium bonorum & Christi servorum. Nam hi inprimis gaudent & Deo gratias agunt, cùm à sæculo avocantur, & à laqueis mundi eripiuntur, non secus atque avicula hilariter canit, cum à laqueo se expedit: juxta id Psalmi: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini.* Non enim mentitur Apostolus cum ait 1. Tim. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Simile exemplum præbuit S. Bern. Abbas cum ducenta argenti pondo, sibi ad impensas extruendi monasterii commissa, à grassatoribus intercepta audisset. Siquidem Deo gratias egisse dicitur, quod magno se onere levasset, Marulus l. 5. c. 3. Similiter S. Elisabetha cum defuncto Marito à regni proceribus arce excedere & fortunis indignissime cogeretur: injuriam tamen illatam beneficii loco habens, Deo gratias agebat. Et quamvis ad patrium regnum revocaretur, tamen contemptis Regum divitiis, privatum & humile vitæ genus amplexa, à paupertatis studio dimoveri non potuit, Conrad. in vita.

Deinde non sunt contenti, quod ipsi invenerint Chri-

Christum & salutis viam, sed laborant etiam ut proximos lucrifaciant & ad eandem viam ducant. Hac enim de causa Matthæus instituit convivium & quidem magnum, & ad id invitavit multos publicanos & peccatores, ut hac occasione conversari cum Christo & converti possent; (siquidem tales homines plerumque fugiunt conciones & non nisi in mensis capi possunt.) Hoc est illud convivium, quod Actor. 10. Petro repræsentatum fuit: continebasque quadrupedia, serpentia terræ, volatilia cœli; & audita est vox, *Occide & manduca.* Quid aliud erant publicani & peccatores mensæ huic accumbentes, quam immunda animalia? Et hæc apposuit Christo Matthæus, ut ea occideret per pœnitentiam & manducaret uniendo sibi per gratiam & transferendo in cœlum. Hi sunt feræ illæ sylvestres, quas appetit noster Isaac, Christus, Genesis 27. non quod justis meliores, sed quod insperatiores sint & rariores majorique industria comprehensi: siquidem perierant & inventi sunt. Omnes ergo fideles sciant sibi dictum à Christo: *Fili affer mihi de venatione tua*: mandavit enim unicuique nostrum de proximo suo.

E. IV. *Ingenium malorum.*

Quarto. Discite ingenium mundi & malorum. Nam primo dum alii cum Christo partim conversi, partim convertendi comedunt, & audiunt verbum ejus ac sequuntur eum, adsunt interim haud procul Pharisæi & Scribæ murmurantes & carpentes Christum; *Venerunt enim*, ut scribit Victor Antiochenus in cap. 2. Marci, *non quò aliquid discerent, verum quo ea, quæ fiebant, curiose inquirerent.* Sic etiam ad conciones veniunt boni ut aliquid discant & emendentur: mali ut aliquid taxent vel irrideant.

Secundo ut invidiam Christo conflent apud discipulos, non dicunt ipsi Christo id, quod contra eum habent, sed discipulis tantum ejus: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Pharisæi enim cum videbatur eis errare Christus, discipulis id dicebant, ut hic; cum verò discipulos errare putabant. Magistro id dicebant: ut Matth. 15. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim manus, &c.* Hoc nimirum ingenium est susurronum & murmuratorum, quia cupiunt tantum hominibus famam rodere, & invidiam conflare: non cupiunt eos emendare vel excusationes eorum audire; ideo non ipsis sed aliis errores eorum referunt; quod expresse contra DEI mandatum est, qui præcepit: *Non maledices surdo*, Lev. 19. Hoc verò est, absenti & non audienti derogare, ut ait S. Greg. 3. p. pastor. admon. 36.

Tertio quantum laborant boni ut alios è peccatorum cœno eripiant, & è malis bonos faciant, tantum etiam laborant mali, ut bonos & conversos depravent & rursum in nassam diaboli trahant. Matthæus instruxit convivium, ut ea occasione cæteri publicani peccatores Christum audirent & sequerentur. Pharisæi contra & Scribæ, ut Matthæum & alios à Christo abalienarent & abstraherent, famam Christi denigrare conati sunt: similes Monachis marinis, ob humanam faciei & cuculli similitudinem sic vocatis; qui, ut scribit Olaus M. l. 21. cap. 1. si unus ex ipsis forte à piscatoribus captus in cymbam trahatur, congregantur reliqui catervatim circa cymbam & nautas, tantumque excitant strepitum & fremitum, ut manus piscatorum obstupescant, ipsique nautæ captum dimittere cogantur, nisi in navi periclitari velint. Idem prorsus faciunt monachi diaboli, cum aliquis è sæculo ad religionem, vel à prava conversatione & societate, ad frugem revocatur. Captori enim insultant, uti expertus est S. Hieron. eo quod multas nobiles Matronas & Virgines à sæculo ad religionem pellexerit.

F. V. *Vis boni exempli.*

Quinto. Discite quid possit bonum exemplum. Etenim discumbente Christo in ædibus Matthæi, multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum eo. *Erant enim multi*, inquit Marcus, *qui & sequebantur eum.* Unus ergo Matthæus multos suo exemplo ad Christum adduxit: ad quod multum juvabat absque dubio, quod Matthæus ex primariis publicanis & optimatibus Capharnaitis erat, & ut vult Metaphrastes primum inter eos locum obtinebat. Ita nimirum si in aliqua communitate optimates bene vivant, & exemplo suo ad virtutem præeant, salus sunt Reip. uti contra pestis, si ad vitium. Quamdiu Ioab Dux exercitus in campo manens super terram dormiebat, tamdiu & servi ejus, ita ut sceleri sibi ducerent, si quis in lectum ascendisset, ut colligitur 2. Reg. 11. Contrà Ieroboam Rege excitante & adorante vitulos aureos: *Factum est verbum hoc in peccatum*, inquit sacer textus: *Ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan*, 3. Reg. 12. Græcis proverbium est: *A capite piscẽ putere*; quo indicant Principem Virum & Magistratum, si turpitudini se dedat, mox dare labem in plures. Hac de causa S. Bonifacius ad Ethelbaldum Regem scripsit: *Tempus est ut multitudini pereuntis populi parcas: quæ sequendo exempla peccantis Principis, cadit in puteum mortis, &c.* Extat ep. in Synodo Ger. à Bonifac. celebrata. Sic Convallo pio apud Scotos regnante, mire floruit apud eos religio & probitas, ita ut S. Columbanus ad eam videndam ex Hibernia in Scotiam trajecerit; ac rediens rogatus quænam ibi vidisset miracula; responderit; *Vidi unum instar omnium, Regem videlicet Convallum, qui in mediis deliciis & peccatorum incitamentis cum Monachis & Episcopis de sanctimonia contendit: quâ de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis injurii, nec de Rege ipso hiscere sinistri quidpiam audeant.* Unde effectum est, ut plus Regis virtus ferocem populum à solitis flagitiis & seditionibus, quam ejusdem auctoritas coerceat. Refert hoc Hector Boethius Hist. Scot. l. 9.

G. VI. *Quanta virtus misericordiæ.*

Sexto. Discite quàm præclara virtus sit misericordia; siquidem vult & patitur Deus religionem & cultum suum omitti aut interrumpi, ut necessitatibus

tatibus proximi ſuccurratur. Hoc enim ſibi vult illud: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Item illud Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare &c. relinque ibi munus tuum & vade prius reconciliari fratri tuo.* Celebratur miſericordia Alex. M. à Curtio. l. 7. quod tempore maximæ ſitis & aquarum penuriæ, cum quis utrem aquæ ferens ad filium in caſtris exiſtentem hauſtum ei porrigeret, reſpuit bibere & juſſit potius ferri ſitienti militi. Similiter Iulij Cæſaris, qui in vili tugurio hoſpitio exceptus, in quo erat tantum lectus unus, conceſſo cuidam infirmo militi lecto, dormivit cum reliquis ſub Iove pluviali totam noctem, Majol. tom. 3. canic. ſed quid mirum ſi homo homini cedat? Deum vero jus ſuum remittere, & velle potius homini ſubveniri, id omni exceptione majus eſt. Id quod fecit Chriſtus, verus Samaritanus, cum ex equo deſcendens, ſaucium hominem ei impoſuit, ipſe pedes incedens; cum peccata noſtra in ſe ſuſcepit & pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Petr. 2. Quanto igitur jure cedere & nos juri noſtro debemus, cum forte aliquem cernimus magis indigentem, quam nos egeamus? Euntes ad Sacram Scripturam, diſcite quam hoc ſit Deo placens. 3. Reg. 17. petierat Elias magna fame preſſus, utpote eo tempore, quo per 3. annos & 6. menſes non pluebat, à Vidua Sarephtana buccellam panis, ſed cum illa reſponderet: *Vivit Dominus meus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna ut ingrediar & faciam illud mihi & filio meo, & comedamus & moriamur*; inſtitit Elias & petiit: *Mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies poſtea. Hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet nec lecythus olei minuetur uſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Quid faceret hic mulier? alterine daret, quo ipſamet egebat? *Abiit tamen & fecit juxta verbum Eliæ, & comedit ipſe & illa & domus ejus, & ex illa die hydria farinæ non defecit & lecythus olei non eſt imminutus,* &c. Quare licet tibi res anguſta ſit & curta ſupellex tibique neceſſaria, da nihilominus modicum quid; ita enim ſanguinem quaſi & vitam dabis, quod mire Deo gratum, & à Chriſto prædicatum in Vidua illa Luc. 21. Sed quid mirum ſi miſericordiam præferat Sacrificio, ſiquidem & hæc Sacrificium eſt? *Cum vides pauperem,* inquit Chryſoſt. in morali homil. 20. *corpus Chriſti, aram Chriſti te videre puta, & reverere ac eleemoſynæ Sacrificium offer: ex quo gloria & gratiarum actio quaſi fumus aſcendat ad Deum.* Et Gregor. Naz. orat. de cura pauperum ait: *Nulla ex omnibus re Deus perinde ac miſericordia colitur, quoniam nihil aliud tam peculiare eſt Deo quam illa.* Hinc Apoſt. ad Philipp. 4. eleemoſynas Philippenſium ad ſe miſſas vocat *odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Domino.* Et Hæbr. 13. *Beneficentiæ,* inquit, *& communionis,* (id eſt, communicationis) *nolite oblivisci; talibus enim hoſtiis promeretur* (id eſt, placatur) *Deus.* Teſtis S. Ioannes Eleemoſynarius Epiſcop. Alexandrinus, qui ſcribit, adſtitiſſe ſibi in ſomno, dum in Cypro verſaretur, pulcherrimam puellam, à qua cum è ſomno excitatus eſſet, rogavit eam, quæ eſſet. Cui ipſa: *ſum,* inquit, *prima ex filiabus magni Regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem: nulli enim major eſt apud Deum, quam mihi fiducia: quoniam ei ut è cœlo deſcenderet in terram & carnem acciperet humanam, ego perſuaſi.* Ioannes ergo cum hanc puellam judicaret fuiſſe miſericordiam, ſtatim ivit ad Eccleſiam & obvio cuidam pauperi nudo & afflicto veſtem ſuam tradidit; moxque à candidato viro in vicem accepit centum nummos. Qui ſtatim diſparens oſtendit Ioanni veram fuiſſe & viſionem & ejus conjecturam. Leont. in vita. Hanc ergo, Auditores, puellam adamemus nobiſque familiarem faciamus, ut ab ea viciſſim familiares reddamur Deo.

CONCIO VII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. *Cur exceptus à Matthæo Chriſtus convivio.*
II. *Cur cum peccatoribus manducavit.*
III. *Quomodo miſericordiam vult, non ſacrificium.*
IV. *Ad quid ſacrificia veteris legis.*

THEMA.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Matth. 9.

VEre dixit Clemens Alexandrinus l. 7. ſtromatum: *Quicquid eſt pulchrum ſequitur momus,* id eſt, reprehenſor. Id enim claret in hod. Evangel. Ubi pulcherrimum Chriſti factum audimus, dum Matthæum & Publicanos alios peccatorum cœno erutos abluit & cum illis manducavit: mox tamen Phariſæi invidi momum agere cœperunt & reprehendere tam præclarum opus: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Reſpondeamus ergo huic quæſtioni uti & pauculis aliis. A.

Quærit. Primo. Quare Matthæus excepit Chriſtum convivio, & ut S. Lucas c. 5. ait, *magno*? Reſpond. merito id feciſſe pluribus de cauſis. Nam primo convivium inſtitui ſolebat adventanti magno & charo hoſpiti vel amico, honoris vel grati animi cauſa, uti fecit Abraham tribus Angelis ad ſe divertentibus, Gen. 18. At quanto major eſt Chriſtus Angelis? quantus & quam acceptus hoſpes, præſertim poſt vocationis beneficium Matthæo impenſum

I. B. *Cur exceptus à Matthæo Chriſtus convivio.*

pensum? Annon igitur jure merito honoravit tantum Dominum & benefactorem tanto convivio?

Secundo. Convivium instituebant veteres in die Natali suo, quod eo die nati lucem aspexerint; uti Pharao, Gen. 40. & Herodes, Marc. 8. Multo rectius fecit Matthæus convivium in die, quo spiritualiter renatus est & filius Dei factus.

Tertio. Convivium instituebatur in die ablactationis filii, quod tunc jam quasi per se vivere inciperet, & vitalis futurus putaretur, uti fecit Abraham in die ablactationis filii sui, Gen. 21. At hodie Matthæus ablactatus est à mundi & Synagogæ uberibus, quæ cœpit repudiare: & assuescere incœpit solidioribus Christi cibis, animam roborantibus, de quibus inquit Isa. cap. 28. *Quem docebit scientiam, & quẽ intelligere faciet auditũ? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* q. d. à deliciis puerilibus & vita imperfecta ac carnali. In quem locum Cyrillus ait: *DEUS sanctos & vocat & docet, qui ablactati à lacte & uberibus legis veteris, per Christum provecti sunt in perfectum virum, ut pro eo fortiter omne discrimen subeant. Talis ablactatus fuit Isaac*, ait S. Ambros. in Psal. 118. *qui gladium Patris percussoris non exhorruit.* Talis etiam Matthæus hodie incepit fieri, adeoque profecit, ut gladium percussoris non timuerit. *Ingens est gaudium cum homo non lacte sed solido sapientiæ, & virtutis cibo vescitur* inquiunt S. August. & Rup. in Gen. c. 21. Iure igitur Matthæus magnum fecit convivium.

Quarto. Convivium institutum est, cum fœdus pacis iniretur, uti factum, 2. Reg. 3. quando David revertenti ad se Abnero & amicitiam secum ineunti fidemque sibi promittenti, convivium & una sociis ejus. At hod. in Evangelio rediit ad Christum Matthæus, prius hostis, nunc amicus, pacem cum eo fecit, fidem ei dedit; & quemadmodum Abner reduxit Israelem ad David: Sic Matthæus alios Publicanos secum ad Christum duxit, merito ergo gaudet & epulatur Christus cum Matthæo.

Quinto. Convivium præbebatur in tonsura ovium, uti fecit Absolon cum occidit in convivio Amnon, 2. Reg. 13. & Nabal, 1. Reg. 25. Atqui etiam Matthæus postquam ovis Christi factus est, lanam hodie deposuit, cum omnia reliquit & nudus nudum secutus est Christum.

Sexto. Convivium fiebat, cum valedicendum esset parentibus, uti fecit Elisæus, 3. Reg. 19. cum valedicturus parentibus & mundo, sequi vellet Eliam. Voluit & Matthæus mundo valedicere, idcirco instruxit convivium volens indicare se illud alacri animo facere.

Septimo. Fiebat convivium & in nuptiis, nec non in parentalibus Sacris, ut patet ex Ezech. c. 24. At Matthæus felices cum Deo nuptias iniit mundoque mortuus est.

Denique ut hoc pacto adduceret ad Christum ejusque sequelam etiam alios Publicanos. Hoc enim differt amor bonorum cœlestium ab amore terrenorum, quod qui terrena amat ea sibi tantum reservata cupit: qui vero cœlestia invenit, ea omnibus communicare desiderat.

C. II. *Cur cum Peccatoribus manducavit.*

Quærit. Secundo, Quare Christus cum peccatoribus & Publicanis manducavit? Respondet pro se Christus primo; *non opus est valentibus Medicus, sed male habentibus.* Medici est versari cum infirmis potius quam cum sanis. Percommoda etiam sanandi eos, qui spiritualiter infirmi sunt, ut erant Publicani, occasio est convivium. Nam in convictu mitescunt etiam feræ, & latrones parcunt ijs, cum quibus morantur se iniisse convivium, ut testatur S. Ambrosius in Psalm. 40. In conviviis coeunt amicitiæ, quæ alias non coirent. Unde S. Hieron. in comment. super hoc. Evang. ait: *Ibat Christus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & spirituales invitatoribus suis præberet cibos.*

Secundo. Quia misericordiam & sanitatem impendere miseris & infirmis res est adeo Deo placens ut ipse dixerit Ose. 6. *Misericordiam volo & non Sacrificium.* h. e. (juxta phrasin Hebræam) non tam Sacrificium quam misericordiam. Eodem modo intelligendum id: *non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Item illud: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Certum enim est, voluisse Deum etiam Sacrificia: consuluisse etiam valentibus; vocasse etiam justos,

Tertio. Quia *non venit vocare justos, sed peccatores*, quia scilicet peccatores magis indigebant ejus instructione, auxilio & adhortatione, illique plures erant, & majori in periculo constituti.

D. III. *Quomodo Misericordiam vult non Sacrificium.*

Quærit. Tertio. Quomodo misericordiam Deus vult potius quam Sacrificium, cum tamen Sacrificium sit actus religionis & latriæ, misericordia virtus tantum moralis: illud Dei honorem, hæc hominis tantum sublevationem spectet? Resp. Sacrificium ex genere suo & ratione objecti esse actum nobiliorem quam actum misericordiæ: hanc tamen præferendam.

Primo quando Sacrificium est juris mere positivi, ut puta, cum omitti potest citra Dei contemptũ: opus autem misericordiæ juris naturalis, ut cum necessitas proximi jubet succurrere. Sic cum ægroto est ministrandum, potius est omittendum Sacrificium aut pensum precum horarium, quam ægroti ministerium. Sic Christus reprehendit filios dicentes parentibus egentibus: *Corban*, id est, munus illud Deo offerre præstat, quam dare tibi ô Pater, Matth 15. Sic S. August. damnat parentes, qui bona sua dant monasterio, cum habent filios indigentes, ipseque tales oblationes respuere solebat, ut refert Posidonius in ejus vita, c. 24.

Secundo. Si spectemus Sacrificia externa tantum, qualia erant in veteri lege, taurorũ, ovium, frugum, &c. præstant opera misericordiæ: quia hæc secundum se Deo placent, illa non item; sed ex devotione tantum offerentium, & ex Dei institutione ad tempus. Quid enim valerent victimæ ovium

& boum, oblatio panis, &c. ad placandum Deum, si demas internam devotionem, pœnitentiam, &c. Perinde est ac si ditissimo viro donetur res nullo pretio æstimabilis. Hinc Psalm. 49. ait per os Davidis Deus; *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, &c.* Et Psalm. 50. *si voluisses*, ait David, *Sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Perperam enim existimabat populus peccatis obnoxius Deum Sacrificiis non pœnitentia placandum.

Tertio. Si misericordia imperetur à charitate vel religione, tunc præstat Sacrificio; tunc enim habet adjunctam virtutem aliam vel nobiliorem, ut est charitas, juxta illud dictum Scribæ à Christo approbatum: *Diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocaustomatibus & Sacrificiis*, Marc. 12. Vel æque nobilem, ut est eadem religio.

E. IV. *Ad q id Sacr cia Veteris legis.*

Quæritur quarto. At quid instituit Deus Sacrificia veteris legis? Resp. Primo ut exterior cultus & veneratio Deo debita præstaretur. Ratio enim dictat Deum ab hominibus cultu quodam externo venerandum esse.

Secundo. Ut Iudæos avocaret ab Idololatria, dum hoc pio cultu eos occuparet. Unde Tertull. l. 2. contra Marchion. c. 18. ait: *Per Sacrificiorum onera, operationum negotiosas scrupulositates, religioni suæ voluit eos Deus adstringere, ne simulacris faciendis delinquerent.* Quemadmodum enim Medicus permittit ægro intemperanti, minus malum, v. g. frigidam, ut ne eligat majus, v. g. ne se præcipitet: ita victimas Iudæis permisit Deus, ne prolaberentur in idololatriam: ut ostendit S. Chrysost. hom 1. contra Iudæos.

Tertio. Ut Sacrificium Christi in Cruce peractum, velut omnium nobilissimum, variis typis adumbraret, quo ejus dignitas & valor omnibus innotesceret & in memoria versaretur. Und S. Leo serm. 8. de Pass. ait: *Nunc carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis & sanguinis Domini implet oblatio; ut sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.* Immolari autem poterant Deo octo solum animalia, bos, vitulus, ovis, capra, hædus, columba, turtur & passer. Bos Christi laborem & fortitudinē denotabat, vitulus ejusdem juventutem, ovis innocentiam, hædus formam peccatoris, capra obedientiam, columba mansuetudinem, turtur arctam cum Deo conjunctionem, passer ejus humilitatem & paupertatem, &c.

Levit. 1. ubi vide Cornel. à Lapid.

Rursum victima debebat immolari ad ostium tabernaculi, ad significandum, quia Christus juxta & extra Urbem passus est. Secundo offerens victimæ imponebat manus super caput: quia & Christus qui erat offerens & oblatio, peccata generis humani imposuit super caput suum. Tertio Sacerdos hostiam expandebat, divaricatis scil. cruribus, ut notat Vilalpandus l. 3. de templo 37. deinde sanguinem hostiæ fundebat circum altare: quia & Christus offerendo se patri expandit in cruce manus & fudit sanguinem suum circa crucem, ut sciremus eum effundi pro universo orbe. Quarto pellis hostiæ detrahebatur, quia & Christo immolando in cruce vestes sunt detractæ. Quintò. Concidebatur hostia frustatim & ponebatur in altare, quia & Christus flagris concisus, positus est in crucem. Sexto hostia comburebatur, quia & Christus ex ignita charitate mortuus est, ligna erant miseriæ nostræ. Quarto. Ut significarent ea quæ nos agere convenit, itaque mores nostros informarent. *Bovem ergo immolat, quisquis in sæculari vita mundi actibus deditus, de ipsis laboribus suis Deo ministrat. Ovem offert, qui laborare non sufficiens & infirmitate ac ætate seu paupertate à misericordiæ actibus revocatur, per solam innocentiam Deo placet. Capram litat, quisquis veterem conversationem melioris propositi castigatione immutat*, inquit Radulph. in Levit. Et Origines hom. 2. in Levit. *Offert Deo vitulum, qui carnis superbiam labore vincit; ovem offert, qui irrationales iræ motus insipientesque corrigit; (nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, & iracundiæ tumore deposito mitem intra te & simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem vel agnum puta) hædum offert, qui lasciviam superat, par turturum, qui mentem suam verbo Dei ut conjugi sociat; pullos, qui oculos columbinos sponsæ imitatur.* Sic Origenes.

Rursum Altare est cor nostrum: ligna sunt sanctæ cogitationes, ignis est charitas, hostia immolanda ad introitum tabernaculi est anima & corpus nostrum immolandum ante ingressum cœli: manus impositio est devotio offerentis: sanguinis effusio est pravarum cupiditatum expulsio; pellis detractio interioris voluntatis examen: membrorum concisio est accurata confessio vel mortificatio & satisfactio pro peccatis, &c. Hæc sacrificia obtulit Matthæus de se Christo. Bovem, id est, laborem in prædicando & peragrando orbe arandoque Christi agro. Vitulum, id est, promptitudinem obedientiæ, exiliendo de telonio ad Christi sequelam. Ovem, id est, mansuetudinem in sufferendis Pharisæorum oblocutionibus. Capram, id est, vitæ veteris immutationem. Hædum, id est, castitatem, quam non modo sectatus est, sed & alios docuit, unde victima virginitatis appellatur. Turturem, id est, arctam cum Christo societatem & unionem. Columbam, id est simplicitatem sequendo Christum ad simplicem vocationem licet nesciret quo vocaretur. Passerem, id est, humilitatem, siquidem suam conversionem humili stylo describit. Obtulit denique verum illud & unicum sacrificium agni immaculati, in cujus oblatione & ipse oblatus est Deo in victimam.

IN

IN FESTO S. MICHAELIS ET ANGELI CUSTODIS.

Evangelium Matth. 18.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes; Quis putas major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit? Amen dico vobis, nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: veruntamen væ homini, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus scandalizat te, erue eum & projice abs te: bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.

CONCIONES.

CONCIO I.

ANGELORUM CUSTODIA ostenditur.

I. *Ex scriptura.*
II. *Ex consensu doctorum.*
III. *Ex gentilibus.*
IV. *Rationibus.*
V. *Ex historiis.*

THEMA:

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

A. MIrum valde & dolendum est, quod angeli custodes tam sedulo, tam libenter clientibus suis assistant in omnibus viis se comites præbeant & innumeris modis serviant, interim vero nihil aut parum gratiæ ab illis reportent. Quam multi enim sunt, qui tota vita sua eos nec honorarunt, nec timuerunt, nec invocarunt, nec gratias illis egerunt, imo nec de iis cogitarunt? At quam turpe esset, habere in itinere longo & periculoso fidum aliquem ducem qui monstraret iter, defenderet, inserviret: interim vero nunquam illi dicere, *ave*, aut *vale*, nunquam alloqui, nunquam gratias agere? Qui tam turpis error inde mihi nasci videtur, quod pauci serio sibi persuadeant, se Custodes habere angelos; sive quod eorum assistentiam & obsequia non observent, sive quod difficile creditu existiment, tam nobiles creaturas vilioribus hominibus deputari ad custodiam & ministerium. Huic igitur errori aut dubio ut occurramus, ostendemus unicuique hominum suum esse custodem angelum.

B. I. *Ex scriptura.* Primo ostenditur ex scriptura. Primo Gen. 48. ait Iacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris illis.* Quis angelus eum juvans in omnibus periculis, nisi custos? Et si talem habuit Iacob, quid ni & homines alii? An non in paribus periculis omnes homines?

Secundo Psalm 90. ait David: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Loquitur hic de justis, quos peculiari cura servant angeli. Allegavit quidem Dæmon hunc versiculum, quasi de Christo scriptum, sed perperam. Christus enim non habuit angelos Custodes sed ministros, ut docet sanctus Thomas 1. p. 113. art. 4. ad 1. Quia ut Deus erat custos angelorum; Ut homo, secundùm animam fuit beatus, & ita non eguit custodibus secundum carnem, sat superque protegebatur à Verbo divino, hypostatice sibi unito. Sed cur angelis inquit, & non angelo? quia præter custodem peculiarem, habemus & communes, qui præsunt nostris civitatibus & regnis, &c. Quid si justi custodem angelum habent: cur non & mali & infideles, qui ejus operâ magis indigent, saltem ut minus peccent? Certe Angelum Persiæ præpositum reperimus, Dan. 10.

Tertio in hodierno Evangelio ait Dominus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Hinc manifestum est*, inquit S. Chrysost. hom. 60. in Matth. *quia omnes sancti angelos habent.* Et S. Basilius in l. 3. in Eunomium: *Neque huic veritati*, inquit, *ab aliquo contradici potest; manifesta enim sunt verba Domini apud Matthæum: ne contemnatis unum de pusillis istis, nam angeli eorum, &c.*

Quarto Actor. 12. Discipuli Domini audientes Petrum à carcere liberatum esse & pulsare ad fores domus, cum id credere non possent, dicebant: *Angelus ejus est.* Ergo in ipso primitivæ Ecclesiæ exordio recepta fidelium veritas fuit, habere quemlibet hominem angelum suum.

C. II. *Ex consensu Doctorum.*

Secundo ostenditur ex consensu Doctorum, Origenis homil. 23. in Lucam, Gregorii Nazianzeni orat. in sanctum Ioannem Baptistam, Chrysostomi, homil. 60. citat. Basilii jam citati, qui etiam Concio. 9. in Psalm. 33. sic scribit: *Omni credenti in Dominum Angelus assidet, si non ipsum nos per prava opera fugaverimus.* Et S. Hieronymus in cap. 18. Matth. *Magna est dignitas animarum*, inquit, *ut unaquæque habeat ab ortu Nativitatis in Custodia sui angelum delegatum.* Gregor. Nyssen. lib. de vita Moysis ait: *Occultior traditio est, verus sermo ad nos usque descendit quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino Clementia divina neglectam, nec absque suo patrocinio dimissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum esse.* Origenes in Num. hom. 66. *Adest unicuique nostrum*, inquit, *etiam minimo qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, angelus Domini qui regat, qui moneat, qui gubernet, &c.*

D. III. *Ex gentilibus.*

Tertio confirmatur ex ipsis gentilibus. Platonici enim Philosophi censebant hominum quemlibet suum dæmonium habere. Hinc illud Socratis celebratum dæmonium à quo dicebat se custodiri & ad bonum induci, à malo revocari, apud Apulejum libro de hoc edito, & Cicero. lib. 1. de divinat. & Chalcidium super Timæum lib. 1. qui ait, Socrati à puero dæmonem comitem rerum agendarum præceptorem fuisse, ut prohiberet, quod fieri non expediret. Adhæc gentiles suum cuique genium esse dicebant, eique die natali munus annale solvebant, & rem sacram mero & floribus faciebant. *Genius*, inquit Censorinus, *ita nobis assiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero matris acceptos, ad extremum vitæ diem comitetur.* Appellatum autem Genium ait, sive quod in ejus tutela, ut quisque natus est, vivit: sive quod nos genitos suscipiat & tueatur. Ut refert autor antiquit. Roman. lib. 2. cap. 14. Seneca in Epistola ad Lucilium ait: *Sacer inter nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos, &c. Ille dat consilia magnifica, &c.* Eundem Menander apud Lipsium in Stoica Philosoph. vocat Moderatorem & Mystagogum: *Omni homini*, inquit, *dæmon assistit, mox ut nascitur, vitæ mystagogus.* Denique Clemens Alexandrin. lib. 6. strom. *Per gentes*, inquit, *& civitates dispositæ sunt Angelorum præfecturæ: neque istud ignoraverunt Romani, in quorum Urbe scimus templum fuisse Genii publici, sive genii populi Romani, suos item Coloniis Genios, ipsi Principi seorsim suum, grandiorem aliquem grandiori, &c.*

E. IV. *Rationibus.*

Quarto ostenditur idem rationibus. Primo ex parte Dei; quia lex est divinæ providentiæ & sapientiæ, ut extrema reducat ad prima, & gubernet per media. Angelus autem est medius inter Deum & hominem tum ratione naturæ immortalis, tum ratione gratiæ consummatæ; debet ergo per illum homo reduci ad Deum. Adhæc in dispositione universi videmur corruptibilia, & mutabilia gubernari per incorruptibilia & immutabilia, uti sublunaria per cœlestia. Cum ergo homo sit defectibilis, debet gubernari ab angelo, qui est immutabilis in bono, & incorruptibilis.

Secundo ex parte angeli, primo quia est Civis noster & conservus, uti ait ille qui Ioanni apparuit Apocal. 16. dicens: *Conservus tuus sum & fratrum tuorum.* Sumus enim ejusdem naturæ rationalis, & ejusdem cum angelis gloriæ cohæredes: debet ergo esse commercium & societas inter nos & illos. Et quo meliore modo, nisi cum illi Magistri & Duces nostri sunt?

Secundo, quia non debet esse pigrior in angelo charitas ad nos juvandos, quam sit dæmonis malitia & invidia ad nocendum nobis. Hi autem semper nobis obesse student, ergo illi prodesse. Neque dubitandum quin libenter nos custodiant, ut docet S. Bernardus sermon. de Divo Michaele primo propter Deum, cujus erga nos misericordiæ viscera imitantur. Secundo propter nos, in quibus propriam similitudinem miserantur.

Tertio. Propter se ipsos quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. Addo & propter Dæmones, quos cane pejus & angue oderunt.

Ter-

Tertio ex parte Dæmonum, qui sunt astutissimi, potentissimi & nobis infensissimi ac nocendi cupidissimi. Decuit ergo homini impugnando à tanto adversario constitui defensorem angelum, præsertim quia cum sit homo carne circumdatus, & hostem illum cernere nequeat, impar est ad prœliandum cum Dæmonibus, nisi à potentiore adjuvetur. Sic David fuisset insufficiens ad vincendum Goliathum, nisi ab Angelo adjutus fuisset; quod inde colligi videtur, quòd Goliath ex ictu cecidit pronus non supinus: quia nimirum angelus Domini percussit eum pone, ut ait Pantaleon de S. Michaele. Quanto minus sufficeremus nos sine angelo ad vincendum Dæmonem?

Quarto ex parte hominis, qui per lapsum primi parentis, admodum debilis & lippus factus est, ad malum flexilis & pronus, ad veritatem cognoscendam rudis; similis puero qui sedet super equo indomito amisso fræno. Similis civitati à numeroso exercitu obsessæ, in qua præsidiarii milites pauci & imbecilles, multi vero factiosi conspiratores contra Dominum illius sint. Quis nisi alterius potentis ope adjutus, tueri talem civitatem posset? Reperimus in natura ejusmodi præsidium indigenti bruto collatum esse à Deo. Plinius lib. 9. c. 42. de pinna ex Concharum genere scribit: *Pinna nunquam sine comite est, quem Pinnoterem vocant, alii Pinnophylacem, is est squilla parva, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbatum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, & ubi licentiâ audacia crevit implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu levi significat. Illa compressu, quidquid inclusit, exanimat, partemque socio tribuit.* Simile de ceto scribit Ælian. lib. 2. histor. anim. c. 13. *Ferè cetorum genus aliquo duce indiget ad suum motum regendum & moderandum, cujus oculis quasi ducibus ipsum utitur ad videndum. Is autem dux, ut periti harum rerum confirmant, piscis est albo colore, prælongo capite, angusta cauda. Hunc ne ducem cuique ceto natura dederit, an quadam amicitia ductus ipse, ultro cetos antegrediatur, difficile est constituere. Certe piscis à ceto nunquam separatus, meare cernitur, sed ejus caput antegrediens, quasi temo & dux ejus existit: cuncta illi præsentit & providet, extremaque cauda præmonstrat tum declinanda, tum persequenda, cibatum ei conciliat, insidiasque à piscatoribus positas signo prodit: & ubi occurrunt brevia, ne propter molem corporis in illis hæreat tempestive præsignificat, ut alio meatum declinare possit. Cum autem ad nimiam pinguedinem ceti perveniunt, amplius nec videre nec audire possunt: carnium mole, audiendi videndique meatus obstruente. Quod si eo duce carerent, haud dubie illis pereundem esset.* Hæc Ælianus.

Quare si animalibus, quæ sibi non sufficiunt, ejusmodi custodes & duces attribuit Deus, homini debilitato & propemodum cœcato denegaverit? Nunquid de piscibus est cura Deo, & non potius de hominibus? Et certe aliis omnibus animalibus dedit Deus arma, quib. se defenderent contra hostes suos vel pericula effugere possent: aliis dentes, aliis cornua, aliis pedes veloces, &c. Plantis item aliis spinas, aliis cortices, aliis alia. Et cur soli homini contra potentissimum ejus hostem, nullum daret præsidium?

F. V. *Ex historiis.*

Quinto ostenditur ex historiis. Inter alias de S. Onuphrio legimus in ejusdem vita, cum deambularet in solitudine, comitem se illi adjunxisse angelum dixisseque: *Ab hora Nativitatis tuæ ductor & socius tuus extiti.* Cum eodem suo custode Ioan. Carera Societatis Iesu tanto erat & tam familiari conjunctus usu, ut velut intimo cum amico sua consilia sermonesque conferret: sæpe ad eum de suis rebus dubiis arduisque referret, sæpe interrogaret exquireretque consilium: vicissimque ei angelus ad omnia notis usitatisque vocibus responderet.

Denique in eam S. Angeli familiaritatem venerat, ut ab eo quotidie horis antelucanis ad orationem excitaretur è somno. Quanquam hanc consuetudinem Angelus aliquando intermisit, quod excitatus ab se mane Ioan. languore ac lassitudine victus, non è cubili protinus surrexisset. Ut habetur in historia Societatis Iesu, p. 1. l. 11. n. 66. His accedat S. Francisca vidua Romana, quæ mira Sanctitate vixit, & vitam angelicam simili morte conclusit anno Dom. 1440. quamque vidi Romæ à Paulo V. Pontifice in Sanctorum Catalogum referri. Hæc continuo cernebat angelum suum, quasi juvenem elegantissimum, acribus oculis, & vultu in cœlum semper suspiciente, ac manibus in formam crucis cancellatis (unde & tali figura angelus appingitur ejus imagini) facie ita coruscante, ut ipsa vix in eam intendere posset, ita ut in hoc ejus lumine sine candela noctu per domum ambularet, recitaret divinum officium aliaque exercitia sua perageret. Si ipsa morbo laborabat, aut à dæmonibus verberabatur, vel terribilibus spectris percellebatur, vel quasi ab angelo lucis tentabatur; angelus dabat ei signũ movendo crines suos iisque spargendo magnam lucem, ex qua illa miram accipiebat consolationem, illuminationem & robur, ita ut dæmones confusi abscederent. Quod si quid ipsa verbo, opere aut cogitatione peccasset, subducebat se & disparebat angelus: unde ipsa pœnitens culpam indagabat, eamque agnitam lachrymis abluebat, itaque angelus rursum ei suam præsentiam exhibebat. Ut in ejus vita c. 4. videre est. Denique S. Cæcilia Virgo Valeriano desponsa, prima nuptiarum nocte hunc ad eum sermonem habuit: *Ego Valeriane in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* Permotus eo verbo sponsus etiam in Christum se crediturum dixit, si angelum illum videret. Vidit ergo & credidit. Breviar. Rom. 12. Nov. ex vita. Ita S. Agnes cum minaretur ei præfectus prostibulum dixit: *Mecum habeo custodem corporis mei angelum Domini,* ut ex ejus vita idem Breviarium.

Quæ cum ita sint, merito admiramur Dei erga nos

nos bonitatem , qui tam nobiles Principes ad nostrum destinavit obsequium. Hinc exclamat S. Bernardus serm. 12. in Psal. 90. *Mira dignatio & vere magna dilectio Charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Summa Majestas mandavit angelis, & angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus & vere domesticis Dei. Mandavit de te. Tu qui es? Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, & filius hominis vermis? Sed quid putas, mandavit de te? Nunquid scripsit contra te amaritudines? Nunquid ut contra folium quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.* Ergo Auditores, gratias agamus Deo imprimis, qui ad custodiam nostram destinavit nobis angelos suos. Deinde etiam angelis ipsis, qui nos custodire minime detrectant. Nemo nostrum sit, qui in hac vitæ nostræ peregrinatione cum angelo suo non crebro colloquatur & piam familiaritatem contrahat, honorando, invocando, timendo, amando eum. Ita enim fiet ut libenter nos custodiant & demum ad cœlestes suos choros evehant.

CONCIO II.

BENEFICIA ANGELI CUSTODIS spiritualia.

- *I. Adstat 1. Defendit 2. Consolatur 3. Offert orationes.*
- *II. Illuminat.*
- *III. Excitat & absterret.*
- *IV. Peccandi occasiones amovet.*
- *V. Ad progressum virtutis animat.*
- *VI. Tentationes refringit.*
- *VII. Ad cœlos educit.*

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

A. De primo nostro Papa Apostolo Petro, mirabilem legimus historiam & omni acceptione dignam, Actor. 12. Cum enim Rex Herodes misisset eum in carcerem ut eum interficeret in favorem Iudæorum, quemadmodum fecerat & Iacobo: dormiebat ibi Petrus inter duos milites, vinctus catenis duabus: sequenti die producendus ad necem. Sed, *ecce Angelus Domini astitit & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem angelus ad eum: procingere te & calcea te caligas tuas, & fecit sic, & dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum & sequere me. Et exiens sequebatur eum. Transeuntes autem primam & secundam custodiam venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis. Et processerunt vicum unum, & continuo discessit angelus ab eo.* Nescio sane qua ratione melius describere possem statum peccatoris. Tenet hunc in carcere suo dæmon & quantum in ipso, machinatur ei interitum nullo non temporis momento. Miser peccator tanta in miseria sui oblitus secure dormit vinctus catenis duabus, præsumptione scilicet misericordiæ divinæ, & exemplo aliorum reproborum: velut inter duos milites, spem vitæ longioris & consuetudinem peccandi. Sed Angelus tamen custos adest suo Clienti, & statum illi suum quasi ad lumen repræsentat; Deinde pulsat eum & à somno excitat, catenis liberat & è carcere educit, pristinæque libertati filiorum Dei restituit. Cæterum per hæc, spiritualia beneficia Angeli custodis designantur ut videbimus.

B. I. *Adstat. 1. Defendit.* Primo adstat, & quidem variis modis. Primo defendendo peccatorem ab ira & vindicta Dei, suis interpellationibus. Quemadmodum enim angelus, Gen. 22. tenuit manum Abrahæ, ne feriret & immolaret filium: sic absque dubio sæpissime tenet manum Dei, ne perdat peccatores. Novimus ex Evangelio quid decreverit Dominus vineæ, de ficulnea infructifera, cum dixit cultori: *succide eam, ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Sed vineæ cultor pro ea Dominum orabat atque ajebat: *Domine dimitte eam etiam hoc anno, donec fodiam circa eam & mittam stercora.* Ejusmodi ficulnea nos sumus. Venit tertia ætas, id est, virilis vel annus trigesimus, & quærit in nobis fructum Dominus, sed nihil invenit nisi avaritiam, superbiam, ebrietatem, &c. Succide ergo hujusmodi hominem, ait. Sed vineæ hujus cultor Angelus custos pro eo Deum rogat: O Domine dona ei adhuc spatium pœnitentiæ: & ego fodiam circa illum & ponam stercora, id est, auferam ei nimiam terram prosperitatis, sanitatis, &c. & ponam in conspectu ejus peccata ejus, &c. ut confusus resipiscat.

2. Consolatur. Secundo consolando afflictos. Sic locutus est ad Zachariam, consolatoria verba Zachar. 1. Sic astitit Tobiæ cœco Raphael. *Gaudium tibi sit*, inquiens, *& forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris*, Tob. 5. Sic consolatus est Magdalenam ante sepulchrum plorantem, cum dixit: *Mulier quid ploras?* Sic Hebræos ab hostibus afflictos, Iud. 2. Ita in nova lege sæpe consolati sunt Martyres in carceribus & suppliciis. Sanctum Sebastianum pallio condidissimo induerunt. Sancto Petro Crucifixo, cum coronis de floribus rosarum & liliorum astiterunt. Tametsi vero Martyres non sumus, semper tamen patiendi occasionem habemus. Aut enim corpori male est, aut animæ, &c. Tunc erigunt animam pecca-

peccatricem, proponendo ei Dei benignitatem, exempla aliorum, &c. *Fidelis Paranymphus*, inquit S.Bernardus, *discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens & referens dona: excitat istam, placat illum &c.*

Sic S. Iacobum Germanum ordinis S. Dominici, quem diabolus quidam uti perpetuo vexabat, ita verberibus onerabat, quoties ille orationem frequentabat. Sed Dæmone abscedente mox angelus de cœlo aderat eumque suavissima consolatione perfundebat dicens: *Serve Dei, esto fidelis usque ad mortem: expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, ingentia sunt enim quæ tibi pro parvo labore atque certamine præmia proponuntur*, apud Surium 11.Octobr.

Offert [orationes.] Tertio excipiendo orationes nostras & offerendo eas Deo. Sic Raphael ad Tobiam ait: *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos & derelinquebas prandium, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Apoc.8. vidit Ioannes angelum stantem ante altare aureum, adolentem incensa multa (*quæ sunt orationes Sanctorum*) super thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum. In quem locum S. Bernard.serm.1. de angelis ait: *Angeli nostros sudores, non suos, nostras non suas lachrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt.* Et S.August. Soliloq. c.7. *Gemitus nostros atque suspiria referunt ad te Domine, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem.* Nec parvum hoc est beneficium. Nostræ enim orationes plerumque imperfectæ, ab angelorum manibus & oblatione absque dubio aliquid valoris acquirunt, sicut cum cibi viles in pulchris patinis vel à nobilibus apponuntur Ministris. Ideo Ecclesia in Missa petit Sacrificium id offerri Deo per manus angeli. In cujus rei confirmationem: Vixit ætate Serionis Abbatis Monachus quidam tam sanctæ conversationis, ut peragens aliquando officium sacræ missæ, dum recitaret illa verba: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus S. Angeli in sublime altare tuum:* conspexerit circum altare complures angelos, quorum unus cæteris altior sacram hostiam Deo, tanquam ibidem visibiliter præsenti offerebat, & mox eadem super altare collocata disparuit. Unde D.Bonaventura in Soliloq. animæ & corporis cap.1. ait: *O anima si videre posses quanto gaudio Angeli assistunt orantibus, intersunt meditationibus! &c.*

C. II. Illuminat. Secundo *Lumen refulsit in habitaculo*, ad indicandum, quod Angelus custos illuminet hominem. Docet enim interdum secreta Dei consilia, ut Abrahamum, quid cum Sodomis acturus esset, Gen.18. Danielem, quando Messias venturus esset, Dan.9. Potissimum vero ea, quæ homini conducunt ad bene vivendum: Uti Tobiam, quomodo ducere deberet uxorem. Sic docent sæpe per inspirationes, librorum spiritualium exhibitionem, vel ad Concionem adducendo, vel exempla salutaria proponendo, quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens; quid agendum, quid fugiendum sit, ubi venenum & anguis sub herba lateat. Sic Tobiam docuit rationem fugandi & compescendi dæmonem per cor, fel & jecur piscis; Spiritualiter, ut postea aperte dixit, per orationem, jejunium, & eleemosynam, cum discessurus dixit: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.* Cor designat orationem, fel jejunium, utpote gustui adversum; jecur seu hepar, quod cæteris membris alimenta & sanguinem subministrat, eleemosynam. Sic docuit Gedeonem rationem vincendi dæmonem Iud.7. cum è 32000. militibus ejus jussit inprimis separare & dimittere omnes timidos & formidolosos.

Secundo omnes eos, qui more canum ex amne proni biberent; reliquos, qui trecenti tantum erant, ducere contra Madian. Quid enim hoc aliud docebat, quam quod ex multis etiam Christianis pauci sint veri milites & victores? Alii enim formidolosi sunt veluti qui timent ne venter crepet, si jejunent: ne cum liberis suis ad inopiam redigantur, si Eleemosynas largiantur; qui verba & cogitationes hominum verentur, si pie incipiant vivere, injurias condonent, choreas & symposia vitent: qui denique laborem pœnitentiæ fugiunt. Alii nimia aviditate se in terrena bona ingerunt per avaritiam, superfluum ornatum, nimium luxum & voluptatum consectationem. Hi enim omnes inepti sunt ad militiam Christianam. Sic docuit Arsenium, cum ei ostensurus opera hominum, primo Æthiopem ostendit ligna scindentem & colligantem in fasciculum, qui cum justo majorem tollere in humeros ac gestare nequiret, plura adjecit ligna & fascem ponderosiorem fecit. Deinde alium qui ex lacu aquam hauriens, misit eam in canalem perforatum, unde mox effluebat. Denique duos equites lignum transversum gerentes per templi portam cum eo ingredi frustra conantes, quia scilicet oblique id ferebant. Quid vero sibi isti vellent mox exposuit angelus. *Qui lignum quidem portant*, inquit, *ij sunt, qui propriæ confidentes justitiæ, ad viam humilitatis omnem sibi obstruunt aditum: & ideo ut foris maneant, & ut à regno cœlorum arceantur, ii sibi causa sunt. Qui vero fundit aquam in canalem perforatum, bona quidem facit opera, jejunat, orat, bene facit; sed studet etiam videri ab hominibus, & ideo frustra operatur & mercede, quæ debetur, privatur. Qui autem ligna scindit & onus conficit, is est, qui multis quidem gravatur peccatis, pro eo autem quod deberet ea resecare pœnitentia & diligentia, ostenditur alia potius addere.* Apud Matth. Raderum 2. p. Virid.ss.cap.14. Ioanna Urbivetana Virgo, ordinis sancti Dominici, adhuc parvula orbata parentibus dicebat se ab Angelo custode fidei & pietatis documenta accepisse: Unde & gratiam baptismalem conservavit usque ad mortem Seraphi. Raz. in l. ss. ord. Prædicat. Protervus quidam Arrianus videns quendam Angelum loquentem ad sancti Ambrosii aurem, cum Ver-

Verbum Dei prædicaret, conversus inde ad veram fidem fuit, ut refert sanctus Paulinus in vita sancti Ambrosii.

D. III. *Excitat & absterret.*

Tertio *percusso latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter.* Ita Angelus Custos Clientem suum partim à peccato deterret & coercet, partim à somno peccatorum excitat. Refert Isidorus cap. 14. lacertulam quandam esse, nomine Saniam, quæ, si videat serpentem homini dormienti insidiari, involat in faciem ejus, & scalpendo ac vellicando excitat eum, ut evigilet & sibi à præsenti periculo caveat. Ad amussim talis est angelus custos, qui cernens hominem in peccato stertentem, vel de salute periclitantem, continuo vellicat modo internis hortatibus, modo externis mediis. Quomodo excitavit Iosephum in somnis, ut surgeret & acciperet puerum Iesum fugeretque in Ægyptum. Pulsat etiam quandoque & increpat, ac peccata commissa exprobrat. Sic Iudic. 2. exprobrat Israelitis beneficia à Deo accepta usque ad occupationem terræ Sanctæ, & simul eorum ingratitudinem & inobedientiam, quod cum incircumcisis inierint fœdus & pacem. Unde ipsi elevaverunt vocem & fleverunt, ita ut locus ille, locus flentium diceretur: & immolaverunt hostias. Sic Anatolium hæreticum eo usque angeli punierunt donec reduceretur ad fidem veram, ut refert Eusebius lib. 5. histor. c. ultimo. Exemplum recens refert Franciscus Albertinus Soc. Iesu in lib. de ang. Custod. c. 15. de viro quodam, qui Cosentiæ in Calabria Patri cuidam Societatis confitens ab eo interrogatus est, quam ob rem eo die potissimum tanta festinatione ac desiderio peccata confiteretur? *Audi*, respondit ille, *aliquantisper Pater, rem admiratione dignam aperiam. Nudius tertius consilium mihi inєunti, cum uno ex amicis meis, quo pacto commodius injuriam mihi à quodam irrogatam ulciscerer: persuasit ille ut ambo eodem vespere bombardis armati eum persequeremur; è vestigio igitur facto proposito domum petii. Cum autem arrepta fistula ferrea rotulas ac silices præpararem, ut ne in explosione fortassis munere suo non fungerentur: Ecce tibi speciosissimum juvenem, cujus nescio an pulchritudo gravitati, an hæc pulchritudini potius ornamento esset, qui gestibus meis aliquamdiu consideratis: Quid meditaris, inquit, mi homo, dic sodes: quid negotii, quæ te cura premit, quod tanta expolis solertia instrumenta mortis; Ego ad hæc consilium dissimulare. Rursum igitur ille Zelo & indignatione, ut apparebat, plenus: Quorsum, ait, mentem tuam non detegis? Numnam latere me existimas, quæ hactenus ad expeditiorem designati facinoris executionem attentasti? Atque ita protracto colloquio in memoriam mihi revocavit, quanta Deus cœli & terræ pro abjectissimo homine perpessus est: nec non ingratitudinem & peccata mea, quæ pro tam copiosa redemptione illi retribui: exaggeravit mansuetudinem & longanimitatem ipsius, qui ad hanc usque horam pepercit mihi, tametsi commeruissem mille infernos, maxime cum propositum haberem, pari perpetuo malitia scelera accumulare. Cæterum hisce verbis tam efficaciter cor meum transverberatum est, tam uberes lachrymæ, accensa suspiria & mœsti mox singultus totum me occuparunt, ut anima corpore videretur velle excedere, &c.*

Monuit ergo ut quam primum Pater aliquis Societatis eo veniret ad confessionem peccatorum faciendam. Interim advenit amicus alter ad facinus eum evocans: Cui iste respondere nolebat: sed angelo jubente respondit: & negavit ulla ratione se adduci posse ut conceptum facinus perpetret: Interim angelus, quo loco ab eo relictus erat, disparuit. Quoties suggerit nobis angelus ne peccemus in Christum salvatorem nostrum, quomodo Ionathas suggessit Sauli parenti suo: *Ne pecces Rex in David, quia non peccavit tibi & opera ejus bona sunt tibi valde, & posuit animam suam in manu tua*, 1. Reg. 19. Hoc enim nobis fecit & Christus. Et quidem Saul quantum reprobus hoc verbo placatus juravit, *quia non occidetur David.* Cur non emolliris tu?

E. IV. *Peccandi occasiones amovet.*

Quarto *præcingere & calcea te caligas tuas*, inquit angelus; & significat angelum custodem peccandi occasiones, & pericula relapsus amovere à suo Cliente. Nam idcirco jussit Petrum secum accipere vestes, ut ne minimam quidem haberet occasionem, redeundi ad carcerem: quam ob causam & Dominus jussit languidum illum apud piscinam sanatum tollere grabatum suum & abire. Et Moyses noluit ut filii Israel relinquerent in Ægypto vel ungulam de rebus suis. Amolitur itaque bonus angelus nobis peccandi occasiones plurimas, in quibus caperemur, nisi tollerentur. Et idcirco dixit David ad virum justum? *Angelis suis Deus mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid enim lapides in via nisi scandala & peccandi occasiones, ac laquei, quibus, ut vidit S. Antonius, mundus est plenus? Istos igitur removet vel abscondit nobis, sicut mater abscondit infanti cultrum aut quid noxium, ne id videns infans statim habere velit ad suam perniciem; vel monet ne impingamus in obvios lapides, v. g. si quem errantem fraterne corrigas, & ille, cum gratias agere deberet, maledictis te proscindit; Cogitabis enim forte si hæc est mea merces, omittam imposterum admonitiones, dimittam illum ire in adinventionibus suis & perire.

Ecce lapidem; sed angelus venit & tibi suggerit, non esse curandum quid homines cupiant, sed quid Deus jubeat: & ab hoc non ab illis mercedem exspectandam. Rursum bonus aliquis opifex aut mercator, nemini iniquus, ab impostore forte decipitur falsa aliqua moneta. Forte is cogitabit: Si ita mecum agitur, decipiam & ego eadem moneta alios. En lapidem; sed occurrit angelus & in corde ejus dicit:

Quid

Quid turbaris ob rem tam modicam? Num pro nugis istis cœlum vis perdere, aut similis fieri perditissimorum hominum, qui mala pro bonis reddunt: aut politicorum, qui mala pro malis: & non potius Christianorum, qui bona pro malis reddunt? Sic Lothum monuit & tandem eduxit è societate perditorum Sodomitarum, ne simul cum illis periret. Evocat enim è societate malorum, & nisi pareamus, dulciter cogit impetrando à Deo flagellum ægritudinis, aut alterius afflictionis, quâ exire compellamur. Sic Balaamo obstitit in via, ne pergeret ad maledicendum populo Hebræorum, & avaritiam suam exsatiandam, stricto gladio in angustia duorum parietum. Ita enim angelus repræsentat peccatori divinam vindictam: Deinde mortis inevitabilitatem, ubi regredi & recuperare præteritos annos non licebit: Denique rigorem judicii inter æternam gloriam & gehennam. Quomodo S. Petrum Cœlestinum acriter reprehensum & castigatum fuisse ab angelo ob quasdam levitates pueriles, refert Surius die 19. Maij.

F. V. *Ad progressum virtutis animat.*

Quinto, *sequere me*, inquit angelus; quo verbo indicat Angelum custodem addere animos suo Clienti ad progrediendum alacriter in via Dei. Hoc enim fecit Angelus Eliæ tendenti ad montem Dei Oreb, defatigato, 3. Reg. 19. dicens: *Surge comede, grandis enim restat tibi via.* Hoc fecit Gedeoni, cum animavit eum ad bellum suscipiendum contra Madian. Iud. 6. Hoc juniori Tobiæ cum confirmavit eum ad piscem apprehendendum & extrahendum, Tob. 6. Simili ergo modo quando deficimus in aliquo labore vel sub aliquo onere, angelus Domini confortat nos, & sublevat spirituali quadam dulcedine & solatio. Quando horror nos invadit, cum aliquid arduum aggrediendum, vel difficultas superanda est, animos nobis addit, ut apprehendamus cetum. Novit enim bonus Angelus, ingenium diaboli, quod nimirum instar crocodili fugientes insequatur & insequentes se fugiat. Unde suadet id Iac. 4. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.*

Id vero maxime præstat in maxima hominis necessitate & angustia, mortis videlicet articulo. Scit enim ibi malum Genium suas exercere vires, & tunc descendere habentem iram magnam, scientem quia modicum tempus habet, Apoc. 12. idcirco & ipse suis maxime tunc adest. Fecit hoc Angelus Christo agonizanti: *Confortans eum*, ut S. Lucas ait.

Licet enim Christus non eguerit confortatore: voluit tamen eum admittere, tum quia seipsum noluit confortare, (siquidem propter nos omnem consolationem sibi denegabat) tum ut ostenderet Angelos Custodes adesse suis in rebus maxime desperatis & maxime, quando Dei causa aliquid patiuntur. In articulo autem mortis homo maxime desertus est, & humanis auxiliis destitutus.

In Mexicana Provincia Anno millesimo quingentesimo octuagesimo septimo. Cum infirmus quidam metu mortis vehementer consternaretur evenit, ut die quadam conspiceret pulcherrimum juvenem, qui circumdatus admiranda luce, illi appropinquare & demonstrare cœpit (quo amaritudo gravissimæ ipsius tristitiæ aliquantum leniretur) montes aliquot opertos auro ac margaritis, in quibus clarissimis vestibus ac vultibus conspicui innumeri homines mutuis sese applausibus ac solatiis recreabant: tum omnia singulatim contemplari jussit ac dixit, hunc paradisum esse & exultantes homines esse Sanctorum animas, qui sub insignibus Christianæ fidei sanctè viventes feliciter obiissent.

Unde juvenis visione adstantibus recitata tam flagranti illius regni desiderio accensus fuit ut jam nihil magis optaret, quam vitam hanc deserere. Ex litt. annuis Societatis Iesu anno millesimo, quingentesimo octuagesimo septimo. En quid Angelus Custos faciat.

G. VI. *Tentationes refringit.*

Sexto duxit Angelus Petrum per primam & secundam custodiam, inadvertentibus & forte sopitis custodibus. Sic Angelus Custos illæsum sæpe ducit per tentationes dæmonis & carnis, dum earum vim refringit. Cujus figuram cernere est in illo Angelo, qui luctans cum Iacob, tetigit nervum fœmoris ejus, qui ex hoc emarcuit, Genesis trigesimo secundo.

Nervus iste vim concupiscentiæ designat, quam ita enervat Angelus, ut ne supra vires hominem tentet atque opprimat: Dæmones vero sopit, vel catenis alligat sicuti canes feroces, ne in obvios irruant pro libitu. Sic Angelus præses Israelitarum obstitit Balaamo, primum ne pergeret ad maledicendum populo sibi commisso, tum ire permisit, sed hac conditione, ut ne aliud loqueretur, quam ei ipse præcepturus esset, Num. 22. atque ita cupidinem maledicendi in eo repressit.

Ita Angeli boni permittunt quidem dæmoni, ut nos tentet, sed tamen cupidinem & furorem ejus retundunt: ne vehementius nos impugnet, quam vires nostræ ferant.

Ita duxit illæsam per castra hostium Iuditham: *Vivit ipse Dominus*, inquit, *quoniam custodivit me Angelus ejus & hinc euntem & ibi commorantem & inde huc reverentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari*, Iudith. 13.

Denique hoc figuratum fuit in Angelo, qui excussit flammam ignis de fornace & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem ut non tangeret tres pueros, Dan. 3.

H. VII. *Ad cœlos ducit.*

Septimo demum eduxit eum per portam ferream ultro apertam, è carcere per vicum unum in civitatem & libertatem. Sic etiam Angelus Custos educit tandem Clientem suum ex ergastulo corporis, per ferream mortis portam, & per vicum judicii particularis in cœlestem civitatem & securam libertatem. Testis hujus rei Christus ipse, qui Lazarum ab Angelis portatum esse in sinum Abrahæ dixit, Luc. 16. Testes Sanctorum vitæ, quorum plu-

plurimi à sanctis Angelis suscipi & ad superos gestari visi sunt.

Velut sanctus Martinus, sanctus Dominicus, Mendicus ille Servulus apud S. Gregorium M. Animam S. Guilielmi Abbatis vidit per duos Angelos elevari ad cœlum Gomundus ejus discipulus. Animam sancti Pauli Eremitæ sanctus Antonius. Animam sancti Germani Episcopi, sanctus Benedictus. Petrus exorcista & Marcellinus cum sociis Martyribus à spiculatore visi ab Angelis in cœlum ferri, unde is conversus est, &c.

Felices vero illi, quibus ultro se aperit mortis janua, id est, qui libenter, prompte & hilari animo mortem oppetunt: qui Domino pulsanti confestim aperiunt: *Beati enim sunt servi illi.*

Quæ cum ita sint, videat nunc quisque, quid Angelo suo debeat. Petrus sane his peractis ad se reversus, Deo gratias egit: *Nunc vero scio*, inquit, *quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis & de omni expectatione plebis Judæorum.*

Deinde hoc beneficium aliis annuntiavit & undique prædicavit. Sic & nos Deo grati esse debemus, eumque prædicare & benedicere, qui tanta nobis præstat per Angelum Custodem.

Deinde custodem ipsum revereri & audire monentem. Et vere modo certo sciremus seu firmiter crederemus, Angelum esse, qui nos custodiat & tot beneficiis cumulet, quomodo eum non amaremus, coleremus, audiremus?

CONCIO III.

BENEFICIA ANGELI CUstodis corporalia.

I. Ducit & comitatur.
II. Victum suppeditat.
III. Nuptias prosperat.
IV. Hostes compescit.
V. Pacem inter conjuges conciliat.
VI. A periculis servat.
VII. Medicinam præstat.
VIII. Replet omni bono.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

A. Legimus in libro Tobiæ cap. 5. seniorem Tobiam injunxisse filio ut in Rages Medorum abiret, repetitum decem talenta argenti à Gabelo, quæ crediderat illi adeoque socium itineris sibi quæreret virum fidelem, qui eum duceret & reduceret. Paruit filius & egressus invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum & quasi paratum ad ambulandum: qui non difficulter socium itineris, utpote sibi perspecti se obtulit & adjunxit; fuit autem is Angelus Raphael, multa qui ei beneficia impertiit per viam, quæ filius recenset Patri capite duodecimo. *Me duxit & reduxit*, inquit, *pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Videtur mihi Deus in hoc Archangelo Tobiæ ductore velut in imagine depingere voluisse beneficia Angeli Custodis Corporalia. Senior Tobias Deum repræsentat, qui quemlibet hominem veluti filium & facturam suam, cum in hunc mundum pro bonorum operum meritis cumulandis misit, velut in Rages pro pecunia repetenda misit (Rages enim commotio seu tempestas exponitur, & bene mundum hunc designat) sed quis itineris comes & dux futurus? Uti junior Tobias domo egressus mox invenit Angelum: Ita infans quilibet vix materno prodit utero, & en occurrit Angelus, quem Deus ab æterno custodem ei destinavit.

Hinc ille splendidus est juvenis, nostræ peregrinationis comes, præcinctus ad ambulandum & per vitæ hujus viam plurima nobis beneficia conferens tam spiritualia, quam corporalia: sed nos in præsentiarum corporalia tantum videbimus, ab hoc Angelo Tobiæ potissimum exhibita.

B. I. *Ducit & comitatur.* Primo, *me duxit & reduxit*, inquit Tobias: Ad eundem modum Angelus Custos in via & itineribus fidelissimus nobis est comes, ductor & reductor. Sic Angelus Domini præcedebat castra Israel in columna nubis monstrans eis iter per desertum, Exod. 13. id quod etiam præstitit exercitui Christianorum insidiis circumvento, cum is ab obsidione Bostri Arabum Metropoli recederet anno Domini millesimo centesimo quadragesimo quarto, quando terra sancta & Ierosolyma adhuc in nostra erat potestate.

Cum enim, ut scribit Gulielmus Tyrius lib. 16. capite 12. in inevitabilia incidisset discrimina, & errarent omnes in invio & in via & angustiis locorum interclusi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem qui agmina præiret & locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam: Ecce subito cohortes præcedens miles quidam ignotus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans lorica indutus, curtis usque ad cubitos manicis antecedebat exercitum.

Hic tanquam Angelus Domini exercituum viarum sequens compendia & ad aquas prius congruis

& commodis stationibus castra metari ducebat. Qui illis deductis Ierosolymam usque illo admirabili perfunctus Ministerio, ab omnium mox evanuit oculis.

Idem Angelus specie juvenis elegantissimi sanctum Dominicum de nocte ad Monasterium duxit & portas reserans introduxit, ut in ejus vita apud Surium tomo quarto. Sed quid serenissimo Maximiliano Imperatori antequam Imperator esset, contigerit, dum per præruptas rupes Oenipontanas, juvenili ardore rupicapras & Ibices insecutus, eo loci evasit, unde nec referre pedem nec ulterius progredi posset, nisi in præcipitium; Narrat Stephanus Pighius in Hercule prodicio & nos supra recensuimus in Festo circumcisionis.

C. II. *Victum suppeditat*

Secundo, *pecuniam à Gabelo recepit*; quâ nimirum domus Tobiæ paupercula sustentaretur. Addere poterat Tobias quod ejus ope in via sustentatus sit, piscem enim grandem ejus opera cepit, de quo in itinere vivebat.

Ergo Angelus custos pascit esurientes & sustentat inopes. Ita enim Genesis vigesimo primo. Cum Agar filiolum suum, aqua deficiente, jam animam agentem in solitudine, ad radices arboris abjecisset, ne videret eum siti confici, Angelus apparuit & ostendit illi puteum aquæ limpidæ, qua moribundum filium reficeret. Adhæc Danielem in lacu leonum conclusum, per Habacuc ad eundem locum mirabiliter delatum, pavit cibis, qui pro messoribus parati erant, Daniel. 6. Eliam etiam refocillavit pane subcinericio & vase aquæ, 3. Reg. 19.

Idem Iacob Patriarcham, servientem socero suo Laban mirabiliter ditavit, docendo eum modum & artem, qua adhibita plurima maculosa pecora gignerentur, ut Abulensis & alii recte deducunt ex Genes. trigesimo primo, ubi Angelus ait; *Leva oculos tuos & vide omnes masculos varios & maculosos, &c.*

Quin & manna Angelorum Ministerio Israelitis in deserto datum & confectum est; ideò enim panis Angelorum vocatur à Davide, Psal. 77.

D. III. *Nuptiis prosperat.*

Tertio, *uxorem me habere fecit*, inquit Tobias, Sic custos iis, quibus honestum conjugium propositum est, de tali sponso ac sponsa providet qualis ei congruit. Hoc præstitit Tobiæ, sancto nimirum juveni sanctam ostendendo & procurando conjugem.

Hoc idem præstitit Isaaco, procurando ei Rebeccam, optimam & virtuosissimam puellam. Cum enim servus Abrahæ, pro uxore filio accipienda missus esset, isque hæsitaret de modo & ratione inveniendi sponsam qualem quærere jubebatur, dixit ad Abraham, *Dominus Deus, qui tulit me de domo Patris mei, &c. ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo*, Genesis vigesimoquarto.

Unde qui in hoc negotio tam difficili non vult decipi aut errare, sæpe ac serio rogare deberet Angelum suum, qui optime novit qualis cuique conjux conducat: ut ipse quodammodo ejus paranymphus esse velit. Nec uxorem tantum, sed & liberos obtinuit Tobias, septem filios incolumes ex instructione Angeli; si nimirum triduo post nuptias abstineret ab uxore & orationibus vacaret; Sic enim benedictionem consecuturum, ut filios procrearet incolumes.

Ita Saræ sterili nuntiarunt Angeli; quod paritura esset filium, Genesis 18. Et alius idem nuntiavit uxori Manue, Iud. 13. Itaque ad Angelum accurrere possunt, qui liberos eosque pios & incolumes desiderant. Et qui eos probè ac feliciter educari cupiunt, Angelorum tutelæ & manibus commendent. Sic fecit Iacob nepotibus suis, Genesis quadragesimo octavo: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

Unde narratur Iud. 13. de Manue, eum instantissime Deum rogitasse ut Angelum suum de cœlo mittere dignaretur, quo ab eo optimum modum educationis disceret, cujus beneficio ab uxore sterili filium accepisset. Quam verò cupiant Angeli Custodes pie educari liberos, vel ex eo colligi potest, quod Exod. 4. occidere voluerit Moysen Angelus Domini (ut habent LXX.) quod non circumcidisset filium juxta legem Domini.

E. IV. *Hostes compescit.*

Quarto. *Dæmonium ab ea* (Sara) *ipse compescuit*, inquit. Religavit enim id in deserto Ægypti, ut neque hominibus neque pecudibus neque arboribus nocere posset. Sic Angelus Custos hostes Clientis sui compescit sive visibiles, sive invisibiles, ne vel illi vel ejus rebus nocere queant, quantum volunt. Contra invisibiles hostes, quod nos juvent Angeli: quis dubitare potest? Quam enim frequenter, putatis, dæmones, qui nobis adsunt, & qui summo odio nos persequuntur, vel in ignem, vel in aquas, vel in præcipitia projicerent, vel in mille partes discerperent, si non impedirentur, utique à bonis Angelis? Unde S. Basilius ait: *Quemadmodum urbium muri in circuitu undequaque hostium insultus arcent: Sic & Angelus à tergo & à fronte custodit, &c.* Et Origines hom. 8. in cap. 8. Iosue: *Sancti Angeli*, inquit, *videntes nos insectationem dæmonum pati, insurgunt adversus eos, qui nos insectant & omnes eos post terga cædentes interimunt.* Sic ille, id quod merito quemlibet animare debet.

Quod verò etiam ab hostibus visibilibus nos defendant, testis est populus Hebræus, qui Angeli præsidio à Pharaone defensus fuit. Testis Iacob, qui Angelorum præsidio munitus fuit contra Esau fratrem, Genesis trigesimosecundo. Testis Iudas Machabæus, qui præsidio Angelico suffultus, devicit Lysiæ exercitus. Apparuit enim præcedens eos eques in veste candida armis aureis, hastam vibrans, 2. Machab. 11. Testis Elisæus, qui circumdatus ab hostibus vidit maximum exercitum Angelorum sibi

ſibi in auxilium & opem à DEO optimo Max. miſſum, 4. Reg. 6. Teſtis Ezechias Rex, qui centum octoginta quinque millia Aſſyriorum hoſtium ſuorum ab Angelo una nocte trucidata vidit, 4. Reg. 16. Teſtis Theodoſius junior Imperator, quo cum Perſis & Saracenis pugnante, circiter centum millia Saracenorum in fluvium Euphratem Angelus DOMINI præcipitavit: ut Socrates lib. 7. hiſtor. cap. 18. Qui etiam cap. 23. ſcribit Angelum DOMINI, quando Ioannes quidam Imperium per Tyrannidem affectabat & collectis barbarorum copiis Theodoſio inſidias ſtruebat, ac Ravennæ commoraretur, in habitu & forma paſtoris ducem itineris Theodoſii copiis ſe præbuiſſe & per ſtagnum Ravennæ adjacens deduxiſſe, quâ via nemo unquam iter feciſſe commemoratur: Sicque exercitus Theodoſii civitatem apertam invenientes iugreſſos Tyrannum occidiſſe.

Vultin' audire nupera? quæ refert Pater Drexelius in Horolog. tut. Angeli hora 5. cap. 2.

Cum Sereniſſimus Bojariæ Dux Maximilianus anno MDCXX. in rebelles Bohemos moveret, non procul in vili pago (Lichiz ei nomen) per aliquot dies caſtra habuit hoſte ſatis vicino, & ad inſidias varie procurrente: Multis fruſtra tentatis, noctem unam, quæ opportunior viſa, delegit ſibi hoſtis, forſan non minimam cladem illaturus ſi inferre illi tam conceſſum, quam deſtinare. Mens erat ſereniſſimum Maximilianum Ducem, & omnem illic militem, vi repentina opprimere, & ut cruenta hæc fraus certiore iret ſucceſſu, ſelectiſſimos quoſque milites ad ſigna evocabant primipili. Ibat agminis caput, quod & belli Fridericus quondam Elector Palatinus, cujus regiam dignitatem annuum tantum magiſtratum fuiſſe, eventus docuit: ibat Dux Anhaltinus, ibat & Ducis Anhaltini filius, ibant præſtanti animo & numero Duces complures, cum ſuis quisque ſelectis copiis. Primum agmen Comes ab Hollach ducebat, conjunctis ex omni turma ſelectis equitibus & Moſquetariis, ut eſſent mille trecenti. Hos Ungari, illos Auſtrii, iſtos alii atque alii ſequebantnr. Principis Anhaltini filius, (qui hæc ſua manu conſcripſit) regem proximus antecedebat: Hi omnes caſtris ſuis hora ſeptima primæ noctis cœperunt egredi. Decem millium inſidioſa hæc phalanx fuiſſe creditur. Euntibus nox favebat, Sereniſſimnm Ducem Maximilianum locus non defendebat, nec adeo numeroſus, puto, miles qui hoſti par eſſet, vigilabat. Vigilabant tamen pro eo inſomnes Angeli, qui (quod ipſis facile) confuſiſſimum hoſtem, & jam inſidias metuentem, quas structurus venerat, in caſtra repulerunt, re non tantum infecta, ſed nec quidem incepta. Triplex hoſti objectum impedimentum. Primum, à via aberrarunt, qui apud illos, viæ peritiſſimi Duces habebantur. Facillimum eſt errare, cum Angeli ſeducunt. Alterum, tantæ viarum anguſtiæ occurrebant, ut univerſum agminis ordinem turbarint & ſolverint. Tertium, terror plane panicus viam omnem coegit relegere, nam eæ inter Ungarorum præſertim ordines ortæ ſunt turbæ, ut hoſtem, quem quæſierant oppreſſuri, jam fugerent velut proditi perditiq́ue. Atq́ue hæc vel ipſorum hoſtium teſtimonio vera eſſe comperta ſunt, nam omnia quæ narravi, Principis Anhaltini filius, Gallico idiomate accurrate deſcripſit, ſed in ultimo prælio & ipſe & bellici ipſius commentarii ſunt capti.

Attexo narrationem (in rem ipſam judicis partem mihi non ſumo) & duorum colloquium, è quo pronum ſit opinari, in ultima dicti anni & decretoria pugna, milites è cœlo ſuppetias adveniſſe & luculentam opem tuliſſe Catholicis ſignis. Non ita diu poſt memorabiliſſimam illam cæſis rebellibus victoriam; Auguſtæ in eodem Hoſpitio convenerunt, miles unus religione Catholicus, & gente nobilis, alter dux belli è Wittenbergia oriundus, qui rebellium Bohemorum caſtra ſequebatur: Hic miles: quæſo, inquit ſtrenue Domine, ſas mihi ſit quærere, quî tandem fieri potuerit, ut omnis adeo animus in pedes vobis conciderit? An non vobis æque ac Catholicis copioſus exercitus? Annon vobis locus multo æquior quam Catholicis? Annon penes vos Moravi equitatus robur? Annon vos tormentorum currulium numero illic loci ſuperiores? Annon feſſum Catholicorum agmen, vos jam diſpoſiti per quietem acie excepiſtis? Annon vobis Urbs à tergo munimen? Vicinum palatium, Stella nomine, propugnaculum? Unde ergo Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoſcat mihi, Domine, tuus genius; pene auſim dicere, fœminæ fuiſtis, quia noluiſtis vincere. Audiit hæc è Wittenbergia militiæ dux. Et ſi finiſti, inquit, quæ nos promere volebas & me audi. Pugnæ ratio hæc fuit: Nos nec noſtras, nec hoſtium vires ignoravimus; quis utrimque numerus eſſet legionum ſcivimus, & ita equitatum equitatui, turma turmis, legionem legioni oppoſuimus pro ut licuit: certe hic ducum nec induſtria accuſari poteſt nec prudentia: arma nobis cum hoſte paria fuerunt: locus, fateor, nobis æquior fuit ac opportunior quam hoſti; ex edito pugnabamus in ſubeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti contra Bavarum militem favebant. Ideoque victoriæ jam fere certi, non ſicut illi: diu deliberandum de ineundo conſtictu cenſuimus: è re noſtra eſſe, viſum eſt pleriſque omnibus confligere: At verò poſt aliquod pugnæ felix initium, nova nobis ex adverſo caſtra ſtare, gens incognita & nunquam nobis viſa ſe opponere, legio ſe oſtendere de qua nihil unquam nobis innotuit, hic mihi crede Domine ea omnium animos invaſit conſternatio, ut nemo niſi fugam cœperit circumſpicere: nec eſt quod quis adeo id nobis vitio vertat: ipſi equi ſtabant & tremebant. Mox partes noſtræ labare, dein multum inclinare, inde ruere, demum omnes apertiſſime fugere; ſane plures è nobis in fuga cæſi quam pugna. Quis vero novus hic exercitus? quæ legio fulminatrix niſi Angelorum? Si quidem ex ea nullus militum ſtipendium à noſtris militibus exegit. Hæc Drexelius.

Quinto

F. V. *Pacem inter conjuges conciliat.*

Quinto *gaudium parentibus* Saræ *fecit*, quia scilicet familiam eorum pacatam & tranquillam reddidit, à multis afflictionibus & perturbationibus liberam, septem enim viris succesive tradiderant filiam parentes, & omnes septem occidit dæmon ipsa nuptiarum nocte: quæ res maximos dolores afferebat huic familiæ. Quin & Tobiæ jam sepulchrum foderant servi, quasi eandem sortem subituro. Ab hac igitur tristitia liberabat Raphael Saræ parentes. Figurate hoc significat quod consimili modo Angelus custos in familia & inter conjuges pacem conciliat, & discordiarum authorem diabolum compescit.

Alias etiam gaudium sæpe parentibus creat, dum liberos eorum parvulos mirabiliter ab interitu servat. Inter multa hujus veritatis Testimonia, refert unum Theodoretus in Philotheo in vita Sancti Iuliani Sabæ de puero septenni prope Antiochiam, qui, dum mater Sanctæ Hospitalitati intenta esset, lapsus est in puteum, dum circa eum luderet: Sed tantum abest ut aliquid læsionis acceperit, ut potius in superficie aquæ sedens, cum aquis ludere visus sit. Aliud refert Majolus libr. 1. Canic. colloq. 12. de muliere inope in Urbe Astensi, quæ dum flumen Tanarum navigio trajicere una cum aliis vellet, colligendorum lignorum causa, & dextra sua puerum triennem teneret, lactantem vero alium læva in sinu foveret, demersa nave ipsa cum utroque trans flumen devecta est incolumis, absque ulla vel natandi peritia vel labore: cum tamen reliqui natandi periti à fluctibus hausti & extincti sint. Accidit id anno DOMINI 1564. Dominica prima post octavam Paschæ. Nimirum pia mater similem Angelis se præbuit, dum non minori dilectione, filios fortiter retinuit sui oblita in periculo, quam Angeli Sancti eos custodiunt: ideoque Angelicam opem merito experta est.

G. VI. *Apericulis.*

Sexto *me ipsum à devoratione Piscis eripuit*, inquit: Quo denotatur Angelos custodes ab innumeris periculis, & vitæ discriminibus servare suos Clientes. Etenim Lothum eduxerunt & servarunt ab incendio Sodomæ, Genesis 19. Tres pueros in fornace ignis, Daniel. 3. Danielem in lacu leonum, Daniel. 10. Apostolos de nocte apertis carceris januis eduxerunt, Actorum 5. Petrum è carcere Herodis, Actorum 12. Hæc & similia complura beneficia præstitêre postea innumeris aliis & præstant usque in hodiernum. Legimus enim ab ipsis eductos è carcere Sanctum Suitbertum Episcopum, apud Surium 1. Martij. Apollonium Monachum cum Sociis, apud Baron. ad annum 362. Felicem item Nolanum presbyterum: qui etiam postea cum persequentes Idololatras fugiens inter duos se parietes occultasset, repente loci illius aditus aranearum telis obductus (absque dubio Angeli ministerio) ut ita securus lateret, & neminem suspicionem latebræ relinqueret. Ex breviario in ejus Festo. Hildegundis etiam virgo, quæ virili habitu Iosephum se vocabat, à quibusdam incolis Zusmarhusianis, inter Augustam & Delingam, contra jus fasque innocens ad arborem suspensa, ab Angelo tutelari sustentata est, ne pendens fauces elideret: dulci etiam harmonia recreata, donec à vicinis opilionibus deponeretur, apud Raderum in Virid. fs. p. 1. Quam historiam quia mira & loco nobis vicino contigit, ex ipso attexam. *Ergo Hildegundis Novesio oppido, ad quintum infra Coloniam lapidem, oriunda, sub ementito viri sexu & Iosephi nomine, utroque orbata parente, & peracto Ierosolymitano itinere, in quo à servo comite bonis omnibus spoliata & deserta fuit, Coloniam tandem Dei ductu ad cujusdam Canonici amplas ædes defertur hospitioque peregrini adolescentis nomine suscepta est. Qui Romam ob controversiam quandam proficiscens Iosephum quamvis reluctantem, ob linguarum peritiam itineris comitem sibi adjungit: literas Scipione inclusas gestat, primumque Moguntiam mox Zusmarhusium, quod inter Augustam & Dilingam est, parique intervallo à Lyco & Danubio XV. millia passuum abest, Busmanshusem olim, venit, Imperatoriam enim urbem Augustam Vindelicorum, ubi multi ex aula Imperatoris Palatini agebant, quod literis metueret, studio declinaret: Hanc tamen relictis Iosepho literis, & Scipione, uti se pedes mox sequeretur, expeditus equo transit. Sed Iosephus dum vicinum nemus erat, in furem, quasi Viatorem, delabitur, quem spoliati, prior nocte, incolæ Zusmarhusiani persecuti vestigabant, quos fur eminus sentiens, saccum in quem furta conjecerat, Iosepho quasi mox rediturus servandum tradit, ipse inter dumeta prospectans eventum rei expectat. Oppidani advolant, Iosephum sacco insidentem comprehendunt, cædunt, reumque furti peragunt, negantem & reclamantem etiam contumeliis onerant, & vi in forum pertrahunt, capitisque sententiam in insontem perinde ac furem pronuntiant. Iosephus cum videret sibi extremum imminere exitium, rogat Sacerdotem, uti noxas suas audiat, sacramque synaxim innocentiæ ultimum asylum impertiat. Sacerdos Iosephi innocentia, & furis nequitia cognita, persuadet popularibus sontem inquirerent, adolescentem enim omni culpa videri vacare. Repertum ad Iosephum adducunt, utrumque coram certantes audiunt? Iosephum enim ipsum esse à quo saccum ignorans accepisset, pernegare alter. Cum longa altercatione nihil proficeretur, neq; uter reus esse scire posset, Sacerdos judicium ferri candentis proponit, quod innoxiis tractat manibus Iosephus, uritur alter & suspenditur. Propinqui furis, indignati, Iosephum abeuntem per insidias in saltu excipiunt, atque in eadem arbore nectunt, in quam actus erat reus. Hic DEVS innocentiæ testis & patronus virgini succurrit, cœlitemque mittit, à quo ne pendens elideret fauces, gulamve frangeret, sustentaretur. Quin & divina quadam harmonia pendentem mulcebat, quod cum miraretur Iosephus, rogaretque qui essent, respondit tutelaris spiritus, se bea-*

se beatos esse cœlites, in auxilium ei missos, Symphoniam vero in sororis Hagnes gratiam institutam, quæ modo in Novesiano Virginum Cœnobio ad Cœlum defuncta abiret, ut ita inter beatarum mentium gratulationes cum triumpho templa Cœli ingrederetur. Permovit interim Deus vicinos opiliones, qui ibi pascebant, ut suspensam à furca detraherent. Detractam dum solvunt, subdita luporum incursione, qui in armenta grassabantur, aversi jacentem & ligatam relinquunt. Sed divinitus soluta surgit, & ab Angelo Custode in candidissimum equum imposita Veronam, quo herus ejus jam pervenerat, deportatur. Accipitur à Canonico cum ingenti gaudio, qui jam ejus adventum desperarat, miratur casum, discrimen miseratur, de salute gratulatur, ac secum Romam adducit, confectisque negotiis in Germaniam ad Nemetes. Nec multo post à Bertholdo, qui paulo ante ex milite Monachus erat factus, Schonaviam deducitur, ubi in album tironum Zenobii adscriptus, in religiosum ac Monachum tondetur; nemini quippe sexus arcanum prodidit. Ubi & felici fine quievit: post mortem primum agnitus omnium stupore, lachrymis, gaudio & DEI laude. Denique pauperes, pupillos, viduas, & parvulos ab Angelis defendi & vindicari, ex hodierno Evangelio cognoscere possumus: *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei*, tanquam diceret: Angeli custodes non cessant vindictam expetere contra potentes, qui pusillos & humiles Christi servos non cessant inique vexare. Et quis est ex omnibus nobis, qui non sæpius manifestissimam Angeli tutelaris opem in gravibus discriminibus expertum se fateri debeat? Quoties enim è præsenti aliquo periculo sumus liberati; toties Angeli tutelaris ope sumus liberati.

H. VII. *Medicinã præstat.*

Septimo, *Te quoque Patrem videri fecit lumen cœli.* Si ergò ægritudo, aut alia corporis miseria te pulsat, recurre ad Angelum. Hic enim non tantùm medicamentum oculorum Tobiæ subministravit, sed etiam quotannis ad piscinam probaticam descendit & supernaturalem aquæ conferebat efficaciã ad sanandos quoslibet morbos. Notum etiam quando tempore S. Gregor. Magni pestis Romam dirè vexabat, dum supplicationes fierent, & ad molem Hadriani perventum esset, visum esse Angelum, nudatum gladium in vaginam reponere, eoque facto luem cessasse. Ad horum ergo potius, quam ad malorum Geniorum opem si confugeremus in nostris ægritudinibus, sæpè medicam eorum experiremur manum; Sed quia Diabolum aliqui appellant, ad Diabolum ibunt. Certè si ab Angelis medelam quæreremus, nunquam falleremur, vel enim eam acciperemus, vel si non acciperemus, signum foret magis è re nostra esse morbum vel mortem, quam convalescentiam. Sunt enim servi Dei, & amici nostri, nec cupiunt nocere, sed prodesse: contrarium agit Dæmon.

I. VIII. *Replet omni bono.*

Denique *bonis omnibus per eum repleti sumus*, ait; Sic ministerio Angelorum replemur omni bono, quidquid enim peculiaris & præter naturam beneficii à Deo accipimus, per manus Angelorum accipimus. Quoties ex itineribus salvi & cum pace redimus, quoties in magna penuria & paupertate sustentamur & alimur, quoties quis optimam nanciscitur conjugem & liberos bonos, quoties à dæmonum & aliorum hostium insidiis liberamur, quoties singulari aliquo beneficio recreamur, quoties è vitæ periculis salvi evadimus, quoties è desperatis morbis convalescimus, toties credere debemus, per manus Angelorum hæc nobis à DEO beneficia provenisse. Unde sicut parentibus quod nos alunt, Præceptoribus quod nos instruunt, Magistratibus quod nos tuentur, servis quod nobis serviunt, grati esse debemus: ita debemus etiam Angelis. Et certè Tobias & parentes ejus nihil dignum existimabant quod tanto benefactori, Raphaeli scilicet, rependerent: *Pater quam mercedem dabimus ei*, inquit: *aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* Itaque rogare eum cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere. Sed nihil horum acceptavit Angelus: *Benedicite Deum cœli*, inquit, *& coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Hoc itaque inprimis rependamus: ut Deum laudemus & glorificemus, non ore tantum, sed & vita. Deinde & ipsum Angelum etiam debito modo honoremus. Et primo caveamus, ne in præsentia ipsius ad indecentiam aliquam nos effundamus vel corpus inhoneste nudemus; siquidem Apostolus in Epistola ad Corinthios velari in Ecclesiis præcepit fœminas propter Angelos. Ut ergò puer non audet incivilitatem vel insolentiam aliquam exercere præsente Pædagogo suo: ita caveamus nos gestus indecoros, utpote coram Angelo.

Unde S. Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Coloss. ait: *Angelum habet unusquisque credentium: Si ergo Angelum habemus, sobrii simus tanquam si Pædagogi quidam nobis adessent.*

Deinde caveamus Angelos nostros offendere, idque tanto majore solicitudine quanto facilius contra ejus puritatem & continuam munificentiam peccatur. Atque hunc respectum & venerationem inculcat nobis S. Bernardus Serm. 1. de Angelis in hæc verba: *Pensate quanta etiam nobis solicitudo opus est ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conversamur in conspectu Angelorum, ne fortè Sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis si quando Angeli provocati peccatis, & negligentiis nostris indignos nos judicaverint præsentia & visitatioue sua, ut jam necesse habeamus cum Propheta plangere & dicere. Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam; elongatis nimirum eis,*

eis, quorum præsentia protegere & propulsare poterat inimicum.

Denique rependamus illis obsequia, quanta possumus maxima, amoris, honoris, laudis & gratiarum actionis, & toties quoties aliquod beneficium accipimus, imo quoties hora sonat. Singulis enim horis cogitant de nobis, & novis nos cumulant beneficiis; quorum aliqua quidem observamus, alia vero minime, quædam præstant nobis nolentibus ac repugnantibus ut cum violenta quodammodo manu abstrahimur à peccatis & incendio gehennæ, ad instar Loth, quem Sodomis exire renuentem, manu prehensum coegisse leguntur, Genes. 19. *Dissimulante illo*, inquit sacer textus, *apprehenderunt manus ejus, &c. eduxeruntque eum & posuerunt extra civitatem.* Porro tanto major esse hæc gratitudo debet, quanto celsior est Persona, quæ beneficia illa communicat, Angelus nimirum, qui in sacris literis *Altitudo cœli* nominatur, recipiente, hoc est, homine vanitatibus & miseriis undique circumdato. Quod autem beneficium & donum ex conferentis dignitate potius quam ex suo pretio æstimandum sit, non solum ostendunt Theologi cum D. Thoma in 3. parte; verum etiam Gentiles perspectum habuerunt. Narrat Franciscus Albertinus in lib. de Angelo Custod. cap. 22. ex veterum Romanorum Gestis Scipionem Africanum cum nescio quam rebellionem compescuisset, in divisione spoliorum jussisse incredibilem auri summam tradi gregario cuidam militi, ut ne is queri posset parcius sibi præmium obtigisse, quam virtus sua & infracta animi magnitudo meruerat. Miles indignabundus mox acceptum aurum tanquam vile munus in terram abjicere. Quod ubi ad Scipionem delatum esset, agnovit generositatem militis eumque accersitum donavit monili argenteo, ita dicens: *Imperator exercitus hoc tibi monile dono dat.* Itaque miles abunde satis sibi factum existimans lætus ad castra rediit, & eo nomine solum pluris pependit monile argenteum, quam massam auream, quia illud sibi ab ipso Duce, hæc à Ducis ministro porrigebatur. Maximi quidem Tobias æstimavit beneficia à comite, quem hominem reputabat, accepta: *Pater*, inquit, *quam mercedem dabimus viro huic? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* At ubi cognovit se negotium habere cum Archangelo Raphaele, tantum ejus beneficiorum æstimationi pondus accessit, ut modum ac rationem, ea compensandi ignorans, per tres horas in terram se prostraverit ac demum in se reversus omnes propinquos recentis prodigii narratione ad laudandam Dei potentiam excitarit.

CONCIO IV.

ANGELI CUSTODES QUIbus maxime benevoli, & familiares, quibus potissimum infensi.

I. Amant castos.
II. Eleemosynarios.
III. Religiosos.
IV. Patientes pro amore Dei.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem patris mei, Matth. 18.

A.

OMnes quidem S S. Angeli, hominum custodes, maximo amore clientes diligunt, & summo studio custodiunt. Non est tamen negandum hanc charitatem & industriam uni magis impendant, alteri verò minus, prout meretur quisque & hac se custodia dignum reddit. Scimus enim è SS. literis, sanctis aliquot viris majora beneficia ab angelis impertita esse, quam aliis.

Horum autem quatuor invenio classes, quibus sese Angeli maxime addictos monstrant. Prima Virginum & castitatis studiosorum est. Secunda eorum qui in pauperes largi & profusi sunt. Tertia Religiosorum. Quarta eorum, qui miserias & calamitates amore Dei perferunt. Causam desideramus? quia hæc quatuor hominum genera à mundi inquinamentis maxime refugiunt, adeoque supra mundum ad Angelos se attollunt.

Qui in prima classe, deliciis se abdicant carnis; qui in altera, opibus: qui in tertia, parentibus: qui in quarta, seipsis. Hinc ergo fit, ut qui Angelis maxime assimulantur, ab iisdem maxime diligantur. Videamus singulos.

B. I. *Amant Castos.*

Primo. Virgines & casti. Hi enim Angelis similes, ad Angelorum familiam pertinent uti docet S. Hieronymus Epist. 32. ad Eustochium enim ait: *Statim ut filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris.*

De hac familia fuit inprimis sancta Cæcilia Virgo & Martyr, quæ ad Valerianum sponsum ita locuta est: *Volo te scire me Angelum Dei habere amicum, qui summo Zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus, quod tu incesto me amore contingas, iram suam protinus in te accendet & juventutis tuæ florem perdet: Sin autem cognoverit, quod tu simplici, & immaculato mei amore tenearis,*

ris, & Virginitatem meam integram & impollutam custodias, te sicut me diliget, &c. Quod reipsa præstitit; in vita sanctæ Cæciliæ. Ad eandem spectat Theophila Virgo nobilissima, quæ sub Maximiano Imperatore ad prostibulum à lictoribus tracta, manus & oculos in cœlum attollens, miserabili voce sic orabat: *Mi Jesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ; quæ est tibi desponsa, vide ô sponse, in quem nulla cadit repræhensio, & festina, quoniam non est tempus quidem peccandi, ne pactum conventum fallam; ne prodas me bestiis, ne lupi tuam pecudem lanient, serva sponse sponsam, meam conserva castitatem, fons castitatis, ut tuum quoque nomen, nunc quoque maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis.* Hæc illa quidem oravit cum lachrymis, effectum autem Deus reddidit. Introducta virgo in prostibulum, prolato de sinu codice Evangeliorum, lectioni se dedit; qui vero primus ex intemperantioribus ad eam ingredi ausus est, tremore agitatus, procumbit mortuus; qui post aliquot horas ingreditur secundus, nimio splendore obcœcatus, fores, quibus exiret, quærebat, quod æquè pluribus accidit, nullis egredientibus, quod mirati alii plures, non jam Virginem quærentes, ingrediuntur, sed quid factum esset, explorantes, vident admirabilia & terribilia; Virginem quidem sedentem, libro incumbentem, prope vero juvenem admirabili splendore & fulgore collucentem, ac metu cum pene obriguissent, exclamant: QUIS EST SICUT CHRISTIANORUM DEUS? nec spectaculum ferentes inde se proripiunt, omnes quidem obliti libidinis, nonnulli etiam impietate abjurata. Quibus auditis, Maximianus rem magicis adscribit artificiis. At juvenis (id est, Angelus Domini) puellæ assistens, prostibulo eductam, ad vestibulum Ecclesiæ cum pace dimittit. Ita habent Acta Nicomed. Mart. apud Surium 26. Decembris.

His accedit Beata Ermelindis Virgo, quæ cum ejus castitati Herus, cui serviebat, insidias pararet, nocte qua ad Ecclesiam vadens rapienda erat, monentem audivit Angelum: *Recede Virgo recede & virginitatem, quam DEO consecrasti, inviolatam custodi.* Parens Virgo recessit & ab Angelo ducta est in locum Meldricis villæ, ubi DEO in tuto serviret, Surius 19. Octobris. Illud porro mirum & notatu dignum est in SS. Virginum vita & Martyrio, quod licet multæ nobilissimæ & speciosissimæ Virgines à Tyrannis, sollicitarentur ad stuprum blanditiis, metu, vi; imo ad Lupanaria impellerentur, nullam tamen violatam, sed omnes à Deo & Angelis tutoribus in virginitate servatas legamus.

Quod de fœminis audivimus: idem de viris quoque castitati addictis ostendi potest, scimus enim sanctum Thomam Aquinatem propter castitatem Angelis charum fuisse, ab eisque cingulo castitatis præcinctum, postquam titione impudicam mulierem à se repulisset, deinceps omni sensu libidinis caruisse.

Legimus etiam apud Socratem in hist. Eccles. l. quarto, capite vigesimo tertio, Ammun virum castitatis servandæ gratia ab uxore discessisse & vitam monasticam professum: qui cum corpus suum nunquam aspexisset nudum, & aliquando vadum fluvii transire deberet, sese tamen vestibus exuere nollet, repente per Angelum translatus est in adversam ripam.

His etiam non injuria adnumeramus sanctam Iudith castimonia præcellentem, quæ pudicitiam suam inter Assyrii illius accipitris (Holofernis) Ungues Angelo Custodi adscribit: *Vivit Dominus*; inquit, *quoniam custodit me Angelus ejus & hinc euntem & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Iudith. 13.

C. II. *Eleemosynarios*

Secundo. Eleemosynarii; sunt enim & ipsi Angeli Custodes misericordiæ operibus maxime spiritualibus toti addicti. Scimus Abrahamum & Lothum meruisse sua liberalitate & hospitalitate, ut Angelos susciperent, Genes. 18. & 19. Neque enim initio sciebant esse Angelos, peregrinos existimabant: quomodo alias dixisset ad eos Abraham: *Ponam buccellam panis & confortate cor vestrum*? Et Loth, *Lavate pedes vestros*? Num Angeli his indigebant? Simile quid narrat de Sancto Gregorio Papa Ioan. Diaconus in ejus vita, qui cum pro duodecim pauperibus convivium instruxisset, Angelum inter eos accumbere conspicatus est, qui ad Gregorium: *Scito*, inquit, *usque adeo placere Deo benignam hanc voluntatem tuam erga pauperes, ut ejus intuitu elegerit te in pastorem universalem totius Ecclesiæ Christianæ; & ecce me qui missus sum, ut animam tuam usque ad ultimum vitæ halitum custodiam, pollicearq; omnia te à Deo per me obtenturum esse, quæ animo tuo placuerint.* Illustris etiam hujus rei testis est puella illa Alexandrina, quæ grandem debitorem ex desperatione ad restim actũ, suo patrimonio ei oblato, & laqueo & debito liberavit: postea cum ipsa propter id factum pauperiem indeque vitam lubricam incurrisset, ægritudine correpta baptismum petiisset, sed patrinos non haberet, ecce duo Angeli inexpectatò comparuerunt, & patrini munus subierunt, uti ex prato Sophronii alibi recensui.

D. III. *Religiosos*

Tertio. Religiosi & mundi contemptores. Patet primo in Daniele, qui Angelum sibi dicentem audivit: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, &c.* Dan. 10.

Secundo. In Iacob, qui paterna domo egressus ad declinandam fratris iram, vidit scalam illam, in qua Angeli ascendebant & descendebant, Gen. 28.

Tertio. In sancto Guthlaco; qui quamdiu vitam Eremiticam ageret, quotidie manè & vesperi frui solitus est præsentiâ Angeli, à quo recreabatur, futura & absentia edocebatur, apud Surium 14. Aprilis.

Quarto

Quarto. In Monachis Ægyptiis, qui ab Angelo edocti fuerunt canere Psalmos 12. cum orationum interjectione, apud Cassianum libro secundo Institutionum capite quinto.

Denique in Laffardo Monacho Coloniensi, ut vocant converso, apud Vincentium in speculo historiarum, quæ cum aliquantisper curam habuisset clavium cœnobii, in quo habitabat, in senectute tandem tentatus fuit à dæmone peccato superbiæ, ut diceret intra se: *Ego jam consenui & quanquam nobilibus parentibus oriundus sum, conficior tamen in claustro hoc laboribus monasticis, & aliis inservio, qui alioquin frui possem juxta libitum meum servitio aliorum: Ibo potius, & vel in gravi senio toleratas hucusque molestias extra monasterium compensabo.*

Dum igitur nocte quadam experrectus decerneret mox illucescente aurora cœnobio egredi, venerandi aspectus virum vidit, qui nutu suo hortari eum videbatur, surgeret, seque anteeuntem sequeretur; quare indutis vestibus eum persequutus est usque ad portam Ecclesiæ, & hinc ad ostium cœmiterii: quæ ultro ipsis aperta sunt: Hic Laffardus obstupefieri; & multo magis vehementiusque ubi cœmiterium ingressus, sensit aperiri sepulchra, & juxta unum eorum hujusmodi sibi verba ab Angelico ductore dici: *Viden' Laffarde hunc hominem? Propediem talis & ipse eris; dic sodes relicta claustrali requie quorsum tendis?* cum autem ad alia quoque contemplanda cadavera Angelus eum ducere niteretur, Laffardus secundum omnia viscera attonitus & conturbatus exclamare cepit: *dimitte me Domine obsecro, dimitte me, infirmior sum, quam ut diutius oculis meis tantam spurcitiem ac fœditatem usurpem.* Mox pœnitentia ductus, quod monasterio egredi deliberasset, portas templi ac cœmiterii claudi vidit & Angelus eo ad dormitorium reducto disparuit.

E. IV. *Patientes pro amore Dei.*

Quarto. Patientes aliquid pro amore Dei, quod inprimis cernere est in tribus pueris Hebræis missis in fornacem propter veri Dei cultum, & abominationem statuæ Nabuchodonosoris, qui maximis miraculis Angeli beneficio è fornace illæsi regressi sunt. Nam ignis devoravit ministros Regis, pueros non adussit flammæ injectos: vestibus etiam illorum intactis, vincula absumpsit: adhæc Angelus ad eos in fornacem descendens excitavit ventum roris, quo æstus temperabatur: inde pueri in medio fornacis hymnum Deo cantabant, Dan. 3.

Et hinc fiduciam concepit Beata Agatha, quando freta fortitudine Angeli Custodis Tyrannum, qui ignibus eam cruciare decreverat, irrisit dicens: *si ignem adhibeas, rorem mihi salvificum de cœlo ministrabunt Angeli:* ut est in Breviario Romano. Daniel in lacu Leonum reclusus per Angelum defenditur: *Misit*, inquit, *Deus Angelum suum, qui conclusit ora leonum*, Daniel. 6. Pascitur etiam ibidem beneficio Angeli, qui pulmentum messoribus paratum in lacum ipsi defert, Daniel. 14. Petrus Angeli beneficio ereptus & eductus est è carcere, Act. 12. Alii Martyres quam plurimi in tormentis ab iisdem roborati, sanati & recreati sunt. Inprimis Theodorus quidam adolescens sub Iuliano Apostata in equuleo tortus & acutis testis suffossus, sic se habebat quasi nihil sentiret, cantans illum Psalmum in opprobrium Iuliani: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia & qui gloriantur in simulachris suis.* Qua constantia obstupefactus præfectus Iuliano cessare ab instituto suadet, ni velit & Christianos augeri gloria, & se ludibrio haberi. Solutus igitur est una cum cæteris vinctis Adolescens, qui post interrogatus, quî habuisset? Respondit, se non omnino quidem doloris sensu caruisse, sed adstitisse sibi adolescentem (Angelus is erat) qui tenuissimo linteo abstergeret sudores, & aqua frigidissima corpus perfundens, ardores restingueret & ærumnas sublevaret, atque hoc ab eo se audivisse testatur Ruffinus l. 2. c. 30. Antiochiæ cum esset.

F. *Oderunt.*

Vicissim Angeli custodes subtrahunt quibusdam opem suam iisque invisi sunt.

I. *Obscœnos*

Tales primo Obscœni & impuri: Quemadmodum enim apes, castissima animalcula, ut pote quæ ex concubitu non gignuntur, Venereos oderunt: [Si Pierio credimus l. 26. Hierogl.] ita & Angeli, qui uti carnis, ita Veneris sunt expertes, sibi dissimiles obscœnos oderunt & aculeis objurgationum suarum pungunt. Exemplum refertur in speculo exemplorum, dist. 10. ex 9. de adolescente devoto alioquin erga Angelum Custodem, nec minus modestia & pudicitia prædito. Hic cum literarum gratia versaretur in diœcesi Ultrajectensi, nescio quo casu aliquando accidit, ut conjungeret sese juvenibus discolis & lasciviæ deditis, qui malo exemplo & astu impudicæ mulieris, ad quam ille præter omnem opinionem suam deductus erat, eousque eum pellicerent, parum utabesset, quin cum puritate mentis, florem virginitatis, hactenus divina gratia & protectione Angeli conservatum & illæsum, conculcaret.

At desertis tandem sociis [nox quippe ingruebat] cum domum repetens, etiam atque etiam expenderet secum & admiraretur periculum, in quod irreparabilem pudicitiæ thesaurum conjecerat, ecce obviam illi juvenem insuitati decoris, & claritatis, qui accedens alapam ei inflixit tanto impetu, ut in terram concideret, dicens: *Vel tandem disce perversas societates defugere*; & repente disparuit. Adolescens attonitus rei novitate paulo post in pedes se erexit, & reflectens animum ad ea, quæ sibi acciderant, manifeste agnovit juvenem illum Angelum Custodem fuisse, ejusque beneficio tantum se ea die discrimen castimoniæ evasisse, didicisseque imposterum peccandi occasiones vigilantius devitare. Unde incredibili perfusus gaudio pro duplici favore Deo & Custodi Angelo gratias reddidit, cautior in conversatione effectus.

Pupugit ergo hæc apis juvenem prope nimis ad ſcortum accedentem, ac quemadmodum Angelus terruit aſinam Balaami, ne Dominum ſuum veheret ad nefariam maledictionem: ita corripuit hunc juvenem, *ut caro caſtigata ab Angelo erudiret Spiritum*, inquit S. Greg. in paſtorali, locum illum explicans.

G. II. *Contumaces.* Secundo Contumaces, ſiquidem hi ipſorum monitis & medelis reſiſtunt; jure proinde ab iiſdem tandem relinquuntur. Hinc Origines Angelorum vocem putat eſſe illam, Ieremiæ quinquageſimo primo: *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata: derelinquamus eam.*

Certe hujuſmodi Angelorum vox audita fuit à Sacerdotibus in templo Ieroſolymitano paulo ante excidium urbis & templi in die Pentecoſtes, videlicet: *migremus hinc*, uti ſcribit Ioſephus libro ſeptimo de bello Iud. capite duodecimo. Migrarunt autem inde Angeli ob contumaciam Iudæorum, qui tot viſis prodigiis Chriſto & Apoſtolis ejus credere noluerunt, idque eis dudum ab Iſaia capite quinto prædictum fuit: cum ſub parabola vineæ Synagoga redarguta audit: *Auferam ſepem ejus & diruam maceriam ejus. Cuſtodia Dei fuit ſeps vineæ*, ait Origenes hom. 19. in Ioan. Reſiſtunt denique contumacibus uti Balaamo is, qui dicebat: *Ego veni, ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria*, Num. 25.

H. III. *Superbos.* Tertio. Superbi, ut docet exemplum Prætextatæ apud S. Hieronym. Epiſtola ad Lætam. *Prætextata*, inquit, *nobiliſſima quondam fœmina jubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochii Virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, & neglectum crinem, mundano more pexuit, vincere cupiens, & Virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc areſcent ut ſentias excrucitata quid feceris: & finito menſe quinto ad inferna duceris; ſin autem perſeveraveris in ſcelere & marito ſimul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignavit interitus.* Sic ulciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit. Denique ſi S. Baſilio credimus, omnia peccata fugant modo aliquo Angelum cuſtodem. *Quemadmodum enim apes fugat fumus*, inquit, *& columbas graveolentia expellit: ſic cuſtodē vitæ noſtræ Angelum lachrymoſum & graveolens abigit peccatum.* Conc. 9. in Pſalm. 33. Quod non ita intelligendum, quaſi omnino peccatorem derelinquat Angelus, ſed quod in aliquo eventu non juvet, & per aliquod etiam tempus permittat hominem cadere in aliqua mala, à quibus poſſet eum liberare, demerentibus id peccatis ejus. Cum enim homines divinis beneficiis, quibus omnes fruuntur, ingrati à lege divina rectæq; rationis norma recedunt. Numiniſque obliti ad omnem vitiorum turpitudinem ſe proſtituunt, merentur hoc beneficio angelicæ protectionis deſtitui, uti oſtendit Leon. Leſſius de perfect. div. libro 13. capite 10. Itaque divinæ juſtitiæ decreto ſenſim hæc protectio ſubtrahitur, & diabolo, qui ante veluti ligatus erat, vires relaxantur ad vindictam, nimirum ut per ſua membra, hoc eſt, per impios Principes vel Hæreticos, bella adverſus illud regnum moveat, aut ſeditiones concitet & præſidia, quibus illud ſe tueri potuiſſet, evertat magnamque in eo confuſionem rerum inducat: quo fit ut illud regnum fiat imbecillum, ſine animo, ſine conſilio, ſine viribus, ſine idoneis Ducibus, ſine ſucceſſu, & ita implicetur difficultatibus, tum externis tum domeſticis, ut non poſſit ſe evolvere. Si quid boni conſilii ab aliquo ſuggeritur, ab alio captioſis ratiunculis evertitur, neque qui præſunt tantum luminis habent, ut inter noxia & ſalutaria poſſint diſcernere. Si qua occaſio rei bene gerendæ ſe offert, ea vel non advertitur, vel exigui ſumptûs cauſâ negligitur, vel neſcitur quomodo eâ ſit utendum. Pericula impendentia non providentur, vel vana ſpe aliqua, aut fallaci perſuaſione parvi penduntur. Irrepunt proditores, qui ſtatum rerum & ſecreta pandant hoſtibus. Inter proceres odia ſuſcitantur & inimicitiæ privatæ, quibus ut indulgeant, alter alterius conatus & ſucceſſus etiam cum damno publico ſtudet impedire. Ærarium impenſis parum neceſſariis abſumitur; naſcuntur ſeditiones militares, quibus poſteaquam provincia eſt vaſtata, & vires hoſtiles adauctæ, infinita vis pecuniæ, qua bellum geri poterat, eſt profundenda, ut damna inferre deſinant. Denique dum omnes ſuis ſtudent commodis: nec cuiquam bonum publicum eſt cordi, omnia ad extremam vergunt perniciem.

His itaque perſpectis, Auditores, amemus virtutes illas, quæ Angelis affines, eoſdem nobis concilient, fugiamus vero peccata, quibus infeſtantur, offenduntur, & ad iram provocantur; ut ita non ſolum eos habeamus amicos in terris, ſed cohæredes etiam in cœlis.

CONCIO V.

QUID DEBEAMUS ANGELIS Cuſtodibus.

I. *Honorem.*
II. *Timorem.*
III. *Amorem.*
IV. *Familiaritatem.*
V. *Obedientiam.*
VI. *Imitationem.*

THEMA.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

In

A. IN libro Tobiæ cap.12. legimus, Tobiam Patrem filio pecunia & oculis sibi restitutis, filium accersisse & cum eo deliberasse, quid rependere deberent viro (qui erat Raphael angelus) à quo hæc beneficia obtinuissent. *Quid possumus dare viro isti sancto?* ait Pater. Cui filius. *Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse ejus beneficiis?* Quibus ordine commemoratis, subdit rursum: *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* Et vocantes eum Pater scilicet & filius tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

Docent nos, Auditores, optimus ille Pater, optimus & filius, quid nos tutoribus nostris angelis debeamus. Nemo enim nostrum est qui non habeat suum Raphaelem toto vitæ suæ itinere comitem, custodem, ductorem, medicum, defensorem. Interrogo igitur vos, filii in Christo: Quid possumus dare Angelis istis sanctis pro tantis beneficiis, per tot annos in nos collatis?

B. I. *Honorem.* Primo honorandi sunt. Et primo quia natura nobilissimi, & quasi Aulici Dei, respectu quorum nos stabularii & mancipia tantum sumus. Iam si servi Assueri flectebant genua Amani, quia primus erat in aula regis; quanto magis nos veneramur Angelos, qui sunt Aulici Dei & tantum nos excedunt, ut vel infimus Angelus nobilior sit quam tota humana natura.

Secundo, quia Dei legati, ad nos destinati, Dei personam repræsentant. Unde ait Dominus Moysi Exod. 23. de Angelo ductore exercitus Israelitici: *Nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo*, quasi diceret: Angelus hic personam, autoritatem, & voluntatem meam repræsentat.

Tertio, quia sunt Pædagogi & Magistri nostri. Quod si parentibus nostris plurimum debemus, quia dant nobis vivere: plus certè adhuc magistris nostris, quia dant nobis bene vivere. Sic honoravit Iosue angelum, quando ante eum corruens in terram pronus, dixit: *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Ios.5. Sic honorabat Raphaelem suum Tobias junior, quando vocavit eum Dominum suum, Tob.6. *Domine invadit me.* Sic Sacerdos ille de Societate Iesu, qui, ut refert Crombecius de studio perfectionis lib.2. cap.2. angelo suo custodi eam reverentiam deferebat, ut quotiescunque portam aliquam ingrederetur Angelo tutelari primas in ingressu relinqueret. Nec vanè; siquidem die quodam, dum singulari studio locum eidem cederet, visibilis angelus transiit, & gratum sibi esse hujusmodi obsequium declaravit.

C. II. *Timorem* Secundo timendi sunt. Primò, quia natura potentes sunt, & adeò quidem ut unum angelum legamus una nocte occidisse centum & octoginta quinque millia virorum, 4. Reg. 19. Imo unicus Angelus spectata sua natura posset interimere omnes homines.

Secundò, quia potestatem à Deo habent puniendi peccata nostra. Unde de eo dicitur ad Moysen: *Nec contemnendum putes* (Hebr. nec eum ad amaritudinem provoces) *quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.*

Tertiò, quia omnia nostra acta videt, notat & Deo omnia per se videnti repræsentat tanquam testis vitæ nostræ. Hinc Apostolus 1.Cor.11. præcipit ut mulieres habeant potestatem, id est, velamen super caput suum propter Angelos; quia sc. Angeli testes sunt pudoris & impudentiæ. Hinc S. Bernardus sermon.11. in Psalm. *Qui habitat*, ait: *Cautè ambula ut scilicet cui adsunt Angeli, (sicut eis mandatum est) in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe; Tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?* Sic faciebat Abbas in vitis Patrum lib.7. c.44. qui rogatus, quænam ejus esset quotidiana exercitatio, respondit: *Ego Angelum meum mihi assistentem juxta me exspecto, & custodio memetipsum, quod scriptum est, reminiscens: providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. Timeo ergo eum ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum & insinuantem actus meos & verba.*

D. III. *Amorem.* Tertio amandi sunt. Primò quia sunt concives nostri & cohæredes regni Christi, ad quorum choros electi transferentur.

Secundo, quia sunt ministri nostri, seu, ut loquitur Apostolus ad Hebræ. primo, *administratorii Spiritus*, perpetuò de nobis soliciti, & circa nos occupati. Unde S. Bernardus sermon.2. in Vigil. Nativitat. Domini, ait: *Quantum putatis desiderant cives cœlestes instaurari civitatis suæ ruinas? Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros & ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes? plane non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri.* Sic Bernardus. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua*, ait Eccles. cap. 2. Deinde omnia nostra opera bona mox cum laude, congratulatione, & ostentatione repræsentant Deo & Sanctis. Unde Tob. 12. *Quando derelinquebas prandium tuum & mortuos abscondebas per diem in domo tua & nocte sepeliebas eos:* inquit Raphael, *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Denique animas nostras ad cœlum evehunt.

Tertiò, quia ipsi amant hos, quos à Christo sic amatos esse vident: Unde S. Bernardus serm. 1. in festum sancti Michaelis ait: *Ipsi amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certè vulgari quodam proverbio: Qui me amat & canem meum. Nos verò ô beati Angeli, Catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, &c.*

E. IV. *Familiaritatem.* Quarto, familiares habendi & faciendi sunt. Primò ut ipsos in necessitatibus nostris omnibus familiariter invocemus, & ad eos velut ad parentes nostros cum fiducia recurramus. Sic etiam faciebat

Petrus Faber è primis sancti Ignatii sociis unus, qui in omnibus urbibus & Ecclesiis, quas intrabat, salutabat Angelos tutelares locorum eosque pro salute incolarum solebat invocare. Histor. Societat. Iesu tom. 1. lib. 1. num. 29. Ita monet sanctus Bernardus serm. 12. in Psal. *Qui habitat: Habetote familiares Angelos fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione & devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.* Et alibi. *Ut ampliorem de cætero erga beatos Angelos habeatis fiduciam, familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilium.* Ergò quoties in tentatione & periculo versaris, clama ad eum cum Tobia: *Domine invadit me*, Tob. 6.

Secundo ut ne in conspectu eorum indecens & indignum quid committamus, adeoque ipsos peccatis nostris fugemus. *Quemadmodum enim apes*, ait sanctus Basilius Conc. 9. in Psalm. 33. *fugat fumus & columbas graveolentia expellit: sic custodem vitæ nostræ Angelum lachrymosum & graveolens abigit peccatum.* Sanctus Bernardus serm. 1. de S. Michaele ait: *Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, & in his maxime exercendum in quibus novimus eos oblectari; sunt enim plura, quæ eis placent & quæ in nobis invenire delectat ut sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis.* Et S. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Coloss. ait: *Si Angelum habemus, sobrii simus tanquam si pædagogi quidam nobis adessent.*

Tertio ut culpas nostras, quas in eorum oculis contrahimus deprecemur assidue, & cum humili pudore veniam precemur. Si enim id facimus hominibus, cum in eorum præsentia quid indecorum gessimus aut locuti sumus: Quanto magis faciendum Angelis custodibus.

F. V. *Obedientiam.*

Quinto solerter audiendi sunt cum nos ad bonum ducunt. Ita monet Deus Exod. 23. *Observa & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo*, (Chald. habetur: in nomine meo est verbum illius) quasi diceret: quidquid præcipit, meo nomine præcipit. Primo ergò audiendi sunt, quia quæ monent, Dei nomine monent.

Secundo quia rebelles tandem desinent monere. Sic enim dicunt apud Ieremiam cap. 51. *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* In quem locum scribit Origenes, Animam, quæ in vita correptiones Angelorum contempsit deseri ab iisdem in agone mortis, cum undique à morbo, mundo, carne, dæmonibus impetitur maximeque imbellis & infirma est ad resistendum. *Sicut medicus*, inquit, *derelinquit ægrum, de cujus curatione desperat, ne inter manus suas expirans, causam interitus ejus ad se retorqueat.* Sic minatur Deus Isa. 5. vineæ ingratæ: *Auferam sepem ejus & erit in direptionem, diruam maceriam ejus & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, &c.*

Qua de re audi Originem hom. 20. in cap. 25. Num. *Si homo*, inquit, *non acquiescit monitis Angeli, qui sibi deputatus est ad salutem, auferetur maceria ejus & erit in conculcationem. Quod si Princeps meus, Angelum dico, qui est mihi consignatus, commonuit me de bonis, & locutus est in corde meo, sed ego contemptis ejus monitis & spreto conscientiæ retinaculo, præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris vel pro facinore commisso.* Sane Ioannes Carera Societ. Iesu, tametsi vir eximiæ sanctitatis, qui horis antelucanis excitari solebat ab Angelo, cum aliquando languore victus, non illicò surrexisset, beneficio illo Angeli ad plurimos dies privatus fuit. Histor. societ. lib. 11. numer. 66.

Tertiò, quia refractarios illos accusabunt in judicio tanquam maximi eorum hostes.

G. VI *Imitationem.*

Sexto imitandi sunt, quoad possumus; hoc enim in peculiarem eorum honorem cedet: si ipsis nos accommodare studuerimus. Ergo Primo, sicut ipsi custodiunt nos & promovent ad cœlum: ita & nos studeamus servare & cœlo transcribere proximos nostros, eos præsertim quorum cura ex officio nobis incumbit. Unde sanctus Chrysostomus in cap. 1. Epist. ad Hebr. ait: *Hoc est angelicæ functionis officium, ad salutem hominum ministerium Deo persolvere; proinde est opus angelicum, omnia facere pro salute proximorum, magis autem hoc est opus Christi.*

Secundo, sicut Angeli in animarum sibi commissarum custodia omnem quidem diligentiam præstant, sed, eventus quicunque sit, nihil de tranquillitate vel beatitate sua deperdunt: sic in juvandis proximis omnem quidem operam adhibere debemus; Cæterum si minus proficimus, nihil inde perturbari. Hac in re imitandos esse Angelos monuit sanctus Ignatius Loyola Ioannem Baptistam Violam, ut in hist. societ. lib. 13. n. 18. t. 1.

Tertio, sicut ipsi dum nos custodiunt, semper interim vident faciem Patris cœlestis: sic etiam & nos dum variis negotiis distinemur, interim Deum nobis præsentem contemplemur, vel crebrò saltem oculos ad ipsum elevemus. Deinde assiduis suspiriis Deum requiramus, & quasi mox venturum, à longe avidis oculis contemplemur. Talis angelus fuit sanctus Antonius, qui sæpe per integram noctem eodem vestigio stans cœlum & per cœlum contemplabatur Deum.

Quarto sicut Angeli semper vigilant operique Dei intendunt, semper se occupant & omnia considerant: sic vita mortalium sit vigilia & continua operatio mortisque expectatio juxta monitum salvatoris: *Vigilate*, Marc. 13.

Quinto sicuti Angeli paucissimis indigent (non enim egent victu & amictu, non somno, non equo vel curru, non pecunia, non domo, non lecto, non supel-

supellectile) ita nos quoque paucis contenti simus, *sciamus* cum Apostolo ad Phil. 5. *abundare & penuriam pati*; ut possimus dicere cum Socrate nundinas contemplante: *Quam multis ipse non egeo?* In hac re imitandos angelos scribit S.Chrysostom.hom.79. in Ioan.t.3.

CONCIO VI.

EXPEDITIONES SANCTI Michaelis.

I. Prælium cum Lucifero.
II. Altercatio pro sepulchro Moysis.
III. Concertatio cum Angelo Persarum.
IV. Pugna cum Dracone in die judicii.

THEMA.

Quis putas major est in regno cœlorum? Matth.18.

A. OMnibus quidem angelis maxime custodibus vehementer obstricti sumus, ut eis amorem, venerationem ac preces nostras deferamus: præ cæteris tamen adstringimur sancto Michaeli. Primò, quia Ecclesia credit eum suum esse præpositum, qui olim fuerat synagogæ ut patet Daniel.10.& 12.ex quo synagoga transiit in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia, quæ ante Christum fuit in Iudæis, & quæ nunc est in Christianis. Quis autem neget supremum Ecclesiæ,(post Deum) præpositum & communem tutelarem, majori obsequio & cultu dignum esse, quam cæteros privatos singulorum custodes? Secundo quia multa sunt argumenta admodum probabilia, quæ ostendunt Michaelem esse principem omnium Angelorum, qui post casum Luciferi in veritate perstiterunt: siquidem scriptura eum ducem & principem angelorum facit, sicut Ducem militum. Quis autem nescit Ducem exercitus majorem jure obtinere nominis celebritatem & honorem, quam subjectos ejus milites? Denique quia præclarissima quoque prælia & certamina in SS. literis Michaeli assignantur, ex quibus ejus gloria & virtus præcellentior aliis, facile deprehenditur. Unde hodie in officio Ecclesia de eo canit: *Multa magnalia de Michaele Archangelo, &c.* quæ causa sunt, cur hodie Ecclesia, cum in genere quidem omnium SS. Angelorum festum celebret, speciatim tamen & nominatim S. Michaelis. Quales vero expeditiones S. Michaelis sint videamus.

Refert Sixtus Senensis libro 1. Bibliothecæ, ex quibusdam Hebræis, Iudam Mathathiæ filium, cum adversus Antiochum Iudæorum hostem præliaturus esset, dedisse militibus suis ceu belli tesseram, sententiam illam Moysis Exod. 15. *Quis sicut tu in fortibus Domine?* Hebraice: *Mi chamocha bealim Jehova?* Iussisse vero Iudam ejus sententiæ initialia verba inscribi singulis vexillis, videlicet M. C. B. I. (quo modo Romani scribebant S. P. Q. R. Senatus populusque Romanus) pro certo confidens, quod in hoc symbolo superaturus esset omnes Dei hostes. Ex quo symbolo Iudas dictus est Machabi, id est, Machabæus: formato scilicet nomine ex quatuor illis initialibus litteris. Simili eventu videtur sanctorum Angelorum Principi datum hoc nomen, *Michael*, quod Latine sonat. *Quis ut Deus?* Hanc enim militarem tesseram gessit Michael in omnibus suis certaminibus, eamque angelis cæteris velut militibus suis assignavit, ut videlicet conarentur propugnare honorem Dei contra quosvis adversarios. Et quemadmodum Iudas Machabæus honoris Dei insignis Zelator virtute symboli sui, maximas obtinuit de hostibus Dei victorias: Sic etiam S.Michael virtute symboli sui, ut ex illis, quas in sacris litteris suscepisse legitur, expeditionibus constabit.

B. I. *Prælium cum Lucifero.*

Prima ejus expeditio fuit quam suscepit primo creationis mundi, & angelorum die contra Luciferum ejusque socios perduelles: de quo scribit Isai. cap. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium. Similis ero altissimo.* Hanc intolerandam Luciferi temeritatem & superbiam Deique summi contumeliam, non ferens Michael, acerrimus nimirum honoris Dei propugnator, illo suo symbolo (*quis ut Deus*) cœlestium spirituum agmina accendit & mox in hostem movit, eumque cœlo exturbavit & ad inferos demersit; sicut testatur sanctus Ioannes Apocal. duodecimo (juxta communem Theologorum expositionem cum Magistro sentent. in distinct. 6. Divus Thomas 1. p. quæst. 63. artic. 8.) cum ait: *factum est prælium magnum in cœlo. Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & angeli ejus, & non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit universum orbem. Et projectus est in terram & angeli ejus cum illo missi sunt.* Sic Ioannes. Igitur Michael quasi acutissima hasta Luciferum confodit dicendo: *Quis ut Deus?* & tunc omnes cœlestes spiritus Lucifero exprobrarunt id, quod Isaias dixit: *Quomodo cecidisti Lucifer? &c.* Tunc, ut Ioannes subdit, omnes magna voce in cœlo dicebant: *Nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, &c.* Et de hoc Luciferi casu dixit Dominus, Luc. 10. *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Pro quo sciendum angelos in primo instanti fuisse viatores & liberos ad bonum & malum amplectendum.

dum. Quorum quidam Duce Lucifero se superbè erexerunt, & inordinate appetierunt beatitudinem suam, dum nimirum appetentes sibi beatitudinem naturalem, de supernaturali non cogitarunt, atque ita ad illam se non ordinarunt, vel appetentes beatitudinem supernaturalem non cogitarunt de divino auxilio, ad eam consequendam necessario, atque ita interpretativè appetierunt Dei similitudinem. Contra hanc temeritatem consurgens Michael cum Angelis suis pugnavit contra Luciferum, dum superbiam illius detestatus est, & se Deo suo subjecit, indeque quasi ex commissione à Deo accepta adversarium deturbavit. Possumus hoc intelligere exemplo illius commissionis, quæ Serenissimo Duci Bavariæ commissa est veluti capiti fœderis Catholici, ab Imperatore contra Fridericum Palatinum, qui contra Imperatorem se erexerat, &c. qui Dux quoniam insigni Zelo Imperatoris honorem defendit, ideo expulso de Imperio Friderico merito ab Imperatore in locum illius evectus & Elector factus est, quomodo Michael in locum Luciferi, Princeps omnium angelorum factus est. Qua in re cernimus ferventissimum Michaelis Zelum pro honore Dei: siquidem ipse primus vexillum hoc erexit & palam exclamavit? *Quis ut Deus?* ac proinde merito princeps omnium Angelorum constitutus creditur. Quemadmodum enim sanctus Petrus maximum ostendit fervorem præ omnibus discipulis, cum interrogante Domino, Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis?* ipse præ omnibus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi:* & in oliveto, cum capto Domino ipse eduxit gladium, & percussit unum è comprehensoribus, ideoque merito Princeps Apostolorum & Ecclesiæ à Domino constitutus est. Sic videre etiam est in Michaele: cujus exemplum certe imitari deberemus, quoties in nobis vel in aliis aliquid advertimus, quod Dei honori adversatur. Quoties ergo exsurgit in corde tuo superba cogitatio, dicito: *Quis ut Deus?* Quoties audis quempiam blasphemantem, vel alia mala patrantem, &c. dicito: *Quis ut Deus?* Placebit Deo hic Zelus, & magnam merebitur laudem, quemadmodum Michaeli ea ipsa verba, quibus honorem Dei propugnavit, pro nomine remanserunt ad ipsius gloriam.

C. II. *Altercatio pro sepulchro Moysis.*

Secunda expeditio illius erat, quam rursum suscepit contra dæmonem propter sepulchrum Moysis: de qua sanctus Iudas in Epistola sua can. ait: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Hæc Iudas. Hujus vero altercationis variæ redduntur causæ ab Interpretibus. Oecumenius ait: *Dicitur Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Mose, id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat, Mosen indignum esse sepultura, eò quòd occidisset Ægyptium, eumque sepelisset in sabulo, & propterea non permittebat, ut honorificam consequeretur sepulturam.* Hæc Oecumenius. Aliam causam fuisse altercationis putat Nicolaus Serarius in eum locum, quòd Diabolus coleretur in Phogor vicino loco, ideoque eum non tulisse juxta se reponi corpus tam sancti viri qualis erat Moyses, ac timuisse, ne ab ipso vel loco pelleretur vel obmutescere cogeretur: quemadmodum apud Matthæum cap. 8. similem ob causam clamabant contra Christum dæmoniaci seu dæmones potius: *Quid nobis & tibi, Jesu fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos.* Deniq; communiter assignatur illa causa: quod cum Deus voluerit Moysen ab angelis occulte sepeliri & nesciri ab hominibus ejus sepulchrum, ut habetur Deuteron. 34. ne Iudæi ad Idololatriam proni illum pro Deo colerent; tandem diabolus voluerit Iudæis revelare & indicare sepulchrum Moysis, ut sic ad Idololatriam eos pertraheret. Hoc ergo ne fieret adeoq; ne Iudæorum salus & Dei honor periclitaretur: in campum descendit Michael explicatoque vexillo suo, *Quis ut Deus*, diabolum impedivit & à sepulchro repulit: atque ita Dei honorem strenuè propugnavit, cum Idololatriam impedivit. Unde rursum:

Patet primo quantum erga Dei honorem Zelum gesserit, docens nos ut omni quo possumus modo impediamus Dei offensam.

Secundo ex hac altercatione Michaelis ostenditur ejus reverentia erga divinum nomen, dum *non est ausus diabolo judicium inferre blasphemiæ*, verbi gratia, dicere: *Disperdat te Dominus*, vel quid simile, sed tantum dixit: *Imperet tibi Dominus.* Quod si supremus Angelus non fuit ausus maledicere Diabolo, metuens ne qua ratione per ejusmodi maledicentiam Deus offenderetur: qua fronte audet frater fratri maledicere?

Tertiò ostenditur in hoc facto, solicitudo sancti Michaelis pro animabus sibi creditis, à quibus offendiculum lapsus tam serio removebat: non sine altercatione. O si nos vicissim ita fugeremus scandala & occasiones peccati, quomodo custodes angeli eas amovent?

D. III. *Concertatio cum Angelo Persarum.*

Tertia est non tam pugna aut expeditio, quàm amica quædam concertatio seu potius executio divinæ voluntatis contra Angelum Persarum bonum, facta pro liberatione Iudæorum è captivitate Babylonica. De qua legimus Danielis capite 10. cum enim Daniel lugeret ob captivitatis prolongationem & pro liberatione Deum oraret, apparuit ei Gabriel Angelus & dixit: *Exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos: Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, &c.* Pro quo sciendum, angelum Persarum, seu qui Persidis Provinciæ præerat, bonum fuisse, eumque contendisse, ut Iudæi detinerentur in captivitate Babylonica, tum quod ipsi his malis meliores fierent, dante vexa-

vexatione intellectum: tum quod eorum consuetudine multi ex Persis relicta Idololatria ad veri Dei cultum perducerentur. Contra Gabriel Hebræorum Angelus præses eorum liberationem urgebat justissimas ob causas: tum quia ob Persarum consuetudinem multi Iudæorum pervertebantur, & ad Idololatriam pellicebantur: & ita veri Dei cultus periclitabatur: tum quia inter Hebræos captivos plurimi erant sanctitate præstantes, uti Daniel & alii, qui tam diuturnam servitutem non meruerant: denique quia opus erat Deum stare promissis, qui videlicet pollicitus fuerat eam captivitatem, non amplius quam septuaginta annis duraturam, Ieremiæ capit. 29. quod tamen tempus jam effluxerat. Quam causam urget Zachariæ cap. 1. Angelus dicens: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Ierusalem & urbium Iuda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est*, quasi diceret: cum jam effluxit tempus præstitutum, oportet jam impleri promissionem: Et hæc sancta & fraterna bonorum Angelorum contentio, qua quisque pro sibi creditis animabus sollicitus erat, duraverat 21. diebus, dum scilicet eis divina voluntas nondum erat explorata: fiebat autem non armis, sed rationibus & orationibus, quas pro suis quisque alligabat apud Deum. Quia tamen Hebræorum Angelus meliorem tuebatur causam, quæ magis faciebat ad Dei honorem: in sententia vero Angeli Persarum periclitabatur Dei honor, si Iudæi ad Idololatriam perverterentur, ac præsertim si Dei promissio non impleretur, & inde reges Persarum vero Deo insultarent, quasi non posset de manibus eorum liberare populum suum: idcirco Michael venit in adjutorium Gabrielis sive allegando coram Deo pro illo, sive exequendo divinæ voluntatis decretum ad liberandum è captivitate populum: idque suo illo symbolo: *Quis ut Deus?* Itane decet ut ab Hebræis in captivitate ficti adorentur Dii: *Quis ut Deus?* Itane Deus noster falsitatis & impotentiæ arguetur, quasi non velit aut possit præstare id quod prædixit? *Quis ut Deus.*

Unde colligitur primo sancti Michaelis dignitas & potestas, qui nimirum soleat ad reliquos inferiores angelos accurrere: & cujus ope etiam Gabriel indiguerit.

Deinde solicitudo pro populo suo, ne is seduceretur à gentilibus & diutius premeretur in servitute.

E. IV. *Pugna cum Dracone in die judicii.*

Quarta expeditio omnium maxima & celeberrima à Michaele suscipienda erit in die Iudicii, quando pugnabit cum Dracone & Angelis ejus omnibusque reprobis, eosque dejiciet in infernum; de quo ad literam intelligendum est id, quod Ioannes capite duodecimo scribit & supra recensui. Videtur enim ibi Ioannes utrumque hoc prælium, primum scilicet & ultimum Michaelis contra Luciferum eodem schemate depingere, utpote similia, voluisse. Dum enim dicitur in cœlo prælium id perfectum esse, sumi potest tam pro cœlo empyreo, quam pro Ecclesia: & exponi tam de præterito quam de futuro, juxta morem scripturæ. Igitur tunc pugnabit Michael & Angeli ejus boni, velut ejus milites, cum Dracone & angelis ejus, & non valebunt isti, neque locus eorum invenietur amplius in cœlo, id est, in Ecclesia, & projicietur Draco in terram ad inferos: & tunc plene cantabunt omnes Sancti: *Nunc facta est salus & virtus & regnum Dei & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum.* Et de hoc eodem prælio locutus est ad Danielem Gabriel Angelus Daniel. duodecimo, cum ait: *In tempore illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usque ad illud.* Ubi Archangelus prædicit Michaelem tanquam Ecclesiæ totius præsidem, rursum in campum descensurum pro fidelium defensione, imprimis vero pro divini nominis honore, quem sibi impudentissime vindicabit Antichristus, tuendo, eaque omnia peracturum, quæ ex Ioanne audivimus; unde is locus Ioannis, hunc Danielis explicare videtur. Tunc Michael velut omnium prædestinatorum signifer explicabit vexillum suum, & cum Sanctis omnibus clamabit: *Quis ut Deus? Et tunc revelabitur ille iniquus*, ut inquit Apostolus 2. Thess. 2. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Quo loco D. Thomas, per spiritum oris Domini intelligit Michaelem, qui velut spiritus & turbo ab ore Iudicis Christi reprobos condemnantis, procedens irruet in adversarios Dei, eosque in infernum demerget. Denique in cujusque hominis obitu particularem suscipit expeditionem, ad exequendum divinum decretum circa animam, quæ judicatur, ut illam vel in cœlestibus locet sedibus pro cujusque merito, vel ad inferos detrudat. Si enim in universali judicio pugnabit pro Deo & fidelibus contra Draconem, & exequetur Dei judicium: cur non item in particulari cujusque? sic enim de illo canit in hodierno officio Ecclesia: *Archangele Michael constitui te principem super omnes animas suscipiendas.* Et in Missa pro defunctis Ecclesia orat, *ut signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam.* Hocque indicat vetusta illa Michaelis imago, qua pingitur dextera manu evaginatum stringens gladium, sinistra vero tenens libram, in cujus una lance anima; in altera Diabolus sedet. Quæ imago non indicat Michaelem esse ipsum animarum Iudicem, sed vel præsentare animas ad judicium, vel esse executorem divinæ justitiæ: si anima sit justa, diabolum feriat; si peccatrix, ipsam. Cujus rei figura fuit angelus ille (idem ipse Michael tanquam præpositus Synagogæ) qui Balaamo in angustia duarum maceriarum obstitit stricto gladio, quando asina sub Propheta corruit, Numer. 22. Corruet enim aliquando asina corporis nostri & obviabit nobis Michael inter angustias dua-

duarum maceriarum, hoc est, inter spem gloriæ & metum gehennæ, seu inter temporalem & æternam vitam, ubi regredi non licebit, progredi terribile erit? Ibi inquam obviabit nobis stringens gladium sive contra animam, si rea inventa coram Deo fuerit sive contra accusatorem diabolum, si injustè eam accusaverit. Igitur cum Ecclesia in hodierna Missa dicamus: *Michael dux in prælio, adsis nobis in tremendo judicio, &c.*

CONCIO VII.

DE SS. ANGELORUM PERFEctione, & natura imitanda ex eorum picturis tracta.

I. Angeli pinguntur forma humana.
II. Specie virili.
III. Forma juvenili.
IV. Nudo capite.
V. Crispis capillis.
VI. Alis.
VII. Candido vestitu.
VIII. Discalceati.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

A. NOta nobis est utique historia illa Genes. 28. ubi vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam. Quid vero hoc visio significet, Tertullianus libr. 3. contra Marcionem docet: *Scala hæc*, inquit, *est via, qua justi ascensiones in corde suo disponunt in cœlum.* Hinc etiam Barlam ad Iosaphat apud Damasc. in histor. cap. 20. ait: *Virtutes quasi scalæ quædam cœli sunt.* Hujus duo latera, fides sunt & bona opera, gradus virtutes sunt; Ascensus, vita contemplativa: descensus activa. Sed qui sunt, qui per hanc scalam scandunt? Iusti utique qui ut ad Deum & Superos venire queant, angelorum induere virtutes & perfectionem debent. Sic enim etiam Christus Dominus Matth. 22. de Electis in cœlo ait: *Erunt sicut angeli in cœlo.* Quod si in cœlo inter angelos versari, ad eorum choros acceptari, & esse instar angelorum volumus, justum est ut angelorum virtutes & naturam quantum fieri potest, imitemur in terris. Videamus ergo nunc, quales angeli sint, ut videri possimus quales nos esse debeamus.

Angelorum perfectiones ex picturis eorundem licet intelligere.

B. I. *Ang. pinguntur forma hum.* Primo pinguntur humana facie & forma, quia in ea sæpius apparuêre. S. Thom. 1. p. q. 51. art. 2. forte ut sic amorem ergo nos suum explicarent, & reciprocum à nobis erga se exigerent; similitudo enim amorem causat. Qui alicui Duci pugnanti in subsidium veniunt, ejus librea seu colore armorum amicti veniunt, ut amici agnoscantur. Similiter sancti angeli, quia in subsidium nostrum missi sunt, vestibus se nostris, nostra se librea induunt, ut sic intelligamus eos amicos esse nostros, *& in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ut ait S. Paulus ad Hebræos 1. Angeli esse debemus; quoties proximum nostrum periclitantem vel in adversitate constitutum videmus; & hoc quanto æquius quam angeli? sunt illi sublimioris naturæ, quam nos simus, nobis nihil obligati, nihil à nobis accipiunt mercedis, & tam sedulo nobis succurrunt: nos qui natura & fide pares sumus, proximis non subveniamus? Magnum profecto dedecus erat illius sacerdotis & Levitæ, qui cum essent secus hominem illum Iudæum vulneratum à latronibus Lucæ 10. *viso tamen illo præterierunt*: si consideretur præsertim Samaritanus, qui cum esset *alienigena*, venit tamen secus illium *& curam illius egit.* Et non tibi dedecus, cum in judicio tibi legetur, quomodo tu prætereris proximum tuum in afflictione jacentem; cum angeli tamen alienigenæ eum collegerint?

C. II. *Specie virili.* Secundo virili specie (uti apparuerunt Lucæ 4.) ob naturæ perfectionem & fortitudinem excellentem. A parte rei, sexus nullus est inter angelos, sed virilis tantum animus, non muliebris. Quam se viros præstiterint sancti Angeli præsertim in vindicandis Dei sui injuriis vel exinde satis patet: quod 4. Regum 19. unicus Angelus ob blasphemiam Sennacherib, centum octoginta quinque millia Assyriorum occiderit. Ejusmodi viros præstare se deberent Christiani, ii maxime qui potestate aliqua sunt præditi, adeoque suo modo Angeli sunt & directores aliorum; nimirum scelera publica sibi subjectorum maxime audacter arguere & graviter castigare. Quid enim sentias de satellite, qui patiatur fures aut siccarios intrare in cubiculum regis sui, qui non audeat oblatrare nec eos expellere? num tu virum illum existimabis? passus id erat Abner Dux Saulis, Davidem scilicet hostem, intrare ad specum Domini sui & auferre illi scyphum & hastam, 1. Regum 26. Quod exprobrat ei David inquiens: *Nunquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti Dominum tuum regem? ingressus est enim unus de turba ut interficeret regem Dominum tuum. Non est bonum hoc quod fecistis: Vivit Dominus quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini.* Quot homines mali sunt, qui passionem Christi inhonorant, convitiantur? Nunquid vir est, qui hoc patitur? Vivit Dominus quia filii mortis sunt.

Ter-

Tertio Iuvenili forma & imberbes (illa enim forma apparuerunt, uti Marci ultimo) ob naturæ speciositatem & fulgorem nunquam senescentem, semper florentem; & quia Angeli, quæ volunt immobiliter volunt, nec mutant consilia & proposita, quæ semper & necessario bona sunt & voluntati divinæ conformia. Hujusmodi juvenis erat Caleb qui in senectute sua 85. annorum fatetur se æque valentem esse ac semper fuisse atque in juventute cum esset 40. annorum Iosue 14. Idque merito ei concessit Deus, quia constanter se gessit in commendatione terræ promissæ: licet enim fratres ejus dissolverent cor populi, nihilominus tamen secutus est Dominum Deum suum, ut ibi ait de se ipse. Pauci tales Caleb, plures, qui incipientes progredi in terram promissam, difficultate territi retrocedunt. Similes cancris qui modico obstaculo animadverso resiliunt. Tales Israelitæ reliqui in deserto, Ægyptum repetentes. Talis Salomon, qui optime cœpit, *at cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*, ut dicitur 3. Regum 10. His accedunt gentiles imperatores: Nero, qui initio Imperii optimam ostendit indolem, graviora vectigalia aut abolevit aut minuit; cumque suppliciis capite damnatorum ex more subscribere moneretur, dicebat: *Quam vellem nescire literas!* teste ejus præceptore Seneca libro 2. de Clementia, postea vero sævissimus Tyrannus & in gentiles & in Christianos effectus est. Domitianus initio ab omni abstinuit crudelitate & optimas leges sanxit: à cæde ita adhorruit, ut edicere destinaverit, ne boves immolarentur, teste Suetonio, postea vero sanguinem tam civium quam Christianorum sitivit, & persecutionem in hos movit. Severus Imperator initio favit Christianis, postea in eos rescriptum dedit. Similiter Antonius ejus filius, à pueritia mitis, adultior truculentus factus est, ut in Baronio.

E. IV. *Nudo capite.*

Quarto aperto capite ob reverentiam erga Dei majestatem quam semper intuentur, semperque reverentur, propterea etiam nunquam in cœlo sedere sed stare tantum & assistere vel cadere dicuntur à scriptura veluti Apocal. 7. ubi dicitur: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum.* Si cum homine angelum comparemus, tanto perfectior & splendidior est illo, ut ejus majestate territi viri etiam sanctissimi ad terram ex timore prostrati fuerint. Ita enim Daniel cap. 10. audiens loquentem sibi angelum, *emarcuit nec habuit quidquam virium, & jacebat consternatus super faciem suam.* Similiter Ioannes Apocal. 22. *cecidit ante pedes Angeli ut adoraret eum.* Quod si tanta est majestas unius angeli, ut cadant ante eos viri sanctissimi, quanta erit majestas Dei, ante quem cadunt angeli: Quanta igitur reverentia, quanto timore, quanta humilitate accedere debet *ad Deum procedens e palude sua & repens ranuncula vilis*; ait sanctus Bernardus serm. de 4. modis orandi: Quid diceremus, si videremus in aula regis omnes aulicos nudo capite ante regem prostratos eum revereri, rusticum vero aliquem inter eos sedere tecto capite? S. Chrysostom. lib. 6. de sacerdotio scribit, senem quendam venerabilem vidisse sub officio missæ angelorum multitudinem altare circumdantium, atque sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente rege videat. Discant hinc Christiani qua religione in templo versari debeant.

F. V. *Crispis capillis.*

Quinto. Crispis capillis, ob perfectionem cogitationum, quam omnes in Deum ejusque gloriam sursum reflectunt. Etsi enim in terris versantur custodes nostri & alia agere videntur, Deum tamen semper vident & cor in Deo fixum habent, omnesque actiones suas in eum referunt. Simili modo nos cogitationes nostras semper in Deum reflectere deberemus, licèt eæ interdum circa res creatas versentur. Certè multi canes sunt, qui captam multo cursu prædam ad Domini pedes mordicus apprehensam ferunt. Tales sunt sancti angeli, qui in anima una capienda tota ejus vita occupantur, & quid inde sibi attribuunt? nihil, sed animam comprehensam in Dei sinum gestant, Deo acceptam ferunt. Id quod eorum nomina indicant. Raphael, *medicina Dei*; Gabriel, *fortitudo Dei*; Michael, *quis ut Deus?* seu *humilitas Dei.* Non vocantur fortitudo mea, vel quis sicut ego? simili modo sive quid agimus boni, sive accipimus, omnia Deo accepta referamus, & instar seniorum illorum coronas nostras ad Dei pedes jaciamus, Apoc. 4.

G. VI. *Alis.*

Sexto. Alati; sic enim Isaiæ 6. visi sunt: propter naturæ subtilitatem, juxta Chrysost. hom. 3. de incompræh. Dei nat. vel propter velocem in cuncta discursum juxta Hieronym. in cap. 6. Isaiæ: vel quia velocissimè Dei mandata exequuntur, juxta Paulinum natal. 8. & Dionys. de cœl. Hierarch. cap. 15. Pulchrè hanc angelorum promptitudinem describit David Psalm. 13. dicens: *Qui facit angelos suos spiritus.* Quæ verba Paraphrastes Chaldaicus sic reddit: *Qui facit angelos suos veloces sicut ventum.* Non malè, sic enim & venti pinguntur, tanquam angeli alati spirantes. Ut enim ventus nihil aliud est quam exhalatio à nube depulsa, regionem aeream & nostram celerrimè pervadens: ita & angeli à Deo ad nos missi, omnia celerrimè pervadunt & perficiunt, ac si à Dei mandato depulsi essent. Sed nec malè dixerim, si canibus venaticis, qui nobis etiam venti (Wind) vocantur, comparaverim. Ut enim isti non egent stimulatione, quâ ad leporem persequendum incitentur, sed sufficit illis monstrari feram; ilico enim post eam summo feruntur impetu: ita se res habet cum sanctis angelis. Ad terram enim veluti ad venationem magna sua delectatione descendunt, & sufficit illis monstrari à Deo occasionem quampiam venandi animam: sic enim ultro & maximo ad nos descendunt desiderio. Hinc ajunt de Zizaniis: *vis imus & colligimus*

mus ea? ultro sese offerunt ad divinas expeditiones. Utinam & nos angeli, & tales essemus canes, qui Dei voluntati tam promptè obediremus, ut coactione non egeremus! Ejusmodi servos habebat David, cum 2. Regum 23. desideravit aquam sitiens de cisterna Bethlehem dicens: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem!* neminem tamen eò mittere auderet, propter stationem Philisthinorum ibi morantem: statim enim irrumpunt tres fortes castra eorum & tulerunt aquam regi. Multa desideravit Christus, quæ petere vel præcipere noluit: Inter alia Matth. 8. desiderat locum ubi requiescat: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Item Marc. 8. desiderat esurientibus cibum: *non habent quod manducent.* O charissimi quam magnam prædam venari possetis? quam sæpe vobis ostenditur occasio prædandi? Quoties templum aliquod desertum & egenum videtis. Ecce filius hominis, non habet ubi caput reclinet. Quoties pauperem familiam: ecce non habent, quod manducent. O si quis daret mihi potum aquæ! An non igitur ultro curramus & volemus? Christus certè intellecta tantum necessitate nostra statim præsto fuit & succurrit, ut cum audiit: *vinum non habent.* Et: *Ecce quem amas infirmatur*, cur ergo non faciamus nos hoc & ipsi?

H. VII. *Candido vestitu.* Septimo Candidis vestibus ad designandam naturalem eorum puritatem, juxta Gregor. Nazianz. orat. 23. in laud. Hieron. vel etiam ad designandum eorum candorem & synceritatem. Candor enim synceritatem dicit, & ideo veteres Romani candidis vestibus iêre ad convivia. Quo candore pollent angeli naturaliter, quia uti substantiæ simplices sunt, non compositæ, ita nesciunt aliter apparere & aliud esse, vel simulate quidquam agere. Erat hic candor olim ita ingenitus Germanis ut germane & candide agere idem esset apud exteras nationes. Sed non apparent amplius hæ vestes in quam multis. In usu nunc habetur vestis Mezolana è peregrinis nationibus adducta, cum tamen Deus præceperit Deut. 22. *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* Vestis autem illa extra lanam, id est, simplicitatem operis: intus linum, id est, malitiæ subtilitatem continet, sicut explicat S. Gregorius l. 8. Mor.

I. VIII. *Discalceati.* Octavo discalceati. Hoc significat, ait Dionysius de cœl. Hierarch. cap. 15. quod liberi, absoluti & expediti atque ab exterioris omnis adjectionis labe sint puri; & ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Hac de causa jussit Deus Exod. 3. Moysi, cum eum ducem profectionis per desertum in terram sanctam constitueret, calceos exuere, quia nimirum decebat peregrinum & ad terram sanctam tendentem exuere curas & sollicitudines terreas. Omnes nos peregrinamur in hoc deserto & ad terram sanctam tendimus. Sicut ergo terra promissa typus cœlestis patriæ fuit, ita & solutio illa calceamenti Moysi mandata, typus est solutionis & libertatis spiritualis, qua pedes, id est, affectus nostros ab omni mortuo & terreno vinculo expedire, & ad iter nostrum aggrediendum præparare debemus. Moyse in deserto mortuo, postquam Iosue ejus successor cum populo terram promissionis ingredi cœpit, Iosue 6. tunc vidit virum contra se stantem evaginatum habentem gladium, qui Michael fuisse creditur, (ut ibi Lyra probat.) Cui Iosue: *Noster es*, inquit, *an adversariorum?* Et ille. *Nequaquam*: id est, nec vester nec adversariorum, (ut ibi Hugo Card. exponit.) *Sed sum princeps exercitus Domini.* Et subjungit: *solve calceamentum tuum de pedibus tuis*, quasi diceret; si vis, ut sim amicus tuus, solve calceamentum &c. Obstabit & nobis in articulo mortis vel Michael vel Angelus alius judicium particulare peracturus evaginato gladio. Væ tibi si in agone adhuc habeas opera mortua; bona aliena, affectus pravos, rancorem &c. quid enim hæc nisi turpissimi calcei coram Deo; Volumus igitur Iudicem illum invenire nostrum & amicum, non adversarium: solvamus hic calceamentum & liberemus animos nostros ab omni pravo & carnali affectu erga Creaturas.

CONCIO VIII.

PARVULORUM INNOCENTIA statuitur in Exemplum Christianis.

I. Immunes à superbia.
II. Ab avaritia.
III. A libidine.
IV. Ab invidia.
V. Ab iracundia.
VI. A gula.
VII. Ab acedia.

THEMA.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, Matth. 18.

A. Sagittariis & sclopetariis proponitur in medio tabulæ, vel parietis denigrati circulus exiguus & candidus pro scopo, ad quem jaculentur. Idem hodierno in Evangelio facit Christus Dominus. Volentibus enim intrare per angustam cœli portam, adeoque jaculaturis ad scopum æternæ felicitatis, proponit & statuit in medio discipulorum suorum scopum candidum nimium quantum exiguum, parvulum, inquam, innocentissimum & moribus candidissimum, ita, ut si ab hoc scopo aberremus, à regno cœlorum excidamus. Proponit, inquam, nobis

bis primam nostram innocentiam & vestem illam candidam, quam suscepimus in Baptismo, *&* retinuimus in pueritia, postea verò omnes perdidimus. Res ardua, Auditores, periculosus ludus, necessario tamen subeundus. Id enim confirmat Regius Psaltes Ps. 23. cum ait *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Vides quoniam & hic requirit innocentiam & omnimodam munditiem. Itaque attendat sibi unusquisque quomodo jaculetur & scopum hunc attingat. Atque ut cautius jaculemur, examinemus prius scopum nobis præfixum, parvulorum innocentiam.

B. I. *Immunes superbia*

Primo. Immunes sunt parvuli à Superbia. Nam primo ditiores & nobiliores non aspernantur inferiores, sed agunt & ludunt cum illis, ac cum paribus. Tales ergo & Christiani esse debent: Unde ait Apostolus ad Romanos 10. *Non est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*, & ad Gal. 3. *Non est Judæus neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus neq; fœmiua. Omnes enim unum estis in Christo Jesu.* Ideo olim Christiani vocabant se invicem *fratres*, quia nimirum ejusdem matris Ecclesiæ, & Patris Christi filij: uti ad Hebræos 3. ad Romanos 12. & 16.

Secundo. Non curant laudes, & vituperia, nec extolluntur de suis, quas habent, virtutibus, seu naturæ dotibus, ingenio, forma, natalibus &c. Ita Apostolus 1. Corinth. 4. monet, nequis adversus alterum infletur, idque suo exemplo docet: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer*, Et ad Gal. 6. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

Tertio. Non quærunt dignitates nec munditiem in vestibus, imo passim humi consident in pulvere, de vestium cultu nihil curantes. Ita Moyses adhuc puer in domo Pharaonis educatus, diadema à Pharaone sibi impositum, de capite in humum prolabi passus est, imò & pedibus conculcavit, ut scribit Iosephus libro 2. Antiq. capite 5. Postea etiam grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, ad Hebræos 11. Puerorum humilitatem imitatus est etiam Sanctus Hilarius Episcopus Pictavorum, cum in Consilio ad sedem aliorum Episcoporum non admissus, humi consedit, dicens: *Domini est terra.*

Quarto non sunt capitosi, sed duci & reduci se patiuntur, facilè & promptè obediunt. Unde Sanctus Basilius in Regul. brevior: interrogat. 217. ait: *Quomodo regnum Dei accipiemus ut parvulus? nempe si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est parvus in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neque se, disputans adversus Magistros defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientia suscipit*; sic ille. Ejusmodi parvulus fuit Isaac; qui à Patre ligno se onerari & ligari passus est; ad mortem postulatus, aram conscendit, cervicem præbuit, ictum expectavit, nullo verbo contradicens aut quærens, quamobrem id Pater faceret, vel ipse commeruisset, Gen. 22. Tales esse omnes Christianos vult Apostolus ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris*, ait, *& subjacete eis, &c.*

C. II. *Ab Avaritia*

Secundo. Sunt immunes ab Avaritia, Primo, enim paucis contenti sunt, non quærunt arces & prædia: delectantur rebus vilibus, & simplicibus, veluti equis & bobus ligneis, magis quam parentibus veris: Tales ergo sint & Christiani, uti monet Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Et ad Hebræos 13. *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.* Vincentur alioquin à multis Ethnicis, qui paucissimis contenti, læti & hilares vixerunt, uti Crates, Diogenes,, Socrates, quorum hic, cum videret rerum, quæ in foro vendebantur, multitudinem, dicebat. *Quam multis ipse non egeo?* Laërtius in Socrat. Diogenes cum videret pauperem manu cava bibere è fonte, vasculum abjecit, quo prius utebatur ad hunc usum. Anacharsis Scytha Philosophus ad suos scripsit: *Mihi amictus tegmen Scythicum: calceamentum, solearum callum: cubile, terra, pulmentum fames &c.* Cic. 5. Tusc. Quid faciant Christiani, quorum divitiæ in cœlo sunt.

Secundo. Fraudare, fallere & mentiri nesciunt. Idem faciendum Christianis, ut monet Apostolus 1. Corinth. 4. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Ita veteres Christiani malebant mori, quàm vel semel mentiri, ut scribit Sanctus Iustinus Marryr. Apol. 4.

Tertio. Non sunt soliciti de veste, cibo &c. sed hæc omnia committunt parentibus, ad quos recursum suum habent, cum quid horum deficit. Si quæras ex aliquo parvulo: Unde tibi vestes erunt, cum has tuas attriveris? pecunias non habes: sarciendi artem non calles: nihil hoc perturbabit parvulum, dicet enim se habere patrem aut matrem; qui hac de re solicti sunt. Idem nobis omnibus faciendum hortatur Apostolus ad Philippenses 4. cum ait: *Dominus prope est: nihil soliciti sitis, sed in omni tempore scilicet vel negotio, Oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* quasi diceret: in omni afflictione per orationem recurrite ad DEUM & exponite ei vestras necessitates.

Quarto Liberales sunt, & facilè dant, etiam canibus. Ita puer ille, qui habuit quinque panes hordeaceos, statim obtulit petentibus Apostolis. Et Tobias junior cum esset, quidquid habere poterat concaptivis fratribus dabat, Tobiæ 1. Sic Sanctus Hermannus (qui etiam Iosephus postea dictus) adhuc puer panem suum communicabat imagini pueri Iesu, cum ad scholas iret. Hunc in modum Christiani sint liberales. *Omni petenti te tribue*, ait Christus, Lucæ 6. *& qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.*

D. III. *A libidine*

Tertio. Immunes sunt à Luxuria. Primo. Quia carnis rebellionem nesciunt, sed eam velut mor-

mortuam gerunt, adeoque sicut Angeli in carne vivunt extra carnem. Idem Christianis suadet Apostolus ad Colos.3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, &c.* Licet vero canis ille non nunquam se erigat, & latret, satisfaciet Christianus, si mox illum coercere virgâ & compescere studeat.

Secundo. *Parvulus videns pulchram mulierem non delectatur*, ait S. Hieronymus in cap.18. Matth. ita oculi Christianorum simplices & casti esse debent, alioquin eruendi potius & abjiciendi uti monet Christus in hodierno Evangelio.

Tertio. Carnis peccata & voluptates nec nominare quidem sciunt, nedum ut agnoscant. Sic constituti Christiani esse debent, ut serio monet S. Paulus ad Ephes. 5. dicens: *Fornicatio & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.*

E. IV. *Ab invidia.*

Quarto, Immunes sunt ab invidia. Primo enim mutuo se amant & sincerè inter se mutuo agunt, colludunt, concinunt, suaque libenter communicant; quod maximè proprium Christianorum esse debet, quia singulariter eis à Christo commendatum. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, &c.*

Secundo. Non æmulantur nec invident alteri, si habeat meliora: nec contendunt de præeminentia. Idem nobis commendat Apostolus ad Galat.5. *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Item parvuli non sinistrè interpretantur aliorum dicta & facta, sed simplici mente credunt, accipiunt & intelligunt; uti S. Helenus puer Christianus, qui ignis afferendi causa ad vicinum missus, ignitos carbones in sinum accepit, & veste illæsa attulit, ut est in vitis PP. 1.p. de S. Heleno. Ita constitutos vult Christianos S. Petrus: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*, inquit.

Tertio. Flent cum flentibus (maxime nutricibus) gaudent cum gaudentibus, uti illi, qui Christo triumphante acclamabant *Osanna*, Matth. 21. Ita etiam fidelibus faciendum monet Apostolus ad Romanos 12. *gaudere*, scilicet, *cum gaudentibus & flere cum flentibus.*

F. V. *Ab iracundia.*

Quinto. Sunt immunes ab Iracundia, Primo. Offensi cito & facilè placantur, veluti projecto pomo. *Sicut parvulus*, ait Sanctus Hieronymus hoc loco, *non perseverat in iracundia, sic & vos, &c.* Idem Christianos facere jubet Apostolus ad Ephesios 4. dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Fecitque id inter alios Sanct. Epiphanius Episcopus Cypri, dixit enim S. Hilarioni: *Ego ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habeat aliquid adversum me: neque ego dormivi habens aliquid adversus illum.* Cui Hilarion: *ignosce mihi, quia tua conversatio major mea est.* Ita S. Ioannes Eleemosynarius Archiepiscopus Alexandrinus cum quadam die contra Nicetam Patricium ira, licet justa commotus fuisset, ut se ante vesperam ei reconciliaret, ad Nicetam misit Presbyterum suum, qui ei diceret: *Sol jam est in occasu, vir maxime venerande.* Quo stimulo compunctus Nicetas ad S. Ioannem accurrit & uterque ante Solis occasum in mutuos ruerunt amplexus. Leontius in vita S. Ioan. Eleemosynarii.

Secundo. Injuriarum sunt immemores. *Non meminit læsus*, ait S. Hieronymus de parvulo, loco citato. Idem Christianis faciendum docet Apostolus citato loco, cum ait: *Donantes invicem* (scilicet injurias) *sicuti & Deus in Christo donavit vobis.* Id ipsum docuit Pythagoras, cum dixit: *Ubi ollam à cinere sustuleris, turbandum est vestigium*; id est, ubi ira deferbuerit, mali præteriti memoria est oblitteranda. *Ethnici & ingrati*, ut dicebat B. Thom. Morus, *beneficia pulveri: si quid mali patiantur, marmori insculpunt: Christiani vero est maleficia pulveri, beneficia marmori insculpere.*

Tertio. Nesciunt parvuli se vindicare, sed, si fortè lædantur, parentibus tantummodò conqueruntur & ostendunt læsa membra. *Sicut infans*, ait S. Ambros. serm. 55. *nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet: ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat.* Fuit ejusmodi infans magnus ille Christophorus martyr, qui percutienti se in maxillam Præfecto Sami respondit: *Repercussissem te, si Christianus non essem*, Sur. tom. 4. Proprium ergò Christiani esse putavit injurias non vindicare. Ita S. Stephanus Hungariæ Rex, cum aliquando sub noctem pauperes eleemosynæ nimium inhiantes barbam ei evulsissent, ad B. Virginem se convertit, injuriam recensuit & condonavit perlibenter, Sur. in ejus vita. Audi Apost. ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam.*

G. VI. *A Gula.*

Sextò. Immunes etiam sunt à Gula. Primo etenim aqua & pulte ferè utuntur & contenti sunt, vinum & dapes non expetunt. Excelluêre in hoc Daniel & socii pueri apud Regem Babylonis, qui respuerunt cibos regios & petierunt aquam tantum & legumina in victum quotidianum, Danielis primo. Imprimis verò S. Ioannes Baptista miræ temperantiæ à puero assuevit. Item S. Nicolaus Episcopus, & alter Nicolaus Tolentinas.

Secundò. Non patiuntur sese adigi ad superfluitatem; seu cibi, seu potûs, imo obtrusam cum indignatione removent. O quanto sapientiores sunt adultis, qui eousque se ingurgitant, donec mentem & corpus perdant!

Tertio. Citius à mensa surgunt, diu considere nequeunt, ne diutius detineantur à solitis suis exercitiis.

H. VII. *Ab Acedia.*

Septimo. Immunes denique sunt ab Acedia. Primò. Quia semper occupantur & nunquam otiari possunt, ludunt, discurrunt, ædificant, equitant in arundi-

arundine. Ita decet Christianos nunquam otiari: *Quodcunque potest manus tua instanter operare:* Eccl. cap.9. Unde Apostol. Vitam Christiani agoni & cursui assimilat, 1. Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis,* &c. Secundo. Læti sunt & hilares, nec facile locum dant tristitiæ.

Ita etiam nobis præcipit Apostolus ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* Debent enim Christini in via mandatorum Domini alacriter progredi, quemadmodum cantant agricolæ cum arant & serunt, cogitantes futuram messem. Ad hanc lætitiam spiritualem hortabatur suos discipulos S. Antonius eo quod nulla re magis vinceretur dæmon. Item Abbas Apollo apud Palladium. In Lausiaca cap. 52. dicebat enim ad suos: *Non oportet nos esse tristes propter Salutem, cum futuri simus hæredes Regni Cœlorum: tristes erunt gentiles: flebunt Judæi, lugebunt peccatores, justi autem lætabuntur; & qui terrena quidem animo agitant, lætantur in rebus terrenis, nos autem qui tanta spe digni sumus habiti, cur non lætemur perpetuò?* sic ille.

Tertio. Ad laborem, modestiam & disciplinam facilè compelluntur, uti verbo minaci, aut virga hærente ad fenestram. Sic etiam Christiani Dei minas pertimescere & flagella horrere debent. Idcirco subdit prædicto loco Apostolus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus propè est,* id est, ad Iudicium properat.

CONCIO IX.

SCANDALI ACTIVI QUANTA pernicies.

I. *Væ scandalizanti à Deo.*
II. *Væ illi à Christo.*
III. *Væ illi ab Angelis.*
IV. *Væ illi ab Ecclesia.*
V. *Væ illi à Dæmonibus.*
VI. *Væ illi à pusillis.*

THEMA.

Væ homini illi per quem scandalum venit, Matth. 18.

A. CUm Hebræi tempore Ezechielis à DEO recessissent, & indomiti evasissent, misit ad illos DEUS Prophetam Ezechielem, dicens ad eum: *Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli & subversores sunt tecum & cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas & vultus eorum ne formides,* &c. quo dicto porrexit Deus prophetæ librum, qui erat scriptus intus & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes & carmen & væ. Ego quidem, Auditores, mallem semper ea loqui, quæ ad spem & hilaritatem erigere possent animos; sed quia inter tot nunquam desunt reprobi, duri & obstinati, imo subversores, qui aculeo mali exempli alios configunt, idcirco necessarium est subinde talia dicere, quæ timorem illis incutiunt; cujusmodi sanè est hodiernum Evangelium, quod horrendum illud *Væ,* æternæ damnationis minatur subversoribus: quos si ego non redarguero, vereor, ne illud ipsum væ in caput meum derivetur. *Væ enim mihi est,* ait Apostolus, *si non evangelizavero.*

B. I. *Væ scandalizanti à Deo.*

Primo væ scandalizanti, à Deo; destruit enim opus, quod Deus ad suam ipsius gloriam summa bonitate, sapientia & potentia condidit. Quid tibi videretur de eo, qui regium palatium vel splendidissimum templum, ingentibus expensis excitatum, & à sapientissimo Architecto extructum incendere vel vastare auderet? Certè qui celeberrimum illud Dianæ Ephesinæ templum, quod inter septem orbis miracula numerabatur, incendere ausus est, Herostratus nomine, quo sibi nomen immortale pareret, postea ex hominum memoria omnibusque libris, Ephesiorum decreto deletus est. Valerius Max. libr. 8. cap. 15. & alii. At homo Dei palatium, templum & structura est omnia mundi miracula superans. Audimus enim Apostolum dicentem 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis.* Et post pauca: *Nescitis quia templum Dei estis & spiritus Dei habitat in vobis?* Hoc ædificium, hoc templum incendit & evertit, qui verbo vel exemplo hominem pervertit. Quid ergo iste merebitur? subdit hoc ilico Apostolus: *Si quis autem,* inquit, *templum Dei violaverit, disperdet illum Deus,* quasi diceret: nomen ejus delebit in omnem æternitatem & exuret in gehenna, non in purgatorio, de quo ante verba fecerat. Idipsum per Ezechielem cap. 14. nervosius expressit Deus, cum ait: *Homo homo de domo Israel, quicunque scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suã* (id est oblectaverit se in scandalis suis & aliorum perversione) *ponam faciem meam super hominem illum,* (quasi diceret, persequar eum jugiter & opprimam, veluti luctator hostem prostratum; ut exponit ibi Hector Pintus) *& faciam eum in exemplum & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei.* Idem hoc est, quod Christus expressit in hodierno Evangelio verbis illis: *Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* In quem locũ S. Hieron. ait: *secundum ritum provinciæ ejus loquitur: quo majorum criminũ ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur.* Et tamen istud suppliciũ scandalizantium gratiam adhuc continet. *Expedit ei,* inquit. Quomodo, quæso, iram & indignationem suam contra scandalum magis explicare potuisset? Adeo nimirum id exosum Deus habet, ut velit ab oculis hominum longissime removeri, sepeliri in abysso, & ibidem opprimi lapide molari, ne ampli-

amplius supernatet, & in conspectum hominum veniat. Sed & scandalorum artifices facit in exemplum & proverbium; quod certè experta est impia Iezabel, quæ regi Achab, marito suo, lapsus occasionem dederat, & universum negotium cædis Naboth texuerat, ideoque de fenestra præcipitata & à canibus lacerata, facta est in exemplum & proverbium, ut de ea diceretur: *Hæc est illa Jezabel?* 4. Regum 9. Viderit ergo unusquisque, ne disperdat opus DEI, si ipse non vult disperdi. *Quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus*, ait Apostolus ad Rom. 14. *& noli propter escam destruere opus Dei.*

Secundo, væ illi à Christo; nam & hunc offendit teste Apostolo 1. Cor. 8. qui ait: *Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Ratio, quia Christi agriculturam & fabricam, quæ ipsum sanguine proprio constitit, vastat & evertit. Quod enim ait idem Apostolus 1. Cor. 3. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*; sub Dei nomine Christum potissimum intelligit, qui Ecclesiæ agrum, à cœlesti quidem patre plantatum, postea tamen opera diaboli vastatum, iterum excoluit immenso suo labore & sanguineo sudore. Similiter ædificium à Patre extructum, sed hominum culpa collapsum, iterum erexit. Hinc mihi velim intelligas, quantopere offendat Christum, qui aliis scandalum præbet. Ipse enim de cœlo in terram venit, relictis ibi Angelis suis, ut animas perditas quæreret; quapropter huic doctrinæ de scandalo cavendo mox subjecit illa verba: *Venit enim filius hominis salvare quod perierat*, nec non parabolam illam de quæsita ove errante. Ipse in cultura Ecclesiæ adeo laboravit, ut propterea in horto, qui Ecclesiæ typus erat, sanguinem sudarit, & dorsum suum subjecerit flagellis aratorum. Sic enim vertit S. Hieronymus locum illum Psal. 128. de Christo loquentem: *Supra dorsum meum araverunt arantes.* Ubi nos legimus: *Fabricaverunt peccatores.* Ipse ut erigeret collapsam Ecclesiæ fabricam, in cruce erigi voluit. Tu igitur scandalose destrues hoc opus, quod Christum tanto stetit? vastabis illam segetem, quæ sanguine ejus rigata est? perdes vel ovem unam, quæ tanto ejus itinere quæsita est? *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quẽ Christus mortuus est?* inquit Apostolus 1. Cor. 8. Certe nisi animæ nostræ chariores fuissent Christo, quã propria ejus vita, non eam pro illis dedisset. Cum enim v. g. pecunia emis equum, utique magis equum diligis quam pecuniam. Qui ergo suo exemplo vel maligna suggestione abstrahit Christo animam, plus tollit quam Iudæi, qui abstulerunt vitam, uti docet S. Bernard. serm de conversione S. Pauli, ubi concludit: *Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Et hac de causa Christus reprehendit Episcopum Pergami, quod in suo grege toleraret scandalorum Architectos, Nicolaitas, sectatores Balaam, & minatus est excidium quam ipsis, tam Episcopo, nisi eos exterminaret: *Pœnitentiam age*, inquit, *si quo minus, veniam tibi cito & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Et quis explicare queat, quanto verborum pondere, quanta indignationis mole Christus in Iudicio proruptu- rus sit in tales animarum homicidas? quis illum gladii ictum poterit excipere? Ad illum etiam spectat, quod dicitur Oseæ 13. *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Mirus est ursæ amor in catulos, quos & lambendo format ac perficit: ideo mira etiam sævitia ejus raptis catulis. Sed major Christi in nos amor, qui in cruce nos formavit. Quanta igitur ferocia putas, occurret iis, qui verbo vel exemplo rapuerunt ejus filios? Ergo tu si cum tanto pugile & tam feroci ursa congredi non audes, acquiesce consilio Apostoli ad Rom. 14. monentis: *Noli cibo tuo*(exemplo aut verbo) *illum perdere pro quo Christus mortuus est.*

C. II. Væ illi à Christo.

Tertio, væ illi ab Angelis, custodibus præsertim clientum illorum, quibus offendiculum ponit. Gravius enim quam dici potest, offendit hos custodes; quia si gaudium est Angelis in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente: ergo tantundem contristantur & indignantur super uno justo, qui vel suapte vel alterius culpa pervertitur, & si omnes, multo magis custodes, qui singulari zelo servant & servare cupiunt animas sibi commissas: quo etiam instigante vindictam à DEO postulant in ejusmodi prædones. Id enim manifestè colligitur ex hodierno Evangelio, ubi Dominus ait: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est*, quasi diceret: nolite contemnere & pro nihilo ducere, innocentem scandalizare, quasi parum aut nihil sit; siquidem eis ministrant angeli, qui semper ante faciem Dei stant & valent proinde in contemptores vindictam à Deo facilè impetrare, idque facient absque dubio; quia causas suorum clientum velut oratores agunt apud Deum. Hoc vult dicere Christus, alioquin non concluderet. Memento qui ponis scandalum, Abrahamum, quando gladium in filium strinxit, ab Angelo inhibitum ea voce: *Abraham, Abraham non extendas manum super puerum, neque facias illi quidquam*, Genesis 22. Angelum Isaaci credo hunc fuisse, qui clientem suum tutatus est. Idem tibi dici existima ab Angelo illius, quem tu secundum animam occidere machinaris. Memento illius angeli, ductoris Hebræorum, qui posuit se medium inter castra Ægyptiorum & Hebræorum, ne illi in hos sævirent, Exodi 14. & citò custodem illius etiam, quem tuo scandalo tu persequeris, medium se constituere inter te & ipsum & minitari tibi Dei iram.

D. III. Væ illi ab Angelis

Quarto, væ illi ab Ecclesia. Hanc enim lacerat & conturbat, dum ejus membra inficit. Lacerat quia ejus membra à Deo & electorum cœtu abstrahit; conturbat, quia iram Numinis in totum corpus provocat. Sicut membrum putridum, vicina mem-

E. IV Væ illi ab Ecclesia

membra inficit: & sicut Salamandra arboris, quam irrepsit, poma omnia inficit, ideoque à natura meritò ad ignem damnata est, Pier. l. 16. hierogl. ita & scandalosus Ecclesiam affligit, cum ejus membra perdit. Hinc enim illa abscindi, modo gladio pontificis seu excommunicatione, modo gladio carnificis debent. Idcirco S. Paulus cum ejusmodi membra cerneret inter suos Galatas, optabat ea abscindi: *Utinam*, inquit; *& abscindantur, qui vos conturbant*, Galat. 5. Unde hæc tanta, inquies, Apostoli severitas in suam Ecclesiam? quis enim de suo corpore desiderat membrum abscindi? Quia nimirum, ut paulo ante dixerat, modicum fermentum totam massam corrumpit, (hoc est, pauci reprobi & errantes totam Ecclesiam.) Hoc est quod in hodierno Evangelio ait Dominus: *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: si oculus tuus, erue eum, &c.* Quare in ejusmodi homines merito insurgit Ecclesia & vindictam à Deo postulat, ac cum potest, eos exturbat exemplo Iosue & Hebræorum, qui Achanem, quod suo sacrilegio totum populum Deo odiosum reddidisset, cum omni sua familia lapidibus obruerunt, dicentes: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus*, Iosf. 7. Hinc sibi adeo timuit Berengarius ille, tametsi post pœnitentiam migrans ex hac vita ad judicium, quod nimirum alios perverterit, quos reducere non potuit, ut alibi ostendimus ex Gersone,

Et quid mirum? De hoc enim nefario crimine intelligendus Deus per Amos c. 1. loquens: *Super tribus sceleribus filiorum Ammon & super quatuor* (id est super quartum) *non convertam eum, eo, quod dissecuerit prægnantes Galaad.* Quis hoc tam enorme scelus venia indignum perpetrat? nonne is qui gladio scandali sui dissecat Ecclesiam, & ex illius gremio exscindit innocentes?

F. V. *Væ illi à dæmonib.*

Quinto, væ illi à dæmonibus; tametsi enim illis gratissimum offert sacrificium, cum alios secum perdit, nihil tamen aliud recipiet ab iis, quam duplicatam pœnam pro mercede sua: unam, quia seipsum, alterum, quia proximum perdidit: Solet remunerari dæmon præstita sibi obsequia ad instar Pharaonis, novi illius Regis, ut dicitur Exod. 1. qui coëgit Israelitas ire & colligere paleas totoque tempore occupari in operibus luti: demum vero pro mercede dire jussit flagellari, Exod. 5. Imperat dæmon, novus Rex, (vetus enim est DEUS) suis mancipiis (veneficis præsertim) ut eant & colligant paleas, hoc est leves, & ad malum pronos homines seducant, secumque ducant ad dæmonis ergastulum: reliquo autem tempore in sordibus & sceleribus se volutent; postquam hæc obtinuit flagella sua depromit in altero sæculo, & quandoque etiam in isto ac pro meritis ea tractat, & quorsum ablegat paleas, hoc est, inanes & leviculos sectatores suos, nisi in caminum ignis æternum comburendos? Hæ sunt paleæ istæ, de quibus Baptista prædixit, quod igne inextinguibili comburentur. Hæc illa Zizania seu scandala de regno Dei colligenda & in caminum ignis conjicienda, sicut Christus dixit Matth. 13.

G. VI. *Væ illi à pusillis.*

Sextò, væ illi à pusillis, quorum conscientiam infirmam percutiunt, ut ait Apostolus 1. Corinth. 8. *Etenim omni plaga gravius est scandalum, cum sæpenumero mortem afferat*, in quit sanctus Chrysostomus in eum locum Apostoli. Irasci & indignari merito solemus homini adulto & rubusto, si nulla re offensus infantem vulneret ac cædat. Ecquis non indignetur magis, si hujusmodi latro animam infantis petat? Indignum etiam facinus foret cœcum in foveam ducere vel ad lapsum impellere: idcirco præcepit Deus Levitc. 19. *Nec coram cœco pones offendiculum.* At revera istud facere est, ei qui lumen discretionis non habet scandali occasionem præbere, ut ait Sanctus Gregorius 3. p. pastoral. c. 36. Hoc tam grande piaculum typicè describitur Exod. 21. ubi præscribitur ut is, qui percussit mulierem prægnantem, ita ut proles jam formata & animata pereat, (sicut legunt LXX.) det animam pro anima. Prolem in utero Ecclesiæ necat quisquis innocentem scandalo suo perdit. Et sicut sanguis Abel ad cœlum extulit vocem & vindictam in parricidam petiit: ita vociferabitur multo magis anima sive adulti sive parvuli, vitio alterius, æternæ morti tradita. Scribit Herodotus l. 5. Darium Regem Persarum ut ei nuntiatum est Sardes captas incensasque ab Atheniensibus, jurasse sagitta in cœlum excussa, injuriam se ulturum & cuidam famulorum præcepisse, ut sibi semper apposita cœna diceret: *Here memento Atheniensium.* Simillimum est quod facit Deus; tanta enim Deo injuria infertur, cum evertitur innocens anima pravo alicujus exemplo, ut propterea constituerit sanguinem eversi, qui continenter coram Deo stans vindictam expetat in tam noxium caput.

Exemplum desideratis? scribit Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum. cap. 30. qui in hanc ferè sententiam scribit: *Adolescens adhuc coevum quendam habebam parilium studiorum, charum mihi inprimis, modestia ac pudicitia insignem, sed postmodum pessimo Magistri cujusdam sui exemplo in transversum actum. Admonitus autem per me aliosque familiares suos, ne ipse tam præclari sanguinis (nobilis enim erat) tantæque exspectationis adolescens, tantam infamiæ notam scelere illo inuri sibi pateretur, retraxit pedem aliquoties; sed consuetudine depravata pertinacius semper impellente infelix toties rediit, dum divina vindicta viam penitus & vitam interclusit. Hospitati erant apud eum die quodam nobiles nonnulli eodem oriundi stemmate, copioso stipati famulitio; solutaque cœna dum quieti ac somno quisque se comparat, & hic in cubiculum, quod separatum habebat, secessit: ibi ille dum in lecto jam esset, clamare subito auxiliumque contentione qua potuit maxima postulare. Excivit ea res domesticos, herilique lecto propere stitit: attoniti clamoris causam diu indagan-*

dagantes, nullam accipiunt. Decanum aliosque è Canonicorum accersunt collegio, qui curriculo advolantes, cum auxilio ferendo non essent, illud à divina manu potentiore nimirum fortioreque flagitet, ac vitæ perperam gestæ coram sacerdote deponat, authores fiunt. Talia crebris vocibus inculcantes, nihil omnino proficiunt: fatigatus tandem adolescens igne horroreque formidandis oculis ad Decanum conversus: Væ inquit illi, qui à recto seduxit me? Ad quid nunc divinum auxilium invocabo? Ecce jam video patulum Tartarum, præsentes dæmones & ad rapiendum me totis faucibus hiantes. Cumque omnes ut salutari potius crucis se communiret signo, cum lachrymis inclamarent, ille sine sensu jam, clausisque oculis avertit faciem dirasque voces emittere non cessavit, dum miseram maloque Magistri exemplo perditam animam efflavit. Hoc nimirum est illud væ, quod in hodierno Evangelio Dominus bis pronuntiavit, primo contra eos qui scandalo pervertuntur: *Væ mundo à scandalis*, iterum contra eos, qui scandalo pervertunt: *Væ homini illi, per quem venit scandalum.* Sed hoc longè terribilius: unde ait: *Væ autem!* id est, multo magis seductori, &c.

CONCIO X.

DOCUMENTA ET Mysteria.

I. Christus amator innocentiæ.
II. Deus Angelum custodem homini assignat.
III. Præmonet cavenda scandala ne puniat.
IV. Patienter sustinet peccatores.
V. Prædicit varia in mundo scandala.
VI. Punit reprobos gehenna.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, Matth. 18.

A. Petiit aliquando Moyses, Exod. 33. ostendi sibi faciem Dei: *Si inveni gratiam in conspectu tuo*, inquit, *ostende mihi faciem tuam ut sciam te.* Sed respondet ei Dominus: *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Positus ergo Moyses in foramine petræ vidit transeuntem à tergo Deum, & exclamavit: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis & verax*, Exod. 34. Subit opinor & nobis quandoque desiderium videndi faciem Dei, quomodo & Philippo subiit, cum diceret: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Verum in hac vita videre Dei faciem, inconcessum est. Angelorum istud est, ut ex ore Domini audimus in hodierno Evangelo & reliquorum cœli civium. Cæterum à tergo videre Deum possumus, si in petra fidei firmiter consistamus. Et qua ratione? inquies. In sacris nimirum scripturis, in quibus velut à tergo obscurè cernimus Dei majestatem, & ut dixit Apost. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Hujusmodi speculum est hodiernum Evangelium, in quo veluti à tergo cernimus ea ferè omnia, quæ in Deo Moyses vidit. Videmus enim Dominatorem Dominum Deum, severissime punientem scelera, scandala inprimis: Videmus misericordem in dehortatione à scandalis tum dandis, tum incurrendis. Videmus clementem in advocandis, suscipiendis & amplexandis parvulis. Videmus patientem in tolerandis tot mundi scandalis. Videmus eundem multæ miserationis, siquidem unicuique homini Custodem Angelum dedit. Videmus denique veracem, qui scandala in mundo futura prædixit. Videbimus nunc singula.

B. I. *Christus amator innocentiæ.*

Primo. Cernimus clementem & benignum, siquidem advocavit ad se puerulum, eumque, ut scribit sanctus Marcus, complexus est, atque (ut græcum verbum sonat) in ulnas suscepit. Eo enim facto ostendit, quantus sit amator innocentiæ & humilitatis. Quemadmodum enim mater grandiores liberos repellit ab uberibus, parvulos vero admittit: ita Christus innocentes suaviter tractat, solatur, tuetur, nutrit gratiæ suæ donis, & fere etiam subsidiis temporalibus: eos verò, qui quandoque delinquunt, laboribus exercet & tribulationibus, plagis & persecutionibus. Patuit in Apostolis, quos omnes per martyrium & varia tormenta ad se evocavit, Ioanne excepto, quem ob singularem ejus innocentiam tenerius amavit & in pace obdormire voluit. S. Gregorius Papa cum aliquando Romæ venales in foro pueros videret candidos & venustos, sed Paganos, Paganorum filios, ingemiscens rogavit, quo nomine vocarentur. *Mercator respondit Angli vocantur. At ille: Bene*, inquit, *Angli, quasi Angeli: quia Angelicos habent vultus, & tales Angelorum in cœlis decet esse Concives. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa Provincia. Mercator respondit: Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius, bene*, inquit, *Deiri, quia de ira sunt eruendi & ad Christi gratiam convocandi. Rex*, ait, *illius provinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen dixit: bene, quia dicitur Aelle: Alleluja enim in laude Creatoris in partibus illis oportet decantari:* Quocirca ipse in Angliam à Benedicto Papa mitti ad eam convertendam petiit & impetravit. Ab itinere tamen revocatur; postea Pontifex factus misit eo Augustinum & alios ad fidem implantandam. Emptos etiam pueros illos Anglos censuit non ut alia mancipia tradendos glebis, sed inter Angelos collocandos, in monasteriis scilicet ad vitam mona-

sticam

sticam colendam. Tradit Ioannes Diaconus l. 1. vitæ ejus, c. 21. Et Baron. An. 595. Hujus igitur Sancti & imprimis Christi exemplo discant Ludimoderatores & parentes innocentiam parvulorum nutrire & fovere: eosdem ad honesta studia applicare, à scandalis pravorum removere, Dei servitio mancipare: ut sint & maneant Angeli. Audiant Dominum dicententem: *Qui susceperit unum parvulum talem, me suscipit.* Et: *Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, &c.* Et rursum: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Quæ omnia non de parvulis tantum, sed de omnibus, qui innocenter & piè vivunt, accipienda sunt.

B. I. *Christus amator innocentiæ*

C. II. *Deus Angelum Custodem homini assignat.*

Secundo. Cernimus eundem multa miseratione præditum, dum homini ex natura sua misero, cœlo, nudo Angelum attribuit Custodem, ut patet ex illis verbis: *Angeli eorum, &c.* S. Greg. Nyssenus idem confirmans, libr. de vita Mos. ait: *Verus sermo ad nos descendit, quo creditur postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino à Clementia divina neglectam esse, nec absque patrocinio demissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum esse.* Cogitemus nos videre Ducem aliquem circumventum rebellibus ac seditiosis subditis, totum inermem, nec vestitum nisi linteo & subtili indusio, insidentem equo, vel debili vel duro, præfracto & meticuloso, & quidem in campo palustri. Quo pacto hic sperare posset se de manibus circumfrementium inimicorum ereptum iri, nisi cœlica Dei ope? Atqui omnes nos in hujusmodi miseriam redacti sumus, ut qui à cœca præcipiti timida & effræni sensualitate crebro seducimur & hostibus nostris, qui magno numero obsident nos, undique prodimur. Quis ergo non agnoscit Dei misericordiam, qui nobis in tanto periculo constitutis strenuum, potentem ac sapientem adjunxit protectorem & hyperaspisten Angelum de Cœlo?

Quin & singulis provinciis.

Quin & singulis provinciis, regnis & regionibus datum à Deo Angelum præsidem generalem docent SS. literæ. Quemadmodum enim in Republica bene ordinata non solum particulares cujusque loci vel Civitatis Officiales sunt, sed etiam alii quidam generales super integras provincias, tractus, præfecturas, ut illi ab his dependeant & dirigantur, ita etjam Deus quoniam interventu Angelorum mundũ gubernare constituit; præter Custodes unicuique proprios constituit quoque superiores alios: quibus integræ provinciæ, tactus, præfecturæ, Civitates commissæ sunt. Hujusmodi Angelos vidit Iacob Genes. 32. cum dixit: *Castra Dei sunt hæc.* Erant enim duo exercitus, unus Angeli præsidis super Mesopotamiam, alter præsidis super Chananæam constituti cum tutelaribus eis subordinatis, ut docet ibi Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, dissertissimus SS. literarum explanator, qui ob eam singularem perspicaciam hoc versu celebratur: *Hic stupor est mundo qui scibile discutit omne.* Hujusmodi erant Angelus Persarum Præses & Præses Hebræorum Michael, Dan. 10. Nec desunt extra SS. literas hujus rei exempla. Inter cætera narratur in Historiis Ecclesiasticis apud Baronium Anno 400. Socratem lib. 13. Cum Gaina impius Tyrannus magnam militum manum emisisset ad succendendum palatium Constantinopolitanum, hique ut mandato parerent, in viam se dedissent, conspectam fuisse numerosam aciem hominum aspectu non minus formidabili, quam statura grandi, unde conterriti re infecta regressi sunt. Omnium vero sententia isti Angeli loci illius præsides erant.

D. III. *Præmonet ea, vendæ scandala, ne puniat*

Tertio. Cernimus misericordiam dum præcavenda monet scandala tam data quam accepta. Signum enim id est misericordiæ, qua parcere magis vult quam plagas inferre. *Væ,* inquit, *mundo à scandalis.* Item: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Idem fecit Deus antequam diluvium immitteret, annis centum & 20. Per Noën id comminando. Idem ante excidium Ierosolymæ à Tito factum. Inventus est enim in civitate Homo rusticanus nomine Iesus, qui per annos 7. & menses 5. continuo clamabat: *Væ, væ Jerosolymis,* id fecit usque dum Urbs obsideretur; ubi supra murum circumiens vociferabatur: *Væ, væ Civitati ac templo ac populo.* Ioseph. lib. 7. de bello c. 12. Baron. anno 65. Rursum ante ultimum ejusdem Urbis excidium quod factum ab Hadriano Imper. cum sepulchrum Davidis & Salomonis sponte corruit, ut refert Dio in Hadriano. Similia prodigia ad revocandos à peccandi libidine mortales ostensa sunt antequam Lombardi Italiam vastarent, igneæ scilicet acies in cœlo sanguine coruscantes, teste S. Gregorio lib. 3. dial. cap. 38. Et ante persecutionem Wandalicam Hunerici Regis in Africa apud Victor. Uticens. libr. 2. Wand. Quin & nostro sæculo talia contigerunt, quando nimirum cometa diuturnum in Imperio bellum nobis verisime portendit: alibi sanguinea pluvia idem demonstravit, &c. Et quid hæc omnia nisi divinæ misericordiæ argumenta, qui antequam ferat, imo ne feriat, dat *metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcus*? Hoc igitur beneficij præstat noster Iesus mundo in hodierno Evangelio, dum per universum orbem clamat etiamnum ex ore Concionatorum: *Væ, væ mundo: Væ mundo à scandalis: Væ homini illi, per quem scandalum venit,* Primum væ, ut ne scandalum capiamus; alterum ut ne demus. Vidit nimirum Dominus quantis in altero sæculo tormentis plectantur scandala. Unde ad nos clamat monens ut ea caveamus.

E. IV. *Patienter sustinet peccatores*

Quarto. Cernimus Patientem, dum discipulorum ambitionem & concertationem silens toleravit ac dissimulans, (siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset, inquit S. Marcus cap. 9.) quorum cogitationes videns Dominus interrogavit eos: *Quid in via tractabitis?* & hinc cœperunt eum interrogare: *quis major esset?* non inter ipsos, (ne proderent suam contentionem) *sed in regno*

gno cœlorum. Deinde dum tot gravia ſcandala,quæ in abyſſum mergi digna aſſerit, tolerat in mundo & patitur ut alter alteri laqueos tendat & offendiculum ponat. Nemo noſtrum ferre poſſet, ſi petulantes pueros cerneret in via foveas excitare , alibi laqueos ponere,alibi prægrandes lapides objicere, quà Cœcis & aliis incautis ambulandum eſſet. At hujuſmodi foveis , offendiculis & laqueis plenum eſſe mundum vidit S. Antonius.Profectò tanta eſt ſcandali gravitas ut lapide molari demergi debeat in abyſſum (propterea ſcilicet quod id terra ſuſtinere nequeat)quanta erit Dei patientia , quæ tot ſcandala tolerat? neque unus tantum ſcandalo vulneratur & perimitur, ſed complures alii.

F. V. *Prædicit varia in mundo ſcandala.*

Quinto. Cernimus veracem; quod enim dixit : *neceſſe eſt , ut veniant ſcandala* ; ſuppoſita ſcilicet, quam prævidit,hominum malitia & perverſitate,id noſtro etiam ſæculo nimis verum deprehendimus in quocunque ſtatu.Quanta enim in religione ſcandala præbent inprimis aliqui Prælati, qui ex ſuis domiciliis aulas faciunt, & vivunt velut Principes aut Comites, multo ſtipati famulitio,ſplendido victu & veſtitu? Deinde Monachi vagabundi , qui cum ob diſſolutionem in monaſteriis tolerari nequeunt, in ſæculo diſcurrunt , nummos ſtipatim emungunt, rurſumque abliguriunt ſibi & aliis onerosi? His enim dicitur id Malach. 2. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege : irritum feciſtis pactum Levi.* Quanta in Clero ſcandala? videre eſt Clericos, qui tametſi ad ſacerdotium nunquam aſpirant, tot nihilominus beneficiis & dignitatibus onuſti ſunt, quot Conchylibus peregrini S. Iacobi. Aliorum vita diſſoluta,impura, lurida,ruſticana & prorſus ſæcularis eſt, plurimorum ingenti ſcandalo; vel inde graviori quod illorum Præſules aliqui talia non emendent, manus facilè nimis imponant, ſæcularia tantum tractent & curent, ad Clerum & profectum animarum parum attendant. Quibus id Oſe. 2. dicitur : *Audite hoc Sacerdotes: quia vobis judicium eſt: quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi*(id eſt Epiſcopatui vel parochiæ veſtrę) *& rete ſuper montem Thabor.* Quanta in multis ſæculi Principibus & Magiſtratibus , qui omnia ſibi licere rati, nihil non æquum ducunt, quod efficere vel obtinere poſſunt quocunque tandem titulo ; *Qui alligant ſubditis onera gravia , ipſa ea digito ſuo nolunt movere?* Quanta in Nobilium ſtatu, qui intoleranda veſtium novitate & ſplendore non opes tantum exhauriunt,ſed & alios pervertunt ac libidini fomitem præbent? Quanta in juvenibus alienæ caſtitati inſidiantibus, qui oculos habent *plenos adulterii & inceſſabilis delicti?* ut dicitur 2. Petr. 3. Quanta in mulieribus,quæ meretricio cultu ad libidinem alios provocant, de quibus Iſa. c. 13. ait: *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ & ambulaverunt extento collo & nutibus oculorum ibant & plaudebant , ambulabant & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant ; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion,*&c.Quanta in cauponibus, qui domos ſuas faciunt retia diaboli ad capiendas animas ludis,choreis, ebrietatibus, jurgiis, impudicitiis,fraudibus,mendaciis,perjuriis?

G. VI. *Punit reprobos gehenna.*

Sexto. Cernimus Dominatorem Dominum Deum,pavendum, tremendum, ſiquidem, ut apertè docet,eos qui ſcandalis aliorum depravantur,miſſurus eſt in gehennam ignis æterni. Quis autem comprehendat quid ſit gehenna ? quid gehennæ ignis ? ignis æternus? Gehenna fuit, teſte S. Hieronymo in Matth. 10. & Ier. 7. vallis prope Ieruſalem nemoroſa,in qua Iudæi Ethnicorum morem ſecuti , olim filios ſuos Idolo Moloch immolabant & cremabant. Erat autem Idolum humana forma, æneum,inſtar fornacis concavum.Adhibito autem intus igne inflammabatur & igniebatur : illius deinde in manibus puer immolandus collocabatur & miſerandum in modum incendebatur, ſacrificulis interim tympana pulſantibus, ne parentes ejulatus filiorum audirent, iiſque auditis ad lamenta & commiſerationem moverentur,ſed potius ab Idolo abſque dolore exceptos crederent. Unde locus ille *Tophet* appellatus,quod tympanum ſignificat. Hoc ergò immaniſſimum & crudeliſſimum ſupplicum Chriſtus tartarum appellat. 1. quia in eo Deus filios ſuos rebelles & contumaces,abjectos in centrum terræ (quæ ibidem ignita eos excipit & in ſe claudit , ſtringitque veluti ſtatua Moloch) & dæmoni quaſi immolatos ſæviſſimo igne comburit.Deinde ſine commiſeratione ſupplicium eorum ſpectat, nec tamen ejulatus & lamenta exaudit per omnem æternitatem. Hoc eſt quod apud Marcum Dominus ait, gehennæ iſtius pœnas declarans: *Ubi* inquit,*vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.* Vermis ille immortalis vel eſt proprie dictus vermis,ut multi volunt, vel remorſus conſcientiæ, qui , ut ait Innocentius III. libr. 3. de contemptu mundi , *damnatos tripliciter lacerabit : affliget memoria, ſera turbabit pœnitentia, torquebit anguſtia.* Hunc ergo vermem Auditores, hunc ignem metuamus & fugiamus totis viribus.Dicamus cum S. Bernardo l.5. de conſiderat.cap.12. *Horreo vermem mordacem & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis & vitæ morientis. Hæc eſt ſecunda mors, quæ nunquam peroccidit,ſed ſemper occidit. Quis det illis ſemel mori ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus cadite ſuper nos: & collibus,operite nos, quid niſi mortem mortis beneficio aut finire aut evadere volunt ? Denique invocabunt mortem , ait, & non veniet.Intuere id clarius.Conſtat immortalem animam eſſe,nec aliquando abſq; ſua memoria vivere, ne non animam aliquando eſſe contingat.Itaq; durante anima durat & memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hiſpida & neglecta. Quæ priora tranſierunt, & non tranſierunt. Tranſierunt à manu, ſed non à mente. Quod factum eſt,factū non eſſe non poteſt. Proinde & ſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in ſempiternū manet. Non tranſibit cum tempore, quod tempora tranſit.*

In

In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineris. Sic Bernardus.

Cæterum quia hæc, quæ de gehenna loquuntur SS. literæ & sancti Patres, ægre audiuntur & difficilè creduntur, voluit Deus aliis & aliis sæculis, certis quibusdam hominibus commonstrare per visiones vel ostenta. Narrat sanctus Gregorius lib. quarto Dialog. cuidam Stephano, Romano, ostensas inferorum pœnas, specie cujusdam tenebricosi fluvii, qui fœtoris intolerabilis nebulam exhalabat, in quem collabebantur ex angusto ponte, quotquot gravium scelerum rei transibant. Ioannes Damascenus in Historia Barlaam & Iosophat cap. trigesimo refert Iosaphatum per visum fuisse abductum ad spectanda tam electarum, quam reprobarum animarum habitacula. Et hæc quidem ita describit: *Obscura prorsus ac tenebrosa caligo erat atque afflictione ac tumultu totus ille locus redundabat. Illic ignis fornax accendebatur & carnificum vermium genus serpebat ultricesque virtutes fornaci imminebant. Ac nonnulli miserum in modum igni conflagrabant voxque hujusmodi audiebatur: Hic sceleratorum locus est, hic eorum cruciatus, qui fœdus flagitiis seipsos contaminaverunt.* Quid Anglicus ille Dritelmus Angliæ suæ narraverit de pœnis inferorum, alibi ex Venerabili Beda narravimus. Recentius est illud quod in Mexicana provincia ad instructionem recentium Christianorum contigit Anno Domini 1596.

Erat in oppido quodam medicus indigena, tanta morbi pressus gravitate, ut die quadam sensibus omnibus destitutus, pro mortuo haberetur, jacuit exanimi similis horas multas: ad eum vocatus quidam Societatis Iesu Sacerdos, qui loca illa peragrabat, ægrotos levandi causa, cum explorato venarum pulsu, nullum in eo vitæ residuum sensisset, ratus illum esse mortuum, quando nihil aliud supererat, funebrem illi ex forma Ecclesiæ Psalmodiam, cæremoniamque persolvit: ut cum maturum esset, terræ mandaretur. Interim alios ejusdem oppidi ægrotos adit, cum ecce tibi post duas horas, exanimis ille ægrotus, quasi somno experrectus, Sacerdotem, cui peccata confiteatur, accersi postulat, advenit pater admirationis plenus, ægroti excipit confessionem; qua peracta rogat Sacerdotem ægrotus, utquæ in eo mentis excessu viderit, audire ne gravaretur. Narravit se in latam quandam viam, & spatiosam esse deductum, per quam innumerabiles homines iter facerent: hanc autem quo longius tenderet, eo magis in arctum coarctari, donec in vastum quendam hiatum, immensamque voraginem desineret, quo cum descendisset, in eas angustias devenisse, unde se non posset expedire, omni tum progrediendi, tum regrediendi adempta potestate. Conjectis inde oculis in objecta præcipitia, vastam quasi calcariam fornacem vidisse ingenti igne succensam, inde has voces accepisse: (ad verbum refero) *Nunc scelerati ebrietatis, turpitudinis, & rapinarum pœnas luetis: nunc illatas pauperibus injurias ulciscemur.* Harum vocum terrore perculsum, sese à viro admiranda specie in manu apprehensum, ex angustiis illis, impeditisq; ac confragosis salebris ereptum, in summum montis jugum, indeque aspera, & lapidosa semita in latissimam, amœnissimamque planiciem, perpetua viriditate, gratissimaque florum specie vernantem esse deductum; inde in locum clariore lumine lucentem devenisse, ibi portam majore adhuc splendore fulgentem, intrare conatum à duce suo retentum esse, monitumque iterum rediret in vitam: animique sordes confessione perpurgaret, tunc ipsi intra eam portam ingressum expeditum fore. Admone igitur, subjecit ille, veneficam illam popularem tuam horum suppliciorum, quæ vidisti: mortem propere illi imminere, æternaque supplicia fornacis, quam spectasti, nisi animum malè actæ vitæ pœnitudo subeat. Caciquium quoque (hoc titulo indigenæ Dynastæ oppidorum Domini afficiuntur: & hic Christiana sacra jam susceperat) in venerem, adjecit, & crapulam effusum, qui, quo procacius in omnium turpitudinum cœno volutetur, vestes induit muliebres; mone ut mature sibi consulat; & per confessionem peccatorum vim irati numinis à se avertat. Quæ cum narrasset, omnium sacramentorum præsidio munitus, triginta tantum vixit horis. Ex annal. Societat. anno 1596. sub Coll. Mexic. ad ædes S. Gregor.

Postquam ergò Deus tot horrendis imaginibus depinxit nobis tartarum, videmus, opinor, quam verum sit quod ait Dominus, melius esse læso & confracto corpore intrare in vitam æternam, quam integro & sano mitti in gehennam. Quæ enim supplicia, quæ tormenta, quos cruciatus, quos ignes, quas rotas, quas cruces non eligerent damnati, si æternas illas pœnas cum temporalibus commutare possent? Ergo ut gehennam illam ibi evitemus, hic eam cogitatione sedulo versemus: aspiciamus eam à longè ne videamus propè &c.

IN FESTO
SS. SIMONIS ET JUDÆ.

Evangelium Joan. 15.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est servus major domino suo: Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & locutus fuissem eis: peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit; & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

CONCIONES.

I. *Quomodo diligendus sit proximus.*
II. *Causæ cur inimici etiam diligendi sint.*
III. *Ostenditur mulierem debere esse viro subditam.*
IV. *Bonos cur hic tribulari oporteat; seu tribulationum necessitas.*
V. *Mundi ingenium.*
VI. *Instructio confirmandi.*
VII. *Documenta.*
VIII. *Mysteria.*

CONCIO I.

QUOMODO DILIGENDUS sit proximus.

I. *Ordinatè.*
II. *Sanctè.*
III. *Efficaciter.*
IV. *Gratis.*
V. *Indifferenter.*
VI. *In vitam æternam.*
VII. *In finem & constanter.*

THEMA.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem, Joan. 15.

A. IN præclaro illo sermone, quem in ultima cœna Dominus habuit ad suos discipulos, & ex quo sumptum est hodiernum Evangelium, nihil magis inculcat, quam charitatem mutuam: *Mandatum novum do vobis*, inquit, cap. 13. Ioan. *ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et cap. 15. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et paulo post: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* Hoc vero ideo facit Dominus, quia præceptum hoc est omnium præstantissimum, saluberrimum, quodque ipsi maximè placet, & ex quo verè Discipuli ejus esse dignoscimur. *Quemadmodum enim vestes*, inquit Chrysostomus hom. 32. in 1. ad Corinth. *licet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentum requirimus, ut regem agnoscamus: purpuram autem & diadema ubi primum intuemur, jam regiæ majestatis signum aliud nullum expectamus: ita sanè, cui charitatis diadema incumbit, jam nihil obstat, quo minus Christi discipulus verè existimari possit, non nobis solum, sed & impiis, in hoc enim*, inquit, *cognoscent, quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem.* Sic ille. Et hinc dilectus ille discipulus Christi Ioannes, qui hunc sermonem Christi scripsit, memor Dominici præcepti, charitatem mutuam adeo cordi suo insculpsit, ut fere nihil aliud in ore haberet. *Cùm enim Ephesi moraretur usq; ad ultimam senectutem*, inquit S. Hieronymus ad Gal. 6. *& vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit; &c.* Sed percontari lubet, quare hoc præceptum novum peculiariter Christi præceptum vocetur? An non Dei Patris etiam & antiquissimum præceptum est: *Diliges proximum sicut teipsum*? Ita sane. Sed sciendum

dum ex sententia Cyrilli libr.9.in Ioan.cap.29. Chrysostomi, Theophylacti, & aliorum, quod modus diligendi proximum, quem præscripsit, docuitque Dominus, novus est, & Christianis proprius, maximeque conveniens. Is vero est, ut diligamus proximum, sicut Christus dilexit nos, Ioan.13.& 15. Quod nunc videndum.

B. I. Ordinate.

PrimoChristus dilexit nos ordinatè; ita utDeum primo diligeret, & nos propter Deum, nec anteponeret nos amori divino, sed postponeret. Patet in S.Ioanne, quem summopere diligebat Dominus, noluit tamen ei promittere sessionem ad latus suum, quia id concedere divinæ prædestinationis erat. Dilexit valde Petrum, sed volenti se impedire à passione ex Patris decreto subeunda, dixit: *Vade retro Sathana.* Præ omnibus creaturis summè diligebat matrem: voluit tamen eam doloribus affligere, cum insciâ ipsa remansit in templo Ierosolymis per triduum, quia voluntas Patris erat, ut id ageret, cui magis obligatus erat. Non ita Adam egit, quia relicto Dei præcepto, potius audiit vocem uxoris, rem vetitam suadentis, ne eam contristaret, idcirco à Deo audit: *Quia audisti vocem uxoris tuæ* (potius scilicet quam meam) *& comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*, Gen.3. Simili modo Pilatus, licet innocentiam Christi videret, & iniquam ejus condemnationem, ne tamen perderet amicitiam Cæsaris, Christum præter jus fasque condemnavit: idcirco & Dei & Cæsaris gratiam jure meritoque perdidit, siquidem à Tiberio Imperatore, cui placere studuerat, condemnatus & Viennam in Galliam relegatus est, tandemque anno Christi 41. multis calamitatibus pressus sua se manu interfecit. Baron.anno 41. Et vero quam multi adhuc horum potius, quam Christi sectatores inveniuntur? Quam multi cum Adamo sunt mariti, qui ut placeant uxoribus earum gratiam retineant, easque non contristent, plurima mala agunt? Quam multi accipiunt pomum ab uxoris manu, quod illa contra Dei mandatum offert? Quam multi cum Pilato propter amicos, ne eos contristent, vel inimicos sibi faciant, inique judicant, injustæ adstipulantur sententiæ, vel actioni, falsum testimonium ferunt, injusta multa connivent? At non est hic amor iste novus, quem docuit nos Christus: amor iste perniciosus est & Ethnicorũ, qui hominibꝰ potius, quam Deo placere studuerunt. Quamquam nec inter illos defuere, qui amorem hunc improbarunt: Cicero enim leges texens amicitiæ hanc in fronte posuit: *Prima lex est amicitiæ, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati*, Cicero in Lælio. Pericles etiam amico flagitanti, ut pro se juramento confirmaret, quod non erat, respondit: *Amicus tibi sum sed usque ad aras* (Plutarch. in Apopht.) quasi dicat: non usque ad Numinis offensionem; quia olim jurantes aram manu contingebant. Utinam igitur vel ab istis rationem diligendi proximum disceremus vere Christianam. Stultus est is amor, qui pro amico se in peccatum & gehennam præcipitat. Quemadmodum nemo prudens laudavit adhuc factum Galeacii Mantuani, qui Papiæ hybernans, & forte in ponte obviam habens puellam, ab eadem audiens per quandam jocandi speciem: *Amator egregie, quin & ponte in amnem desilis mei gratia?* mox concitato equo præcipitavit se in Ticinum, unde vix natabundus emersit. Pontan.lib.1.cap.35.de Fortitud.Et plerumque fit ut tales & odium Dei & hominis simul, cui contra Deum adhærebant, incurrant, uti Pilatus. Sic Volsæus Episcopus, qui cum Auctor fuisset Henrico VIII. Angliæ Regi, ut is Catharinam Aragoniam legitimam conjugem repudiaret, postea regiæ etiam Majestatis reus factus, dum Londinum duceretur supplicio afficiendus, furiis conscientiæ malæ agitatus, & quasi desperabundus, dixit: *Utinam nihil magis divinæ Majestatis læsæ reus essem. Nunc autem cum nihil prius habuerim, quam ea relicta Regi inservire, & in Deum peccavi & in Regem.* Nicol Sanderus de Schism.Angl.lib.1.

C. II. Sancte.

Secundo. Dilexit sanctè, ob virtutem scil. non ob formæ elegantiam, affabilitatem, nobilitatem vel voluptatem, &c. Patet Marc.10. ubi adolescentem vitam æternam consequi cupientem, & respondentem, quod omnia Dei mandata observasset à juventute sua, intuitus eum dilexit, quia videlicet mandata Dei ita sedulo servasset. Eundem verò ad perfectionem vocatum, & cum tristitia abeuntem, abire permisit. Itaque eum in via Dei currentem dilexit: eundem verò à cursu cessantem, & in opere torpentem repudiavit. Ratio itaque diligendi proximum, virtus esse debet, non forma, non nobilitas, non deliciæ, &c. hi enim amores fundamento carent, & super arenam structi sunt, id est super bona fluxa, ideò cito corruunt, cum suis fundamentis, licet initio vehementissimi sint. Ut enim nullum vestimentum est tam festivum, quin assuetudine tandem fiat quotidianum & contemptum; Sic amores isti vani. David initio quidem ob formæ elegantiam & psallendi peritiam adeo diligabatur à Saule, ut semper in conspectu ejus stare debuerit, 1. Reg.16. Paulo post tamen ita ab eo odio habitus est, *ut non posset Saul rectis oculis eum intueri*, 1. Reg.18. Sic etiam deperiit Amnon sororem suam Thamar ob speciei excellentiam, ita ut propter eam ægrotaret: sed postquam eam compressisset, exosam habuit *odio magno nimis*, 2.Reg.3. Cujusmodi amor peste magis fugiendus est, quia bestialis; tantum ab est, ut Christianus sit. Veram autem optimamque amicitiam esse ob virtutem, docet vel Ethnicus Aristoteles lib.7. Moral. cap.3. cum Doctrina Christi optime concordans.

D. III. Efficaciter.

Tertio. Dilexit efficaciter, opere & virtute, non verbo tantum & lingua, ut testatur S.Ioannes 1.Ioan.3. cum ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Subdit mox:

mox: *& nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Hæc Ioannes. Qui non ait subveniendum egentibus, cum rogamur: sed si videamus eos, succurrendum esse. Hoc enim fecit Christus, ut testatur S. Ioannes Chrysost. Orat. 1. advers. Iudæos, inquiens: *Propterea Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, ut Christum imiteris ejusque legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non Ierosolymis desidens vocavit ad se ægrotos, sed obambulabat civitates ac vicos geminos curans morbos, tum animi tum corporis: attamen poterat eodem in loco sedens omnia ad se attrahere, non tamen hoc fecit nobis præbens exemplum, ut obambulemus & quæramus eos, qui pereunt. An non vides medicos quoq; hoc ipsum facere? non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipsorum ædes deferri, sed ipsi accurrunt ad eos. Hoc & tu facito dilecte, sciens hanc præsentem vitam esse brevem, quodque nisi hæc lucra paraverimus, nullam illic sumus habituri salutē.* Hæc Chrysost. Tali amore flagrabat erga Ionatham David, qui eo jam mortuo dixit: *Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionatham,* 2. Reg. 9. Amor sola mente conceptus, vel lingua tantum expressus & opere non exhibitus, sterilis & inutilis est, quia nec tibi affert laudem aut consolationem, vel suavitatem, quam perciperes alioquin ex amore reciproco; nec alteri quidquam prodest, imo scandalo est cæteris. Unde verius amor non est, quia verus amor otiosus non est.

Inanis igitur est illorum amicitia, qui oretenus sua deferunt obsequia, cum autem requiruntur de obsequio præstando, de suo nihil ponunt, neque operam, neque pecuniam.

Unde Apostolus Iacobus cap. 2. ejusmodi charitatem fidei mortuæ comparat, quæ & ipsa inutilis est. *Si frater,* inquit, *aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Quare sicut mortua fides intrat in infernum, ita & mortua charitas.

Porrò non frustra dixit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere;* Nam propter salutem proximi debemus temporalia nostra contemnere, eorumque jacturam facere.

Unde Augustinus lib. de mendacio cap. sexto ait; *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Hæc autem ratio dilectionis nova, & Christianis propria est. Sic S. Gregorius Nazianzenus cum propter se ab invidis turbas cieri, & alium Episcopum substitui videret, dixit: *Absit ut mei causa simultas aliqua in Dei sacerdotibus oriatur. Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare, ut vos jactari desinatis.* In vita ejusdem.

E. IV. *Gratis.*

Quarto. Dilexit gratis, nullo suo commodo: quia sumus *justificati gratis per gratiam ipsius*, ait Apostolus ad Rom. 3. Quidquid enim boni agimus, nobis agimus, nobis serimus & metimus. Adhæc pauperes elegit Apostolos, à quibus nihil sperare poterat compensationis. Similiter ergo gratis diligere debemus proximos sine spe retributionis ab ipsis percipiendæ, si Christianè diligere volumus. *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Si quidem etiam peccatores hoc faciunt,* ait Dominus Luc. 6. Imo talis amor non est proximi, sed sui ipsius; quia amare proximum est ei benevelle: tales autem sibi potius bene volunt, quam proximo, imo illum exinanire cupiunt.

Unde rectè comparantur pediculis, qui non discedunt à morientibus, nisi sanguis extinctus sit, quo nutriri solent. Sic diligunt adulatores, parasiti ac multi clientes benefactores ac Mecænates suos, propter derivata in se ab illis beneficia, imo plurimi parentes diligunt ita liberos suos, dum eos provehere ad dignitates & opulenta matrimonia volunt; siquidem in illis ipsi evehi & excellere cupiunt, esseque post vitam immortales. Cujus indicium est, quòd cum contigit mori liberos eorum etiam innocentes, flent irremediabilibus lachrymis, quia vident se non ultra posse in illis optato modo excellere, & nomen suum apud posteros immortalitati consecrare; cum potius gaudere deberent ob felicissimam eorum sortem. Horum typus erat Isaac, qui Esau filium amabat, eò quod vescebatur de venationibus ejus, Genesis vigesimo quinto. Definit hic amor cum amatus definit benefacere.

F. V. *Indifferenter.*

Quinto. Dilexit etiam inimicos. Etenim *cum inimici essemus,* inquit Apostolus ad Rom. 5. *reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Sic lavit pedes proditori suo: Restituit aurem abscissam insidiatori suo: Oravit pro crucifixoribus suis. Sic Christianum decet diligere non amicos tantum, sed etiam inimicos. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt,* ait Dominus Matth. 5. *quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum: Quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?*

Nova est lex Christiana, & novam perfectionem affert. Diligere amicos etiam Ethnici solent. Diligere ergo inimicos Christianorum est. Porrò sicut Christus multa etiam adhibuit media ad reconciliandum sibi proditorem suum, (lavit ei pedes, cibavit eum in mensa, & tandem comminatus est ei) similiter quivis Christianus media adhibere debet ad reconciliandos sibi inimicos, per beneficia, per veniæ rogationem, per compromissarios, &c. Et qui prior est in tali officii genere, hic laude dignior & Deo charior est.

Fecit & Aristippus Philosophus gentilis teste Plu-

Plutarcho de cohibt. ira, qui cum simultatis aliquid haberet cum Æschine, domum ejus adiens. *Num quamprimum*, inquit, *redibimus in gratiam ac nugari desinemus: an potius expectabimus ut scurris inter pocula fabula fiamus?* Cui cum Æschines respōderet, libenter se in gratiam rediturum: *Memento igitur*, ait Aristippus, *quod cum essem natu major, prior ad te accesserim.* Ad quod alter: *Næ tu profectò vir me longè es melior; siquidem à me simultatis, à te sarciendæ gratiæ factum est initium.* Discant ab his Christiani. Et sanè nulla in re luculentius apparet amor Dei, quam in dilectione inimici; hic enim non diligitur propter se, aut propter aliquam utilitatem, aut consolationem, quam amans inde percipiat, sed nudè propter Deum, & gratis: quæ sane perfectissima dilectio est.

G. VI. *In vitam æternam.* Sexto. Dilexit in vitam æternam, hanc enim suis comparabat, non agros, non vineas, non dignitates: etiam ipsi matri suæ & discipulis. Petierat quidem Matth. 20. mater filiorum Zebedæi filiis suis sessionem à dextris & sinistris Christi in regno ejus, quod putabat futurum temporale, ut vult sanctus Chrysostomus homil. 66. & alii: sed audivit: *Nescitis quid petatis.* Et Christus spiritualia potius bona eis proponit prosequenda, *Potestis bibere calicem, &c.* Similes parentes videre est quam plurimos, qui de eo solum cogitant, ne filii ægrotent corpore, ne mendicent aliquando, ne infimum inter cives locum sortiantur, ne vile aut indignum sibi ineant matrimonium, ne gibbum aut aliquem in facie circumferant nævum, &c. de veris autem malis, Dei odio, malis moribus, sæculi vanitate, intemperantia, superbia, impietate & vitiis aliis à filiis suis avertendis, de æterna denique damnatione cavenda nec tantillum cogitant.

Multi item parentes solliciti sunt, quomodo liberos suos Ecclesiasticis beneficiis onerent, quomodo à religionis ingressu abstrahant: Seculo conforment & promoveant ad dignitates, gravent opibus, splendidè vestiant & comant, &c.

Negligunt illis vicissim vera bona quærere, Dei gratiam, mores inculpatos, conscientiam bonam, doctrinam sanctam, vitam æternam, &c. Ac hoc non est diligere in vitam æternam, quomodo Christus dilexit suos. Dilexit Christus matrem, dilexit Apostolos, dilexit discipulos, & verè sicut oportebat.

Numerate, si potestis, possessiones, palatia, vineas, hortos, vestes holosericas, dignitates, præbendas, quas eis attribuit. Væ igitur nobis, qui dicimur diligere & odio prosequimur amicos, dum occasiones perditionis eis quærimus: verius hoc est diligere ad gehennam.

H. VII. *In finem & constanter.* Septimo. In finem dilexit eos, ait Ioannes cap. 13. Si quidem in ultima cœna lavit eis pedes, &c. Adhæc discessurus è vita reliquit se Christianis in Sacramento altaris. Similiter ergo non ad tempus, sed constanter usque ad mortem, imò & post mortem diligant Christiani.

Agnoscebant hoc amoris debitum etiam gentiles, qui olim amorem pingebant in forma juvenis, ut indicarent eum semper vivere & nunquam consenescere debere; sine pileo, quia ubique contestari palam debet amicus secum amorem; cum veste lacera, quod neminem propter paupertatem contemnere; in fimbria scriptum erat: *Vita & Mors:* In fronte: *Hyems & æstas*, quod utroque tempore amare, habebat cor apertum, quod nihil amico celare; digito monstrabat cor, id est, securitatem amoris vel arcanorum communicationem & cordis synceritatem; in corde scriptum erat: *longe & prope*; quia longe & prope amare deberet.

Possumus hanc figuram verissime aptare Christo. Ipse enim juvenis est, amore semper virens; cor apertū habet, quia omnia nobis nota fecit, quæ audivit à Patre suo; vestem habet laceram, id est, propriam carnem propter nos laniatam; diligit in vita & morte, hyeme tribulationis, & æstate prosperitatis, longe & prope amorem suum erga nos testatur, &c. Ad hunc ergo modum diligere debemus proximum Christiani, constanter, syncere, palam, in vita & post vitam, in prosperitate & adversitate, prope & longe degentem.

Itaque audiamus Apostolum ad Ephes. 5. dicentem: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

CONCIO II.

CAUSÆ CUR INIMICI etiam diligendi sint.

I. Propter Christum. 1. Propter ejus mandatum. 2. Propter æquissimam ejus postulationem & meritum. 3. Propter ejus exemplum.

II. Propter nos ipsos.

III. Propter inimicos. 1. Quia à peccatis te arcent. 2. Quia te ad virtutem stimulant. 3. Quia te ad gloriam promovent.

THEMA.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem, Joan. 15.

A. SAnctus Chrysostomus homil. quadragesima nona super Matthæum, narrat pervulgatam illam de Aquila historiam, utpote quæ soleat pullos suos ungue suspensos ad solarium radiorum obtutum evehere, & examinare legitimine sint, an spurii: & si quidem rectà intendere potuerint contra solis radios,

dios, pro legitimis agnoſcere, ſin minus, ut adulterinos abjicere.

Addit vero idem Sanctus, ſic & filios Dei ad Chriſti juſtitiam pleno corde ſuſcipiendam comprobari.

Hoc certe facit Chriſtus circa dilectionem inimicorum: elevat enim nos in altum, & vult ut rectis oculis, ſive placidè & amicè inimicos intueamur, ſalutemus, alloquamur, diligamus, eis benefaciamus, pro iis oremus, &c. Si filii ejus legitimi haberi ab eo velimus.

Hoc enim monet Matth. 5. cum ait: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii* (utique legitimi, non ſpurii) *Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Quam dilectionem etiam in hodierno Evangelio comprehendit, cum ait: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, omnes videlicet, nemine excepto, ſive amicos, ſive inimicos.

Ideò paulò antè vocat hoc præceptum ſuum, & Ioan. 13. mandatum novum: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Præceptum autem Chriſti proprium eſt, de diligendis etiam inimicis, itemque novum, quia ut notat ibi ſanctus Cyrillus, diligere amicos novum non erat.

Mandatum verò eſt diligendos etiam inimicos, ſaltem in generali, qua ratione omnes homines diligere debemus, eis ſalutem optare & precari, in neceſsitate juvare, &c. (In ſpeciali vero quaſi amicos: conſilium tantum.) Viderit ergò quiſquis rectis oculis aſpicere inimicum noluerit, ne in divino illo examine, ut adulterinus abjiciatur; Quemadmodùm & Saul Rex abjectus eſt, quia *non rectis oculis aſpiciebat David à die illa* (triumphi ſcilicet habiti de Goliath) *& deinceps.* Ut dicitur 1. Reg. 18. Sed difficile eſt inquies, intueri ſolem, non poſſunt hoc omnium oculi; difficile mihi perſuadeo, quomodo inimicum meum etiam amare debeam, cum vix in eadem domo vel civitate eum tolerare poſſim.

Ego vero dico multa eſſe etiam fortiſsima argumenta, quæ hoc tibi perſuadere debeant, quorum hic aliqua attingam.

B. I. *Propter Chriſtum.* 1. *Propter ejus mandatum.*

Primo. Diligere inimicum debes propter Chriſtum: & primo, quia tam ſeriò id præcepit: *Ego autem dico vobis, &c. Hæc mando vobis. Hoc eſt præceptum, &c.* Mirabile eſt, quod ſoli homini toties replicare legem ſuam debeat Deus, cum reliquis creaturis unico tantum verbo imperarit, & ſemper obſequentes habeat. Ipſe ſemel tantum dixit mari: *Uſque huc venies & non procedens amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, Iob. 38. & mare ſemper obedit.

Vide igitur ne ſi tu voci Dei obedire recuſes, cum mare obediat, in te quadrat, quod Eſaiæ vigeſimo tertio dicitur Sidoni: *Erubeſce Sidon, ait mare.* Erubeſce Chriſtiane ait mare; ſi quidem obedio ſemper ad unam Dei vocem, cum tu ad multas non obedias. Quid quod Dominis temporalibus etiam in rebus illicitis prompte obediunt homines; & Deo non obediant juſtiſsimam rem petenti? Qua ratione putatis animavit Abſolon ſervos ſuos ad immanem fratris ſui cædem perficiendam? Non alia, quam voce illa: *Percutite eum, nolite timere, ego ſum, qui præcipio vobis*, 2. Reg. 13. Quid igitur dicemus, ſi non audiamus Deum noſtrum tam glorioſum opus dilectionis nobis præcipientem? *Ego dico vobis*, qui Deus, & cujus voluntas eſt regula æquitatis. *Ego*, qui mercedem æternam do: *Ego*, qui animam & corpus perdere poſſum, ſi quis non obediat.

2. *Propter æquiſſimam ejus poſtulationem & meritum.*

Secundo diligere debemus inimicum propter Chriſtum, quia amorem, quem Deo debemus, ipſe jubet nos impertire inimico noſtro.

Creditorem habes Paulum: Tradit hic chirographum Petro amico ſuo, licet inimico ſuo jubetque ut pecuniam, quam ipſi debes, nomine ejus Petro numeres. Quid tu hic excuſabis? Non debes Petro? debes tamen Paulo, & cui voluerit Paulus donare jus ſuum, ſeu chirographum.

Debes profectoChriſto dilectionem omnem, quia dilexit te prior & redemit te: jam hoc jus ſuum contulit Chriſtus omnibus hominibus, adeoque etiam inimicis tuis, voluit enim, ut eos diligeres propter ipſum.

Nil igitur habes excuſationis, alioqui convincereris, etiam amicos diligi à te non propter Deum, ſed propter ipſos, vel tuam utilitatem.

Hoc medio uſi fratres Ioſephi, obtinuerunt ab illo non modo injuriæ condonationem, ſed etiam magnum amorem. Mortuo enim Patre Iacobo, timentes & mutuo colloquentes, ne memor ſit injuriæ, quam paſſus eſt ab eis Ioſeph, ita precantur: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur: ut hæc tibi verbis illius diceremus: obſecro ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, & malitiæ, quam exercuerunt in te.*

Quo audito Ioſeph non modo non recordatus eſt injuriæ, ſed etiam beneficia plurima eis contulit, Geneſ. quinquageſimo. Præcepit ſimiliter nobis Chriſtus paulò antequam moreretur, nimirum in ſermone cœnæ Domini, ſæpius ut diligeremus invicem ſine exceptione omnes; Cur ergo non diligis ſaltem propter Chriſtum tuos inimicos? Sed fratres illi erant, inquies. Quid tum? prius inimici & perſecutores Ioſphi erant.

Deinde nonne Aman infenſiſsimus erat Mardochæo? & nihilominus tamen propter Regis mandatum eum honoravit, circumducens per totam civitatem & coram omnibus prædicans; *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare*, Eſth. 6. dic tu ſimiliter mihi: Quid debet fieri homini, quem vult Deus diligi? nonne ab omnibus debet diligi?

Hoc

Hoc igitur tu facito, si non propter hominem, saltem propter Deum. Quod si bene perpendis tu ipse quotidie uteris hoc medio ad impetrandam peccatorum tuorum veniam.

Petis enim condonari peccata tua propter Christum, ejusque merita: non autem propter te, qui odium & supplicium mereris. Dilige ergo similiter inimicum propter Christum, beneficiis cumula, &c.

Propter [...]ius exemplum.

Tertio. Propter Christi exemplum. Præceperat Christus diligendos inimicos corde: *Diligite inimicos vestros.* Ore, orate pro persequentibus vos. Opere, benefacite his, qui oderunt vos. Totum hoc exemplo suo docuit. Corde dilexit Iudam, quem sciebat suum fore proditorem, in ultima cœna eum cibavit, prostratus ad ejus genua, pedes ejus lavit & tenuit, ne curreret ad præcipitium. Oravit pro inimicis suis in cruce. Benefecit Malcho comprehensori suo, dum auriculam ejus sanavit. Et quis videat hæc facientem Regem suum, ipse vero non faciat?

Franciscus I. Gallorum Rex, ut primum litteras, à quibus sui Majores semper abhorruerant, amare cœpit, statim secuta nobilitas est. Deinde reliqui ordines, tanto studio artes bonas conquisierunt, ut nusquam litteratorum extiterit copia major, Bodin. Method. histor. capite sexto. Ad eundem modum postquam Christus incepit amare inimicos, quos priora retro sæcula odisse consueverunt, mox secuti eum primo ejus proceres Apostoli sanctus Iacobus, S. Stephanus, &c. qui morientes pro inimicis suis ad exemplum Christi orarunt. Ille: *Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Hic verò: *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Deinde innumerabilis sanctorum Patrum turba, qui ad imitationem Christi se in hac virtute magno studio exercuerunt: ut jam complanata & tritissima videatur hæc via. Et sicut Socrates, referente Seneca, *carcerem intravit, ipsi loco ignominiam detracturus.* Ita Christus diligendo inimicos suos ipsis ignominiam & horrorem omnem detraxit, ut jam non turpe, sed gloriosum haberi debeat, diligere inimicos. Cur quæso nunc exosculamur crucem? nonne quia Christus eam amplexus est, & sanctificavit ab omni horrore? omnino ergo amplectere & oscul are inimicos, quia etiam Christus eos amplexus est, & ab omni horrore vindicavit.

Secundo. Propter te ipsum. Et quidem primo, quia maximus tibi inde fructus proveniet, de quo alibi integro sermone. Secundo ob professionem tuam & statum Christianæ perfectionis. *Cum Christianum dico*, ait D. Ambrosius super Psalmum 118. *perfectum dico.*

C. II. Propter nos ipsos.

Non est autem perfectus, qui non diligit inimicos. Sic enim Christus post traditam illam dilectionis inimicorum legem, subdit: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

Igitur si verè Christiani esse & Christianorum mercedem lucrari volumus, transcendere naturam & extendere amorem nostrum etiam ad inimicos debemus, id quod majoris est difficultatis (sicut difficilius longe inflammatur lignum viride, quam aridum) & majoris meriti: Alioqui qua fronte audeat aliquis pulsare fores cœli & clamare: *Domine, Domine aperi nobis*; si nihil præclarius fecit, quam Ethnici & peccatores fecerint.

Imo non dubium, quin tales magis abominetur Deus, quam Ethnicos, qui de hac doctrina nihil cognoverunt.

Hoc enim est, quod Apoc. 3. de Episcopo Laodiceæ dicitur. (Quemadmodum exponit S. Ambrosius super prædictum Psal. 118. D. Thom. q. 3. de malo. Beda & alii) *utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Frigidus enim infidelem designat, qui aliquam habet propter ignorantiam, in qua versatur, imperfectionis suæ excusationem. Tepidus vero fidelem, qui deterior frigido reputatur, si in eadem imperfectione sit, propter notitiam veritatis, & ampliora à Deo beneficia accepta. Unde sicut ovum semifœtum, si rumpatur, magis fœtet, quam si omnino crudum fuisset: ita tepidi & semifœti Christiani, magis fœtent coram Deo, quam gentiles.

D. III. Propter inimicos. 1. Qui à peccatis te arcent.

Tertio. Propter ipsos inimicos, si quidem multum tibi prosunt. Nam primo à peccatis multis te præservant, & abluunt à commissis. Coram amicis nugaris, detrahis, turpia loqueris, mentiris, inebriaris, &c. quæ omnia non faceres præsente inimico tuo. Ut vere pædagogi nostri vocari possint inimici, qui semper observant mores nostros.

Ita David, quamdiu Saulem habuit infensum & persecutorem, tamdiu in omnibus viis suis prudenter agebat, ut dicitur 1. Reg. 18. nec deliquit aliquando. At ubi suum pædagogum, suum hostem amisit Saulem, in adulterium lapsus est & homicidium, quia jam neminem habebat, qui delinquentem carperet: quod mox fecisset Saul, si occasionem habuisset.

Similiter etiam peccata tua abstergunt & sanant, dum ea tibi ob oculos ponunt & exaggerant. Rari sunt amici verè fideles, vel si sunt, ægre tolerantur, qui pravos amicorum mores carpere audent.

Unde Socrates dicebat, hominem indigere, vel vero aliquo amico, vel crudeli inimico. Talis fuit eidem Davidi post lapsum Semei. Vocabat enim eum inter alias contumelias, virum sanguinum, & ita revocabat ei in mentem adulterium & homicidium perpetratum, 2. Reg. 16.

Unde non incongruè vocatur ibi Semei, Canis, à servo Davidis Abisai: quia nimirum allatrando Davidem, lingebat interim & sanabat vulnera Davidis,

vidis, quæ lamentatur in Psalmo quinquagesimo ipse, cum ait: *Libera me de sanguinibus.*

Quis irascitur Chirurgo vel ejus instrumento, cum urit aut secat putridum, aut infectum aliquod membrum? imo non solum libenter id quisque sustinet, sed præterea Chirurgum largè remuneratur.

Ita ergò sustinuit Semejum David, dicens: *Dimitte eum ut maledicat, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Si quis tibi maculam in facie aut veste tua ostendat, gratias illi habes; at hoc faciunt tibi inimici tui, cum tibi probra tua objiciunt. Ipsi tui veridici sunt; & quomodo eos odisse potes, cum veritatem omnes appetant?

Quia te ad virtutem stimulant.

Secundo. Ad virtutem stimulant, præcipuè verò in patientia exercent: Et hoc sensu putat sanctus August. dictum esse de Esau: *Major serviet minori*, hoc est, Esau Iacobo, Gen. 25. non obsequendo scilicet, sed persequendo & ad virtutem exercendo. *Quomodo servit ignis auro ad splendorem & puritatem acquirendam.* Cujus rei præsagium erat, quod in ipso matris utero pugnabat in fratrem Esau.

Sanè Dominus noster Petrum, qui conabatur eum à passione revocare, dicens: *Domine non erit tibi hoc:* durè allocutus est: *Vade retro post me Sathana, non sapis ea quæ Dei sunt.*

Contra verò Iudam, cum ab eo in manus hostium tradebatur, amicum salutavit: *Amice ad quid venisti?* Et cur ita putatis? Insinuare nobis voluit, quanti meriti sit patientia injuriarum, cujus materiam, quia nobis afferunt inimici, eamque in nobis exercent, merito amici vocandi & ut amici diligendi sunt.

Hinc nobilis quædam matrona Alexandriæ, ut scribit Cassianus coll. 18. cap. 14. petebat ab Antistite Athanasio unam de pauperibus viduis, quæ Ecclesiæ impensis alebantur, cui posset benefacere, & domi suæ ministrare.

Cumque ei data esset una, quæ virtute cæteris præcellebat, conqueri cœpit, non esse datam, quam volebat: ideoque unam petiit, quæ esset omnium importunissima, ut sic in ea sustentanda non solum liberalitatem, sed etiam patientiam exercere posset: quam cum nacta esset, egit gratias S. Athanasio dicens: *Tandem delegi contubernalem; cui pro malo bonum, pro injuria beneficium reddere assuefaciam.*

Quia te ad gloriam promovent.

Tertio. Quia ad gloriam te promovent, & coronam in dorso tuo tibi fabricant.

Unde sanctus ille verissimè dixit (apud Cornelium de Lapide in Gen. cap. 37.) *Persecutores aurifabri sunt, qui nobis & præsentis & æterni regni coronas fabricant.*

Quis ergo non amet illos? Dic quæso, si forte rude aliquod saxum elaboret lapicida malleis & scapellis, & inde conficiat pulchram statuam, quæ posita in altari ab omnibus honoratur, cui prætereuntes caput aperiunt, genua curvant, &c.

Quid quæso mali commisere instrumenta illa, quæ statuam hanc tunsionibus & infinitis ictibus elaborarunt? Nihil omnino mali, sed plurimum boni præstitere, quia ad dignitatem eam promovere. Ita res habet in proposito.

Aspice Iosephum illum adhuc puerum, & à fratribus in cisternam missum; posteà Ismaelitis venditum, & in Ægyptum abductum, postmodum in tetrum carcerem conjectū: quis non tunc eum miserrimum omnium diceret & infelicissimum? Revera tamen felix erat: nam per has tribulationes omnes manipulus ejus (quemadmodum in somnio vidit) erectus est: fratrum vero manipuli dejecti: Per hæc promotus est ad maximam dignitatem, & tandem à fratribus & tota Ægypto adoratus. *Ideò*, inquit sanctus Gregorius lib. 6. Moral. cap. 12. *venditus est à fratribus Joseph, ne ab eis adoraretur, sed ideò est adoratus, quia est venditus.*

Quæro jam ex te: Visne tu aliquando in cœlo tibi locum esse, & inter Sanctos computari? Omnino ais: Patere igitur, imo exosculare lapicidas tuos, quia per illos elaborandus es. Omnes electos lapides vivos esse cœlestis Hierusalem discimus ex hymno Ecclesiæ: *Urbs Jerusalem beata.* Et quid ibi canimus? Inter alia etiam hæc: *Illuc introducitur omnis, qui ob Christi nomen hic in mundo premitur: Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis: disponuntur permansuri sacris ædificiis.* Quare non absurde licet impie Iulianus Apostata, cum Catholicorum, & præsertim Ecclesiasticorum bona diripiebat, dicere solebat: *Hac ratione eos magis expeditos reddo ad regnum cœlorum. Beati namque inter eos sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pompon. Lætus in ejus vita: non, inquam, falso aut absurde dixit: nam etiamnum orbis colit & veneratur, quos ipse fecit Martyres: ipsum vero execratur. Propterea sancti Martyres sæpe gratias agebant iis, à quibus patiebantur. S. Ignatius ad bestias damnatus dicebat, se eas contra se extimulaturum, ne sibi parcant, quia: *Ignoscite filioli*, ajebat, *quid mihi prosit ego scio: Nempe frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus efficiar.*

Sanctus Cyprianus Martyr carnifici traditus prius illi numerari rogavit ab amicis viginti quinque aureos. Pontius in ejus vita. Beatus Thomas Morus carnifici osculum, & Angelotum aureum dedit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficii præstiturus es, quod hactenus nemo mortalium præstitit, aut præstare potuit.* Staplet. cap. 20. in vita.

Hæc in præsentiarum sufficiant nobis, ut rectis imposterum oculis inimicos intueamur; Si enim hæc non sufficiunt, quomodo non adulterinæ Christi proles sumus? quomodo non metuimus, ne à parente nostro æternum abjiciamur, adeoque sinistro etiam oculo ab eo aspiciamur?

CON-

CONCIO III.

OSTENDITUR MULIEREM debere esse viro subditam.

I. *Ex Sacra Scriptura.*
II. *Ex lege naturæ.*
III. *Ex jure gentium.*
IV. *Ex decreto divino.*

THEMA.

Non est servus major Domino suo, Ioan. 15.

A. DUos magnos sanctos ejusdem Apostolicæ dignitatis nec imparis sanctitatis hodie celebrat Ecclesia, Simonem inquam & Iudam, sed video, nescio quam, sortis disparitatem in duobus his nominibus.

Nomen Iudæ adeo vitant homines, ut non facilè reperias aliquem à tempore proditoris Iudæ, qui hoc nomine vocatus sit. Contra nomen Simon (germanica nostra lingua scriptum, sicut proverbio enuntiamus: Sein Weib heist Symann) omnes pene ambiunt & inprimis mulieres, quæ nimirum maritorum officium & imperium usurpare moliuntur.

Verum enim vero non video quo jure hoc nomen sibi arrogent, quod vel ex hodierno discimus Evangelio. Si enim non est servus major Domino suo; utique nec mulier viro suo, cujus dominatui jam pridem subjecta fuit à primæva Dei institutione.

Accedit gentium opinio: *Quævis enim pudica mulier,* inquit Euripides apud Clement. Alexandrinum libro quarto strom. *est viri serva.* Vereor ne mulieres ægrè istud audiant quamobrem fusius ostendendum est.

B. Primò. Ostendit S. Scriptura & lex divina.

I. *Ex sacra scriptura.* Primò, Genes. 3. Ubi ad Evam Deus dixit: *Sub viri potestate eris; & ipse dominabitur tui.*

Propterea etiam post virum & occasione viri tantum creata & formata est, & quidem ex osse ejus: adhæc ad virum adducta est, non vir ad mulierem: Denique à viro nomen ei impositum, non secus ac brutis animantibus viro subjectis.

Secundo. Idem confirmat Ecclesiast. capite vigesimo quinto: *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo,* quasi diceret, rebellis; velut si servus rebellet contra Dominum suum. Ex qua rebellione & contrarietate necesse est sequi lites & perturbationem totius domus: Unde sanctus Augustinus de Catech. rud. ait: *Cum fœmina dominatur in virum perversa & misera domus est.*

Tertio. Idem docet sanctus Petrus Epist. 1. cap. 3. Ubi cum capite præcedente jussisset servos subditos esse Dominis suis, subjicit capite tertio: *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis.*

Quarto. Idem pluribus in locis inculcat sanctus Paulus 1. ad Ephes. 5. *Mulieres,* inquit, *viris suis subjectæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.* Ergo existimet mulier se obedire Christo: si obediat viro.

Deinde ad Coloss. 3. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino*; quasi diceret, secundum Christi Domini legem & Evangelium; vel in Domino, id est, quatenus nihil præcipiunt; quod est contra Dominum Deum.

Tertio. 1. Tim. 2. inquit: *Mulieri non permitto dominari in virum, sed esse in silentio.* Quibus verbis excludit omnes exceptiones, v. g. Si dicat aliqua, maritum suum simplicem & imprudentem, infirmum vel pusillanimem; vel humiliori loco natum esse, quam sit ipsa; Respondebit semper Apostolus: *Mulieri non permitto dominari in virum.*

Quarto. Ad Tit. 2. Iubet mulieres subditas esse viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Quia ut ait sanctus Hieronymus: *Verbum Domini blasphematur, dum contemnitur Dei prima sententia & pro nihilo ducitur.* Vel Christi infamatur Evangelium, dum contra legem fidemque naturæ ea, quæ Christiana est, & ex Dei lege subjecta viro, imperare desiderat: cum & gentiles fœminæ viris suis serviant communis lege naturæ.

C. II. *Ex lege naturæ.* Secundo. Ostendit lex naturæ; siquidem mulier viro longè inferior facta est, viribus corporis, consilio, affectibus, qui magis sensuales, faciles & molles sunt in muliere, quam in viro. Unde Ecclesiast. capite septimo ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.*

Denique mulier in dominatu est impotens, insipiens, avara, exactionesque magnas imperat ad sui & familiæ ornatum suaque non tam ex ratione & judicio, quam ex affectu & libidine, vel ex impetu & præcipitantia. Unde infirmum & inconstans semper fuit mulierum imperium, uti historiæ docent.

Dictat autem lex naturæ, ut qui plus habet virium, prudentiæ, cordis &c. præsit ei, qui habet minus. Quare merito præcepit Deus Deut. vigesimo secundo: *Non induetur mulier veste virili.* Quia scilicet nequaquam decet, ut mulier viribus animi & corporis viro inferior, viri dignitatem, officium & authoritatem assumat. Monstrum est hoc in natura, velut si discipulus velit regere Magistrum, cæcutiens videntem, infirmus portare sanū: vel si viri fila ducere, mulieres militare aut arare. Hoc autem fit, si uxor maritum verberet, domo excludat, refectione privet, à pecuniis arceat, &c. Audi Augustinum in quæst. super Gen. c. centesimo quinquagesimo tertio. *Et ordo,* inquit, *naturalis in hominibus ut serviant fœminæ viris: quia & illic justitia est*

est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori, & hæc in dominationibus & servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione.

Id ipsum etiam in naturis aliis cernere est, in quibus mas communiter præstantior est fœmina: Unde Ælianus libro undecimo capite vigesimo sexto ait: *Sexus masculus etiam inter bruta videtur à natura præferri: siquidem Draco mas insignis est crista & barba hirsutus: gallinaceus & ipse cristatus; palear insuper velut barbam gerit: cervus cornutus; leo jubatus: cicada mas canorus est.* Aves etiam mares præcellunt fœminas communiter pulchritudine, magnitudine, cantu, &c. Ergò non mulier sed vir cristam & cornua gerat: vir loquatur, mulier taceat.

Turpe semper æstimatum est regi vinci à fœmina juxta id Isai. 3. *Mulieres dominatæ sunt eis*, & illud Philonis apud Anton. in Melissa tom. 2. serm. trigesimo quarto. *A muliere dominari summum est viro dedecus.* Quod dedecus in Romanis exprimere volens Cato, dixit: *Mulieres regunt nos, nos senatum, senatus Romam, Roma orbem.* Vel ut est apud Livium dec. 4. lib. quarto. *Omnes homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.*

Abimelech pro maximo pudore habuit occidi se à fœmina Iud. 9. Nec diffitetur Regina quædam Constantinopolitana, quæ Bulgarorum Regi multa minitanti respondit, meminisse eum debere, si vinceretur, fore turpissimum: si vinceret, parum ei gloriosum, fœminam vicisse. Baron. Tomo decimo.

D. III. *Ex jure gentium.*

Tertio. Ostendit jus & mos gentium. 1. Apud Gentiles. Aristoteles enim 2. polit. c. 3. taxat Spartanas viris imperantes. Cato apud Livium lib. 34. *Majores*, inquit, *nostri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Imo secundum leges Romanas non licebat uxori condere testamentum, sine viri authoritate. Assuerus etiam Persarum Rex, cum ad ejus imperium in conspectum prodire uxor nollet, eam ex consilio sapientum repudiavit, ne ad illius exemplum omnes aliæ conjuges contemnerent imperia maritorum, Esth. 1. Secundo apud Hæbræos. Scimus enim Saram vocasse maritum suum Abrahamum, Dominum suum, Gen. 18. Scimus eundem in sua peregrinatione relictis parentibus & patria undique secutam, Gen. 12. Rebecca viso Isaac sponso suo de Camelo desiliens & pallio se contegens obviam ei processit, Gen. 24. Sic Noëmi, Anna, Abigail, Esther, Iudit, Ruth & inprimis virgo Deipara, quæ sponsum sibi præponens, cum tamen multas haberet causas, sponso se præferendi, dicebat filio: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, Luc. 2. Tertio. Apud Christianos etiam omnes sanctæ mulieres subditas se exhibuerunt viris suis. S. Natalia maritum suum Adrianum vocabat Dominum suum, S. Monica Patritio *viro suo serviebat quasi Domino*, ut ait S. Aug. lib. 9. Confess. c. 9. Denique universim *bona conjux*, ait S. Ambr. in cap. 31. Prov. c. 31. *Non solum vocat virũ suum, Dominum suũ, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, &c.* Propterea Primo ex more gentium mulieres velatæ sunt & caput non aperiunt in publico, etiam cum orant, quod præcepit illis Apostolus 1. Cor. 11. unde & velamen earum *potestatem* ibi vocat; Est enim signum potestatis, quam habet vir in mulierem, sicut caput nudum signum est libertatis. Ideo Tertullian. lib. de corona militis cap. 14. Velamen mulierum vocat *humilitatis earum sarcinam.* Et lib. de velandis virg. cap. 17. *jugum illarum*; Chrysost. *insigne subjectionis.* Propterea secundo mulieres sortiuntur nomen suum à viris. Sic enim Hebræa mulier vocatur Ischa ab Isch, quasi diceret, vira seu virago à viro. Sic apud Iudæos vocabantur Maria Cleophæ, Maria Iacobi, &c. Et apud Romanos à Publio Cajo, Cornelio, Tullio, Lucio, vocabantur uxores, Publia, Caja, Cornelia, Tullia, Lucia. Sic apud nos germanos aliasque nationes.

E. IV. *Ex decreto divi.*

Quarto. Ostendit divinum judicium latæ in eas sententiæ. Quia enim Eva virum suum induxit in peccatum, & per hoc cum ipso totum genus humanum, una secum perdidit, subjecit eam Deus novo titulo, pœnæ scilicet, marito suo: *sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui*, ait Deus Gen. 3. Hebraicè habetur: *Ad virum concupiscentia vel recursus aut discursus tuus*; vel ut LXX. vertunt: *Conversio tua*, quasi diceret, quicquid desiderabis, debebis ad virum recurrere, & ab eo petere; quare si sapis uxor, si pacem & quietem amas, cum viro tuo sentias & consentias, ejus imperio cedas & te submittas, os oculosque ad nutum ejus accommodes, nec aliud appetas, quam quod illi placiturum esse scias. Atque hoc est, quod Aristoteles in Oeconomicis suis lib. 1. & 2. docet, videlicet, ut mulier arbitrium suum, omnino exuat, quò obtemperet marito: fitque maritus ei pro corde, oculis & lingua: arrideat ridenti, compatiatur tristi, non adulatoris modo, vel Chamæleontis; sed ut socia & dimidiatum corpus ejus & cum eo unus spiritus.

Voluit ergo dicere Deus: Ad virum recursus seu conversio tua, id est, volo ut nihil agas nisi ex voluntate & exemplari tuo, quod optimè expressit Aristoteles lib. 1. Oecon. c. 1. & 2. cum dixit: *Existimare debet mulier bene composita, mores viri esse legem vitæ suæ impositam sibi à Deo per conjunctionem matrimonii, &c.* Atque hoc si omnino imperare velint mulieres unicum & optimum est medium, imperium obtinendi; si ad virum se convertant eique se accomodent ac placere & parere studeant. *Casta enim ad virum matrona parendo imperat*, ait Seneca. Ratio est primo, quia si honorat virum, se illi subjiciendo, honorabitur vicissim à viro suo. Ita enim Sara, quia honoravit virum suum & vocavit eum Dominum suum, vicissim ab eo honorata & Sarai vocata est, id est, Domina mea. Quod idem faciunt adhuc viri graves & prudentes, bonis & prudentibus uxoribus.

Ita

Ita Livia Augusti Cæsaris uxor interrogata, quibus rationibus Augustum sibi subjecisset? Respondit: *Multa modestia, quod ea, quæ placerent Augusto, faceret libenter & sciret dissimulare ejus errata.*

Secundo. Quia si honorat virum, honorat caput suum & inde in ipsam quoque redundat omnis honor. Unde sanctus Hieronymus ad Celantiam scribens, ait: *Tu Dominum illum* (maritum) *obsequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra: tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris.* Caput enim (ut inquit Apostolus) mulieris est vir: nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Itaque uxor cum quid definire aut statuere in re alicujus momenti vult, convertat se ad virum ejusque requirat consensum & consilium, nec aliquid, quod in ejus præjudicium tendit, contra ejus voluntatem faciat, honestis viri moribus semper se accommodet: colat ejus parentes etiam, curet familiæ bonum, nec bona communia prodigat: ad ornatum corporis non plus requirat, aut impendat, quàm ut viro satisfaciat. Hæc & alia, quæ muneris sui sunt, si observet, non difficilè concedam, ut Simon vocari queat, sed hebraica etymologia, videl. *obediens*: hoc enim sonat Simon: Et ita demum cum laude poterit imperare, adeoque fieri Synmann / si nimirum fuerit Simon. Vicissim etiam vir, si virum se exhibeat, non dubitet vocari Iudas, quod idem est ac Laus. Magna enim laus est, si habeant viri, & conservent potestatem sibi à Deo collatam. Cæterum ut habeant uxores sibi subditas, non rebelles, viderint inprimis ne asperè & tyrannicè imperent, sed blandè & comiter; non enim ex viri pedibus, sed è latere ejus formata est mulier. Primò igitur abstineat à verberibus, verbis asperis & minacibus, memor sexus fragilioris. Secundo, Minora ejus errata dissimulet & surda aure pertranseat, ne nimium emungendo, sanguinem eliciat, & summum jus summa fiet injuria. Tertiò. Victum & vestitum condecentem largiatur. Quarto. Suppeditet ei sumptus ad domesticos usus necessarios, nec rigidam eorum exigat rationem nisi urgente causa. Quinto. Consilia ejus non omnino aspernetur, sed apud se expendat: sæpe fuere utilissima. Sexto. Devotionem ejus non impediat, sed ob hanc felicem potius se existimet. Mulier enim pia multa potest bona familiæ impetrare, sicut Anna Samuelis Mater: multa mala avertere sicut Abigail uxor Nabal, &c.

E. IV. *Ex devo[...] to divin[...]*

CONCIO IV.

BONOS CUR HIC TRIBULARI oporteat, seu, tribulationum necessitas respectu bonorum.

I. *Ut disponantur ad virtutes capessendas.*
II. *Ut probentur.*
III. *Ut Sanctis conformentur.*
IV. *Ut digni fiant gloriæ*
X. *Ne extollantur.*
VI. *Ne plus æquo suspiciantur.*

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, Ioan. 15.

IN Academiis nostris mos est receptissimus, ut nemo ad studia admittatur, aut studiorum albo inscribatur, nisi prævia, ut vocamus; depositione fuerit acriter divexatus, & multis sannis variè exceptus, aliorumque ludibriis expositus. Quem morem ab Atheniensibus ad nos fluxisse ostendit doctissimus vir Alb. Hungerus in orat. de eadem consuetudine. Ibi is, qui admitti cupit, depalmatur, dolatur, secatur, cornibus armatur, nigrore obducitur, & miris agitatur modis. Quibus denique finitis studiosorum albo inscribitur. Similem consuetudinem imò legem observat in schola sua Christus: suos enim discipulos hic variè tribulat, antequam eos in cœlum recipiat, & Beatorum albo adscribat. Audite legem 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* Similiter Tob. 12. dicit Angelus Raphaël: *Quia acceptus eras Deo necesse fuit ut tentatio probaret te.* Et Actor. 14. ajunt Paulus & Barnabas: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Denique ad Hebr. 11. asserit Paulus, servos Dei varie fuisse depositos: *Alii ludibria & verbera experti,* inquit, *insuper & vincula & carceres; Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Aspicite vel unum collegium Apostolorum: nonne alii crucifixi sunt, alii lapidati, alii decollati, alii excoriati, alii in oleo assati, alii per medium secti? Nonne & istud est: quod in hodierno Evangelio prædicitur Apostolis? Iam verò non immerito quis scire desideret causas, ob quas hoc fieri oporteat. Ad quid enim, dices, necessaria hæc depositio? An non consultius foret, si semper prosperè & pacatè viveremus & virtutem interim coleremus? Causas igitur ejus indagemus. A.

B. I. *Ut disponantur. ad virtutes capessendas.*

Videntur hæ causæ fermè eædem cum causis depositionis Academicæ. Nam quæso, cur studiosi deponuntur? Primò arbitror ut hoc quasi medio habiles & dispositi reddantur ad omnis generis liberales disciplinas recipiendas. Id enim indicat illa dolatio, sectio, attonsio, &c. quasi per hæc capax disciplinarum reddi debeat studiosus. Hoc ipsum etiam intendit Deus, cum servos suos tribulationibus affligit, vult enim eos gratiæ donis & virtutibus magis & magis perpolire, & quasi in pulcherrimas statuas transformare. Ut ergò talis formæ pulchritu-

chritudinem queant recipere; prius dolari & secari tribulationibus debent. Unde Beatus Antiochus hom. septuagesima octava ait: *Sicut cera nisi recalescat aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem, ita & homo nisi laborum & multivariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ.*

Hinc Apostolum Paulum, quia eum Christus vas electionis facturus erat, tot laboribus attrivit, supra alios Apostolos. *Ego enim ostendam illi*, inquit Christus Actor. 9. *quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Vas insigne & elaboratum quis nescit sæpius per ignem transire debere, crebris tundi ictibus? Qui canem aut falconem instruere vult ad capiendas aviculas, aliave obsequia: fame, verberibus & vigiliis eos edomat. Quod si abundè eis præbeat cibum, nihil efficiet. Christus Apostolos suos eorumque sequaces instruere voluit, ut non solum ipsi boni essent, sed alios etiam bonos facerent, essentque canes venatici, ac falcones, qui alios caperent, ideo majoribus eos tribulationibus maceravit. Exemplum refertur in historia Patrum, Parte 2. c. 8. de quodam Christi Tyrone, qui ut ad Philosophiam Christianam idoneus redderetur, post delictum leve, veniam à Magistro orans, non aliter impetrare potuit, quam ut toto triennio aliorum onera ferret. Tulit, rediit, pacem petivit: quam se rursum ei negaturum dixit, nisi altero triennio mercedem daret iis, à quibus contumeliis & convitiis appeteretur: Et hoc præceptum sui præceptoris exhausit. Tum Philosophus, *ades ergo*, inquit, *ut experiar, quid profeceris.* Ductus Athenas, cum à sapiente illic viro ad ipsam portam sedente contumeliosè allatraretur, cœpit ridere juvenis. Miratus alter: *Quid hoc rei*, inquit, *tu sannis à me explosus rideas? Non rideam?* inquit discipulus: *tres annos mercedem solvi iis, qui me contumeliis onerarunt, hodie gratis id abs te patior.* Attonitus Atheniensis: *Ingredere*, inquit, *urbem*, *dignus cœtu sapientum..* Sic refert Raderus part. 2. viridar. capite 3. *Quare omne gaudium existimate fratres mei*, inquit sanctus Iacobus cap. 1. *cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Etenim qui plus aliis tribulantur, eos non dubium est supra alios evehendos à Deo: Non enim frustra eos ita macerat & subigit: Signum est quod magnâ gratiâ & multâ sapientiâ eos imbuere velit. In hujus rei significationem omnes lapides, qui ad templi Hierosolymitani fabricam adhibebantur prius dolari & perfici debuerunt, 3. Reg. 6. Primus Israëlitarum Rex Saul, quia sine tribulationibus ad regnum venit, incrassatus & dilatatus recalcitravit & à Deo abjectus est. Secundus verò David multis tribulationibus prius vexatus est; unde perseveravit in Dei amicitia.

C. II. *Ut probentur.*

Secundo. Ut probetur eorum indoles & virtus, quid pati possint, quid facere. Unde exercentur in cantu, in choreis, in palæstra, in concionando: in ludibriis quoque & verberibus. Similiter & justi probantur tribulationibus, ut eorundem virtus patescat. Unde Sapientiæ 3. dicitur: *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit illos.* Nimirum virtus non agnoscitur, nisi in adversitate. *Unde possum scire*, ait Senec. lib. Quare bonis viris, &c. *quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? Unde possum scire, quantum adversus ignominiam & infamiam odiumque populare constantiæ habeas, si inter plausus senescis? &c.* Adamas, ut scribit Origenes homil. 3. in Ieremiam, cum dubitatur an sit verus, ictibus probatur inter malleum & incudem: & siquidem integer manet, genuinus est: Sin rumpatur, spurius. Sic & lutea vasa in fornace, antequam in eam mitterentur, omnia videbantur bona: in fornace demum probantur, & extracta digito pulsantur, an sit integra atque ex tinnitu cognoscuntur. Ita probatus Iob variis afflictionibus; & qualem, putatis, tinnitum reddidit? Utique non alium, quam: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Persecutiones hujus temporis sunt ejusmodi fornax: modo pulsat Dominus, qualem tinnitum reddamus, quam patientes simus, quam strenuè certemus spiritualibus præsertim armis, oratione, &c. Hinc apparet in justis animæ, quæ alioqui cerni nequit, pulchritudo, patientia Iob, mansuetudo Moysis, castitas Ioseph, Fides Abrahæ. Sicut cum exterior vestis vel chirotheca scinditur, ut pulchritudo interioris vel annuli, vel gemmæ appareat. *Probat*, inquit Gaudentius Brixianus in præfatione tractatuum: *Deus non sibi, qui ante novit universa quàm fiant, sed Angelis & hominibus.*

Spectaculum. 1. Reprobi

Iuxta id nimirum 2. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* Primo reprobis hominibus, ut corrigantur aut confundantur, cum vident justos etiam inter & propter adversa Deo gratias agere, quod ipsi in & de prosperis non faciunt. Id quod de Iob credere nolebant amici ejus: quod tamen fecerat. Non credebant gentiles & Tyranni, veram esse & solidam Christianorum virtutem, sed magos eos reputabant. Unde aliter locuturos & facturos putabant, cum ventum esset ad supplicia; sed turpiter confusi, partim etiam conversi sunt, dum viderunt eos in mediis tormentis eosdem, imo fortiores, & lætiores esse, Deuminsuper suum laudare. Ita confusus Nabuchodonosor, audiens tres pueros in fornace Dominum benedicentes & canentes, Dan. 3. Ita confusus in Laurentio Valerianus, Deum in craticula confitente. In Vito, Modesto & Crescentia, Deo in vase plumbi liquati trium Puerorum instar divinos hymnos canentibus Diocletianus. Corriguntur & convertuntur è plebe innumeri.

Deinde

2. [...]ois.

Deinde hominibus bonis in exemplum. Ita Tobiæ 2. dicitur, idcirco immissam esse à Deo Tobiæ tribulationem cœcitatis, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Iob. Quid enim si tam multos nos præcessisse conspicimus, qui ad sanguinem usque restiterunt: quid queri vel dubitare possumus, quasi nos vel soli affligamur vel supra omnes? Quid sunt afflictiones tuæ cum cruce Petri & Andreæ, cum gladio Pauli, cum cultro Bartholomæi, cum serra Simonis, cum fuste Iudæ, cum crate Laurentii, bestiis Ignatii, sagittis Sebastiani &c. comparatæ? Nihil sunt, ros sunt respectu nivis, rosæ respectu rubi. Facilè patitur hospes, si milites, qui aliorum ædes spoliarunt, incenderunt, incolas vulnerarunt, occiderunt, ex ejus domo non soluto symbolo discedant, si ipsi in aliis non nocuerunt: parvum enim vel nullum reputat damnum suum respectu damni aliorum civium. Tribulationes ejusmodi milites sunt: qui ô quam tractarunt Iobum, Apostolos, Martyres &c. Tace igitur, & ne verbulum obloquere, si levius damnum in domo tua reliquerunt.

3. Angelis malis.

Tertio. Angelis malis ne possint eos criminari, quasi non gratis serviant Deo, sed prosperitatibus allecti. Nam cum sancti piè vivunt, mox adest dæmon, & mercedi prosperitatis temporalis adscribit, non virtuti: quemadmodum de Iob dixit. *Numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum?* Dominus verò ut ostenderet Iob, non mercedis gratia virtutem colere, permisit dæmoni, ut eum omnibus bonis corporis spoliaret, & tunc confusus fuit dæmon, cum Iobum in virtute nihilominus persistentem vidit, Iob. 1.

4. Angelis bonis.

Quarto. Angelis bonis, qui cum conscientias intueri nequeunt, ex factis nosse probos debent, ut sic non mirentur, si quando Sanctorum aliqui ad, vel supra ipsorum choros evehantur, quos viderunt hic tot tantisque modis tentatos, infractos permansisse.

5. Mundo.

Quinto. Mundo denique, ut sic intelligat Deum fortia mundi per infirma confundere: siquidem in tantum celebrantur, coluntur, & beati prædicantur, qui hic variis modis angustiati sunt: Eorum autem, qui hic floruerunt, & magni videbantur, vix nomina supersunt. In catenis erat Paulus & carcer propter ipsum tremuit: quam hoc mirandum! Actorum 16.

D. III. Vt sanctis conformentur.

Tertio. Ut Magistris suis conformentur: Quare, si quis detractaret subire depositionem, statim audiret ab Academicis & ipsis suis præceptoribus, se quoque hoc onus subire debuisse. Similiter etiam in Schola Christi, omnes quotquot fuerunt, sunt, & erunt, tribulationibus vexari debuerunt & debebunt. Non audivimus in hodierno Evangelio Christum Magistrum nostrum dicentem: *Non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Non audivimus iterum Lucæ ultim. *Hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Atqui*, ut inquit S. Bernardus, *sub capite spinoso non decet membrum delicatũ.* Cum enim membra Christi esse debeamus juxta Apostolum ad Eph. 4. vel ergò in capite ejus consistere volumus, & id spinis undique circumdatum est; vel in auribus, & eæ sunt plenæ contumeliis; vel in oculis, & ii sunt pleni terroribus; vel in lingua, & ea felle repleta est; vel in facie, & ea sputis deturpata est, præ colaphis turgida; vel in tergo, & hoc onustum cruce est: vel in latere, & hoc transfixum est? vel in manibus ac pedibus, & ipsi similiter perforati sunt; vel alibi in corpore, & à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Aspice deinde reliquos Academicos & Magistros, Sanctos, qui præcesserunt: en hi omnes sunt, *qui venerunt ex magna tribulatione & laverunt stolas suas in sanguine agni*, Apoc. 7. Omnes ad unum deponi debuerunt. Igitur si cum illis vis lætari, debes & cum illis tribulari, alioquin illorum cœtu indignus es. Cujus rei typum refert Osorius Conc. 1. in Dominicam infra octavam Ascensionis, ex historiis Hispanorum: Rodericum de Vivar in domo sua mensam fortium constituisse, in qua tantum strenui sedebant milites, qui egregia facinora in bello designarunt. Cumque in ea mensa sedere aliquando voluisset vir quidam illustris Martinus Pelaëz, id ei non concessit, donec etiam ipse talia præstitisset facta. Ejusmodi etiam est mensa Beatorum, de qua Dominus Luc. 22. *Vos estis, qui mansistis mecum in tentationibus meis. Et ego disponovobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Qui novum pannum v. g. ad vestem conficiendam sibi empturus, si intellexerit à mercatore tanti eum se daturum, nec minoris; si quidem intimis suis amicis tanti eum vendiderit, imò ipsemet emerit: quis, inquam, jure pretium detrectabit? quis speret se viliori empturum? Iam verò pannus, ex quo vestis gloriæ fieri debet, tribulatione venditur: eum hoc pretio vendidit Christus suis amicissimis, ipsemet tanti emit; Noli igitur sperare, quisquis es, gratis te obtenturum.

E. IV. Vt dignè fiant gloria.

Quarto. Ut dignus sit gaudere privilegiis studiosorum. Similiter in schola Christi jure meritum præcedit præmium. Unde Rupertus in capite 1. Apocalyps. Hoc jus *Legale* vocat; à quo nec Christus quidem exemptus erat. Nam *Christus*, inquit Tertullianus libro de corona militis cap. 14. *Favos post fella gustavit, nec antea rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam Rex Judæorum præscriptus in cruce, &c.* Adhæc adeo fixum est hoc jus, ut nec Christus in eo se dispensare cum quoquam posse asserat. Sic enim Matthæi vigesimo, Ioanni & Iacobo petentibus ut daret eis sedere ad dextram & sinistram suam in regno suo, respondit: *Sedere ad dextram meam & sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quia nimirum id constitutum est tantum iis, qui calicem tribulationis exhauserint. Si enim Rex proponat aureum tor-

torquem currentibus in stadio, victori dandum: Et interim amicus aliquis ejus peteret torquem illum à Rege, merito audiret: *Non est meum*, id est, non est hoc æquitatis dare tibi torquem, quia vincenti propositus est. Unde Gregor. Nazianz. Orat. prima in Julianum ait: *Coronæ in eos comparantur, qui certamine congrediuntur, non qui sursum sedent veluti spectatores.* Hujus rei figuræ erant ascensus purpureus ad reclinatorium Salomonis Cant. 3. virga Assueri, quam prius deosculari debebat, quicunque Regem accedere & alloqui volebat, Esther 5. Causa est primo, quia cum regnum cœlorum sit præmium incomparabile, tantum pro eo dari decet, quantum dari possibile. Sic enim Matthæi 13. homo, qui invenit thesaurum absconditum & margaritam pretiosam, sive regnum cœlorum, vendidit universa, quæ habuit, & emit ea. Maximum autem quod dare possumus, passio est, non actio.

Secundo, quia ipsa natura contractus requirit, ut qui emit aliquid, vicissim aliquo bono se spoliet, quod venditori det ut pretium, quod ipsum quoque retinere mallet. Unde qui labores pro corona subire detractat, nimis delicatus est, ut dicit S. Hieronymus in regula Mona. cap. 19. *Delicatus es frater charissime*, inquit, *sic hic vis gaudere cum sæculo & ibi regnare cum Christo.*

Tertiò, quia regnum cœlorum est bonum alienum, nullo titulo nobis debitum: unde non nisi vi quodammodo bellica & rapina obtineri debet. Ita Dominus Matth. 11. ait: *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* In quem locum ait sanctus Hieronymus: *Grandis violentia est, in terra non esse generatos & cœlorum sedem quærere: possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam, &c.* Arcem alienam, munitam & clausam machinis oppugnare debes, si obtinere velis. Ab hac repellunt nos, qui eam amiserunt & invident nobis dæmones. Quod si jam diceres, te arcem illam intraturum, nec aliud requiri, quam ut currum conscendas & cum toto comitatu tuo pomposè ingrediaris, merito ridereris. Arma enim tibi expedienda sunt, machinæ erigendæ, arietes admovendi, scalæ muris applicandæ &c. Intellexerunt hoc viri sancti, qui ut arcem illam raperent, alias & alias applicuêre machinas. Petrus & Andreas crucem, Stephanus lapides, Laurentius cratem, Simon Serram, Thadæus fustem, Emeramus scalam, &c. fallitur ergo quisquis sibi fingit cœlum absq; vulnere & sanguine obtineri.

F. V. *Ne extollantur.*

Quinto. Ne extollantur super alios ob generis nobilitatem, divitias, scientiam &c. Idcirco ibi humiliantur adjectis fronti cornibus &c. tam nobiles, quam ignobiles. Similiter & Iusti, nisi tribulationibus deprimerentur, facile intumescerent ob gratiarum & donorum sibi concessorum à DEO magnitudinem. *Difficile est*, ait S. Gregorius in capite 1. Iob. *quempiam magna agere & apud semetipsum de magnis actibus cogitationum fiduciam non habere.* Et mox: *Unde pia conditoris dispensatione agitur, ut de se confident animæ dispensatoria tentatione pulsetur.* Nonne 2. Corinth. 2. dicit Apostolus: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me collophizet?* Quod si in tanto viro periculum fuit, ne extolleretur, ideoque necessaria ei tribulatio: quanto magis aliis? Augustinus in Psalm. 130. ait: *Ne extolletur tanquam juvenis Paulus, colophizatur tanquam puer; stimulus autem & colaphi illi erant carceres, vincula, flagella, contumeliæ, injuriæ, adversarii, &c.* Secundum Chrysostomum, Theophylactum, Theodoretum, Cyprianum. Alii SS. Patres ajunt: tradi fuisse dolorem capitis, aut corporis vehementem: qui certè eum non parum humiliare poterat; siquidem qui alios curabat, seipsum curare non poterat. Ita S. Theodorus ægros alios sanabat, ipse interim ferè semper æger mansit. Nimirum ut Falconi, quem amas & blandiendo demulces, pedicas induis & caput obnubis, timens scilicet, ne tibi avolet: Ita Deus servis suis pedicas tribulationum induit, ne à se discedant, quos adeo amat. Sic Paulo, qui ad tertium cœlum volarat, stimulum carnis alligavit, ne extolleretur. Eliæ persecutionem Iezabelis, 3. Reg. 17. David persecutiones plurimas. Unde Psalm. 124. dicitur: *Virga peccatorum super justos, ut non extendant ad iniquitatem manus suas.* De eodem loco Hieronym. Epist. 25. ad Paulam de obitu Blesillæ scribit: *Ad revelationem humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis Apostolo apponitur in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat per singulas acclamationes civium dicens: Hominem te esse memento.* Hæc ille. Appensum etiam fuit currui triũphali flagellum & tintinnabulum, quod reis ad supplicium euntibus appendi solebat: ut memorentur se quoque ejusmodi fortunæ subjici posse: addere licebat jocos & insultatoria carmina, ut habetur in antiquitatibus Rom. & addit lib. 10. cap. penult. ut sic dum humiliantur, non superbiant. Iusti gratiarum donis ornati, quasi in triumpho vehuntur, mundi nimirum victores, ac proinde facile insolescere possunt, quod ne fiat, asseclas tribulationes eis appendit Deus, quæ eos conditionis suæ commonefaciant. Sic Paulo vincula, flagra, insultationes, &c. appensa: Nabuchodonosori insolescenti imposita à Deo cornua, dum cum feris habitare & fœnum quasi bos comedere aliquo tempore coactus fuit, donec iterum agnosceret & benediceret Deum cœli, Daniel. 4. De S. Gregorio Turonense scribitur in ejus vita apud Sur. septimo Novembr. cap. 8. quod cum aliquando iter Burgundia Arverniam faceret, subito exorta grandi tempestate, fulgure & tonitruis cœlo indignante, protulerit reliquias de collo pendulas, & nubibus constanter opposuerit. Quare mox divisæ nubes, & tempestas quievit. Quod cum vir, alioqui sanctus, clam meritis suis adscribere, sibique applaudere non nihil inciperet, repente corruit cum ipso equus, virumque Dei graviter

viter affligit, ita ut omni corpore contusus vix aſſurgere poſſet. Intelligens igitur hoc ſibi ad humiliationem ſuam accidiſſe, mox correxit cogitationem, & ſatis dinceps cavit, ne quid ejuſmodi inpoſterum ſibi, ſed DEO & ſacris reliquiis adſcriberet.

G. VI. *plus uè ſufcantur.*

His accedit alia cauſa, ne videlicet cæteri majorem de viris ſanctis opinionem habeant, quaſi plus quam homines eſſent. Hinc quia Paulum & Barnabam Lyſtrenſes putabant Deos, eiſque ſacrificare volebant, Actor. 16. ideo Deus permiſit eos flagellari: Item ut hoc pacto à mundi ubere abducantur, dum adverſa ſuſtinere diſcunt. Sic exercuit Deus Prophetas ſuos, uti Ezechielem quem juſſit veſci pane in ſtercore cocto, Ezech. 4.

Quare, Auditores, ſi ad Chriſti Academiam & Sanctorum ſocietatem admitti volumus, ne fugiamus hanc tam ſalubrem imò neceſſariam depoſitionem, ſed dicamus cum Propheta Habacuc c. 3. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

CONCIO V.

MUNDI INGENIUM.

- *I.* *Mutuat ſua tantum.*
- *II.* *Idem pluribus vendit.*
- *III.* *Non concedit niſi ſua licet viliora.*
- *IV.* *Stricte computat.*
- *V.* *Hoſpitem mox obliviſcitur.*

THEMA.

Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit, Ioan. 15.

A. SAtis notum eſt in mundo, quod ſi Princeps vel Dominus alius odio habeat aliquem, eum etiam tota Principis aula, tota Domini familia oderit. Quam oderit mundum Chriſtus in hodierno Evangelio & alibi ſæpè indicat, cum ait: *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Odio habuit mundus Chriſtum, quia venientem ad ſe recipere noluit: *& ſui eum non receperunt*, ait Ioannes cap. 1. Unde nec diverſorium ad naſcendum habere potuit. Deinde in mundi hoſpitio peſſime habitus fuit; cum latro ei præpoſitus, cum verberibus mulctatus eſt, tandem cum ignominia ejectus, & Ieroſolymis eductus extra urbem crucifixus eſt. Quod ſi igitur Dominus & princeps noſter Chriſtus tam merito odit mundum: nos illius ſervi quomodo amabimus? Et certe ſi intelligeremus, quam malus hoſpes etiam nobis ſit mundus, multo adhuc magis eum odio haberemus. Si enim magiſtro noſtro talia fecit, quid nobis faciet? Videamus igitur qualis Caupo mundus ſit.

B. I. *Mutuat ſua tantum.*

Primo. Caupo uſum domus ſuæ & utenſilium ſuorum concedit hoſpitibus, ſed non Dominium: Nam à diſcedente omnia repetit, & ne aciculam auferre eum ſinit. Sic etiam mundus uſum rerum mundanarum concedit homini, non dominium: migrantē enim ex hac vita ſpoliat, nudumque dimittit. Unde Eccleſiaſt. c. 9. De divite ait: *Sicut egreſſus eſt nudus de utero matris ſuæ, ſic revertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas: quomodo venit, ſic revertetur.* Et Apoſtolus 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus.*

Quare ſicut hoſpes non multum curat aut laborat, ut collocetur in conclavi ſplendido, aulæis & picturis adornato, ut aurea argenteaque ad menſam vaſa apponantur, &c. quia cogitat ſibi ad uſum tantum concedi, & paulo poſt omnia relinquenda: ſic etiam non valde laborandum, quomodo habitemus, quibus induamur veſtibus, quibus poculis bibamus, &c. quia hæc omnia mundus utenda tantum conceſſit nobis & brevi ea repetet. Ad quid ergo inceſſabilis ille & indefeſſus labor & ſtudium accumulandi nummos, ædificandi palatia, congerendi aurea argenteaque vaſa, & pretioſas quaſque veſtes? fruſtraneus eſt hic labor & inſtar rotæ molendini, quæ licet toto die circumagatur & rotetur, veſpere tamen ibi conſiſtere cernitur ubi manè ſteterat, & nec paſſum unum feciſſe. Ad hunc enim modum mundi ſectatores tota vita diſcurrunt, & cum Sathane illo circumeunt mare & aridam ac nunquam non meditantur, quomodo opes congerant, lucra faciant, honores aucupentur: Iuxta id Pſalm. 11. *Impii in circuitu ambulant.* Et quid tandem? In hora mortis ibi conſiſtunt, ubi in hora nativitatis erant: ibi in cunis, hic in lectulo; ibi in utero matris, hic in utero terræ, utrobique nudi, utrobique egeni: neque tot laboribus & itineribus ſuis unicum ad cœlum fecerunt paſſum. Sed hoc unum effecerunt, ut ad breve tempus commodius habitarent, ornatius veſtirentur, pretioſoribus è vaſis & poculis cibum potumque caperent, & lautius victitarent in alieno mundi hoſpitio: quæ tamen omnia eo cum majori dolore relinquent mundo, quo fuerint pretioſiora. Ægrè diſcederet viator ab hoſpitio aut expelleretur, qui lautè admodum habitus hoſpitium, menſam, lectos, vaſa & pocula ſibi appoſita ſua, non aliena eſſe crederet. Et quam ægrè diſcedent ex hoc mundi hoſpitio, qui poſtquam lautiſſimè in illo habiti ſunt, exiſtimabant ſe domi ſuæ eſſe & utenſilia mundi omnia ſua reputabant? contra libenter inde diſcedit, qui cogitat, aliena fuiſſe omnia, & ſe malè novit habitum. Quiſquis igitur hilarem mortem, & expeditum è vita diſceſſum optat, paucis ſit contentus iiſque utatur tanquam alienis; quo modo vivebant primi Chriſtiani tempore Apoſtolorum,

quando nemo eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, Act. 4. Idque suadet Apostolus 1. Cor. 7. cum ait: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Itaque sicut mundus tibi nihil relinquit de suo; sic tu nihil illi relinque de tuo. Petit mundus ut ab eo discessurus saltem relinquas ei affectus tuos & amorem erga se : sicut Pharao à Moyse discessuro cum suis petiit ad extremum, ut saltem pecora sua ipsi relinqueret : sed respondit Moyses: *Non remanebit ex eis ungula*, Exod. 10. Hospes de hospitio discessurus sedulo cavet, ne quid suarum rerum in eo relinquat, ne cultrum quidem unum: omnia secum aufert. Sic tu caveto ne affectum & amorem relinquas mundo, ejusque bonis, si hilariter & sine dolore mori velis: Alioquin enim, qui mundana diligit & desiderat, ægrè morietur. Audi Habacuc, cap. 2. *Væ ei, qui multiplicat non sua: usquequo & aggravat contra se densum lutum?* Bona mundi tua non sunt, sed mundi sunt, tibi ad usum concessa: Hæc si multiplices & ames, væ tibi, quia in iis velut in denso luto hærebis, & affectuum tuorum pedes in articulo mortis expedire non poteris, sicque infigêris in limo profundi.

Secundo. Idem diversis vendit, eosdem cibos ex unius hospitis mensa superfluos apponit & vendit alteri; denudat cameram; ut hospiti cubituro paleas vendat : easdemque postea rursum alteri vendit. Quot hospitibus sæpe idem apponitur & computatur caseus? &c. Sic & mundus eandem dignitatem, idem officium, eandem domum successu temporis vendit aliis & aliis. Qua de re præclarè Cardinalis Bellarmin. con. 17. *Vidistis aliquando pueros circa paludes ranarum piscationi operam dantes? Ipsi enim ranæ alicujus pellem filo alligatam aliis ranis tanquam escam objiciunt: Continuo vero non una, sed multæ undique ranæ ad escam illam accurrunt, & ea, quæ cæteris esse velocior potuit, summa aviditate escā, quam neq; rodere; neq; devorare potest, apprehendit. Interea verò piscator filum colligit, escam ad se trahit, ranam filo appensam capit; atq; occidit & escam ab ejus ore violenter extractam, aliis aperto ore expectantibus objicit: atque hac demum ratione, sine magnis sumptibus, una atque eadem ranæ alicujus pelle ranas innumeras capit. Hoc est, Auditores, hoc est planè, quod mundus & dæmon, cum hominibus ranis istis stultioribus & simplicioribus faciunt. Nam iisdem penitus rebus; iisdem divitiis, agris, possessionibus, quæ sæpè hominis alicujus non solum labore & sudore, sed etiam sanguine partæ sunt, ac proinde pelles hominum non injuria dici possunt: Istis, inquam, rebus, & iisdem rebus innumerabiles alios decipiunt, atque ad inferos pertrahunt, &c.* Et paulò post: *Suspicite quæso testamenta Majorum vestrorum, nil aliud ibi legistis, quam: Hoc uxori meæ relinquo, hoc filiis relinquo, hoc amicis relinquo; & ne semel quidem dicunt; hoc mecum fero, hoc mihi reservo. Interrogate agros & possessiones vestras; quot nomina jam mutaverunt? Olim Petri, deinde Pauli, tum Joannis, nunc Philippi, paulò post alterius, nescio cujus agri & possessiones dicentur. Cur hoc? nonne quia homines tanquam ranæ capiuntur & esca semper manet, & ad alios homines similiter decipendos conservatur? Aspicite nunc & intuemini sedes Pontificum, Regum, Imperatorum, quam multi ad istas sedes singulis ætibus aspirarunt, & tamen, qui eas post multos labores & sudores obtinent ante ab iis dejiciuntur & corruunt, quam se in eis ad sedendum componere potuerunt. Heri sedebat unus, hodie moritur, & sedet alius! cras iste morietur, & sedebit alius. Atque ita sedibus & honoribus semper viventibus homines moriuntur, & nudi atque inanes in alias regiones, ubi perpetuo mendici atque ignobiles erunt, ingrediuntur.* Hæc Bellarm. Sic etiam opibus & hæreditatibus velut divitum spoliis & exuviis inhiant hæredes, sic præbendis & dignitatibus defunctorum viventes, &c. iisdemque inescantur & capiuntur: unde verissimè Ecclesiastes c. 9. ait: *sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.*

Consilium

Quid igitur hic consilii? Quando advertit hospes nimium sibi appositum & multa superfutura, quæ rursum aliis vendentur à Caupone, tum ipse vel invitat amicos, vel superflua tribuit mendicantibus, ut nil supersit cauponi, quod iterum vendere queat. Similiter, quando nosti mundum omnia tibi ablaturum & aliis venditurum: utere bonis tuis quam bene potes, & fac tibi inde amicos, sicque in bonum tuum, quo potes optimo modo dispone bona tua, sed ita, ut in futurum iis frui possis, non ita ut hic per ingluviem, pompam, ludum omnia absumas. Salutare consilium expressit DEUS Levitic. 1. cum præcepit in holocausto avium plumas projici prope altare ad Orientalem plagam. Hoc enim dives faceret, si projiceret superfluas opes ad Orphanotrophia, sacrarum ædium structuram & ornatum, &c. O quam gratum Sacrificium DEO offerre possemus & quam bene nobis consulere, quamque egregie & gloriose mundum decipere spéque prædæ fraudare, si de bonis nostris faceremus nobis amicos Pauperes & Sanctos? sed ajunt, divites exuvias suas non alienis, sed suis liberis & propinquis à mundo conferri, quod æquè gratum sibi est, ac si ipsi ea retinerent. Sed inprimis incertum est, utrum propinquis ea bona dentur. Quot enim in hoc decipiuntur? Deinde quid tum, si liberi affluant & gaudeant bonis parentum, ipsi interim egeant, patiantur, ardeant? Sperant fortasse suffragia, eleemosynas & sacrificia à liberis & propinquis? Eccur non ipsimet de istis sibi provident; dum vivunt: Interrogatus aliquando Dominus à Pharisæis: *Quando venit regnum Dei?* Respondit: *Regnum Dei intra vos est*, Luc. 17. O divites: Regnum Dei intra vos, in manu vestra est, potestis id emere per eleemosynas, modo velitis.

Tertiò

D. III.

...m con... ...lit nisi ...a licet ...liora.

Tertio. Non concedit hospiti meliora alibi emere, melius vinum, meliorem avenam, meliorem lectum ex vicino hospitio asportare, sed suis contentum esse jubet, aut hospitio excedere. Similiter mundus non concedit suis sectatoribus meliora extra mundum quærere, bona spiritualia & cœlestia consectari, *Thesaurizare in cœlis est, &c.* sed suis contentum esse præcipit. Sic Antiochus cogebat Iudæos edere carnes porcinas, alias non dabat. Et Iulianus Apostata cum non nisi contaminatas & idololytas carnes vænum proponi Christianis jussit Constantinopoli. De suo quidem apponit mundus liberaliter, permittit, imo consulit & vult, ut substantiam profundas ad pompam, ad delicias, ad ebrietatem, sed non sinit ut tantum des eleemosynæ quantum una compotatione perdis: permittit ut centum florenos aleis uno die perdas, sed non concedit, ut vel moriens triginta dones templo aut pauperibus: Iubet ut jejunes toto die, in scamno cubes, &c. propter lucri spem, vel convivii expectationem, sed non item ad satisfaciendum pro peccatis: Vult ut longum, periculosum, & molestum iter suscipias ac frequenter repetas lucri causa, sed non concedit, ut ad templum venias tempore pluvioso, diebus nundinarum, vel peregrinatum eas pro lucrandis indulgentiis: Concedit ut coram hominibus glorieris de certis peccatis tuis gravissimis, palamque ea tanquam bellè facta proclames, sed non concedit ut eadem dicas confessario: Concedit ut pudorem abjicias ad peccandum, sed non ad confitendum: Suadet ut totam septimanam peragas otio, potatione, lusu, &c. sed non concedit ut unum diem festum abstineas à labore, tunc enim statim egestatem tibi minatur. Dat otium ad spectandos homines in foro, ad longas confabulationes, non tamen ad Missam quotidie audiendam. Sinit & è pedibus laborantem excurrere ad agros: sed non ad templum.

Consilium

Tu ergo si sapis noli hanc mundi tabernam intrare, eique te implicare; Sed quemadmodum viator in foro, quæ sibi ad victum necessaria sunt, emit: ita & tu illecebras mundi fuge, animi potius bona quære ac sectare.

E. IV.

Strictè computat.

Quarto. Blanditur advenienti hospiti, sed in fine strictè computat, & rigidum se exhibet. Qua de re etiam Bellarm. conc. 11. mundum comparans hospitio aut tabernæ, præsertim quales in Italia reperiuntur, sic scribit: *Cum iter faciens ad hospitium aliquod divertis, continuò cauponæ præfectus egreditur tibi obviam totus lætus atque hilaris, excipit peramanter, omnia dicit se optima habere, optimum panem, optimum vinum, optimas carnes, optimos lectos, addit quoque non raro de pretio nullam fore quæstionem. Quid? inquit, estis domi vestræ, utimini, fruimini rebus meis ac si vestra essent: solvetis vero quantum libuerit: deinde comitatur ad mensam, atque ibi nunc invitat ad bibendum, nunc ac comedendum, nunc arridet, nunc jocatur, nunc adulatur. Postremò finita cœna deducit ad lectum, precatur felicem noctem, mollemque quietem officiosissimè. Atque hactenus quidem putas illum non cauponem, sed quasi fratrem quendam esse amantissimum tui. Cæterum die sequenti cum est ab hospitio recedendum, occurrit tibi totus mutatus, omnino alius ab eo, qui fuerat nocte præterita: ibi numerare incipit, quidquid tibi dedit, & aliqua fortasse etiam, quæ non dedit. Et omnibus supputatis: tantum, inquit, tibi persolvendum est. Tum tu fortasse obstupefactus: Quid? inquies, tam parum comedi, tam malè dormivi, & tantum persolvam? quomodo hoc potest fieri? & ubi sunt illa tua hesterna promissa? Hinc ille torvis oculis: miror profectò te, quasi nescias consuetudinem tabernarum; postea quam comedisti, & bibisti, non vis solvere? sed certe solves: nec unus obulus minuetur. Hæc est mundi similitudo, Auditores, nos omnes peregrini sumus, ingredimur mundum istum tanquam hospitium: continuo fiunt obviam nobis divitiæ, deliciæ, delectationes variæ, omnia bona ac felicia pollicentur, invitant ad comedendum, ad bibendum, ad dormiendum, ad luxuriandum. Nullum sit pratum &c. Sap. 2. & simul metum & solicitudinem auferunt futuri judicii. Nihil solvetis inquiunt, Deus misericors est, non fecit homines, ut eos perdat: legite semel Psalmum Miserere, & omnia salva erunt. O quam suaviter illabitur concio ista in animos insipientium peregrinorum! At ubi adest mors, & egredi cogimur ab hospitio, ubi dicetur nobis: Heus tu solve, quod comedisti. Et quantum est, quod debeo? Quantum? supplicia sempiterna. Quid? supplicia sempiterna pro tam amaris exiguis voluptatibus? O utinam nunquam ad hospitium divertissem! pereat dies in qua natus sum. Sed dicetur ei: non est nunc tempus pœnitentiæ, comedisti & bibisti, solvendum est. Intelligitisne qualis sit mundus?* Hæc Bellarminus. Figura hujus mundi fuit Iahel illa, quæ divertentem ad se ducem Sisaram benevolè excepit, egressa in occursum ejus, & dicens: *Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas.* Moxque aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, donec consopiretur; postmodum tempora ejus clavo transfixit, & affixit pavimento, Iud. 4. Sic mundus blandè ad se invitat homines, & deliciis demulcet, quosque in peccatis consopitos affigat clavo pravæ consuetudinis, quo minus à peccatis surgere & per pœnitentiam fugere mortem queant. Quid igitur hic consilii? Imitemur communem Italorum morem, qui cum optimè calleant cauponum suorum calliditatem, priusquam fercula sibi apposita vinumque tangant, ea licitantur, & si quidem justo offeruntur pretio, prius emunt, quam absumant, atque ita sine deceptione, & sine timore læti & hilares cœnant; præsciunt enim quantum sibi solvendum sit, nec à caupone decipi possunt. Similiter antequam te effundas ad mundi delicias, opes, & honores, quære prius, quanti constent ista? & quamprimum dicet tibi Sacra Scriptura, dicet fides, dicet conscientia: quod æternis suppliciis. Proinde cum Demosthene dicito: *Non emo tanti pœnitere.* Hoc, inquam, si faceremus, non tam proni

Consilium

in mundi delicias rueremus, nec tam acerbum computum in morte penderemus. Sed heu instar canis ruimus in ollam, & fustem non prævidemus. Cultrum in foro mundi emis, aut acum, rem vilissimam, & nihilominus prius quæris quanti illa constent, & siquidem cariora videntur, non emis: cur non idem facis in foro animæ, & negotiatione Spirituali? Quid hic excusationis obtendes.

F. V. *Hospitem mox obliviscitur.* Quinto. Hospitem discedentem, & non reversurum statim obliviscitur. Unde Sapient. 5. dicitur: *Spes impii tanquam memoria unius hospitis prætereuntis.* Et licet hospes plurimas apud eum pecunias expenderit, cauponemque ad prandendum secum invitaverit, ita tamen ab eo post aliquod tempus excipitur, quasi nunquam ei visus fuisset. Aliqui etiam in tabernis relinquunt sua insignia: si tamen ab hospite roges, quid hic vel ille Dominus egerit apud illum, nihil recordabitur, nisi quod olim apud se diversatus fuerit, & forte quod fuerit amicus tabernarum. Ad eundem modum mundus statim deponit memoriam suorum sectatorum. Multi fuere mundi hospites, & amatores olim perillustres, Imperatores, Sapientes, Heroës, excellentes artifices, qui tamen nunc in mundo sunt obscurissimi, & licet variè per ædificia, per libros editos, per facta memorabilia, &c. conati sunt nomina sua æternæ memoriæ commendare; nequaquam tamen id assecuti sunt. Unde Baruch, capite tertio inquit: *Ubi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus cœli ludunt? qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant, & soliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum ex surrexerunt.* Mundi typus in hac re fuit Nabal, qui tametsi multa beneficia acceperat à Davide, eum tamen in necessitate agnoscere noluit, dicens: *Quis est David, & quis est filius Isai? tollam ergo panes meos & aquas meas & carnes pecorum, quæ occidi messoribus meis, & dabo viris quos nescio, unde sint?* 1. Regum 25. Sic mundus nescit sepulchra & ossa potentum & sapientum mundi, nescit eorum palatia, vestes, opes, acta, beneficia accepta, &c.

Consilium Quid igitur consilii? noli blandiri mundo, sed malè eum tracta, & pugnis ac verberibus tunde, sic enim tui memor erit semper, sicut etiam caupo illius hospitis à quo male tractatus & egregiè depalmatus fuit. Sperne igitur mundum, & incipiet te suspicere, colere, & posteritati commendare. Per hoc medium celebres in mundo facti sunt sancti, Antonius, Benedictus, Franciscus, Hieronymus, Apostoli inprimis, quia mundum spreverunt, ejus fallaciam detexerunt, & quasi triumphatum traduxerunt. Hinc coluntur etiamnum non à vulgo solum, sed à Regibus & Sapientibus, sciuntur eorum sepulchra, asservantur magna Religione eorum ossa, vestes & vasa, &c. per hoc magni & celebres in mundo fiunt & posteritati commendantur, non qui famulorum caterva stipati, in holosericis incedunt vestibus, novasque vestium excogitarunt formas, non qui ex auro & argento bibunt: sed qui cum in sublimi statu & nobilitate sint, humilia sectantur, plebejo incedunt habitu, hospitalia visitant, pedes pauperum lavant, ægrorum ulcera abstergunt. Per hoc in mundo celebrantur, non qui aurum & argentum cumulant, sed qui dispergunt & dant pauperibus, justitia eorum manet in sæculum sæculi. Non qui omne pratum percurrunt sua luxuria, sed qui virginitatem colunt, etiam in matrimonio, inter occasiones delinquendi incontaminatos se conservant: Non qui hostes duello prosternunt, sed inimicis suis injurias condonant & amicitiam ac beneficia offerunt: Non qui epulantur splendidè, sed qui jejuniis & tenui victu ventrem castigant: Non qui in mollibus lectis stertunt, sed qui in spinis, in nive, in nuda humo noctes pie transfigunt. Hic, inquam, hic modus, hæc via est perveniendi ad nominis celebritatem. Petrus Consalvus dum quadam die equo superbè vectus per urbem cum sodalibus spatiaretur, toti vanitati mundi expositus hic illic lasciviens in profundum lutum cecidit, ex quo cœnosus extractus cum à pueris & plebe circumstante rideretur affatim, rubore suffusus sibique iratus, ita secum locutus est: *Quandoquidem ô munde cui tam graviter servivi, sic à te tractor, ego quoque te vicissim, ut mereris, tractabo.* Itaque eodem momento statuit se Deo famulaturum: quod paulò post fecit in Dominicanorum familia magna cum civium admiratione. Platus de bono relig. lib. 3. cap. 38. Quare cum Apostolo Petro 1. Pet. 2. *Charissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis:* Et cum Apostolo Ioanne 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.*

CONCIO VI.

INSTRUCTIO confirmandi.

I. Quid circa hoc Sacramentum sciendum.
II. Quid circa suscipientem.
III. Quid circa patrinum.
IV. Effectus Confirmationis.
V. Effectus extraordinarii.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Joan. 15.

Hodier-

A.

HOdiernum Evangelium desumptum est ex sermone Domini in ultima cœna habito. In eo vero sermone inter alia Dominus mentionem facit Sacramenti Confirmationis, & promissionis ejus. Imo Doctores ex Epistola 2. Fabiani Papæ ad Orientales, colligunt Christum in ea cœna docuisse Apostolos, modum conficiendi & conferendi Chrisma. Unde & in hodiernum confici solet Feria quinta in Cœna Domini. Hinc non immeritò colligere possumus, hodierno Evangelio instruere voluisse Dominum eos, qui confirmandi erant. Etenim in Confirmatione roborantur fideles ad perferendas pro fide Christi persecutiones. Idem facit Dominus in hoc Evangelio, ubi ait: *Non est servus major Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur.* In Confirmatione signantur fideles tanquam milites, & conscribuntur ad militiam. Idem indicat Dominus in hodierno Evangelio: *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* In Confirmatione accipit homo alapam, ut meminerit se destinatum ad toleranda quævis adversa pro Christo, adeoque etiam se ad hoc confirmatum esse. Similiter in hodierno Evangelio ait Dominus: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.* Quare instruamus eos, qui Confirmationis Sacramentum accepturi sunt.

B. I. *Quid circa hoc Sacramentum sciendum.*

Circa ipsum Sacramentum nosse debet Confirmandus Primo. Confirmationem novæ legis Sacramentum esse, ac proinde à Christo institutum. Promisit enim Christus hoc Spirituale donum Ioannis cap. 14. & 16. Luc. 24. Actorum cap. 1. cum promisit missionem Spiritus sancti, in die Pentecostes factam, ubi & discipuli confirmati sunt, licet modo extraordinario & speciali. Nam postea Apostoli per manuum impositionem eam contulerunt, utique à Christo sic instructi & facere jussi, Actor. 8. & 19.

Secundo. Non esse quidem necessarium ad salutem hoc Sacramentum, esse tamen admodum salutare, nec sine peccato Veniali omitti, cum suscipi potest. Præstat enim vires ad resistendum dæmoni, & ad fidem constanter coram Tyrannis aut Hæreticis eam oppugnantibus profitendam. Unde scribit Clemens Romanus Epistola ad Iacobum se à sancto Petro intellexisse, neminem perfectum Christianum esse, qui septiformem Spiritus sancti gratiam in Sacramento Confirmationis ab Episcopo non acceperit. Sic etiam Urbanus Papa de Consecratione. d. 5. capitulo. omnes fideles, ait: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent; ut pleni Christiani inveniantur, qui cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Nimirum sicut Themistocles de Cretensium duce Theutide Orontho dicebat Atheniensibus: *Non timere Theutidem, quia licet habeat gladium ad jugulandum, non tamen habet cor ad evaginandum:* Ita dici de illis potest, qui baptizati quidem sunt, non tamen confirmati.

Nam ibi accipiunt gladium, hic cor ad evaginandum. Augustinum audi, in sententiis numer. 342. *Christi*, ait, *nomen à Chrismate, id est, unctione; Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solum Sacerdotibus, & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra Diabolum fieri luctatorem.* Ob hanc causam sancti viri neglectum hujus Sacramenti dolendum existimarunt. Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, quod filiolam quandam, ad confirmationem sibi præsentatam repudiasset, licet tunc sibi discedendum fuisset, usque ad mortem male habuit. Edinerus, in ejus vita.

S. Mauritius Episcopus Andegavensis, quod Confirmationem unius pueri, qui intereà mortuus est, distulisset, adeo doluit, ut abdicato Episcopatu, hortulanus factus sit, Surius in ejus vita. Et propterea S. Paulus, cum reperisset quosdam discipulos, mox quæsivit, an essent confirmati? & cum non essent, confirmavit eos, Act. 8.

C. II. *Quid circa Suscipientem.*

Circa Suscipientem scire debet Primo. Non suscipiendam Confirmationem ante baptismum, nec in statu Excommunicationis. Colligitur id ex Actorum 2. ubi dicitur, quod Spiritus sanctus replevit totam domum, ubi erant (Discipuli) sedentes; & tunc repleti sunt Spiritu sancto. Domus illa Ecclesiam denotat; repletio vero Spiritus sancti, sacramentum Confirmationis. Et ratio hoc persuadet. Sicut enim natura non perducit hominem ad perfectam ætatem, nisi prius genitum: ita & Deus & Ecclesia, non perducit hominem ad perfectionem gratiæ statum nisi prius spiritualiter renatum. Per baptismum renascimur, per Confirmationem crescimus & adolescimus.

Secundo. Non ante rationis usum, (qui incipit circa septimum ætatis annum.)

Primo. Ut homo se ad ejus susceptionem actualiter disponere possit, adeoque majori cum fructu & reverentia Sacramentum suscipere.

Secundo ut suscipiens meminisse queat suæ confirmationis, adeoque ne eam repetat. Possunt tamen confirmari infantes in mortis articulo; item si deinceps non sit occasio facilè suscipiendi hoc Sacramentum. Rursum si id obtineat consuetudo. Vicissim etiam non expedit diutius differre hoc Sacramentum. Tum quia in innocentia utilius suscipitur, tum quia est remedium contra graviores lapsus, ideoque citius adhibendum.

Tertio. Non in statu peccati. Ut enim augmentum supposuit vitam: ita confirmatio supponit hominem in Christo vivere per gratiam, quam adauget, non de novo dat.

Quare contritio saltem necessaria est confirmando, qui est in peccato lethifero: Confessio Sacramen-

cramentalis præmitti quidem non mandatur, admodum tamen utiliter & consulto præmittitur. Qui in statu peccati confirmatur irreverentiam exhibet Sacramento, & se fructu Sacramenti privat.

D. III. *Quid circa patrinum.*

Circa patrinum nosse debet, contrahi cognationem spiritualem, uti inter confirmatum & confirmantem, ita inter confirmatum & Patrinum, & inter confirmati parentes & patrinum. Statutum hoc à SS. canonibus, ob reverentiam: quia confirmans & patrinus confirmati, Spirituales parentes sunt. Concil. Trid. sess. 24. c. 2.

E. IV. *Effectus Confirmationis.*

Circa effectum noverit eum ordinariè esse triplicem. Primus est robur & auxilium actualis gratiæ tempore opportuno conferendum, ad fidem Christi constanter profitendam. Unde græcè confirmatio dicitur Τελείωσις, id est, perfectio, ad perfectam & firmam fidem ducit facitque ex puero adultum, & militem ex cive & domestico Dei? estque instar Chalybis, qui roborat, & durat securim, vel gladium ferreum, ut penetret & scindat. Hujus ergo defectu multi in tentationes, & laqueos incidunt diaboli, nec non in errores hæresesque. Experientia teste comprobatum est Turcas & infideles nequaquam ita cordatos esse in præliis, uti sunt Christiani, utpote confirmati: Idem in nuperis præliis videre licuit in hæreticis, qui pene semper timore correpti aut terga verterunt, aut profligati sunt; Catholico nostro exercitu vincente semper & impavido persistente. Refert in hist. Ecclesiastica Euseb. Novatum hæresiarcham nunquam perfectè Spiritum sanctum habuisse, eo quod ab Episcopo confirmatus non esset, adeoque tam superbæ hæresis auctorem extitisse, & cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Ob eandem causam arbitror hæreticos pro fide sua disseminanda nequaquam se exponere periculo mortis, sed ferè domi in tuto confidere: Cum contra Catholici nulla non pericula adierint, adeantq; in hodiernum, dum per tanta maris spatia pergunt ad infideles, ut eos Christo lucrifaciant. Nimirum idem Spiritus, qui Apostolos prius pavidos, & occlusis foribus confidentes, ita mox roboravit, ut foras erumpentes maxima omnium admiratione Christum ferventissimè prædicarint, & plurimos ad fidem & pœnitentiam adduxerint: idem, inquam, Spiritus in Ecclesia Catholica mediante Sacramento confirmationis viget & operatur.

Secundus. Augmentum gratiæ sanctificantis, per quam magis sanctificamur, & Deo gratiores simus: virtutes item augentur in nobis, & dona Spiritus S. infunduntur. Leviora peccata dimittuntur, & per accidens interdum mortalia, (quæ videlicet inculpabiliter nescimus in nobis.)

Tertius. Character est, qui est tessera quasi militaris, quâ ad militiam Christi, & fidem defendendam contra insidiatores Christianus deputatur, & consecratur. Tria sunt Sacramenta, quæ imprimunt Characterem: Baptismus, in quo signatur homo, ut ab infidelibus segregatus sit ad Christi ovile pertinens. Confirmatio, in qua signatur homo, tanquam miles Christi ad pugnam deputatus. Ordo in quo signatur homo tanquam deputatus minister Christi, & dispensator mysteriorum Dei. Triplicem hunc confirmationis effectum notavit Apostolus, 2. Cor. 1. cum ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo: & qui unxit nos* (en primum, quia athletæ ungebantur,) *qui & signavit nos*, (en Tertium) *& dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* (en Secundum.)

F. V. *Effect. extraordinar.*

Præter hos extraordinarii affectus non rarò consecuti sunt sacram Confirmationem, ut cum cœco nato visus restitutus est à Pharone Meldensi Episcopo: apud Vincent. in Spec. lib. 24. cap. 18. & cum alteri cœco in confirmatione lumen restitutum est à S. Remberto Archiepiscopo Bremensi, apud Surium 4. Febr. & cum Lunatico sanitas reddita, apud S. Bernard. in vita S. Malachiæ. Item cum dæmonis præstigiæ abactæ, uti scribit Thomas Cantipratensis lib. 2. Apum. cap. 37. part. 33. his verbis. *Venerabilis Bonifacius quondam Lausanensis Episcopus me audiente tale quid recitavit: Erat in quadam villa cœcus quidam, qui vaccas totius villæ in pascuis custodiebat, repellebat à frugibus, & ad certa loca pascuis uberiora ducebat: & quod majoris erat Prodigii, colores & statum singularum vaccarum specialiter discernebat, v. g. Ut si vaccam coloris talis ab eo petivisses, sine difficultate vaccam tibi talem apprehensam in cornibus obtulisset. Ad locum autem cum quidam Episcopus advenisset, & de cœco audisset talia & probasset, quæsivit ex eo, si Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscepisset, at ille: non, inquit. Nec mora: Episcopus cœcum confirmavit, & mox ab eo vaccarum discretio est ablata, quoniam dæmonum operatione & ministerio hoc fiebat.* Sic ille.

Superest nunc ut huic Sacramento è nobis suscepto strenuè cooperemur; non enim sine nobis operatur gratia Sacramenti, *sed gratia Dei mecum*, inquit Apostolus. Evaginemus & stringamus gladium, quo accincti sumus; quemadmodum enim S. Petrus dixit juveni, quem à morte excitare præsumpserat Simon Magus (quæ suis præstigiis id effecit, ut juvenis videretur caput movere) *si vivit surgat, loquatur, ambulet*, (apud Egesippum de Excidio Hierosolym.) ita dico ego omnibus confirmatis: si vivunt gratia Spiritus sancti confirmati, si veri Christi milites facti sunt; surgant à tepore fidei ad fervorem ejusdem: loquantur fidem suam publicè prædicando & defendendo: ambulent ut Catholici, monstrent se tales pingendo frontem crucis signo, gestando rosaria, flectendo genua in templo & in foro, cum Sacra Eucharistia gestatur ad infirmum, cum pulsatur ad orationem, &c. Ambulent etiam usque ad mortem, cum vel ob religionem & honorem Dei, vel salutem proximi periculum mortis instat. Exemplo nobis sunt Apostoli, qui ante Confirmationem in die Pentecostes acceptam cerei

erant,

erant, & ad vocem ancillæ trepidarunt, post eam ferrei & Chalybei facti sunt, ut non dubitarent dicere Magistratibus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*; hoc & nos quoque intrepide faciamus, &c.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Quantum bonum dilectio proximi.
II. Quantum malum odium.
III. Quam bonum à mundo reprobari.
IV. Quantum malum ignorantia.
V. Quam bonum odio haberi gratis.
VI. Quantum malum pertinacia.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Ioan. 15.

A.

IEremiæ 24. ostendit Dominus Prophetæ duos calathos plenos ficubus, positos ante templum Domini, quorum unus ficus habebat bonas nimis, alter malas nimis, quæ comedi non poterant. Prior calathus significabat populum Deo & Dei cultui conjunctum, posterior populum inobedientem & reprobum. Prior civitatem Dei, posterior civitatem Diaboli: Video etiam in hodierno Evangelio duos ejusmodi calathos, in quorum uno optimæ ficus, in altero pessimæ sunt. Prior est Christus cum sectatoribus suis, in quo deprehendo tria optima bona quasi ficus optimas, charitatem fraternitatis, patientiam, innocentiam. Posterior est mundus cum incredulis Iudæis, in quo deprehendo tria pessima mala: Odium, ignorantiam, pertinaciam. Utriusque calathi ficus nunc consideremus, illas ut edamus, has ut aversemur.

B.
I.
Quantum bonum dilectio proximi.

Primo. In calatho Christi deprehendimus 1. quantum bonum sit Dilectio proximi & unio Christianorum; siquidem Christus eam nobis toties inculcat in sermone ultimæ cœnæ, ex quo desumptum est hodiernum Evangelium, in quo ait; *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, quasi dicat, hoc unum facite, nec immerito, quia, si foret unio charitatis inter homines, mundus fieret quidam paradisus, tollerentur rixæ, odia, insidiæ, bella, furta, homicidia, adulteria, detractationes, contumeliæ, &c. Denique eliminarentur mala omnia, bona omnia inducerentur. Talis paradisus fuit Ecclesia primitiva tempore Apostolorum, quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una, Actor. 4. quia videlicet omnes uno Spiritus sancti vinculo nectebantur: omnes unum Christum induerant: omnes uni capiti, Petro parebant: omnes unam hæreditatem, quæ divisa non minuitur, sed augetur, sperabant: Hæc omnia cæmentum erat conglutinans & connectens Ecclesiæ illius fabricam, quod, quia nunc desideratur & plerique solum ad terrena attendunt, hinc impleri videtur in Ecclesia, quod dicitur de Ierusalem Matth. 3. *Jerusalem, quasi acervus lapidum erit*, qui nullo scilicet vinculo sibi cohæret. Eo autem tempore Christiani se mutuò vocabant fratres, & duravit aliquot sæculis ea animarum unio, verum crescente fidelium numero, paulatim refrixit.

C.
II.
Quantum malum odium.

Secundo. In calatho Mundi deprehendimus quantum malum sit odium. Primò enim excœcat & indurat hominem, ne videat veritatem & convertatur ad Deum. Patet in Scribis & Pharisæis, quorum ulcus detegit hic Christus, dum radicem incredulitatis eorum ait esse odium & invidiam. *Viderunt*, inquit, (opera & miracula) *& oderunt me & Patrem meum.* Nimirum, odium & invidia trabs est in oculo, impediens eundem ne possit cernere verum. Vitrum est viride vel cœruleum, quod omnia repræsentat viridia vel cœrulea, quæ per illud conspicis. Infectus maligno humore stomachus & palatum quidquid gustat, amarum & insipidum judicat: par ratio in odio. Quidquid operis & miraculi Christus fecit, in oculis Pharisæorum lancea erat, fel in faucibus. Videbant æquum esse, ut in sabbatho suum quisque jumentum ducat adaquatum, extrahat è puteo: & non videbant rectè à Christo fieri, quod in sabbatho liberaret homines à Dæmonis potestate aliisque miseriis.

Secundo. In Deum redundat, licet hominem tantum oderis. Ait enim Dominus: *Qui me odit & patrem meum odit.* Eademque ratione, qui odit hominem, Deum quoque odit. Propterea enim mandatum dilectionis Dei & proximi semper conjunxit, quia Dei & proximi amor sunt veluti gemini annuli ita sibi mutuo impliciti, ut unus sine altero nequeat avelli à digito, quoniam uno eodemque amore & Deum amamus propter se & proximum propter Deum, qui est ratio amandi proximum. Quare si abstuleris à proximo tuo annulum amoris ejus, aufers & annulum alterum, amoris scilicet Dei. *Si oderis proximum, odisti & Deum.*

Medium se constituit Deus inter te & proximum tuum, ita ut eundem lædere non possis, nisi læso prius Deo.

Disce ergo vel hinc, quàm solicitè abstinere debeas ab offensa & odio proximi.

D.
III.
Quā bonum à mundo reprobari.

Tertio. In calatho Christi deprehendimus, quantum bonum sit à mundo abjici & odio haberi, nec non adversa quæque ab eodem pati. Hoc enim primo Honorificum est, quia eandem sortem Christus expertus est. *Si mundus vos odit*, inquit, *scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Quis autem sortem suam non libenter cum Christo com-

communem habeat? Memorat Plutarchus & Ælianus Var. histor. lib. 13. cap. 41. Clarissimum virum Phocionem ab Atheniensibus morte damnatum, cum videret ejulare eos, qui una etiam morte mulctandi erant, ad unum eorum dixisse: *An non, ô Tudippe, pulchrum tibi ducis cum Phocione mori?* Idem vobis merito dicere potest Christus, si mundi odium cum ipso ferre timeatis.

Secundo. Signum est vos de mundo non esse, si à mundo repellimini. *Si de mundo fuissetis*, ait Dominus, mundus, quod suum erat, diligeret: *quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Canis non allatrat domesticos, sed peregrinos tantum & externos. Quare si te mundus allatret, si mordeat, si repellat; signum est te mundi civem non esse sed peregrinum, qui ad cœlum tendat, adeoque ex Deo esse. Quos mundus ejicit, colligit Deus, uti patet exemplo cœci nati, qui ejectus foras à Iudæis, à Christo inventus & collectus est, Ioan. 9. *Ejectus est*, inquit S. Chrysostomus hom. 58. in eum locum, *à templo, à Judæis, & in templo à Domino inventus est, contemptus à contemptoribus Christi, ab Angelorum Rege honoratus est.* Elias à Iezabele morti destinatus, fugere compulsus est vastam in eremum, sed ibi ab angelis pastus est, 3. Reg. 19. Quare *nolite timere opprobrium hominum*, inquit Isaias cap. 51. *& blasphemias eorum ne metuatis: sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea, salus autem mea in sempiternum erit.* S. Hieronymus in Epistola ad Asellam dicit: *Gratias ago Deo meo, quia dignus sum, quem mundus oderit.*

E. IV. *Quantum malum ignorantia.*

Quarto. In calatho Mundi deprehendimus quantum malum sit ignorantia, quæ fecit ut Iudæi Christum ejusque Apostolos à se repellerent, imo subsannarent & occiderent, quodque amplius est, in eo se obsequium præstare Deo crederent. *Hac facient vobis propter nomen meum*, inquit, *quia nesciunt eum, qui misit me.* Quemadmodum in sensibus Visus est nobilissimus, præstantissimus & utilissimus: ita in dotibus animæ nihil præstantius est lumine intellectus. Qui oculis captus est, nullo recto itinere graditur, ad suam perniciem currit, pericula non vitat, bona non prosequitur, nocet quibus non vult, nec debet, &c. Eadem omnia agit, qui lumine intellectus caret; omnia enim præposterè agit, amicos suos pro inimicis habet, inimicos pro amicis, è patulo carcere non egreditur, gehennam non fugit, ad montes aureos cœlestis gloriæ non currit, &c. Quæ causa est cur falco in manu aucupis sedeat & suam libertatem non quærat, in sublime non avolet, prædas suas non sectetur, nisi quia cappam super oculos habet, adeoque nescit ubi sedeat? Eodem modo peccator sedet in manu & potestate Diaboli, nec fugit periculum gehennæ, nec evolat ad Deum Patrem suum per pœnitentiam & amorem, nuntios Dei repellit, Diabolum vero recipit. Unde, nisi quia cœcus est & ignorantiæ velo tectus? Patet in Iudæis, qui Christum & Apostolos ejus ejecerunt, occiderunt: Barrabbam elegerunt. Quamobrem S. Paulus suis in Epistolis toties & tam ferventer orat, ut repleamur cognitione Dei & earum rerum, quæ ad salutem nostram spectant; Veluti ad Eph. 1. *Non cesso*, inquit, *gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis in Sanctis.* Et ad Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, &c.* Naturali impulsu quærit visum, quidquid videre potest. Obliga cani alterive bruto animali oculos, videbis, quam laboret, ut velum ab oculis removeat. Obliga infanti, & videbis illicò cum ploratu velamen abripientem.

Cœci illi duo, rogati à Christo, quid sibi fieri optarent; aliud non petierunt, nisi ut aperirentur oculi eorum, Matth. 20. Et nos, quid non expendimus ut visum conservemus vel perditum recuperemus? At quanto plus interest, habere oculos cordis? Et hos tamen habere cœcos, quam multi nihil curant? imò quam multi cœcitatem suam amant, dum conciones fugiunt, conscientiam Confessario non aperiunt, libros pios aversantur, seipsos nunquam inspiciunt in speculo conscientiæ suæ, lumen intellectus nunquam à Deo petunt, novissima non considerant?

F. V. *Quantum bonum odio haberi gratis.*

Quinto. In calatho Christi deprehendimus: Quantum bonum sit odio haberi gratis, tum quia Christus etiam gratis odio habitus est: tum quia odium istud damnum non affert, sed laudem. Damnum non affert, quia nihil ei adimere potest.

Velut enim canis lapidem mordens, sibi nocet, non lapidi: ita, qui oderunt justum. Projecerunt Danielem Satrapæ Babyloniæ odio æstuantes, in leonum lacum; sed quid illi nocuerunt? *conclusit enim Dominus ora leonum & non nocuerunt ei.* Illi vero qui in Danielem fabam illam cuderant, in se ipsos eam cuderunt, quando nimirum ipsi postea in eundem lacum detrusi sunt & lacerati à leonibus, Daniel. 6. Similiter Iosephum gratis oderunt fratres, cum extinguere eum volentes, deposuerunt in cisternam & pòst vendiderunt in Ægyptum. Ex omnibus enim Ioseph evasit incolumis: ipsi vero tandem in Ægyptum ire fame premente & fratri supplices fieri compulsi sunt, Gen. 42. Laudem affert, quia nihil in eo carpendum aut vituperandum reperit: ob quam causam insultavit S. Martinus moriens Dæmoni sibi adstanti: *Quid adstas*, inquit, *cruenta bestia? nihil funesti in me reperies.* Ut in ejus vita. Felix terque beatus, qui hoc dicere Mundo & Diabolo potest.

Sexto.

G. VI. *Quantum malum pertinacia.*

Sexto. In calatho Mundi deprehendimus, quantum malum sit pertinacia; siquidem Iudæos, quia tot auditis sermonibus, tot visis operibus & miraculis, credere adhuc noluerunt, *inexcusabiles* ait Dominus.

Solet ignorantia etiam crassa excusationem aliquam admittere. Sed malitiosa & affectata, qualis erat in sacerdotibus & Principibus Iudæorum, inexcusabilis est, ut hic testatur Dominus. Nihilominus tamen istam etiam Principum ignorantiam excusat, aliquo modo S. Petrus Act. 3. & ipse Dominus in Cruce; quia scilicet etiam illa minus adhuc habet sceleris, quam si occidissent Christum cognitum, ex certa scientia & mera malitia. Iam ergo, Auditores, si inexcusabiles sunt Iudæi, qui Christo non crediderunt, qui eum oderunt & occiderunt: quis excusabit Christianos, qui in eundem cognitum, & quem pro Deo suo colunt, gravissime adhuc delinquunt? Quanta nunc habemus fidei argumenta? quanta incitamenta ad vivendum Christiane? quot libros? quot conciones? quot exempla? quot miracula? quot clades? quot beneficia?

His omnibus si non movemur, sed adhuc persistimus in cœno peccatorum, actum conclamatumque est de nobis: excusationem non habemus, quemadmodum & ille, qui in nuptiis deprehensus sine veste nuptiali, redargutus obmutuit, ideoque mox ejectus est in tenebras exteriores.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur ait Dominus: hæc mando.
II. Cur mundi nomine reprobi.
III. Cur mundus odit Apostolos?
IV. Cur præmoniti Apostoli de persecutionibus.
V. Miracula Christi an convincere potuerunt Iudæos?
VI. An excusabiles.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, Ioan. 15.

A. PAnem solent homines ea reverentia tractare, ut etiam micam unam, si in terram cadat, sedulò colligant, osculentur & manducent, negligere eam pro peccato ducant. Hinc etiam Dominus fragmentum panum colligi præcepit, ne quid periret. Quod si panem mortalem ita observamus, multo magis decet, ut idem faciamus cum pane spirituali, qui est verbum Dei: *Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* Matth. 4. Imo S. Augustinus lib. 50. hom. 26. vult non minorem adhibendam esse solicitudinem in audiendo Dei verbo, quam adhibetur in susceptione Eucharistiæ, ne vel minima ejus particula in terram cadat. Quæ cum ita sint, & hodiernum Evangelium Christus Dominus in ultima cœna proposuerit, piaculo duceremus, si non omnia ejus verba accurate ponderaremus, adeoque micas etiam de mensa Domini nostri colligeremus.

B. I. *Cur ait Dominus: hæc mando.*

Quæritur Primo. Cur dicit Dominus: *Hæc mando vobis*; & non potius: Hoc mando vobis, ut diligatis invicem; siquidem hic unum tantum præceptum mutuæ charitatis commendat?

Resp. Primo ut indicet hoc mandato cætera contineri, quæ sunt secundæ tabulæ, sicuti testatur Apostolus ad Rom. 13. cum ait: *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Cum ergo omnia præcepta Secundæ tabulæ, proximum tangant, omnia in radice charitatis fundantur, & in unum coeunt. Unde Gregor. hom. 27. *Præcepta Dominica & multa sunt & unum. Multa per diversitatem operis: unum in radice dilectionis.* Quin etiam S. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. vult præcepto illo impleto, impleri etiam legem primæ tabulæ, quia dilectio proximi præsupponit dilectionem Dei, ut sui fontem, & causam. Proximus enim diligendus est propter Deum; ergo simul, imò magis ac prius diligitur Deus si verè diligatur proximus. Quare rectè S. Ioannes Apostolus moriturus de hoc præcepto dicebat: *Si solum hoc fiat, sufficit.* Et S. Iacobus cap. 2. eandem *regalem* vocavit legem. *Si legem,* inquit, *perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, benefacitis.* Regia autem lex dicitur, quia Regis instar, cæteras sub se continet. Eandem ob causam sanctus Augustinus serm. 23. de verbis Domini, charitatem oleo significari ait, quod omnibus liquoribus supernatat. Ut ergo Rex numero plurali de se loquitur, *Nos Dei gratia Philippus, &c.* sic de præcepto isto bene dicitur: *Hæc mando vobis, &c.*

Secundo ut indicet quam serio commendatam suis discipulis velit charitatem. Moverat enim in sermone illo habito in cœnaculo jam ante sæpius, de charitate conservanda, & variis argumentis eandem commendaverat. *Mandatum novum*, inquit, *do vobis, ut diligatis invicem.* Et rursum: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Nunc igitur subjicit: Hæc, quæ de charitatis præcepto sæpius inculcavi & mandavi, quod sit novum & meum præceptum, iterum mando & commendo vobis: ut ea cordibus vestris indelebiliter insculpatis. Indicat ergo Dominus quantopere à Christianis requirat mu-

mutuam Charitatem, quam tot verbis eis commendavit: quasi dicat: Hæc mando, ut observetis hoc præceptum tanquam novum & tanquam meum; novum, quia hactenus id vobis non tradidi, sed usque ad ultimum meum sermonem & instantem mortem distuli, tanquam rem maxime vobis commendandam. Novum, quia volo ut novo fervore jam impleatis, non uti gentiles, sed ut Christiani: ita ut gentiles vos admirentur, dicentes: Ecce quomodo se invicem amant! ecce quomodo pro se invicem mori parati sunt! (quod factum esse scribit Tertullianus in Apol.) Novum, quia hoc præcepto mundus innovabitur, cessabunt rixæ, bella, odia, egestas, invidiæ, immisericordia &c. si lex hæc observetur. Novum, quia novo vinculo invicem devincti, & in Christo omnes facti sumus fratres. Meum vero, quia singulariter mihi gratum & dilectum, nihil enim optabilius est dilectione. Sic dominus aliquis vocat equum suum, cui potissimum inequitat; licet plures habeat. Meum, quia si hoc mihi servaveritis, cætera facile servabitis: & si dilectionem hanc à vobis obtinuero, cætera omnia obtinebo.

C. II. *Cur mundi nomine Reprobi?*

Quær. 2. Cur mundi nomine mali intelliguntur, ut hic: *si mundus vos odit.* Et Ioan. 17. *Non pro mundo hoc rogo, sed pro his quos dedisti mihi:* & alibi passim?

Resp. 1. Quia major pars hominum mundo huic corporeo & sublunari deditus est, in eoque corpore & mente habitat. Etenim uti duæ sunt in homine partes, animus rationis compos & spiritualis: corpus rationis expers, brutum & ferum: ita duæ sunt à Deo constitutæ sedes, una pro Angelis & animabus: altera pro corporibus. Unde homo, quia partim Angelus, partim brutum est, sicut corpore in terris habitat cum bestiis, ita animo in cœlis habitare deberet cum Angelis, quemadmodum & Apostolus, qui ad Philippens. cap. 3. ait: *Nostra conversatio in cœlis est.* At vero mali homines terrenarum rerum lenocinio decepti, sedis animorum propriæ obliviscuntur & corpore simul atq; animo bestiarũ instar in terris repunt; mundũ cogitant, mundum amant, & venerantur omnib. suis operib. Unde August. ser. 49. de tempore ait: *Cur peccatores nomine mundi appellatur, quia mundi dilectione inhabitant mundũ.* Ut ergo amans in amatũ quodamodo transformatur, ita amatores mundi, quia semper mundũ sapiunt, cogitant, loquuntur, mundus quodamodo fiunt. Sic dixit Deus Gen. 6. de peccatoribus: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, id est carnalis, & in opera carnis projectus. Sic Ierem. cap. 22. loquitur ad Iudæam: *Terra, terra, terra audi sermonem Domini.* Sed cum in mundo habitent etiam boni: cur in malam accipitur partẽ, & pro malis? Respondetur, quia plerique hominum mali sunt & mundi amatores. Hinc appellatus forte mundus, quia minime mundus, sed imprimis malis hominibus plenus; quomodo Arabia dicitur felix, quia minime felix, sed montosa, arenosa, & sterilis. Etenim si circumferamus oculos, quam pauci invenientur boni, & quam multi mali in omni statu? E regibus & principibus paucos aliquot novimus sanctos, plurimos verò reprobos. Unde Flavii Claudii Imperatoris stultus non stultè asserebat, se omnes bonos Imperatores annulo suo insculpturum. In clero sæculari, quam paucos reperimus Philippos Nereos? *Omnes, quæ sua sunt quærunt*, ait Apostolus, *non quæ Jesu Christi.* Inter Advocatos, quam pauci sunt Ivones? Inter opifices & cives, quam pauci Homoboni? Inter Agricolas & servos, quam pauci Isidori? Inter mendicos, quam pauci Servuli?

D. III. *Cur mundus odit Apostolos.*

Quær. 3. Quare mundus odio habuit & tam dirè persecutus est Apostolos? Respondetur id indicatum esse à Christo, in hodierno Evangelio. Nam primo id fecit, quia Christi discipuli non erant de mundo, sed contraria incedebant via. Quæ enim mundus magni æstimabat & amabat, hæc illi aspernabantur & odio habebant: Unde vel ipsa Apostolorum vita, tacita erat mundi reprehensio. Quid autem mirum, si ignis in aquam, calor in frigus pugnet?

Secundo. Quia Christum prædicabant, ejusque Evangelio mundum arguebant. *Hæc facient vobis propter nomen meum*, inquit Dominus. Cupiebant enim illi mederi perdito & desperato mundo, qui tamen medicinam illam velut asperam respuebat. Nec mirum; caput scabiosum odio habet pectinem.

Tertio. Quia mundus Christum Dei filium, & Messiam, qui eos misit, esse ignorabat. *Quia nesciunt eum, qui misit me*, ait Dominus.

Quarto. Quia invidia excœcavit eum. Vidit eos multa signa patrare, quæ non poterat ipse cum omni sua potentia. Vidit turbam plurimam abire post eos. Vidit multas virgines & matronas nobiles, per eos averti à se, & ad castam sanctissimamque vivendi rationem traduci. Vidit sapientes suos magos, & similes ab iisdem vinci & confundi: Hinc invidia in eos conflata est, qua excœcatus mundus Patres Patriæ perdidit. Hoc est quod dixit Dominus: *Quia odio habuerunt me gratis.*

E. IV. *Cur præmoniti Apostoli de persecutionibus.*

Quær. 4. Quamobrem Christus discipulos suos præmonere voluit de futuris mundi persecutionibus, & odiis, velut cum hodie dixit: *Mementote sermonis mei, &c.* Respondetur Primo. *Prædixit futuram perturbationem, ut quasi ante cognitam levius portarent*, ait Beda Matth. 10. *Minus enim jacula feriunt*, inquit sanctus Gregorius hom. 35. in Evang. *quæ prævidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum præmunimur.* Sciebat enim Dominus gravissimas tempestates imminere suis discipulis, cruces, ignes, ferras, cultros, gladios, &c. quæ ut levius ferrent, prædicere eis voluit; atque ita jugo Apostolorum, velut boum, pulvinar aliquod supponere.

Secundo. Ut fidem & constantiam eorum probaret, vel potius mundo ostenderet. Quotusquisque no-

nostrum est, qui Christo adhæsisset, si ab eo audisset, omnes ejus discipulos per varia & exequisitissima supplicia è mundo exterminandos esse? Certè adolescens ille, quando id solum audivit, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes &c. tristis abiit.* Quanto citius abiisset, si Christum audisset dicentem: Vade, sequere me in mortem & crucem? Itaque non frustra aut merè gratis vocantur Apostoli, cœli principes; tales enim fortitudine sua esse meruerunt.

Tertiò. Ut intelligerent, se nondum omnino perfectos esse, sed tunc demum Christi veros discipulos futuros, si Christum in passione imitarentur. *Patientia enim opus perfectum habet*, ait S. Iacobus c. 1. Unde S. Ignatius, cum ad bestias duceretur, dicebat: *Nunc incipio fieri Christi discipulus.* Patientia itaque supremæ Laureæ examen est. Nemo sibi persuadeat, se perfectum Christi imitatorem esse, priusquam hac laurea coronatus fuerit. Patientia est lapis Lydius, quo probantur omnes aliæ virtutes: Unde Rom. 5. dicitur: *Patientia probationem operatur.* Inde virtutes Iob in hoc lapide probare voluit dæmon: *Extende*, inquit, *paulum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet: nisi in faciem tuam benedixerit tibi*, Iob. 1. Quare si advertis te nondum exerceri in patientia, scias te adhuc longè abesse à perfectione.

Quarto. Ne scandalizarentur aliquando toto mundo insurgente contra eos, & propter nomen Christi iniquissimè eos tractante. Nisi enim hac de re præmoniti fuissent, facilè dejici poterant, cum videbant mundum totum sibi & Christo adversum, seque nihil aliud, quam Uriæ litteras ferre. Cogitare enim poterant: Itane Magister nos decepit? vel defendere non potest? &c. Idcircò etiam eis dixit alibi: *Ecce ego mitto vos in medio Luporum*, idest, ad macellam & lanienam.

F. V. *Miracula Christi, an convincere potuerint Iudæos?*

Q. 5. Fueruntne Christi doctrina & miracula talia, ut Iudæi credere tenerentur eum esse Mesiam? siquidem ait Dominus, eos excusationem non habere?

Respondetur. Christi doctrinam sejunctam quidem à miraculis non videri sufficientem fuisse ad hoc. Nam in hodierno Evangelio, Christus suæ doctrinæ miracula adjungit. Ratio est, quia prædicans populo non apertè dicebat se Mesiam, ne Romanos offenderet, & in se concitaret ante tempus. Miracula tamen ejus omninò talia fuerunt, ut credere deberent Iudæi ipsum esse Christum. Etenim à Christi miraculis magis superabantur aliorum sanctorum miracula, quam vincantur à sole stellæ. Idque quadruplici modo.

Primo Multitudine. Nam omnes male habentes curavit, ut ait Matth. c. 8. Marcus c. 6. ait: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Lucas c. 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ioannes c. ult. *Sunt autem & alia multa, quæ si scribantur per singula, ne ipsum, arbitror, mundum capere posse.* Hinc ipsimet Iudæi dicebant: *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quæ hic fecit?* Ioan. 7.

Secundo. Magnitudine. Nam quatriduanum mortuum suscitavit: & cœcum natum illuminavit, quod à sæculo non fuisse auditum, Iudæi testabantur. Deinde à mortuis resurrexit, & ad cœlum ascendit. Adhæc ipse Dominus ait in hodierno Evangelio: *si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Nec refert, quod alibi dicat: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, Ioan. 14. Nam ea omnia fecerunt sancti per Christum, nec tam ipsi, quàm Christus in eis, ut ipsi fessi sunt Actor. 5. 9. &c.

Tertio modo. Non enim diu multumque laborando, sicut Elias & Elisæus: nec orando & obsecrando, ut ferè omnes Sancti faciebant; sed repente, imperando, ac propria authoritate miracula omnia faciebat. Veluti cum dixit: *Volo: mundare.* Cum præcepit dæmoni; quem discipuli ejicere non poterant, dicens: *Ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum:* Exivit enim continuo Marc. 9. Item cum mortuos suscitavit, dicens: *Puella surge: Adolescens, tibi dico, surge: Lazare veni foras, &c.*

Quarto Varietate. Ut enim ostenderet se omniū creaturarum Dominum & factorem, in omni rerum genere prodigia aliqua edidit. In cœlo & sole, cum in obitu suo Ecclipsin miram & horrendam effecit. In Elemento ignis, cum inde stellam evocavit, quæ Magos ab Oriente duceret in Palæstinam. In aëre, cum ventis imperavit. In aquis, cum super eas siccis pedibus ambulavit. In terra, cum eam tremere fecit moriens. In mixtis inanimatis, cum Petras scidit, & panes multiplicavit. In animatis seu arboribus, cum ficum subitò arefecit. In brutis animantibus, cum piscium multitudinem concludere Apostolos fecit, & cum Petro piscem obtulit capiendum, habentem in ore staterem. In hominibus innumera, cum tot cœcis visum, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot ægris sanitatem, & mortuis vitam restituit. In spiritibus, cum malignos ejecit ex obsessis hominibus: Cum in mare præcipitavit, quæ omnia à Mesia facienda esse prædixit Isaias cap. 35. Ut merito Christus dicere potuerit: *Si mihi non creditis, operibus credite*, Ioan. 10. Ubi præterea illud innuit, se ea miracula fecisse ad confirmationem suæ Divinitatis. Fieri autem nequit, ut Deus, cujus solius virtute fieri miracula propriè dicta possunt, testis falsitatis sit. Unde licet etiam mali homines prophetare & ejicere dæmonia, facereque miracula queant, juxta Matth. 7. non tamen ad confirmationem rei falsæ. Christus autem omnia sua miracula ad hoc faciebat, ut Mesiam se esse comprobaret.

G. VI. *An excusabiles Iudæi.*

Q. 6. Si verum est, quod ait hic Dominus de Iudæis: *Nunc autem excusationem non habent*: Item, *Nunc autem & viderunt & oderunt me, &c.* qua ratione excusat eos in cruce: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt?* Respondetur Verbum Christi in

sti in cruce intelligi: Primo posse de crucifixoribus, quos probabile est ignorasse Christum. Secundo de nobis, vel aliis peccatoribus absentibus, qui nesciebant, quid Hierosolymis Christo accideret. Tertio si etiam de Iudæis capiatur verbum, dicendum est, Christum voluisse peccatum Iudæorum extenuare, quantumcunque potuit. Tametsi enim sciebat ignorantiam eorum esse voluntariam & affectatam, adeoque inexcusabilem, voluit tamen eam pro viribus extenuare, tanquam minus adhuc culpabilem, quàm si omnino scienter & volenter ex mera malitia peccassent; ut ita ostenderet, quam libenter arripuisset argumentum aliquod, quo Iudæos excusaret, si quod suppetiisset.

Quæ cum ita sint, nos Christiani merito timere debemus, ne aliquando minus quam Iudæi simus excusabiles. Nondum viderant illi Christum resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cœlum, Evangelium dilatatum per universum orbem. Nos videmus, &c.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Evangelium Matth. 5.

IN illo tempore, Videns Jesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum, docebat eos: dicens, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

CONCIONES.

CONCIO I.

OCTO GRADUS SCALÆ cœlestis, per quam ad sanctitatem & beatitudinem ascenditur.

I. *Beati pauperes.*
II. *Beati mites.*
III. *Beati qui lugent.*
IV. *Beati qui esuriunt.*
V. *Beati misericordes.*
VI. *Beati mundo corde.*
VII. *Beati pacifici.*
VIII. *Beati qui persecutionem &c.*

THEMA.

Beati pauperes spiritu, &c. Matth. 5.

GEnes. 28. vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo &c. Scala hæc*, inquit Tertullianus in fine l. 3. contra Marcionem, *est via, qua justi ascensiones in corde suo disponunt in cœlum*, idque insinuat Spiritus S. Sap. 10. ubi de hoc Iacobo & hac scala ait: *Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas & ostendit illi regnum Dei.* Gradus hujus scalæ virtutes sunt, per quas homines de terra ad cœlum, de creaturis ad creatorē ascendunt, quas in hodierno Evangelio proposuit Dominus. Latera hujus scalæ

scalæ, quibus nituntur & compaginantur virtutes, sunt fides & spes: per illam firmissimè creditur, quidquid Christus de his virtutibus earumque præmiis edixit: per hanc speratur adimpletio earundem promissionum. Angeli ascendentes & descendentes in ministerium missi sunt propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ut eos per varia media adjuvent & promovent in via cœli, ne labantur, impingant, subsistant, decidant: sed eos deducant, illis consulant & in omnibus gressibus eos excitent, dæmonesque eis insidiantes compescant. Deus scalæ innixus Christus est, Magister, exemplar & præmiator omnium Sanctorum, qui verbo & exemplo suo, nos omnes ad ascensensum hujus scalæ vocat & præmiis propositis allicit: nolentes verò minis terret adeoque dextra palmam protendit, sinistra gladium intentat & væ minatur, uti Luc. 6. facit post recensitas beatitudines. Id quod nunc videbimus.

B. I. *Beati pauperes.*

Templum Hierosolymitanum, quod Ezechieli ostendebatur in visione, Ezech. 40. octo gradus habuit. Totidem gradus ponit Christus in scala perfectionis Evangelicæ, quæ ducit ad templum cœli & vitam æternam. Primus, qui nos incipit à terra elevare est paupertas Spiritus, cujus munus est inordinatam divitiarum cupiditatem & dignitatum hujus mundi tumentem appetitionem mortificare. *Beati pauperes spiritu*, inquit. Tales autem sunt non qui ex necessitate pauperes sunt, ut mendici: nec qui ob vanam gloriam, uti Diogenes: nec qui philosophandi gratia, uti Crates, divitias spernunt & abjiciunt: sed qui propter regnum cœlorum acquirendum & ut Christum sequi possint, pauperes sunt voluntariè. Hujus paupertatis & primi gradus sunt quidam quasi graduli. Primus est spiritu & corde temporalibus opibus & honoribus renuntiare, inordinatos ad eos affectus exuendo & ad eos reipsa relinquendos, quando ad Dei voluntatem faciendam id fuerit necessarium, nos offerendo. Secundus reipsa abjicere hæc onera & impedimenta, ut Deo expeditius serviamus. Tertius hæc non oblivisci tantum sed adversari ut stercora cum Apostolo, tanquam vilissima & periculosa. Porro ad primum gradulum omnes obligantur, quicunque ad apicem scalæ, beatitudinem videlicet, venire cupiunt. Hoc vero si cui difficile videtur; aspiciat is Christum scalæ huic innixum, & primo exemplo præeuntem. Elegit enim matrem pauperem, pauperem patriam, pauperem porticum, in qua nasceretur, pauperculum præsepium, in quo reclinaretur; In juventute pauperculus vivebat, eleemosynis sustentabatur, alienis utebatur ædibus, paupercule vestiebatur, pauperes habuit discipulos. In cruce moriens non habebat ubi caput reclinaret: mortuus non, ubi sepeliretur, nisi in alieno tumulo. Denique omnibus scholam suam ingressuris, hoc quasi prologium in januis præfixit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat* (saltem effectu scilicet) *omnibus, quæ possidet: non potest esse meus discipulus.*

A. *Christi exemplum*

Aspiciat secundo manu dextera præmium porrigentem: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Regnum hoc partim datur in præsenti, quia justi perfruuntur pace interna & gaudio spiritus S. Unde dicitur ad Rom. 11. *Regnũ cœlorum non est esca & potus, sed justitia, pax, gaudiũ in spiritu S.* Habent item arrham regni illius promissi: partim dabitur in futuro & reipsa. Quis autem non eligat ad tempus esse pauper ut regnare in cœlo possit semper?

Supplicium.

Quod si hæc necdum movent aliquem, aspiciat tertio, sinistram minas & væ intentantem iis, qui paupertatẽ spiritus adversantes, divitias amant. *Væ*, inquit, *vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*: Quasi diceret: væ vobis, quia cum epulone recipitis bona in vita vestra, postea autem cruciabimini & nec guttam quidem consolationis à Deo accipietis.

C. II. *Beati mites.*

Secundus gradus est mansuetudo, cujus est Primò iras animique perturbationes cohibere in animo, in vultu & corporis motibus, tranquillitate conservata. Secundo erga omnes exhibere humanitatem & affabilitatem, nullo verbo injurioso aut ingrato, nec turbata voce aut contentione, quæ turbare alios possit, prolata. Tertio non modo non ulcisci injurias aut malum pro malo non reddere, sed nec violentia injuriosa resistere injurianti; ferre potius patienter injurias, paratumque esse ad ferenda plura: injuriantem excusare & Deum pro illo precari. Quæ virtus cuivis in hoc mundo necessaria etiam est, utpote inter tot insidias & persecutiones inimicorum.

Exemplũ Christi.

Porro aspiciamus ad Christum scalæ innixum, & videbimus Primo ejus exemplum. Ipse enim dixit, Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* De eo etiam prædixit Isaias c. 42. *Non erit tristis neq; turbulentus: non clamabit nec audietur vox ejus foris; calamum quassatum non confringet & linum fumigans non extinguet.* Potius videlicet fumũ illum naribus suis excipiet, & patienter feret. Eidem testimonium dat sanctus Petrus 1. Pet. 2. dicens: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè.* Hanc verò mansuetudinem præcipuè exhibuit in passione & cruce sua, ubi sicut agnus coram tondente se obmutuit, ita ut ipse Iudex miraretur vehementer: latro & centurio propterea in eum crederent: Videbimus Secundo præmium ab eo propositum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et quidem juxta Glossam, possidebunt terram, quam gerimus, quam terimus, quam quærimus. Terra quam gerimus, cor & passiones sunt, quibus dominantur mites velut Domini passionum suarum, juxta id Luc. 10. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Terram, quam terimus, obtinent mites, quia omnium hominum voluntates ad sui amorem trahunt, adeoque humanorum cordium terram possident. Iuxta id Ecclesiastici 3. *Fili*

Præmium

in

in mansuetudine opera tua perfice & super hominum gloriam diligeris. Hinc sæpe evehuntur ad imperia, uti David 1. Reg. 24. quod præsagiit ei Saul, ob ejus mansuetudinem. Terram, quam quærimus viventium, merito etiam possidebunt, quia dignum est ut mitibus, qui omnibus se calcandos præbuerunt, detur etiam calcandum cœlum: nec enim minus est, calcari hominem, quam calcari cœlum. Videbimus Tertio, væ in manu ejus sinistra: *Væ illis, qui in via Cain abierunt*, ait Iudas in sua Epistola, quasi diceret: Væ illis, qui ad vindictam proni sunt, instar Cain, nec parcere nôrunt fratribus suis: quia ad Cain ibunt.

Supplicii.

D. III. *Beati qui lugent.*

Tertius gradus est luctus seu fletus, cujus primus actus est ludicrum risum & ineptam lætitiam cohibere. Secundus deflere propria peccata, cum Davide, Petro, Magdalena. Tertius deflere etiam aliena hominum peccata, tum ob Dei injuriam quæ illi irrogatur, tum ob imminentem eis damnationem, & hoc cum Samuele deplorante casum & perditionem Saulis: cum Christo deplorante impœnitentiam & excidium Ierosolymæ. Quartus deflere exilii hujus miseriam & prolongationem, absentiam patriæ cum Davide: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est:* Et cum Paulo: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et iterum cum Davide: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Ps. 14.

Exemplũ Christi.

Nunc vide exemplum Christi qui nunquam quidem ridere, sæpius autem lachrymari visus est, ut sanctus Basilius notat, regul. 17. in præsepio, super Lazarũ, super Ierusalem, in cruce super impœnitentes.

Præmium

Secundo vide præmium promissum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Consolabuntur partim hic, quia in ipsis suis lachrymis consolationem invenient divinam & indicium quoddam, sive quòd remissa sint eis peccata, sive quod exilium eorum brevi finiendum sit, sicuti David qui dixit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Et S. Augustinus, qui dicebat lib. 9. confess. cap. 6. *Currebant lachrymæ & bene mihi erat cum eis.* Partim ibi, ubi absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; Ibi enim sunt res innumeræ, quæ summè consolantur. Consolatur ipsa clara Dei visio & humanitas Christi, præsentia Deiparæ, societas Angelorum, Apostolorum, Martyrum, &c. ubi alter alterum consolatur: securitas loci, æternitas illius status, pax conscientiæ, &c.

Supplicii

Hoc si tibi sat non est, audi quid dicat Christus, mundi amatoribus perperam lætantibus Luc. 6. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luctus ille æternus erit & irremediabilis omnique solatio carens. Quis non præeligat modicum hic luctum, ut perennem illum effugiat, & æternum in cœlo gaudeat?

E. IV. *Beati qui esuriunt.*

Quartus gradus est, esurire & sitire. Cujus actus est Primo esurire & sitire, panem & potum corporalem, nam & de hoc loquitur Luc. 6. ubi ait Dominus: *Beati qui esuritis & sititis*; id est, qui mei causa esuriem & sitim patimini, exuti & spoliati bonis vestris. Secundus esurire & sitire veram justitiam, quæ in perfecta divinorum mandatorum observatione consistit; ut unicuique quod suum est, detur, Deo, quod est Dei: proximo, quod est proximi. Tertius esurire majorem & majorem semper justitiam seu incrementum ejus, *ut justus justificetur adhuc*, Apoc. ult. Quartus desiderare ut hæc ipsa justitia sit in mundo, & omnes eam assequi ac conservare studeant.

1. *Exempli Christi.*

Hæc si molesta putas, aspice Christum nostri causa esurientem & sitientem, dum circuiret oppida & castella: aspice sitientem in cruce & felle potatum. Vide etiam quàm esurierit & sitierit nostram justitiam atque salutem, qui aliquando ex itinere fatigatus esuriens & sitiens sedit sic supra fontem, & tamen interim dum occasio daretur Samaritanam justificandi, omnis cibi oblitus est, & offerentibus panes discipulis respondit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, Ioan. 4. Vide quàm sitierit nostram redemptionem, qui dixit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Luc. 12.

2. *Præmium*

Aspice consequens præmium: quia *saturabuntur.* Primò corporaliter, quia *non vidi justum derelictum*, ait David, *nec semen ejus quærens panem.* Secundò spiritualiter per internam gratiæ consolationem & spiritûs jucunditatem, qua nihil terreni concupiscunt; sed Deo impleti & gloriæ pignore, omnia se habere confidunt expectantes semper, etsi sine fastidio, beatam illam spem. Tertiò satiabuntur plenè cum apparuerit gloria Dei, Ps. 16.

3. *Supplicii*

Quòd si contrariam tenere viam velis, audi quid dicat Dominus Luc. 6. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Saturos intelligit, qui bonis temporalibus, deliciis & voluptatibus usq; ad satietatem se ingurgitant, & ex hoc rerum spiritualium & cœlestium obliviscuntur, earumque nauseam capiunt, juxta id Prov. 27. *Anima saturata calcabit favum.* Hos suo tempore puniet fame, si non panis, certè spirituali, verbi Dei, gratiæ & sacramentorum ac denique bonorum omnium in inferno cum Epulone illo, Luc. 16.

F. V. *Beati misericordes*

Quintus gradus est misericordiæ, quæ compassionis visceribus subvenit pro viribus alienis miseriis atq; indigentiis, quas veluti proprias aspicit, idque, Primo operibus misericordiæ corporalibus. Secundò spiritalibus. Tertiò corde simul & opere, corde commiserando & opere succurendo, atque hoc ex sola charitate, tam erga inimicos quàm erga amicos. Quòd si facultas tibi desit, opem afferendi: saltem cupias afferre, petasque à Deo & hominibus ut afferant.

1. *Exempli Christi.*

Fecit hoc totum Christus in supremo gradu, qui *pertansiit benefaciendo & sanando omnes, oppressos à diabolo*, ut ait S. Petrus, Act. 10. qui etiam tanti fecit mise-

misericordiam, ut sacrificium & Dei cultum postponi ei voluerit, Matth. 9. *Misericordiam volo*, inquit, *& non sacrificium*.

2. *Præmiū.*

Præmium proponitur, reciproca misericordia à Deo exhibenda misericordibus: quæ tanto major illa, quam exhibuerimus nos, quanto nobis major est Deus. Dabit enim non tam pro modulo meritorum nostrorum, quam pro divina majestate & magnificentia, mensuram bonam confertam & coagitatam in sinum nostrum, nec tollet unam alteramvé tantùm à nobis miseriam, sed omnem omninò: *Quoniam ibi non erit amplius neque luctus neque clamor neque dolor, &c.* quia DEI perfecta sunt opera. Itaque si pavisti quem panibus? pasceris in divitiis Dei. Potasti quem aqua? de torrente voluptatis ejus potaberis. Vestiisti? induet te immortalitate. Collegisti hospitem? Colligeris in regno ejus.

3. *Suppliciū.*

Si præmium nos non movet, moveant saltem minæ, quas intentat immisericordibus: *Væ vobis*, ait Dominus Matth. 23. *Qui comeditis domos viduarum.* Et: *Judicium sine misericordia, illi qui non fecit miseri ord am*, ait Jacobus c. 2. id quod expertus est servu ille nequam, qui cum conservo suo patientiam habere noluit, ideoque traditus est tortoribus, Matth. 18.

G. VI. *Beati mundi corde.*

Sextus gradus, cordis munditia, quâ quis Primo omne peccatum lethale perhorrescit, & paratus est omnia potiùs agere aut pati, quàm vel unicum committere. Secundò cavet etiam venialia, & siquidem commissa sint, instar mundæ Columbæ, mox ab iis nidulum conscientiæ suæ per crebram confessionem repurget. Tertiò sanctis insuper cogitationibus, verbis & operibus cordis sui habitaculum veluti tapetibus & picturis adornat, ut ita Deo beneplacitum sit habitare in illo.

1. *Exemplū Christi.*

Exemplar hujus munditiæ exactissimum fuit Christus, *in quo dolus non erat*, 1. Pet. 2. & *princeps hujus sæculi non habuit in eo quidquam*, Joa. 14. nec poterat quis arguere eum de peccato, Joan. 8.

2. *Præmiū.*

Præmium verò Dei conspectus, quæ beatitudo essentialis & fons omnium bonorum, quibus Beati in cœlo perfunduntur. *Quid est quod non vident*, ait Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. *qui videntem omnia vident?* Hoc itaque unicum petiit olim Moyses tam instanter: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*, Exod. 33. Hoc solum petiit David Psal. 79. *Ostende faciem tuam & salvi erimus.* Hoc unicum petierunt Apostoli per Philippum: *Ostende nobis patrem & sufficit nobis*, Joan. 14. sed quid illis dicitur, qui corde non sunt mundo? *Væ vobis*, ait Dominus Matth. 23. *quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ & immunditiâ, Pharisæe cæce munda priùs quod intùs est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.*

3. *Suppliciū.*

H. VII.

Septimus gradus est studium pacis, Primo cum proximis omnibus pacem, concordiam & Charitatis vinculum conservando, nemini dando offensionem, &c.

Beati Pacifici.

Secundò pacificare etiam alios, & curare ut dissidentes inter se componantur.

Tertiò pacificare animas cum Deo, propriam inprimis, deinde etiam aliorum, juvando eas & reducendo ad obsequium Creatoris sui.

1. *Exemplū Christi.*

Hanc pacem nobis Christus attulit è cœlo, velut rex pacificus & princeps pacis, hanc toties precatus est discipulis, hanc ipse semper tenuit, ut prædixit Esaias c. 42. *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.*

2. *Præmiū.*

Præmium pacificorum est, ut speciali quodam modo sint filii Dei, tum in hac vita cum singulariter à DEO diligentur & custodientur: tum in altera, cùm singulari gloria condecorabuntur, quòd similes fuerint principi pacis, qui sanguine suo pacificavit, quæ in cœlo sunt & quæ in terra.

3. *Suppliciū.*

Pacem verò turbantibus *Væ* dicit Apostolus Judas in sua Epistola: *Væ illis, qui in contradictione Core perierunt*, id est, qui Core contradictionem & rebellionem imitati pereunt.

I. VIII. *Beati qui persecutionē &c.*

Octavus. Pati persecutionem propter justitiam & primo quidem patienter eam & hilari animo tolerando. Secundò seipsum si opus fuerit ad ipsam mortem offerendo, conservandæ causa sanctitatis & Charitatis. Tertiò gaudere insuper in tribulationibus & sibi gratulari, quòd sic Christo similior & corona gloriæ dignior fiat. Et hic ad supremum scalæ culmen pervenitur, & ad perfectam imitationem Christi crucifixi, qui scalæ huic innititur.

1. *Exemplū Christi.*

Eò vocat nos exemplum Christi qui gravissimas pertulit persecutiones propter promulgationem sanctissimæ suæ legis, & reprehensionem vitiorum, &c. *Unde si patrem familias Beelzebub vocaverunt quanto magis domesticos ejus?* Matth. 10.

2. *Præmiū.*

Eò vocat nos & præmium patientibus promissum, quod est regnum cœlorum. Ideo verò partim datur in præsenti vita per internum gaudium spiritus; quo in vinculis suis miro modo recreabatur. SS. Martyres, ut tormenta præ illo contemnerent: partim in futura: Unde Dominus subdit: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me; gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

3. *Supplicium.*

Contrà verò, *Væ cum benedixerint vobis omnes homines*, ait Dominus, Luc. 6.

Hæc est igitur scala, per quam ascendendum est ad cœlum & ascenderunt quotquot sunt in cœlo. Per hanc ascendere servum DEI Dominicum vidit Prior Brixiensis, uti refert S. Antoninus agens de morte sancti Dominici. Vidit enim hiatum in cœlo, per quem submittebantur duæ candidissimæ scalæ, quarum unam tenebat B. Virgo; alteram Christus. In fine utriusq; scalę sedes posita erat, & unus ei insidens similis fratri prædicatori (is erat S. Dominicus) quasi

quasi vadens versus cœlum. Has Christus & Mater ejus sursum una cum sede & sedente trahebant; & tunc hiatus clausus est. Hæc item scala est; per quam ascendentes & descendentes vidit S. Romualdus sui ordinis Monachos, ut in ejus vita. Per eandem ascẽdere sanctum Benedictum viderunt duo ejus fratres; unus in cella, alter procul existens; viderunt namque viam lucidam pallis stratam, atque innumeris coruscantem lampadibus à cella sancti Benedicti versus Orientem ad cœlum tendentem, audieruntque vocem: *Hæc est via, qua dilectus ut Dei Benedictus cœlum ascendit.* Ut in ejus vita. Per hanc deniq; Sancti omnes quotquot sunt in cœlo, ascendere debuerunt, Apostoli, Martyres, Confessores, Pontifices, Monachi, Sacerdotes, Virgines, Viduæ, Conjuges: ita ut si vel in uno gradu impegissent, nunquam eò pervenissent: Superest nunc ut nos illos strenuè subsequamur, &c.

CONCIO II.

UNDE COLLIGATUR COELESTIS Gloriæ magnitudo.

I. Ex Scriptura.
II. Ex Christi Meritis.
III. Ex sanctorum testimonio.
IV. Ex cœlorum decore.
V. Ex mundi hujus decore.
VI. Ex reproborum prosperitate.
VIII. Ex inferni horrore.

THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 5.

A. MAtthæi 13. comparavit Christus Dominus Regnum cœlorum pretiosæ margaritæ, quam diu quæsitam, & tandem inventam Negotiator abiens & vendens omnia, quæ habuit, emit. Nos per Dei gratiam invenimus hanc margaritam, cum per fidei susceptionem hæredes cœli facti sumus: quæ tanti pretii est; ut merito & libenter omnibus nostris venditis eam emere debeamus. Sed heu multi non agnoscunt pretium illius; multi enim dicunt, ait David Ps. 4. *Quis ostendit nobis bona?* quasi dicerent: Quis ascendit in cœlum? quis inde ad nos descendit? Multa nobis in cœlo bona gaudiaque promittit sacra scriptura, multa loquuntur Patres & Concionatores: Multa Christi Apostolus Paulus cùm ait, 1. Cor. 8. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Similiter Isaias c. 64. Sed unde norunt ipsi? Vel saltem unde arguere possumus, vera esse, quæ dicunt? Audiamus.

B. I. *Ex scriptura.* Primò. Edicit nobis Spiritus S. in Scriptura sacra. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, inquit David Psal. 86. Dixit de eâ inprimis Deus ad Abraham, Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.* Dixit David: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Dixit Isaias cap. 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparâsti exspectantibus te.* Similiter S. Paulus 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Quid dicis, ô Apostole? quàm longè pertingit oculus: Videre enim astra potest, cœlorum ac stellarum magnitudinem & distantiam metiri: Videt gloriam Imperatoris & Regum, eorum palatia sumptuosissima, armamentaria, hortos amœnissimos, équos præstantissimos, aulicos plurimos & nobilissimos, satellitium, pompam, ornatum, &c. Et tunc fortè dicet homo, si talis est Sanctorum in cœlo gloria, sufficit. Sed nihil sunt hæc respectu eorum, *quæ præparavit Deus diligentibus se*; quia hæc *oculus non vidit &c.* Longiùs se extendit auris, quia percipit etiam, quæ ob distantiam cerni nequeunt, uti mores omnis generis nationum, divitias Indorum, omnis generis peregrinos flores & herbas, pisces in mari abditos, monstra, feras; quæ geruntur in toto orbe, quæ ab ortu mundi in omnibus regnis gesta sunt, quædam etiam futura prædicta à Prophetis: percipit lætissima nuntia, suavissimos concentus, omnis generis instrumenta, familiarissima colloquia: sed nihil etiam hoc, respectu beatitudinis; quia *auris non audivit, &c.* Longissimè se extendit intellectus, quia attingit etiam possibilia & fingere sibi potest, quæ nunquam fuerunt nec erunt. Fingat ergò sibi mundum isto longè præstantiorem, in quo montes omnes aurei, lapides omnes Smaragdini, arbores omnes cedrinæ, fluvii crystallini, mensæ omnes deliciis refertæ sint, &c. qualem fingimus Utopiam, das Schlauraffenland/ nihil tamen erit: quia *in cor hominis non ascendit.* Quæ omnia passim confirmavit Christus, cùm promisit nobis regnum cœlorum, gaudium Domini, convivium perpetuum, &c. cumque gloriam sui corporis in monte Tabor ostendit. Confirmavit denique S. Joannes in Apoc. c. 21.

C. II. *Ex Christi meritis.* Secundò, Commonstrat nobis Christus, qui tantum pretium expendit pro comparando nobis regno cœlorum. Non enim sufficiebat ullum finitum pretium, infinitum requirebatur; idcircò Dei Filius de cœlo in terram venit, ut pretium hoc, quod solus poterat, exsolveret. Et obtulit id infinitum non una ratione: infinitum ratione offerentis, quia erat Dei Filius, unde omnia ejus opera infinitum habuere valorem: infinitum ratione rei oblatæ, quia corpus & sanguinem adeoque vitam suam, quâ ut homo, pretiosius nihil habebat. An tu igitur parvum existimas thesaurum illum, quem ut ditissimus aliquis in agro absconditum emat, tradit omnia sua pro illo? An tu vilem putas eam margaritam,

pro qua comparanda opulentissimus mercator navigat ad extremos Indos, & pro ea dat omnia bona sua? Jam verò Matth. 13. ait Dominus regnum cœlorum esse thesaurum illum, & margaritam illam pretiosam, quam ut nobis emeret, ipse de cœlo in terram venit, & vendidit omnia sua, id est, nulli pepercit labori, fatigationi, prædicationi, vitæ ipsi, & emit eam. Hoc igitur putabimus facturum Dominum, si non prorsus pretiosissima esset gloria, quam tam carò nobis emit? Num vitam suam pretiosissimam daturum, si non beatissima esset cœlitum vita, pro quâ suam dedit? Accedit quòd merita Christi ex se sufficiant pro omnibus hominibus, etiam jis, qui damnantur; ergò quantò paucioribus applicantur, tanto copiosius applicabuntur, & dabitur illis mensura conferta & coagitata, id est, præmium ultra condignum.

D. III. *Ex Sanctorum testimonio.*

Tertiò. Sancti id confirmant multipliciter; Primo. Quia gloriam illam, jam priùs à Christo emptam caro pretio, rursùm, quantumvis Christo amicissimi emere debuerunt. Quanti ejus amici fuerunt Apostoli, quos non amicos tantùm sed & fratres suos appellavit? sed carò nihilominus vendidit eis gloriam: lapidati sunt, secti sunt, crucifixi sunt, excoriati sunt, & ex illis carissimus Christo Joannes in ferventi oleo positus fuit. Magnus Dei amicus Job, simplex, rectus ac timens Deum, & tamen adeò crudeliter à dæmone vexatus est, antequam acciperet suum præmium. Nemo sanctior *inter natos mulierum Joanne Baptista*, & tamen is præter spontaneas castigationes, solitudinis, locustarum & hirsutæ pellis, caput etiam suum pro gloria dare debuit. Quid? ipsa DEI Genitrix, præter alias gravissimas afflictiones gladio doloris transfigi in corde debuit, & omnes filii dolores etiam ipsa exhaurire. Quare si amicissimis suis gloriam suam tam carò vendidit Deus, quis dubitet eam omni pretio majorem esse? *Nunquid enim iniquitas apud Deum? Absit,* inquit Apostolus ad Rom. 9. Ratio igitur est, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut ait idem ad Rom. 8. Cum igitur pro gloria sua tanta fecerint Sancti, quantam esse illam oportebit? Jacob dum servivit quatuordecim annis pro Rachele, *videbantur illi pauci dies*, Gen. 29. quia nimirum pulcherrima erat Rachel: Si videbatur Sanctis parum imò nihil esse quidquid patiebantur pro cœlesti gloria: Ideò Apostolus tribulationes suas plurimas & gravissimas, *momentaneum & leve tribulationis* appellat. Quòd si nobis multa & gravia videntur, quæ Deus à nobis petit pro gloriæ bravio uti fidem, spem & charitatem, præceptorum observationem; hoc ipso intelligere debemus ingens donum esse gloriam, pro qua munificentissimus Deus adeò certari velit: ita ut nihilominùs *vita æterna sit gratia*, Rom. 6. & nos *servi inutiles*. Secundo quia sæpè in hac vita sensere ingentia gaudia Sancti à Deo sibi immissa, quæ omnia mundi gaudia superabant. S. Paulus etiam in afflictione dicebat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*. S. Ephrem tanto gaudio in orationibus perfundebatur, ut magnitudinem illius ferre non posset & exclamaret: *Domine mi, recede paululùm à me: impetum enim gaudiorum tuorum tolerare nequeo.* Alio tempore dicebat idem: *Domine siste parumper gratiarum tuarum impetum.* S. Xaverius quandoque cœlesti consolatione perfusus, exclamabat: *Satis est, Domine, satis est.* Alii etiam in maximis tormentis maxima sentiebant gaudia. S. Agatha ad supplicium lætissimè quasi ad convivium pergebat. S. Tiburtius super ardentes prunas ambulans dicebat, videri se sibi ambulare super rosas. Quòd si igitur tale ac tantum fuit gaudium quibusdam Sanctis adhuc in exilio degentibus concessum, quale erit gaudium Patriæ? Cant. 2. dicebat sponsa: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Et ecce ex odore tantum statim facta ebriæ clamabat; *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quo loco sanctos illos repræsentavit, qui viventes etiam odorem cœlestium bonorum senserunt. Quòd si ergò ex odore tantùm illorum adeo inebriati fuerunt, ut animis deficerent & amore languescerent; quid putatis esse cœlestia vina gustare, bibere, inebriari sicut dicit David; *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*? Si speculantes Deum in ænigmate, adeò recreati sunt, quid erit videre illum *facie ad faciem*? Tertio. Quia etiam in terris ingenti fulgent gloria, dum plurima edunt miracula, dum eorum reliquiæ tam honorificè asservantur, & à Pontificibus & Regibus honorantur; dum templa ad eorum memoriam eriguntur, dum festi dies illis instituantur, dum ab omnibus invocantur & coluntur, dum sæpè innumeros habent vitæ suæ æmulatores & sectatores, dum eorum nomina sibi non plebei tantùm, sed Reges etiam assumunt, &c. Quòd si in terris tantam sortiuntur gloriam, quæ & qualis erit illa cœlestis gloria, quæ tam speciosis titulis promissa est à Deo? Si in terris, ubi non sunt, adeò mirificantur & honorantur, quomodo honorabuntur in cœlis ubi sunt? Si ita in exilio, quomodo in Patria? Quarto, Quia aliqui sancti apparuerunt, & gloriæ illius magnitudinem aliquatenùs revelarunt, cujusmodi exempla passim obvia sunt legentibus.

E. IV. *Ex cœlorum decore.*

Quartò. *Cœli enarrant gloriam Dei & Sanctorum.* Et Primo. Cœli decor & pulchritudo, quæ apparet nobis; ea siquidem facilè superat omnium sublunarium rerum pulchritudinem. Ut meritò sanctus Ignatius Lojola, cùm cœlum aspiciebat dicere soleret: *Heu quàm sordet tellus, cum cœlum aspicio!* Et tamen haud dubium, quin convexa pars cœlorum, quæque superos respicit (saltem cœli empyrei) longè sit formosior quàm concava, quæ apparet nobis? Ut enim Regis palatium interiùs, quà Regem spectat, longè magis ornatum est aulæis, peristromatibus, picturis, &c. quàm extrà, quà spectat civitatem: sic credere fas est de cœlis.

Secundo. Ejus vastitas: Ostendunt enim Mathematici (Christoph. Clavius in sphæra & alii) totum terræ globum respectu cœli punctum tantùm esse: rursum totum mundum cum cœlis intra firmamentum contentis respectu cœli empyrei, minus adhuc punctum esse, quàm sit terra respectu firmamenti. Ostendunt Solem terra majorem esse centies sexagies, stellas primæ magnitudinis num. 17. terra majores esse centies & septies. Secundæ magnitudinis num. 45. nonagies: tertiæ magnitudinis num. 208. septuagies & bis. Quartæ magnitudinis num. 264. quinquagesies quater. Quintæ magnitudinis num. 217. trigesies quinquies. Sextæ & infimæ magnitudinis, numero 249. decies & octies, Unde colligitur, quòd si Deus vellet cuilibet sancto separatum in cœlo locum, & quasi Ducatum assignare, nullum fore sanctum, qui non haberet Ducatum vigesies majorem quam sit tota terra. Si enim fingamus totum firmamentum esse undique plenum stellis infimæ magnitudinis, non dubium quin is stellarum numerus æquaret, imò superaret Beatorum numerum: quælibet autem earum decies octies terra major est. Quòd si tantum est spatium in firmamento, quantum erit in cœlo empyreo? Unde meritò Baruch. c. 3. exclamat: *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* Præterea non malum divinamus, sicut cœlum superat vastitate terram, sic superare etiam splendore & decore. Nec vanè ominabimur, si credamus tertiam nostram habitationem in Patria tantò splendidiorē esse secunda; quæ est in exilio, quantò secunda ista, hoc est, mundus, splendidior est prima, quæ nobis est in utero matris, ut sentit Crombecius de studio perfect. Tertio. Cœlorum claritas, subtilitas, agilitas & incorruptibilitas, nonnè clarè ostendit beatorum corporum dotes? Si enim tantam contulit Deus claritatem, subtilitatem, pelluciditatem & incorruptibilitatem corporibus perituris, & ad solum hominis exulantis & militantis servitium creatis, cur non eandem vel majorem conferendam existimemus corporibus Beatorum? Meritò ergò de illis ait Apost. 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.*

F. V. *Ex mundi hujus decore.*

Quinto. Ostendit nobis terrena nostra habitatio, cujus pulchritudinem, perfectionem, amplitudinem, redundantiam, divitias, frequentiam nationum & varietatem inhabitantium, quis est qui non suspiciat & miretur? Quàm speciosum hujus domus laquearium aureis ornatum rosis cœlum? quàm gratiosa lumina? quàm amœnum pavimentum ex omnis generis floribus, hortis, pratis confectum? quam varia nationum cubicula? quam elegantes sylvæ, fontes & flumina? quàm pretiosæ gemmæ & metalla? quàm suaves & delicati fructus? quàm multiplicia animalia, quorum alia volant, alia natant, alia currunt, alia repunt? quàm splendida ædificia? quàm mira artificia, quàm varii inhabitatores? Duces, Reges, subditi, &c. Et tamen hæc habitatio ad breve solùm tempus pro peregrinis ædificata est: illis enim recedentibus tota dissolvetur, & in cinerem ridigetur in novissimo die, uti sacræ literæ docent, quia nimirum cum omni splendore suo non est digna uti cœli Cives eam, non dico inhabitent, sed vel oculis usurpent. Si enim hæc mundi machina faceret ad recreandos aliquo modo beatos, cur eam vastaret Deus & in favillam redigeret? Quæso vos si Princeps alicui Domino ad se venturo per mare aut fluvium præpararet navim ornatissimam, plurimis cameris affabrè factis, picturis & omnis generis utensilibus, tam quæ ad delectationem, quàm quæ ad sustentationem pertinent, instructissimam, ut ea vel per unum diem veheretur, & postmodum navis tota destrueretur: quis non inde colligeret ejusmodi Dominum à Principe in proprio palatio honorificentissimè tractandum? S. Porphyrius Gazæorum Episcopus cùm aliquando Theodosii junioris Imperatoris infantem ingenti cum pompa ad sacrum baptismatis fontem deduci cerneret: *Nos* (inquit vitæ ejus scriptor) *mirati tantam gloriam*; admirantibus autem dicebat sanctus Porphyrius: *si ea, quæ paulò post evanescunt tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt sanctis & electis Dei?* apud Sur. tom. 1. in vita. Quapropter non immeritò sanctus Paulus omnia sublunaria in comparatione cœlestium *arbitratus est ut stercora.* Nimirum sicut Principes delectantur tantùm gravioribus, ut venationibus, hastiludiis, &c. non nucibus aut pila, quibus delectantur pueri: ita sancti viri & angeli, quibus cum Deo & divinis tantum est commercium, terrena omnia vilipendunt, nec aspicere dignantur: sed infinita tantùm pulchritudine capiuntur & oblectantur, quemadmodum ipse Deus. Mercator, qui pretiosissimas merces habet, solet exponere præ foribus aliquas obsoletas & viles, non ut emantur, sed ut prætereuntes videant eum habere ejusmodi merces venales: empturo profert longè recentiores & præstantiores. Sic cùm Deus proponit nobis bona terrena, non proponit ut ea emamus, sed ut inde arguamus quales in penetralibus suis merces habeat nobis offerendas.

G. VI. *Ex reproborum prosperitate.*

Sextò. Ostendunt etiam reprobi, qui in hoc mundo magna cum dignitate, gloria & felicitate degunt. Nero præter nefarium parricidium & alia innumera flagitia commissa primus Imperatorum Christianos vehementissimè est persecutus, usque ad internecionem gloriosissimorum Apostolorum Petri & Pauli. Decius, Diocletianus, Maximianus, Maxentius cæterique veræ Religionis hostes, quid non in Deum Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Julianus Apostata ex tonsurato Clerico Religionis Christianæ desertor & acerbissimus persecutor, magicis insuper artibus deditus fuit. Valens hæreticus pestilentissimus. Et hi tamen omnes cum ex professo DEUM impugnarent,

à Deo donati sunt immensis opibus, honore, gloria, splendore, deliciis ut nihil deesset, quo minùs vitam agerent suavitatis, dignitatis & voluptatis plenissimam. Imperaverunt Orbi subjectos sibi habuerunt populos ac Reges, ad eorum nutum omnia gerebantur. Et quid optare posses in hac vita, quod illis non fuerit concessum? Sed hinc attolle mentem ad alia. Si enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis, hominibus, quę & quanta putas præparasse Deum diligentibus se filiis charissimis? Dic enim, si Regiam lustraturus splendidissimã, & jam jam ingressus videres in atrio humilem in pariete januam & interrogares, quid hic loci esset; ductor verò responderet, nihil hîc visendum, carcerem enim esse, quo vincti custodirentur ad supplicium. Tu vero instares & ingredi omninò velles; ingressus verò cerneres inibi regias aulas, palæstras, hortos, fluvios, omnia auro, argento, & serico rutilantia, sylvas, venationes & piscationes, homines ridentes, ludentes, convivantes, ingenti pompa & comitatu &c. nónne diceres te deceptum, cùm audisti carcerem hic esse? Sed si adhuc à viro fide digno audires: Verum hic carcer est, nam reprobi tantum hic custodiuntur, & hinc unus post alterum ad supplicium educitur; quæ verò visu digna sunt, non hic, sed illic in superiori domo sunt, ibi omnia regalia videbis: nônne tunc dicturus esses: Prô! si hic locus carcer est, qualis erit Regia? Quid hic mundus aliud nisi carcer reproborum, unde alter post alterum educitur ad gehennam? & si splendet ita carcer: quomodo splendebit Regia aulicorum Dei? Sanctus Fulgentius visa aliquando Romanæ Urbis, cùm adhuc in pristino flore esset, magnificentia, ad collegas versus in hæc verba prorupit: *Quàm speciosa esse potest Hierusalem cœlestis, si ita fulget Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur sanctis diligentibus veritatem?* apud Sur. tom. 1. in vita. Simili modo argumentatus est David Ps. 72. cum ait: *Quàm bonus Israel Deus, qui recto sunt corde?* Sed unde hoc colligis? Ex impiorũ prosperitate; *quia zelavi super iniquos*, inquit, *pacem peccatorum videns.* Unde Aug. lib. 22. de Civit c. 24. ait, *Quid dabit iis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædestinavit ad mortem?*

G. VI. *Ex reproborum prosperitate.*

H. VII. *Ex Inferni horrore.*

Septimò. Testantur id nobis inferi, ac primò Damnati? Si enim Dei inimicis, qui à salute aberraverunt, tam calamitosus debetur inferorum locus, jure debetur Dei amicissimis felicissimus apud Superos. Quantam enim peccatum meretur calamitatem, tantam amor Dei meretur felicitatem; ergò si inferis debentur tenebræ, Superis debetur lux, si inferis captivitas & vincula, Superis libertas; si inferis societas Dæmonum, Superis societas Angelorum: si inferis vermis rodens, Superis pax & quies: si inferis ignis urens, Superis voluptas: si inferis fletus & stridor dentium, Superis gaudium & risus: si inferis dorsum Dei, Superis Dei facies juxta id Jer. 18. *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*, Confirmatur hoc ex S. Jacobo dicente cap. 2. *Misericordia superexaltat judicium*, id est, vincit judicium; Unde Theologorum placitum, Deum præmiare ultra condignum, punire citra condignum. Si ergo tanta est Inferorum calamitas, major erit Superorum felicitas.

Secundò. Ipsimet Dæmones. Refert enim Thomas Cantiprat. l. 2. c. 57. n. 67. Rogatum aliquando Dæmonem, quid pati vellet, ut sibi ad visionem aditus pateret, dixisse, se paratum esse tormenta omnia, quibus æternis ignibus destinati cruciantur, sive ii dæmones sint, sive homines, in se unum congesta usque in extremum judicii diem perpeti, modo Dei videndi vel brevissimo tempore potestas fiat. Cæsarius item lib. 5. cap. 10. testatur se Coloniæ in Ecclesia B. Petri præsentem audisse, Spiritum nequam de suo ad speratam gloriam reditu interrogatum respondisse: *Si columna quædam ferrea eaque ignita novaculis acutisque calamis undequaq; instructa, atque à terra ad cœlum usque pertingens staret: ego corpus humanum nactus, in eam insilire volvique ac revolvi non formidarem reperemque laniandus, quà ascensu quà descensu, & perpetuo ad finem usque sæculi extremum memet in illas acies induerem, dummodò reditus ad eum statum à quo excidi spes aliqua affulgeret.* Hæc ille. Et tamen in primo illo statu nondum beatus erat. Sed nimirum caveret omnino deinceps, ne à gloria excideret, & deinde quæreret, non per ambitionem, sed per humilitatem, locum inter angelos, vel etiam super illos. Hoc ergò cùm jam non illi, sed nobis datur, nos illius exemplo prudentiores, consulamus nobis & ad propositum nobis bravium alacriter contendamus.

Imitemur, quæso, Evangelicum negotiatorem & postquam inveniemus pretiosam margaritam, & præstantiam ejus intelleximus, demus quæso fluxa, vana & peritura bona omnia pro illa. Quam felices, qui ita sapiunt; quod nobis donet Deus.

CONCIO III.

GAUDIA BEATORUM.

I. Gaudium intellectus.
II. Gaudium voluntatis.
III. Gaudium memoriæ.
IV. Gaudium cœlorum.
V. Gaudium aurium.
VI. Gaudium cæterorum sensuum.

THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 5.

A. ITa ferè omnes natura comparati sumus, ut voluptate potius trahamur, quam aliquo alio bono. Hinc enim ad Prophetas dicunt illi apud Isai. cap. 30. *Loquimini nobis placentia.* Quando igitur, Auditores, jucunda potius quàm tristia, gaudia quam mœrores, audire vobis placet: Ecce vobis hodie lætissimum de cœlo nuntium, quod ore suo deprompsit Christus: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Invitamini enim hodie ab universo Beatorum agmine ad Paradisum voluptatis, ad nuptias filii Dei, ad æternam Agni, ad gaudium Domini. Omnibus his titulis decoratur Regio cœli, vocatur *Paradisus*, Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid autem Paradisus, nisi hortus voluptatis & deliciarum? Gen. 2. & 3. Vocatur *Nuptiæ*, Matth. 22. & 25. Quid autem Nuptiæ, nisi festum gaudiis & voluptatibus dicatum? Vocatur *Cœna magna*, Luc. 14. & 22. Quid autem in convivio magno, nisi cupediæ & deliciæ? nisi musica & hilaritas? Vocatur *gaudium Domini*, Matth. 25. *Intra in gaudium Domini.* Quis autem tristitiæ locus esse potest, ubi gaudio ambimur, gaudio includimur? Quæ cùm ita sint, relinquamus hæc infirma & puerilia, quę offert mundus gaudia: ad superna contendamus & (quemadmodum orat Ecclesia) *ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Ea verò nunc ut aliqua saltem ratione possimus deliberare, rogemus omnes sanctos.

B. I. *Gaudium intellectus.* Primum. Gaudium est in intellectu, cùm vident Deum *facie ad faciem*, ut loquitur Apostolus, 1. Cor. 13. quasi dicat, non per figuras & ænigmata, non per speculum & abstractivè, quomodo eum nos hic cognoscimus, sed in seipso clare & intuitivè, *sicuti est*, ut ait S. Joan. Epist. 1. c. 3. Tria requirit delectatio, quæ percipitur ex cognitione, secundum D. Thomam 22. q. 31. a. 5. potentiam intelligentem, objectum conveniens illi potentiæ & unionem objecti cum potentia; etiam quanto potentia est aptior ad cognoscendum, & objectum nobilius & unio magis intima, tanto majorquoque percipitur delectatio. Jam verò intelligentia Beatorum est nobilissima & perspicacissima, ut pote lumine glorię adjuta, roborata, & elevata, veluti tubo seu dioptra quædam perspectiva, cujus ope intueri lucidissimum illum solem potest, quam alioqui multominus, quam nos solem in meridie, contemplari posset.

Deinde objectum est altissimum & nobilissimum non modo excedens, ea quæ sensibus usurpare, sed ea etiam, quæ mente comprehendere & nobis imaginari possumus, quia est infinitum & complectitur omnia bona, quæcunque excogitari & desiderari possunt. Elige tibi de mundo & rebus sublunaribus quæcunque oculis placent, nihil adhuc vidisti, respectu eorum, quæ in Deo sunt & cernuntur à Beatis. Sane majorem in mundo delectationem vix habere posses, quam si omnia perambulare & pervestigare posses, quæ in eo sunt, v. g. si gemmas & metalla omnia, quæ sub terra latent; si pisces & monstra marina omnia, quæ in aquis natant, si homines & nationes omnes, eorum mores, vestitum, politiam, artificia, urbes, palatia, hortos, navigationes, itinera, commercia, ludos, spectacula, jumenta, feras toto orbe discurrentes, si aves sublime volantes, si meteora, si cœlorum compositionem, structuram, ordinem, cursum, syderum splendorum, vires, magnitudinem, &c. Quanta delectatio foret, omnia hæc cernere præsertim simul & uno obtutu? Sanè si quem v. g. Christophorum Columbum, qui totum circum navigavit orbem mira narrantem audiremus de exteris nationibus satiari vix possemus: Experimur hoc, cum in libris miras orbis descriptiones vel historia legimus. Magis adhuc recrearemur, si ad vivum omnia depicta cerneremus multò verò maximè, si omnia ea oculis usurparemus, tangeremus, audiremus. Sed nihil adhuc sunt ista respectu eorum, quæ in cœlo sunt, v. g. respectu pulchritudinis, qua nitet, cœlum empyreum, Angeli, Beati, Deipara, Christ⁹, Deus, in quo præter attributa, mysteria, aliaque stupenda ejus opera omnia prædicta longè nobiliori ratione iisque longè plura, imo inexhausta continentur bona, ita ut Deo, veluti in vastissimo quodam mundo Beati peregrinentur in omnem æternitatem, nova semper ac nova miracula & spectacula deprehendentes, quemadmodum indicatur Psalm 14 ibi dicitur: *Domine, quis peregrinabitur* (ita enim ex Hebræo textu vertunt aliqui) *in tabernaculo tuo, aut, quis requiescet in monte sancto tuo?* (cœlo videlicet.) Denique unio intelligentiæ cum Deo viso intima est, ita ut mens Deo toto immergatur ab eoque penetretur velut mari spongia, Oceano immersa adeoque in Deum intret & quodammodo transeat, alia plus, alia minus, pro magnitudine luminis gloriæ, id, quod est intrare in gaudium Domini, juxta Christi sententiam, Matth. 25.

C. II. *Gaudium voluntatis.* Secundum. In voluntate, in qua propter voluptatem, quæ ex visione Dei in eam profluit, tria sunt, quæ ipsi maxima gaudia pariunt. Primum. Est Amor Dei & proximi. Qui enim amat ea, quæ amat, pulcherrima & optima esse credit, eorum præsentia & aspectu summè lætatur, absentia summè tristatur. Sanè parentes liberos suos alienis omnibus pręferunt, licet revera cæteris longè sint deformiores, stupidiores, immodestiores; Similiter, qui amore amici captus est. Atqui Beati Deum & Sanctos omnes ardentissimè semper amant, nes quos solum existimant esse pulcherrimos, optimos, sapientissimos, nobilissimos: sed quos revera tales esse sciunt & deprehendunt, & à quibus nunquam se divellendos

dos esse norunt. Sicut è contra ingens damnatorum pœna est versari cum dæmonibus sibi infensissimis, & à quibus mille modis se circumventos esse sciunt damnati.

Qualis erat Beatorum exultatio, videre solemnitates & triumphos qui quotidie celebrantur advenientibus novis fratribus, qui devicto mundo & peracto suo peregrinationis cursu ad coronas evocantur? Quale gaudium erit videre sedes vacuas novis incolis repleri? Muros Jerusalem à Lucifero destructos continuò restaurari? toto mundo peregrinos fratres, parentes, liberos, amicos spoliis onustos quotidie adventare.

Alterum est: Quies incomparabilis & pax, quæ exuperat omnem sensum, satietasque perfecta, quæ omni ex parte Beatos contentos facit, saturos & pacatos. Quæ sanè pax & quies haberi in terris nequit, ubi omnes famelici, sitibundi & inquieti vivunt, quia non inveniunt bonum illud infinitum, cujus sunt capaces, & quo solo saturantur; in cœlo tantùm inveniunt, ubi per amorem & gaudium Deum avidissimè amplexantur, eique quantum possunt, se exæquant coëxtendunt ut tantum bonum capere possint.

Tertium est justitia perfecta, qua se undique circumdatos & amictos vident, quasi veste aurea vel argentea Deo & Angelis placita. Justitia Originalis subjiciebat quidem partem animæ inferiorem superiori, sed quamdiu superior subjecta esset Deo. Unde quasi vestis lanea erat, quæ corrodi à tinea potuit & verò corrosa est. At justitia Beatorum non tantùm subjicit menti sensus & passiones, sed etiam mentem Deo, idque nexu insolubili.

Vident ergò vestem suam à tineis, thesaurum à furibus securum esse, nec ab illa beatitudine ullatenus se excidere posse. Quæ *secura mens quasi juge convivium est*, teste Sapiente Prov. 15.

Hoc secundum gaudium tangit David in eodem Psalmo supra citat. juxta versionem nostram, cùm ait: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo*? q. d. Quis habitabit cum Sanctis tuis in stabili illa mansione cœlestis tabernaculi; ubi quies & pax est, & finitur omnis labor ascensionis? Nos hic velut peregrini nullibi sedem figimus, nulli bono acquiescimus.

C. II. *Gaudium voluntatis.*

D. III. *Gaudium memoriæ.*

Tertium. In memoria, quam tria potissimum miro modo recreant. Primo Dei perpetua contemplatio & præsentia, cujus Beati nunquam possunt oblivisci, aut ab eo divertere, sed ipsi semper inhærent, & in ipso quodammodo absorpti obliviscuntur omnium malorum, quæ tristitiam afferre solent; imo se ipsos & alia omnia amittunt, quia ea respectu hujus gaudii & boni pro nihilo ducunt, juxta id Psalm. 70. *Quoniam non cognovi literaturam* (sanctus Augustinus legit: *Non cognovi negotiationes*) *introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius*, quasi diceret: Non curo alia omnia negotia. Quanta delectatio fuit Magdalenæ sedere ad pedes Christi, videre & audire eum semper? quam difficilè ab eo avulsa fuit? Quanta delectatio fuit S. Scholasticæ loqui de rebus divinis cum sancto Benedicto fratre suo? Nonne obtinuit à Deo precibus suis pluviam, qua frater à discessu revocaretur, ad prosequendum cum sorore dulcissimum colloquium? ut in ejus vita. Et quid erit Deum semper videre, semper audire, semper amplecti?

Secundò, Memoria mirabilium Dei operum, quæ in mundo vel non æstimarunt vel non intellexerunt homines, velut est ratio providentiæ divinæ, quâ omnia in suos fines mirabili sapientia condidit & perduxit.

Hic fortasse est ille *fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei*, Juxta Psalm 45. Quid enim ordo & cursus tot sæculorum nisi flumen indesinenter currens in Oceanum, donec ibi dispareat? Multi cursum mundi, modò anfractuosum, modò directum, modò angustum, modò latum; modò inundantem, modò extenuatum mirantur nec intelligunt, multi etiam queruntur, quod multa sæpe detrimenta adfert bonis, multa commoda malis, dum terram bonam à campis justorum ablatam ad campos impiorum defert, &c. Sed ibi videbunt Sancti, cum hujus cursus rationes in libro divinæ providentiæ legent, quam bene omnia fecerit Deus, indeque summum gaudium in se concipient & Deo laudem canent. Videbunt quam justè & sapienter alios labi passus sit, alios servarit, erexerit, elegerit, alios non itidem: Justos tribulari, injustos prosperari passus sit, &c.

Tertiò. Recordatio beneficiorum, quæ à Deo acceperunt, veluti quod tot modis præventi sint in benedictionibus dulcedinis, tot vicibus & modis erepti à periculis corporalibus & spiritualibus, maximè peccati læthalis: & gehennæ: tot rationibus & mediis ad virtutem instigati & compulsi. Quanta illis voluptas erit, cùm salva navi integris mercibus in tutissimum jam portum appulsi, oculis suis lustrabunt longam & periculosam suam navigationem? cum recolent tempestates, quibus paulò ante huc illucque jactabantur: Angustias viarum, quas superarunt. Pericula, quæ evaserunt, & in quibus alii innumeri misere perierunt? Tunc incipient canere cum Davide: *Misericordias Domini in æternum cantabo*: quo cantico ait sanctus Augustinus lib. 22. de civit. c. 30. nihil fore jucundius illi civitati.

E. IV. *Gaudium oculorum.*

Quartum. Oculorum, quod provenit.

Primò & primario ex aspectu Christi, cujus unius decor & pulchritudo multo major est omni omnium Sanctorum gloria, quam sit fulgor solis cum stellis comparatus. Nihil ad illius gloriam, gloriæ Salomonis, tametsi illius vultum omnis terra desiderabat.

derabat,& Regina Saba tanto itinere quæsitum venerit, quæ ut cum vidit, *non habebat ultra spiritum*, quia *ecce plus quam Salomon hic*. Ille servus, hic Dominus. Augebitur mirificè gaudium hoc Beatorum quod Christus cœli Monarcha, ipsorum frater, caro & sanguis sit.

Si enim exultant homines & diem festum agunt, cum affinem aliquem suum renunciatum audiunt Cardinalem aut Pontificem: Si Josephi fratres gaudio utique maximo cum terrore misto perfusi sunt, cùm viderent fratrem suum esse Principem Ægypti seque propter illum ab Ægyptiis coli; quam voluptatem capient Sancti, cum videbunt Christum Dominum & germanum suum dominari cœlo & terræ? Quam libenter homines inter Angelos erunt, cùm totius familię Patrem & cœlestis aulæ Principem videbunt non Angelum, sed hominem sui similem esse? Hujus gaudii spes consolabatur sanctum Job in maximis suis tribulationibus, quòd videlicet Redemptorem suum visurus esset in carne sua Job. 19.

Secundò. Ex conspectu Angelorum, Beatorum, & sui ipsorum.

Imprimis enim valdè probabile est, Angelos in cœlo assumpturos corpora speciosa ex æthere quibus pascant oculos Beatorum, ut ab eis videri & cum eis loqui possint.

Hoc enim videtur poscere amicitia, unio & communicatio Angelorum cum Beatis, quia aliàs nullum ex illis caperent gaudium, quos tamen in vita imitari & colere studuerunt. Quam sententiam docet Sanctus Anselmus in Elucidario. Joan. de Salas in 1. 2. q. 5. a. 5. Jam vel unius Angeli pulchritudo superat omnem mundi decorem.

Architectus quidam Erfordiæ, dum ibidem erigere Carthusiam aggrederetur, Angelum specie juvenis conspicatus est tantâ elegantia & pulchritudine, ut diceret se alterius oculi jacturam libenter facturum, si eum iterato semel duntaxat conspicari posset. Refert Nic. Serarius lib. rerum Mogunt. libro quinto in Joanne primo.

Quid igitur erit videre Angelos innumerabiles forma & decore, imò specie [ut vult D. Thomas Aquinas] differentes: Quod attinet ad Beatos: *Fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, ait Dominus, Matth. 13. Verùm magna cum varietate & differentia qualis cernitur inter stellas. Ac licet eorum corpora tota luminosa & transparentia sint futura, erunt nihilominus pulcherrimè colorata & variegata [ad instar vitri picti, lampyridum & noctilucarum, quæ interdiu coloratæ, noctu ut margaritæ lucent] pro merito cujusque. Neque fulgor ille impediet aciem oculorum, qui impassibiles erunt.

Quid erit autem videre seipsum sole clariorem configuratum Christo, singulis in membris, pro ut ea meruerunt, singulos ornatus præferentem?

Docet enim S. Augustinus libro 22. de Civit. cap. 20. S. Martyres in ea corporis parte, in qua supplicia pertulerunt, signa virtutis pulcherrima & venustissima prælaturos. Stephanus ergò coruscabit gemmis. Bartholomæus purpura. Petrus annulis aureis. Joannes Baptista, Jacobus, Paulus & cæteri decollati torque aureo, alii aliis ornamentis insignes.

Tertiò. Ex aspectu cœli empyrei, auro, gemmis, floribus omnique decore instructi. Talia enim sensuum oblectamenta, tametsi nobilioris ordinis in cœlo esse docent passim historiæ SS. Agathæ, Dignæ, Dorotheæ, Agnetis & aliorum SS. Taceo cœlum novum & terram, quam scriptura promittit post Iudicii diem, quę ut nobis incognita sunt, ita novo & miro gaudio, Beatorum oculos recreabunt.

Quintum. Aurium, quod profluit Primò ex concentu musico sanctorum Angelorum in omni instrumentorum genere longè peritissimorum, qui omnes adhibebunt nervos ut Deum summè laudent; quæ Angelorum cantica notantur in sacris literis, Tob. 13. Apoc. 19. Ubi partim vocibus, partim cytharis cantare auditi sunt *Alleluja*.

F.
V.
Gaudium aurium

Certè sanctus Franciscus ut scribit S. Bonaventura cap. 5. vitæ, audivit aliquando cytharam unico tactu ab Angelo pulsari, unde tantam percepit suavitatem, ut crederet se hoc sæculum cum altero permutasse, diceretque postea: *In veritate si Angelus, qui mihi apparuit alia vice plectrum super cytharam duxisset, anima mea à corpore migrasset.* Scribit etiam Cæsarius de VVilhelmo Duce Iuliacensi, malæ alioquin vitæ, lib. 12. c. 5. quod aliquando Festo Nativitatis Domini sub tribus Missis tantam audierit Angelici cantus suavitatem, ut paratum se diceret omnia relinquere si vel semel adhuc eum audire posset.

Secundò. Ex Beatorum commendatione & laude quam tribuet illis Christus, Angelus Custos, aliique Sancti, maximè ii, de quibus bene meriti sunt. Scimus dixisse Dominum: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Matthæi. 10. *Et coram angelis DEI*, Lucæ 12.

Quantum illos occupabit gaudium, cum vel Angelus Custos, vel etiam ipse Christus eos commendabit coram Deo & Sanctis omnibus, cum proferet in publicum bona eorum opera, virtutes & martyria: Scribit sanctus Lucas Actor. 9. quod cum sancta illa Eleemosynaria Tabitha obiisset, omnes viduæ & pauperes circumsteterint Divum Petrum flentes & ostendentes ei tunicas & vestes, quas fecerat eis Tabitha. Quo spectaculo motus S. Petrus oravit pro ea Dominum & obtinuit ei vitam postliminio restitutam. Quid gaudii capient Beati cum Christus & alii Sancti coram Deo & Angelis prædicabant illorum opera, veluti id sancti Martini:

tini: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit?* Ibi, ibi sentient pretium virtutis, dignitatẽ & excellentiam. Nec improbabile SS. Angelos decantaturos esse triumphos beatorum, siquidem iis morientibus sæpe auditi accinere, uti sancto Martino, sancto Servolo, aliisque plurimis.

Tertio. Ex eorundem colloquio & conversatione jucundissima, quam instituent de Deo & mysteriis divinis, de gestis omnium temporum & quę cuique memoranda contigerunt, &c. Magna delectatio est adesse Magnatum & Sapientum consiliis, discursibus, colloquiis, recreationibus; quid erit adesse colloquio tot millium Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum omnisque generis hominum, quorum vel unus sua conversatione recreare mundum posset? Colloquio, inquam, sapientissimo, syncerissimo, familiarissimo.

G. VI. *Gaudium caeterorum sensuum.*

Sextum. Cæterorum sensuum, odoratûs, gustûs, tactus. Tametsi enim de his pauca legimus in scriptura sacra, non carebunt tamen & ipsi suis oblectamentis. Nam quod attinet ad Olfactum, perfundentur absque dubio fragrantissimis odoribus, siquidem plurimorum corpora etiam post mortem & in sepulchris tales ex se spirabant, uti sancti Hilarionis post decem menses à sepultura, ut in ejus vita scribit Sanct. Hieronymus, S. Servuli paralytici usque ad sepulturam, apud sanctum Gregorium lib. 4. Dial. cap. 14. Fragrantissimum etiam odorem de cœlo secum detulit Christus ad Tarsillam Virginem, apud eundem lib. 4. Dial. cap. 16. Et quis dubitat, quin unguentum hoc à capite Christo descendat, non solum in Barbam, hoc est, Apostolos, sed usque ad oram vestimenti ejus, id est, ad infimum etiam Beatum.

Habet etiam gustus suum, non qualem nos habemus, sed longè excellentiorem cibum & potum, qualis scilicet statum illum felicissimum decet; veluti Manna quoddam mirificum & absconditum Apocal. 2. quod omnis saporis delectamentum habet. Neque enim frustra de Beatis canit David Psalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nec vanè dixit Christus, eos secum manducaturos, & bibituros in Regno suo, Luc. 22. Tactus quoque recreabitur. Considera enim perpetuam illorum & integerrimam valetudinem; & quæ ad tactum etiam pertinere videntur, dotes agilitatis & subtilitatis, quibus celerrimè & sine defatigatione quaqua versum penetrabunt, nec egebunt amplius equis, curribus, scipionibus, satellitibus, &c. Sed velut, scintillę in arundineto discurrent.

Hæc sunt, Auditores, vera & solida illa gaudia quorum vel unum minimum non permutarent Beati cum omnibus mundi gaudiis. Certe S. Augustinus, si quis alius prudens rerum æstimator, de libero arbitrio libro 3. cap. ult. scripsit: *Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur; non enim falso ac parvo affectu dictum est: Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Hucusque sanctus Augustinus. Quid jam nos dicemus? Sanè hactenus dicebamus contemnenda esse temporalia, quia momentanea sunt: amanda verò cœlestia, quia sempiterna.

Nunc audimus Augustinum Doctorem sapientissimum affirmantem, etiamsi terrena essent æterna, & cœlestia momentanea, adhuc jure merito anteponenda esse cœlestia terrenis. Nonne igitur, surdi & cœci & stupidi & stulti sumus, si propter terrena gaudia non solum vilia & puerilia, sed etiam caduca & brevia, contemnimus cœlestia, solida & sempiterna? Sana igitur ô Domine Deus cœcitatem nostram.

CONCIO IV.

DE GLORIA SANCTORUM quam in terris habent.

I. In hac vita glorificati.

1. Præsagiis divinis. 2. Mire sustentati. 3. A magnatibus honorati. 4. Ad honores quæsiti. 5. Gloriæ dotibus decorati.

II. In morte.

1. Tormentis servati. 2. Gloriosè mortui. 3. Corpora eorum servata 4. honorificè sepulti.

III. Post mortem.

1. Clarent miraculis. 2. Reliquiæ eorũ servantur 3. Templa eis extructa. 5. Festi dies dicati. 5. Canonizati.

THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 5.

PRospero eventu servus Abrahæ Eliezer invenit sponsam filio ejus Isaac, ut legimus Genesis 24. Accepit enim secum ex opibus Domini sui, ut fidem puellæ faceret, cumque Dei ductu Rebeccam offendisset, protulit armillas & inaures aureas magni ponderis, vasa item aurea & argentea & vestes; quas ut ei donavit, facilè etiam persuasit ut Isaaco se desponderet.

Quemadmodum Abraham Isaaco, ita quæsivit etiam Deus filio suo Christo sponsam, quæ est Ecclesia & fideles omnes. Misit ergo concionatores & mit-

mittit etiamnum ut exponant hominibus divitias suas cœlestes, quas omnes dederit filio.

Atque ut his fidem habeant homines, ostendi eis jussit gloriã & honorẽ, quib⁹ Sanctos suos in hac vita condecoravit; ut ita ex terrena & præsentis vitæ arrha colligere queant cœlestis dotis amplitudinem. Illam igitur arrham vobis nunc ostendam, ut in Christi nuptias & vos consentiatis.

B. I. *In hac vita glorificati.*

Primo. Glorificati sunt in vita, ac primo præsagiis futuræ eorum sanctitatis, quibus jam hominum oculos ad se rapuerunt antequam nascerentur vel fari inciperent. Sancti Dominici mater antequam filium eniteretur, visa sibi in somno eniti catulum ore facem gestantem & orbem inflammantem. Quare denotabatur futurum, ut aliquando Dominicus orbem illuminaret doctrinis & accenderet virtutum exemplis.

Præsagiis divinis.

In Sancti Ambrosii infantis ore examen apum consedisse scribitur in ejus vita; ad futuram ejus eloquentiam prænuntiandam. Sanctus Thomas Aquinas infans cum plorabat, nulla alia re, nisi libri exhibitione sedari poterat, quem magna curiositate volvebat, & retinebat, ad doctrinæ ejus divinæ præsagium.

De eodem adhuc puero præsagiit Magister ejus Albertus Mag. bovem hunc [Sic enim à condiscipulis vocabatur ob silentium ejus] tantum aliquando mugitum editurum, ut in toto exaudiatur orbe.

Similiter Sanctus Nicolaus ab infantia mirabilis & sanctus haberi cœpit, quod singulis feriis quartis & sextis Lac semel in die tantum sumere soleret. Mater sancti Columbani gravida vidit in sinu suo rutilantem solem per somnium procedere & mundo lumen præbere, &c.

Mire sustentati.

Secundo. Mirabiliter & gloriose à Deo sustentati sunt: Elias pastus à corvis. Similiter sanctus Paulus Eremita à corvo, qui quotidie ei attulit unum panem, & cum aliquando eum invisisset sanctus Antonius duplicavit eis annonam, ut ait Sanctus Hieronymus in vita sancti Pauli. Sancto Basilio item in specu degenti aves pabulum attulere. Sanctus Ægidius multo tempore cervæ, statis temporibus ad se venientis, lacte nutritus est.

Ita & in periculis mirabiliter servati. Sanctus Maurus ex obediẽtia fratrẽ ex aquis erepturus currit super aquas, uti olim Petrus. Sanctus Paulus Apostolus serpentem manum implicantem sine læsione in ignem excutit, stupentibus omnibus, qui aderant. Sanctus Benedictus poculum venenatum sibi clam propinatum signo crucis frangit, uti Sanctus Joannes Apostolus sine læsione ebibit, Malchus Monachus herum gentilem fugiens & in antrum se recipiens à leæna inibi cum catulis habitante receptus est, & cum insecutor eum extracturus intraret, leæna eum cum sociis discerpsit, moxq; Malcho locũ cedens cum catulis discessit S. Hier. in vita Malchi.

Similiter, injurias Sanctis hic illatas gravissimè ultus est Deus, ad Sanctorum mirificam gloriam, De iis enim dixit Zachar. 2. Deus: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Ita puellę lavantes pannos altius succinctæ & sanctum Jacobum Episcopum Nisibenum prætereuntẽm non reverentes, sed impudentius intuentes, per execrationem omnes canæ factæ sunt & rugas instar annuum contraxere, aqua etiam ex fonte evanescente, refert Niceph. libr. 15. capit. vigesimo secundo:

A magnatibus honorati.

Tertio. A magnatibus & Regibus hic in honore habiti, & sæpe tantum non Dii habiti. Ita Actor. 14. Paulus & Barnabas à Lycaonibus pro Diis habiti, dicentibus: *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* Reges ad eorum conspectum & notitiam habendam profecti, ut Totilas ad sanctum Benedictum. Constantinus Magnus ejusque filii per literas ad Eremum missas sancti Antonii amicitiam & familiaritatem ambiebant ejusque preces expetebant.

Maximus Imperator honori sibi ducebat, si sanctus Martinus cum eo prandens, primum ei poculum propinaret: Augusta quoque piisima velut Magdalena ad ejus pedes assiduè jacens vix tandem impetravit ab eo, ut ei præberet sola convivium; quod ipsa suis manibus paraverat & ancillæ instar aquam manibus dabat, fercula afferebat & mensæ serviebat. Baron. anno decentesimo octuagesimo sexto. Constantinus Magnus dextros oculos Episcoporum, pro pietate effossos à persecutoribus, osculabatur; pro certo persuasus osculo se benedictionem inde hausturum, ut ait Theodoretus apud Baronium anno trecentesimo vigesimo quinto. Valentinianus Imperator, cum aliquando sancto Martino ad se ingredienti assurgere dedignaretur, coactus est ei assurgere, exorto repente subter ejus sedem igne sessorem violenter excutiente. Baron. anno trecentesimo septuagesimo quinto. Alii item Reges & Imperatores nolentes venerari & revereri coguntur viros sanctos, Baptistam Herodes, Ambrosium Theodosius, Leonem papam & Lupum Episcopum Trecensem Attila. Ut merito de illis etiam dixisse videatur Deus, quod dixit Moysi Exod. 7. *Ego constitui te Deum Pharaonis.*

Ad honores quæsiti!

Quarto. Ad honores & dignitates quæsiti, postulati & mirabiliter evecti maxima ipsorum gloria, fugientes insequente. Ita de sancto Hilarione Abbate refert sanctus Hieronymus, cum adeò expetitum ad honores, ut magnam vitæ suæ partem gloriam fugiendo consumserit. Similiter sanctus Thomas Aquinas, sanctus Bernardus, sanctus Bernardinus Senensis, alii innumeri. Alii dignitates & Episcopatus mirabili eorum gloria evecti. Sanctus Ambrosius Mediolanum ad componendas lites & eligendum Episcopum missus, ipsemet à puero innocente Episcopus assumẽdus in Ecclesia proclamatur

matur & eligitur. Sanctus Alexander cognomento *Carbonarius*, cum vitandi honoris & sæcularium illecebrarum gratia, vir alioqui doctus, Carbonariam sectatus esset, repente Dei ordinatione producitur à Gregorio Thaumaturgo & in Episcopum Comanæ eligitur [ex Gregorio Nysseno in vita Gregorii Thaumaturgi maximo omnium stupore & Alexandri gloria, qui rudis & inglorius videbatur.

Similiter sanctus Severus opificio textor (ut est in Surio 1. Febr.) Ravennas. Cum enim Ravenna de Episcopo eligendo consultaret in Ecclesia, Severus vir simplex & sanctus ab uxore, cum qua caste vixerat, licentiam petit, adeundi Ecclesiam ut videret quis in Episcopum eligeretur: At uxor manendum suadet domi & laborandum, siquidem ipse non esset futurus Episcopus.

Vir tamen ire gestiens ab uxore dimittitur cum sarcasmo, abeat nimirum: nam simul ac Ecclesiam intraverit, Episcopum fore. Igitur in Angulo Ecclesiæ sordidus spectavit rei eventum. Interim columba candida in caput ejus devolat desidetque, quam ille abegit; sed columba iterum & tertio in ejus verticem se demittit. Unde communi omnium sententia, quasi à Deo designatus, protractus, & in Episcopum electus est.

Gloriæ dotibus decorati

Quinto. Corporis gloriosi dotibus sæpe affecti, & miraculorum immensa gloria. Fulgore faciei radiabant alii ut S. Ignatius Loyola; Alii agilitate mira subito, ubi volebant, aderant, ut sanctus Franciscus. Alii mira subtilitate clausis ingressi janiis, ut sanctus Dominicus. Alii ab igne illæsi ùt S. Cunigundes, &c. Alii plurimi splendore cœlitus perfusi ut Agnes, Eugenia Martina. 40. Martyres, &c. Aliis stigmata Christi impressa divinitus ut sancto Francisco, sanctæ Catharinæ Senensi, &c. Aliis quamplurimis bestiæ ad nutum paruerunt. Leo sancto Gerasimo Abbati ob spinam è pede extractam, servit ad monasterium pro asino, aquam afferens. Ursus sancti Florentii oves custodit uti pastor. Ursus sancto Corbiniano, eò quod ejus asinum sarcinas viri portantem in itinere Romano devorarit, in pœnam ipse à Sancto ferre cogitur sarcinas. Onager à sancto Heleno fesso itinere advocatus, adest, suscipit Sanctum & sarcinas ejus portat. Draco ingens jussus à sancto Hilarione conscendere rogum ad combustionem, paret & comburitur. Sanctus Germanus Episcopus Altisiodorensis, asino suo defuncto ait: *Surge revertamur ad hospitium*, resurrexit asinus redivivus, Serpentes custodiunt hortum & cellam Monachorum, apud Gregorium libro tertio Dial. cap. 16. & libro 1. cap. 3. S. Pachomius crocodilorum opera usus est ad trajiciendos fluvios. Aves volarunt ad manus sancti Francisci; cantantes & tacentes cum volebat. Pisces vocati à sancto Antonio Patavino ad littus fluvii Arimini quasi auscultantes. Ranæ increpatæ à Bennone & Audoëno tacuerunt. Hilarion signis crucis excludit mare. Gregorius Thaumaturgus Lycum baculo defixo: Sanctus Quirinus Danubium. Mons cedit ad orationem sancti Gregorii Thaumaturgi.

Item aliis serviebant quævis creaturæ ad quidvis: Synapi & allia ad sanandos malè affectos aliorum oculos; Simoni Salo vasa lignea ad coctionem pro æneis vel fictilibus; Anachoretis apud Gregorium Turonensem, in gloria Confess. cap. 98. Aqua in lampadibus ad fovendum lumē deficiente oleo, Constantio illi mansionario Ecclesiæ apud Gregorium Diam. libro 1. cap. 5. Radii solis pro funiculo, Sancto Lucano Episcopo Brixiensi [apud Rader. in Bavar. sancta p. 2.] in quibus Tunicam nim. suam suspendit. Nimirum iis, qui Deo serviunt omnes creaturæ serviunt.

C. 11. In morte.

A tormētis servati

Secundo. In morte primo. A gravibus tormentis plurimi servati: Leones blanditi, ignes extincti, aquæ extulerunt eos incolumes: Acies gladiorum hebetatæ: manus cædentium & ferentium sententiam obriguere: calami atramentum non dedere: parietes, templa Deorum, Idola corruere: cœli tempestates intonuere. Alii excisis linguis locuti sine impedimento, ut illi qui sub Hunerico Ariano in Mauritania exsectis linguis ita expedite loquebantur, ut antea, apud Vict. Uticens. libro 3. VVandal. Et apud nos in Bavaria S. Emeramus Episcopus Ratisbonensis, apud Sur. in Septemb.

Gloriosè mortui.

Secundo Gloriosè mortui: alii Angelis stipatis coronas & lilia porrigentibus, ut S. Petrus Apostolus: Cœlestibus ad se luminibus delatis, ut sanctus Medardus Episcopus: alii cum cœlesti Symphonia, ut sanctus Martinus. Aliorum animæ evolarunt instar flammæ, ut sancti Emerami, &c. instar columbæ, ut S. Eulaliæ Virginis. Aliis luce cœlesti circumfusi, ut S. Andreas, Franciscus, &c. Sancti Pauli decollati caput tres saltus cum invocatione nominis JEsu fecit, & tres fontes produxit. Sanctus Dionysius caput suum suscepit & ad duo millia passuum manibus suis gestavit. S. Dominicus visus via pulcherrima ad cœlum ascendere.

Corpora eorum servata.

Tertio multorum corpora mirabiliter servata ne læderentur: Sancti Stanislai Episcopi ab aquila: Sancti Vincentii Martyris à corvo: sancti Eadmundi corpus à Lupo: sancti Anastasii Martyris à canibus.

Honorifice sepulti.

Quarto honorifice sepulti & ad sepulchrum clari. Sanctus Alexius ab Imperatoribus Arcadio & Honorio & Innocentio Pontifice. Sanctus Basilius Sanctorum humeris elatus est ad sepulturam uti scribit Gregorius Nazianzenus. Orat. 20. in laudem Basilii S. Paula Episcoporum manibus: Ut Hieronymus in ejus Epitaphio ad Eustach. S. Romualdus Abbas ad sanctum Emermaum Ratisbonæ à sancto Henrico Germanorum Rege & postea Imperatore.

Ladislaus Ungariæ Rex sancti Gerardi Martyris corpus suis humeris transferre juvit. Baronius Anno 1079. Theodoricus Francorum Rex corpus sancti Theodorici Abbatis propriis humeris ad sepulchrum evexit. Usuard. in Martyriologio 11. die Julii. Quid? etiam bestiæ operam suam ad hoc præstiterunt. S. Luciani Martyris corpus Delphinus ex aquis effert, quo sepeliri queat. apud Sur. 7. Januarii. Leones duo fodiunt sepulchrum S. Paulo Eremitæ; apud Hieronymum in ejus vita. Alius item Leo Mariæ Ægyptiacæ apud Surium 9. April. Saxum S. Jacobi Apostoli corpus excepit in sepulchrum se formans S. Clementi Martyri in mari sepulchrum mirabiliter præparatum. In aliquorum sepulturis campanæ ultrò sine hominum subsidio pulsatæ, ut cuidam sancto peregrino factum Aldemburgi, apud Iacobum Mejerum in hist. Fland. lib. 3. S. Bonifacio cum Fuldam transferretur, S. Alberto monte Deprano, &c.

D. III. *Post mortem.*

Tertio. Post mortem. Primo clarent aliqui miraculis continuis, ut S. Ianuarius Martyr Neapoli, cujus sanguis concretus cum in conspectu capitis ejusdem ponitur ebullit. Similiter sanguis S. Stephani ibid. tempore sacræ missæ. Oleum de S. VValpurgæ corpore per durissimum Saxum fluit etiamnum Eystadii tempore hyemali potissimum. Aliis honoribus corpora & sepulchra eorum claruerunt: aliorum enim diutissimè servata incorrupta, ut S. Ferreoli; S. Huberti Episcopi, S. Raynaldi Archiepiscopi, S. Claudii, S. Sigeberti Regis. Aliorum corpora gratissimum spirabant odorem, ut S. Ioannis Baptistæ caput: Sepulchrum B. Virginis: Corpus. S. Severini, Marcellini &c. Alia liquorem saluberrimum fundebant, ut Corpus B. VValburgæ, &c. Unguentum corpus S. Nicolai Episcopi, Aliorum divisa corpora mirabiliter redintegrata, ut S. Stanislai Episcopi. S. Eadmundi regis Angliæ, &c. Alii in certis necessitatibus prædicatas habent subveniendi prærogativas. Hinc in dolore dentium invocamus S. Apolloniam, cui pro Christo excussi sunt dentes. In peste S. Rochum, cujus insignis Charitas in iis, qui peste laborabant, curandis, tota Italia celebratur. In maris tempestate sancti Nicolaum, qui vivens eam miraculosè sedavit. In vinculis S. Leonardum qui multo vinctos liberavit. In morbo comitiali S. Valentinum, &c.

1. Clarent miraculis

Secundò reliquiæ eorum maximo honore asservantur & innumera mirabiliaq; beneficia præstant. S. Antonius gloriabatur magis tunica Pauli Eremitæ ex foliis palmarum ab ipso confecta & sibi relicta, quam purpura regia, eaque non nisi in summis festivitatibus utebatur. Imò ut S. Leo ait, In honores transferuntur triumphi instrumenta supplicii, ut Catenæ Petri quæ & honorificentissimè asservantur & coluntur, quibus que proprium templum exstructum, proprium festum dedicatum est. Certè S. Chrysostomus eas extollit super aurum & topazion. Eædem reliquiæ à Deo illustribus miraculis sæpe patefactæ, à Christianis maximo pretio redemptæ: à Regibus miro modo honoratæ: plurimis miraculis decoratæ & proinde gravissime in contemptoribus vindicatæ.

2. Reliquiæ eorum asservantur.

Tertio. Templa eis exstructa magnifica, plurima vota & peregrinationes ad illa à Regibus aliisque susceptæ, eadem ab illis dotata, ornata, &c. Sanitates ibi recuperatæ; Cerei ad eorum sepulchra accenduntur, imagines eorum in templis & privatis ædibus studiosè retinentur & ostentantur. In patronos electi à Regnis, Ducatibus, civitatibus, Monasteriis, tribubus, Congregationibus, &c. Habuere præterea Sectatores & æmulatores vitæ suæ innumeros, plurima monasteria & collegia.

3. Templ eis exstructa.

Quarto. Festa eis dedicata & feriæ: in iis præclaræ eorum virtutes deprædicantur: ipsi ut patroni Urbium & Parochiarum honorantur, invocantur.

4. Festi d[icati] dicati.

Quinto. Nomina eorum maxima solemnitate & gloria in album Sanctorum referuntur & vivunt in sæculum sæculi, Bubulcis etiam & pueris nota. Eadem Christianis imponuntur in baptismo, abolitis gentilium nominibus. Indita eorum nomina Civitatibus ut Sergiopoli à Sergio, Rhemis à Rhemigio &c. navibus, Campanis, Cubiculis, Infulis.

5. Canon[i]zati.

Quę cum ita sint, mirum profectò est, quod plerique hominum Vanitatem sequuntur & mundum, ibique gloriam consequi sperant, ubi non invenitur: paucissimi vero quærunt, ubi invenitur: mira profectò cæcitas. Laborant, illi sudant, vigilant, cogitant quomodo aliquam gloriolam & celebritatem nominis acquirant: Et venit Unus Antonius, unus Franciscus pauperculus sacco vestitus, rudis, simplex, &c. brevi tempore majorem in mundo sibi parit gloriam, quam omnes illi omni suo labore. Quam multi etiam, qui ingentibus technis, periculis, fastidiis, & laboribus ad sceptra ascenderunt, qui nunc nesciuntur quidem? Etsi aliqui illorum adhuc sciuntur, certè respectu Sanctorum obscurissimi sunt, nihil sunt. Quod millia sunt hominum, qui nomen Socratis, Platonis, Aristotelis, Alexandri Magni, Julii Cæsaris, nesciunt quidem? At Petros, Paulos, Antonios, Franciscos &c. pueri norunt, bubulci sciunt. Porrige horum alicui imaginem Platonis, & nesciet quid sit: Porrige Petri vel Pauli icones, & statim agnoscet. Quod si nos qui libros terimus, eas reperimus & nominamus: cum quo id honore facimus, nullo prorsus. At Sanctos nostros nonne templis, imaginibus, festis, cantibus omnique celebritate prosequimur, nimirum qui per opes, divitias, scientias, stemma, favores, gloriam quærunt, hi omnes non super Petram sed super arenam ædificant. O quam bene hoc prædixit Dominus, Matth. 7. cum ait, alios esse similes viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram & descendit pluvia & venerunt flumina & flaverunt venti & irruerunt in domum illam & non cedit: fundata enim erat super petram; Alios verò similes

similes viro stulto, qui ædificavit super arenam & descendit pluvia, &c. & cecidit & fuit ruina ejus magna. Itaque gloriæ fundamenta alii in divitiis ponunt & eæ nonne sexcentis modis perduntur? Alii in ædificiis: & quid facilius ruit? Alii in libris, & quid facilius, quam mittere eos in fornacem & comburere? Alii in vestibus & quid citius inveterascit & contemnitur? Alii in dignitatibus & quid fragilius, vanius & periculosius? At Sancti nostri super petram ædificarunt in solidis virtutibus: ubi nec fures effodiunt, nec tineæ demoliuntur.

Idcirco etiam dicuntur scripta illorum nomina in terris, ubi mox videlicet conculcantur & delentur, Psalm. 48. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Et Jerem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur,* cum contra Sanctorum nomina in cœlis scripta dicantur. Unde Luc. 10. dicitur: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Hinc Lazari nomen in Evangelio exprimitur, non item divitis Epulonis, &c. Quia sapiens Sap. 10. ait: *Memoria justi cum laudibus: nomen impiorum putrescet.*

CONCIO V.

SANCTI CUR HONORANDI.

I. *Ex parte Dei.* 1. *quia honorantur à DEO.* 2. *quia eorum honor redundat in Deum.*

II. *Ex parte sanctorum.* 1. *quia amici Dei,* 2. *quia milites,* 3. *quia prius contempti.*

III. *Ex parte nostra.* 1. *quia cadit ad honorem nostrum,* 2. *quia cedit ad solatium nostrum,* 3. *quia cedit ad utilitatem nostram.*

THEMA.

Laudate Dominum in Sanctis ejus, Psalm. 150.

A. SIc DEUS dilexit Sanctos suos, ut vix aliquid in mundo reperire sit, quod ad eorum honorem servire non voluerit. Honorarunt eos Angeli, qui morientibus assistere visi cum corollis, ut S. Petro: cum Canticis ut S. Servolo: qui eos in cœlum deducerent, uti sanctum Martinum Episcopum. Honoravit cœlum, quod se aperuit & aditum venientibus patefecit ad Deum visum, uti S. Stephano & sancto Dominico. Honoravit sol, qui radios suos pro funiculo aut pertica servire eis fecit ad appendendum pallium, uti S. Lucano Episcopo Brixiensi. Honoravit ignis, qui tangere illos timuit, uti S. Polycarpum & S. Cunigunden. Honoravit aër, qui cœlesti lumine eos circumfudit, uti sanctum Andream in cruce pendentem. Honoravit aqua, quæ vel mergere eos noluit, uti Martyres quamplurimos: vel calcabilem se iis præbuit uti sancto Mauro; vel in eorum gratiam abscessit uti S. Clementi: Honoravit terra, quæ ob eorum merita à loco suo naturali dimota est, uti sanctum Gregorium Thaumaturgum, vel aquæ fontem protulit, uti sanctum VVolffgangum. Honoravit pluvia, uti sanctum Bernardum, quæ Epistolam ejus sub dio dictatam nullatenus madefecit. Honorarunt volucres, uti sanctum Franciscum, in cujus manus devolarunt & cum voluit cecinerunt. Honorarunt quadrupedia, uti Leones sanctum Paulum Eremitam, cum sepulchrum ei foderunt. Honorarunt pisces, uti sanctum Antonium de Padua, cum ad littus adnatarunt quasi ejus sermonem audituri: Denique, ut alia præteream, honorarunt mortui, uti sanctum Joannem Eleemosynarium, cui duorum Episcoporum corpora cesserunt in sepulchro. Et hæc sufficere possent ad persuadendum nobis Sanctorum cultum & venerationem, quam tamen illis adimunt hæretici nostri temporis. Nimirum uti omnia elementa servitio suo testata sunt, Christum venisse in mundum, sola Judæorum corda agnoscere noluerunt: ita soli Hæretici Sanctis honorem negant. Nos verò Auditores cum unanimi totius universi voce veneremur Sanctos, hodierno præsertim die: quod ut ferventius fiat, causas videamus.

B. I. Ex parte Dei. I. Quia honorantur à Deo.

Prima est ex parte Dei, cujus sunt amici. Nam primo illos honorat Deus eorumque honorem tuetur. Audi Christum Luc. 12. *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; Amen dico vobis, quod præcinget se & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis.* Et Apoc. 3. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo.*

Et certè si adeo honorat illos in terris, ubi non sunt; quantoperè honorabit eos in cœlis, ubi sunt? si tanta miraculorum gloria honorat eorum corpora, quam gloriam animabus tribuet? Scimus enim ita honorasse sanctum Petrum, ut umbra illius sanaret ægros, Actor. 5. Sanctum Paulum, ut Sudaria & Semicinctia ejus idem præstarent. Act. 19. Sanctum Eduardum Angliæ Regem, ut aqua, in qua manus abluerat, cæcis visum redderet. Lud. Granat. in Catech. libro secundo, capite vigesimo septimo.

Sanctum Stephanum Martyrem, ut flores de illius altari & reliquiis sublati & sub cervicali hominis increduli, cui nomen Martialis, de civitate Calamæ positi, mentem illius immutarint ita ut manè evigilans mox accerseret Sacerdotes & Christianus fieret, ut scribit sanctus Augustinus libro vigesimo secundo, de Civit. Uti & de cæca muliere, quæ ubi flores, qui tetigerant sancti Stephani reliquias, oculis admovit, protinus vidit. Sanctum Januarium Martyrem, uti quoties ejus sanguis concretus statuitur juxta ejusdem caput, liquefieri in ampulla & ebullire incipiat, ut norunt Neapolitani.

Sanctum Paulum, ut terra in quam excussit serpentem, ex eo vim obtineret contra venena: uti norunt Melitenses.

Nec minus eorum honorum tuetur contra eorundem obtrectatores.

Id enim per os Zachar. capite secundo testatur, dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* In quem locum sanctus Hieronymus ait: *Qui sanctos Domini tetigerit sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi ejus & illum nitatur clara luce privare, de qua loquitur Matth. quinto. Vos estis lux mundi.*

Sunt ergo ex illius sententia, Sancti quasi lumen oculorum Dei. Hinc ursi dilaniarunt illos 42. pueros, qui per derisum exprobrabant Elisæo calvitiem, 4. Regum 2.

Lotrices quæ despexerunt sanctum Jacobum Nisibenum, repente incanuerunt, ut in ejus vita apud Surium in Julio. Contemptores sancti Antonii toties puniti sunt divinitus, ut in proverbium versum sit: in S. Antonium neminem impunè peccare. Sigebert. in Chron.

Maximè vero honoravit Sanctos in vitæ eorum periodo, quam eis hilarem, tranquillam, solatio plenam & miraculis atque ostentis plerumque coruscantem impertiit.

Quosdam enim morientes invisit, alios ad cœlum evocavit, alios ipse excepit. Sanctæ Elisabethæ, apparens ait: Veni sponsa, cœlesti thalamo potire. Beata Tarsilla moriens eundem cum videret, dicebat: Recedite recedite: Jesus venit. Sanctus Anastasius voce cœlesti sic evocatus: Veni Anastasi. Sanctus Antonius de Padua animam agens & ad cœlum oculos levans: Video, inquit, Dominum meum. Sanctus Nicolaus Tolentinas sic ab eo evocatus est: *Euge serve bone intra in gaudium Domini tui.*

Quæro igitur nunc cum Assuero; Quid fiet homini, quem Rex (Deus) honorare vult? Nonnè decet ut eundem honorent omnes & genuflectant coram illo?

2. Quia eorum honor redundat in Deum.

Secundo. Quia eorum honor redundat in Deum; nam honor erga gratos & benignos conservos benevolentiæ erga communem Dominum indicium est, ait sanctus Damascenus libro quarto Orthod. fid. capite sedecimo. Cum laudatur pictura laudatur & ejus author. Cum laudatur pulchritudo creaturarum, laudatur & creator.

Unde Apostolus Paulus, qui erat vas electionis Christo, de se testatur, quod in ipso Judæi clarificarent Deum, ad Galat. primo. Quia nimirum audiebant illum Evangelizare, qui prius expugnabat Ecclesiam.

Hæc enim mutatio de Lupo in agnum, non hominis, sed dexteræ excelsi fuit.

Igitur tantum abest, ut Deo dematur honor, cum Sancti honorantur, ut potius amplificetur.

Quemadmodum enim solis lumen excellentius majus esse dignoscitur ex stellarum quas illuminat claritate & pulchritudine: Ita Sanctorum splendor infinitam Dei claritatem & gloriam arguit, à qua ille procedit.

Hinc uti sole appropinquante stellæ se occultant ob præsentiam excedentis luminis: ita Sancti coram Deo nihil se esse agnoscunt & omnia sua Deo accepta ferunt.

In cujus rei judicium visi sunt Joanni, Apocal. 4. viginti quatuor Seniores procidere ante sedentem in throno, & mittere coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, &c.

Non erramus igitur, quando Sanctos honoramus, quia hoc ipso Deum honoramus.

Alexander M. cum Darii uxor captiva salutasset honore exhibito Hephæstionem pro Alexandro, & cognito errore pudefieret, dixit; *Non errasti: & ipse Alexander est.* Plutarchus in Alexandro. Nimirum is honorem Duci & amico suo exhibitum suum reputavit. Ita omnino honorem, quem Sanctis Dei amicis impendimus, Deus suum reputat.

C. II. Ex parte Sanctor. 1. Quia amici Dei.

Secunda est ex parte ipsorum Sanctorum, Primo. Quia ad immensam dignitatem evecti sunt.

Sunt enim amici Dei & principes in Regno Dei. Audi Psalmo centesimo trigesimo octavo, Davidem: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS: nimis confortatus est principatus eorum.*

Quemadmodum ergo Josephum adorarunt fratres, quia videbant eum principem in Ægypto & in manum ejus omnia à Pharaone tradita; ita multo æquius veneramur sanctos, qui amici Dei sunt & principatum in regno ejus obtinuerunt.

Quis non honorat magnatem Regis qui Regio stipatus satellitio incedit? Fiunt autem Sancti quasi Deiformes ex visione & unione Dei, juxta id S. Joannis: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Audi Cyprianum de singular. Clericor. *Sicut modica aquæ gutta,* inquit, *multo vino infusa à se tota deficit vinique saporem & colorem induit: ferrum candens pristina propriaque forma exuitur & igni simillimum efficitur: Solis radio aër perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem: speculum radiis solaribus directè irradiatum solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: ita etiam Sancti & Beati, DEI charitate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque Deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur.* Sic Cyprianus.

2. Quia strenui milites.

Secundo. Quia dum viverent, strenui milites fuerunt & nunc victores in cœlo triumphum agunt. Honoramus peregrinos, cum è terra sancta per tot maris & terræ pericula ad nos redeunt. Honoramus strenuos milites cum è pugna victores veniunt.

Ita

Ita enim David post devictum Goliathum à mulierum choro solenniter exceptus est 1.Reg. 18. Atqui longè difficiliora certamina & majora pericula evaserunt Sancti DEI, & potentiores hostes devicerunt.

Unde de illis ait quidam de senioribus ad Joannem Apoc. septimo. *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt?* Cui Joannes: *Domini mi tu scis.* Tum senior: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna & laverunt stolas suas & dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante Thronum DEI & serviunt ei die ac nocte in templo ejus: Et qui sedet in Throno, habitabit super illos: non esurient neq; sitient amplius, &c.*

3. *Quia prius contempti.* Tertio. Quia prius in mundo contempti & despecti habiti fuere & quasi purgamenta, quibus sublatis mundum purgari putabant impii. Unde Apostolus 1.Cor.4. ait: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.*

Debet igitur hic eorum contemptus compensari sequente honore. Sic Josephimmerito conjectus à Domino suo in carcerem, tanto amplius postea à Pharaone exaltatus est. Nam pro compedibus carceris à Rege auream catenam accepit, pro servili vinculo annuloque ferreo regium annulum: pro habitu sordido, indutus est stola byssina: pro antri squalore adeptus est amplum Imperii currum. Genesis 41.

Ita S. Alexii contemptum, quem in paterna domo à propriis famulis ignotus annis septendecim pertulit, consecuta est ingens gloria; nam Dei voce de altari audita celebratus est, qui prius latuerat: Quærite hominem Dei, ut oret pro Roma. Et iterum: In domo Euphemiani quærite.

Vultus ejus, velut alicujus Angeli radiabat, sepulchrum ejus odoris fragrantiam spirabat, qui prius in sordibus jacebat. Pontifex Innocentius una cum Imperatoribus Arcadio & Honorio, propriis manibus gestabant ejus corpus in feretro ad sepulturam.

D. III. *Ex parte nostra.* 1. *Quia cedit ad honorem nostrum.* Tertia ex parte nostra. Primo, quia illorum cultus & honor cedit etiam ad honorem nostrum; cum sint parentes, fratres, sorores nostræ. Quid civitas non extolleret civem suum, si videret eum ob virtutes suas provectum ad principatum aut Episcopatum? Quam honorifice de illo verba faceret? quam libenter audiret ejus præconia? quam literis commendaret & annalibus inscriberet? Quam gloriosum est familiæ cum ex ea canonizatur aliquis sanctus.

2. *Quia cedit ad solatium nostrum.* Secundo. Quia cedit ad solatium nostrum. Si enim homines mortales nobis similes potuerunt per sua merita ad tantam gloriam ascendere: cur non possimus & nos? una & eadem Ecclesia, unus & idem exercitus est triumphantium & militantiũ. Illi cœli muros jam ascenderunt, jam vexillum in iis explicant, jam cœli Regiam occuparunt: nos ergo sequi non poterimus?

Quia cedit ad utilitatem nostram. Tertio. Quia cedit ad utilitatem nostram. Nos enim illorum egemus opera, quam hujusmodi obsequiis promereri possumus. Non indiget dives ut invitetur ad convivium à paupere, sed indiget hic illius benevolentia, quam sibi ejusmodi invitatione quærit conciliare. Hunc in modum non indiguit Christus hospitio Zachæi: Sed indiguit Zachæus Christo hospite; ideo dixit Dominus: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Hinc Augusta Maximi Imperatoris conjunx vix summis precibus, velut maximum beneficium, impetravit à S. Martino Episcopo, ut ei propriis manibus convivium apparare & pro ancilla ministrare posset. Baron. Anno trecentesimo octuagesimo sexto. Cum enim Sancti omnes magni DEI amici sint ejusque voluntatem quodammodo in manu sua habeant, juxta id Ps. 114. *Voluntatem timentium se faciet.* Hinc qui aliquem sanctum sibi benevolum habet, Deum habet. Audi quid dixerit Deus ad servum suum Abraham, tametsi adhuc viventem, Gen. 12. *Benedicam benedicentibus tibi*, inquit, *& maledicam maledicentibus tibi.* Rursum si Christo fit, quod uni ex minimis ejus fit, ipso teste: quanto magis, quod uni ex maximis ejus?

Denique hi sunt qui in die Judicii cum Christo judicabunt, & ut Malachiæ 4. dicitur: *calcabunt impios.* Quis autem non omnibus Officiis colat & honoret eum, à quo aliquando judicandus est de vita & fortunis omnibus?

CONCIO VI.

QUID DEBEAMUS SANCTIS inprimis Ecclesiarum nostrarum patronis.

I. Invocationem.
II. Invocationem.
III. Cultum.

THEMA.

Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI,
Hebr. 13.

Scribit Vincentius Bellovacensis Episcopus in speculo historiarum, aliquando in Æthiopia invaluisse pestem ex cadaveribus occisorum prognatam, quæ adeo afflixit hominum memorias, ut parentum ac filiorum adeoque sua ipsorum nomina oblivíscerentur. Grave malum, Auditores; quod à nobis Deus avertere dignetur.

At vero ista pestis passim adhuc grassatur. Multi enim sunt, qui parentum obliviscuntur, carnalium & spiritualium: carnalium, à quibus mundo: spiritua-

spiritualium à quibus Christo nati sunt, vel sub quorum præsidio adhuc vivunt; cujusmodi patres sunt sancti, Ecclesiarum inprimis patroni. Ita enim S. Leo in serm. de Apostolis Petro & Paulo, Romæ dicit: Isti sunt sancti Patres tui verique pastores. Istos igitur Patres ferè obliviscuntur homines, nec attendunt à quibus Christo geniti sint, vel sub quorum tutela vivant, ita ut interdum neque nomina quidem illorum sciant. Nascitur etiam hæc oblivio, ut opinor, ex ossibus Sanctorum quod ab illorum morte vel martyrio multum temporis elapsum sit: Sed revera prava est hæc oblivio, mala pestis, quam amoliri conatur S. Paulus cum ait ad Hebr. 13. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Superest igitur, ut videamus quid sanctis debeamus, maximè patronis nostris.

B. I. *Invocationem.*

Primo. Debemus illis invocationem, ut in nostris necessitatibus ad eos veluti ad nostros Tutores & advocatos recurramus. Ipsi enim sunt præpositi civitatum, ædium, ægrorum & finium nostrorum, corporum denique & animarum. Abraham à victimis suis abigebat volucres, ne eas læderent aut devorarent, Gen. 15. ita Patroni Ecclesiarum servant & tuentur à dæmonibus aliisque hostibus animas sibi commissas, quas Deo veluti victimas offerre & repræsentare moliuntur.

Ipsi Lares nostri sunt, verius quam illi gentilium, quos Romani vel cum cane, vel canis figura efformabant & pelle canina tegebant, quod cum domus cura eis commissa crederetur, convenire existimabant, eos alienis terrori, domesticis autem mansuetos esse, qualis est natura canum. Plut. teste. Sed adhoc obtinendum invocare illos debemus, sic enim à nobis honorantur, dum veluti potentes & magni Dei amici in auxilium vocantur.

Sanè Gentiles ponebant in ædibus suis Lares suos eisque suffitum adolebant & cereos accendebant. S. Hieron. in Isai. 57. & Alexand. ab Alex. lib. 5. genial. cap. 24. Scilicet ut hi tam ædes, quam incolas defenderent & fortunarent.

Multo rectius & æquius veneramur & invocamus nos sanctos nostros tutelares ad benedictionem tam temporalem quam spiritualem impetrandam. Fecere hoc olim communiter Christiani, ut in periculis recurrerent ad patronos urbium seu Ecclesiarum suarum. Cum fœda quædam lues grassaretur apud Treviros, S. Nicetius eorum Episcopus non desiit implorare suffragium Patronorum urbis SS. Eucharii & Maximini; factumque ut aliquando noctu terribilis audiretur fragor supra pontem Mosellanum, ita ut dormientes omnes excitarentur & sedentes exitium præstolarentur. Tum audita vox quorundam, qui juberent socios abscedere ab urbe, siquidem ad unam ejus portam excubaret. Eucharius, ad alteram Maximinus, in medio vero perambularet Nicetius, ab his se impediri, quo minus urbi nocere queant. Quo facto mox cessavit lues. Sur. in vita S. Nicet. 1. Oct. Ita cum in Valeriæ provincia Longobardi monasterium S. Equitii invasissent, & Monachos extrahere ad necem conarentur, fugerunt illi ad sepulchrum S. Equitii & dixerunt: Heu, heu sancte Equiti, placet tibi quod trahimur, & non nos defendis? Ad hanc vocem protinus sævientes Longobardos spiritus immundus invasit. S. Greg. lib. 1. dial. cap. 4. sic Neapolitanos defendit contra hostes S. Januarius eorundem patronus: Turonenses S. Martinus, S. Remigius Rhemenses à lue.

Contra non potest non vehementer displicere sanctis illis patronis, si in necessitatibus non invocentur, aut relictis ipsis parochiani ad opem dæmonis recurrant; quo casu merito exprobrare nobis possunt id Jerem. 8. *Nunquid resina non est in Galaad! aut medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Galaaditæ excelluerunt in arte medica ob simplicia quæ habebant præstantissima: ita SS. Martyres apud Deum plurimum possunt suis orationibus ad succurrendum nostris calamitatibus: *Nam*, ut inquit sanctus Chrysostomus sermone in SS. Juventinum & Maximum, *in manibus, abscissa capita gestantes & in medium afferentes, quæque voluerint, apud regem cœlorum impetrare possunt. Proinde magna fide promptitudineque huc veniamus, &c.*

C. II. *Imitationem.*

Secundo Imitationem: *Tunc enim pro nobis absque ulla dubitatione sancti martyres intercedunt; quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt*, ait sanctus Augustinus serm. 244. de temp. Ratio est, quia dum eorum vitam in nobis depingimus, sanctitatem eorum extollimus & ipsis assimilamur. Et certe non solum ideo nobis dati sunt, ut patroni nostri essent, sed etiam ut Magistri morum & exemplaria virtutum. Ponuntur enim velut lucernæ supra candelabrum, ut omnes qui ingrediuntur Ecclesias, videant hæc lumina. Hinc crebro à parentibus nomen sancti tutelaris liberis inditur, ut per hoc incitentur ad amorem & imitationem illorum.

Propterea oporteret legere crebro sanctorum gesta maximè tutelarium, vel si quis legere nesciat, aliunde intelligere; ut ad eorum vitam suam quisque componere posset. Cur enim Sancti nobis à Deo dati, nisi ut lucerent nobis virtutum splendore, sicut stellæ in caliginosa nocte? Talis Joannes Baptista erat: *Lucerna ardens & lucens*, Joan. 5. Et illi ad Philip. 2. de quibus Apostolus: *Lucetis sicut luminaria in mundo.* Hæ lucernæ condemnabunt nos aliquando si prorsus eis dissimiles fuerimus, juxta id Sophon. 1. *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Dicet enim reprobis Christus Judex: En dedi tibi hæc exempla piorum quasi faces, quas sequereris: tu vero maluisti tenebras & opera tenebrarum sequi, quam lumen. Vide quam tua opera, quam tua vita difformis sit vitæ S. Pauli, S. Francisci, S. Dominici, &c.

nici, &c.

nici, &c. si respondeas: Domine non potui servare castitatem, quia natura & consuetudine nimis proclivis eram in libidinem; arguet judex: Mentiris. Nam S. Augustinus in libidinem propensissimus, eam vicit per meam gratiam; vicit Magdalena; vicit Pelagia; vicerunt alii innumeri: ergo & tu tuam proclivitatem vincere potuisti per eandem gratiã, quam tibi vel obtuli vel præparavi, ac reipsa dedissem, si eam humiliter & instanter postulasses, eique strenuè fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expavescat?

Dicunt vel saltem cogitant plurimi, quod dixit Balaam de Hebræis: *Moriatur anima mea morte justorum & fiant novissima mea horum similia.* Rectè habet; sed si volumus morte sanctorum mori, studeamus etiam vita illorum vivere.

D. III. *Cultum.*

Tertiò. Cultum & honorem. Quem Primo exhibebimus si sacras eorum ædes sartas tectas conservaverimus, & pro facultate nostra adornaverimus. Quod quidem jure merito eis debemus. Primo quia per hoc crescit devotio populi, qui allicitur ad frequentationem templi: contra verò avocatur cùm inculta & neglecta sunt templa. Quis enim afficiatur erga ejusmodi templa, quæ culinæ aut horreo, quã templis similiora sunt? Quis nescit magis adiri ab hospitibus hospitia splendida, quàm inculta? Quòd si grande fuisse dicitur peccatum filiorum Heli, quia detrahebant homines sacrificio Domini, ut dicitur 1. Reg. 2. timendum ne etiam nobis in peccatum reputetur, si per neglectum templi, homines detrahantur sacrificio Domini.

Secundò quia iniquum & indecens est, nos attendere ad ædes nostras tantùm, ut sartæ tectæ, splẽdidę & superba supellectile adornatæ sint, negligere verò domum Dei & patroni nostri. Sancto Ignatio Loyolâ Venetiis aliquando sub dio pernoctante in foro S. Marci, Marcus Antonius Trivisanus Senator Venetianus, vocem audiit increpantem: *Ergóne tu in lecto molli quiescas, & famulus meus, noctem sub dio traducat?* Ad hanc vocem continuò exurgens vir clarissimus eo qui vocarat ducente incidit in Ignatium, & hunc deductum in domum hospitaliter excepit. Hist. Soc. tom. 1. lib. 1. n. 35. Quid si possit Deus idem nobis objicere? Videmus enim Patronos sanctos sæpè malè hospitari, & quasi sub dio jacere; dum interim civium quisque ad suas ædes ornandas & cumulandas solertissimè attendit. Non ita S. David, qui videns arcam fœderis malè, se verò optimè habitare, dixit ad Nathan: *Videsne quòd habitem in domo Cedrinâ, & arca Dei posita sit in medio pellium?* 2. Reg. 7. unde & mox reponere cœpit ingentem thesaurum pro ædificando templo; 1. Paral. 29. Juravit etiam & votum vovit Deo Jacobi: *si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob!* templum videlicet, Psal. 131.

Tertiò, quia si beneficia à Sanctis accipere volumus, priùs eos colere, & quantum hic possumus beneficiis prævenire debemus. Id videre est 4. Reg. 4. Ubi Elisæus sæpiùs transivit per Sunam civitatem & comedit panem apud quandam viduam, nihil tamen ei rependisse legitur, nisi postquam hospitaliùs ab ea exceptus fuit. Quando enim ea dixit ad virum suum: *Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergò ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum & mensam & sellam, & candelabrum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi.* Postquam etiam Elisæus divertit in hoc cœnaculum & requievit ibi, tunc inquam aperuit sinum liberalitatis & gratitudinis suæ, promittens se impetraturum mulieri gratiam, quàm vellet apud Regem, & mox impetravit ei filium apud Deum. Ita igitur & Sancti, postquam eis honorifica extruimus tabernacula & quæ ad illa spectant, liberaliter conferimns, tunc ostendunt absq; dubio reciprocis beneficiis, obsequium id sibi gratum fuisse. Et quid isti non possunt impetrare nobis apud Regem cœli? An fortè passuros existimamus, ut à nobis vincantur beneficiis? De S. Evortio Episcopo Aurelianensi legimus apud Surium 7. Sept. quòd cùm templum ejus urbis angustius esset, monitum ab eo populum, ut nummos contribueret pro templi dilatatione. Respondere omnes: *Fiat Voluntas DEI.* Cùm ergò opus inchoarent, & Episcopus pro more ejus provinciæ, ligone crucem faceret & foderet ad 3. Pedes, invenit ollam bene clausam plenam Neronianis denariis. Hanc ergò per Diaconum misit ad Imperatorem, quòd illi deberi videretur. Sed Imperator & thesaurum Episcopo pro templi structura perficienda non solùm remisit, sed etiam duplo tantum addidit, & templum augustissimum fieri præcepit, grandiaque donaria addidit, nec non incolas ejus ditionis ad triennium à censibus bonorum suorum exemit: quò faciliùs intendere Ecclesiæ structuræ possent. En quanta hic remuneratio?

II.

Secundò si in eorum templis nihil indignum commisserimus aut tulerimus. Ipsi enim similem zelum gerunt erga Domos suo nomini dicatas; qualem Christus gessit erga domum patris sui, cùm inde flagello ejecit ementes & vendentes. De S. Michaele Archangelo legimus in Breviario, in ejus apparitione, quid egerit in defendenda spelunca quadam Montis Gargani. Cùm enim ibi Taurus ex armento perditus hæreret in ostio speluncæ, & repertum quidam sagitta configere vellet, sagitta in ipsum jaculatorem retorta est. Unde alii tanto sunt correpti timore, ut ad eam speluncam nemo accedere propiùs auderet. Post triduum monuit S. Michaël Episcopum Sipontinorum, à se id factum esse, locumque in sua tutela esse, & velle ibidem cultum Deo in sui & angelorum memoriam fieri. Non minori Zelo præsident SS. Patroni Ecclesiis suæ tutelæ commissis, voluntque eas ab omni

omni re profana liberas, soli Dei cultui reservari: futuri alioqui vindices in eos, qui Ecclesias eorum profanis & hostilibus injuriarum telis impetunt. Petit ergò Patronus Primo à clero & sacerdotibus, ut sedulò absque mortali peccato in templo conversentur, ac res divinas peragant, memores illius: *Maledictus qui facit opus DEI negligenter*, Jerem. 48.

Secundò, A Cantoribus ut graviter & bene cantent, suis erroribus alios non perturbent aut inconcinnis clamoribus: profanis cantionibus abstineant: rei interim divinæ attendant.

Tertiò, Ab æditituo, ut omnia munda servet, & decorem Domus Dei amet, ante S. Eucharistiam reverenter stet & transeat, non uti cereus paschalis, qui se flectere nequit: templum à canum ingressu servet, &c.

Quartò, A scholaribus, ut ne suo garritu fastidiū aliis creent. Legimus S. Bernardum muscas quæ sonitu suo molestabant homines in templo, excommunicasse & manè omnes repertas esse mortuas, lib. 1. vitæ c. 11. viderint ergò garruli.

Quintò. A Magistratu, ut diligentiùs quàm subditi, rei divinæ intersint in exemplum illorum.

Sextò. A civibus, ut ne tardius huc conveniant, aut omninò sedilia vacua relinquant, quasi templa pro hirundinum nidis extructa sint: ne ebrii aut dormituri veniant.

Septimo. A mulieribus, infantes inferant, multò minùs catellos Melitæos.

Octavo. A mendicis, ut ad januam quieti sint, & rei divinæ attendant.

Quæ nisi observentur, haud inulta sinent Patroni Ecclesiarum, sed velut jacula in se emissa retorquebunt in autores, siquidem *Ecclesia*, ut ait S. Chrysost. hom. 36. in 1. ad Cor. *non est tonstrina, aut unguentaria taberna, aut officina forēsis; sed locus Angelorum, locus Archangelorū, Regia Dei, cœlum ipsum. Hic nihil nisi sancta sonare decet.* Et acriùs hom. 40. ad pop. *Quòd fulmen*, inquit, *non torquetur, non tantùm in istos, verùm & in nos, nonne mirandum? sunt enim ista fulmine digna. Adest rex, exercitum recenset, tu sub illius oculis stas ridens & risum despicis?*

III. 3. Si imagines, festa, reliquias eorum magno honore coluerimus, Deoque gratias egerimus, quòd eos ab æterno ad salutem & gloriam prædestinarit, & suis jam itineribus perduxerit; si Deum rogaverimus ut illorum virtutes mundo innotescant, honorque propagetur; si quantum potuerimus, ipsi propagaverimus.

IV. 4. Si ad honorem illorum mortificatione aliqua nosipsos affecerimus; veluti jejunio, vel eleemosyna. Præsertim si ad honorem hujus vel illius Sancti petentibus in eorum nomine nihil denegaverimus; id quod in more habuit S. Eduardus Anglorum Rex, *qui nulli petenti in nomine sancti Joannis Evangelistæ aliquid denegabat; hunc enim post Apostolorum principem (S. Petrum) arctiùs diligebat. Unde contigit, quòd quidam peregrinus absente camerario, in nomine S. Ioannis Evangelistæ importunè à Rege eleemosynam postularet, cui Rex pretiosum annulum, cùm nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc duos Anglicos ad adorandum salvatoris sepulchrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam à publicâ stradâ declinantes de via quæq; sectati sunt, & sole ruente nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Susceptis autem hospitio mensa paratur, lautissimeq; refecti dant membra quieti. Manè autem facto, egressis illis de civitate, ait senex: Viri fratres cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis: quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, & ego ob amorem Regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum ob meritū castitatis summa dilectione complector. Hunc ergò annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitûs sui instare diem: quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur agnum quocunq; ierit. His dictis disparuit, & illi ad patriam prosperè redeuntes, quæ viderant & audierant Regi seriatim retulerunt.* Ita Ealredus Abbas in vita ejus apud Surium 5. Jan.

CONCIO VII.

DESIDERIUM COELESTIS Patriæ accenditur.

I. Excitat nos cœli hujus amœnitas.
II. Beatorum societas.
III. Vita beata.
IV. Ius nostrum ad cœlum.
V. Cur beatitudinem cœlestem tam frigidè desideremus. 1. ob modicam fidem, 2. ob nimias sæculi occupationes, 3. ob metum judicii, 4. ob difficultatem viæ.

THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 5.

A. Mirum est Auditores, si non hoc sacro die omnes quotquot sumus evolare desideramus ad Ecclesiam triumphantem & cœlestem Hierosolymā, ubi omnes sancti majores, & parentes nostri immensis bonis affluunt. Sed quas dabit mihi pennas, inquies, & volabo & requiescam? Faciam, quod petis & expediam tibi currum igneum Eliæ, ut cum illo possis eò saltem evehi, ubi terrena tibi sordeant, & cœlestia sola sapiant. Ignei hujus currus ignei equi sunt ardentia desideria patriæ cœlestis, quæ nos saltem animo evehent ad cœlum.

Verùm

Verum quia currus quatuor rotis indiget, etiam has dabimus, eruntque quatuor considerationes ad hoc desiderium inflammandum necessariæ. Quænam verò illæ? Audiamus.

B. I. *Excitat nos Cœli hujus amœnitas.*

Excitat nos, Primò Cœlum hoc, quod videmus amœnissimum, vastissimum, lucidissimum. Et si cœlestis illa regio extrà tam speciosa est, qualis erit intrà? Quàm speciosa foret illa urbs, quæ totam regionem occuparet totaque niteret instar palatii regii; vel sicut Roma sub Augusto, vel Hierosolyma sub Herode, vel Babylon sub Nabuchodonosore? At cœlum domus & civitas Dei est, ideoq; sine comparatione speciosiùs esse debet. Quis ad Domum istam non aspiret? S. Augustinus tria fertur optasse conspicere in mundo, Romam triumphantem, Paulum concionantem & Christum in carne ambulantem, ut scribit Ravisius, Lipsius & alii. Quanto potius optamus videre oculis nostris Ecclesiam triumphantem, & in ea Christum cum Paulo & aliis innumeris sanctis? Quòd si solius firmamenti aspectus animavit martyres, ut tormentis omnibus posthabitis sanguinem profundere & mori non dubitarent: quid si vidissent cœlum empyreum? Ita Symphorianus adolescens cùm sub Aureliano Imperatore ad martyrium raperetur, & mater ei diceret: *nate, nate memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere*; cervicem fortiter obtulit Carnifici. Similiter 2. Mach. 7. cùm mater adolescentiori filio ad supplicium rapto diceret: *Peto à te nate ut aspicias ad cœlum & terram, &c. ita fiet, ut non timeas carnificem istum:* fortiter & ipse occubuit. Cur non ergò & nos mori desideremus, ut à terra tam sordida expediti, cœlum tam delectabile intremus; præsertim quia ad id creati sumus, ibiq; patriam nostram habemus? Empedocles philosophus cur viveret rogatus: *Ut cœlum*, inquit, *aspiciam: tolle cœlū & nullus ero.* Veriùs Christianus vivit non idcircò tantum ut aspiciat cœlum, sed ut cōsequatur etiam. Aspice terram & cōpara cum cœlo: quàm ea exilis, angusta, sordida, egena est? In hujus enim angustiis nos invicem premimus, impedimus, opprimimus, exturbamus, velut vasa in domo figuli coacervata quæ faciunt sibi invicem angustias. Meritò igitur exclamamus cum sancto Ignatio, Loyola cœlum aspiciente: *Heu quàm sordet tellus cùm cœlum aspicio?* Quid ni igitur libenter punctum hoc terrę commutabimus cum cœlo?

C. II. *Beatorum societas.*

Secundò Societas Sanctorum. Quantus enim illorum numerus? quanta omnium nobilitas, perfectio & sanctitas? quanta inter eos discretio & varietas? quantus ordo & concordia? Jam si ad unum Salomonem ob famam sapientiæ venit Regina Saba maximo itinere, si ad unum Antonium Eremitam, ob famam sanctitatis multi undique homines; ipsique Imperatores ambiebant ejus amicitiam: si ad unum Benedictum ob similem causam venit Rex Totilas &c. quid erit videre tot Sanctos in cœlo, gloriâ, sapientiâ, virtutibusq; omnibus conspicuos; Ælian. l. 13. narrat Cercidam Megapolitanum ægrū interrogatū, num libenter moreretur, respondisse: *Quid ni? Delector separatione animæ à corpore, quoniam ad eas oras ascendam, ubi videbo ex philosophis Pythagoram, ex poëtis Homerum, ex Musis Olympum, & alios viros in omni scientia præstantissimos.* Et Socrates ajebat: *Quanti æstimatis colloqui in altera vita cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo? Quanta voluptate perfundar, cum Palamedem, cum Ajacem, cū alios judicio iniquorum damnatos conveniam? Equidem sæpè excedere è vita, si fieri posset, vellem, ut quæ dico possem invenire.* Multò solidiore ac certiore spe cogitare hoc Christianus de Sanctis in cœlo regnantibus potest. *Ibi hymnidici Angelorum Chori*, inquit S. Greg. hom. 14. in Evangelia; *Ibi societas supernorū civium: Ibi dulcis solennitas à peregrinationis hujus tristi labore redeuntium: Ibi providi Prophetarum Chori: Ibi Iudex Apostolorum numerus: ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic duriùs afflictus: Ibi Confessorum constantia præmij sui perceptione consolata: Ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sæculi emollire non potuit: Ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo & sexum vicerunt: ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt: ibi senes, quos hic & ætas debiles reddidit; & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo fratres Charissimi hæc pascua, in quibus cum tantorum civiū sollennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festivitas invitet. Certè si cubi populus nundinas celebraret, si ad alicui Ecclesiæ dedicationē denuntiata solennitate concurreret, festinarem⁹ omnes simul inveniri, & interesse unusquisq; satageret: gravi se damni afflictū crederet, si solennitatem communis lætitiæ non videret. Ecce in cœlestibus electorum civium lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur, & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solennitati non quærimus, privamur gaudiis & læti sumus*, hæc Greg. Et S. Cypr. tract. de mortalitate: *Magnus*, inquit, *illic nos charorum numerus exspectat, parentū, fratrum, filiorum frequens nos turba desiderat, jam de sua immortalitate secura & adhuc de nostra salute solicita. Illic Apostolorum gloriosus Chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus; triumphantes illuc virgines, quæ concupiscentiā carnis continentiæ robore subegerunt, &c.* Jā si aspiciamus homines, quibus cum in terra degimus, si consideremus eorū depravatos mores, ferociam, falsitatem, perfidiam, invidiam, &c. an non meritò dicere poterimus cum S. Jobo c. 30. *Frater fui Draconum & socius struthionum.* Quasi diceret: habitavi inter eos, qui apertè, & qui clanculum mali erant? An non exclamare cum Davide Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, id est*, cum barbaris & efferatis gentibus, quæ non habitant in civitatibus, sed in tentoriis rusticis & nigris, quales sunt Arabes peregrinis insidiantes;

vel cum iis, qui habitant in tenebris & speluncis (Cedar enim nigredinem & tenebras significat) quid enim mundus iste nisi tabernaculum rusticorum, & tentorium prædonum, vel spelunca Arabum, ubi alter alteri insidiatur, nocet, comparatus ad mansiones cœlestis Hierusalem.

D. III. *Vita beata.*

Tertiò. Vita illa vera seu beata. Quæ primò includit omne bonum & excludit omne malum. Secundò includit perennitatem nunquam finiendam. Vita autem illa consistit essentialiter & primariò in visione & amore Dei, quo utroque velut brachio Deum comprehendemus & amplectemur, nobisq; uniemus summum bonum; secundariò & accidentaliter consistit in aliis bonis, partim animæ, partim corporis, veluti cum inprimis considerat anima seipsam & statum suum, Angelorum studium & industriam in ordinandis motibus cœlestium orbium, generationem & corruptionem rerum, hominum studia & curas, Sanctorum merita & coronas, &c. Ibi Sancti omnes æternum satiabuntur, æternum lætabuntur, & canent DEO Laudes perenniter, prout poterunt singuli meliùs & meliùs veluti aviculæ in aëre circumvolantes & modulantes, sine fastidio, sine defatigatione, & vicissim Deus laudabit, & commendabit eos tanquam filios & amicos suos, obsequentes & fideles. Illi projicient coronas suas ad Thronum Dei, & Deus eas reponet in capita ipsorum, & ita hoc mutuo honorum certamine se æternùm oblectabunt.

Jam verò *temporalis vita*, inquit S. Greg. hom. 37. in Evangelia, *æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis?* Non est ergò hæc vita vera, primò ob infinitas miserias & ærumnas animæ, & corporis, pericula item peccandi, & perpetuam carnis cum spiritu luctam; ob quæ omnia exclamavit Apostolus ad Romanos, cap. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Secundò, quia mortalis est; quod autem finem habet, non caret anxietate. Denique quia brevis & incerta: ob quam causam benedixit Euripides poëta Tragicus: *Quis novit autem an vivere hoc sit emori? an emori hoc sit, quod vocamus vivere?* Rectè ajo, quia ab Archelai Regis cœna domum hospitalem repetens, canum morsibus laniatus obiit, Val. Max. lib. 9. cap. 12. Intuere igitur vitam mortalium; quot ea miseriis & calamitatibus obnoxia? quot ærumnis referta? quantæ paupertati in omni genere rerum ad vitam necessariarum subjecta? Modò eam infestant bella, modò fames, jam pestilentia & morbi: quid dicam de internis plagis, & lucta spiritus cum carne? Denique quantumcunque alicui bene sit, cum attendit se moriturum, mox sentit amaritudinem. Mors igitur est vita nostra, quia quantum indies nascimur, tantum indies & morimur, perpetuoque fluxu sicut aqua dilabimur, ac veluti unda undam pellimus nos ad mortem. Ergóne fieri potest, ut aliquis in hoc misero & ærumnoso mundi carcere ita vivere velit, ut ex eo quotidie evolare non desideret? An nescimus quanto desiderio & conatu evadere è carceribus & servitute Turcica quærant captivi? quanto periculo, quanto molimine & cum corporis læsione sæpè elabantur; quia nimirum vitam illam carceris ærumnosam experiuntur? Et quid est aliud vita hæc mortalis nisi vita carceris?

E. IV. *Ius nostrum ad cœlum.*

Quarto. Jus municipatus, quod habemus in cœlesti civitate. Hoc enim testatur Apostolus ad Philip. 3. dicens: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Tertullianus legit: *Noster municipatus in cœlis est.* Attende ad aviculas caveis inclusas, quæ, quia ad libertatem & volandum in aëre natæ sunt, nunquam interquiescunt, quin huc illuc saliendo exitum requirant & elabi conentur, licet eis victum affatim suppedites. Sunt enim cives quasi aeris, seu ut vocantur à Domino, *volucres cœli*; non terræ aut cavearum. Rob. Holcot. in l. sapientiæ lect. 144. refert avem paradisi quandam esse, quæ alioquin optimè canit, capta verò incessanter gemit, donec dimittatur. Jam verò nos ejusmodi aves sumus, ad cœlum & paradisum natæ: quomodo ergò cantabimus canticum Domini in terra aliena, & mundi hujus exilio? quomodo è cavea corporis nostri eluctari non conamur? quomodo tam exiguo bonorum hujus exilii pabulo inescati obliviscimur patriæ nostræ?

Ejusmodi aves paradisi fuerunt omnes Sancti, cùm adhuc in terris degerent. Inprimis S. Joannes Evangelista, qui senio jam confectus clausit Apocalypsin his verbis: *Veni Domine JESV.* Deinde Sanctus Paulus ad Philip. 1. dicens: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo.* S. Martinus, qui jugiter aspiciebat cœlum, ut vulgò *suspex cœli* cognominaretur. S. Antonius, qui eodem vestigio sæpe consistens, cœlumque aspiciens occidentem solem vidit & orientem. S. Franciscus, qui tam affectuosè cœlum nonnunquam intuebatur, ut corpore à terra elevatus mentem sequi videretur. S. Ignat. Loyola; qui de nocte cœlum in oratione contemplans solitus est dicere: *Heu quàm sordet tellus, cùm cœlum aspicio?* S. Maria de Oegnies, quæ accepto divino responso, ituram se in sancta Sanctorum, jubilans & exultans famulæ suæ Clementiæ identidem dicebat: *Ibimus in sancta Sanctorum, dulcissima Clementia.*

Accedit denique Sanctorum desiderium, quo nos expectant, & ad se venire cupiunt. Videre enim eos mihi videor, veluti piscatores illos in navi Christi & Petri cõstitutos qui cùm ingentem piscium multitudinem in alto mari conclusissent, annuerunt sociæ navi in littore adhuc alligatæ, ut veniret ad capturæ communionem, Luc. 5. sic enim Sancti, quia tantum gloriæ pondus in cœlo ceperunt, ut superabundent: vocant nos in societatem suam & bonorum communionem.

Sed

F. V. *Cur beatitudinem cœlestem, tam frigidè desideremus.*

Sed quid est, Auditores, quòd nos cœlestis illius patriæ nostræ, & societatis Sanctorum desiderio tam parum afficiamur? Cur terram tam ærumnosam, cœlo; exilium patriæ præponimus? nimirum causa est primo modica fides: terrena enim bona videntur, cœlestia non item. Sed quam clarè hac de re loquitur scriptura sancta, quam graviter? quam syncere? Quot testes hoc confirmarunt, & suo sanguine subscripserunt?

1. Ob modicam fidem.

Secundò, Occupatio nimia in rebus terrenis conquirendis, quæ spatium cogitandi de cœlo hominibus non relinquit: sicut Hebræi operibus luti occupati non cogitabant de terra promissa adeunda & possidenda. Ita nimirum semen istud beatitudinis suffocatur à spinis curarum hujus mundi: An non verò res hæc digna commiseratione est, quòd miseri mortales operibus luti intenti obliviscantur terræ fluentis lacte & melle?

2. Ob nimias sæculi occupationes.

3. Ob metum judicii.

Tertiò Metus judicii. Sed hoc ipsi nobis grave facimus, dum cœlestia non apetimus, sed terrena tantùm amamus & quærimus. Audi Sanctum Augustinum, in Psal. 147. *Perversum omninò est, quem diligis, timere ne veniat, & orare quotidie; Adveniat regnum tuum? quod quidem nihil aliud esse videtur, quam orare ut adveniat regnum ejus, & tamen timere ne exaudiaris. Unde autem iste timor? quia Judex venturus est; nunquid invidus? malevolus? nihil horum prorsus. Quis natus est venturus judicare te, nisi qui venit judicari pro te?* hæc Augustinus.

4. Ob difficultatem viæ.

Quarto. Difficultas viæ. Sed vide quàm ea trita facta est ab omni hominum genere, ætate, sexu, conditione? Novimus penè ex omni hominum genere aliquos beatos. Habent Theologi S. Augustinum, Divum Thomam, D. Bonaventuram aliosque innumeros: Philosophi S. Dionysium: Juristæ & Advocati S. Juonem: Medici SS. Cosmam & Damianum, Musici S. Cæciliam, Ludimagistri, S. Cassianum; Scribæ, S. Anselmum. Pictores Lucam. Aurifabri S. Eligium. Venatores S. Eustachium. Piscatores Petrum & Andream Lignarii fabri Josephum, Textores S. Severum. Fullones S. Menignum. Sartores S. Gutmannum, Sutores SS. Crispinum & Crispinianũ: Ephippiarii S. Gualuardum civem Augustanum. Carbonarii S. Alexandrum, Pastores SSS. Simeonem, VVallericum, Sozontem &c. Mendici S. Servulum, Duces, S. Achatium & S. Mauritium. Milites, S. Sebastianum, S. Martinum, &c. Quare dicere hic possumus, quod S. Aug. lib. 8. Confess. cap. 11. ait: *Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas & graves viduæ & anus. Tu non poteris, quod iste & istæ.*

Rogemus itaque Deum, ut quemadmodum orat Apostolus ad Ephes. 1. *det nobis illuminatos oculos cordis nostri ut sciamus, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctus.*

CONCIO VIII.

IMMUNDI HOMINES, QUI Cœlo excluduntur.

I. *Avari.*
II. *Adulatores.*
III. *Adulteri.*
IV. *Iracundi.*
V. *Inimicitiam gerentes.*
VI. *Usurarii.*
VII. *Maledici.*
VIII. *Venefici.*
IX. *Fures.*
X. *Ingrati.*
XI. *Dolosi.*
XII. *Mendaces.*
I. *Ambitiosi.*
II. *Rigidi officiales.*
III. *Pigri.*
IV. *Garruli.*
V. *Comptuli.*
VI. *Improbi parentes & liberi.*
VII. *Crudeles.*
VIII. *Pauperum oppressores.*
IX. *Falsi fratres.*
X. *Invidi.*
XI. *Jactabundi.*
XII. *Justitiæ corruptores.*
XIII. *Hæretici.*
XIV. *Tenebriones & mundi sapientes.*
XV. *Ebriosi & gulosi.*
XVI. *Contumaces & increduli.*
XVII. *Hypocritæ.*
XVIII. *Epicurei.*
XIX. *Luxuriosi.*
XX. *Parasiti.*

THEMA.

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5.

A.

FOrsitan quis hodiernam audiens epistolam cogitabit secum ipse: Hem quantus Electorum numerus recensetur hic à Joanne? Etenim ex Judæis solis numerãtur centum quadraginta quatuor millia. Ex gentibus verò tantus numerus ut computari non potuerit: *Post hæc vidi turbam magnam,* inquit, *quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis stantes ante thronum.* Hæc ergo cùm ita sint, cur nos dubitabimus, quin & ipsi simus futuri in magno illo numero? Deponamus ergò metum & securi posthac dega-

degamus. Forsitan, inquam, aliquis hoc secum cogitabit; sed an satis cautè; Bene utique speramus de nostrûm omnium salute: sed interim justè metuimus, de plurimorum rejectione in severo illo examine. Idem enim Joannes qui hunc Electorum numerum vidit penè innumerabilem, idem, inquam, scribit in capite penultimo, de cœlesti civitate: Non intrabit in eam aliquod coinquinatum aut abominationem faciens. Et capite sequenti ad illum ipsemet Christus: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Foris autem canes & venefici & impudici & homicidæ & idolis servientes & omnis qui amat & facit mendacium.* Et in hodierno Evangelio soli beati mundo corde dicuntur Deum visuri. Testatur idem post Magistrum S. Paulus 1. Cor. 6. dicens: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt; nolite errare: Neq; fornicarii, &c.* Hæc sane sunt, quæ nos terrent & meritò timere faciũt. Quid enim si coinquinati simus, & nec dum in sanguine agni loti? An non merito cum Domini discipulis nosipsos interrogamus: *Nunquid ego sum talis?* Itaque ad cautelam nostram demonstrabo digitos; si non omnino omnes plerosque saltem coinquinatos, à civitate Dei proscriptos, idque ex SS. Literis.

B. Levitici, 11. designavit Dominus Moysi & per ipsum Israelitis quænam animalia censeri deberent munda adeoque comestioni apta: quænam item immunda, de qua re olim Legatus Ptolomæi Philadelphi cùm peteret 72. interpretes sibi mitti, qui scripturam S. ex Hebræo in græcum verterent, ex Eleazaro pontifice ut testatur ipse tractatu de LXX. interpret. quæsivit cur Moyses vetuisset quædam animalia comedi, vel sacrificari, quibus tamen aliæ gentes uterentur? Respondit Eleazarus, hæc præcepta esse symbolica & significare à quibus vitiis cavendum. Quam eandem causam SS. Patres passim etiam assignant: Et si aliæ plures sunt. Itaque immunda animalia vitiosos denotant homines, qui cœlo excluduntur. Primò Animalia terrestria generatim excluduntur ab Esu, & immunda censentur, quæ nec ruminant nec ungulam dividunt. Ruminant autem moraliter, secundum S. Gregorium in cap. 7. Cant. qui verbum Dei, quod aure perceperunt, in ventrem memoriæ recondunt, hocq; sæpepius quasi ad os cordis revocantes, frequenti contemplatione comminuunt, pedem verò dividunt, qui in actione bonum à malo secernunt: Utrumq; breviter complexus est Dominus, cùm ait, *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Hoc qui non facit immundus censetur apud Deum & mensa cœlesti indignus. Tales autem sunt & nominantur à Deo, 8.

C. I. *Avari.* Primo Camelus gibbosus & tortuosus. Et hic quos alios repræsentat nisi quos dixit Dominus, Matth. 19. divites avaros, ad cœli ingressum æquè ineptos atque est Camelus ad ingressum per foramen acus? Impedit enim divites, pondus divitiarũ, quod dorsum illorum gravat, ac nisi ab eis tollatur, ingredi perractã cœli portam non patitur: *Sicut Cameli*, inquit S. Ambros. serm. 4. *animal, quod est tortuosum atque deforme, perversitas ipsa corporis, per angustissimam acus cavernam pertransire non patitur: ita & divites oneratos avaritia, & cupiditate fœdatos ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minimè introire permittit.* Non sentit quidem Camelus onus sui gibbi, sed cùm ingredi per humilem portam debet, experitur expedimentum corpori suo affixum: ita & avarus non sentit onus divitiarum, dum in vita degit; sed cùm ingredi oportet per humilem illam januam, tunc experietur quantũ retardetur, & quàm difficilè sit id deponere. De his Apostolus 1. Cor. 6. *Neque avari regnum Dei possidebunt.*

D. II. *Adulator.* Secundò Chamæleon, animal figura & magnitudine lacertæ, colorem sæpe toto corpore mutans pro varietate rerum coloratarum, quæ ei objiciuntur, præter album & rubrum, unde adulatores, versipelles designat & proteos, qui pro tempore & potentiorum qualitate sese vertunt in omnem habitũ, omnibus blandiuntur, omnibus ad placitum loquuntur: Candorem tantùm synceritatis non induunt, nec ruborem, quia nullus illis pudor inest, qualis fuit Absolon, antequam invasit regnum, omnibus blandiens, & jus dicens, & osculans ad se accedentes, 2. Reg. 15. sed mox ubi principatum arripuit crudelis factus patrem ipsum persecutus est. Eandem Chamæleontis mutabilitatem induisse Julianum Apostatam scribit: Sanctus Gregorius Nazianzenus. Tales etiam sunt politici. Item ut Chamæleõ ex aëre dicitur vivere, ita isti favore suorum Dominorum, quibus adulantur, sed immunda sunt Dominus Ezech. 13. adulatoribus: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus.*

E. III. *Adulteri.* Tertiò Cherogryllus animal magnitudine cuniculi de cavernis petrarum procedens vastans & depascens alienos agros, [ex græco quasi porcellus rupium] adulteros, qui septa matrimonii trãsilientes alienam depascunt segetem alterius conjugem violant, repræsentat. Et hi à mensa cœli exclusi sunt: quia scriptum est Deut. 17. *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui.* Et 1. Cor. 6. *Neque adulteri regnum Dei possidebunt.*

F. IV. *Iracundi.* Quartò. Crocodilus, animal iracundum, sanguinolentum, quod negotiatoribus insidiatur, ac furiosum, quod cum prædæ spe frustratur, in seipsum morsum convertit, præ rabie: Pier. 29. hierogl. Itaque biliosos repræsentat & vindictæ cupidos, homicidas item & latrones: qui si aliis nocere nequeunt, quibus cupiunt, in seipsos rabiem convertunt. Et isti ergò immundi sunt, quia inter opera carnis ponit Apostolus etiam iras, rixas, dissensiones, homicidia ad Gal. 5. qualia *qui agunt, regnum Dei non consequentur*, inquit.

Eydex. G. V. Inimicitiam gerentes.

Quintò Lacerta, quæ licet exiguum reptile, inimicissimum tamen est cochleis, teste Plinio lib. 8, c. 39. proindeillorum typus est, qui inimicitias in corde gerunt: quales etiam à cœlo exulabunt velut immunda animalia, quia inter opera carnis è cœlo proscripta ponit Apostolus, ubi supra, etiam inimicitias & dissensiones.

H. VI. Usurarii.

Sexto Lepus, sed quid commeruit iste, gratissimus alioqui cibus? Nimirum Lepus simul parit & simul alium fœtum alit, & rursum superfœtat & ita usurarium designat. Hic enim cùm dat mutuũ, statim petit fœnus illudque tollens rursum profœnore mutuat, quod pro fœnore accepit atque ita alit fœnus & simul aliud parit, & rursum superfætat. Hæc enim igitur mũdi animalia sunt & cœlo digna; Negat sanè Propheta cùm interrogans: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.*

I. VII. Maledici.

Septimo Mus, qui semper aliquid rodit, & inquinat. Pier. lib. 13. hierogl. Hoc autem faciunt detractores & maledici qui nunquam fere interquiescunt, quin famam proximi rodant & conspurcent. Sunt igitur immundi nec pertinent ad cœlum, quia Apostolo teste ap. Rom. 1. *detractores Deo sunt odibiles.* Et 1. Corinth. 6. *Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

K. XIII. Venefici.

Octavo Mustela, quia virulento suo flatu inficit pecora, magos & veneficos denotat, qui suis incantationibus & præstigiis nocent vel decipiunt, quare ut illa à Judæorum mensa, ita isti à Mensa Dei merito quam longissimè exulant, siquidem Joannes Apocal. ult. de cœlesti templo loquens, ait: *Foris canes & Venefici.* Et Apostolus ad Gal. 5. eadem Veneficia à regno Dei excludit.

Quasi Maußwisel. L. IX. Fures.

Nono Mygale, ex mure & mustela composita, quasi mus & mustela utriusq; naturam participiat, ab illo edacitatem, ab ista furacitatem. Unde fures notat qui ad ingluviem satiandam ex rapto vivunt, Tales etiam infideles servi sunt, qui è domibus Dominorum clanculum furantur: Fures igitur & isti, quia *neque fures regnum Dei possidebunt*, ait Paulus 1. Cor. 6.

M. X. Ingrati.

Decimo Sus ingratum animal, quia tametsi ei glandes de arbore decutias, nunquam attolit oculos aut spectat undenam proveniant, sed escæ tantum intendit: prætereà ubi comederit, mensam quoque evertit. Tales sunt ingrati *qui quasi porci,* inquit Chrysost. hom. 8. in Matth. *cùm jam comederint, eversa calicibus mensa temulenti consurgunt, cũ agere gratias debeant.* Tales & ingrati pauperes, qui de benefactoribus suis male loquuntur, nec orant pro illis. Et hos igitur cœlo dignos judicem? minimè gentium: quia Sapiens ait, *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet*, Sap. 16.

Stern-Eyder. N. XI. Dolosi.

Undecimo Stellio animal non dissimile lacertæ, stellas in dorso gerens, sed intus venenum abdens, & homini fraudulentissimè invidens. Cutem enim, quam quotannis exuit, protinus devorat, ut præripiat homini, præsentissimum comitialis morbi remedium. Unde crimen stellionatus vocatur crimen doli & imposturæ. Plin. lib. 30. cap. 10. Quotquot igitur tales sunt, qui aliud ore, aliud corde gerunt, & qui sua potius perdunt aut perire sinunt, quam egentibus dari, cœnam Christi non gustabunt, quia scriptum est, Malach. 1. *Maledictus dolosus.* Et à Davide dicitur habitaturus in tabernaculo Dei, *qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.*

O. XII. Mendaces.

Duodecimo. Talpa divinæ lucis impatiens & inimica, ad eam enim protracta mox iterum latibula in terra quærit; ac si foris retineatur, cito moritur, Pier. l. 13. Tales sunt inimici veritatis & concionum, quia lucem veritatis sibi in iis ostensam sustinere nequeunt. Cœci enim sunt ut Talpa & cœcitatem suam amant: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem*, ait Dominus *& non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*, Joan. 3. Verùm sicut ex aliquorum sententia, morietis talpæ oculi, qui viventi sub pellicula latebant, rupto præ angustia velo aperiuntur, & videre incipiunt: ita illorum quoque oculi aliquando aperientur, in mortis nimirum articulo, sed magno eorum dolore & exiguo fructu. Idcirco indigni sunt qui cœleste lumen videant, quia *ignorans ignorabitur*, ait Apostolus 1. Cor. 14.

Animalia Volatilia pro immundis declarantur & recensentur viginti.

P. I. Ambitiosi.

Primò Aquila, quoniam in alto prædatur, volatu superat omnes aves, & in alto ponit nidum suum, ideò ambitiosos refert, qui semper ad excelsa tollunt oculos, honoribus & dignitatibus inhiant, omnesque excellere cupiunt. Sed num ideò hi ad cœlum evolabunt: non sanè, quia dixit Dominus: *Qui se exaltat humiliabitur*, Matth. 23.

Q. II. Rigidi officiales.

Secundo Accipiter, quia captus docetur ab aucupibus, capere aves alias, & ita inservire hominibus ad prædam; designat autem famulos & officiales ad Dominorum nutum pauperes expilantes. Ita docuit Nero Imp. suos, qui nunquam cuiquam officium delegavit, nisi hæc adjiceret: *Scis quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat.* Sic Vespasianus rapacissimos quosq; promovebat, quos tamen spoliis repletos, postea condemnabat, & velut humentes spogias exprimebat. Ejusmodi igitur avibus ait Apostolus 1. Cor. 6. *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

R. III. Huhu. Pigri.

Tertio, Bubo, qui interdiu in sepulchris & ruinis delitescit, avis ignavissima, de nocte verò in templa penetrat, ut oleum ebibat, quo lucernæ aluntur, teste Barth. Anglico l. 12. c. 5. designat ergò pigros, quales sunt ii Clerici, qui interdiu in tabernis, latent & symposiis vacant, ne facilè ad templum veniunt, nisi nummorum gratia, idemque coram Deo immundi sunt, qui dixit per Prophetam. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, Jer. 48.

S. IV. Garruli.

Quintò Charadrion, avis garrula, quæ noctis est amica & venatur mures, ideoque garrulos & mendaces

daces denotat, qui mendacia venantur, & mendaciis pascuntur, veritatis lucem odio habentes. Quorum immunditiam cœlo indignam passim scriptura clamat: *Foris canes*, inquit Joannes Apoc. ult. *& omnis qui facit & amat mendacium.*

T. V. *Comptuli.*

Quintò Cygnus, qui pennas habet candidissimas & nitidissimas, alasque suas superbe fert elatas; cutem tamen & carnem nigram, & digestu difficilem habet: Und bene depingit illos, qui in vestibus superbiunt & pompose incedunt, extra undique adornari, in cute tamen & conscientia nigerrimi, & sordibus repleti sunt: unde eorum animæ Deo sordent & digeri ab eo, hoc est, in ipsum mutari nequeunt; proinde tantum abest, ut ad mensam Dei in cœlo apponendi sint, ut potiùs audituri sint: *Væ vobis quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*, Matth. 23.

V. VI. *Improbi parentes & liberi.*

Sexto, Corvus, qui erga proles suas impias est, dum desertas & in nido relictas fami exponit neque educat. *Odit prolem suam corvus*, ait S. Chrysost. serm. in Heliam, *& naturam non educat.* Quare cùm senuerint, ipsi vicissim à pullis suis, quasi in pœnam neglectæ educationis, expelluntur & devorantur. Unde ortum id proverbium: *Mali corvi malum ovum*, Ælian. lib. 2. cap. 4. Itaque typus est tam malorum parentum; qui liberos suos negligunt nec ad virtutem educant; quam malorum liberorum, qui senio confectos parentes iniquè tractant, & vel fame affligunt, vel mortem eorum optant. De utrisque bene dicitur. *Mali corvi malum ovum.* Et jubebit aliquando Deus tales parentes venundari cum filiis & vastabit gladius *lactantem cum homine sene*, Deut. 32.

W. VII. *Crudeles.*

Septimo Gryphs, fortissimus prædatricium aviū, qui non minuta rapit, sed grandia; fertur enim equitem armatum cum equo posse rapere, & in sublime vehere eosque discerpere, ut Gl. in c. 14. Deut. habet. Abulensis in cap. 1. Levit. & alii. Tantarum etiam virium est, ut quod semel apprehendit pedibus eximi sibi non patiatur. Quos igitur nisi principes designat crudeles & avaros, qui potentes etiam opprimunt & integras nationes affligunt ac vastant: quæque semel comprehenderunt seu per fas seu per nefas, nunquam amplius dimittunt. Meritò itaque tales Deo displicent, velut immunditia pleni. Illis enim dicitur: *Væ qui prædaris: nonne & prædaberis?* Isai. 33.

Meer-Adler. X. VIII. *Pauperū oppressores*

Octavo Haliætus, qui marina est aquila, & ex alto in aquas ruit, easque pectore dividens, pisces inde rapit. Qui verò istud faciunt nisi multi ex judicibus & Tutoribus, qui pauperes suos subditos & Clientes, viduas & pupillos; in amaris tribulationum aquis degentes opprimunt, exhauriunt, deprædantur? Item Domini qui servos & operarios defraudant sua mercede? Istine audient illud: *Euge serve bone & fidelis?* minimè gentium: sed potius illis dicet Dominus: *Væ vobis qui comeditis Domos viduarum*, Matth. 23.

Y. IX. *Falsi fratres.*

Nono Herodio, seu Ciconia, juxta Suidam & Hebræos passim, quæ nobis amica & familiaris est, super tecta nostra habitans, sed parum tamen utilis & constans. Occinit enim nobis nescio quid informe & non hyemat nobiscum: sed ubi nostro usa est domicilio, adventante frigore sedem alibi figit. Sic faciunt ficti amici & falsi fratres, qui in prosperitate tantum & quamdiu beneficia percipiunt familiares sese exhibent, & benefactorum auribus ad placitum loquuntur: adveniente vere adversitate recedunt, & meliores heros quærunt.

Rohr-storck. Z. X. *Invidi.*

Decimo Ibis teste Æliano tam in vida est avis, ut si ex Ægypto violenter avehatur, ipsa se fama necet, ne aliis præda fiat. Hoc autem faciunt invidi, qui dum aliis invident, seipsos interim cruciant, & diuturna tabe necant, siquidem *parvulum occidit invidia.* Job. cap. 5. Atqui nónne Apostolus Paulus inter alia peccata excludit à regno cœlorum, æmulationes & invidiam? ad Gal. 5.

Alenbo[illegible] Aa. XI. *Iactabundi.*

Undecimo Larus, qui dum parturit valdè clamat; (unde proverbium: *Larus parturit*,) partus tamen non nisi plumosos & paucæ carnis excludit: Pier. lib. 23. hierogl. Rectè itaque jactabundos notat, & qui magna promittunt, parum verò præstant; Viel Geschrey und wenig Woll: Sed quid de his propheta? *Disperdet Dominus*, inquit, *universa labia dolosa & linguam magniloquam*, Psalm 11.

Bb. XII. *Iustitiæ corrupt[o]res.*

Duodecimo Mergulus, significat potentes illos qui muneribus pervertunt Superiores & Magistratū, vel favore & amicitia, qua eis juncti sunt, ita ut eorum delicta non castigentur, & oppressi ab eorum injuriis non vindicentur: ut enim mergulus, cùm auceps aut haliætus ei insidiatur; sese in undas abdit, & insidias declinat: Sic potentes isti, cùm imminet eis periculum, ne in judicio causa cadant, vel ob delicta puniantur, ad opes se suas recipiunt, vel amicitiam: & sub hoc asylo latent incolumes. Sed protrahentur aliquando in publicum, & immunditia illorum ostendetur mundo, cùm à venatore deprehendentur, quem non poterunt subterfugere.

Cc. XIII. *Hæretici.*

13. Miluus, qui pullis gallinarum & domesticis tantum insidiatur avibus, non sylvestribus; quia nimirum ignavior est, teste Angelico l. 12. c. 26. Hæreticos ergò significat, qui Catholicis tantum, quos Christus sub alas Ecclesiæ matris eorum congregavit pervertendis intendunt, idq; molli quodam volatu, qualem etiam miluus habet, seu blanditiis quibusdam Sylvestribus vero avibus, id est, gentilibus convertendis, non vacant, nec aggredi eos audent, timentes pelli suæ ne ad instar Martyrum nostrorum ab illis deplumentur. Sed quid ad istos Dominus; *Væ vobis qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos*, Matthæi 23.

14. No-

Dd. XIV. *Tenebriones & mundi sapientes.*

14. Noctua quæ interdiu cœcutit, noctu bene videt, filiosque hujus sæculi denotat, qui ut Ieremias cap. 4. ait: *sapientes sunt ut faciunt mala, bene autem facere nescierunt.* Ad temporalia paranda acutum cernunt ad spiritualia verò & salutem suam in propriam conscientiam, in proprios defectus cœci sunt aut lippi, unde non obscure filii tenebrarum à Domino appellantur & ab eo filiis lucis opponuntur. *Quemadmodum noctua*, ait S. Basilius hom. 8. in Hexam. *aspectus noctu quidem valet: sole autem illucescente non mediocriter confuscatur & hebescit: sic sæcularium hominum & hujus mundi sapientum, mens acutissima quidem ad varias res perspiciendas esse videtur; hebetissima verò caligineque referta ad ipsam lucem veram percipiendam evasit.* Hi ergò tenebriones quomodo non in tenebras exteriores ibunt?

Kropff-Vogel. Ee. XV. *Ebriosi & gulosi.*

15. Onocrotalus gottur amplum & strumosum habet, quod cibis infarcit: item ventriculos reconditos, Plin. lib. 10. cap. 47. postea cibos removit, unde Hebr. vocatur *Kaa*, à vomitu, præterea rostrum in aquã mergens rudit instar asini, unde græcis *Onocrotalus*, id est asini crepitaculum dicitur. Tales autem sunt ebriosi & gulæ dediti, qui quasi plures habeant ventriculos, nimium se replent & inebriati rudunt velut asini, & clamoribus cœlum implent, vomunt, &c. de quibus ait Apostolus: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*, 1. Cor. 6. & Gal. 5. ebrietates & commessationes recenset inter opera carnis.

Purpur-Vogel. Ff. XVI. *Contumaces & increduli.*

16. Porphyrio, cristam in capite habet, omnem cibum aqua subinde tingit, deinde pede velut manu ad rostrum affert; significat contumaces & incredulos, superbiæ cristam in capite gerentes, qui nihil nisi tinctum aqua propriæ voluntatis, & judicii suscipiunt faciendum & credendum.

Gg. XVII. *Hipocritæ.*

17. Struthio, qui herodio similis est pennis, sed non volatu; nam ob corporis gravedinem à terra se non elevat, ut patet Job 39. Unde notat hypocritas, qui religionis speciem præseferunt, carnales interim sunt & terrenis rebus affixi manent. Hinc Greg. 7. Moral. c. 7. ait: *Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet: sic hypocrysis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat.* His autem quam multa væ comminatur Dominus Matth. 23.

Hh. XVIII. *Epicurei.*

18. Vespertilio significat lucifugas illos, qui cùm alii ad somnum concedunt, ipsi primum cœnas instruunt, & noctes crapula & voluptatibus transfigunt; manè verò cum alii homines surgunt, ipsi cubitum eunt, noctem vertentes in diem & diem in noctem; quod fecit olim Heliogabalus, spurcissimus Imperator, qui de nocte primum salutari volebat, & negotia expediebat, reliquum tempus somno & deliciis dedit, apud Ælium Lamp. Quem multi nunc imitantur nobiles: quos quidem magnus vir vocabat principes tenebrarum, iidem etiam cum ad templum veniunt, obscuros occupant angulos, quasi timeant ibi videri, ad instar vespertilionum scil. qui interdiu intra templorum valvas & tegulas sese abdunt.

Ii. XIX. *Luxuriosi.*

19. Upupa, licet coronata in capite, de stercore nidificat & vivit, ac proinde fœtet semper: ita luxuriosi, licet coronam imaginis divinæ in se gerant, in sordibus se volutant, proinde merito velut sordidi ac fœtentes vitantur & odio habentur. Unde & Joannes ipse Apocal. ult. *Foris canes & impudici*, ait.

Kk. XX. *Parasiti.*

20. Vultur castra sequitur, & exercitus, sed cadaverum gratia, quæ & longissimè olfacit, & præsagit cædem antequam fiat. Similes ei sunt Parasiti, qui mensæ tantum gratia assident amicis & pinguia prandia ac symposia à longè subodorantur, similiter & illi, qui amicos diligunt & honorant, sed hæreditatis gratia. Unde Seneca ep. 96. *Qui* inquit, *amico ægro assidet hæreditatis causa, vultur est, cadaver expectat.*

Deniq; ex natatilibus omnia illa immunda censeri voluit Deus, quæ pinnulas & squamas non habent. Moraliter squamæ gravitatem motum & firmitatem bonæ conversationis in medio sæculi significant, pinnulæ autem sensus superna cogitantes: pisces namque, qui pinulas habent, saltus dare super aquas solent, ait Greg. lib. 5. moral. c. 8. squamas ergo habent, qui rigore virtutis muniti, sæcularis occupationis appetitum non admittunt: pinulas verò habent, qui subinde secretum contemplationis petunt, quique mentis saltibus lævare se super se & conscendere ad superna norunt, ut exponit S. Gregor. lib. 5. cap. 6. Rursum squamæ asperos pœnitentiæ fructus significant. Qui sine his sunt, immundi reputantur, leves enim, lubrici & delicati nimium sunt ad vigilias, ad jejunia, ad orandum, &c. De his ait Dominus: *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*, quasi dicat: non in domo Dei.

Postquam ergo nunc vidimus, qui sint immunda animalia Dei mensa exclusa: adnitendum nobis nunc est totis viribus, ut cum his immunditiis nihil negotii habeamus. Si enim talia animalia vetuit Deus Judæis, non modo edere, sed etiam contingere: & lavare vasa vel confringere, quæ eorum contactu fuerint contaminata: quanto magis vitanda sunt omnia vitia, quæ hominem cœlo extorrem reddunt? Hoc est quod tam seriò monuit Apostolus, postquam opera carnis recensuit ad Gal. 5. *Prædico vobis*, inquit, *sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Sed quid? num omnes illos cōdemnabimus, qui aliquando immundi fuerint? Non sanè, sed est expiationi locus, quemadmodum & in veteri lege. Lavetur ergo per pænitentiam, qui tale quid unquam fuit aut tetigit. Multa millia Sanctorum in cœlo sunt, qui aliquando immundi erant: sed loti sunt,

sunt sed expiati sunt. Sequamur ergo pœnitentes, si secutu sumus errantes, ut assequamur glorificatos. *Beati enim*, inquit Christus Apoc. ult. *qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.* Quod nobis ipse concedat.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur in montem ascendit Christus?
II. Qui pauperes spiritu.
III. Cur diversa promittuntur præmia?
IV. Quinam mites lugentes, &c.

THEMA.

Aperiens os suum docebat eos, Matth. 5.

MEritò sanè instituit Ecclesia festum hodiernum ad honorem omnium Sanctorum. Primo quidem, quia multi Sancti peculiariter non coluntur, nec vero possunt singuli singulis festis coli cùm eorum tanta sit turba, quæ dinumerari nequeat; ut in Epistola hodierna dicitur. Eandem ob causam Romani olim dedicarunt templum Pantheon, Deorum matri Cybelæ & omnibus Diis suis, quia cum innumeros haberent, omnes & singulos colere non possent. Quod templum Bonifac. IV. Papa à Phoca Imp. impetratum Deiparæ & SS. martyribus dedicavit, Postea Gregor. IV. Papa ad honorem omnium Sanctorum consecravit. Secundo ut ita omnes Sanctos simul invocaremus & patronos nostros constitueremus, adeoque Dei multiplicatam nobis suæ præpitiationis indulgentiam multiplicatis intercessoribus largiretur, quemadmodum in oratione hodierna canit Ecclesia. Tertio ut hoc die compensaremus, quod in aliorum festorum celebratione neglexímus.

Denique ut hujus solennitatis occasione incitaremur omnes ad cœlestis patriæ amorem, & desiderium beati illius societatis, in qua nostros credimus esse parentes, fratres & sorores. Ad hujus igitur festivitatis honorem expendamus hodiernum Evangelium.

B. I. *Cur in montem Christus ascendit.*

Q. 1. Cur ascendit Dominus in montem, facturus sermonem hodiernum? Resp. 1. ad literam, ut ex edito loco facilius & utilius doceret turbam circumstantem. Secundo, quia majora & sublimiora Christianæ justitiæ præcepta traditurus erat, quam olim tradita essent Judæis, ut docet S. Aug. l. 1. de serm. Domini in monte; unde hic populum admisit ad se in montem, ibi in monte Sinai exclusit; docens interim beatitudinem neminem attingere posse, qui non fuerit à reb⁹ humanis & valle secularis vitæ abstractus, & desiderio perfectionis elevatus. Unde S. Chrysostom. *Docet*, inquit, *a tumultibus discedere.* Tertio, ut ostenderet quod in altitudine virtutum consistere debet, *qui docet justitiam Dei*; inquit auctor imperfecti. Et similiter *S.* Bern. serm. 1. de omnibus Sanctis. Quarto ut ostenderet se novæ Legis Latorem. Lex enim vetus in monte data & promulgata est: Lex nova similiter; Cæterum Primo ibi fulgura micabant, tonitrua audiebantur, mons fumigabat, & omnia terrore plena erant, nullus que ad mõtem propius accedere audebat, quia lex illa timoris & severitatis erat: hic nomen item, quia lex nova lex amoris & gratiæ est.

Secundo hic sedit ad docendum primo propter dignitatem magisterii ut ait *S.* Augustin. secundum S. Hier. in Matth. 5. ad indicandum, quod se contraxerit incarnatione, & ad homines docendos demiserit. *Non enim intelligere poterant in sua majestate fulgentem*, ait & S. Bern. serm. 1. de omnibus *SS. sedit, ut ad eum*, inquit, *quem nec ipsi quidem angeli stantem attingere poterant, etiam publicani & peccatores accedant, &c.* In monte Sinai populus majestatem loquentis Dei non poterat sustinere; unde dicebat: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Sed hîc patientissimè & libentissimè audiebat. 3. Ibi præcepta tantùm promulgavit, hic à præmiis inchoavit legem suam, nos ad eam servandam suaviter alliciendo. Sed cur dicitur: *Aperiens os suum docebat eos*? R. 1. sensum esse, quod loquendi initium fecerit, 2. juxta D. Chrysost. indicari, quod Christus etiam cum taceret, operibus loqueretur & doceret, nunc autem & verbis seu ore aperto. 3. Secundum Aug. l. 1. de serm. Domini in monte, indicatur quod longior fortè futurus sit sermo, vel quod nunc aperuerit os suum, qui in lege veteri aperire solebat ora prophetarum. Denique notare videtur modus loquendi, sermonem fore de rebus maximi momenti præmeditatum; vel etiam, locuturum esse de contemptu mundi apertè, & clara voce, non timide & obscurè.

G. II. *Qui pauperes spiritu.*

Q. 2. Qui vocantur pauperes spiritu? Resp. 1. qui electione & propter Christum ejusq; doctrinam opibus renuntiarunt. Hi enim spiritu, id est, Spiritus Sancti impulsu, vel spiritu id est, voluntate; vel spirituali intentione & modo pauperes sunt.

Secundo, Qui divites licet sint, spiritu tamen, id est, affectu pauperes sunt. Longè enim aliud est venenum habere & aliud, veneno infectum esse. Pharmacopolæ venenum habent in suis officinis ad usum medicinæ: non tamen veneniati sunt. Ita haberi possunt divitiæ in cista vel marsupio sine omni noxa, si modo non gerantur in corde. Tales sunt, qui nec opibus insidiantur anxiè nec admodum dolent, de earum amissione. Tales sunt, qui suis opibus semper aliquid demunt & communicant pauperibus: Dum enim compatiuntur pauperibus, quodam-

dammodo cum ipsis pauperes fiunt, saltem ea, quam dant pecunia, pauperiores. Rursum si isti inserviãt pauperibus etiam ipsis pauperiores quodammodo fiunt, quia servi eorum. Hujusmodi pauperes spiritu erant Sanctus Ludovicus Rex & Sancta Elisabetha Regina. Ille dum pauperibus ad mensam serviret; offas quæ illis supererant, exederet; hospitalia visitans eis se jungeret, qui fœdissimis laborabant morbis. Hæc dum communiter se pauperibus immisceret, & si quando se peculiari modo recreare vellet, habitum mendicæ indueret suo in gynecæo, dicens: *Ego si pauper essem, ita vellem incedere.* An non isti pauperes erant spiritu. Denique si jacturam bonorum suorum forti animo ferant. Esau & Jacob veniebant ad parentem petentes benedictionem, ambo pilosis manibus: sed tamen pili Jacob non adhærebant ejus manibus, quemadmodum pili Esau: Unde pili Jacob absque ejus dolore poterant avelli unâ cum Chirotheca: non item pili Esau. Pari modo, si quis perdat fortè aliquid de bonis suis, jacturam tamen absque dolore & æquo animo ferat, signum est non adhæsisse bona illa cordi ipsius. Secus si impatienter ferat.

Tertio. Qui effectu & affectu pauperes sunt, facientes ex necessitate virtutem, quique sibi in sua paupertate placent. Et cur non placerent? Quot enim multi nobiles & potentes hujus mũdi solicitè quæsierunt, & maximo gaudio invenerunt in monasteriis & peregrinationibus, uti Sanctus Alexius, Sanctus Paulinus, Sanctus Franciscus, Sanctus Ignatius Loyola, &c. hoc ad pauperum ædes ultro venit, sine ipsorum labore, aut inquisitione. Habet hæc paupertas duo magna privilegia, quibus plurimũ mereri possumus. Primũ quod à Deo optimo & peritissimo nostro medico qui novit quid nobis expediat, immissa sit: plurimum ergo merebimur si velut ingens Dei donum & saluberrimam medicinam eam exosculemur. Secundum, quia vera & mera paupertas est carens omni splendore & laude, abundans contemptu, desolatione, abjectione. Religiosorum paupertas suam habet Laudem, suspicitur & honorificè sublevatur à sæcularibus: sed non item paupertas illorum, quibus à Deo immissa est; quæ proinde hac ex parte longè major est, quia abjectior & desolatior.

D. III. *Cur diversa promittuntur præmia?*

Q. 3. Cur diversis virtutibus diversa promittuntur præmia cum beatitudinis una sit merces? Resp. merito respondere debere præmiũ, & vero in cœlo pulcherrimè responsurum. Pauperibus ergò promittitur regnum cœlorum, quia congruit, ut qui hic regna & terrena bona contempserunt propter Christum, elegeruntque vitam pauperem & abjectam; postea in cœlo regnent cum Christo. Mitibus promittitur possessio terræ, id est solidæ beatitudinis possessio, quoniam mites hic frequenter pelluntur suis possessionibus, & cedunt aliis jura sua, ne Charitatem scindant & lites causent: ideo promittitur eis possessio terræ id est, amplissimorum bonorum. Sic, quia Abraham cessit Lotho terram quam vellet, ne jurgiũ inter eos oriretur, ideo meruit obtinere à Deo terram longè meliorem & latiorẽ. Lugentibus promittitur consolatio: Esurientibus & sitientibus saturatio, quia hanc avidè desiderarunt, Misericordibus, misericordia, & quidem magna pro parva. Mundis corde visio Dei, quia purus oculus perspicacior est ad videndum, & speculum mundum formas rerum melius suscipit & expressius repræsentat. Pacificis promittitur fore eos Dei filios, quia Deo similes. Deus enim Deus pacis est, & quia Dei filium imitantur, qui pacificavit quæ in terris & quæ in cœlis sunt ad Coloss. 1. Persecutionem patientibus regnum cœlorum, quia pro eo pugnant. Tametsi verò per hæc diversitas mercedis cœlestis insinuatur, ea tamen accidentalis tantum gloriæ est, juxta cujusque merita. Omnium interim communis merces est regnum cœlorum, quia omnes vocantur beati.

E. IV. *Quinam mites, lugentes &c.*

Q. 4. Qui vocantur mites, qui lugentes, &c. Resp. mites esse 1. humiles, qui Deo per omnia subjacent & obediunt, nihil contra eum murmurant, seu indignantur. 2. qui proximi cedunt improbitatibus, nec resistunt, sed vincunt in bono malum. 3. qui propriæ iræ impetus & cordis perturbationes reprimunt & domant.

Qui lugent, eos intellige, non qui damna temporalia deplorant: Sed 1. eos qui lugent peccata sua & aliorum. 2. qui exilium huius vitæ deplorant, & ad patriam anhelant, ideoque omnes mundi jocos, delicias & risus contemnunt.

Qui esuriunt & sitiunt justitiam, ii sunt qui terrenis rebus posthabitis quærunt regnun cælorum & justitiam ejus, & per omnia Deo placere cupiunt. Secundo, qui eandem esuriunt in alijs hominibus cupiuntque Dei nomen ubique sanctificari.

Misericordes intellige, Primò, qui miseriis proximorum compatiuntur ex intimo corde. Secundo eos, qui cum possunt, etiam succurrunt.

Mundo corde intelliguntur 1. casti. Secundo, qui cor suum à vitiis mundum conservant, vel certè sedulo & cito mundare satagunt, itemque mundum à pravis desideriis, malis cogitationibus fictione & duplicitate gerunt.

Pacifici sunt. 1. *qui primum in corde suo, deinde & inter fratres dissidentes pacem faciunt*, ait S. Hieronymus. Secundò, qui animas Deo pacificant & reconciliant procurando earum salutem.

Persecutionem patiuntur, qui omne genus injuriarum, afflictionum, in corpore, anima, bonis, honore, &c. propter Christum vel justitiam æquo animo tolerant.

F. I. *Documentum.*

Præter ista discimus. Primo Christum verum esse legislatorem contra Calvinum, qui in ea verba ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum, factum sub lege ut eos, qui sub lege erãt, redimeret,* exclamat: *O misera-*

bilem

bilem inscitiam. O perniciosum errorem prædicantum Christum tanquam novum legislatorem. Contra hunc enim est hodiernum Evangelium in quo Christus docebat, & tradebat legem novam audientibus. Unde sæpius repetit id: *Ego autem dico vobis.* Et Conc. Trident. Sess. 6. cap. 31. decreto de justificatione; Ubi dicitur: *Siquis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant: anathema sit.* Accedit Isaias c. 2. *Docebit*, inquit, *nos vias suas, &c.* Et rursum: *Dominus legifer noster.* Quod autem Apostolus subinde nos asserit in libertatem & eximit à lege, intelligit legem Moysis (quantum ad præcepta cæremonialia & judicialia, imò & moralia, si seclusa fide & gratia fiant) quæ tantum pædagogus fuit ad Christum adducens, eoque præsente cessavit. Libertatem etiam intelligit non carnis, quæ omnem disciplinam & obedientiam excludit, ut peccatis fræna laxentur: sed libertatem Christianam, quæ liberat à jugo Moysis, à servitute peccati, à servili timore & maledicto legis.

G. II. *Documentum.*

Discimus Secundo quantum sit discrimen inter judicium Dei & mundi, adeoque quam præstet esse pauperem, mitem, lugere, esurire, persecutionem pati? quam esse divitem, ridere, epulari, &c. Mundus enim beatos prædicat divites, & qui ab omni tristitia & persecutione liberi sunt. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, inquit David Psalm 143. Christus vero illis Væ interminatur: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines, &c.* Luc. 6. E contra beatos vocat pauperes, mites, lugentes, esurientes, patientes: quia certam habent spem futuræ beatitudinis: ita ut dicat: *Vestrum est regnum cœlorum*; in spe videlicet certa.

H. III. *Documentum.*

Discimus Tertio beatitudinem cœlestem, virtutum operibus promerendam esse, siquidem a Domino merces vocatur: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quod advertens Lutherus omisit particulam, *Quoniam*, contra communem exemplarium fidem. Jam verò merces à merendo dicitur, & datur tantum promeritis. Similiter ab Apostolo in 1. ep. ad Cor. vocatur *bravium*, quod cursoribus vincentibus: Et *Corona justitiæ*, quæ vincentibus athletis dabatur. Sic alibi à Domino vocatur *denarius diurnus*, qui datur operariis. Quæ nomina Catholici non sic accipiunt quasi natura debitor cuiquam sit Deus. Sicut enim paterfamilias non erat obnoxius quenquam operariorum in vineam suam mittere, & pro collata opera denarium conferre, ubi tamen conduxit & illi laboraverunt: & hi denarium merentur & ille debet: *quanquam ex pacto tantùm*, inquit Gagnæus. Fundatur ergo hoc meritum in Dei promissione, non in propriè dicta justitia, quia etiam merita nostra Dei sunt dona: ipse enim dedit ut possemus & faceremus, ipse habet omnium rerum Dominium absolutissimum. Unde supposita etiam promissione ejus posset absolute loquendo, non dare quod promisit citra omnem injuriam, multò magis quam absolutus Dominus potest servo promissam rem negare vel etiam donatam auferre.

Peculiari verò ratione beatitudo cœlestis vocatur *merces*, quia in operibus justorum est labor & defatigatio quædam. Vocatur *bravium*, quia justi cum contentione & æmulatione mutuaque adhortatione pro eo currunt. Vocatur *corona*, tum, quia circularis seu infinita est; tum, quia caput, id est, intellectum potissimum afficit: tum, quia per certamen & pugnam carnis & Spiritus obtineri debet: tum quia est præstantissima. Vocatur *denarius Diurnus*, tum, quia est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quemadmodum Denarius numerus est perfectus, continens omnes numeros, tum, quia datur post exactum vitæ præsentis laborem.

Felices igitur Sancti, qui mercedem, bravium coronam, denarium suum jam acceperunt eoque gaudent & fruuntur. Nos vero quia pro eo adhuc laboramus, currimus, pugnamus, sic laboremus, curramus, pugnemus, ut comprehendamus mercedem, bravium, coronam.

IN

IN FESTO ANIMARUM.

Evangelium, Joannis 5.

AMen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii DEI: & qui audierint vivent. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii DEI: & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

CONCIONES.

CONCIO I.

PURGATORIUM aſſeritur.

I. *Ex S. Scriptura.*
II. *Ex traditione Apoſtolorum.*
III. *Ex ratione.*
IV. *Ex figuris.*
V. *Ex oſtentis.*
VI. *Ex hiſtoriis.*

THEMA.

Nolite mirari hoc, Joan. 5.

A. HÆretici noſtri temporis perſimiles mihi videntur obſtinatis illis Judæis, quibus cum agebat Dominus in hodierno Evangelio. Dixerat enim illis venire horam, quando mortui audient vocem filii hominis, & ad vitam reſurgent, & quod poſtea judicandi eſſent à filio hominis. Hoc vero cum adverteret Chriſtus à Judæis nec credi nec libenter audiri, ideo mox ſubdidit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij DEI: Et procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicij:* quaſi diceret. Veniet hora, quando reipſa experiemini, id quod dico, cum ſcilicet in die judicii verè mortui reſurgent. Nimirum non libenter audiebant Judæi reſurrectionem & judicium, tanquam rem pertimeſcendam, licet ſcirent hanc doctrinam novam non eſſe, ſed in libris ſuis jam olim traditam. Ad eundem modum hæretici noſtri agunt cum purgatorio: quia enim hoc illorum ſtomacho delicato & deliciis aſſueto diſplicet (licet ſciant fundatum in ſcriptura, traditum ab Apoſtolis, creditum ab univerſa ſemper Eccleſia, roboratum eſſe rationibus, ſtabilitum innumeris exemplis & apparitionibus) ideo mirantur illud, & intuentur ſicuti vacca novum oſtium, eo quod vocem purgatorii in Bibliis non legant. Sed nolite mirari hoc: majora horum videbitis ô hæretici; & licet optandum eſſet ut reipſa aliquando experiremini veritatem purgatorii: quia tamen id non creditis: ex ardentiore balneo, quod vos manet, facilè arguetis verum eſſe quod dicimus.

B. I. Ex S. Scriptura. Primo Scriptura atteſtatur. Quid enim ſibi volunt illa verba 2. Machab. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur?* ſi enim defuncti juvari nequeunt, vel adjumento non egent, quomodo Sancta & Salubris eſt cogitatio pro illis orare? ſi ita ciciderunt ad auſtrum vel aquilonem, ut hæretici argumentantur ex Eccleſiaſtæ cap. 11. ut dimoveri amplius nequeant:

quid suadetur dicto loco, ut juventur? Immediatè ante scribitur Judam Machabæum 12000. drachmas misisse Jerosolymam, ut offerrentur pro peccatis mortuorum in bello. Ergóne dicemus Judam hunc superstitiosum fuisse?

Secundo Matth. 12. dixit Christus, peccatum in Spiritum Sanctum non remittendum neque in hoc sæculo neque in futuro, id est, difficillimè remittendum. Ergò clarè supponit in futuro sæculo aliqua remitti posse, ut deducit S. Augustinus, S. Gregorius, S. Beda, S. Bernardus & alii. Rident ad hoc hæretici: eò quod hoc loquendi modo Christus nil aliud voluerit dicere, quam nunquam remittendum. Sed nos ridemus ipsos, quia licet sit loquendi modus, non debet tamen esse impertinens aut ineptus, utpote à Dei sapientia prolatus: Esset autem ineptum dicere: Ego nunquam ducam uxorem sive in hoc, sive in futuro sæculo; quia in illo sæculo non licet ducere uxorem. Similiter inepta loquendi foret ratio illa, qua Christus usus est nisi in illo sæculo dimitterentur aliqua peccata: quod absit, Christo imponere.

Tertio. Quid sibi volunt illa verba Apostoli? 1. Cor. 3. *si quis superædificat super fundamentum hoc* (Christum) *aurum, argentũ, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: Uniuscujusq; opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit; si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ubi non dubium per aurum, argentum & lapides pretiosos, intelligere Apostolum aliquid stabile, solidum & præclarum, quales sunt virtutes & opera virtutum. Per lignum vero, fœnum & stipulam, aliquid vile, fluxum & temporale, qualia sunt opera humana, quibus homo afficitur erga res humanas plusquam oportet, quamvis non supra DEUM. Ignis itaque purgatorii ostendet, quale sit opus cujuscunque. Priora enim nihil ab eo urentur, sed posteriora, quæ per illum tamen purgabuntur. Audi Origenem antiquissimum autorem hunc in locum hom. 12. in Jerm. & hom. 8. in Levit. *Si*, inquit, *post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum & argentum & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris verum & ligna, fœnum & stipulam: quid tibi vis fieri, cum anima sejuncta fuerit à corpore? Utrum nam ingredi vis in Sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula ut polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum & stipulam foris residere, & pro auro, argento & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum; lignum vel stipulam, &c.* Sic ille.

C. II. *Ex traditione Apostolorum.*

Secundo probatur ex traditione Apostolorum, ut patet ex S. Dionysio Areop. l. Eccles. Hierarch. cap. 7. Et S. Clemente Papa, l. 6. Constit. Apost. cap. 3. Apostolorum discipulis, quorum ille testatur preces fundi à Sacerdote super defunctum, ut Deus ipsi condonet universa peccata, quæ per humanam infirmitatem contraxit. Hic vero jubet sine ulla exceptione convenire in cœmiteria, & sacros psalmos legi ac decantari pro his qui dormierunt. Ex quo sequitur juvari posse nostris precibus defunctorum animas; at non in cœlo existentes, quia his non egent; nec in inferno, quia ibi nulla redemptio aut pœnarum mitigatio; ergo in loco alio, in quo purgandæ detinentur; hoc vero vocamus purgatoriũ. Denique S. Augustinum serm. 32. de verbis Apostoli audiamus: *Orationibus vero Sanctæ Ecclesiæ*, inquit, *& Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt; hoc enim à patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorãtur, oretur ac pro illis quoq; offerri cõmemoretur, &c.* Et S. Chrys. in c. 1. ad Philipp. hom. 3. ait: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis, &c.*

Accedit consensus aliarum Sectarum. Judæi enim in sabbatis suis, orant & faciunt eleemosynas, pro animabus parentum & propinquorum suorũ. Similiter Mahometani in pervigiliis festorum suorum conveniunt in Cœmeteria sua, & ibidem orant pro defunctis suis ac dispertiunt eleemosynas atque edulia varia. Hussitæ peragunt vigilias & exequias atque officia sua pro defunctis. Denique Aristoteles in problem. ait, æquius esse mortuis quam viventibus opitulari. Et communiter Ethnici precabantur suis defunctis: *sit tibi terra levis.* Alii variis modis defunctos honorabant. Ipsi etiam hæretici plerique arcana quadam veritatis vi adacti, bene ipsis mortuis precantur, quod orationis quoddam genus est.

D. III. *Ex ratione.*

Tertio Ostenditur ratione: Nam inprimis ex scripturis SS. patet, dimissa à Deo culpa non illicò dimissam esse pœnam omnem temporalem: Sed manere reatum ut plurimum saltem ad pœnam. Patet in Davide, cui dimissa adulterii & homicidii culpa, filius ejus morti datus est à Deo in pœnam, 2. Reg. 12. Sic Absoloni dimissa erat à Patre culpa, sed ipse non ilicò admissus est in conspectum Patris: Sic Moysi ad aquas contradictionis, dimissa quidem diffidentiæ culpa, sed nihilominus ipse in pœnam mortuus est in deserto, nec ingressus terram promissionis. Patet hoc idem in naturalibus. Abstracto enim à corpore telo, non statim sanatur vulnus, sed remanet sanandum. Adhæc, quia homo per peccatum avertit se ab infinito & incommutabili bono, ad finitum & creaturam, ratione primi meretur pœnam æternam, ratione secundi temporalem.

Quare

Quare licet dimittatur prima, remanet tamen secunda; Ut argumentatur D. Thomas 3. p. q. 86. ar. 4. Manet ergo aliqua temporalis pœna, post dimissam culpam, exsolvenda, quæ cum in hac vita non semper luatur, luenda restat in altera. Deinde plurima sunt peccata venialia, quæ uti non separant à Deo, ita gehennam non merentur: vicissim etiam cœlesti civitate, quæ tota aurum mundum est, indigna sunt, quia nihil coinquinatum intrabit in eam, ait Joannes Apoc. 21. Ut vero extra civitates solent esse certa valetudinaria seu Lazareta, in quibus detinentur ad certum tempus, qui ab infectis veniunt locis; & ut Scyphus aureus pulveribus obsitus non porrigitur Regi, priusquam eluatur: ita etiam animæ levioribus peccatis obnoxiæ non merentur DEI conspectum, donec purgentur; *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, dictum est heri, Matt. 5. Imo hinc ipsæ defunctorum animæ, quæ necdum sordes omnes deposuerunt, præeligunt in purgatorio luere, quàm cum inquinamento cœlos ingredi: quemadmodum scribit S. Gertrudis lib. 5. insinuation. div. pietatis, apparuisse sibi animam religiosæ cujusdam sui monasterii tristi & dejecto vultu, licet magna fulgentem claritate & ornatu. Quam cum interrogasset, cur ita tristis esset in tanto ornatu? respondit anima se necdum bene purgatam à maculis quibusdam, ideoque visioni Dei indoneam; *atq; hoc affirmo*, inquit, *etiamsi mihi cœlum pateret, retraherem me tamen inde, indignam me cognoscens purissimæ divinitatis contemplatione*. Restat igitur locum aliquem esse, in quo leviores illæ maculæ eluantur & temporales pœnæ exsolvantur, siquidem cum istis plurimæ hinc discedunt animæ: & hoc est purgatorium.

E. IV. *Ex figuris.*

Quarto. Confirmatur ex variis figuris, quas huic igni asserendo Deus in Sacris literis consignari voluit. Imprimis S. Ambrosius in Psalm. 118. *Retribue servo tuo:* & Rupertus asserunt ad hunc denotandum positum fuisse ignem ante paradisum: & Cherubim; ad educendum videlicet animas è purgatorio ad cœlum. Soror etiam Moysis ob murmurationem separata fuit extra Castra ad tempus & post revocata, Num. 12. Absolon dimissa culpa non admittitur ad conspectum Regis per triennium, 2. Reg. 14. Josepho è carcere educto tonduntur capilli, antequam intret ad Regem & ministret illi, Gen. 41. Legati Davidis vestibus & barbis suis truncati ad Regem non admissi sunt donec barbæ illis repullularent, 2. Reg. 10. Quæ omnia insinuant purgandas esse prius ab omni labe animas, quam in Dei aulam & conspectum veniant.

F. V. *Ex ostentis.*

Accedunt hæc ostenta. Nam inprimis scribit Surius in commentario suo sub annum Domini 1537. Cranzius Dan. l. 2. c. 24. & Olaus M. l. 2. c. 3. in Islandia extare montem Heclam dictum, qui furit & ignem evomit, ingentesque habet voragines, quibus plerumque vivi absorbentur: illicque visi mortuorum Spiritus, qui in nota specie offeruntur familiaribus colloquiis hominum: Cum autem orant eos amici vel noti, ut domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se petere montem Heclam, ilicoque disparent. Est & alius hiatus profundissimus in Hybernia, qui purgatorium S. Patricii vocatur. De quo Cranzius ib. Cum enim S. Patritius prædicaret Hybernis, nec eos per miracula, nec per Comminationem futurarum pœnarum, nec per promissa cœlestium gaudiorum posset convertere; Deus ab ipso rogatus locum indicavit, per quem in purgatorium pateret aditus. Descendere in illud plures & quidem alii nunquam redierunt; alii vero redeuntes admiranda de pœnarum acerbitatibus, quas illic visebant & experiebantur, recensebant. Inter quos Agnejus miles, de quo Dionysius Carthus. lib. de quatuor novissimis de jud. animæ part. art. 24. Voluit autem Deus extare talia loca, ut purgatorii pœnas hominibus persuaderet.

G. VI. *Ex Historiis.*

Denique ostenditur exemplis, quæ acciderunt frequentissima, & accidunt in hodiernum omni exceptione majora. Narratur in veterum Annalib. à Pithæo editis apud Baron. anno 874. Ludovicum I. Imperatorem post 30. annos ab obitu suo apparuisse filio suo Ludovico II. eumque sic Latino sermone affatum esse: *Adjuro te per D. N. I. Christum ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam possim habere æternam.* Mox filius per cuncta sui regni monasteria epistolas destinavit, obnixè rogans, ut pro anima parentis, suis apud Deum precibus intervenirent. Venerabilis Beda lib. 5. hist. Anglorum cap. 13. scribit auno 720. quendam Anglum Drietelmum, suo tempore in Britannia obiisse sub vesperam ac manè revixisse; qui de morte sua hæc narrabat: *Cum corpore excessissem, conspexi quendam vultu ac habitu candidum, qui me deduxit ad orientem: Ubi vidi ad sinistram longam, latam depressamque planiciem, cujus alterum latus ignis calidissimus, alterum frigus ineffabile, grandines procellæque tenebant: plenum utrumq; animarum, ex altera in oppositam partem transilientium, quæ non ferentes æstum properabant ad frigus: & vicissim frigoris Impatientia recurrebant sine quiete ad æstum. Inde procedentes ad magnus venimus tenebras atq; à longè flammas de barathro vidi ascendere & globos igneos; quos in altum ejaculatos, idem recipiebat puteus. Quos accuratius speculatus adverti conglomeratas hominum esse animas: ex puteo autem circumquaque exhalabat fœtor incredibilis, Dum hæc adspectarem meus me dux deseruit, ac me expertem consilii solum reliquit. Magnus interim ad me deferebatur strepitus ejulantium & cachinnantiũ & magnum vidi diabolorum exercitum cum sannis ac risu miseras quasdam secum trahere creaturas, ex quibus unus Ecclesiasticus erat* (utpote tonsus) *alter Laicus, tertio mulier; qui cum plurimo planctu ejulãtes, lachrymantes agebantur in Barathrum. Quo cum Præcipitati essent, circũdederũt me ex illo puteo dæmones copiosi, fœtidũ ignẽ ore, oculis, naribus evaporantes,*

qui

qui forcipibus atque uncis candentibus trahere laborabant, nec tamen tangere aut lædere poterant. Supervenit tum Angelus meus bonus instar stellæ coruscans, ac omnem illum gregem diffugavit; ac me austrum versus ad lumen grande, & parietem protensum duxit, quo continuo superato in longum patentemque campum ingredimur, pulchris odoriferisq; fartum floribus, quorum suavitas omnem prioris loci expulit graveolentiam. Lux hujus loci omnem solis superabat claritudinem. Hic multa candidatorum turbæ serecreantium. At promovens, à longè lucem adspexi multò rutilantiorem, cui prior comparata scintillula videbatur; inde cantum longè jucundissimum & dulcem excepi adstantem odorem. Cum penetrare cuperem, obvertit se Angelus & divinam mihi indicavit voluntatem, ut videlicet corpus mundumque ad tempus inhabitarem, loca etiam quæ videram docens. Prior ajebat, purgatorium est, ubi torquentur qui pro peccatis suis in vita non satisfecerunt. Omnes hi novissimo die salvabuntur, multi etiam liberantur precibus, eleemosynis, jejuniis vivorum ac maximè SS. Missæ Sacrificio. Locus alter infernus est, unde nulla redemptio. Tertius locus flosculis pulcherrimis consitus, eos recipit qui probè quidem vixerunt, non tamen ejus sunt perfectionis, ut statim cœlos introeant, qui omnes etiam ad cœlestem gloriam, ad extremum judicij diem pertingent. Verum quorum verba, facta, & cogitationes perfecta sunt, continuo de corpore in cœlum evolant, ille locus est quem contemplatus es à longè. Jam itaque ad Corpus tuum revertere, & quomodo vitam ex hoc instituas cogita. Atque ita revixit Drietelmus, statimque surrexit & abiit ad villulæ oratorium, & usque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam in tres divisit portiones: è quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit; tertiam sibi retentam, statim pauperibus distribuit: nec multo post seculi curis absolutus ad monasterium Mailros pervenit, acceptaque tonsura locum secretæ mansionis, quam providerat Abbas, intravit & ibi usque ad diem mortis in tanta mentis & corporis contritione duravit, ut multa illum, quæ alios laterent; vel horrenda vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur. Etenim cum incredibili austeritate corpus suum vexaret, & in fluminibus gelu concretis oraret & psalleret, dicentibus sociis: *Mirum frater Drietelme, quod tantam frigoris asperitatem ulla ratione tolerare prævales:* Respondebat ille: *frigidiora ego vidi.* Et cum dicerent: *Mirum quod tam austeram tenere continentiam velis;* Respondebat: *austeriora ego vidi.* Sic usque ad diem suæ vocationis infatigabili cœlestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana jejunia domabat, multisq; verbo & conversatione saluti fuit. Sed quid vident in purgatorio hæretici, quod adeo id mirentur? Forte novam nominis rationem, quod apud veteres non sic nominetur? Atqui S. August. l. 21. de civit. cap. 16. vocat *purgatorias pœnas.* Et in Psal. 37. *emendatorium ignem.* Ac licet in scripturis non reperiatur vox, *purgatorium*, parum id refert: quia neque vox *Trinitas*, ibi reperitur, ab ipsis tamen recipitur: sufficit rem ipsam in SS. literis comprehendi.

Num forte quia Ecclesiastes cap. 11. ait: *In quocunque loco ceciderit lignum sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi erit?* Atqui nihil hoc obest purgatorio. Verè enim ita est: si ceciderit homo in statu peccati mortalis, ibi manebit: si in statu gratiæ, etiam ibi erit; & siquidem ad purgatorium venerit, etiam ibi erit, quia seipsum ibi juvare non poterit, cum non sit amplius merendi tempus, sicut & arbor prostrata jam omni motu caret. At potest tamen moveri ab aliis: ita juvari quoque animæ nostris bonis operibus. Quando igitur Auditores, ipsæ se juvare nequeunt, juvemus eas nos. Adhibeamus sudes eleemosynarum, orationum, Sacrificiorum: ut eas devolvamus ad statum æternæ felicitatis.

CONCIO II.

PROBATICA PISCINA TYPUS purgatorii.

I. Descriptio purgatorii.
II. Solatia purgatorii.
III. Pœna purgatorii.
IV. Redemptio è purgatorio.
V. Diuturnitas purgatorii.
VI. Suffragia pro purgantibus.

THEMA.

Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in Piscinam,
Joan. 5.

A. Appositè sanè legitur hodiernum Evangelium in hoc die; ducit enim nos rectà ad Purgatorium, seu potius ad typum & figuram ejus clarum & expressum. Nam verba hodierni Evangelii Christus est locutus, postquam sanavit ad piscinam paralyticum Joan. 5. Et quidem illius miraculi occasione. Piscina autem illa adeo exactè repræsentat Purgatorium, ut vix possit melius.

B. I. *Descript. Purgatorii.* Primo. Erat piscina probatica seu ovilis, sita ad portam gregis, cognomento Bethsaida. Piscina autem probatica, id est, ovilis dicta est, quod in ea oves mox immolandæ solerent ablui, vel secundum alios intestina hostiarum, ex communi Doctorum sententia. Bethsaida autem significat vel domum effusionis ob influentes pluviales aquas; vel demũ misericordia ægrotis exhiberetur. Hujusmodi autem piscina est Purgatorium.

Primo

Primo enim sita est ad portam cœlestis Hierosolymæ, ita scilicet, ut qui purgandum aliquid habet, prius in hanc divertere debeat, antequam civitatem intret. Porta ad cœlum omnibus subeunda est mors: post hanc adest mox piscina hæc; si quid est purgandum. Porta hæc gregis est, quia gregatim per eam imus.

Secundo est Probatica, id est, ovilis, quia in ea abluuntur à sordibus, id est, culpis venialibus & reatibus animæ illæ, quæ oves Christi sunt, & justæ, antequam Deo immolentur in templo gloriæ ejus. Vel rectius ibi lavantur mactatarum ovium intestina, id est, mortuorum justorum animæ à sordibus internis & occultis. Abulensis in lib. 3. Reg. c. 7. ait, Sacerdotes in atrio mactasse hostiam, & excoriasse, postea attulisse ad hanc piscinam, ut intestina ejus effunderent & lavarent. Ita post mortem & judicium animæ purgandæ ducuntur ab Angelis in purgatorium.

Tertio. Bethsaida est, sive significat domum effusionis, tum quia in id etiam Christus sanguinem suũ effundit, de quo ait, per Psalmistam: *Sicut aqua effusus sum*; (Quò facit, quod aqua illius piscinæ secundum D. Hieronymum de locis Hebraicis, fuit quasi cruentis aquis rubens. Et est hic sanguis & aqua fluens de latere Christi.) Siquidem vi & merito illius purificantur illic animæ mediantibus Ecclesiæ suffragiis. Ecclesia immittit quodammodo in id animas, dum eis ex thesauro meritorum Christi suffragia communicat; tum, quia in id animæ magno numero descendunt & velut pluvia influunt. Sive significet domum misericordiæ; quia quasi in quodam Nosocomio, seu ut vocamus, Lazaretho exspectant DEI & hominum misericordiam, clamantes instar mendicorum & captivorum: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*, Job. 19.

Quarto. Piscina est, ob profunditatem moderatam, non quanta est putei; hic enim infernum, illa purgatorium significat. Ad piscinam descendere possumus per gradus, non ad puteum. Ita nostris suffragiis possumus descendere ad purgatorium, non ad infernum.

C. II. Solatia Purgatorii.

Secundo. Hæc piscina habuit quinque porticus, ut sub his ægroti considerent & sub umbra ac tecto nonnihil solatii perciperent. Sic etiam purgatorium habet quinque porticus, id est, quinque solatia, quæ alias explicui. Primum, quod sciant se esse in gratia. Secundum, quod sciant se in gratia confirmatos. Tertium, quod æquanimiter tolerent pœnas illas, tanquam à Deo medico & Patre sibi inflictas. Quartum, quod sciant se innocentes seu vacuas jam à culpa. Quintum, quod crebro visitentur ab angelis.

D. III.

Tertio. Jacebat in piscina multitudo languentium (id est, febricitantium) cœcorum, claudorum, aridorum. Similiter in purgatorio quatuor potissimum miseriæ sunt animarum purgantium.

Prima est pœna sensus & ignis: ecce tibi febrim eamque ardentissimam. O quam desiderant istæ potum ex sanguine Christi! Videntur dicere cum Davide: *O si quis mihi ferat aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem!*

Secunda pœna damni, seu temporalis privatio beatitudinis; en tibi cœcitatem. Vehemens desiderium videndi habent cœci, sed multo majus animæ purgantes: quia exspectant lumen, non quod muscis est commune, sed lumen gloriæ, quo Deus cernitur.

Tertia, Confusio, quod pœnam illam tolerant, ut Rei, non ut martyres; hoc est, æquanimiter quidem & libenter, sed non electione & liberè, adeoque ex hoc pede claudicant: quod illis utique confusionem aliquam parit, sicut cum ob delictum castigatur reus.

Quarta, Ligatio, quæ adimit facultatem semet juvandi. Et ecce tibi aridos. Velut enim aridi seu contracti membra sua nequeunt movere ad se juvandum: sed ab aliis pasci & moveri debent, ita etiam animæ illæ alienam tantùm exspectant opem, nullam sibi ipsis exhibere possunt: Et sicut palmes aridus & abscissus nequit revirescere aut fructum aliquem gignere: ita & ipsæ quia abscissæ sunt de terra viventiũ; & extra statum merendi, nequeunt sibi prodesse.

E. IV. Redemtio è Purgatorio.

Quarto, Angelus Domini descendebat secundum tempus, id est, certis temporibus licet ignotis, in piscinam, & movebatur aqua. Et qui prior descẽdisset in piscinã post motionem aquæ, sanus fiebat. Fit & hoc suo modo in purgatorio. Suo enim tempore nobis incognito descendit Christus magni consilii angelus in purgatorium, & movet ac perturbat aquam meritorum suorum, dum scil. applicat animabus merita passionis suæ. Vel etiam Angelus Domini denotat Sacerdotem, uti vocatur Malach. 2. qui dum Missam celebrat pro defunctis, sanguinem & merita Christi commovet & adhibet ad sanandas & liberandas animas illas. Generatim Sacerdos movet sanguinem istum ad abluendas animas, quoties Sacramentum aliquod administrat; uti enim aqua baptismali mota abluit infantes, ita sanguine Christi alios quoscunque, qui suscipiunt aliquod Sacramentum. Et qui prior descendit, hoc est, qui potiora habet suffragia, prior liberatur.

F. V. Diuturnitas Purgatorii.

Quinto. Erat ibi homo triginta octo annos habens in infirmitate, qui proinde semper ibi jacens exspectabat motum aquæ. Quod significat Primo: Multas animas longo tempore in purgatorio detineri, & quandoque ad diem usque Judicii, uti patet ex historia Drietelmi apud Bedam l. 5. c. 13. Et ex vita S. Ludgardis apud Thomam Cantipratensem, tertio tomo Surii, die 16. Junii ubi refertur, Innocentium Papam III. apparuisse S. Ludgardi flammis circumdatum ac dixisse, cruciandum se esse pœnis acerbissimis usque ad diem Judicii. Et hic tamen erat Pontifex omnium laudibus celebratus.

Secundo Supplicii tempus longius esse tempore, quo peccatum patratur. Id enim ex hac historia colligit S. Chrysost. *Ecce hic homo*, inquit, *non tot annis peccavit, quot pœnas dedit. Brevi peccatum patratur; morbi tormenta diuturna sunt.* Hunc etiam in modum cito morbum contrahimus v.g. uno haustu grandiore: sed tarde convalescimus, ut experientia patet.

G. VI. *Suffragio pro Purgantibus.*

Sexto. Æger ad piscinam hominem desiderabat, à quo in eam mitteretur. *Hominem non habeo, &c.* Ita animæ purgatorii juvandæ sunt à viventibus, & per eorum suffragia mittendæ in pretium sanguinis Christi, per Sacrificia, eleemosynas, orationes, & jejunia illis applicata. Quod subsidium nisi eis præstemus, exspectare debent, donec debitum suum exsolvant, atque ita demum à Christo eripiantur; quemadmodum hic paralyticus, qui non nisi postquam *multum tempus* habuit, ut ait Evangelista, (quasi diceret postquam sat diu jam ibi afflictatus jacuit) à Christo est sanatus. Succurrendum autem inprimis, quibus maximè obligamur.

Deinde, qui specialibus suffragiis destituti sunt: Ut qui in bello justo occumbunt, vel in mari pereunt, aut Barbarorum captivitate, vel tempore pestis &c. Hi enim instar languidi istius ad nos clamare videntur: *Hominem non habeo, qui mittat me in piscinam.* Et propterea potissimum instituit Ecclesia communis mater suffragia hodierna, pro omnibus fidelibus, quia nimirum multi specialibus destituuntur: ut habetur de Consecr. dist. 1. c. Visum.

CONCIO III.

DE ACERBITATE POENARUM Purgatorii.

I. Pœna damni.
II. Pœna sensus.
III. Durationis incertitudo.
IV. Ligatio & impotentia.

THEMA.

***Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem,* 1. Cor. 15.**

A. Cum hodiernam epistolam S. Pauli legi, nesciebam ferè utrum ille nobis læta, an verò tristia nuntiet, dum ait; *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c.* Lætum videtur nuntium; quid enim optatius, quàm induere corpus immortale? Triste verò videtur, quia sine magnis cruciatibus fieri vix poterit, ut corpus mortale & peccatis subditum exuat mortalem pellem, induatque immortalem. Unde 1. Cor. 3. ait: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Patiendum igitur est, si vetustam pellem cum novâ, si mortalem cum immortali volumus permutare. Huic verò mutationi non alia officina est, quàm purgatorium. Hoc balneum, hæc tonstrina est, ubi acutis unguibus sordidæ fricantur animæ, ubi longiores capilli mordaci tondentur forfice. Nihil hic ridendum: omnia seria & tremenda sunt, uti nunc audiemus.

B. I. *Pœna damni.*

Primò Acerbissima est pœna purgatorii, ob pœnam damni quamvis temporalem tantum; impediuntur enim animæ & retardantur à DEI visione & summi boni consecutione, quò postquam à corporibus solutæ sunt, toto impetu feruntur. Et hanc pœnam existimat S. Thomas in 4. sent. d. 30. q. 1. art. 2. esse maximam. Cum enim ob culpas suas retardentur & prohibeantur à conspectu Dei, vehementissimè anguntur. Cum famelicus canis Venaticus videt deprope currentem leporem, & cùm jam apprehensurus illum esset, retinetur & impeditur, quàm vehementer dolet? Non ita in hoc ergastulo ferimur in Deum, tum quia per sensuum ministerium obscurè intelligimus omnia, præsertim verò DEUM: tum quia deliniti corporalibus oblectationibus, in his occupamur, nec de spiritualibus adeò soliciti sumus, atque ita quasi à longè & incertò leporem gloriæ intuemur. Unde & parum movemur. Deinde sumus sicut canis in culinâ nutritus, qui venationem parum curat. Neutrum impedimentum habent animæ, quo minus exactè apprehendant Deum & hæreditatem suam. Atque hinc ad summum bonum maximo feruntur impetu: atque cum in ipso cursu à præda retardantur, vehementissimè angustiantur. Quòd si sancti viri adhuc in corpore existentes cupiebant dissolvi & esse cum Christo, sicut Apostolus Paulus; & David, cum dixit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,* Psal. 41. Et rursum: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ.* Et iterum: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* quid facient à corpore soluti? Quòd si objicias, sanctos Patres in limbo Deum non vidisse usque ad resurrectionem Christi, & tamen nulla damni pœna propterea cruciatos esse; Respondeo, Patres in limbo cruciatos non esse, quamvis DEUM non viderent, quia sciebant non differri se culpa sua à visione DEI, sed quia tempus illius magni boni nondum advenerat. At qui post cœlum reseratum damnantur ad purgatorium, optimè noverunt sibi jam patere cœlum, & solum se impediri ob proprium reatum, & indè sibi vehementer irascuntur & torquentur, quòd ipsi sibi causa sint dilationis tanti boni. Sicut cum famelicus audit pulsari campanam ad mensam, & interim se ipsemet forte inclusit in aliquo loco, unde egredi nequeat. Nondum datus erat pulsus ad cœleste convivium ante resurrectionem Christi: ideò Patres limbi sine molestia expectabant. Sed cùm resurrexit Dominus, terra mota est, & denun-

denuntiavit tunc incipere cœleste convivium, ideoque missi statim in orbem discipuli, qui invitatos vocarent ad nuptias, dicerentque quia parata sunt omnia, tauri & altilia occisa. Similiter qui venit ante initium Comœdiæ, & aliquandiu expectare debet, nihil inde angitur: sed qui sua culpa tardius venit, & magnam partem negligit, ille sibi irascitur. Nondum erat exhibitum pretium redemptionis, dum in limbo essent Patres, ideò gloria cœlestis nondum erat illis debita. Quatuor ergò sunt, quæ hanc pœnam acuunt. Primum, quòd videant se tanto privari bono, & quidem eo tempore, quo illo fruendum erat. Veluti si quis adoptatus à Rege ejiceretur in exilium aliquot annorum, quando regni possessio jam jam accipienda erat. Secundum, quòd videant id fieri ob suam culpam. Tertium, quòd neglexerint suo tempore pro illa culpa satisfacere, cum facillimè possent. Quartum quòd ingentes cœlestium bonorum thesauros & gradus sua culpa neglexerint.

B. I. *Pœna damni.*

C. *Pœna sensus.*

Secundò ob pœnam sensûs, quæ est ignis, ut apparet ex 1. Corinth. 8. & SS. Patribus. Ille verò acerbissimus erit: Sic enim S. Augustinus in explicatione Psalm. 37. ait: *Quia dicitur, salvus erit* (1.Cor.8. scilicet) *contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vitâ.* Et S. Gregorius in eundem Psalmum inquit: *Illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem.* In eundem Psalm. Venerab. Beda docet pœnam illam graviorem esse; quàm quidquid passi sunt Latrones, vel SS. Martyres. Et S. Hilarius Arelaten. Episcopus anno circiter 506. scripsit: *Intolerabilior ignis erit purgatorius, omnibus, quæ in hac vita conspici vel concipi possint, tormentis.* Idem habent Venerabilis Beda, S. Anselmus, S. Bernardus & alii. Ratio est Primò quia idem specie erit cum infernali. Idem enim ignis purificat aurum, & paleas comburit, ait S. Augustinus. Secundo, quia agit per potentiam obedientialem. Elevatur enim à Deo ut instrumentum justitiæ divinæ: non nutritur ligno aut oleo. Qui nescit gladium in manu gigantis fortius ferire, quàm in manu pueri aut debilis? quid ergò faciet ignis in manu DEI? Experti sunt hoc Judæi, cum flagello facto de funiculis ejecti sunt à Christo de templo, Joan. 2. Experti Philistæi, cum eorum mille occidit Samson sola asini mandibula, Jud. 15. Communicat enim gigas instrumento vires suas. Quò facit id, quod scribit Barletius de Georgio Castrioto, dicto Scanderbeg lib. 1. de vita ejus & rebus gestis: cap. 82. Hujus enim gladinm, quo in præliis uteretur, Mahometes Turcarum Imperator hostisq; acerrimus videre cupivit, & data cautione missum sibi accepit; sed nemo tanti roboris in aula Turcica repertus fuit, qui eo commodè & peritè uti posset, ita ut Mahometes remisso eo veluti supposititio gladio se hostili animo & arte delusum esse renuntiare viserit. Cui Scanderbegius rescripsit se bona fide & absque fuco dolove malo misisse acinacem suum, quo in præliis uteretur; Verùm manum & brachium suum, quo medios Turcas proscindere, transversos dividere & deartuare soleret, non misisse. Sic mittit nobis nunc Deus plagas, sed non manum suam, &c. Et propterea S. Job. orabat: *Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar: Manum tuam longè fac à meo, & formido tua non me terreat*, c. 13. Tertio qui affligit immediatè animam, quæ est principium & fons sensibilitatis. Eandem verberationem acrius sentit nobilis quispiam tenellus, quàm Rusticus operosus: oculus quàm pes; sic existimare in proposito licet.

Exemplum refert Petrus Damiani libello de miraculis ad desiderium. Colomensis enim Clericus fluminis vadum trajiciens, obvium habuit B. Severinum Episcopum jam defunctum. Admirans igitur tam sanctum virum ibi demersum, ab eo petiit, quid ibi ageret? Respondit verò Severinus: *Da mihi manum tuam & quæ circa me, non auditu disces, sed tactu*; cumque datam manum fluctibus impressisset: tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Petiitque Clericus, qua ex culpa tot tormentis affligeretur: responsumque habuit: Non alia, nisi quòd Canonicarum horarum quotidianum pensum aulæ curis distractus, manè simul, non per intervalla recitaverit; Sed si Sacrificia pro se obtulerit; inde se evasurum sperare. Ubi tamen Baronius anno 1062. censet pro Severino legendum Peregrinum, qui fuit Archiepiscopus Coloniensis.

D. III. *Durationis incertitudo.*

Tertiò ob durationis incertitudinem ut putant aliqui, & ut plurimum, prolongationem. Quando æger affixus lecto jacet noctu in magnis doloribus & nescit horam noctis; Similiter quando cum desiderio expectat medicum, & nescit utrum & quando venturus sit, vehementer angitur. Sic angebatur Absolon, quòd ob delictum suum arceret eum pater à conspectu suo: quia dixerat David: *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Quocircà cùm jam duobus annis faciem patris non vidisset, misit ad Joab rogans, ut sibi impetraret apud patrem liceret sibi prodire in conspectum ejus; Cumque Joab venire nollet, misit Absolon famulos in segetem ejus, ut succenderent illam, & sic venire eum cogerent. Cui tandem venienti dixit: *Obsecro ut videam faciem Regis quòd si memor est iniquitatis meæ, interficiat me*, 2. Reg. 14. Multò majus desiderium videndi Deum habet anima justi postquam à corpore soluta est, quia exactè cognoscit & apprehendit summum bonum tanquam sibi convenientissimum & debitum. Quid ergò sentient animæ, cum à conspectu desideratissimi Patris se extorres vident, & nesciunt quamdiu? quid mirum, si quandoque ex permissione DEI ad nos veniant & tumultus excitent?

O quàm sæpè illi quærent ex angelis custodibus: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* quæ hora liberationis meæ? quantum adhuc restat? Non videmus quàm impatientes sint infirmi? modò queruntur de medicis, modò de famuli absentia, modò de hujus, modò de alterius amici. Eccur hic non venit? inquiunt: Ubi ille tam diu moratur? Sic creditote mihi, queruntur animæ purgantes de amicorum tarditate in auxilio porrigendo.

Auget verò hanc doloris causam, quòd communiter diutiùs durant pœnæ purgatorii, quàm pœnæ hujus mundi. Ratio est, quia tam multas contrahimus in vita sordes, ac proinde longa indigent purgatione & lotione. Quis nescit caminorum purgatores, quia omnes caminos perrepunt, difficillimè & vix lavari? Et unde, nisi quia nigredo plurima adhæret eorum cuti? jam verò nos quàm multa quotidie nigredine obducimus animas nostras? Omnibus negotiis nos ingerimus, etiam ad nos nihil pertinentibus, omnes ludos, omnes tabernas, omnia fora, omnia conventicula, omnia dedicationum festa percurrimus, & per hoc multas sordes induimus.

Certè Thomas Cantiprat. scribit in vita B. Ludgardis Virginis Innocentium III. Papam ipsi apparuisse ingenti flammâ cinctum, & dixisse se pœnas purgatorii atrocissimis usq; ad diem Judicii addictum esse. Qui tamen laudabilis pontifex & in oculis hominum non probus & prudens solum, sed etiam sanctus & imitatione dignissimus habebatur. Et sanè Ecclesia ex vetustissima consuetudine celebrat anniversarios defunctorum perpetuos; Unde colligitur quasdam animas diutissimè purgari.

Jam si quis certus esset se dentium aut calculi dolore continuos 20. annos sine ulla intermissione laboraturum, sic ut neque somnum capere, neque requiescere posset, mallet ille mori potiùs, quam sic vivere: & si optio daretur, an vellet sic tot annos vivere, an jacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo omnes fortunas abjiceret, ut à tam immani dolore liberaretur.

Experire quid sit vel per horam uri; tene digitum super lumen vel ad medium quadrantem. Omnium pœnarum gravissimam experimur ignem. Verum in hac vita non potest esse diuturna, at verò in altera vita potest, & quidem sempiterna esse. Cogita quid esset spectare in foro reos per horam cremari vivos? quid per diem? annum? sæculum?

E. IV. *Ligatio & impotentia.*

Quartò. Ob ligationem & quodammodò paralysin, qua nec se nec alios juvare possunt, sed vel expectare tantum ab hominibus auxilium debent, vel solvere novissimum quadrantem. Hic in terris vix quisquam est tam miser, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos invocando, vel appellando ad aliud judicium, vel misericordiam judicis implorando aliave ratione se à cruciatibus saltem ex parte liberare. At in purgatorio nihil omninò possunt animæ, nisi patienter tolerare.

Magna miseria est paralysis, quæ hominem eidem affigit loco, & sibi suppetias ferre non finit: non adimit tamen illi vocem aliaque media, quibus opem sibi procurare potest. Sed pœna purgatorii omnimoda est paralysis: nec enim nisi ex speciali gratiâ hominum opem implorare permittitur à DEO.

Quare si centurio ille pro puero suo paralytico, ipsemet se in pedes dedit & ad Christum ivit, quia paralyticus ire non poterat, dicens: *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur:* Multò magis id nos facere debemus, pro animabus fratrum & propinquorum nostrorum: adire videlicet Deum per orationem & bona opera, & salutem eis postulare.

Quintò. Quia non ex electione, sed ex coactione divinæ justitiæ pœnam illam subeunt. Libenter quidem acceptant illam, & æquo animo ferunt, atque ita ex necessitate virtutem faciunt, non tamen ipsi sibi pœnam eligunt, sed à Judice irrogatam ob culpas suas subeunt, id quod meâ sententiâ non parum affligit animas, cùm vident se pati ut reos. Passi sunt SS. Martyres, sed innocenter, & multi ad supplicia non raptati fuêre, sed ultro accurrere; idcircò non modo sine confusione, sed etiam cum gloria patiebantur.

Aliter patiuntur Rei; licet enim pœnitentes & lubentes patiantur suaque satisfactione Justitiam resarciant, quam peccando violarant, non tamen sine confusione patiuntur: quia ut rei ob culpas suas. Ideoque 1. Pet. 4. dicit sanctus Petrus: *Nemo vestrum patiatur, quasi homicida, aut fur aut maledicus.* Hinc ergo bonæ illæ animæ multum confundentur, præsertim si per manus diaboli, veluti carnificis castigentur, quod aliqui existimant. Cùm enim tunc Deum ardentissimè diligant, quomodo non acerrimè dolebunt, quod à Patre sui amantissimo, tanquam prævaricatores tractari verberibus debeant? Quantum enim affligeretur filius principis, si ob aliquod delictum suum à proprio parente plecti deberet?

Quo ex discursu duo colligamus. Primum, quanta charitate, diligentia & celeritate animabus illis succurrere debeamus. Secundum, quantum nobis cavere debeamus à purgatorio.

G. *Purgatorium cavendum.*

Cùm enim hic levi pœnitentia eluere possimus reatus nostros, quæ insania est, differre illos ad tam dirum balneum? Dic enim mihi, quæso: num tu malles intrare fornacem an aquam? pœnitentia hic aqua est, Zach. 12. *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris.* Purgatorium autem ignis est, de quo Malach. 3. *Sedebit Dominus quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.*

Quare

Quare sicuti Naaman merito reprehendebatur à famulis suis, quòd à Lepræ suæ curatione detrectaret descendere in Jordanem & septies lavare, quod præscripserat illi Elisæus, 4. Reg. 4. Sic meritò reprehendendi sunt, & seipsos aliquando reprehendent, qui hic detrectant septem Sacramentorum balneum levissimum. Sic enim rem grandem præcepisset nobis Deus, facere deberemus: quanto magis tam facilem? Attendere deberent ad eos qui purgatorium aliquando viderunt, & ad vitam redierunt, quid posteà fecerint. Unus apud Climachum se inclusit per annos 12. & nihil ampliùs locutus est.

Alii non riserunt amplius. Alii rigidum vivendi genus assumpserunt. S. Christina (ut refert Thomas Cantiprat. in ejus vita, & Jacobus & Vitriaco Cardinalis in præfatione Vitæ B. Mariæ de Oegenis fide dignissimi scriptores) post obitum ad purgatorium deducta: posteà ad corpus reducta, pro liberandis animabus, quas viderat purgantes, mirabilia fecit: Ingrediebatur in ardentes clibanos, ubi horrendè cruciabatur, sine læsione tamen exibat. Sub aquæ Mosæ fluminis tempore hyberno crebrò & diu morabatur, sex & amplius diebus in eo perdurans: Interdum in aquis orans simul cum illis ferebatur in rota molendini, atque ita horrendum in modum circum acta cum ipsa rota membris omnibus mansit incolumis: quandoque mediis noctibus totius opidi Trudonensis canes in se concitans ante illos ipsam inspectantes instar ferę cujusdam cursitabat, sicque per vepres & dumeta ab illis agitata lacerabatur: sed nulla Vulnerum vestigia cernebantur, &c.

CONCIO IV.

GAUDIA SEU SOLATIA ANIMArum purgatorii.

I. Sunt in statu gratiæ.
II. Sunt certi de salute.
III. Sunt innocentes.
IV. Sunt æquanimes & patientes.
V. Habent consortium Bonorum & solatia Angelorum.

THEMA.

Deo Gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, 1. Cor. 15.

A.

CUm populus Hebræus rediisset è Captivitate Babylonica in patriam, jamque fundamenta templi jecisset, cœpit magnis vocibus partim lætis, partim tristibus, jubilo & fletu exclamare & laudare Deum: *Quoniam Bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno & vox audiebatur procul, uti legimus, 1. Esdr. 3. Ipsum hoc Auditores, contingere videtur in animabus purgatorii, quæ de hujus Vitæ exilio ad cœlestem patriam digressæ templum cœlestis gloriæ, tametsi nondum perfecerunt, fundarunt tamen & possident certa spe, tametsi nondum re. Hæ igitur in purgatorio vocem partim jubilantium, partim flentium commixtim inter sese extollunt. Flentium quidem, quia in pœnis sunt; jubilantium verò, quia aliquot solatiis omne terrenum gaudium excedentibus perfunduntur. Sanè vocem jubilantium videtur sibi Ecclesia auribus percipere, quando in hodierna Epistola vocem Sancti Pauli animabus illis tribuere videtur: *Deo autem gratias qui dedit nobis Victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Sed quæ gaudia, dicetis, quæ solatia in purgatorio? Audiamus.

B. I. *Sunt in statu gratiæ.*

Primò. Gratulantur sibi, quòd jam sint in statu gratiæ, & meritò sane, quantum enim bonum est cœlestis gloriæ arrham habere? Hunc certe statum David gaudium vocat & lætitiam Psalm 50. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabũt ossa humiliata.* Gaudium inquam, veluti testem aliquem & indicem internæ gratiæ. Quam igitur putatis, exultabunt fidelium animæ, dum considerant, certò se esse in gratia DEI? Sed unde, dicetis, hoc intelligunt? Certe non solum ex Judicio peracto, non solum ex loco, quo consistunt, non solũ ex remorsu, quem nullum habent, non solum ex dilectione, quâ erga Deum feruntur; sed etiam ex splendore cœlestis gratiæ, quem in seipsis intuentur; Siquidem *gratia* (juxta Mag. sententiarum in 3. q. 79.) *est candor lucis æternæ, animam pulchram reddit; intellectum Deificat & voluntatem inflammat.* Quemadmodum ergò radius solaris in speculo imprimit pulcherrimum solis simulachrum: ita gratia Dei in homine divinam quandam similitudinem.

Quod si igitur Beata Catharina Senensis ex inspectione animæ in gratia constitutæ adeò delectata est, uti Confessario suo dicere non dubitarit: *O pater si tibi concessum esset intueri animam hominis in gratia Dei constitutam: propter amorem ac salutem animæ tuæ in prædam te dares cuicunq; tribulationi, tormentis & cruciatibus quibuscunque, & pati non unam duntaxat, sed mille mortes eligeres;* quomodo non maximoperè gaudebunt illæ animæ, cum in se ejusmodi splendorem videbunt.

C. II. *Sunt certi de Salute.*

Secundò Deo gratias agunt, de dono perseverantiæ: Et hoc quanto excellentius sit priore illo facilè patet. Cadere enim de gratia quis potest, de perseverantia non potest. Hoc advertens David 50. Psalmo, inquit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui: & Spiritu principali confirma me;* quasi diceret:

ceret : non adeò mihi profuit fuisse in gratia, quam per adulterium perdidi : Obsecro igitur Domine, redde mihi priorem illam lætitiam, sed ita ut amplius à facie tua non projiciar; quin imo ut in gratia confirmet Spiritu principali, &(ut alia litera habet) *potenti*. Et dubium non est exauditum esse Davidem. Communis enim sententia habet, eum post adulterium & homicidium lethaliter ultra non deliquisse. Probatur ex Psalm. 114. *Convertere anima mea in requiem tuam, quia eripuit pedes meos à lapsu.* Hæc enim vera requies, vera lætitia, amplius labi non posse.

Omnes nos instabiles sumus; & si sciremus nos gratia Dei præditos, nesciremus permansuros. Unde Paulus, 1. Cor. 10, ait: *Qui stat, videat ne cadat*, Onerant agricolæ currum tritico aut fœno & mox furculas currui admovent, currumque, ne in profluentem aut paludem corruat, quousque domum perveniant, sustentant. Pari modo nos licet DEI gratia repleti & quodammodo onusti simus, labi tamen & currum animæ nostræ evertere possumus. Idcircò semper in timore esse omnemque adhibere operam debemus, ne gratia nobis excidat. Non ita purgantes animæ, quæ currum illum suum salvum jam & incolumem ad terminum vexere, ut deinceps gratia nequeant excidere. Dicite jam, quantum putatis ipsarum gaudium? De S. Francisco scribit S. Bonav. in vita ejus, quòd cum audisset ex revelatione prædestinatum sese, confirmatumque in gratia, tanta fuerit occupatus lætitia, uti per integros octo dies neq; cibi meminisset, neque etiam sacrarum precum quin potius usque & usque toto pectore exultarit, id solum effatus: *Laudetur Dominus.* Non est dubium, Charissimi, hoc idem evenire fidelibus, qui in gratia sunt defuncti cùm certò intelligant sese licet alligatos purgatorio, de gloria tamen securos.

D. III. *Sunt Innocentes.*

Tertio. Gratulantur sibi ac Deo gratias agunt, de dono Innocentiæ. Docet enim *S.* Thomas q. 7. de peccato veniali, quòd quamprimum alicui animæ post mortem revelatum fuerit, eam esse in Dei gratia, actum Charitatis tam intensum eliciat: qui omnem penitus expellat culpam venialem, idque non per modum meriti, sed per modum incompossibilitatis; quemadmodum is qui in Camera magnum aliquem excitaret ignem, frigus expelleret, licet, in hunc finem ignem non accenderit. Hoc etiam donum postulabat David, cum dixit suprad. 50. Palm. *Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innova in visceribus meus* Perdiderat nimirum David cor suum, cùm illud Bethsabeæ impenderat; noluit igitur restitui sib cor suum, utpote immundum & distortum; sed creari cor novum, quod nihil haberet de prioris pravitate.

Vix ita purgatur vasculum, quin sordes aliquot retineat, & si penitus etiam immundetur, servabit tamen odorem testa diu, quo prius erat imbuta. Neq; nobis dum hic degimus, possibile est ut omni prorsus careamus peccato omnemque exuamus odorem rerum caducarum. *Quis* enim *potest dicere?* [ait S. Job. cap. 33.] *mundum est cor meum & mundus sum à peccato?* Et S. Joannes in epistola sua. Can. cap. 1. *Nonne*, ait, *qui dixerit se peccatum non habere mendax est?* Omnes igitur nos in hac vita distortum & ad temporalia quædam saltem inclinatum gerimus Spiritum; & quot ejusmodi affectus, tot in nobis venialia peccata, & sordes animæ.

Cùm ergò animæ illæ sciant se ab omni labe puras adeoque quoad hoc angelis, similes esse, fieri non potest, ut ejusmodi cognitionem non sequatur magna delectatio.

E. IV. *Sunt æquanimes & patientes.*

Sane Lud. Blosius in Monili Spir. cap. 13. scribit: *Mavult anima in purgatorio perferre pœnas cum certitudine perveniendi ad Deum, quam adhuc esse in hac vita cum periculo peccandi in Deum.*

Quartò. Gratulantur sibi, quòd pœnas sibi debitas æquissimo ferant animo, utpote a cœlesti Patre & medico velut medicinam sibi præparatas. Quanquam enim ignis purgatorii, ignis est, & infernali illi, (juxta Doctorum sententiam) in vigore nihil cedit, aliis tamen de causis longè tolerabilior est. Nam ignis inferni æternus est; ignis purgatorii temporalis. Ignis inferni tenebricosus est; ignis purgatorii lucidus. Ignis inferni devorat, & indurat; Ignis purgatorii excoquit & maturat. Ignis inferni res fortes debilitat, pulchras defœdat. Ignis purgatorii fortiores reddit & pulchriores. Deo igitur gratias, qui dedit talem ignem, qui non devorat sed purgat. Velut enim lucri cupidus mercator cùm navi merces, rehit, jactatur fluctibus, pulsatur turbine, contabescit nausea, rigenteque stomacho ipsa penè viscera evomit, & tamen unius intuitu lucri omnia fert æquo pectore : Sic se habent qui purgatorio igne examinantur : pœnas enim illas à Deo sibi impositas æquissimo ferunt animo. Ethnicus ille Cicero scripsit Epist. ad Messinium famil. 5. præter culpam & peccatum homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. De Spartanis pueris memoria proditum est, verberibus eos ad aras sic accipi solitos, ut multis è visceribus sanguis efflueret, nonnunquam etiam ad necem: quorum non modo nemo exclamabat, sed ne ingemiscebat quidem. Sunamitis 4. Reg 4. interrogata ab Elisæo : *Rectène agitur circa te & filium tuum*: *Rectè*, inquit, cum tamen paulò ante mortuum sciret filium. Quid igitur, si hoc pueri & fœminæ? nonne fortiores & sapientiores istis animæ purgatorii? Dominus per Esaiam viro justo in tribulatione constituto ejusmodi literas mittit. *Dicite justo: quoniam bene*, Isai. 3. Sed obsecro Domine, quomodo bene habeat, qui tribulatur? *Dicite justo; quoniam bene.* Solent principes viri sibi mutuò per numeros seu ciffras scribere, quas nemo nisi ipsi intelligant. Et ita credendum, agere cum suis Deum, per ciffras tribulationum scilicet, quas ipsi soli intelligant. Justæ sunt purgatorii animæ

animæ, & simul in afflictione magna sunt. Quid igitur istis? *Dicite justo:* Quoniam benè etiam in mediis flammis. Agnoscunt enim animæ illæ perspicaciter afflictionem suam à Deo provenire, & hunc longè magis, quam seipsas diligunt; igitur afflictionem illam, prout à Deo est, magis etiam amant quàm amarent impunitatem contra Deum. Qua in re similes mihi videntur aviculæ illi Trochylo, quæ cum veru assanda infigitur, semetipsam ad ignem gyrat, torretque, teste oculato Alberto Magn. libro 23. de animal. Ejusmodi aviculę sunt fidelium animæ, Dei enim justitiam intimè cernunt, atque adeò ad ignem, cui affiguntur, se ipsas quodammodo torrent. Sic religiosa quædam visa à S. Gertrude, lubenti animo perferre pœnam purgatorii, quia ita divinæ justitiæ congruebat, ut scribit Ludovicus Blosius in Monili spir. cap. 13. Sed hinc fortasse videbor alicui extenuare purgatorii pœnas, quas nemo non supra modum horribiles prædicat: Si enim optandum erit, non timendum purgatorium. Sed advertendum, dilectissimi, gaudium hoc purgantium, non excludere cruciatum. Quanquam enim magnum erit ex una parte gaudium, altera maximum erit tormentum. Intuemini Christum in cruce pendentem: Nonne cernitis ibi angustias mortis, tormentorum cumulum, vulneratum corpus pendensque durissimis clavis, perfossas manus pedesque sitim, lassitudinem, compassionem cum dilectis, tolerantiam contumeliarum? Et tamen eo in ipso tempore Christi anima, utpote à primo creationis suæ instanti beata, Deum vidit, de visione illa suaq; beatitudine summoperè gavisa est. Nonnè in SS. Martyribus sæpius evenit, ut in flammis & cruciatibus cantarent, jubilarent? possunt ergò simul stare dolor & gaudium. Sed ut S. Bonaventura testatur, non erit in purgatorio tanta lætitia, quanta erit tristitia, stultè igitur ageret, qui dum vivit appeteret purgatorium: quemadmodum is omnino stultesceret, qui corpus suum ferreis undequaque sagittis configi optaret, uti post de excisione gaudere posset. Quocirca si gaudium quærimus, illud quæramus, quod cruciatum non habet: quod modum non habet, & cœleste est. *Nescit, quid petat,* inquit Augustinus, *qui purgatorium petit.*

F. V. *Habent consortiũ bonorum & solatia Angelorũ*

Quinto. Ad extremum non modicam affert lætitiã amica conversatio, quam nemo jure abstulerit è purgatorio.

Inprimis enim quis dubitet universas illas animas mutuæ chritatis vinculo arctissimè inter sese devinctas, alteram ab altera consolationem accipere? Dicit enim sanctus Augustinus 13. q. 2. cap. fatendum, posteriorum animas narrare prioribus facta pro eis suffragia. Habent etiam ipsæ suam gaudiorum participationem, cùm sese mutuò arctius diligant, quam ulli in vita, utpote certæ de æterna hæreditate.

Et si nunc sciremus, quibuscum in beatitudine acturi essemus, non dubito, quin unicè eos diligeremus. Sciunt autem illi cohęredes se futuros Christi, unaque in beata æternitate permansuros. Non est inter nos tantus mutuæ charitatis affectus quia nescimus Electos à Reprobis, synceros amicos à falsis discernere: Et sæpe hostes sunt, quos amicos putamus. Unde conqueritur Job cap. 30. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, id est, tam eorum qui aperti, quàm qui subdoli erant inimici. Accedit deinde SS. Angelorum visitatio, quamquis neget animabus illis, cum viventibus nunquam desint? Indicat enim hos suprad. Can. S. Aug. nuntiare purgantibus fausta nuntia suffragia pro eis facta. Mitigant ergò inprimis suavissimo suo alloquio aspectuque afflictorum pœnas, quid enim vel alloquio eorum suavius, vel aspectu jucundius: Nuntiant deinde facta pro eis suffragia. Postremo solantur de brevi liberatione. Exemplum legitur in libro Apum ejusmodi; Quod quidam defunctus à Sancto aliquo resuscitatus referebat se vidisse animam in purgatorio sibi prius notam, quæ etsi maximo cruciabatur igne, subito exultabunda exclamavit. *Eja misericordissime Deus gratias tibi, quod non in finem oblitus es mei.* Quæsita ab ejus consorte, undenam adeo exultaret, respondit revelatum sibi quod eo die natus esset puer de stirpe sua, qui cum aliquando Sacerdos factus, primum Deo oblaturus esset sacrificium, sese illius beneficio liberandam. O afflicta spes? O triste gaudium? Ad minimum 24. annos expectare debuit; Et tamen exultabat & Deo gratias agebat. Videtis igitur id quod hactenus demonstravimus, non inaniter exclamare fidelium animas: *Deo gratias, qui dedit nobis, victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Sed unde vobis. O fideles, tanta gaudiorum materies: respondebunt illæ cum Paulo: *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Unde vobis, ut devicta morte in gratia Dei persistatis; *per Iesum Christum Dominum nostrum.* Unde vobis, ut prostrato humani generis hoste, labi imposterum nesciatis? *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Unde vobis, ut debellato peccato, innocentiæ vexillum erigatis; *Per Iesum Christum Dominum nostrum.* Unde vobis, ut in summis tormentis, devicto inferno summam geratis æquanimitatem? *Per Jesum Christum Dominum nostrum.* Unde vobis mundi victoria, Angelorum & bonorum societas: *Per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Non est igitur ut taceatis, O animæ, vel in mediis flammis, de tanto victore, Duce vestro. Confidite ergò & estote viri robusti, quia qui dedit vobis tot victorias, dabit aliquando & illam, qua educti de carcere cum ipso etiam triumphetis. Pauci enim adhuc dies sunt, post quos recordabitur Dominus ministerii vestri & restituet vos supernæ felicitati.

Hoc enim nos uno ore votis omnibus precamur vobis. Tantum mementote nostri cùm bene vobis fuerit, & facietis quæso nobiscum misericordiam, ut suggeratis Domino, ut nos aliquando educat de carcere illo ad cœlestis triumphi immarcessibilem gloriam, Amen.

CONCIO V.

INCITAMENTUM AD SUCCURrendum animabus purgatorii.

I. Extrema earum indigentia.
II. Maximum earum commodum.
III. Fructus proprius.
IV. Facilitas subsidii.
V. Æquitas ipsa.
VI. Monitores multi. 1. Animæ. 2. Tumui. 3. Campanæ.

THEMA.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis salventur, 2. Mach. 12.

A. QUemadmodum *sancte & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare*, testante sacro Machab. libro: ita vicissim impia & noxia cogitatio est, pro illis nolle orare, eisque nolle succurrere. Hoc enim qui cogitant, non sunt meliores divite Epulone, qui victitabat splendidè nulla habita ratione Lazari prę foribus jacentis, & ne micas quidem mensæ obtinentis, Luc. 16. patiuntur enim animas illas præ foribus Ecclesiæ in purgatorio jacere, & miserè affictari; non sunt meliores fratribus Josephi, qui illo in Cisternam detruso sedentes comedebant nulla habita cura vel condolentia cum fratre Genes. 37. projiciunt enim fratrem, sororem, parentem, amicam, &c. in foveam sepulchri, & abeunt domum, epulantur & dividunt hæreditatem, anima defuncti susque deque habita. Non sunt meliores Pincerna Pharaonis, qui ejusdem Joseph concaptivi sui mox oblitus est cùm bene haberetur, & in aulæ deliciis versaretur, Genesis 40. Cujusmodi hominibus *væ* dicit Amos cap. 6. qui scilicet bibentes vinum in phialis & optimo unguento delibuti nihil patiuntur, super contritione Joseph. Hoc igitur væ Auditores ne in nos derivetur, laborandum nobis est, ut pro viribus nostris succurramus illis animabus, ad quod multa nos incitant.

B. I. *Extrema earum indigentia.* Primò. Extrema earum necessitas, miseria & indigentia; cùm enim in summa calamitate sint, seipsas tamen juvare nequeũt. Jam vero quis nescit libentiùs & justus succurri pauperibus illis, qui victum sibi parare nequeunt, quàm iis, qui possunt; Atqui animę illę in termino sunt & merere amplius nequeunt, implorare vivorum opem rarisimè, & non nisi ex speciali privilegio permittuntur. Ciconiæ, ut scribit sanctus Basilius in Hexamero homil. 8. comparem præ senio pennarum defluvio laborantem circumstantes propriis pennis confovent, & alimentum abundè suppeditantes etiam volandi auxilium, quantum possunt præbent utrimque alia leniter avellantes. Ciconię ejusmodi deplumes sunt animæ purgatorii, quæ propriis meritorum pennis destitutæ volare ad cœlum, quo maximè contendunt, nequeunt: decet igitur uti & nos operibus nostris illas adjuvemus, & evehamus: idque jure majori quam vivos, qui suis adhuc pennis constant & modo velint, volare ad cœlum possunt. Cujus rei figuram insinuasse mihi videtur Deus Daniel. 14. quando misit Angelum, qui diceret Habacuc Prophetæ ut prandium, quod paraverat & ferebat messoribus suis, ferret Danieli jacenti in lacu Leonum [quem & apprehendit capillo suo & duxit ad lacum illum] quasi diceret, Multo egentior est Daniel; quia messores tui sibi ipsis parare victum possunt; fer egentiori, qui juvare seipsum nequit. Vivi messores sunt: Sed animæ defunctorum, in lacu leonum sunt, termino medio inter maturinum & verspertinum, id est, hanc vitam inter & alteram, inde prandio indigent piorum operum, quæ nos illis paremus, multo magis quam vivi.

Exemplum legitur in vita sancti Dominici apud Surium mense Augusto, de quodam fratre ejusdem ordinis, Bertrando nomine, qui ferè pro vivis tantum, raro pro defunctis celebrare solebat: dicebat enim animas purgantes de salute certas esse, non item viventes. Cui resistens alius quidam frater Benedictus quæsivit ex eo: cuinam mendico opitulari mallet, sanone & qui integris est membris, an illi, qui iis destitutus est? utique debili, inquit alter; & iste: *Debiles sunt defuncti, qui se ipsos juvare nequeunt.* Sed cum necdum à sententia divelli posset Bertrandus, nocte quadam à defunctorum uno vexatus & fasce lignorum dire compressus est: à quo tempore didicit sæpius pro defunctis sacrificare.

C. II. *Maximũ earum commodum.* Secundo. Maximum commodum animarum quod eis afferre possumus. Eas enim primo vel mox prorsus liberare, vel saltem quoad pœnas aliquas relevare, vel quoad tempus citius eripere ex incredibili incendio posimus: Deinde gloriam illis accelerare: quod est, à statu supra modũ misero ad felicissimum transferre. Quod beneficium majus existimat non immerito Card. Bellarmin. in Conc. de morte, quam si alicui pauperi viventi omnes tuas facultates largireris, vel aliquem ab incendio vel naufragio extraheros.

Quæso

Quæso enim te, si tu à Turcis captus çarceri mancipatus esses: ad decem usque annos, & si quis te redimeret ut primo anno dimittereris: an non maximum tibi præstaret beneficium? Similiter si nosses, manere te grandem hæreditatem vel regnum, sed diu ob lites verbi gratia expectandum, si quis advocatus vel egregius miles sua virtute decem annis citius eam tibi acquireret? Hoc tu facere utrumqne potes animabus illis. Ejusmodi beneficium contulit Abraham Regi Sodomorum, dum eum ejusque populum de captivitate hostium eripuit: quod beneficium tanta agnovit gratitudine tantique fecit Rex Sodomorum, ut obtulerit Abrahamo omnes redemptorum opes, sibi solas eorum animas retinere cupiens, Gen. 14.

D. III. *Fructus proprius.*

Tertio, Fructus proprius. Non enim dubium quin animæ per te liberatæ tibi quoque succursuræ sint, cum simili ope egebis. Faciunt hoc bestiæ, cur non beatæ animæ? De Elephantibus scribit Ælianus, si quando profundam fossam transire volunt, eorum unum in illam descendere pontem quodammodo reliquis faciendo: per quem ubi transierunt, eundem postea unanimi conatu extrahunt.

Descendunt quodammodo ad purgatorium & pontem ad cœlum faciunt animabus fidelium qui orationibus, jejuniis & eleemosynis eorum onera in dorsum suum transferunt, & pœnas illorum exsolvunt. Sed non minus suo, quam illarum fructu. Vicissim enim & ab ipsis liberabuntur postea, & è fossa purgatorii precibus earum extrahentur.

Multum refert inter homines, bona an malo viro beneficium conferas: bonus enim memor erit & pro te Deum orabit, ut tibi aurea pro æreis tribuat: non item malus, qui vel non orabit vel non audietur, *Quia peccatores Deus non audit*, inquit cœcus ille Joan. 9. Atqui animę purgatorii omnes justæ sunt tandem beandæ: non igitur dubium, quin possint beneficium sibi exhibitum compensare tibi. Ut vere de illis dici possit, quod Dominus suasit Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos ad æterna tabernacula.*

Habent illi in cœlo jam extructa & præparata sibi tabernacula. Unde possunt te recipere. Nec periculum est, ne instar pincernæ illius Pharaonis succedentibus prosperis, tui obliviscantur; istiusmodi enim oblivio à Beatis exulat, quia ingratitudinem continet. Non ego divino hæc.

Audite sanctum Augustinum qui ser. 44. ad fratres in Eremo ait: *Festinate orare pro defunctis Ecclesiæ, & illi festinent procurare, ut ipsi in gloria conjungamur.*

E. IV. *Facilitas subsidii.*

Quarto, Facilitas laboris, quo eas juvare, & lucri maximi occasio quod acquirere possumus una Missa, oratione, jejunio, Eleemosyna, His enim monetis redimere possumus animas, quas proinde meritò ad mensam purgatorii dare deberemus.

Ibi enim mensa illa est, de qua Dominus Luc. 19. *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* (tibi scilicet non mihi.) Secundum Matthæum dixit: *Quare non dedisti nummulariis*, pauperibus videlicet? quibus pecuniam tuam pro animabus purgatorii dando duplex fœnus accipis, dum & his, & illis opitularis.

Contra verò quæ major pigritia & negligentia, quàm negligere tam bonas Nundinas.

Certè Mauritius Imperator graves dare pœnas debuit; quod aliquot millia Christianorum sibi à Chagano captorum, & ad redemptionem ab eodem oblatorum, si in singula capita singula numismata & minus quid etiam dare voluisset: non redemerit, sed crudeliter (ob hoc ira incenso Chagano) omnes occidi permiserit, ut refert Baronius Anno. 600.

In pœnam enim hujus crudelitatis quinqae ejus filii masculi in conspectu ejus, & postremum ipse à Phoca necatus est, agnoscens meritò se ita puniri & inclamans: *Justus es Domine & rectum judicium tuum*, Idem Anno 602. Similiter exiguo pretio vel labore multas defunctorum animas eripere possemus de igne purgante. Quam occasionem si negligamus, saltem in redimendis nostris amicis & notis haud dubie pœnas dabimus.

Sed multi qui prudentes sibi videntur, ista non credunt: sed imaginariam tantùm putant esse hanc negotiationem; siquidem pecuniæ ipsorum videantur & tangantur & serviant eis ad plurima lucrum verò, quod è spirituali nostra negotiatione promittimus, non cernatur.

Sed nonne etiam agricola messem nondum videt, & tamen semen in agrum jacit? At videtur messis in spe, inquis, licet nondum in re.

Idem ego dico spirituali illa negotiatione: & quidem in hac longe certius. Messis enim impediri per grandinem, & nebulas, destrui per locustas potest.

Similiter etiam qui pecuniam in Cambium defert, intercipi, spoliari, perdere potest. At lucrum illud spirituale certissimum est, quia: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam*, Matth. 10.

F. V. *Æquitas ipsa.*

Quintò, Æquitas ipsa, quia naturæ nostræ, Ecclesiæ, gratiæ participes, commembra & consanguinei multi. Judas non difficilè persuasit fratribus, ut Josephum educerent è lacu dicendo: *Frater enim & caro nostra est*, Gen. 37.

Animalia certe mutò se sublevant & juvant: Elephantes, cum eorum aliquis in foveam cecidit, aggeres devolunt & ramos, teste Plinio libro 8. cap. 8. Similiter & pisces: Scauri enim teste Æliano libro 1. cap. 5.

cap.5. cum eorum unus in nassam inciderit, posteriorem sui partem de nassa protendit; reliqui qui capti non sunt, circumnatantes eum morsu corripiunt, & foras socium pertrahunt: si verò captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis caudam porrigit, & sic captus mordicus apprehendit caudam hujus & foras prodit.

Hoc igitur bestiæ suis comparibus faciant, & homines non faciant? Quid? *Heu cadit Asina*, inquit sanctus Bernardus libro 4. de consideratione ? *& est, qui sublevet eam, perit anima & nemo est qui reputet.*

G. VI. *Monitores multi.*

Sextò. Monitores multi, qui hortantur ut ipsis succurramus.

1. *Animæ.*

Primo enim ipsæmet interdum apparent hominibus & opem flagitant: ac si quando non audiuntur, cum importunitate quadam pulsant & rumores excitant ad instar Absolonis, qui sæpius rogans Joabum ut Patris conspectum sibi impetraret, cum non audiretur, misit famulos suos, qui succenderent segetem ejus, donec coactus venerit & fecerit quod postulabatur, 2. Reg. 14.

2. *Tumuli.*

Secundò monent tumuli, qui ideo monumenta dicta. Veteres in sepulchris defunctorum cor solebant sculpere, teste Forch. de funeribus, ut ita superstites testificarentur mortuos sibi in corde & memoria hærere, seque à vitio oblivionis eorum longè abesse. Monent igitur monumenta, ut defunctorũ memores, quatenus possumus, opem eis feramus.

3. *Campanæ*

Tertio. Monent Campanæ, pro defunctis toties vociferantes & auxilium petentes. Faciunt hoc, quod aliquando Psittacus ille Basilii Macedonis, de quo hæc scribit Zonaras in Basilio & Glycas p. 4. Annal. Leonem filium Basilius Imperator in carcerem contruserat, quod vitæ ejus insidiatus diceretur, statueratquè ei oculos effodere. Interim Psittacus famulum quendam Leonis sortem deplorantem & : *O Leo, O Leo*, ingeminantem forte audierat, eamque vocem sponte sua imitans, similiter identidem; *O Leo, O Leo*, clamabat, dum Imperator & invitati *S*enatores convivium agitarent.

Monitii igitur ea avis voce pro Leone deprecaturi de mensa surrexerunt oppletique lachrymis dixerunt. *Et quid avis ista nos negligentiæ non accusat, qui Domini nostri captivi tamdiu mentionem omiserunt, cum ipse herum suum toties & dolens inclamet? Depone Imperator iram & in gratiam filium recipito.* Sic ira Imperatoris mitigata, Leo in pristinum gradum restitutus est. Ecquid non & Campanæ nos similis negligentiæ arguunt, quæ toties defunctos plangunt.

Instemus igitur bonis operibus apud Deum, ut educat vinctos nostros è Carcere purgatorii. Certè quando Maria soror Moysis separata erat à castris ob lepram suam, populus non est motus, de loco illo, donec revocata est, Num. 12. Decet igitur, ut nos quoque non cessemus juvare animas fidelium, quamdiu eas subsidio indigere existimamus,

---

CONCIO VI.

QUIBUS MODIS ERIPIENDÆ purgatorio Animæ; seu de suffragio defunctorum.

I. Missæ sacrificio.
II. Oratione.
III. Mortificatione.
IV. Elemosyna.

THEMA.

Ecce mysterium vobis dico, 1. Cor. 15.

A.

Demetrius Physicus apud Plin. lib. 8. cap. 17. tradit. Pantheræ cuidam catulos in profundam cecidisse foveam, unde eruere illos nequaquam poterat; quare in publica jacens via hominem aliquem expectabat, qui Catulos extraheret; proximum igitur illic iter facientem leniter ungue præhendit postquam ei circumvolutata & blandita esset mœroremque suum indicasset: & ad foveam adduxit. Quo cum is venisset & catulos exemisset, læta & hilaris cum catulis hominem extra solitudinem deduxit securum, hocque quo potuit modo, gratiam ei retulit. Feram hanc imitari videtur hodie Ecclesia; Cum enim non pauci ejus filii ceciderint in profundam purgatorii foveam, ubi etiamnum jacent & propriis viribus emergere nequeunt, idcircò mater Ecclesia hodie in via publica quodammodo jacens, commune vivorum suffragium implorat, dum diem hodiernum peragit & communia ac publica suffragia instituit: quo lapsis illis succurrant eosque è purgatorio eximant. Hæc est illa Rachel plorans filios suos, quia non sunt, id est, quia in captivitate m scilicet purgatorii ducti sunt. Igitur O fideles quæso homines estote, ne bestiis & Pantheris sitis crudeliores, sequimini Ecclesiam matrem vestram, conamini quantum potestis, ut eruatis fratres & parentes vestros, filios Ecclesiæ. Refert illa vobis cum filiis suis aliquando gratiam, cum simili ope indigebitis: comitabitur vos in his tenebris donec ad lucem perveniatis. Sed qua ratione, dicet aliquis, eripiemus fidelium animas? quibus mediis & machinis? Audite.

Quatuor modis juvari posse animas defunctorum scribit S. Gregorius in Epistola ad Bonifacium Scili-

Scilicet oblationibus Sacerdotum, orationibus piorum, Jejunio & Eleemosyna.

B. I. *Missæ sacrificio.*

Primò, per scalæ subsidium, id est, Missæ sacrificium; hoc enim scala quædam est, per quam ad nos descendit Deus in altare: Cujus gradus sunt merita passionis Christi repræsentata: quæ dum viventibus per hanc oblationem applicantur, cur non etiam suo modo defunctis fidelibus applicari possint? per hoc enim illi sunt suo modo participes panis vitæ, de quo loquitur Evangelium pro defunctis. Tametsi enim non assident huic mensæ, stant tamen ante eam veluti catelli, ut de micis ejus comedant & vitam æternam obtineant. Pulchre hoc declarat S. Ephrem in testamento, qui cum petiisset à suis, memoriam ejus fieri ad altare Domini & oblationem sacrificii, dat hanc similitudinem: *Veluti germen vitis*, inquit, *racemusque acerbus in agro & vinum expressum in doliis est, atque in ædibus. Quando igitur racemus in vite maturuerit, tunc vinum agitabitur ac de se quodammodo natura recedat, quamvis immotum domi videatur. Similiter etiam de capta intelligite. Cum enim in domo fuerit aliqua arida, & aliqua in agro sata: eodem tempore, quo hæc suam viriditatem explicat, etiam domi illa arida germinat.* A. *Si igitur creaturarum fœtus sic inter se consentiunt, quanto magis mortui in viventium commemorationibus & oblationibus recreabuntur?* Hæc Ephrem. Igitur nos sub sacrificio fruimur Deo, & recreamur quodammodo & reflorescimus, vigoreq; meritorum Christi in eo repræsentatorum, nobisque applicatorum vivere incipimus: Cur non hoc ipsum beneficium suo modo participent fideles illi racemi, qui jam collecti & expressi in cella purgatorii, vel ceparum instar retro fornacem colligati hærent? Certè hoc non tam serio petiisset vir tam sanctus, nisi efficax fore intellexisset: neque mater S. Augustini S. Monica, quæ moriens alieno solo, dicebat filio & sociis: *Ponite hoc corpus ubicunque; nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubicunque fueritis.* lib. 9. Confess. S. Aug. c. 11. Cæterum eatenus scalam hanc purgatorio immittimus, quatenus hoc sacrificium ex sua natura est satisfactorium & impetratorium. Primo modo redimimus quodammodo animas illas, dando Deo Patri filium ejus pro illas: Sicut uno filio Regis captivo redimi innumeri milites possunt.

Secundo modo Deo quodammodo vim facimus, ut veniam tribuat animabus, dum Christo eas appendimus, ut ejus beneficio apud cœlestem patrem misericordiam inveniant, sicut solet reus aliquis apprehendere altare vel filium Regis, ut ejus beneficio veniam à Rege impetret.

Nos enim nomine & in persona illarum suffragiis & votis nostris apprehendimus altare & Dei filium in ipso, ut ejus beneficio Dei conspectum & gratiam inveniant. Non vana esse hæc nostra vota ostendi potest ex lib. 2. Mach. c. 12. ubi Judas 12000. Drachmas misit Jerosolymam offerri pro mortuis sacrificium: ex quo loco colligit S. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 1. multò magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificiis pecorum. Idem testantur SS. Patres: S. Gregorius ait: *Pœna vivorum & mortuorum relaxabitur illis pro quibus dicatur Missa præcipue illorum, pro quibus oratur in speciali.* Et alibi: *Audire Missam devotè, alleviat animas fidelium defunctorum & remittit peccata eorum.* S. Hieronymus ait: *pro qualibet Missa devote celebrata plures animæ exeunt de purgatorio.* Et alio loco: *Animæ quæ in purgatorio torquentur, pro quibus solet Sacerdos in missa orare, interim nullum tormentum sustinent, dum missa celebratur.* Idem sanctis viris à Deo est ostensum. Exemplum refert ex Chronicis Franciscanorum S. Antonius 3. p. tit. 24. cap. 8. par. 15. de Joanne de Alvero Franciscano, quod cùm is aliquando in die commemorationis omnium fidelium pro illis celebraret summo pietatis affectu & sacram hostiam elevaret, obsecrans Deum ut amore illius, qui in cruce pependit, animas ab ipso creatas & redemptas è carcere liberaret, vidit innumeras quasi animas de purgatorio egredi ceu scintillas de fornace egredientes, & per merita Christi pro hominibus passi, ad cœlum evolantes. De S. etiam Malachia scribit in ejus vita Sanctus Bernardus, quod ipse missarum oblationibus pro sorore factis primo tantùm effecerit ut præ foribus Ecclesiæ stare visa ei sit. Secundo dum perseverat offerre pro ea, in ipsa Ecclesia, quanquam nondum juxta altare. Tertiò demum in veste candida ad altare.

Plura exempla vide in Pinelle de missa lib. 1. cap. 8.

C. II. *Oratione.*

Secundò, per funiculum demissum, id est, orationem. Oratio enim funis est, per quem ad nos trahimus cœlestia bona, quem teximus dum oramus. Quòd autem eundem ad alias etiam utilitates adhibere possimus, patet ex Domini promissione dicentis, Matth. 18. *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.*

Cum igitur hoc die penè tota oret Ecclesia pro illis: Num Deus non exaudiet? Mulier illa Thecuitis 2. Reg. 14. lugubri induta habitu rogat pro reductione Absolonis ejecti, non difficulter id impetravit, ideò videlicet quod vidisset rex maximam ejus charitatem erga proximi salutem. Eodem ferè artificio utitur hodie Ecclesia dum lugubri se vestit habitu & pro fidelibus animabus in exilium purgatorii ablegatis tam ferventer orat Deum. Et quomodo ab eo repulsam patietur? Exemplum scribit Collector speculi de puero, quem videat quidem Episcopus aureo hamo & filo argenteo piscantem & è stagno extrahentem speciosissimam Mulierem: quam postea cognovit fuisse matrem illius, pueri qui pro anima Matris suæ orationem Dominicam cum Psalmo Miserere recitaverat. Hujusmodi igitur hamos avide ex-

ſpectant,bonæ illæ animæ, quæ velut piſces in vivario recluſæ ſunt in purgatorio. Illuc ergò hamum orationis noſtræ demittamus, ut piſces illos ad terram viventium extrahamus.

D. III. *Mortificatione.*

Tertiò. Quid ſi Elephantes imitemur? Illi enim cùm eorum aliquis in ſubſtructam à venatoribus foveam inciderit, certatim accurrunt; congerunt in foveam ramos, moles duvolvunt, aggeres conſtruunt, ut ſic ſive exaltata fovea ſive aggerum ſubſidio emergat, teſte Plinio lib. 8. cap. 8. Hoc ipſum facere poſſumus, ſi nimirum ramos mortificationis de carne noſtra præſciderimus, & foveæ purgatorii injecerimus; quod enim nobis amore animarum detrahimus jejunio, ciliciis & flagellis, vigiliis, genuflexionibus & peregrinationibus ac lachrymis ipſisq; in ſubſidium devovemus, id non dubitarunt SS. Patres & Eclesia rarum habiturum: DEUM, & velut ipſarummet ſatisfactionem acceptum. Sic enim & Chriſtus Dominus, pro humano genere ſatisfecit, *& quæ non rapuit exſolvit*, ut loquitur in Pſalmo 68. idque ratum habuit Deus.

Quomodo enim non reſpiciat charitatem tam inſignem, qua alter pro altero liberè & ſponte ſatisfacere, & partem pœnæ ejus in humeros ſuos transferre non dubitat? Certè homines acceptant ſi alter pro alio ſatisfaciat; ſolvendo quantum alius debuit; quanto magis Deus? Imò talis ſatisfactio plus habet ponderis, quia ex charitate procedit. Si Tyrannus ille Dionyſius Siciliæ Rex Damonem & Pythiam amicos ſynceriſſimos, quorum alter pro altero [unus tanquam reus, alter tanquam obſes illius] mori contendebat, cùm alterum eorum Dionyſius interficere vellet, admiratus eorum animos, ambos vita donavit, & præterea in amicitiam ſuam tanquam fideliſſimos & vere amicos recepit, ut ſcribit Valerius lib. 4. cap. 7. Cur non placeat Deo ejuſmodi amoris pugna, qua alter pro altero, vivëtes pro mortuis pœnas ſponte exſolvunt? Certè S. Dominicus narratur ter quotidie flagellis ſe pulſaſſe, ſemel pro delictis propriis; iterum pro alienis, demum pro animabus purgatorii. *S*ancta etiam Chriſtina Virgo dimimidiam partem pœnarum Comitis Loërtis ſibi de purgatorio apparentis & opem implorantis, in ſe ſuſcepit, modo flammis ſe uſtulando, modo frigoribus cruciando. Loca præterea in quibus Comes ille vel deliquerat vel deliciis fruebatur, lachrymis irremediabilibus rigando. Cui proinde Comes tandem liberatus iterum apparens gratias egit, ut refert Thomas Cantipratenſis libro 2. Apum cap. 53.

E. IV. *Eleemoſyna.*

Quarto. Per manuum porrectionem, id eſt, Eleemoſynam; ſi nimirum extendas manum ad pauperem. Sic enim Job 12. dicitur: *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata & facit invenire vitam æternam.* Liberat haud dubiè tam eum qui dat, quam eum pro quo datur; indefinita enim locutio eſt. Non eſt purgatorium inſtar carcerum noſtræ patriæ, qui undique clauſi ſunt, ut nihil tribui incarceratis poſſit; [Talis enim eſt infernus,] ſed inſtar carcerum Italiæ, qui crates ferreas habent, per quas incarcerati Eleemoſynam capere poſſunt. Sed hanc quinam ad eos deferent? Pauperes utique, qui eandem quoque ad cœlum ferunt. *Bonorum enim præſertim ad alteram vitam facilis eſt tranſvectio*, inquit ſanctus Chryſoſtomus in cap. 23. Geneſ. per manus pauperum, juxta id Eccleſiaſt. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, & poſt tempora multa invenies illum.* Cum quid in Auſtriam mittere volumus, credimus Danubio. Pauperes autem iſtiusmodi aquæ tranſeuntes ſunt, quia non habent hic manentem civitatē. Certè Chriſtus ipſemet nuntios ſuos & tabellarios pauperes conſtituit, per quorum manus, quidquid eis crediderimus, ſe id accepturum vel pro accepto habiturum dixit. Quam rem mirifice eonfirmat exemplum, quod ſcribit Joan. Vaſeus ad annum Chriſti 940. de Sanctio rege Legionis & Aſturiarum, qui uxori Gudæ, quæ pro ipſius anima pellem cuidam Sacerdoti dederat in Eleemoſynam, albis veſtibus & pelle, quam Sacerdoti dederat uxor, indutus apparuerit, gratias pro liberatione agens. Quem cùm illa amplecti & retinere vellet, partem pellis abſtraxit, marito ad ſuperos abeunte. Poſtmodum reperta eſt in prædicta Sacerdotis pelle deeſſe eadem illa pars, quam Guda marito abſtraxerat.

Igitur, ne dubitemus, fideles ſunt munerum noſtrorum portitores pauperes. Longę dicuntur regibus eſſe manus: Sed longiores ſunt pauperibus, quia quæ ipſis dantur, Chriſto dantur & per Chriſtum iis, quibus ea deſtinamus, animabus.

Quod ſi alium adhuc non minus fidum portitorem ſcire velitis: En vobis hanc Eccleſiam & Patronum ejus: qui, ni fallor, adhuc longiores habet manus, & pauperibus dictis certior eſt tabellarius. Hic certè poterit compenſare animabus parentum & fratrum noſtrorum, ſi quid ad ornatum templi illius, pro ipſis contuleritis. Exemplum de Dagoberto Francorum Rege refert Baronius Anno 647. qui per SS. Dionyſium, Mauritium & Martinum, quibus Eccleſias exſtruxerat & ornarat, è graviſſimis purgatorii flammis ereptus, viſus eſt cuidam Eremitæ. Quod ſi pellis una data Sacerdoti pauperi, Sanctio illi profuit, proderunt & caſulæ & vaſa ſacra donata ſacris ædibus debito cultu deſtitutis.

Quare Auditores ſequamur Eccleſiā Matrem & Ductricem noſtram: convertamus oculos mentis noſtræ in foveam purgatorii: contempiemur animas inibi incluſas, & ad patriam ſpirantes: admoveamus ſcalas, demittamus funes, devolvamus ramos, extendamus manus ad eas eruendas. Sanè ſi parentum, ſi fratrum, ſi vicinorum, imò ſi externorum

norum

norum domos ardere videremus, nihil non faceremus ad incendium extinguendum. Alius scalas admoveret, alius aquam affunderet, alius incolas eriperet, alius supellectilem igni subduceret, &c. Et quanto horribilius & calamitosius incendium est illud purgatorii? Ad hoc ergo restinguendum convertamus omne robur, omnem nostrum conatum, &c.

CONCIO VII.

MEDIA EVADENDI PURGATORIUM.

I. *Devita peccata venialia.*
II. *Mundum ne dilige.*
III. *Frequenta Sacramenta.*
IV. *Extremam unctionem non neglige.*
V. *Pœnitentias injunctas sedulò perage.*
VI. *Lucrare indulgentias.*
VII. *Purgatorium hic opta & accipe.*
VIII. *Mortem libens amplectere.*
IX. *Ora ut sis immunis.*
X. *Succurre purgantibus.*

THEMA.

Fratres: ecce mysterium vobis dico, 1. Cor. 15.

CHarissimi, si nunc docerem artem, qua floreno uno centenos aut millenos lucrifacere possetis; quàm avidè me audiretis? Ampliùs dico; si monstrarem vobis herbam & dicerem: si de herba ista quotidie aliquid comederitis, in morbum nunquam incidetis, vel saltem non diuturnum: quàm cupide meum sermonem expectaretis! Sed parva sunt hæc, quæ proposui: melius quid & utilius dicam: qua ratione nimirum exiguis operibus magnas purgatorii pœnas redimere possitis; quomodo inquam purgatorium aut omninò effugere, aut citò saltem evadere. An non melius hoc, quàm quæ dixi? an non majori aviditate hoc audiri debet? sed quod Apostolus in hodierna Epistola dixit. *Ecce mysterium vobis dico*; idem ego dico,

Pauci enim sunt qui capiant verbum istud, & artem hanc arripiant. Sed pandamus hoc mysterium: forsitan multi erunt, qui illud & percipient & arripient.

B. I. *Devita peccata venialia.*

Primò. Abstine à peccatis venialibus, & si ea admiseris, dele per pœnitentiam aliaque media. Qui enim exstruere vult domum ab igne securam, non debet exstruere de ligno, fœno, stipula, sed de auro, argento, vel nobilibus lapidibus, uti marmore, &c. Peccata venialia, lignum, fœnum & stipula sunt, quæ in purgatorio ardebunt. Hoc est, quod Apostolus dixit 1. Cor. 3. *Si quis superædificat super fundamentum hoc* (id est super fidem Christi) *aurum argentum, lapides pretiosos, ligna; fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit, &c. Si cujus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Vult dicere: sicut domus, si ex auro & lapidibus robustis constructa sit ab igne non læditur; si verò ex ligno & stipula, aduritur: Ita qui fidei Christi superædificat opera sancta, à purgante igne non lædetur. Qui verò peccata levia & venialia, quibus scilicet mens adhærescit, v.g. ad carnis commoda, nugas, vanam gloriam, &c. detrimentum patietur & non nisi per ignem illum salvus fiet. Exigua quidem res videntur & putantur esse peccata venialia, impediunt tamen à cœli ingressu. Sicuti pessulus aut vectis, exiguum est ferrum, obserat tamen fores ut ingredi non possis quantumcunque coneris.

Removenda igitur inprimis est materia ustibilis: removendi omnes pessuli peccatorum venialium, si absque purgatorio de morte transire ad vitam volumus. Et si una aut altera stipula cito exuritur, integer tamen cumulus fœni aut straminis diutissimè ardet & tardè comburitur, ut patet in incendiis. Similiter si multa tibi sint peccata venialia, diuturnum alent ignem. Cæterum quia peccata venialia in duplici sunt differentia, alia quæ studiosè & dedita opera committuntur: alia quæ ex fragilitate, ignorantià vel inadvertentia, in quæ etiam conscientiæ timoratæ & viri perfecti, qui omni studio conantur vitare etiam omnia venialia incidere solent, hinc duplex purgatorium aliqui jure statuunt, uti P. Joan. Crombecius de studio perfect. lib. 1. cap. 29. viros enim perfectos, qui posterioris generis peccata commiserunt, existimant præter desiderii cœlestis sitim & dilationis beatæ patriæ pœnam nihil perpessuros. Tales fuerunt, quos Venerab. Beda in Visione Drithelmi commemorat visos in amœno campo, ut alias diximus. *Quis enim credat*, inquit Crombecius, *benignissimum Jesum animas, amantissimas sponsas, quæ omni conatu minima delicta devitant & ut hoc possint, multis pœnis corpora sua afficiunt, paratæ interim pro DEI gloria infinitis mortibus constantiam suam vel ad minimum peccatum vitandum probare, sponsas inquam suas pro verbulo otioso vel distractione in orationem irrepente, acerbissimo igne combusturum sicut latrones hic comburuntur pro enormibus sceleribus?* Sic ille. Esto igitur perfectus & propitium tibi erit purgatorium.

C. II. *Mundum ne dilige.*

Secundò, Noli adhærere hujus mundi bonis, sed utere tanquam alienis & commodatis. Si enim Christus in terris noluit quenquã recipere in discipulum, nisi prius renuntiasset omnibus; quæ possidet, Luc. 14. Multo minus in cœlo recipiet aliquem in amicum & cohæredem, nisi idipsum fecerit,

Unde S. Gregorius hom. 32. in Evangelia ait: *Ad se nobis venientibus Dominus præcepit ut renuntiemus nostris, quia quicunque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergò cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. Nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, &c.* Hæc Gregorius.

Tenebitur ergo in purgatorio, qui non abjecerit affectus inordinatos erga bona caduca. *Nudus egressus sum de utero matris*, ait Job, *nudus revertar illuc.* Sed difficile est in morte exuere, quæ viventibus fortiter adhæserunt. Idcirco sicuti convenit rebus hujus mundi, quasi alienæ sint & mutuo acceptæ; tales enim parum amamus & facilè restituimus. Hinc non erit, quod nobis in purgatorio abstrahatur.

Nudus enim *latrones non timet*, dicebat ad fures S. Hilarion, apud S. Hieronymum in vita.

D. III. *Frequenta Sacramenta.*

Tertiò. Frequenta Sacramenta, pœnitentiæ & Eucharistiæ. His enim expellitur materia purgatorii. Quemadmodum, qui intemperanter vivunt, si non utantur quotannis semel aut iterum purgatione & venisectione, nec non menstruatim scarificatione, sed ea nimirum differant, tantum sibi mali humoris accumulant, ut tandem in morbum & quidem periculosum aut diuturnum incidant. Ita qui nimium differunt raroq; adhibent S. Confessionem & Communionem certum sibi ac diutinum causant purgatorium. Contra uti sedula sanguinis minutione vel purgatione morbi imminentes arcentur si non omninò, saltem magna ex parte, & diuturni: ita purgatorium cavetur, vel saltem mitius obtinetur, cum, per præviam Sacramentorum frequentationem materia illi subtrahitur.

E. IV. *Extremã unctionem non negli ge.*

Quartò. Extremam unctionem accipe ante mortem. Ea siquidem reliquias peccatorum tollit, & pœnas juxta recipientis dispositionem, quæ tanta esse potest, ut omnes omninò tollat, adeoque absq; purgatorio de morte ad vitam transeas. Sed hac de re alibi.

F. V. *Pœnitentias injunctas sedulò perage.*

Quintò Satisfactiones tibi à Confessario impositas sedulò ac rigidè peragito; & prætereà ultroneas tibi imponito. Nam quod attinet ad primas, cùm eæ sint pars Sacramenti, majorem vim ad tollendas pœnas habent quàm quæ ultrò assumuntur. Unde optandum tibi esset, ut severius tecum agat Confessarius.

Scimus enim Levit. 6. legem holocausti fuisse, ut cremaretur in altari tota nocte usque mane à Sacerdote paramentis Sacerdotalibus induto.

Quòd si verò usque mane non omnia penitus combusta fuissent, reliquias extra castra efferri & iterum comburi usque ad favillam debuisse; ita tamen ut Sacerdos priùs deponeret vestes sacras, & indueret suas vulgares.

Eundem in modum pœnæ, quæ in hac mundi nocte usque ad illud manè vitæ futuræ non satis exsolvuntur per injunctas pœnitentias, efferuntur ad purgatorium, ut ibi redigantur in favillam, id est, solvantur usque ultimum quadrantem: ubi non jam à Sacerdote nec ab igne sacro, sed à tortoribus & igne sævissimo comburentur.

Quod verò ad voluntarias afflictiones pertinet, si in nos rigidi & severi simus, procul dubio purgatorium habebimus propitium, aut etiam nullum. Videtur hoc nobis suasisse Dominus, quando Luc. 12. dixit: *Cum vadis cum adversario tuo ad Principem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Quo loco sanctus Ambrosius ait: *Adversarius noster est omnis virtutis usus & Apostolicus & Propheticus sermo, qui nos ad asperiora præcepta & durioris vitæ documenta constringit.*

Huic ergò consentiendum est, id est, agendum quod S. Joannes Baptista prædicavit: *Agite fructus dignos pœnitentiæ.* Sic enim *fugimus à ventura ira*, uti ipse dixit Luc. 3.

G. VI. *Lucrare indulgentias.*

Sextò Lucrare indulgentias, & solve ex ærario Christi, quod ex tuo non potes. Non deest tibi occasio, modo tibi metipsi non desis. Quis autem quæso, audiens divitem sibi dicentem: Mitte manum in hunc thesaurum meum, & quidquid manu comprehenderis, illud tuum esto: quis inquam facere hoc negligeret? Atqui istud tibi dicitur, cùm indulgentia offertur. Sed hac de re dictum alibi.

H. VII. *Purgatorium hic opta & accipe.*

Septimò purgatorium hic expete, & cum tibi obtigerit, alacri animo ferto. Petiit hoc Job. c. 14. cùm ait: *Tu quidem gressus meos dinumerasti: Sed parce peccatis meis.* Pro quibus ultimis verbis alia littera legit: *Ne differas pœnas meas.* Quasi hoc sit parcere, punire in hoc sæculo, & non differre pœnas ad purgatorium. Certè nostri mercatores viliori pretio dant merces pro pecunia parata quam pro expectanda. Pari ratione credidit S. Job. remissurum aliquid Deum de pœnis debitis, si quis in præsenti sæculo se offerat ad solvendum. Quod autem in præsenti sæculo exsolvi possit purgatorium, patet exemplo Mauritii Imperatoris, cui à DEO optio data est, ut peccata sua lueret vel in hoc, vel in illo sæculo; Qui præsens elegit tempus. Item testimonio S. Bernardi; qui aliquando videns in agro fratrem conversum studiosè & ultra vires metere, dixit ei coram omnibus: *Eja frater age quod agis, nullum aliud post hanc vitam purgatorium sustinebis.* Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 5.

Octavò.

I. VIII. *Mortem libens amplectere.*

Octavò. Mortem vicinam libenter amplectere & offer DEO vitam tuam. Cùm enim nihil præstantius habeas vita tua: non dubium, quin hoc munus Deus acceptum habeat, & magna gratia remuneretur. Fecit hoc S. David, qui Psal. 115. ait: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam* (id est, passionem & mortem libentissimè amplectar) Jam verò scimus calicem martyrii, qui in testimonium fidei ebibitur esse tam salutarem, ut omnem extinguat purgatorii ignem, & immediatè cœlo transcribat ebibentem. Quid si igitur tu eundem ita ebibas, ut mori optes ac velis hilariter, in testimonium obedientiæ Christianæ, quam commendavit nobis Dominus Luc. 14. dicens: *Si quis venit ad me, & non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* An non item aliquam purgatorii remissionem poteris sperare? Cum enim timor & horror mortis sit naturalis, si tu eum ex motivo charitatis vel obedientiæ temperes aut vincas; certè heroicum designas actum, magna remuneratione dignum. Accedit quòd etiam Dominus beatos dixit esse servos illos, qui cùm venerit Dominus eorum & pulsaverit, confestim aperiunt ei, Luc. 12. *Pulsat verò Dominus*, inquit S. Gregorius hom. 13. in Evangelia, *cùm jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus.* Unde protinus addit: *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

K. IX. *Ora ut sis immunis?*

Nonò. Ora diligenter, ut ab eo immunis sis. Est enim oratio medium universale ad omnia impetranda, adeoque clavis omnes januas aperiens: ac proinde etiam cœli januam. Sanctus Franciscus cùm aliquando candente ferro causa recuperandæ valetudinis urendus esset, ferrum allocutus. *Mi frater ignis*, inquit, *esto mihi in hac hora propitius. Precor Dominum qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet.* Et simul signum crucis versus eum fecit: Unde factum, ut cùm candens ferrum ustioni adhiberetur, vir sanctus nullum, uti retulit, senserit dolorem, ut in ejus vita. Similiter de S. Lucia canit & orat. Ecclesia in persona ejus: *Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mei, & impetravi à Domino inducias martyrii mei.*

Itaque ignis circum eam accensus, nihil ei nocuit, ut in ejus vita. Eodem medio S. Catharina rotatam illam, & falcatam contrivit machinam, quâ erat dilaceranda. Videte igitur quid possit oratio. Non est autem nobis vita hæc ablata: sed omnibus est dictum: *Quidquid orantes petieritis, fiet vobis.*

L. X. *Succurre purgantibus.*

Decimò. Succurre libenter animabus in purgatorio constitutis. Rependent enim tibi vicem suis apud Deum precibus, in cœlo constitutæ, cùm tibi aliquando purgatorium imminebit. Cùm enim ex maximis eripiantur ærumnis, quomodo ingratæ esse poterunt, & non parem gratiam referent. Scimus etiam brutis gratitudinem esse insitam: & animabus illis deerit? Aquilam aliquando, cùm juxta fontem à serpente circumplicata teneretur, & à messore eò aquæ hauriendæ gratia accedente, liberata esset, gratiam liberatori rependisse scribit Ælianus lib. 17. cap. 37. Nam cùm is aquam sociis tulisset, ipsique omnes bibissent tandem cùm & ipse qui tulerat, bibere vellet: adfuit eadem illa & aquila & vasculum ab ore ejus excussit ac fregit: & hoc gratitudinis ergò; Mox enim cæteri qui biberant, palpitare & animam agere cœperunt, quod potus ille veneno serpentis infectus fuisset. Bonæ illæ animæ instar aquilæ desiderant volare ad conspectum DEI. Sed detinentur ab igne purgatorii. Quòd si igitur quispiam eas inde eripiat: certò rependent ei gratiam & amarum purgatorii calicem ab ore ejus excutient, suis apud Deum precibus. Extat in libro de viris illustribus Ordinis Cisterc. historia de Britanno quodam, qui quoties transibat per Cœmiterium, aliquam pro defunctis orationem fundebat. Unde eo mortuo visi sunt defuncti sepulti in illo cœmiterio surgere, & in templo pro eodem suo benefactore exequias decantare. Adhæc plura referuntur exempla, quæ ostendunt eos, qui pro defunctis orare omiserunt, diu in purgatorio detentos fuisse. Quod utique factum non esset: si defunctorum in suis precibus sedulò meminissent.

CONCIO VIII.

MEDITATIO MORTIS QUAM utilis.

I. Libenter mori.
II. Facit bene mori.
III. Temporat voluptates malas.
IV. Excludit solicitudines.
V. Facit semper esse pavidum.
VI. Protegit à diabolo & munit.
VII. Parit gaudium & solatium.

THEMA.

Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii DEI, & qui audierint, vivent. Joan. 5.

A.

VErissimum quidem est verbum veritatis, quod mortui in novissimo die audient vocem filii DEI, & qui audierint, vivent. Sed non omnes mortui libenter eam audient, quia ad beatam vitam non resurgent omnes. *Omnes quidem resurgemus*, ait Apostolus in hodierna Epistola 1. Cor. 15. *Sed non omnes immutabimur*, per gloriam videlicet. Et

Et Christus in hoc ipso Evangelio; *Procedent, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem Iudicii.*

Vultis Auditores, hilariter aliquando audire eam vocem? Curate ut nunc in auribus vestris vox illa semper resonet, quemadmodum & sonuit in auribus S. Hieronymi, qui & hoc consilium tradidisse fertur: *Sive bibas, sive comedas, sive vigiles, sive dormias, hæc tibi tuba insonet. Surgite mortui, venite ad judicium.* Hoc monet nos Ecclesia, dum hodie multis modis memoriam mortis nobis insinuat. Hoc idem indicare videtur Christus in sententia prædicta. Nunc enim audiunt vocem filii DEI vocantis ad judicium, qui novissimam illam tubam sedula cogitatione ruminant: Atque hi procul dubio, qui audierint, vivent, vita scilicet beata. Quare nunc audiamus quanti hujus exercitii fructus sint.

B. I. *Facit libenter mori.*

Primò. Facit libenter & facilè mori. Quemadmodum enim equus in hippodromo, in quo ad statuam punctim feriendam curritur, docetur non horrere, dum priùs sæpè sæpius ducitur per stadium, quod ei percurrendum est; alioquin (nisi id fieret) ad conspectum statuæ forsan trepidaturus & sessorem ejecturus: ita in proposito. Via mortis nobis percurrenda est, ubi tristis & monstrosa nobis occurret mortis imago: hic attendendum, ut bene curramus, quò scopum salutis attingamus. Sed quid si tunc horreat equus noster? quid si timore mortis perplexi, de statu mentis dejiciamur, & nobis consulere præ horrore nesciamus? quid si in desperationem, diffidentiam, impatientiam aut impœnitentiam dejiciamur? Certè multis id contingit, qui mortem non præviderunt. Itaque priusquam nobis currendum, percurramus hoc stadium sæpius, contemplemur bene statuam illam mortis: sic fiet ut non trepidemus, & ad salutis scopum rectius collimemus, cum aliquando currendum erit. Exemplum refert Palladius de sancto quodam Eremita, qui morti proximus hilari & tranquillo erat animo, lugentibus interim & trepidantibus ejus discipulis; à quibus interrogatus: *Tu pateris, & nihil sentis? nos compatimur, & ploramus?* respondet: *Tranquillus nunc sum, quoniam sæpè consideratione hanc viam perambulavi, sæpè mortuus sum & ideò nihil novi nunc video.*

C. II. *Facit bene mori.*

Secundò, Facit bene mori, quia & bene vivere. Nam uti nauta, si bene vult navigare, in puppi, non in prora stat aut sedet: ita qui vult securè navigare ad terram viventium insistat meditationi novissimorum, non attendat juventutem suam, vel quot annos adhuc vivere possit. In puppi stat, qui quotidie mortem timet, in prora qui non timet, sed adhuc multos sibi pollicetur dies. Qui in puppi stat benè & securè navigat, quia totam navem videt; sed non ita, qui in prora: ita qui mortem semper observat, nunquam illi fidit, sed totam suam vitam contra illam munit, & à scopulis abducit, juxta id Sapientis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis,* non ita qui mortis immemor longam vitam sperat.

Prudenter ille ædificat, qui antequam fundamentum jaciat, sedens prius cogitat, de tecto seu perfectione & ultima manu ædificio imponenda: ne alioquin juxta Domini sententiam, *homines incipiant illudere ei dicentes: hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Ita prudenter agit, qui novissima facit prima, primò nimirum omnium de morte cogitans, ne extrema gaudii luctus occupet. Gorgias Epirota, pro cunis sortitus est sarcophagũ matris suæ, quia dum efferretur ad rogum mater, ex utero ejus elapsus vagitu se prodens gestatores sistere coëgit, ut scribit Valer. lib. 1. cap. 8. Felix qui in sarcophago nascitur, qui quodammodo à cunabulis fertur ad sepulchrum assidua mortis meditatione, & ut cum S. Job. dicam, de utero transfertur ad tumulum.

D. III. *Temperat voluptates malas*

Tertiò. Extinguit aut saltem temperat noxias voluptates & concupiscentias; quod vel ab Ægyptiis discere possumus. Proponebant illi in conviviis divitum ligneum cadaver, sed quam proximè ad verum effictum; id singulis ostendebat quispiam dicens: *In hunc intuens pota, & oblecta te, talis post mortem futurus.* Herodot. lib. 3. Nimirum temperandas volebant delicias memoria conditionis nostræ.

Quis enim mortem præ oculis videns deliciis indulgere queat? De Francisco Borgia Societatis Jesu scribit Ribad. lib. 1. de ejus vita cap. 9. quod cùm appulisset cum corpore defunctæ Imperatricis Elisabethæ Granatam & aperiretur tumba, cui inclusum erat, plumbea facies que Augustæ usque adeò exesa & deformata, ut intuentibus magnum sui horrorem incuteret, detegeretur, tantum Francisco sensum impresserat, ut firmissimum hoc decretum mox conceperit: *Promitto tibi Domine Deus meus, non serviturum me amplius tali Domino, qui sic possit mori;* atque ita seculo renuntiavit, dicereque solebat, mortem Augustæ sibi vitam attulisse. Sancta Elisabetha Hungariæ Regis filia cùm audisset maritum esse defunctum dixit: *Si mortem frater meus obiit, & mihi post hac mundo ejusque vanitatibus defuncta morietur mundus ipse.*

Itaque vitam priore longè adhuc perfectiorem cœpit. Ut in ejus vita. Hinc David Psalm. 54. desperatis peccatoribus optat: *Veniat mors super illos & descendant in infernum viventes:* quasi diceret, meditentur & considerent mortem ac mortuos dum vivunt, quo vel sic emendentur. S. Augustinus sermone 48. ad fratres in Eremo, scribit se vidisse Romani cujusdam Imperatoris corpus in sepulchro conditum, colore livido, putredine circumdatum, ventrem ejus disruptum & vermium catervas per illum transeuntes, quorum duo famelici in oculorum foveis pascebantur; crines non adhærebant

rebant capiti, dentes apparebant labiis consumptis & revelatum erat narium fundamentum.

Cujus occasione exclamat Augustinus: *Euntes vos juvenes & potentes ad sepulchra patrum vestrorum, considerate, qui fuerunt & qui sunt: monumenta eorum aperiamus & videamus, quis Dominus, quis servus, quis pulcher, quis turpis, quis rectus, quis curvus inter eos fuerit. Aperiamus oculos mentis & corporis, & nostram grandem miseriam frequenter non pigeat considerare. Intremus sepulchra & quid inveniemus discamus. Quid fratres inveniemus, vel quæ? Nam si respexerimus inveniemus mortuorum capita, renes, ventrem. Verum & indubitanter verum mihi experto credite, quod in capitibus invenietis bufones saltantes, generatos ex cerebro, in renibus serpentes ex illis generatos, in lumbis ambulantes: in ventre vermes scaturientes generatos ex visceribus. Ecce quid sumus & quid jam erimus; ecce in quod resolvimur. Quid ergò inflaris. O dives: Cur non attendis, quæ audis? Cur turbaris cùm prospicis? Cur non converteris, cùm hæc quotidie experiris.*

E. IV. *Excludit solicitudines.*

Quartò. Excludit curas & solicitudines terrenas.

Qui enim mortem serio expendit, nihil aliud curat, nisi quomodo ad felicem perveniat mortem: Cætera susque deque habet. Si quem Leo aut Monoceros insequeretur, non curaret is, si pallium aut marsupium post se in fuga relinqueret, solummodò attenderet quomodo vitam tueretur.

Atqui mortem ejusmodi Monoceroten nos insequentem esse docet Barlam apud Damasc. Hoc docere volens Deus præcepit Levit. 1. ut in oblationibus virum vesicula gutturis & pennæ projicerentur in locum, in quo effundi solent cineres. Nimirum solicitudines terrenæ, de corpore alendo & vestiendo projiciendæ sunt in sepulchrum per mortis cogitationem, quomodo bene mori velimus: & tunc de pane & veste ac similibus parum soliciti erimus. Quis enim prudens saginare aut adornare laboret corpus, quod vermium præda erit, fortè cras aut hodiè? Rectè faciunt ii qui cum mors jam eos per aliquam ægritudinem aliudve mortis periculum, quasi per tunicam incipit apprehendere, seponunt omnes sæculi curas & de sola æternitate & animæ suæ salute cogitant, juxta monitum Salvatoris Matth. 24. *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam,* (cùm nimirum incipit circumdari à morbo) longè tamen rectiùs facit, qui hoc tota vita facit, etiam cum mors longè est.

F. V. *Facit semper esse pavidum.*

Quintò. Parit salutarem solicitudinem & facit semper esse pavidum. Quemadmodum enim clamor nocturnus excitavit virgines illas, ut surgerent & ornarent lampades suas sponsoque obviam irent: ita timor mortis quasi mox imminentis, excitat hominem, ut saluti suæ invigilet, & bona opera paret ad obviandum Christo. Experientia compertum est, quàm excitentur homines ad pœnitentiam, pietatem & disciplinam, cùm grassatur inter eos pestis, vel imminet naufragium, &c. quàm solicitè festinent confiteri, communicare, orare &c. Ergò si quis cogitet ejusmodi pericula quotidie sibi imminere, semper bene vivet. Excitavit sæpius è somno hæc memoria Davidem, & fecit esse attentum ad conscientiam expurgandam. Sic enim loquitur Psalm. 76. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum & non sum locutus: Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui;* quasi diceret: Cogitavi annos præteritos, & quid de antiquis patribus factum sit, quomodo omnes extincti & oblivioni traditi sint; cogitavi etiam annos æternos, id est, futuros, quid de me aliquando futurum sit. Hinc ergò *exercitabar, & scopebam Spiritum meum, &c.*

G. VI. *Protegit à diabolo & munit.*

Sextò protegit à diaboli insidiis & munit contra tentationes. Perdicem scribit Plinius lib. 10. cap. 33. in pavore resupinam in sulco gleba terræ pedibus apprehensa se operire. Hunc in modum si cui infernalis insidiatur auceps, is quamprimum se in considerationem mortalitatis suæ abjiciat, atque ita sepulchrali quodammodò gleba se operiat, sicque insidias & quascunque tentationes facilè superabit. In hanc veluti domum suam recipiebat se Job, qui dixit: *Infernus Domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.* In sepulchro igitur velut in Castello habitabat, & inde contra dæmonem strenuè pugnabat. Nullibi tutiores erimus ab insidiis diaboli, quam si sepulchro nos includamus, & consideremus nos jam mortuos deferri ad sepulchrum omnibus dimissis, & ibi in arctas recludi tenebras omnibus discedentibus & relinqui in pabulum vermibus. Author est Ruffinus in vita SS. Patrum, Divum Macarium Alexandrinum mortis assidua meditatione adeò profecisse ut nihili prorsus faceret dæmonis terrores & infestationes. Nam cum quadam vice à nocte in deserto oppressus aliò divertere non posset, in sepulchrum se abdidit, ubi meditationi mortis impensissimè vacans ac somnum capiens, mox strepitum & collisionem ossium à diabolo excitari sensit, quantam nemo alius perferre potuisse videatur: at mansit ille tamen neque ullo modo hospitio se expelli ferens, fortissimus athleta tres formidandos hostes, mortem, diabolum noctemque contempsit. Hoc igitur nos Auditores castellum ingrediamur, si contra dæmonem prævalere & tuti esse volumus.

H. VII. *Parit gaudium & solatium.*

Septimò denique, Parit gaudium & consolationem spiritus, quæ ex illo timore bono nascitur. Quemadmodum enim is, qui sua solicitè conser-

vare studet, fruitur interim gaudio, quia novit ea sibi reposita esse ad fovendam senectutem, eoque perfruetur magis, cùm advenerit senectus: ita qui mortem semper timet & idcircò solicitè cum DEO ambulat, suavem & beatam mortem sperat, eaque adventante magis recreabitur. Volumus ergò suaviter & hilariter mori, moriamur in vita sæpius. Pueri qui per æstatem natatu delectantur, prima vice ex ponte in profluentem ægre & cum timore desiliunt. Sed ubi id sæpius attentarint adeoque assueverint, magna postmodum delectatione & securitate faciunt. Quando ergò scimus desiliendum nobis aliquando de vita in sepulchrum, saltemus modò frequenter mente & cogitatione, & tunc facilè & cum gaudio saltum illum faciemus.

CONCIO IX.

RESURRECTIO MORTUORUM ostenditur.

I. *Ex naturali propensione.*
II. *Ex cooperatione corporis cum Anima.*
III. *Ex resurrectione Christi.*
IV. *Ex naturalibus exemplis.*
V. *Ex miraculis.*

THEMA.

Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI,
Joan. 5.

A. Magnum fidei mysterium tradit nobis Apostolus in Epistola hodierna & Christus in Evangelio, certissimam videlicet mortuorum resurrectionem. Apostolus ait: *Mysterium vobis dico: omnes resurgemus, &c.* 1. Cor. 15. Christus ait: *Mortui audient vocem filii Dei & qui audierint, vivent.* In qua fidei doctrina fundatur sanè religio Christiana. Nam, ut ait ibidem Apostolus. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Frustra enim affligimus nos operibus pœnitentiæ, frustra nos abdicamus mundi & Carnis voluptatibus. Unde benedixit Tertullianus libro de resurrectione: *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

Quia verò hæc doctrina, tametsi in sacris literis expressa, difficilis videtur aliquibus, conabimur eam pluribus fide digniorem reddere; adeoque fundamentum hoc religionis nostræ stabiliri.

B. I. *Ex naturali propensione.* Primò Ostenditur ex naturali propensione animæ ad suum corpus, sine quo nisi violenter & præter naturam esse non potest, cùm natura sua forma sit corporis. Ideò Apostolus credidit probatam fore resurrectionem mortuorum, si probasset animæ immortalitatem, 1. Corinth. 15. eò quòd nemo prudens, etiam gentilis, credere potuerit, animam quidem immortalem esse, sine corpore tamen duraturam in æternum; proinde si quis negasset resurrectionem, negasset etiam animæ immortalitatem. Unde resurrectio quoad substantiam & humanæ naturæ exigentiam quasi naturalis est, licet in modo & executione sit supernaturalis; (nec enim vi creata corpori uniri potest anima separata) Quis autem dubitabit, modum illum & executionem DEO possibilem esse? Quid enim, quæso, difficilius: hominem non existentem efformare, an fractum reparare? nónne illud prius? Nónne figulus ex una eademque massa aliam & aliam format figuram? Et non poterit Deus eandem argillam eodem suo spiraculo, quo Adamo vitam indidit, erigere ad vitam? Audi Sanctum Gregorium homil. 26. in Evangelia: *Longè minus est Deo reparare quod fuit: quàm creasse quod non fuit. Aut quid mirum si hominem ex pulvere reficit, qui simul omnia ex nihilo creavit?* Sanè ipsa Hebræorum vestimenta in itinere per desertum annorum 40. sarta tecta conservavit Deuteron. 29. *Ut Dominum potentiorem credamus*, inquit Tertullianus libro de resurrectione capite 58. *omni corporum lege, & carnis magis utique conservatorem, cujus etiam vestimenta, & calceamenta protexit.*

C. II. *Ex cooperatione corporis cum anima.* Secundò Ostenditur ex cooperatione corporis cum anima. Justum utique est, ut qui sedulò laboravit; mercedem suam: qui strenuè pugnavit, coronam suam accipiat. *Dignus est enim operarius mercede sua*, ait Dominus Luc. 10. Quoniam verò corpus particeps laborum, pugnæ & tribulationis fuit? decet proinde ut sit particeps mercedis & coronæ. Nihil ferè hic anima nisi in carne & per carnem operatur; *non possunt ergò separari in mercede* (caro & anima) *quas opera conjungunt*, inquit Tertullianus libro de resurrectione carnis. Unde & istud sequitur, non aliud sed idem prorsus corpus esse resurrecturum; ut ita coronetur illud ipsum, quod cum anima laboravit, sanguinem fudit, sudavit & alsit: sicut idem Lazarus, Joan. 11. revixit, tametsi putredini proximus, qui ante vixit. Eadem lingua epulonis erat, quæ sitiebat in gehenna, cum ea quæ epulabatur in vita, Luc. 16.

D. III. *Ex resurrectione Christi.* Tertiò Ostenditur ex resurrectione Christi, quo argumento utitur etiam Apostolus, 1. Corinth. 15. *Si Christus*, inquit, *prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in nobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ergò non solùm fieri

fieri poteſt, ſed etiam revera fiet reſurrectio mortuorum. Fieri poteſt, quia alioquin non reſurrexiſſet Chriſtus. Fiet autem, quia alioquin Chriſtus fruſtra reſurrexiſſet. Saniùs enim & faciliùs mortem præcaviſſet. Ergò ipſius reſurrectio potiùs propter nos quam propter ipſum facta eſt, adeòque exemplar & cauſa fuit noſtræ reſurrectionis. Fuit Chriſtus caput noſtrum, quo ſurgente, utique & membra ſurgent. Fuit ſecundus Adam, quo ſurgente utique ſurgent & filii ejus.

E. IV. *Ex naturalibus exemplis.*

Quarto. Declaratur exemplis naturalibus. Primo ab Apoſtolo 1. Corinth. 15. *Dicet aliquis*, inquit: *Quomodo reſurgunt mortui: quali aut corpore venient? Inſipiens, quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur.* Nimirum aliqui cogitantes corpora putrefieri & in cinerem redigi deſperabant & negabant corporum reſurrectionem, quos Paulus exemplo ſeminis in agrum jacti & putrefacti convincit. Id enim ubi mortuum eſt in terra reviviſcit, & ex grano uno multa producit adeoque multo cum fœnore quodammodo reſurgit, dum non ſolùm granum unum ſed plura, & ſpicam & culmum gignit: Similiter in autumno moriuntur quodammodo frondes & flores omnes; ſed in vere revireſcunt & reviviſcunt. Unde Iſa. 66. dicitur: *Oſſa veſtra ſicut herba germinabunt.* Et S. Ambroſius libro de fide reſurrectionis, oſſa hominum in ſepulchris jacentia vocat ſemina æternitatis, quod ea poſt carnem ſuperſint ſicut ſemina poſt pomum, ex quibus homo velut nova arbor ſuſcitabitur à Deo. Adducunt etiam non pauci Patres, Ambroſius variis in locis, Tertullianus lib. de reſurrectione, Lactantius in Carm. de phœnice & alii non nulli, exemplum phœnicis, qui compoſito ſibi rogo exuri fertur in cinerem, è quo naſcatur vermis, qui paulatim adoleſcat & tandem plumis veſtiatur, & tranſeat in phœnicem. Quod ſi verum eſt (multi enim dubitant) habemus ſanè typum aliquem reſurrectionis noſtræ; cui conſonat id, quod Job. 29. dicitur: *In nidulo meo moriar & ſicut palma* (Tertullianus libro de reſurrectione cap. 13. Vatablus, Rabbi Salomon & alii vertunt: *Et ſicut phœnix) multiplicabo dies.* Unde Romæ in plurimorum Martyrum ſarcophagis phœnix inciſus viſitur, & incidi juſſus eſt in ſarcophago S. Maximi Martyris à S. Cæcilia, ut habent ejus acta.

F. V. *Ex miraculis.*

Quinto, Confirmatur ex miraculis: Nam aliorum ſanctorum oſſa poſt annos plurimos integra & illæſa conſervata ſunt. Aliorum oſſa oleum vel oleo ſimilem liquorem ſtillabant. Aliorum membra ſciſſa redintegrata ſunt, ut S. Stanislai Epiſcopi & Martyris. Alii poſt dies multos è ſepulchro ad vitam reſuſcitati, veluti S. Maternus, S. Petri Diſcipulus, qui ab eo miſſus cum S. Euchario & Valerio Trevirim ad Evangelizandum, in ipſo itinere Helli apud Seleſtadium febri valida correptus defunctus eſt. Socii ad S. Petrum regreſſi ab eo baculum acceperunt, quem S. Materno 40. die à morte applicantes eum reſuſcitarunt: qui poſtea totidem annis ſupervixit quot diebus in ſepulchro fuit, fuitque Apoſtolus Trevirenſium & Colonienſium. Ut in ejus vita. Et ſcribit Ottho Friſingenſ. lib. 3. Chron. cap. 15. Ad ejusdem reſurrectionis confirmationem contigit, quod S. Gregor. Turon. de gloria Confeſſor. cap. 50. narrat de Severino presbytero, qui cum ſua execratione meſpilum arborem ſubito arefeciſſet, poſtea facti pœnitens, eandem precibus ſuis revireſcere fecit. Nec minus mirum illud, quod de ſancto Stanislao legimus, cujus corpus cùm ab impiis membratim conciſum & per agros diſperſum eſſet, poſtea à Clericis collecta membra aptè compoſita, mox ita coaluerunt in corpus integrum, ut nulla vulnerum vel ſectionum veſtigia extarent. Ut in ejus vita.

IN FESTO
SANCTI MARTINI.

Evangelium, Luc. *11.*

IN illo tempore, dixit JESUS discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

CONCIONES.

CONCIO I.
MULTIPLEX BONA INTENTIO in Actionibus habenda.

I. *Causa honesti.*
II. *Ob gehennæ metum.*
III. *Ob mercedem æternam.*
IV. *Ob amorem DEI.*
V. *Ad imitationem Christi.*
VI. *Intentio nulla.*

THEMA.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, Luc. 11.

IN more fuit apud Lacedæmonios, ut parentes filiis adolescentibus panem aut escam aliam non præberent, nisi quam sagitta ex edito loco dejecissent. Textor in præfat. officinæ. Simili modo cum hominibus agit Deus: cœlestem enim gloriam nemini adulto concedit, nisi eam quisque sagittis bonorum operum quasi dejecerit & meruerit: quod vel ex illa Christi responsione, quam filiis Zebedæi dedit, colligi potest: *Sedere*, inquit, *ad dextram vel sinistram meam non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo*, Matth. 20. Unde calicem passionis eis priùs propinat. Itaque jaculari debemus pro cœlesti illo pane, & sagittas bonorum operum in illum extorquere. Porrò, qui jaculari vult, uno tantum oculo sagittam ad scopum dirigit ut bene jaculetur; similiter agendum est in bonis operibus. Oculus enim intentionis simplex & rectus adhibendus est, & tunc demum cum fructu jaculabimur præmiumque reportabimus: alioquin omnes actiones frustraneæ & inutiles erunt. Et hoc est quod in hodierno Evangelio Dominus dixit. *Si oculus tuus simplex fuerit; totum corpus tuum lucidum erit! si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Quorsum igitur collimandum sit nunc disquiremus.

A. Jaculatorum scopus solet esse orbis quidam albus, in cujus medio orbiculus est niger. Et hanc aliqui tangunt in extremitate, alii in albo, alii in nigro, alii denique ipsum medium seu clavum tangunt, & hi omnes superant, alii omnino errant. Sic in bene operando, prout varia est intentio, varia est jaculatio, & varium etiam præmium. Prima extremitatem tangit, secunda & tertia album, quarta nigrum, quinta clavum ipsum medium.

Prima

B. I. *Causa honesti.*

Prima, Intentio est, cùm operamur honesti & virtutis causa. Sic Aristoteles lib. 4. Eth. cap. 2. ait: *Virtutibus commune est aliquid facere libenter & honesti causa.* Nobilis & ingenuus est hic finis, hominique proprius & conveniens etsi naturalis tantum. Idem enim honestum ac honore dignum, id est, summo præmio quod ab hominibus exhiberi potest: hujusmodi autem post Deum cùm sit sola virtus virtutisque operatio utpote profecta à recta ratione hominis propria nobilissimaque regula rerum agendarum, ideò honestum & virtus virtutisque operatio non differunt. Inde soli illi veri homines censendi sunt, qui honestatem sectantur & honesti causa operantur, nam jucundum & utile bruta & qui cum ipsis non quæ sunt sursum sapiunt, sed quæ super terram, consectantur. Hunc finem sibi proposuêre gentiles illi, qui secundum rationẽ laudabiliter vixêre & propterea adhuc commendantur: Uti Athenienses; quibus cum Themistocles consilium turpe & iniquum præberet, licet illis utilissimum, de incendenda hostium classe; abhorrentes à facinore honestati contrario, vetuêre ne inposterũ de hac re verba faceret Themistocles. Plutarchus in vita Aristidis. Et meritò, nihil enim pulchrius & post Deum nobilius virtute seu honestate, nihilque quod hominem magis deceat & ornet. Sic Romani suas exercebant virtutes in tutela Patriæ, Justitiæ administratione, servatione civium, &c. quibus propterea Deus excellentissimi Imperii gloriam concessit, teste Augustin. lib. 5. de civit. cap. 15. Sed Christiani ut mercedem etiam æternam mereantur, ulterius tendere debent, operari videlicet ob amorem virtutis & honestatis, propterea quòd ea divinæ voluntati sit conformis & placens. Addendæ proinde huic primæ intentioni aliæ nobiliores ad eum modum, quo pictores rudibus lineamentis vivos colores alios & alios semper nobiliores adjiciunt. Ab hoc tamen fine & scopo, Primo aberrant, qui bonum faciunt propter finem inhonestum & malum, sive sit peccatum mortale, ut cum dives egenti fœminæ dat eleemosynam, ut eam ad stuprum polliciat: sive veniale tantum. Qui adeò nihil proficiunt nullumque inde meritum acquirunt, ut etiam Rei fiant: Perinde enim agunt, ac si ingenuum hominem servo subjiciant: vel aureum vas adhiberent ad cloacam exhauriendam: vel sacris templi vasis abuterentur ad comessationes & ebrietates sacris vestib⁹ ad choreas vel bacchanalia. Item qui ad utile tantum & jucundum attendunt, quod etiam bestiis commune est, quæ honesti capaces non sunt. Inde, quia ad honestum & virtutem non attendunt, pro nihilo ducunt fallere, mentiri, pejerare, injurias facere, &c. Tales enim Diogenes pro hominibus non agnoscebat & meritò. Talis Darius Hystaspis, qui dicebat: *Ubi expedit mendacium dicere, dicatur*; Imper. Caligula, qui dicebat sibi in omnes omnia licere. Sic denique qui Ludovico Galliarum Regi pulicem simulavit se tollere à veste, quia viderat alium ob sublatum à Rege pediculum, magnoperè remuneratum: meruit autem tot plagas, quot prior aureos: quia prior amore honesti id egit hic verò amore retributionis apud Majol. tom. 2. Canic. coll. 5.

C. II. *Ob gehenna metũ.*

Secunda Intentio, Cum bene operamur & peccata vitamus ob gehennæ metum: qui finis supernaturalis est & melior primo. Sic ait S. Hieronymus ad Eustochium, quòd ob gehennæ metum se ipsum condemnarit ad horrendum deferri carcerem. Et merito attenditur hic finis: quem enim non à malo absterreat & ad bonum compellat æternæ damnationis comminatio? Sane hoc medium nobis scriptura tanquam efficacissimum crebriùs proponit, quàm alia: Experientia enim docet, magis nos moveri pœnis, quàm præmiis; ignominia quàm honore, injuria quàm beneficio, plus de infirmitate dolere, quam de sanitate gaudere, unde bona ex malorum experientia melius cognoscimus: nemo enim melius novit quantum bonum sit sanitas, quam is, qui ægrotavit. Quid autem acerbius vel tristius excogitari potest, quàm ignis infernalis? Hac consideratione excitabat se ad virtutem Abbas Alexander apud Joannem Moscum in prato spirituali. cap. 69. *Væ tibi Alexander*, ajebat, *quanta erit confusio tua, cum cæteri coronabuntur.* Idem fratri alteri de acedia tentato dicebat: *Si in cella tua solicitè cogitares Regnum Cœlorum & cruciatum æternum, in cella tua acediam non sentires.* Ibidem cap. 142. Ab hoc scopo aberrant, qui temporales tantum pœnas metuunt, & idcirco agunt, quæ jubentur & debent, ne confundantur vel puniantur; Miseri profectò: timent hominem non timent Deum: timent pruinam, non timent nivem: timent perdere corpus, non timent perdere animam, contra id Salvatoris: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.*

D. III. *Ob mercedem æternam.*

Tertia Intentio. Cùm bene agimus ob mercedem æternam: qui finis melior est præcedenti. Sic dicebat David Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et meritò hic enim finis à Christianis attenditur, si enim ob temporale lucrum per mare, per terras currit mercatór ad Indos: si ob unam Rachelem 14. annis servivit pastorali munere Jacob quid non faciendum pro æterna beatitudine? Hujus contemplatione & propositione animabat ad laborandum & perseverandum in proposito fratres suos sanctus Antonius, quia scilicet pro paucis annis servitii nostri æternam nobis regna tribuerentur. Et sanctus Franciscus, interrogatus quomodo tam tenui veste hyemale frigus ferret, respondit: *Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur, facile nos ab hoc frigore tueremur.* Ab hoc aberrant, qui ob commodum & mer-

mercedem temporalem tantum agunt bene. Et hi abjecti nimis animi sunt; sordidi & injusti, ut qui res nobiliores dirigunt seu referunt ad longe ignobiliores: & Deo per ejusmodi actiones non serviunt propter se, sed propter hæc commoda, abjecturi illum & repudiaturi, si ab illis conferendis abstineret, sicut scriptum est Psalm. 48. *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Ac si diceret: non confitebitur cùm desieris benefacere. Isti apponunt conditionem Christo, *ut si sint Christiani* (ita loquitur S. Augustinus in Psalm. 129.) *habeant plenam domum frumento, vino, oleo, auro & argento. Nullus eorum moriatur immaturus; si quis non habeat filios, accipiat; si uxorem non duxit, ducat: non abortiat non solum aliqua mulier in domo ejus, sed nec pecus: non arescant cupæ ejus, non grandinetur vinea ejus: quæ cùm impetrare se non vident à spe cadunt.* Istis ait Christus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

E. IV. *Ob amorem Dei.*

Quarta. Cùm bene operamur propter DEum seu propter amorem Dei; & hic optimus ac nobilissimus scopus est, ad quem omnes Christiani merito in omnibus suis actionibus collimare debent: non in prioribus illis sistere, tametsi & ipsi boni sint. Nam imprimis, cùm Deus sit summum bonum nostrum, & finis ultimatus omnium rerum, postulat jure suo, ut ad ipsum nostra omnia referamus. Deinde cùm ipse bonorum operum nostrorum causa sit præcipua, ipsi consentiamus oportet; ipse autẽ semet *propter ipsũ operatur universa*, ut ait Salomon Proverb. 16. Denique quid mirum si exigat à nobis, ut ipsius amore tantum ducamur in operibus nostris, cum ipse amore nostri ductus nullo apposito pretio aut mercedis pactione pro nobis tanta fecerit? Non ergo sistendum Christiano in sola virtutis honestate, quia hic finis naturalis est, & multis gentilibus propositus. Non in metu gehennæ, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Nec in spe premii æterni, quia *charitas mercenaria non est, & sine mercede maxima non est*, ut ait S. Bernard. 15. Et hinc calumniari voluit dæmon bona opera S. Job quasi perfectione intentionis carerent. *Nunquid Job frustra timet Deum?* Decet igitur, ut nulla etiam proposita mercede caveamus malum & agamus bonum, sed præcipuè propter Deum: Et hoc est quod Esaiæ 26. dicitur, *à facie tua Domine concipimus & parturivimus spiritum salutis.* Deo igitur debetur partus bonorum operum ut patri, id est, causæ præcipuæ, qui instar Ludimagistri manum nobis ducit: Unde viginti quatuor Seniores mittunt coronas suas ante Deum & dicunt: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia & propter voluntatẽ tuã erant*, Apoc. 4.

Possumus verò variè propter Deum operari. Primò, ut Deus per opera nostra glorificetur, juxta id: *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*, Matth. 5. Ita faciebat insignis quidam Dei servus, qui cum suggereret ei tentatio frustra eum laborare in corporis afflictione, neque enim eum per illam ex præscito prædestinatum fieri posse; dæmoni respondit: *Bene est, sed scito me* non servire Deo ob cœlestem gloriam, verum ob *id, quia dignus est.* Rodriq. in Exerc. perfect. p. 1. tract. 3. cap. 13.

2. *Vt Deo placeamus.*

Secundo. Ut Deo placeamus per ejusmodi opera, quæ Deo placere scimus: sicque illi gratum aliquod sacrificium offeramus quemadmodum Rebecca parabat marito escas, quibus libenter vescebatur, Gen. 27.

3. *Vt voluntari divinæ nos conformemus.*

Tertiò. Ut voluntari divinæ nos conformemus, illique subjiciamus, à qua talia opera imperantur. Pictor alteri imaginem picturus, ejus designationi se accommodat, sic Dei voluntas & imperium semper præ oculis habendum. Porrò huc omnes Christiani deberent collimare in actionibus suis etiam indifferentibus & mediis, quales sunt fabricare, fodere, arare, &c. quia hac intentione faciunt omnes operationes suas sanctas & meritorias. Quis negligeret si cuprum per aquæ immersionem, reddere aurum posset? Hæc est illa mira & sancta alchymia, quæ ex ferro, cupro, imò luto splendidissimum aurum conficit. Idque nullo propemodum labore, imò cum magna dulcedine & facilitate.

Contra hoc peccant.

Contra hoc agunt. Primo. Quia mala agunt propter Deum, ut qui furantur propter Deum ut vel habeant unde alienæ inopiæ medeantur: abutentes verbis illis Apostolicis: *Sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*, 1. Cor. 10. Cum tamen de bonis tantum operibus deque indifferentibus loquatur Apostolus: Quanta enim hæc foret dementia, pravum aliquid Dei causâ agere? Neque ad honorem Dei talia cedunt, sed à contemptum. Inde illa Moysis exclamatio: *Abominationes Ægyptiorum* (id est, pecora) *immolabimus Deo nostro?* Exod. 8. Et vox Apostoli ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala ut veniant bona.*

Secundo. Qui ad gloriam suam referũt opera sua. Hi enim velut iniqui dispensatores bonorum Dei sibi attribuunt, quæ Deo debentur: Videntur esse tales, qui omnibus munusculis vel fabricis sacris apponunt sua nomina & insignia. Non ita Constantinus Magnus, qui licet Ecclesias plurimas & magnificentissimas extruxisset & ingentibus donariis locupletasset nullibi tamen nomen aut insignia sua appinxit, ut patet ex Baronio anno 324. & 337. Destruunt isti coqui fumo propriæ gloriæ, nobilissimos alioqui cibos, opera enim bona sunt cibus Dei, Joan. 4. Poma, si ab arbore in terram cadant, vitiantur & citò putrescunt: at si manu decerpantur & loco editiore ponantur, multo tempore sane conservantur: sic etiam bona opera si in terram

inanis gloriæ cadant, fœdantur, si vero ad Dei gloriam fiant, ad vitam æternam servantur. Unde sponsa Cant. 7. *Omnia poma*, inquit, *Nova & vetera dilecte mi, servavi tibi.* Quasi diceret: Nihil mihi inde usurpavi mihi attribuendo: sed omnia tibi offerro & in te refero.

F. V. *Ad imitationem Christi.*

Quinta. Cùm operamur ad imitationem Christi, eumque velut exemplar nobis in agendo proponimus: quemadmodum Deus Moysi ostendit exemplar tabernaculi in monte Sinai, dicens: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Christus hoc exemplar est speculum omnis perfectionis. Si hunc imitemur, & in nostris actionibus exprimere conemur, tunc optimam habemus intentionem. Cum ergo oras, cùm jejunas, cùm das eleemosynam, cùm egenos & infirmos visitas, cogita quo zelo, quâ charitate & alacritate id ageret vel egerit Christus. Ideò Dominus dixit: *Exemplum dedi vobis, ut sicut ego feci & vos faciatis*, Joan. 13. & Luc. 6. *Perfectus omnis erit, si sit sicut Magister ejus.*

G. VI. *Intentio nulla.*

Porro ab his omnibus aberrant scopis, qui vel ut cœci aut clausis oculis jaculantur frustra & in vanum; qui cum facilè possent hanc intentionem habere, & omnia opera pretiosissima facere id tamen non faciunt, sed quicquid occurrit, temerè agunt, nihil ex providentia seu animi designatione, atque ita prorsus nihil spiritualis lucrifaciunt. De his ait Aggæus cap. 1. *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras*, quam diceret, antequam viam ineatis, cogitate quamobrem & quo fructu vestro ineatis.

Optimus jaculator fuit S. Martinus, qui semper apertis oculis intendit ad scopum, siquidem *oculis ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Et cum moriens supinus semper oraret, moneretur que à discipulis ut converso corpore aliquamdiu pronus conquiesceret, tenuit dicens: *Sinite me cœlum potiùs quàm terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum Spiritus dirigatur.* Huc itaque si collimes, & scopum attingas, & plurima bona lucraberis. Disces enim inprimis hominem agere & lumini rationis operationes tuas conformare. Secundo, Plurima vitia evitabis quæ admitteres, vanitatemque ab operibus tuis repelles. Tertio, liberaberis ab obligatione reddendi rationem pro inanibus & otiosis cogitationibus, verbis, operibus. Quarto, plurima lucra spiritualia tibi parabis in cœlo & thesaurum immensum. Quinto, alios ædificabis, si viderint te omnia agere non ad ostentationem, sed propter Deum & simpliciter ambulare. Denique panem illum cœlestem, qui omnes sapores refert & omnem appetitum satiat, dejicies & lucraberis.

CONCIO II.

MULTIPLEX OCULUS BENE Examinandus.

I. Ratio.
II. Scientia.
III. Fides.
IV. Intentio particularis.
V. Intentio universalis.
VI. Consiliarius Magister.
VII. Oculus corporeus.

THEMA.

Vide ergò ne lumen quod in te est, tenebræ sint, Luc. 11.

Rectisimè quidem à Christo comparatur oculus corporalis oculo spiritualis rationis, scilicet fidei, scientiæ, &c. multas ob rationes. Sed est tamen inter utrumque oculum alia ex parte non parva differentia. Nam quod attinet ad oculum corporis nemo est mortalium, qui optet sibi cœcum, omnes amant videntem. At oculum spiritualem multi volunt cœcum, dum medicamenta respuunt, quibus visum recuperent. Deinde, qui corporaliter cœcus est, communiter novit se esse cœcum; qui verò lumine mentis privati sunt, multoties agnoscunt suam cœcitatem. Miram ejusmodi cœcitatem de Harpaste uxoris suæ fatua narrat Seneca ep. 50. *Hæc fatua*, inquit *subito desiit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit se esse cœcam; subinde pædagogum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cœci tamen ducem quærunt; nos sine duce erramus, &c.* sic ille. Quare ne id ipsum nobis eveniat, oculos nostros spirituales bene examinemus, ne de nobis dicatur, quod de gentibus Apostolus ad Rom. 1. ait. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

B. I. *Ratio.*

Primo. Oculus mentis, id est, Ratio clara non perturbata esse debet, nisi veluti cœci ubique velimus impingere. Quod oculus corporalis est membris, quod auriga equis; quod Consul Reipublicæ, hoc est ratio actionibus humanis. *Si ergò lumen*, id est, ratio, *tenebræ sunt*, ipsæ *tenebræ quantæ erunt?* id est, ipsæ actiones, quantis erroribus laborabunt? si oculus est cœcus: si auriga, si Consul, quid fiet membris, equis, subditis qui lumen ab illis mutuari debent? Quid rationabile, quid laudabile, imò quid non vituperabile, & abominabile exspectes ab homine ebrio? similiter ab oculo infenso & invido? quid non hostile & dolosum? ab iracundo quid non sævum & iniquum? nonne inter

feras

feras satius est, quam inter tales degere? nonne ipsi postquam ablata perturbatione ad mentem redierint, dolore & pœnitentia occupantur, omniaque sua acta deflent & execrantur? nonne ipsosmet pudet? *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Quando perspiciliis vis uti ad videndum aliquid, priùs eas tergis, ne visum accuratiorem impediant aut decipiant: cur non idem facis, cùm quid difficilè adoriris? cur non purgas priùs oculum mentis ab omni perturbatione, ira, invidia, ignorantia, ebrietate, &c. Alioquin reus eris præcipitantiæ & inconsiderationis, unde ad extremum rubore & pœnitentia licet inutili & sera tangéris, cum vexatio dabit intellectum.

Secundo. Debet eligere ac sequi bonum honestum. Peccans sequitur sensualem appetitum & cum brutis eligit, quæ carni & sensui placent, non quæ hominem decent, & honore digna sunt, virtutem scilicet. Unde graviter errat, qui pro nihilo reputat mendacia, detractiones, injurias, &c. imò pro bonis ea habet & de iis gloriatur. Cùm contra vir oculum purum habens, qui honestatem & virtutem sibi sequendam proponit, hæc omnia execretur, & indecentissima reputet uti promissis non stare, mentiri, ira corripi, fallere, &c. Si ergo hic rationis oculus simplex fuerit & honestatem sequatur, omnia ejus opera laudabilia & præclara erunt.

C. II. *Scientia.*

Secundo. Scientia, quæ rationis quasi perspicilium est ejusque acumen, interim tamen suis sæpè non caret tenebris perniciosæ ignorantiæ. Primo enim aliqui scientiam se eorum, quæ ad salutem necessaria sunt, habere existimant, cum tamen magnis laborent ignorantiæ tenebris: juxta id Proverb. 12. *Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.* Hinc nullas ferè audiunt conciones, nihil unquam cupiunt divinarum rerum discere. Sed advertere isti debent, quòd medici, quantumvis boni, sibi ipsis non soleant mederi communiter: quemadmodum & David licet magni luminis Propheta errores suos nō correxit, nisi postquam Nathan Propheta eorum gravitatem illi explicavit, 2. Reg. 12. *Vide ergo ne lumen tuum tenebræ sint.* Et ideò rectè monet Sapiens Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et, *ne sis sapiens apud temet ipsum.* Nimirum uti oculus seipsum non videt, sed alios tantum, sic proprios defectus rarò & difficulter cernimus: facilè autem alienos.

Secundo. Alii habent scientiam, sed ad secularia tantum: non ad divina: ad vitia perpetranda, ad lucra & divitias comparandas, ad causas suas tuendas sunt astutissimi, ad virtutes verò comparandas; ad vitia extirpanda, ad cōscientiam suam cognoscendam sunt rudes & cœci juxta id Jer. 4. *Filii insipientes sunt & vecordes: sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.* Et hos sciolos non obscurè Dominus vocat *filios tenebrarum*, cùm ait eos *prudentiores esse filiis lucis*, Luc. 16. D. Basilius homil. 8. hexam. confert hujusmodi homines cùm noctuis, quæ in tenebris acie oculorum pollent, in luce cœcutiunt. *Quemadmodum enim noctuæ*, inquit, *aspectus noctu quidem valet, sole autem illucescente, non mediocriter offuscatur & hebescit; sic sæcularium hominum & hujusmodi sapientum mens acutissima quidem ad vanas res perspiciendas esse videtur, hebetissima verò caligineq; referta ad ipsam lucem veram perspiciendam evasit.* Tenebrosum hoc lumen à diabolo magistro habent, figurato in Ammonite Naas, qui civibus Jabes Galaad dicebat: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros*, 1. Reg. 11. Sic diabolus quos in fœdere suo habet, terrena, noxia, & vana acutè sinit cernere, quasi sinistro oculo: divina verò, quæ dextri sunt oculi & ad salutem spectant ad cognoscendam & purgandam conscientiam, virtutes parandas, viam cœli cognoscere non sinit. Sed *vide ne hoc lumen tuum tenebræ potius sint*? Sicut & lumen noctuæ.

D. III. *Fides.*

Tertio. Fides, quæ est oculus animæ supernaturalis, & dirigit gressus nostros, ne à salute aberremus. *Sicut lucerna*; inquit Chromatius in cap. 5. Matth. *incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foveas aut in offendicula quæq; ambulantes incurrant: ita in hac seculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus præeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus.* Jam verò, Primo putant aliqui se hoc lumine præditos, cùm minimè sint, uti omnes hæretici, & idcirco toto itinere continuò aberrant à cœlo. Nobis quidem Catholicis nihil hic difficultandum, quia antiquam tenemus semitam, quam omnes patres nostri Christiani tenuerunt. *In antiquis* autem *est sapientia*, ait Job cap. 12. *& in multo tempore prudentia.* Sic vinum vetus melius est, quia magis defæcatum ac digestum. Unde ad solatium & securitatem nostram, ait Dominus Luc. 5. *Nemo bibens vetus* (vinum scilicet) *statim vult novum; dicit enim vetus melius est.* Nos, jam à prima fidei prædicatione, vetus vinum bibimus, ideoq; mustum hæreticorum fæculentum nolumus. Viderint illi, ne lumen quod in ipsis est, tenebræ sint. Suspecta semper est novitas antiquitati contraria; unde & meritò examinanda priusquam acceptetur. Cùm à via regia & trita devias ad novam & parum tritam, statim sistis & incipis habere suspectam & interrogas. Via Catholica regia est tritissima: hæreses viæ novæ sunt non tritæ: ergò interroga & tu. *Hæc dicit Dominus*, ait Jeremias cap. 6. *State super vias & videte, & interrogate semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.* Alioqui si hic oculus tenebrosus sit totum corpus tenebrosum erit, id est, tota vita & omnes quantumvis

tumvis bonæ actiones frustraneæ erunt. Vide ergo, &c.

Secundo putant aliqui sufficere si qualitercunq; credant & sentiant cùm Catholicis, interim tamen fidem incompletam, vel merè habitualem [qualis in infantibus] vel mortuam & bonis operibus destitutam habent. Qui tamen hac sua fide à salute aberrabunt ut in Festo *S.* Thomæ diximus.

E. IV. *Intentio particularis.*

Quartò. Intentio particularis in hoc vel illo opere faciendo: hæc enim vocatur hoc loco lumen, & oculus à Domino & merito, quia sicut oculus, dirigit ambulantem, sic intentio opus; & quemadmodum si oculus clarè videat, totum corpus sine offensione ambulabit: sic si intentio bona sit, modò opus ipsum non sit ex se malum, totus opus bonum erit: contra verò, si intentio mala sit, etiam opus quantumvis in se alias bonum, malum erit. Ex primo capite opera etiam media, ut agricultura, mercatura, famulatus, gubernatio, comestio, &c. si bonum habebant finem, bona fiunt. Ex secundo opera etiam optima, uti consilia Evangelica, mala fiunt, siquidem intentio mala est. De Mida fabulantur Poetæ (Maximus Tyrius) quidquid attingebat, versum esse in aurum. Id quod verissimum est de intentione, quæ si bona est, omnia opera licet indifferentia, facere aurea potest; [non tamen ea, quæ ex se mala sunt.] Quam felicem reputaret se mercator: si solo attactu suo posset omnes merces suas convertere in gemmas? At hoc potest intentio. Unde quod de pecunia dicitur? *Et genus & formam regina pecunia donat:* multò verius de intentione dicitur: *Et genus & formam regina intentio donat.* Uno verbo Rex facere aliquem ex plebeis nobilem, Baronem, aut Comitem potest: Una etiam intentio bona facere ex opere nullius pretii, pretiosissimum potest. Contra etiam ad malum & quidem potentior est intentio, quia etiam bona operi inficia, cùm mala cohonestare nequeat. Quoniam igitur tantum valet intentio, meritò ad eam sedulo aspiciendum est, & omni modo curandum, ut omni nostra opera bono fine operemur, præsertim cum res facillima sit. *Vide ergo, ne lumen, &c.*

F. V. *Intentio universalis.*

Quintò. Intentio universalis, respectu totius vitæ, quæ respicit ultimum finem, quem sibi quisque designat: Ut enim, si scopum sibi aliquem præfixit, eò totum suum obtutum flectit, & omnes sagittas jacit; ita ad scopum vitæ, quem sibi constituit homo, saltem plerasque dirigit actiones suas. Sic conjugatus cogitat quomodo placeat conjugi, Virgo quomodo Deo, mercator omnes suas cogitationes dirigit ad mercaturam & lucrum, opifex ad opificium suum, &c. Et de hac intentione putat Author imperfecti locutum esse Dominum Matthæi c. 6. cum immediate prædixit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Vult enim dicere Dominus, sicut is, qui cor, amorem & desiderium suum habet in thesauro suo; illic habet & cor, id est omnes cogitationes & operationes suas eodem dirigit; ita oculus, cùm sibi scopum aliquem præfixit ultimum, illic omnes gressus suos dirigit ad eum assequẽdum. Quare, qui non alium sibi proposuit finem, quàm mundo inserviendi, divitiis, honoribus & voluptatibus fruendi; qui nquam ejusmodi depravatum oculum habet: profectò ipse homo malus & penè tota ejus vita mala sit necesse est. Sit qui apud se constituit Deo inservire, Regnum cœlorum & justitiam ejus quærere, ad hunc finem potissimam vitæ partem saltem, si non totam ordinabit. Qui enim finem sibi efficaciter proponit assequendum, media quærit & adhibet, ut ad eum pertingat. Vide ergò quorsum omnes tuos labores curas, industria & cogitationes dirigas: num ut mundo placeas? an verò ut Deo? Sanctus Martinus oculis ac manibus in cœlum semper intentus erat: quia nimirum DEUM sibi scopum præfixerat, & ad eum omnia sua dirigebat: Uno oculo eoque dextro ad scopum collimandum est, qui est, ut Deo placeamus in omnibus nostris actionibus. Sic Cant. 4. dicit sponsus: *Vulnerasti cor meum sponsa in una oculorum tuorum.*

G. VI. *Consiliarius Magister.*

Sexto, Oculus politicus, scilicet, consiliarius suasor, instructor, &c. de hoc enim ait Job cap. 29. *oculus fui cœco.* Talem verò oculum examinandum monet Ecclesiast. cap. 6 dicens: *Consiliarius sit tibi unus de mille.* Et cap. 37. *A Consiliario serva animam tuam: prius scito, quæ sit illius necessitas, ne forte mittat sudem in terram & dicat tibi: bona est via tua: & stet è contrario videre, quid tibi eveniat,* quasi diceret, examina illum prius, ne fortè ponat tibi offendiculum in via, &c. Refert Sanctus Hieronymus & post eum Lyranus, & alii ex Hebræis, Cainum à Lamech in sylva sagittæ jactu occisum esse, eò quòd Lamech ob senium cœcutiens à puero ductore, quæ Csinum latentem in sylva pro fera aspexerat, deceptus sit & pro fera Cainum confixerit jaculo: ac propterea puerum quoque à Lamech occisum esse: ideoque ab eo dictum: *occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum,* Genes. 4. Quæ historia si vera est, apposite ostendit quantum à consiliario malo & insipiente cavendum sit. Si enim is puer sensibus sit, id est, insipiens, aut qui sensibus, propria utilitate, &c. ducatur, qui tibi hominem pro fera monstret, id est, suadeat illicita tanquam licita: in errores & miserias pœnitendas te abducet. Unde Ecclesiastic. 10. dicitur. *Væ terræ cujus Rex puer est.*

H. VII. *Oculus corporeus.*

Septimo. Oculus corporeus. Est enim & ipse sæpe nequam & immanis pirata, qui in hoc mundi mari undique circumnavigat, & tandem propriam cujusque animam spoliat ac prædatur. Sic enim Thren. 3, dicitur: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Nequam est, cùm rapere desiderat res sæculi,

ſæculi, quas intuetur; ſicut oculus milui, qui ſemper aſpicit terram ut rapiat pullos aut mures: & corvi, qui ubique cadaver quærit. Bonus & ſimplex eſt, cùm nulli nocere, nec aliena deſiderat ſicut oculus columbæ, juxta Cant. 1. *Pulchra es amica mea, oculi tui columbarum.* Et Eſaiæ 60. *Qui ſunt quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? quia juſti per ſenſus corporis,* inquit ſanctus Gregor. lib. 21. Moral. cap. 2, *exteriora quæque intentione non reſpiciunt rapacitatis eosque foras non rapit concupiſcentia carnalis.* Vide igitur qualem tu oculum habeas, corvine an columbæ: & memineris columbam ad arcam Noë rediiſſe, non corvum, inſiſtentem ſcilicet cadaveribus; ſic etiam oculum malum terrenis inhærere, ad cœleſtia non tendere. Proinde ſi oculus tuus nequam fuerit erue eum & projice abs te, quia totum hominem inficit, & ab cœlo excludit.

Vide ergo ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint. Oculus tenebrarum amans, uti noctuæ, non poteſt intueri ſolem, ſic nec oculus tenebroſus & impurus faciem Dei. Purga hic oculos tuos & abſterge tenebras ejus: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

CONCIO III.

OCULUS INTELLECTUS SEU rationis unde potiſſimum obſcuretur.

- *I. A ſuperbia.*
- *II. Ab Avaritia.*
- *III. A luxuria.*
- *IV. Ab invidia.*
- *V. Ab ira.*
- *VI. Ab ebrietate.*
- *VII. Ab ignorantia & tædio.*

THEMA.

***Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint,* Luc. 11.**

QUemadmodum oculus corporalis præſtantiſſima pars eſt corporis, ita & oculus animi, qui eſt Ratio ſeu intellectus, prꝰſtantiſſima pars eſt animæ. Uterque enim ſpeculatoris & excubitoris munus agit, & omnes actiones dirigit; ac ſiquidem vigilaverit, eas omnes rectas & laudabiles facit: ſi vero obdormiat aut cæcuciat, nihil recti facit. Imò quod eſt ſol mundo, hoc oculus eſt corpori, hoc ratio eſt animo. De die omnia ordinatè & decore fiunt, de nocte omnia confuſe & turbate: ad lucem optime ſcribimus, in tenebris vero peſſime. De die caute ambulamus, noctu verò periculoſe & cum trepidatione. Unde bene Dominus: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum tuum corpus lucidum erit; Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum* (omnes actiones tuæ) *tenebroſum erit.* Ideo natura oculum corporalem ſolicite cuſtodivit, muniendo eum palpebris quaſi domo, gena & fronte elevatiore quaſi vallo: ciliis quaſi repagulis & ponticulis penſilibus, qui de nocte elevantur & portis oppanduntur ſuperciliis quaſi excubiis: ad hæc cùm periculum oculis imminet, naturali inſtinctu manus objicimus, oculos avertimus & claudimus, ac quaſi militibus defendimus. Unde Iſidorus lib. 11. Etymol. cap. 1. oculum ab oculendo dictum ait, quod natura tanto eum ſtudio oculerit. Quod ſi tantam naturæ ſolertiam cernimus in oculo corporeo, oportet ut non minorem, ſed majorem longe adhibeamus cuſtodiam rationi, in qua tanto plus eſt ſitum, quanto ſpiritus corpore præſtantior eſt. Hoc enim eruto vel cœcato, nihil recti ages & inſtar Samſonis excœcati facilè abduceris à Philiſtæis, id eſt, dæmonibus ad vitiorum ſervitutem. Hinc illi inprimis adnitūtur ut oculos noſtros turbent & veluti anguillas in aqua turbida capiant. Unde Apocal. 9. ſcribit Sanctus Joannes, quod in ſpiritu vidit: *Aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſe*: Ita nimirum diabolus ſolem intelligentiæ noſtæ obſcurare conatur fumo perturbationum, qui non niſi à puteo infernali prodire poſſunt. Quales vero ſint hi fumi & proinde quàm cavendi, nunc videndum.

B. I. *A ſuperbia.*

Primo. Perturbatur à ſuperbia & ambitione, teſte Abacuc. cap. 2. *Quomodo vinum potantem decipit, ſit erit vir ſuperbus,* inquit. Ebrius inter plurima inepta quæ facit, omnia duplicia videt, ſe majorem etiam exiſtimat quàm ſit; vires, ingenium, formam & ſcientiam ſuam aliaque ſimilia miro modo extollit, licet nihil horum habeat: Ita etiam, qui ſuperbiæ ſpiritu tumet. Tali inflatus ſpiritu fuit olim Menecrates Medicus apud Athæneum lib. 7. & Adrian. Junium in adagio: Nihil ad Medicorum arrogantiam Etenim [ut ſcribit Junius] Jovis cognominationem ſtultè uſurpabat, velut qui ſua arte vitam mortalibus exemplo Jovis daret: quo nomine gloriabundus veluti cœtum quendam conſentiētium Deorum ſibi adſciſcebat eos ipſos, quos comitiali morbo obnoxios ſuavitati reſtituerat, ſacramenti lege obſtrictos juſſosque famulantium more ſubſequi, hunc Herculis habitu, illum Mercurii chlamyde caduceoque inſtructum rurſus alium Apollinis, alium Æſculapii amictu: cum interim ipſe Jupiter prę omnibus emineret, purpureo paludamento aureaque corona conſpicuus manuq; ſceptrum tenens, pedibus crepidatus. Neque ſtetit intra hoſce fines vecordia hominis, ſed in majus etiam erupit, quando ad Philippum Macedonum Regem per literas in hunc modum ſcripſit: *Menecrates Iupiter Philippo ſalutem. Tu quidem Macedoniæ Rex es; egò vero Medicinæ. Tu ſanos, cùm vis, perdere*

dere potes: at ego ægrotos servare in vita: & bona valetudine præditos, qui mihi obsecundaverint, ad extremam usque senectutem incolumes & integros tueri. Quapropter te Macedones armis stipant, me vero victur, siquidem illis Iupiter ego vitam largior. At Philippus huic insanæ belluæ nihil aliud rescripsit, quam: *Philippus Menecrati* ὑγιαίνειν, id est, sanam mentem, scilicet precatur. Simili insolentia inflatus Nestorius Constant. Episc. in prima statim concione se Deum quendam fecit, & his verbis Theodosium juniorem Imperatorem compellavit: *Da mihi, ô Imperator terram ab hæreticis liberam & puram: & ego tibi cœlum reddam. Tu mihi hæreticos extirpa, & ego tibi in Persis delendis adero.* Niceph. l. 14. c. 13. Qui & paulò post in hæresin lapsus in eaq; deprehensus est, ut idem cap. sequenti narrat; quo eodem spiritu inflatus Lutherus & aliis in hæreses lapsi sunt. Ita nimirum *vinum* superbiæ *potantem decipit*, & tandem de se præsumentem prosternit atque in cœnum projicit. Ex qua mentis perturbatione perversissima judicia prodeunt. Hinc enim superbi seipsos prædicant, laudant, jactant, interim verò ab aliis ridentur veluti stulti & vani. Hinc etiam adulatione majores sibi videntur, uti literæ per perspicilia lectæ. Denique se ipsos omnium odio exponunt, & in præsentissima vitæ & salutis divinaq; vindictæ discrimina conjiciunt. Commodus Imperator, præ tumore adeò insaniit, ut vestitum Herculis assumens cum pelle & clava prodierit, sibique immolari ut DEO passus sit. Hac tamen sua stultitia risum aliis movit tametsi capitalem. Plures enim propterea occidit, in quo magis adhuc ridiculus imò insanus fuit. Baron. anno 192. Tandem ab Athleta, cum quo exerceri solebat in palæstra compressis faucibus strangulatus est. Baron. anno 194.

C. II. *Ab avaritia.*

Secundò. Perturbatur à cupiditate & avaritia; Testatur id DEUS ipse, qui Exod. 23. præcipit: *Nec accipies, munera, quæ etiam excœcant prudentes, (Hebr. videntes) & subvertunt verba justorum.* Nam Primo. Inclinant affectum deinde affectus inclinat & obnubilat rationem & judicium: inde ratio profert sententiam in favorem donatoris. Similiter S. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 7. ait: *Rerum temporalium cupiditate obtenebramur.* Et quid multis: Constat experientia, quod aureis hastis felicissimè pugnetur, & splendor auri excœcet rationem & judicium, sicut pelvis candens oculos ursi: inde promoventur inidonei ad munia & dignitates, opprimuntur innocentes & ipsa veritas. Exemplum referam ex Dionys. Carthus. apud Delrium in adagialibus sacr. p. 2. narratur, quòd quidam habens causam appropinquante die proferendæ sententiæ, misit Judici bovem; quo cognito, Adversarius misit conjugi Judicis pinguem vaccam. Conjunx itaque maritum suum traxit in partem suam. Ventum est ad judicium. Quo instante cum judex inciperet loqui in favorem causæ ejus qui miserat vaccam, alter admirans clamavit: *Bos loquere.* Respondit que Judex: *Bos loqui non potest, quia vacca non sinit.* Egregium scilicet acumen, triremibus dignum: Unde ænigma: *Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva* (lege inversis literis mutnegra argentum, murva aurum.) Veluti igitur à candende ferro aut carbone, manus excutiendæ sunt à munere, prout insinuat Isaias cap. 33. *Qui excutit manus suas*, inquit, *ab omni munere*, &c. *iste in exelsis habitabit.* Talis B. Thomas Morus Cancellarius Angliæ, judex æquissimus, munerum & opum contemptor; Nam cum aliquando vidua, cui litem adjudicarat, obtulisset ei poculum aureum: ille accepit quidem, sed vino replens ei præbibit & reddidit. Ut habetur in ejus vita.

D. III. *A luxuria.*

Tertiò. Ex lascivia & libidine. *Nam vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*, ait Eccles. cap. 19. Hinc veteres pinxêre Venerem cœcam. Vidit hoc etiam Arist. cùm scriberet: *Voluptates prudentiæ sunt impedimento, atque eo magis, quo magis quis oblectatur*, lib. 3. Eth. cap. 11. Testis hujus veritatis est Salomon, qui cum circa auspicia regni sui esset mortalium sapientissimus, 3. Reg. 4, totus postea desipu t, cùm in voluptates carnis corpus immersit & animum. *Cumque jam esset senex*, inquit scriptura, *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*; 3. Reg. 11. In similem vesaniam lapsus est Henricus VIII. Angliæ Rex eadem ex libidine, qua Catharinam legitimam conjugem repudians, Annam Bolenam, quã mirè deperiit, substituit. Ex quo factus est à se totus alius & sedi Apostolicæ rebellis, summum se Pontificem profiteri in regno suo non erubuit. Denique inepti & fœdi amantium mores facile ostendunt, eos à mente & ratione longè excessisse. Fortissima enim est illa tentatio, quæ hominem ad se totum rapit: itaque fugienda, ne ex uno in plurima alia peccata velut cœcati præcipitemur. Quare oculi inprimis sedulo custodiendi ad exemplum Job, qui *Pepigi fœdus cum oculis meis*, inquit, *ut ne cogitarem quidem de virgine*, cap. 31. Nam ex cogitatione & desiderio quæritur aspectus, ex hoc movetur concupiscentia & inde ingens procella perturbationum: de amato semper cogitatur, nihil aliud placet, errata defendũtur, &c. Sic senes illi lascivi, calumniantes. Susannam, quorum uni Daniel ait: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum*, Dan. 13. Horrendum exemplum crudelitatis ex lascivia natæ narrat Lipsius, quod quia maximè ad rem facit, ad verbum ex illo describere volui.

Erat Carolo Audaci Burgundiæ Duci vir nobilis in ferventi gratia, atque ei præfecturam oppidi in Zelandia dedit. Ipse ibi in otio amorem concipit in fœminã scitam corpore, & moribus animo meliorem. Primo aspectus, obambulatio, suspiria & quæ solent

lent amantes; mox audacior & verba miser & affectum aperit, & solatium orat. Neque promissis abstinet, & omnia tentat, quæ sint expugnanda. Frustra. Munita undique castitas erat. Igitur desperatione ad facinus se vertit. Præfectus erat; & Carolus noster in bello: maritum igitur amatæ fœminæ proditionis insimulat, & statim in vincula missum carcere custodit, ut vel ut hoc metu minisque illam moveat, & obnoxiam sibi reddat, vel maritum ipsum amoveat, remotam amori. Currit igitur & mulier casta & viri amans, statim ad carcerem, à carcere ad præfectum deprecatura aut liberatura si possit. Præfectus: Et tu, ô mea, me rogas? imperium, quod in me habes, ignoras? affectum saltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim uterque ille in meo, ego tuo carcere, aut vinculis: ah quam facilè utrūq; solvis? quid renuis? amans peto. & per meam vitam: Præfectus peto & per mariti tui vitā. Utraq; agitur; & perire si debeo, peream. Atqui miserere & mulierem te & conjugem ostende. Mulier rubere ad ista & stupere, & tamen pro marito etiam timere. Constat magis animo quàm corpore; & trepidat & pallet. Atque ille quia moveri visa, & leviter vim adhibendam ratus (soli erant) in lectum impellit, fruitus fructu utique mox acerbo. Nam mulier confusa & lachrymabunda abiens, pudoris magis quàm peccati ægra, iram & vindictam coquit, quam etiam accendit barbarum Præfecti factum. Nam ille potius, & cætera prolixa autumans, si æmulam sustulisset, maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, sed carcere ipso factum, atque ibi cadaver in arcam ligneam inclusum mox sepeliendum. Venit interea mulier sive ab ipso accita (ut quidam tradiderunt) sive sponte & super salute mariti anxia; sed venit & vel ex pacto, maritum recipere se sperat. Ille benignè affatus: Et maritum, inquit, quæris? habebis, abi, (& digitum in carcerem intendit) invenies & tolle. Nihil, suspicata, abit, videt & percellitur & animo & corpore lapsa, super cadaver se abjicit, ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque; atroci vultu & verbis: Et hercules inquit, reddisti maritum: gratia debetur, exsolvam. Retinere ac placere conatur, frustra; non tigris magis sæviat fœtu erepto. Statimque amicorum fidis advocatis, rem denarrat ac consilium viamq; ultioni exquirit. Censent omnes ad Principem eundum. Accedit duobus amicis comitata, auditus, vir creditur, & indignatur & dolet Princeps hoc in suo solo, & è suis quēquam ausum. Sed & mulieri edicere minaciter, nisi vera & certa afferret, malum habituram. Jubet manere in aula, & in vicinum cubiculum secedere, dum Præfectum vocat: Nam fortè & ipse in aula erat. Venit; introducitur & mulier: Hanc nostin? fert, etiam nosti? atroces sunt, & quas nolim esse veras. Quid ais? vacillat, perplexe loquitur, negat aliquid, & annuit, donec Princeps ex vultu ipso & sermone culpam suspicatus. ut tamen certior esset, remotis omnibus solum alloquitur. Quam fidem mihi debeas & quam beneficiis meis gratiam non nescis. Per hăc & illam te adjuro, ut quid in hac re sit aliquidò & sine ambagine denarres. Fatenti gratia aut aliqua severitas non deerit, nec abutenti tormenta. Ibi ille se ad genua abjicere, factum agnoscere, denique mulierem culpa omni liberare, se onerare, sed in gratia Principis refugium & solatium ponere. Quam ut magis impetret illicitam libidinem matrimonio purgaturam offert. Princeps quasi aures præbens, etiam mitior, mulieram revocari, quosdam, è suis assistere jubet. Et heus tu, quoniam huc ventum est mulier, placet ne maritum hunc habere? illa abnuit, & tamen voluntatem aut jussa Principis timens, aspicit circumstantes, qui certatim innuunt aut suggerunt, accipiat conditione vir nobilis, divitis, apud Dominum gratiosi. Victa dat manus: quas Princeps jungi cum Præfecti jubet, & solemnibus verbis matrimonium firmari. firmato iterum Princeps: Tu nove maritte, hoc jam nunc largire, ut si prior sine liberis obeas, hæc conjunx hæres omnium bonorum tuorum sit, libens concedit, testes audiunt, tabularius scribit. Et his jam peractis, Carolus ad fœminam: Dic sodes, animo tuo jam factum satis? satis, inquit mulier. At nondum meo, ille subjicit, & ablegata fœmina, jubet Præfectum in illum ipsum carcerem duci, in quo maritus cæsus, & pariter cæsum in arcam ligneam sive capulum deponi: facta sunt. Tum mulierem eo mittit, quæ inopinato casu iterum contrita, duobus maritis eodem ferè tempore amissis, mox in morbum incidit & fato obiit. Hoc solum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priori conjugio divites relinqueret nova hæreditate.

E. IV. *Ad invidia.*

Quarto. Ex invidia, hæc enim depravat oculum, ut quæ sunt in aliis bona, videre nequeat, mala tantum videat, sæpe comminiscatur, ac quæ sunt laude digna, vituperet & prava esse judicet: Unde Ecclesiast. 14. *Nequam est oculus lividi & avertens faciem suam*; scilicet à prosperitate & bonis proximi. Sic Judæi ejectionem Dæmonis ab obsesso per CHRISTUM factam, Beelzebub adscripserunt: ob quam calumniam monet eos in hodierno Evangelio, ne rationem suam adeo per invidiam excœcare & sub modio ponere velint. Eadem ex causa Saul Davidem fidelissimum licet servum suum, imaginabatur sibi tanquam Regni insidiatorem, & non rectis oculis aspiciebat: quia nimirum audierat ei dari decem millia, sibi verò mille tantum à mulieribus, 1. Reg. 18.

Et

Et hinc fit, quod hæretici, licet Romæ & in aliis catholicis locis plurima videant bona & laudabilia, ad DEI cultum, ad pietatem, pauperum sublevationem, &c. pertinentia, ea non attendant, vel sinistrè interpretentur: notent vero solùm, quæ in paucis reprehendi possunt, & reprehensibilia ipsis videntur. Unde ista tantum loquuntur, illa verò tacent.

F. V. *Ab ira.*

Quintò. Ex ira Psalm. 6. *Turbatus est à furore oculus meus*, ait David. Quem tamen furorem concipiebat solum in propria peccata. Nam quod iræ perturbationem admittere non soleret, patet ex eo, quòd Sauli inimico, aliquando in spelunca deprehenso pepercit, dicens: *Cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*; quia scilicet minimè turbatum habebat, 1. Reg. 24. *Impedit ira animum ut possit cernere verum*, ait Poëta. Et sicut videns per vitrum rubrum, omnia rubra videt, ita iracundus omnia, quæ offendit, imaginatur sibi hostilia. Per hanc adeò perturbatus fuit Saul, ut dum vult filio Jonathæ Regnum stabilire contra Davidem, interim nitatur eum lancea transfigere, 1. Reg. 20. Per hanc perturbatus Dux Bavariæ Ludovicus Severus, & ex falsa suspicione in errorem inductus, quasi conjux ejus Maria Brabantina alterum amaret; ut repentè Donavverdam (ubi illa tunc habitabat) advolarit, & correptam frustra se excusantem, plecti capite jusserit. Mox tamen ubi desæviit, errorem suum agnoscens, & pudore simul confusus sequenti statim nocte conjugis manibus adeò exagitatus fuit, ut repente totus incanuerit ea nocte, quasi jam septuagenarius esset, cùm 27. annos solummodo haberet. Matt. Rad. 2. p. Bav. S. Ita nimirum in furore talia committuntur, quorum postea pudet ac pœnitet.

G. VI. *Ab ebrietate.*

Sextò. Ebrietate, quod verius est, quam ut ostendi debeat. Et hinc ebrii ad quævis vitia facilè pertrahuntur. Refert Plin. lib. 8. cap. 18. Sub Claudio Imperatore Pastorem Getulum injecisse sagum suum Leoni in se irruenti, inde feram, velatis nimirum oculis, torpuisse ut vinciri posset: adeò vim omnem leoni in oculis esse. Ad eundem modum per ebrietatem ita hebetatur rationis acies, ut non difficile vinci à Dæmone possit homo, & quibusvis peccatorum vinculis irretiri. Hæc justum Loth, quem Sodoma non vicit, in duplicem incestum abduxit: Alexandro magno mentem ita abstulit ut charissimum Clytum in mensa occiderit, quin & se ipsum Herculiano scypho. Hinc forte Bacchus Liber dictus, id est, solutus tanquam taurus furiosus & indomitus. Unde Alphonsus Rex Aragonum rogatus cur adeo ebrietatem detestaretur, respondit: *Quia scio furorem & libidinem ejus filias esse. Scio quantum gloriæ Alexandri M. obfuerit ebrietas.* Denique ut verbo dicam, ebrietas nihil rectè facit, nisi cum ebrium projicit in lutum. Quare sicut piscatores turbant aquas, ut anguillas alioqui lubricas & captu difficiles, queant capere, Pierio teste lib. 29. hierogl. Sic diabolus ad ebrietatem homines pertrahit, ut in alia scelera præcipitet.

H. VII. *Ab ignorantia & tædio.*

Septimo. Per ignorantiam & tædium discendi: Quales erant filii Heli, de quibus 1. Reg. 2. *Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, nec officium Sacerdotum.* Rectè vocantur filii Belial, id est, exleges: quia qui legem nescit, eam non curat nec servat. Quales etiam multi Catholici, qui nesciunt requisita ad salutem ex negligentia discendi: Cùm Judæi, Saraceni, & hæretici longè melius sciant, quæ ad ipsorum sectas pertinent. Cur multi nesciunt quando sit jejunium, idque non observant? quia piget eos adire concionem, post quam proclamantur jejunia. Cur multi non resipiscunt ab erroribus suis; quia piget eos inquirere in libris, vel à Confessario, rectenè an male faciant. Cur multi non confitentur peccata, quæ in usu matrimonii committunt? quia nolunt intelligere ac discere, an ea sint peccata.

Denique Deum rogemus, ut sicut sol nebulas dissipat & aufert, lucemque reddit claram, sic & ipse tollere dignetur mentis nostræ caliginem. Sed & nos laboremus, uti ne inducamus oculo nostro ejusmodi nubem: fugiamus ergò vitia prædicta. Certè infantes non patiuntur sibi obligari oculos: ne simus nos stultiores. Quod si ea peccata rationem non obscurarent & ad alia non traherent, satis per se mala forent: Atqui præterea pariunt alia scelera ideoque meritò dicuntur capitalia. Imitemur S. Martinum, qui nequaquam passus est induci oculis suis glaucoma à Cacodæmone. Sed cùm is in forma Christi regia ei appareret, priusquam crederet asserenti se Christum esse, rem sedulò consideravit, & fraudem agnovit, &c.

CONCIO IV.

QUINAM ILLI, QUI LUCERNAM sub modio ponunt.

- *I.* *Qui rationem suam cœcant.*
- *II.* *Qui fidem suam absondunt.*
- *III.* *Qui scientia & potestate sua non utuntur.*
- *IV.* *Qui bene docent, sed malè vivunt.*
- *V.* *Qui opera sua propalanda occultant.*
- *VI.* *Qui tepidi nimis.*

THEMA.

Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed supra candelabrum,
Lucæ 11.

A.

MAximæ utilitatis & irrefragabilis veritatis esse hæc sententia debet, quæ toties à Christo repetitur.

petitur. Eam enim primò protulit de Apostolis in sermone habito in monte Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, inquit: *non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, &c.* Iterum Luc. 8. post parabolam seminis verbi Dei, jacti in malam & bonam terram. Subdit enim mox: *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.* Denique Luc. 11. in hodierno Evangelio. Post ejectionem dæmonis muti, inquit: *Nemo accendit lucernam, &c.* Sed quomodo nemo hoc facit, cum plurimi reperiantur, qui hoc faciant? Nimirum tantæ insaniæ res est, accendere lucernam & ponere sub modio: ut Dominus hac de re ita loqui voluerit, quasi nec fiat nec fieri queat. Itaque nemo prudens, nemo nisi stultus lucernam in abscondito ponit. Hujusmodi tamen stultorum non exiguus est numerus, ut videbimus.

B.
I.
Qui rationem suam cœcant.

Primo. Hoc faciunt, qui quæ cognoscunt æqua & recta, intueri nolunt, nec secundum notitiam suam operari; sed ex odio, invidia aut cupiditate rationem suam obnubunt modio ignorantiæ affectatæ. Faciebant hoc Judæi, quando manifestum videntes miraculum expulsi à Christo dæmonis muti, ex odio & invidia adscribebant eam virtutem Principi dæmoniorum Beelzebub. Hinc sumpta occasione, subjecit Dominus, ut ne rationis & scientiæ suæ lumen sub ejusmodi modio ponerent, & agnitæ Veritati repugnarent. Tales etiam pessimi illi & obscœni Seniores, de quibus Danielis cap. 13. dicitur: *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum.* Typus illorum fuit Herodes, qui Joannem reprehensorem & Veridicum suum misit in carcerem; ne per ejus objurgationem retraheretur à suo scelere, Matth. 14. Sic enim qui malè agere statuunt, rationem & Synderesim in carcerem ponunt, ne illis oblatret, velut adulteri canem suum. Non frustrà dedit nobis Deus lumen rationis, ingenii, fidei, scientiæ, &c. Sed propterea ut id quasi lucernam gressibus nostris præferamus, omniaque consilia & opera nostra, antequam exequamur, ad id examinemus.

C.
II.
Qui fidem suam abscondunt.

Secundo. Qui fidem suam, cùm manifestanda est & supra candelabrum ponenda, timoris modio contegunt, & factis negant: velut qui inter hæreticos vetitis diebus carnes comedunt, ne Catholici deprehendantur eoque nomine irrisionem vel despectum alium patiantur. Universim, quicunque fidem suam non profitentur, cùm id DEI gloria aut salus proximi postulat. *Qui crediderit non festinet*, inquit Isaias cap. 28. hoc est, non trepidet, non fugiat fidei suæ confessionem, seu, ut LXX. & Apostolus ad Rom. 10. vertunt: *Non confundetur.* Cùm enim & mente & corpore constemus, æquum est ut DEI cultum & religionem non solùm in mentis recessu conservemus, sed etiam externo opere & ore insinuemus; juxta id Psal. 102. *Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Turpe est apud ipsos homines & invidiosum, respectu aliquo prohiberi quempiam, quo minùs demonstret exterius se illius amicum esse aut filium, cujus revera est. Peccaverat hac in re Jacobus, cognomento Intercisus qui cùm parentibus maximè Christianis natus esset, Uxoremque non minùs in religione ferventem haberet, in aula Isdigerdis Regis Persarum versatus inter optimates amore Regis deflexit ad idolorum cultum. Quo intellecto scripsit ei mater & conjux in hanc sententiam: *Obediendo mortali, deseruisti eum, qui vita est: placendo futuræ citò putredini deseruisti sempiternum odorem: Veritatem in mendacium commutasti, & mortali obtemperans vivorum ac mortuorum Iudicem reliquisti. Noveris igitur nos amodo à te futuras extraneas, nec tecum de cætero aliquatenus moraturas.* Quibus perlectis literis compunctus & flens dicebat: *si mater mea & Uxor à me abalienatæ sunt, quanto magis Deus meus?* Cùm ergo ob hunc errorem plurimùm se affligeret, proditus est Regi de religione Christiana, cui ut renuntiaret cùm diris urgeretur suppliciis, minime adduci potuit.

Itaque lapsum suum præclaro martyrio, quo membris omnibus deartuatus, demum capite plexus est, strenuè compensavit. Ut in vita apud Sur. tom. 6. Sub modio etiam reposuerat fidem suam Victorinus Rethor, apud Aug. lib. 8. Confess. cap. 2. cùm respectu territus amicorum, manifestare vereretur, se ampliùs non esse paganum, ob idque abstineret à templo Christianorum. Hic in aurem dicens Simpliciano sibi amicissimo: *Noveris me jam esse Christianum*; responsum accepit: *Non credam nec te putabo inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro.* Ergo ne aliquando negaretur à Christo coram angelis, si Christum non confiteretur, calcato omni humano metu subitò ait eidem: *Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri.* Itaque in Ecclesia de loco eminentiori coram omnibus fidem suam professus est.

D.
III.
Qui scientia & potestate sua non utuntur.

Tertio. Qui scientiam habent & potestatem arguendi aliorum vitia, instruendi & corrigendi, id tamen non faciunt, victi vel timore, vel amore, cupiditate, vel ignavia; his enim affectibus velut modiis tegunt lucernam suam. Non absque causa subjunxit hanc sententiam Dominus post parabolam de semine Verbi DEI: Nam sanctus Augustinus de quæst. Evangelicis ait, docere per hoc voluisse Christum fiduciam prædicandi, ne quis timore carnali incommodorum, scientiæ lucem abscondat. Alii namque abscondunt eam sub modio temporalium commodorum, ne eos offendant, quorum mensa aut favore vivunt; similes cani Perusino, apud Majol. tom. 1. Canic. Coll. 7. qui de nocte fures allatrabat, Dominæ tamen adulteræ amasios absq; latratu admittebat.

Alii

Alii sub modio timoris vel amicitiæ, quo defe-ctu laboravit aliquando Isaias, propter quem ingemuit postea dicens, cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia Vir pollutis labiis ego sum*; quando videlicet omisit Oziam Regem inconcessa tentantem reprehendere, cùm satis commodè posset: ob prosapiam regiam: siquidem Amos pater ejus frater fuit Amasiæ Regis Juda.

Itaque pollutum labiis se dicit, quòd non locutus sit, quæ debuit. Alii sub lecto ignaviæ & pigritiæ; uti illi clerici, qui post absoluta studia sua vacant tantum sibi & propriæ quieti ac commoditati, quæque in studiis hauserunt, aliis non communicant. Similiter parentes, qui quæ in concionibus didicerunt, liberos suos non docent, &c. Quibus omnibus per Isaiam cap. 56. ait DEUS: *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & videntes somnia, &c.* Atque hæc altera causa est, ob quam sententiam prædictam de lucerna subjunxit Christus parabolæ de Verbo DEI ad discipulos suos; *Ostendit enim Christus, per eos aliquando etiam cæteris idem mysterium revelandum*, ait ibi S. Beda.

Hoc ergo & nobis faciendum, ut quæ didicerimus bona, aliis communicemus. *Non abscondas Sapientiam tuam in decore suo*, ait Ecclesiasticus cap. 4. Idem dicendum de potestate publica præditis, qui vel timore offensionis potentum aut amore propinquorum & amicorum, vel aureo munerum splendore corrupti justitiam opprimunt, aut veritatem supprimunt. Præclarum enim justitiæ & veritatis lumen sub modio reponunt. Narrat Plutarchus in vita Demosthenis, eum aliquando corruptum fuisse ab Harpalo. Qui postridie Collo lana & fasciis diligenter obligato in concionem progressus, cum excitaretur ad dicendum: nutu ostendit præclusam sibi vocem esse. Ibi homines faceti cavillantes dixerunt; Non anginа, sed argentangina Oratorem nocte correptum. Ita multi hodie laborant argentangina, quos exilio mulctare & curare oporteret, uti mulctatus fuit Demosthenes, inquit Pater Cornelius à Lapide in Isai. cap. 56.

E. IV. *Qui bene docent, sed malè vivunt.*

Quarto. Qui bene quidem docent, malè tamen vivunt, sicque exemplo malo lumen doctrinæ suæ obscurant. Tunc enim ratiocinantur secum homines, docentem mentiri & sibi imponere velle; præsumunt enim quemque de seipso solicitum id amplecti quod bonum: fugere autem quod ex animo reipsaque judicat malum. Atque ita tales una manu ædificant, altera idem destruunt. Ob hanc causam sedulò monuit Apostolus discipulos suos Timotheum & Titum, ut facerent, quæ docerent, ne contemnerentur. Ad illum enim 1. Tim. cap. 4. ait: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Ad hunc vero ad Tit. 2. *Argue cum imperio. Nemo te contemnat.* Itaque qui non vivit, sicut docet, cum imperio arguere nequit. Unde facile contemnitur. Nam sicut parvi æstimatur Medicus, qui vult curare alios, cum sit ipse debilis: ita quoque turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Lacedæmone civis quidam, nomine Demosthenes, consilium excogitavit reipubl. salutare, ut Plutarchus in politicis scribit, sed cum populus sciret illum esse hominem improbum, vetuerunt Ephori ne ipse id proferret, probumque elegerunt, qui hoc faceret; existimabant enim ea quæ aliàs rectè dicerentur, malis moribus inquinari.

Quinto. Qui opera sua, cùm ad ædificationem aliorum palam facienda sunt, occultant præ timore vel erubescentia.

F. V. *Qui opera sua propalanda occultant.*

Magno quidem studio Christus opera sua bona occultare studuit, cùm nimirum præcepit iis, quos curarat à languoribus, ut nemini id dicerent. Verum cùm opus erat ad DEI gloriam & hominum ædificationem, ea publicari voluit, vel etiam ipse publicavit. Veluti cum obsesso illi in regione Gerasenorum, à quo legionem Dæmonum expulerat, dixit; *Vade in domum tuam ad tuos & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit & misertus sit tui*, Marci 5. quia nimirum regio illa Deum ignorabat, Dæmonum cultibus irretita. Item cum miraculum sanatæ Hemorrhoissæ manifestari voluit ad confirmandum in fide Jairum, cujus filiam resuscitatum ibat, eodem Marci capite. Vicissim cum miraculis suis aliquos offendendos vidit, cœlari ea voluit; ut ne Pharisæorum sibi invidiam conflaret, &c. Hinc ergò cùm Matth. 5. dixisset Dominus: *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*; mox subjecit; *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est.* Quæ verba inprimis ad Apostolos direxit, quibus etiam ibidem dixerat: *Vos estis lux mundi: Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Docens eos maxime, qui in dignitatum culmine & qui in statu Ecclesiastico positi sunt, publica pietatis exempla edere debere. Illi enim non habent quod timere possint, ne à vento vanæ gloriæ abripiantur, vel hominum judicio hypocritæ censeantur (utpote excelsi nimis, & contemptores hujusmodi rumusculorum.) Hi vero ratione status & officii sui ad pietatis studium obligantur. Ut ergò aurigam aurigari, nautam navigare, militem militare decet: ita decent Clericos opera pietatis. Certè de Regularibus scribit Concilium Tridentinum sess. 15. c. 19. *Non detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ religionis.* Idem suo modo observandum omnibus Christianis, ut ne occultent habitum hominis Christiani, v.g. ne erubescant orare, cùm campanæ pulsus monet, cruce frontem pingere, rosarium gestare, detecto cap. S. Eucharistiam in publico comitari, &c.

Sexto.

G. VI. *Qui tepidi nimis.*

Sexto. Qui sibi circulum pietatis nimis arctum describunt, nec putant se debere in dies proficere. Lucent itaque isti, sed in angusto & quasi sub modio, intra eosdem semper terminos. Tales autem sunt, qui nihil ultra præceptum vel receptam sibi consuetudinem facere volunt: Missam nunquam nisi præceptum urgeat, audiunt: non nisi in paschate confitentur & communicant: amicos tantùm diligunt & remunerant, à quibus vicissim diliguntur ac remunerantur; Item qui sibi tantum vivunt, de proximo nihil curant. Denique quibus tenuis & angusta nimis est pietas, ut vix agnosci queant è suis moribus, atrivè an albi, calidi an frigidi sint. Repeiuntur spongiæ, quibus adeò tenues sunt sensuum notæ, ut multi dubitent animalia sint necnè. Ita is quorundam cultus est, is sermo, ea vita, ut meritò dubitare liceat, sintnè Catholici an Hæretici, Christiani an Athei. Quibus dicitur Apoc. 3. *Utinam calidus esses aut frigidus; sed, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Tepidi enim sunt, qui arctioris vitæ studium refugiunt, sed in suo vivendi modo hærent satisque fore existimant, si in gravia scelera non labantur: Venialia omnia devorant; Unde in maiori damnationis periculo sunt, dum sibi temerè præfidunt, quam qui in gravia scelera lapsi sunt. Hi enim lapsus suos facilè agnoscunt & emendant, non illi. Unde Cassianus collat. 4. cap. 19. ait: *Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de sæcularibus, ac paganis ad Spiritualem venire fervorem: de Tepidis atque animalibus omninò non vidimus.* Vidimus non neminem esse, sed quam plures, qui lucernam suam sub modio reponunt, qnos qui imitari volet, sciat lucernam suam aliquando extinguendam & reponendam in centro terræ sub modio tenebrarum exteriorum. Contrà qui vult in cœlo collocari, supra candelabrum, curet nunc lucernam suam ponere in conspicuo, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen ejus videant.

CONCIO V.

QUAS OB CAUSAS SANCTORUM Festa celebremus.

I. Ut Deus in Sanctis colatur.
II. Ut Sancti honorentur.
III. Ut Sanctis gratulemur.
IV. Ut Sanctos imitemur.
V. Ut Sanctos invocemus.

THEMA.

Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, Luc. 11.

A. PEr lucernas rectè intelligi etiam viros sanctos, docet Dominus Joan. 5. Cùm de Joanne Baptista ait: *Ille erat ardens & lucens.* Et universum Apostolus ad Philip. 2. cùm ait, *sanctos lucere in medio nationis pravæ sicut luminaria in mundo.* Congruenter igitur huic sensui S. Mater Ecclesia sanctos insigniores & inter alios S. Martinum nequaquam sub modio ponit, sed supra candelabrum, dum eorum festa solenni festivitate peragenda constituit; ut ita omnes, qui in Ecclesia degunt, lumen & splendorem sanctorum illorum videant.

Sed contraria incedunt via nostri hæretici: qui pleraque festa exterminarunt, uti & hoc S. Martini (licet anserem Martiniacum sedulò retinuerint) adeoque Sanctorum lucernas sub modium condiderunt: lucifugæ nimirum noctuæ. Contra quos ostendere aggrediar, rectè & meritò celebrari in Ecclesia Sanctorum festivitates.

B. I. *Ut Deus in Sanctis colatur.*

Primò. Ut Deum in Sanctis honoremus, qui tantam illis gratiam & gloriam contulit, ut tam feliciter consummarent cursum suum. Insigniora DEI beneficia solebant veteri in lege festivis diebus celebrari, ut ita Deo gratiæ pro illis agerentur. Pro beneficio creationis recolendo institutum est Sabbathum, Gen. 2. Pro beneficio conservationis & gubernationis rerum omnium, festum Neomeniæ, Num. 28. Pro beneficio liberationis à Pharaone & Ægypto festum Paschatis, Exod. 12. Pro beneficio protectionis & deductionis per desertum, festum Tabernaculorum, &c. Atqui eximium & splendidissimum Dei beneficium est, alicujus sancti felix consummatio & victoria parta. Siquidem Ecclesia per hanc exaltatur, ad virtutem incitatur, in spe roboratur & intercessorem novum acquirit. Æquum igitur est ut saltem insigniorum Sanctorum memoriæ solemniter celebrentur: Siquidem hac ratione Deus in Sanctis suis laudatur & honoratur: sicut cùm munus à Principe tibi oblatum exoscularis, & pretiosa includi capsula curas, idque aliis ostentas, &c. haud dubie enim hoc pacto honoratur ipse Princeps. Honor, qui exhibetur servo ratione Domini sui, exhibetur principaliter ipsi Domino: ablato enim illo respectu, servus desinet honorari, saltem eo modo, quo priùs honorabatur. An non Dominus ipsemet ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* si ergò Domino facimus, quod vel minimo ejus servo facimus: quanto magis sibi factum reputabit, quod maximis ejus servis, imò amicis facimus? Placuit Abraham Deo per hoc, quod angelis ejus hospitium & convivium præbuerit ac pedes laverit, ut testatur Apostolus ad Hebr. 13. cur non placeat eidem, si cæteros ejus Sanctos etiam religiose colamus?

C. II. *Ut Sancti honorentur.*

Secundo. Ut Sanctos etiam ipsos debito honore afficiamus. Hoc primo requirunt eorum merita & dignitas. Fuerunt enim viva Dei instrumenta, & divinæ gratiæ cooperantes: plurima nobis beneficia contulerunt, & meritis suis ad supremos cœli honores evecti Deiq; amici facti sunt. Deinde idem requirit à nobis Deus, qui sicut ipse honorificat Sanctos

Sanctos in terra multis modis, miraculis inprimis: sic etiam requirit à nobis ut eosdem honoremus. Quemadmodum enim Pharao non fuit contentus per seipsum honorare Josephum, ornare manum ejus annulo, vestire eum stola byssina, & circumdare torquem collo ejus: sed præterea voluit eum ab omnibus etiam subditis suis honorari. Et qua ratione; Fecit eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti, Genes. 41. Ad eundem modum Deus non contentus est, si ipse honoret Sanctos in terra, non sufficit ei, quòd decorarit eos annulo, id est, virtute miraculorum: veste byssina, id est, honorifica asservatione reliquiarum eorum: Torque circa collum, id est, magno numero discipulorum, qui ipsorum vitam æmulantur eosque velut torques ornant: sed voluit præterea eosdem à nobis honorari. Et ideò jubet eos in curru suo secundo circumduci in orbe, id est, cultu duliæ honorari per orbem, die festo in honorem eorum instituto, ut sic eos Principes esse sciant in cœlo, eorumque gloria omnibus nuntietur, ubique propagetur & dilatetur. Quærebat Rex Assuerus ex Amane Esther. 6. *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* Respondit Aman: *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diadema super suum caput, & primus de Regiis Principibus ac Tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet & dicat: Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare.* Decet ergò similiter, ut Sanctos festo die quasi equo Regio exaltatos toti orbi conspicuos ostendamus.

D. III. *Vt sanctis gratulemur.*

Tertio. Ut Sanctis hac cæremonia gratulemur de victoria, parta felicitate ac gloria: si enim dies annuus coronationis Regiæ à subditis observatur & festivis gaudiis peragitur: quanto magis lætari nos convenit in diebus annuis coronationis Sanctorum, postquam æternùm regnabunt? Celebrant Magnates dies suos natalitiós conviviis & gaudiis, quemadmodum Pharao & Herodes: dies, inquam, quibus ingressi sunt ad vitam mortalem & ærumnosam: quantò potiùs celebramus dies illos natalitios, quibus ad æternam vitam Sancti renati sunt? Sanè Thraces luctuosa habuêre puerperia, funera verò cum lætitia celebrarunt. Circa natum enim circumsedentes plorabant, recensentes ei, quas deberet perpeti calamitates; mortuos verò cum lusu & joco sepeliebant referentes, quod malis liberati sint. Refert Herodotus in Terpsich. Non malè isti fecissent, si eorum mortui ad vitam perrexissent. Quod cùm de nostris Sanctis certò sciamus, hinc meritò eorum dies, quibus ad feliciorem vitam migrarunt, annua solemnitate peragimus. Sed quid ad nos dicet aliquis Sanctorum victoria & felicitas? Quid inquis? an non illi fratres nostri sunt? Et si membra unius corporis congaudent sibi invicem: cur non gaudeat Ecclesia militans ob victoriam sororis suæ, Ecclesiæ triumphantis? Cùm oculi quid jucundum vident, nonne omnia membra exultant? cùm ergò Sancti nostri modo DEUM aspiciant, cur non universa lætetur Ecclesia? Deinde nonne etiam ipsi Sancti agunt festum & congaudent super uno peccatore in terris pœnitentiam agente? Cur ergò & nos non congaudeamus illis?

E. IV. *Vt Sanctos imitemur.*

Quartò. Ut sic tantò efficaciùs eos nobis imitandos proponamus eorumque vestigiis firmiùs insistamus. Et de hoc aptissimè intelligi potest quod de lucerna non sub modio, sed super candelabrum ponenda Dominus dicit: *Nunquid venit lucerna,* ait Marci cap. 4. *ut sub modio ponatur aut sub lecto? nonne ut supra candelabrum ponatur?* Has igitur lucernas nequaquam sub modio aut lecto obscuritatis & ignorantiæ ponere oportet, sed super candelabrum, hoc est, omnibus hominibus eos conspicuos reddere.

Primo. Ut videant eorum gloriam, indeque animentur, ad alacriter pugnandum pro cœlesti corona. Quemadmodum enim cæteri milites, civitatem oppugnantes vehementer animantur, cùm vident aliquos commilitones jam in muro urbis consistentes, vexillum diducentes & victoriam canentes, confidunt enim se quoque ascendere posse, qua illi ascenderunt: Sic cùm victorias Sanctorum festivè celebramus, inde nos animamur, ut ad illos contendamus. Nam quodammodo nobis ipsis dicimus: *Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, &c. Tu non poteris, quod isti & istæ? &c.* Et si ad illum apicem pertingere non possumus, ad quem pertigerunt ipsi, saltem ad medietatem aspiremus, sicut mercatores iniquum petunt, ut justum ferant.

Secundo. Ut videamus eorum virtutes & vivendi normam, ac sciamus nobis similiter pugnandum esse, si similiter triumphare velimus. *Solemnitates enim Martyrium exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat,* ait S. Augustinus serm. 47. de Sanctis. Cum igitur maximos virtutum progressus in Sanctis viris cernimus, & cum tarditate nostra comparamus, inde partim confundimur, partim excitamur ad progrediendum alacriùs & Spiritum resumimus, dicentibus quasi ad nos Sanctis illis: *Surge grandis enim tibi restat via.* Et ita per hoc quodammodo apud nos, (inquit sanctus Bernardus in præfatione vitæ Malachiæ) etiam post mortem vivunt multosque ex iis, qui viventes mortui sunt, ad veram provocant & revocant vitam.

Denique ut saltem piè erubescamus, videndo vitam illorum nostræ tam dissimilem, juxta id Job. 33. *Respiciet homines & dicet: peccavi.* In quem locum S. Gregor. lib. 4. moral. cap. 9. ait:

Quemadmodum pauperes nunquàm meliùs evidentiusque cognoscunt paupertatem suam, quàm introspiciendo thesauros potentum ac divitum: ita fidelis anima nunquam magis se humiliat, suamque luculentiùs deprehendit inopiam, quàm cùm illustrium heroum Sanctorumque virorum res gestas sibi ante oculos constituit. S. Anton. cum quadam vice invisisset S. Paulum Eremitam ejusque admirandam sanctitatem contemplatus esset, rediens ad monasterium dicebat fratribus suis: *Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero! Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto & vere vidi Paulum in paradiso.* Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ. Similiter S. Macharius cum aliquando quosdam miræ sanctitatis Monachos vidisset, domum reversus dicebat: *Vidi Monachos, sed ego non sum Monachus.* Quod si præstantes viri ex humilitate de se dixerunt, verissimè nos de nobis possumus pronuntiare, si contemplemur viros sanctos Martinum, Nicolaum, Laurentium, Catharinam, &c. non esse videlicet nos veros Christi cultores, qui ab illis tantùm absumus. Hos igitur effectus ut consequamur, ideò sancta Mater Ecclesia ponit Sanctos saltem præcipuos super candelabrum, cùm eorum dies festivos esse jubet, quibus eorum vita domi legi & considerari, in templo vero explicari queat: ut sic luceant coram omnibus, & qui in Ecclesia sunt, lumen illorum videant. Quod si non faceret, certè sub modio & lecto absconderet, imò sepeliret Sanctorum lucem. Uti patet in locis hæreticorum, ubi nihil de vita Sanctorum scitur, legitur vel auditur, ideò nec curatur. Debent ergò illis diebus inhiberi nobis negotia sæcularia & labores, ut spiritualia subinde vel fallendi temporis gratia legamus, audiamus vel meditemur. Nisi S. Ignatius Lojola in crure læsus fuisset & lecto decubuisset, nunquam fortè pium librum arripuisset de Sanctorum vita, ex quo conversionis suæ initium hausit. Sic nisi nobis festi dies præciperentur, quibus alii labores inhibentur, multi nihil unquam de Sanctorum vita legerent vel audirent. Sanè Philos. lib. de quærenda cognit. erud. asserit animum festum agere, quando æmulando res optimas capessit laborem, quo ad perfectionem contendat.

F. V. *Ut Sanctos invocemus.*

Quinto. Ut hoc pacto Sanctos admoneamus, ut sint nostri memores, quemadmodum & nos eorum memoriam nunquam deponimus, sed quotannis celebramus. In his enim festivitatibus quodammodo admonemus Sanctos, quomodo Josue Rubenitas & Gaditas, Jos. 1. dicens: *Dominus Deus vester dedit vobis requiem & omnem terram, &c. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis.* Atque hoc fecisse Sanctos, pugnasse videlicet pro suis civibus constat ex multis historiis. Sic S. Felix Nolæ civitati, cujus erat Patronus, à Barbaris oppugnatæ visibiliter opem tulit, ut nihil prorsus mali passa sit, ut refert S. August. lib. de cura pro mort. cap. 2. Sic S. Ambrosius Mediolano ab hostibus obsesso, cujus olim Episcop. erat, flagello hostes insecutus est. Ut Fulgosius scribit. Sergiopolim à Cosroe obsessam defendit S. Sergius apparentibus miraculo armatis magno numero super muros, qui nulli erant: Cosroë ad ostentum obstupescente, Baron. anno 544. Hujuscemodi igitur & similis auxilii nobis ferendi ut admoneamus Sanctos, & ut occasionem implorandi eos habeamus, festa Patronorum & præcipuorum Sanctorum peragamus. Instar enim catellorum hic sumus, qui sub mensa Dominorum, id est, Sanctorum in cœlo cum Christo epulantium intentis exspectamus oculis, eosque commonefacimus, quibuscunque possumus modis, ut nostri etiam meminerint, & vel micas de cœlo nobis dejiciant. Nec est quòd metuamus eos memoriam nostri deposituros, si non deposuerimus illorum. Nonne cum turba plurima sequeretur Christum per triduum ad desertum relictis domi laboribus & negotiis domesticis, Dominus de iis solicitus fuit? Marci 8. & 6. quemadmodum & Apostoli, cum Dominum monuerunt ut dimitteret turbam in proxima castella & vicos, ut panem sibi compararent: siquidem eorum multi de longè venerant, & deficere poterant in via? Hoc ipsum igitur Sancti facient, & curam nostri agent, cum sepositis operibus servilibus & curis sæcularibus eorum festa peragimus, & templa diligenter visitamus.

CONCIO VI.

QUALIS LUCERNA S. MARTINUS; qualis item Martinus Lutherus.

I. S. Martini fides Catholica.
II. S. Martini sanctitas, virtutes & miracula.
III. S. Martini Prophetia.
IV. S. Martini visiones.
V. Obitus S. Martini.
VI. S. Martini funus.

THEMA.

Ille erat Lucerna lucens & ardens,
Joan. 5.

A.

NOn frustra Dominus ait: *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* Ut enim non omne quod splendet est aurum: ita neque lumen. Videmus de nocte splendere noctilucas & ligna putrida, quæ tamen nihil veræ lucis habent. Jam

Jam verò nemo inficias ibit, S. Martin. Episcopum Turonensem, cujus hodie diem agimus, lucernam esse Ecclesiæ Catholicæ veram & genuinam. Sic enim meritissimò vocatur à S. Bernard. in Serm. de hoc Festo, *Lucerna ardens & lucens.* Inde super ipsius celebrantis caput globus igneus adeoque quasi lucerna ardens visa est: propterea à DEO assumptus è monasterio, super candelabrum sedis Episcopalis positus est. Propterea denique ab Ecclesia etiam super candelabrum quasi collocatus, dum festa ei dies constituta est, quo Sancta & fulgidissima hæc lucerna toti mundo innotesceret, viamque vitæ ostenderet, ut omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, lumen hoc aspiciant. Sed obtrudunt etiam hæretici suam nobis lucernam, itidemque Martinum, scilicet Lutherum, qui brevi tempore, Evangelii sui fulgore totum illustrarit Septentrionem. Et hic quidem semetipsum jactitabat, se demum Germaniæ ipsissimam lucem intulisse, qua illa tot sæculis caruisset, ut scribit in Comment. rerum gest. Surius: eundemque nuper Norinbergenses anno suo Jubilæo fictitio: in nummis excudere modium de lucerna Evangelii diu occulta tollentem. Sed quicquid illi dicant: ego illis repeto, quod Dominus hodie dixit: *Videte ô Lutherani, ne lumen quod in vobis est,* (id est, esse vobis videtur) *tenebræ sint.* Certè tenebras esse, & filium tenebrarum & Vermiculum noctilucam, lignumque putridum, non lumen, aut lucernam, Marthinnm Lutherum, non difficulter ostendam.

B. I. *S. Martini fides Catholica.*

Primo. S. Martinus luxit fide Catholica. Nam imprimis S. Hilarii Pictavorum Episcop. discipulus & ab eodem ordinatus fuit, idemque acerrimus hæreticorum (Arianorum, qui tunc maximè vigebant (insectator. Deinde professione Monachus & tandem invitus & pia fraude è monasterio evocatus in Episcop. Turonens. omnium consensu & divino oraculo electus est. Ubi nequaquam vitæ monasticæ valedixit, sed initio juxta Ecclesiam suam, cellam sibi ligneam ædificavit, posteà populi frequentiam vitaturus, ad duo milliaria ab urbe monasterium sibi & 80. discipulis suis extruxit, in quo cum illis austeram duxit vitam, priorem suum habitum, regulam, vivendi modum semper retinens, in jejunio, oratione, vigiliis perseverans. Omnia illis communia, victus, vestitus, clausura, oratio: Vinum nemo noverat, nisi æger: vestitus de pilis camelorum, &c. ac denique inter discipulorum manus obiit. Sev. Sulpit. in ejus vita.

Deinde S. Martinus in omnibus suis actionibus, cum fide nostra Catholica concordat; Siquidem à S. Hilar. ordinatus est, missas celebravit; Unde globus igneus super caput celebrantis visus: & alio tempore, brachia ejusdem Eucharistiam in altari elevantis cœlesti splendore induta apparuêre. Ecclesias & Monasteria passim extruxit: Oleum benedixit & infirmis distribuit, multosque eodem sanavit. Signum S. Crucis frequentissimè efformavit & mira per eam plurima patravit. Præterea in operibus pietatis & austeritatis, vigiliis, jejuniis, ciliciis, humicubatione, & oratione perpetuò se exercebat: pro ejus mortui corpore certabant Pictavienses & Turonenses: siquidem dicebant isti suum fuisse Episcopum, & præterea apud Pictavienses existentem Martinum duos suscitasse mortuos, apud se tantum unum, debere proinde hoc resarciri à Martino mortuo. Ecce cultus reliquiarum.

Denique Fortunatus quidam extinctum ferè oculorum lumen recepit beneficio olei desumpti ex lampade, quæ ante imaginem sancti Martini ardebat: qui etiam in gratiarum actionem miracula sancti Martini carmine scripsit; Ecce usum lampadum coram defunctis & imaginum, Baron. anno Dom. 402. Quæ omnia expressa habentur in ejus vita, in qua autor discipulus Martini fatetur se minimam partem scripsisse: nec ipsum quidem Homerum sufficientem futurum, ad opera Martini describenda.

Lutheri perfidia.

Videamus jam lucernam alteram, Lutherum. Quis eum ordini Eremitarum S. Augusț. voto adstrictum fuisse, & verò in eo aliquamdiu militasse nescit? Imo tunc in Ecclesia Catholica Sacerdotem, Doctorem, Monachum & Romani Pontificis filium obedientem se profitebatur. Posteà fidei Deo & Ecclesiæ nec non ordini suo datæ turpiter oblitus, habitum abjecit & fidem ac Sacerdotii sui dignitatem, moxque novam cudens sectam anteà inauditam. Monialem simili sacrilegio Monasterio abstractam sibi copulavit non scelesto solum & eo usque inaudito, sed turpi etiam & probroso (quia 16. diebus antequam ritè in facie Ecclesiæ contraheret) connubio: cujusmodi exemplum orbis antea non viderat. Quid habet quæso hæc lucerna commune, cum illa: Quid hic Martinus cum illo? Ille primum gentilis utpote gentilibus ortus parentibus ad baptismum ultrò festinavit: iste Catholicè natus & educatus, fidem turpiter abjuravit. Ille de milite Monachus, hic de Monacho Apostata factus: Ille invitus ad Episcopatum extractus, vitam tamen Monasticam semper retinuit: hic Monasterii septa perrumpens, abjecta religione turpissimam elegit vitam, & tenuit usque ad mortem. Prô quam diversæ sunt hic lucernæ? quàm diversi Martini? *Quæ comparatio luci ad tenebras?* Lucifero ad Michaelem?

Sed inspiciamus etiam dogmata Lutheri. Nonne is Missam non modò exturbavit, sed insuper etiam abominationem vocare ausus est, in libello de abomin. can. Miss. Nonne dixit: *super omnes abominationes teneo ego missam*? Nonne ordinationem clericorum sustulit? Nonne Ecclesias & Monasteria plurimis in locis evertit & in profanas

domos convertit; speciatim monasteria omnia aperuit & exterminavit? Nonne Monachos damnat omnes & porcos saginatos appellat? tom. 1. VVitteberg. Nonne benedictiones omnes, uti & Sacra olea damnat? Nonne vocat ea Rancidum Chrisma, Schmürbe: Hurensalb/ꝛc.? Nonne sanctæ Crucis juratus hostis fuit? in Conc. sua de inventione Crucis. Nonne dixit, si qua Crucis particula in sua potestate fuisset, eò se illam projecturum esse, quò sol radiis suis nunquam accedere posset? Item ibid. *Ad diabolum cum hujusmodi imaginibus: nullius enim boni causa sunt*, &c. Nonne bona opera præsertim pœnitentialia, Vigilias, jejunium &c. reprehendit & generatim omnia bona opera, peccata esse asserit? Nonne denique reliquiarum cultum & cereorum usum proscripsit? Non tenuit igitur Lutherus fidem & dogmata S. Martini, qui tamen ante annos fermè 1300. vixit, quo tempore fidem Catholicam adhuc inviolatam extitisse fatentur hæretici, videlicet usq; ad annum Domini 600. seu usque ad tempora Gregorii M. Tenuit autem dogmata, quæ nos Catholici etiamnum tenemus. Videte ergo ô Lutherani, ne lumen quod in Vobis est, id est, Lutherus Doctor & oculus Vester, tenebræ sint. Si enim lumen esset, veræ illi lucernæ Martino non contrairet.

C. II. *S. Martini sanctitas.*

Secundò S. Martinus luxit vitæ sanctitate & virtutibus. Atque ut alias taceam plurimas: pauculas enumerabo.

1. *Humilitas.*

Inprimis humilitate dum servo suo adhuc miles vicissim inserviebat, calceos è pedibus detrahebat & purgabat: Ut in ejus vita lib. 1. cap. 1. dum à S. Hilario Episcopo ordinandus in Diaconum, constanter reluctatus est, indignum se eo gradu reputans, & potius Exorcistæ officium, etsi vile & humillimum, acceptabat, ibid. cap. 4. dum Leprosum Parisiis osculo accepit & sanavit, ibid. cap. 19. dum Episcopatum recusavit.

Lutheri fastus.

Et quid Lutherus? nominat se os Christi & tertium Heliam, Prophetam? ait etiam totum mundum non esse dignum, qui solvat ei corrigias calceamentorum (tomo 6. VVitteberg. fol. 449. & alibi asserit beatum ventrem, qui eum portavit. ibid.

Vide libellum de humili Luthero.

Idem nihil se curare ait, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra eum starent: item, doctrinam suam se nolle à quoquam judicari, nec ab Angelis. Item intra mille annos nulli Episcoporum tantam à Deo gratiam esse datam, atque ipsi. Denique quod ei munus publicandi & prædicandi Indulgentias demandatum non esset, ambitione tumidus contra indulgentias mirum in modum debachatus est.

2. *S. Martini castitas.*

Secundò Castitate: eam siquidem servavit adeoque Virginitatem semper, ut nullam tetigerit mulierem, nec propè eas nunquam steterit. Et cùm Imperatrix Maximi Imperatoris Uxor multis & diuturnis precibus eum fatigasset, ut pateretur sibi ab illa prandium aliquando parari & ad mensam ministrari: vix tandem acquievit, licet Imperatore præsente & volente id fieri sciret. Ut lib. 2. cap. 7.

Lutheri obscœnitas.

Longè aliter Lutherus, qui de seipso scripsit tomo 1. latino Jhenensi anno 1579. epist. ad Philipp. fol. 334. *Qui fervere spiritu debeo, ferveo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia*, &c. Et in Bibliis suis ad c. 31. Proverb. ponit hunc rythmum: Nichts liebers ist auff Erden / als Frauen Lieb wems kan werden. An non expresè dixit: Wil die Frau nicht/ so komm die Magd? libro de vita conjug. Item: Glübd der Keuschheit ist ärger dann Ehebruch und alle Unkeuschheit/ tom. 6. VVitteberg. fol. 252. Et hæc quidem consequenter ad vitam suam, quam in sacrilego incestu traduxit. Item: Das Ehewerck sey nöhtiger als Essen und Trincken / Schlaffen und Wachen/ꝛc. ibid. fol. 171. Item licere simul plures habere Uxores, ut docet in explicat. Gen. ad cap. 16. anno 1525. Item in cap. 24. Gen. docet ita orandum esse, *Domine Deus da Vxorem & panem quotidianum.* Quasi Christus imperfectam nobis tradiderit orationem & hanc petitionem perperam omiserit.

3. *S. Martini temperantia.*

Tertiò. Temperantia, quia partim in Insula Gallinaria Eremitam agens herbis victitabat, partim in Monasteriis parcissimè vivebat & crebris abstinentiis, quandoque 7. dierum se macerabat: ubi ut suprad. nemo nisi infirmus de vino poterat loqui. Ut in Vita lib. 1. cap. 4. & 7. lib. 3. cap. 17.

Lutheri bibacitas.

Sed quid de Lutheri temperantia dicemus? Habebat in abaco suo inter alia capacissimum vitrum, quod vocabat *Catechismum suum*, pietatis ergò: id habebat quatuor circulos, quorum primo inscriptio erat decem præceptorum: alteri symboli apostolici: tertio Orationis dominicæ: quarto, Der Catechismus gar auß: Catechismus totus exhaustus. Cumque hunc Catechismum suum aliquando convivis suis propinasset, & unico haustu ebibisset, iterato eum impleri jussit, & iterum exhausit: cui tamen Islebius nec ad primum quidem circulum respondere poterat. Vide Colloquia ejus mensalia folia 166. Idem & cum Vesperi dormire non poterat, haustum soporiferum facere solebat, se ob id excusans: Ihr Jungen Gesellen/ ajebat, unserm Chur-Fürsten und mir alten Mann müst ihr ein Reuter-Trüncklein für gut halten / wir müssen uns ein Küß und Polster im Käntle suchen. Ita scribit de ipso fidelis ejus discipulus & assecla Mathesius in conc. 12. de vita & moribus Lutheri. Sed non caruit ob intemperantiam suam remorsu conscientiæ. Auditus enim est aliquando, de convivio quodam paulisper ascedens, sic seipsum alloqui, Ventrem manu pulsitans: *Martine Martine, hic quidem sat bene sic agitur: sed quid post hæc futurum est?* refert Joan. David. in Verid. Christiano cap. 100.

4. *S Martini modestia.*

Modestia etiam singulari: nunquam visus; iratus, tetricus aut ridens: nihil in ejus ore erat nisi Christus, &c. ut in ejus vita lib. 1. cap. ult.

Lutheri spurcitia.

Sed quam modestus fuerit Lutherus, ex colloquiis ejus mensalibus satis superque patet: nihil ferè in eo libro, nihil in ore Lutheri nisi merda, nisi diabolus, nisi turpitudines & scurrilitates, etiam ipsosmet Lutheranos ejus libri pudeat: quem tamen Joannes Aurifaber & ipse Lutheranus edere & civitatibus Imperialibus dedicare nō erubuit, & quidem quasi juxta præceptum Christi de colligendis fragmentis, ne perirent, id faciendum fuerit, ut initio ejus libri indicat: quasi verò Christus ipse præceperit crassissimos Lutheri jocos & turpes scurrilitates, quas ob mensam evomuit plenis buccis, non negligere, sed diligenter colligere & in vulgus spargere.

Magnum scilicet detrimentum Reip. fuisset: si tantæ fœditates sub terra latuissent: quas nunc Lutherani prudentiores optarent profundissimè sepultas. Præterea in Lutheri libris vix reperitur integra sentētia, quę maledictis aut cōvitiis careat. Lutherus loqui non poterat, nisi tertio quoque verbo, porcos, asinos, diabolos, stercora, merdas, crepitus nominaret: ita ut aliud non videatur fuisse ejus pectus, nisi sentina talium flosculorum. Unde meritò stercoreus & porcinus propheta vocatur à quāplurimis; unde ipsemet tom. 6. Jhen. fol. 318. ait: Mein Schreiben hab ich vom Teuffel angefangen / und den Teuffel bey 77. mal genennt: Was sollen aber 77. Teuffel gegen 77. Tonnen voll Teuffel seyn? Quis unquam Sanctorum talem loquendi morem habuit? Aliter S. Paulus qui in suis epistolis, Jesum semper iterat: aliter S. Martinus, aliter SS. Patres, quibus semper in ore Christus: quia nimirum ex abundantia cordis os loquitur.

Et verò etiam sæculares Principes ingentibus convitiis lacerat Lutherus, in libello de sæculari potestate, anno 1523. scripto, vocat eos præcipuos Moriones, deterrimos nebulones. Et in alio libello, contra duo Cæsaris mandata: stolidos, fatuos, insanos: moriones eisq; Turcam decies meliorem, &c.

5. *S. Martini miracula.*

Denique S. Martinus claruit miraculis quamplurimis, quorum ea tantum recensebimus, in quibus Lutherum eum æmulatus videtur. Suscitavit inprimis tres mortuos: duos adhuc Monachus, tertium Episcopus lib. 1. vitæ cap. 5. 6. & lib. 2. c. 5. Sed nonne etiam Lutherus mortuum suscitavit? Tentavit id quidem temerarius homo cum VVilhelmo quodam Neseno in Albi submerso atque à piscatoribus extracto, ut se magnum Domini prophetam esse palam ostenderet, immurmurādo nescio quid de Evangelio suo in aures defuncti. Sed qui aquis præfocatus erat, mortuus mansit, Lutherum non audivit, non revixit. Ut scribit Surius in comment. Rerum gest. præteriti sæculi. Lind. Dial. 3. Dubitantii. cap. 1. Tilm. Bredenb. lib. 7. Nimirum cum Baali illius Sacerdotibus 3. Reg. 18. clamare altius debuisset, ut audiretur à defuncto qui nimis profundè dormiebat.

1. Lutheri ridicula mira.

Secundo S. Martinus Dæmones innumeros ejecit è corporibus eosque sibi quasi catellos subjecit: digitos suos in os obsessi ingerebat, ut si posset, morderet: sed ille quasi à ferro candenti os retraxit: expellebat verò nullo prorsus negotio, sola oratione, sola jussione, sola manus impositione: imò stramen de ejus lecto sumptum & obsesso appensum dæmonem pellebat, libro 2. cap. 8. & alibi. Audiamus quid in hoc potuerit Lutherus. Adducta illi de Misnia Dæmoniaca puella VVittebergam fuit: de qua ipse in parochialis Ecclesiæ sacrario dæmonem exorcismis profligare conabatur multis inspectantibus. Sed ô miraculum? *Non solùm Dæmon* (utor verbis Friderici Staphyli, testis oculati & tunc Lutheri discipuli) *ejus conjurationes non curavit, verum etiam Lutheri caligas in eas angustias redegit, ut is quamprimum se è sacrario proripere vellet; at quid accidit? malignus ille dæmon usque adeò fores Sacrarij obstruxerat, ut neque forinsecus, neque extrinsecùs aperiri possent, quæ res majori Lutherum anxietate perculit. Properat igitur ad fenestras, sed eæ clatris ferreis obseptæ erant. Et hæc Staphylus. Quid deinceps? Oblata igitur securi per cācellos ferreos Staphylus ipse januam dissecuit, & Luthero egrediendi copiam fecit, qui hisce verbis historiam concludit: Interea verò visu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus sursum deorsumque cursitaret, atq; instar ovis parturientis huc illucq; se inverteret.* Hæc Staphylus testis oculatus in absoluto resp. contra Schmidel. qui etiam occasione ejus miraculi Lutherum ejuravit, & ad nostras partes transiit. Refertur id à VVilhelmo Lindano dial. 3. Dubitantii & Surio in Comment.

D. III. V. Martinus Prophetas.

Tertiò. S. Martinus Prophetiæ Spiritum habuit. Obitum suum pridem suis prædixit discipulis, ut Sulpitius in epist. ad Bassulam. Idem Maximo Imperatori primò Victoriam, postea cædem, lib. 1. cap. 23. Briccio etiam discipulo suo, successionem in Episcopatu & futuras ejus calamitates, ut in histor. Franc. libro 2. cap. 1. scribit Sanct. Gregorius Turon.

Lutherus Pseudo Propheta.

Audiamus hac in re etiam Martinum alterum. Prædixit etiam ille vel præsagiit potius sibi, quòd plus est, mortis genus. Tom. 7. VViteberg. folio 479. in ait: Meine Sachen seynd also mit dem Teuffel beschaffen / daß er mir manche Nacht bitter und sauer genug macht / und ich wol erfahren hab wie es zugehe / daß man zu Morgens die Leut im Bett find / rc. wie er mirs gar offt nahe gebracht hat / rc. Verissimum præsagium. Ipse enim manè in lecto demum mortuus, ore contorto, facie carbone atriori apparente fuit inventus: quis ambigat eum à dæmone suffocatum & enectum? Præterea in libro contra Thom. Müncerum prædixit

papatum seu Ecclesiam Romanorum post biennium à Vaticinio suo ita funditùs ruituram, ut neq; Pontifices neque, Cardinales, neque Episcopi, neq; presbyteri, neque Monachi, neque Moniales, neque templa, neque turres, neque Campanę, usquam ampliùs reperiantur.

Itẽ in admonitione, pro seditione & rebellatione cavenda, prædicit se si biennium vivat, curaturum ne sit campana, turris, missa, vigilia, cappa, cucullà, rasura, regula, statuta: Et ibid. asserit Papismum jam jam clamare *Eli Eli*: paulò post audiendum: Expiravit q. d. Judæos crucifixisse Christum & se crucifixurum Ecclesiam.

Et in Respons. contra Regem Angliæ Henricum ait: *Dogmata mea stabunt & papa cadet invitis omnibus portis inferni & potestatibus aëris & terræ & maris.*

Item Papam Clementem VII. fore ultimum. Aurifaber in Tischreden. Præterea diem extremum prædixit futurum intra 15. annos, ut testantur Joannes Lapp. prædicans in libro de prophetiis Lutheri: item Cent. 1. de legend. Evangelicor. prædicant. se victurum usq; ad diem extremum, vel saltem puerum, quem ante se aspiciebat.

Denique Briccium suum Melanchthonem perseveraturum semper in Lutherana secta. Ecce prophetias. Sed quid eventus? Ecclesia Romana adhuc stat & omnia ejus sacra, sarta tecta: & jam anni plusquam centum elapsi sunt à Lutheri prophetia; siquidem ejus admonitio pro seditione, anno 1522. scripta est. Mundus similiter adhuc stat; Lutherus & puer ille dudum periere. A Papa Clemente, regnat 14. Pontifex, Paulus III. Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. Leo XI. Paulus V. Gregorius XV. & modo Urbanus VIII. Denique Melachthon ad Calvinismum defecit. O os mendacissimum! Sic Diocletianus gloriabatur se extinxisse Christianos.

E. IV. *S. Martinis visiones.*

Quartò. S. Martinus Sanctorum visiones & visitationes non paucas habuit. Christus imprimis ei adhuc Catechumeno apparuit in veste quam pauperi dederat, lib. 1. cap. 2. Sancti angeli sæpius, qui eum in multis instruxere l. 1. cap. 6. lib. 3. cap. 15. Visitatur ab Agnete, Thecla & Maria, lib. 2. cap. 14. Similiter à Petro & Paulo, ib. Sed quantum habuit Sanctus hic Sanctorum, tantam imò fortè majorem habuit Lutherus dæmonum familiaritatem, siquidem in lib. de missa angulari scripsit, Diabolum & inter sese mutuum familiariter nosse, & plus uno satis modio simul comedisse, se à Dæmone stimulatum ut contra missam scriberet, & ad eam remargumenta sibi suppeditata. Item in colloq. mensa. fol. 158. ait: Der Teuffel hat öffter bey mir geschlaffen als mein Käthe. Denique Maximilianus I. imper. referente Tilm. Bredenbachio l. 1. collat. Sacr. c. 42. cum Augustæ in comitiis anno 1518. pranderet Luthero & aliis spectante; asseruit Baroni de Erpach se in humeris Lutheri vidisse Cacodæmonem forma corporea incubantem; & paulò post Monachum illum turbas, calamitates & miserias terribiles in Imp. concitaturum. Habemus igitur & visiones. Quid adhuc egemus testibus? Quòd si quis objiciat vidisse etiam S. Martinum sæpenumero diabolos: Respondeo id verissimum esse, sed is nihil familiaritatis cum iis habuit, nil salis comedit, nihil doctrinæ ab eis accepit, cum illis non dormivit: eos tergo suo insidentes non habuit, quomodo Lutherus hæc omnia: sed potiùs eos ligavit, cruciavit, fugavit, expulit. Sed inquiet aliquis, etiam Lutherus Dæmonem fugavit, quando ei ut ipsi Sancto Martino, in specie Christi gloriosus apparuit cùm 5. vulneribus, ut de seipso testatus est, & refertur in sermonibus sympos. tit. de Christo. At videtur eam relationem plane confinxisse Lutherus, quo Sancti Martini gloriam captaret. Sed qui scivit eum esse diabolum, non Christum? Sanè Sanctus Martinus desideravit in ostensa sibi imagine 5. vulnera: at ea hic fuere. Futilis igitur est hæc narratio.

Lutheri illusiones.

F. V. *Obitus S Martinus*

Sed quia finis coronat opus: audiamus utriusq; Martini periodum. S. Martinus obitum suum instare præsentiens & discipulis suis significans eis plorantibus & lamentantibus dixit: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem:* postmodum in valescente per aliquot dies febre, de pristino fervore nihil remittens orabat & vigilabat totas noctes: super lectum suum, non in mollibus plumis, sed in cinere & cilicio jacuit, nec stramen quidem prostrato sibi supponi passus est; non decere asserens, Christianum nisi in cinere mori, & se peccaturum, si aliud eis exemplum relinqueret.

Oculis etiam ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab oratione spiritũ non relaxabat, ut ita cœlum contemplaretur & Spiritum suum eò dirigeret: Diabolum adstantem forti animo facessere jussit. Siquidem in se nihil haberet? Abrahæ sinu se excipiendum esse: quibus verbis Spiritum reddidit, & qui tunc aderant, dicebant se vidisse ejus corpus quasi jam glorificatum, nitidissimum: faciem ejus fulgentem sicut diem &c. ut in Epist. Sulp. ad Bassulam.

Obitus Lutheri.

Sed alia longè fuit præparatio Lutheri ad mortem. Cùm enim in patriam suam Islebiam venisset, & vesperi ibidem cutem bene curasset ac solitis suis facetiis convivas omnes recreasset, meroq; largius indulsisset, sanus ac vegetus cubitum ivit, non prius ægrotans nisi per paucas horas, mane in lecto ore contorto, veluti strangulatus (haud dubie à cacodæmone) latere uno vultuque denigrato, Mortuus est repertus. Hic igitur Lutheri finis. Et quis unquam Sanctorum ita mortuus est?

G. VI. *S. Martini funus.*

Sed audiamus & funus. Ad funus S. Martini aderat in Spiritu S. Ambrosius Archiepiscopus Medio-

lanenſ. Tunc enim in Eccleſia, quaſi de diuturno ſomno evigilans dixit ſe funeri fratris ſui Martini interfuiſſe.

Similiter. Severinus Archiepiſcopus Colonienſis vidit animam Martini ab Angelis cantantibus ad cœlos evehi. De corpore illius certabant inter ſe Pictavienſes & Turonenſes: illi quòd apud eos Monachus & Abbas fuiſſet: hi quòd eorum Epiſcopus.

Fumus Lutheri. Adfuerunt etiam Lutheri funeri longinqui & peregrini hoſpites, ingens turba cacodæmonum, qui tunc obſeſſos omnes, qui apud Gheelam Brabantiæ ad ſepulchrum S. Dymnæ liberationem exſpectabant, tantiſper reliquerunt & poſtliminio reverſi dicebant, conjuratiſe ex mandato Principis ſui Luciferi interfuiſſe funeri Luth. refert Tilman. Bredenbach. collat Sacrarum, lib. 7. cap. 39. Adfuit etiam ingens turma crocitantium corvorum funeri ſupervolitans, fœtido ſupra modum, licet medio frigore & ſtanneo loculo corpus incluſum eſſet: Nimirum illi Muſicam Luthero fecere, & ſicut Pictavienſis ac Turonenſes pro corpore Sancti Martini, ita corvi iſti ac diaboli potiùs pro corpore Lutheri litigarunt. Videant igitur Lutherani, ne lumen eorum ſint tenebræ. Neque dicant doctrinam ejus bonam eſſe: Nam & ipſa ſpurca. Et nonne Dominus dixit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos?* His tamen ſusque deque habitis Lutherani audent eum in publicis concionibus comparare cum S. Martino: & diem ei feſtum ſtatuere in Faſtis proximè poſt Sanctum Martinum. O cœca impudentia!

CONCIO VII.

ANSER BONI CHRISTIANI Typus.

I. Chriſtianus ſit Catholicus.
II. Fugiat peccata.
III. Vitam ducat aſperam.
IV. Refrænet linguas.
V. Vigilet contra Dæmonem.
VI. Diligat proximum.
VII. Sit pius & devotus.

THEMA.

Vide ergo, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint, Luc. 11.

A. Erit non nemo hodie, qui exiſtimabit ſeſe Martinalia perbellè celebraſſe, ſi præpinguem anſerem Sancto Martino immolet, & in ventre ſuo ſepeliat, ſi lautiori in convivio ibat, vivat hilarius craſtina verò die in multam lucem ſtertat. Sed heus tu, bone vir, *vide ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Ego enim fateor, nondum me videre, quàm bene hac ratione colatur iſte ſanctus. Quid enim anſeri cùm Martino? aut Martino cum anſere. Ego in tota ejus vita nullum anſerem invenio, qui ſaginare queat ventrem. Sed ſi vultis ſcire, alius eſt anſer Sancto Martino debitus, qui nimirum paſcit mentem. Hunc fortè noſtri Majores hoc die comederunt, cum vitam S. Martini legerunt, & inde collegerunt, qualis anſer fuerit hic ſanctus, & qualis eſſe debeat quivis Chriſtianus. Atque hic eſt anſer, quem ego, Auditores, vobis proponam, ut dum ventres veſtri inhiant anſeri carneo, mens veſtra non deſtituatur anſere ſpirituali: Mentem itaque parate, non dentem.

B. I. *Chriſtianus ſit Catholicus.* Primò. Chriſtianum oportet eſſe Catholicum ſeu Romanæ Eccleſiæ addictum, ejuſque fidem non tenere modò, ſed & defendere, ab eaque fidei dogmata petere, Ita video etiam anſeres Romanæ Urbi addictos: Nam inprimis Romanam curiam ſeu Capitolium ſuo clangore defenderunt contra Gallos: dum canes ea nocte omnes conticeſcerent, Plin. lib. 10. cap. 22. Rurſum aliquando anſeres è Gallia à Morinis extremis Ambianorum populis Roomam uſque pedibus venerunt, ut teſtatur Plin. ibidem. Ergò qui Chriſtianus verus appellari vult, fidem ſuam Romæ quærat, & Romanam ſedem ac fidem vocibus, quibus poteſt acerrimis defendat. Audi S. Irenæum lib. 3. cap. 3 *Ad hanc*, inquit, *Eccleſiam* (de Romana loquitur) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Unde apud veteres non ſolum Orthodoxos, ſed etiam hæreticos Romanum ſemper erat, idem quod Catholicum. *Si eſt Catholicus, eſt & Romanus*, ſcribit Ricimer, Gothus Arianus ad Ligures. Hinc ettam multi Principes, Reges & Reginæ, omnique ex orbe fideles Romam magnis itineribus & impendiis profecti ſunt, ut arcem Reipub. Chriſtianæ, & Petri ſedem ac limina Apoſtolorum viſerent. Inter eos etiam S. Martinus Romam venit, obviaturus ibi S. Hilario: acerrimo fidei Catholicæ propugnatori & Magiſtro ſuo. Ad hanc Eccleſiam, id eſt, Romam S. Martinus adhuc puer invitis parentibus confugit eamque contra Arianos ſtrenuè defendit. Horum igitur Exemplo & nos eamus Romam, per fidei profeſſionem, quemadmodum ivit Tobias *adoratum in Jeruſalem, cæteris abeuntibus ad vitulos aureos*, Tob. 1. Eant illi in Bohemiam ad Husſiu; alii in Helvetiam ad Zvvinglium, alii in Saxoniam ad Lutherum, alii in Galliam ad Calvinum & ſimiles vitulos nuper primum editos.

C. II. *Fugiat peccata.* Secundò. Bonus Chriſtianus fugere peccata debet & ut præcipit Apoſtolus, ab omni ſpecie peccati abſtinere, 1. Theſſal. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Præſertim autem fugere debet ea, quæ

quæ fidei contraria sunt, uti hæreticorum communionem. Docemur hoc ab ansere, qui nec Lauri folia, ne quidem fame pressus attingit, Pierio l. 24. Hierogli. teste, nec Rododaphnem etiam vi adhibita edit, cùm intelligat, si quid tale degustet, sibi moriendum, Chenomychon etiam herbam à primo conspectu fugit, teste Plinio lib. 21. cap. 11. Idem Christiano faciendum juxta Sapientis dictum: *Quasi à facie colubri fuge peccatum*, Eccl. 21. Stupidum animal reputatur anser: sed utinam nos homines non essemus stupidiores. An nescimus illud: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*? Ezech. 18. Et: *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ?* Tob. 12. Cave igitur peccatum; cave edas carnes tempore jejunii: aut potu nimio te inebries, quia venena sunt. Cyrus apud Xenophontem, monitus ab Astyage exhaurire vinum, renuit, dicens se metuere, ne sibi venena mixta forent, quod vidisset Astyagem nuper in Natalitiis suis, propinasse amicis suis similia venena. *Et quo pacto*, inquit ille, *O fili hoc dignovisti? Quod videbam*, inquit, *vos, neque corporis esse neque mentis compotes*, Xenoph. in Cyripædia. Ecce tibi anserem talem S. Martinum. Hic enim, communioni Ithacianorum in ordinatione unius Episcopi subscriberet, nulla vi adigi poterat tametsi in eam ordinationem consenserat maxima necessitate compulsus, ut nimirum hoc pacto eriperet à cæde jam patranda innocentes. Baron. anno 386.

D. III. *Vitam ducat asperam.*

Tertio. Christianus vitam asperam sectari & intrare per angustam mortificationis portam debet: qui à Christo audit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam.* Audi S. Basilium in Regulis, Reg. 17. *Uti optimus corporis habitus*, inquit, *& coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit: Sic Christianum à cæteris discernit macilentia corporis pallorque deflorescens, qui continentiæ velut adjunctus est omnes; indicio est enim Christi mandatorum verè pugilem esse, qui infirmitate corporis adversarium suum in lucta prosternit.* Talis pugil fuit Apostolus 1. Corinth. 9. qui ait: *Sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Debet ergò Christianus non solùm illicitas sibi voluptates interdicere, sed etiam castigare corpus suum & in servitutem redigere cum Apostolo. Ecce tibi anser absque stramento super nuda humo recubat: ad hæc plumis quidem externè vestitus est, ad cutem tamen cuspides pennarum, quasi cilicium aliquod gerit. Sic & S. Martinus vestem tam hispida indutus erat, ut ejus aspectu equi expavefacti refugerent. In suo verò quod extruxerat monasterio jam Episcopus, cùm octoginta discipulis in multa abstinentia vixit: Ubi vinum nemo biberat, nisi quem infirmitas coegisset: Mollior habitus pro crimine erat, ut habetur in ejus vita. Idem cùm in quandam villam suæ Diœcesis venisset, & Clerici lectum ei de stramine præparassent, stramentum omne removit, quòd in cilicio tantum & super nuda humo cubare consuevisset. Moriens in cinerem deponi voluit, & cùm Discipuli tunc ei stramen supponere vellent, respuit, dicens; *Non decet, filii, Christianum, nisi in cinere & cilicio mori. Ego si vobis aliud exemplum reliqui, ipse peccavi.* Prô, Auditores, quorsum nos devenimus, qui tam longè absumus ab hoc viro? Quam bene canit Eclesia de ipso: *O virum ineffabilem!*

E. IV. *Refrænet linguam.*

Quarto. Christianum decet refrænare linguam. *Qui enim vult vitam diligere*, ait sanctus Petrus 1. Petr. 3. *& dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo:* quod ex Psalmo desumpsit. Ecce tibi Doctorem anserem, qui tametsi alioqui streperum animal est, scit tamen & tacere cum est opportunum. Taurum enim montem transmissuri anseres, singuli aquilarum metu mordicus ore lapillum tenent, ut ne clangorem, quo prodantur, edant: hoc ergò, quasi frœno sibi injecto securè pergunt & fallunt aquilas: Pierius lib. 24. Hierogl.

Quid aliud ergò anser docet, quàm quod Propheta Isaias c. 30, docuit: *Si quiescatis, salvi eritis?* & quod Angelus Arsenium docuit: *Si vis esse salvus, fuge, tace, quiesce?* Et en tibi Magistrum alterum, Martinum nostrum, qui silentio tulit calumnias & injurias Briccii Discipuli sui lib. 3. Dial. cap. 20. Idem cùm aliquando milites obvii (quorum equos Martini aspectu territos paulò ante diximus) verbera ei infligerent, ne verbo quidem se prodidit, sed veluti mutus cædentibus tergum præbuit; & hac ratione victor evasit. Nam protinus eo loco consistere eorum equi velut saxei cœperunt, nec ullo modo propelli poterant, donec miseri crimen suum agnoscentes, ad pedes Sancti acciderent, & veniam à læso peterent.

Ita nimirum Deus; si cum silentio feramus injurias, pro nobis loquetur & pugnabit, melius, quàm nos possumus. Vin' addam tertium hujus rei Magistrum? Agatho Monachus, quò custodiret linguam suam, per triennium gestavit in ore lapidem.

Hoc documentum quàm salutare foret mulieribus garrulis alioquin instar anserum? quàm sæpè aquilarum, id est, maritorum suorum ungues hoc medio evadere possent? Experta est illa, quam ferunt edoctam, ut tonante marito, aquam interim ore contineret, donec ira viri deferbuisset. Effugit enim viri verbera, non aquæ, sed silentii beneficio. Aristoteles libro 1. Oecon. cap. 6. claudi vult portam domus. Quid autem aliud os, quàm domus nostræ ostium, cujus lingua custos est & ancilla ostiaria? Ergò sicut domus illa inquieta & immunda est, cujus ostium semper patet: ita & anima viri loquacis.

F. V. *Vigiles contra dæmonem*

Quinto. Christianum decet vigilare contra insidias dæmonis, mundi & carnis. Unde Ecclesia quotidie nos admonet in Completorio verbis illis sancti Petri Epist. 1. cap. 8. *Fratres sobrii estote & vigilate,*

gilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. Idipsum toties nobis inculcat Dominus Matth. 24. *Vigilate ergo*, ait, *quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit: Illud autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam. &c.* Atqui hoc idem docet anser, qui etiam nocte vigilat, & excubias agit easque clangoris assiduitate testatur: hominis accessum mox advertit & præ timore exclamat.

Hinc olim Gallis Capitolium occupaturis stridore suo Romanos excitarunt dormientes sicque defenderunt, unde in perpetuum alimentum eis decreta fuerunt. Ita nimirum Christianus semper pavidus esse debet, & contra hostium suorum insidias sedulò vigilare, adventantes objurgare, iisq; ingruentibus ad Deum exclamare & opem implorare? alioqui censebitur cum hoste consentire. Hinc Deut. 22. præcipit Deus puellam alteri desponsam, quæ cum esset in civitate & ab alio violaretur, non clamavit, lapidibus obruere: quia nimirum censetur stupro consensisse. Pari modo, qui, cum advertit insidiantem sibi tentationem, non exclamat ad DEUM per orationem, non prodit eam, nec resistit illi, censetur ei consentire & peccati reus est. Sic exclamavit Susanna contra Senes vim sibi allaturos, Daniel. 13. Sic exclamavit Sanct. Bernard. contra mulierem impudicam in lecto sibi insidiantem, *Latrones, latrones*, ut in ejus vita. Sanctus Martinus velut anser vigilantissimus insidiantem sibi dæmonem facilè sensit & agnovit hostem, licet fucata sibi apparentem forma; aliquando cùm se dæmon Christum esse diceret regio adornatus habitu; Martinus contra: *Dominus Jesus Christus*, inquit, *non se purpuratum, nec diademate nitentem venturum esse prædixit.* Eundem cum moriturus adstantem cerneret: *Quid hic adstas*, inquit, *cruenta bestia: nihil in me funesti reperies.* Docuit etiam suos vitare insidias dæmonis. Cùm enim aliquando cernere mergulos in flumine piscibus insidiantes & captos devorantes: *Forma*, inquit *hæc est dæmonum. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, saturari nequeunt devoratis.* Ergò vigila primò. Sicut Custos vineæ, super animam & conscientiam tuam, ne quis eam diripiat. Secundò. Sicut pastor super quinque sensus tuos, ne evagentur, & luporum præda fiant. Tertiò. Sicut miles excubans contra hostes, super futura discrimina, diaboli, mortis, Judicii & Inferni.

G. VI. *Diligat proximũ.* Sexto. Christianum decet, si quem unquam, dilectio proximi & misericordia erga afflictos. *In hoc cognoscent omnes*, ait Dominus Joan. 13. *quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Qualis autem ea dilectio esse debet, ostendit Joannes Epist. 1. cap. 3. dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate*, id est, operibus misericordiæ & charitatis. Hujus rei Magistrum vultis? Ecce vobis anserem. Nam primò. Ipse singulis annis partitur vestem suam cum hominibus, plumas videlicet sibi non necessarias. Deinde, qui ex illis firmiores sunt, adjuvant imbelliores. *Fessi proferuntur ad primos*, ait: Plin. lib. 10. cap. 22. *ita cæteri stipatione naturali propellunt eos.* Et quid Martinus fecit, si hoc idem non fecit? Nonne cum mendico, cùm aliud non haberet pallium suum divisit? Nonne longe itinere ad parentes suos abiit, ut hos adhuc gentiles converteret, & quodammodò ad viam salutis propelleret? Nonne omnes pœnitentes & oppressos in suum recipiebat sinum, ipsum etiam diabolum recepturus, si pœnitentiam agere voluisset?

H. VII. *Sit pius & devotus.* Septimò. Christianus Deo devotus ac pius esse debet, & subinde in eum mentem erigendo, per orationem, contemplationem, ac gratiarum actionem, juxta id Psalm. 112. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis; Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Docet etiam hoc anser, qui subinde dum bibit præsertim, & oculos & caput ad cœlum elevat. Et sic faciebat S. Martinus, subinde inter opera & lectionem orabat, veluti faber malleo percutiens incudem, ut in ejus vita Sulpitius ait, de quo canit Ecclesia: *Oculis & manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Cumque æger supinus semper jaceret, rogatus à Discipulis, ut vultum aliquando verteret: *Sinite me*, inquit, *fratres sinite cœlum potius respicere quàm terram, ut spiritus ad Dominum dirigatur.* Ob quam causam *suspex cœli* vocatus est.

Primò. Ergò suspicere in cœlum debemus per orationem, cum animo angustiamur, vel in discrimine versamur: ita Susanna injustè ad mortem condemnata *flens suspexit in cœlum*, Dan. 13. Unde & audita ac liberata est.

Secundò. Per gratiarum actionem, cùm aliquod beneficium à Deo accepimus, ut cùm edimus, bibimus, &c. Sic enim anser dum bibit subinde ad cœlum oculos tollit.

Tertiò. Per desiderium cœlestis patriæ. Hic igitur, anser est, quem hodie comedere Christiani deberemus qui, si non implet ventrẽ, implet tamen mentem. Atque isthæc ratio est venerandi sanctum Martinum, si nimirum ipsum imitari studeamus; Quòd nobis impertiat Deus Optimus Maximus.

***

CONCIO VIII.

ANSERES NE SIMUS.

I. *Animal stolidum.*
II. *Streperum.*
III. *Bibulum.*
IV. *Pigrum.*
V. *Noxium.*
IV. *Infelix.*

THEMA.

***Vide ergò lumen, quod in te est, ne tenebræ sint,* Luc, 11.**

A.

ANte annum monui, Auditores, ut anserem comederetis, imo anseres essetis; sed hoc anno vertere stylum debeo & seriò vos monere, anserem nec edatis, seu ut anseres ne sitis. Quantum enim boni in hac ave deprehendi ante annum, tantum nunc in eadem deprehendo mali. Moveor autem inprimis illis Christi verbis: *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Lumen enim quod est & esse debet in homine, lumen intellectus & rationis est, secundum quod ad imaginem Dei creatus est, juxta id Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Cujus luminis defectus in brutis, quid est, nisi tenebræ? Dum igitur monet Dominus ne lumen rationis in nobis obfuscemus, simul etiam monet nec ex hominibus ratione utentibus in belluas degeneremus, quæ lumine intellectus carent. Unde satis perspicimus, anseres nos esse minimè debere. Qua ratione; audiemus.

B. I. *Animal stolidum.*

Primò. Anser est animal stolidum, scribit enim Plin. de anseribus lib. 10. cap. 39. *Apprehensa radice morsu sæpe conantes avellere, ante colla sua abrumpunt.* Hujusmodi verò anseres, quis neget esse eos, qui proprio sensui & judicio pertinaciter adhærent, & prius sibi collum abrumpi patiuntur, quàm in aliorum saniorem sententiam eant; Verissimus Anser Joan. Hussius (Hus enim Bohemicè sonat anserem) qui in Concilio Constantiensi Catholicæ fidei dogmata tam fundata & solidata evellere conatus contra tot patrum unanimem sensum, tribus præsertim VViclephi jam damnati articulis, pertinaciter adhæsit, scilicet: *Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt, quòd opibus dotaverunt Ecclesiam: Si Papa aut Sacerdos mortali sit obstrictus peccato, nõ ordinat, non consecrat, non baptizat: Item decimæ sunt puræ Eleemosynæ.* Hos articulos antequam ejuraret in rogo assari voluit, Florimund. Ræmund. de Orig. Hæres. lib. 4. cap. 3. Cur tam sunt similes alii hæretici, quam ovum ovo, anser anseri similis est. Quibus & illi accedunt, qui ex odio vel invidia stimulati proximum suum eradicare ex aliqua communitate, vel ad stipem redigere totis viribus nituntur; qui tamen sæpè priùs colla sua abrumpunt, semetipsos exhauriendo, vel morte præveniente perdunt collum suum, quam voto suo potiantur. Exemplo sunt Judæi, qui Christum è vitæ & hominum memoria eradere, prorsusque eradicare conati sunt variis artibus, juxta id Jeremiæ 11. *Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius*, ipsi tamen potius erasi & eradicati sunt è terra, & per orbem totum dispersi. Similiter & Aman, qui nihil se habere existimabat, tametsi gloria & divitiis auctus esset, nisi Mardochæum & cum ipso gentem Hebræorum totam funditus eradicasset è regnis Assueri: ipsi tamen prius collum laqueo ruptum est, Esth. 7. His adnumerari possunt, qui potitandi assiduitate & inprimis haustibus immodicis & penè inexhaustis colla sibi abrumpunt, valetudinem inquam & vitam. Omnes denique qui certis peccatis pertinaciter adhærent, & potius patiuntur animæ suæ detrimentum quàm ut iniquum lucrum, vindictæ appetitum, odium vel aliud vitium in corde suo radicatum dimittant. O Insaniam! malle collum suum rumpere & animam suam perdere, quàm vilissimam radicem deserere! Deinde anseres tam sunt stolidi, ut ingredientes per alta licet ostia, qua currus alioqui onusti facilè ingrediuntur, capita inclinent, quasi periculum foret ne impingerent, si erecti ingrederentur. Stultitia hæc illorum est, qui cavent ne infernum, quà utique lata porta est, non securè ingrediantur, dum peccata sua studiosè tegunt, adeoque se humiliant per hypocrisin vel mendacia coram Confessario, ne si apertè & syncerè cum ipso agant, ab inferni ostio repellantur.

C. II. *Streperũ.*

Secundò. Est animal streperum. Suum enim anseres *gaga* perpetuo ingeminant, accedentes ad se clangore produnt, & cùm quid novi vident magnis simul vocibus exclamant, nec non prætereuntes sibilis appetunt. Anseres ergo sunt loquaculi, qui ostendunt primò parum mentis se habere. *Ut enim vascula inania maximè tinniunt; ita quibus minimum inest mentis & crisis, hi sunt loquacissimi.* Ait Ausonius. Unde fit ut garrulorum sermones ferè aliud non sint, quam gaga seu anserini & futiles, insipidi & molesti, ut videre est cum primis in mulieribus, quæ minus habent. Neque enim frustra dicitur, tres anseres, tres ranas, & tres mulieres facere nundinas. Deinde ostendunt se parum Christianos juxta id Apostoli Jac. cap. 1. *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.* Tum quia lingua, quæ ad Dei laudem ei data est abutitur ad vana, turpia, detractoria, mendacia, execratoria, blasphemia, & injuriosa verba, quæ ex ore garruli prodire sæpe necesse est. *In multiloquio enim non deerit peccatum*, ait Sapiens Proverb. 10. Nihil novi contingit,

git, quod ipsi non non audiant, & suis glossis explicent, carpant, proclament; nemo eos transit, quem non sibilo suo appetant. Tum quia per linguam prodit suam religionem esse inanem. Hinc Sanctus Petrus apud Clementem Epist. 1. ad Jacobum Alphæi Apostolum, crebrò prædicavit Christianis, ut os & linguam sedulo custodirent ac moderarentur.

Siquidem ex linguâ veluti ex porta videtur quis in domo sit, hoc est, an sanctitas vel vanitas, an Deus vel diabolus sit in mente hominis.

D. III. *Bibulum.* Tertio. Est animal bibulum, quod semper immergere aquis rostrum, & innatare amat. Hujusmodi autem potatores, qui toti sunt in poculis ac prope modum natant, dum mero perfundunt, barbam, vestem, mensam; dum diu noctuque potitant, & cum dormiunt potum somniant, de quibus Isaiæ 5. dicitur: *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam.* Quòd unus anser facit, faciunt & alii: uno fluvium intrante, intrant & alii: uno bibente, bibunt & alii: & quod agunt vetuli, agunt & juvenculi. Similiter potatores alii alios sectantur ad tabernas & filii parentes. Anseres incedendo vacillant de uno latere in aliud, similiter potatores. Unde Psalm. 106. dicitur: *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Miranda res profectò: devorarunt illi, ut ita dicam, vinum & vicissim, vinum devoravit eorum mentem & sapientiam. Stupidi sunt anseres; siquidem quieti sedent nec ullatenus perturbantur, cùm ad tumultus ciendos campanæ quatiuntur: ita & potatores nihil curant cœli tonitrua: Dei cominantis voces: concionatorum fulmina, &c. Sed immoti consident surdi ad has voces. Anseres cum à canibus forsan exagitantur, præcipiti volatu ad aquas se recipiunt, & ibi magnis clangoribus quasi in tuto positi canibus obstrepunt atque illudunt. Prorsus ita bibuli cùm exagitantur; à Concionatoribus vel uxorum objurgationibus, vel etiam adversa fortuna, non alio se recipiunt, præterquam ad tabernas & compotationes ubi irident, & traducunt concionatores, uxores & quoscunque pios, à quibus objurgati sunt. Dicitur etiam anser durante pluvia & tempestate uno oculo cœlum, altero rivum contemplari in quo sedet. Pari modo potatores, dum fortè in templo, sub Missa vel concione, uno (si sors ferat) oculo ad ea quæ fiunt vel dicuntur, attendit: altero sunt in patinis & poculis, secum ratiocinantes, ubi & qua ratione diem Baccho dicare velint. Verum utinam unum oculum dejicerent ad infernum contemplandis bibulorum pœnis, alterum ad cœlum attollerent contemplandis abstinentium gaudiis, quamq; illi vicini ab hoc autem remoti sint.

E. IV. *Pigrum.* Quartò. Est avis pigra & iners: siquidem diu altè volare nequit, & si aliquantulum volat, mole tamen corporis prægravata mox iterum terram petit, quamvis inter volatum magnis clamoribus perstrepat, quasi rem mirandam præstet. Habemus hic imaginem hominum carnalium, qui carnis mole pressi, vix unquam se attollere ad desiderium & contemplationem rerum cœlestium possunt: quidquid enim sacrum est insipidum illis & molestum est: ac si forsan aliquando occurrente solemni festo attollere se videntur per Confessionem & communionem: mox tamen iterum recidunt in pristinam conversationem. Et tamen interim si vel unam aliquando audiant Missam, mox strepere incipiunt passimque velut rem magnam jactant. Deinde anser sua tantum ova incubat & excludit, non aliena, etiam aliorum anserum; unde sua cuique ova insignari debent si excludenda ab illis sint, Pier. libro 24. Plin. libro 10. cap. 59. Multi ejusmodi divites, qui suos tantum ditant, invitant, promovent, extollunt: alienos, pauperes, præsertim negligunt, & domo sua ejiciunt. Multi ejusmodi Magistratus, qui suorum querelas citò audiunt, calumnias mox depellunt, gravamina sedulò amoliuntur: alienorum verò causas differunt audire, multò magis expedire. Multi ejusmodi avari raptores & usurarii, qui instar Judæorum usuras non à suis, sed ab alienis tantum capiunt, alienos tantum spoliant.

F. V. *Noximus* Quinto. Est animal noxium pratis & agris: stercore enim suo vitiat & adurit olera & herbas, Pier. loc. cit. Faciunt hoc idem, qui vitæ suæ impuritate & publicis sceleribus toti communitati non modo exemplum malum præbent & offendiculum ponunt, sed etiam labem aspergunt. Quare sicut anseres propter illud vitium suum multis locis eliminantur: ita nullibi prorsus tolerari deberent, qui pravis suis exemplis alios seducunt, & communitati probrum inurunt. Scimus enim propter unius Achan sacrilegium Deum toti Hebræorũ populo infensum redditum, nec placatum donec Achan contritus omniumque manibus lapidatus esset, Judic. 7. Scimus Apostolum jussisse tolli de medio Corinthiorum incestuosum, qui uxorem fratris habuit, eo argumento: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* 1. Cor. 5. Quare si unus aut plurium scelus virorem virtutis demetat in aliis, utique è medio tollendi sunt. *Ut in oculum,* inquit Salvianus l. 7. de prudentia, *etiamsi parva sordes incidat, totum lumen obcœcat: Sic in Ecclesiastico corpore etiamsi pauci sordida faciant, prope totum Ecclesiastici splendoris lumen offuscatur.* Eadem ratio de politico corpore. Deinde non ut alia pecora morsu amputat herbas, sed avellit impetu, unde radices quoque herbarum sæpè extrahit; quod non faciunt alia pecora. Et qui sunt isti, qui instar anserum herbas vellunt? nonne qui cum damno proximi, & in præjudicium alio

aliorum ac totius communitatis lucra sua quærunt & victum?

Aliud est depascere herbas, aliud vi avellere, illud relinquit in terra radicem iterum germinaturam aliis pecoribus, istud verò exscindit. Quare nocentissimi; in communitate anseres sunt usurarii & qui mercimonia omnia ad se trahunt, & aliis pastum seu victum quasi vi eripiunt, proinde nec tolerandi.

G. VI. *Infelix.*

Sexto. Est avis quodammodò infelix, siquidem post saginam unius mensis in obscuro aviario perceptam, mactatur ad Martinalia, & assatur in veru vel olla. Quandoque etiam contigit, ut dum spicam in ore gestans extento collo incedit gestiens, velut extra omne periculam sit, miles retrò accedat & collum ei gladio resecet. Idem contingit tandem malis his anseribus, quos recensuimus. Saginantur enim modico tempore in hoc tenebricoso mundo, quasi in aviario necnon in obscuro peccati statu, ubi miseri existimabant se bono loco esse adeoque in sua patria: Verum ubi tandem expleverunt dies vitæ suæ in senio scilicet, velut in Martinalibus, venit mors & infigit eis spiculum suum. Quandoque etiam cum extento collo incedunt saturati, & aucti frugibus, & opibus quasi dies bonos primum incepturi, & bonis suis gavisuri, tum repentè & inexspectato invadit eos miles ille, qui gladio suo omnia sternit, quique ait, Deut. 32. *Gladius meus devorabit carnes.* Hujusmodi erat Dives ille apud Lucam cap. 12. qui plurimis auctus frugibus, dicebat animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: Requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed vide militem retrò sequentem: Dixit autem illi Deus; *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cujus erunt?* Quibus verbis indicatur triplex hujus divitis stultitia & triplex miseria eam consequens.

Prima stultitia est, quòd promiserit sibi plurimos annos vitamque diuturnam, quodque totâ ea facturus esset, certè definierit, quasi hoc ab ipsius tantum, & non Dei voluntate dependerit. Secunda, Quod præterea pollicitus sibi sit dies bonos, sanitatem & voluptatem: *Requiesce, comede, bibe, epulare*, quasi hæc bona nunquam ipsum defectura essent, cùm tamen à manu Dei prodeant, ab eaque retrahi pro libito possint. Tertia. Quod animæ suæ de bonis temporalibus ad vitam reliquam commodò transigendam spectantibus sedulo prospexerit: eidem tamen de bonis ad vitam æternam pertinentibus minimè providerit; quæ sanè ingens stultitia est, paucorum annorum famem solicitè avertere: famem verò æternam minimè amoliri. Triplicem hanc stultitiam triplici clava seu virga castigavit Deus. Primò enim ait, moriturum eum hac nocte, id est, repentè & improviso, qui sibi annos plurimos & certos, definierat. Secundò. Repetendam ab illo animam, hoc est, moriturum coactè & violente, ut qui ab epulis & voluptatibus suis per vim abstrahendus sit. Tertio. Bona, quæ præparavit, nihil ei profutura, sed incertis hæredibus relinquenda; imò & animam (quod summum & maximum) ipsius in potestate dæmonum futuram. Quare sicut anser dum saginaretur, nequaquam sibi comedit, sed aliis; & plumas quidem nutrivit hominibus, ut in iis dormirent, carnem verò coquo & igni ac dentibus convivarum, ita, qui voluptatibus hujus sæculi perfruũtur & impinguant se divitiis, plumas divitiarum nutriunt hæredibus, corpus verò vermibus, animam gehennæ & dæmonibus, qui eam assabunt & laniabunt. Fateor ex naturæ instituto pecora tantùm mactari, pecora tantũ assari debent: hominem mactari & assari contra naturam est, & contra institutum Dei; verùm si ut homo vivat, secundum rationem. Ubi verò in belluam degenerat, quid mirum si & homo velut aliæ belluæ mactetur & assetur; Itaque sapiamus, quæso, illius avari malo. Audiamus Davidem Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Pari ratione dixisset: *Nolite fieri sicut anseres, qui & ipsi carent lumine intellectus.* Quæ conventio luci ad tenebras? homini ad bestias? ne ergò cum bestiis mactemur, vivamus cum hominibus.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Evangelium, Matth. 25.

IN illo tempore, dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ: Quinque autem ex eis erant fatuæ; & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: Prudentes verò acceperunt oleum in vasis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes ac dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur: Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius, ad vendentes & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissime vero, veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine Domine, aperi nobis, at ille respondens, ait: Amen amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque: quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis veniet.

CONCIONES.

I. *Virginitas commendatur.*
II. *Virginum præscripta.*
III. *Cur fatuæ dicantur 5. Virgines.*
IV. *Quas aureolas S. Catharina meruerit, & quàm dissimilis ei Catharina de Bore, Lutheri pellex.*
V. *Adventanti Christo judici quomodo obviandum.*
VI. *Tempus bene expendendum.*
VII. *Cur voluerit Deus horam mortis nobis esse ignotam: & vitam nunc breviorem quam olim.*
VIII. *Quomodo damnatis omnis janua spei præclusa sit.*
IX. *Mysteria.*

CONCIO I.

VIRGINITAS COMMENDATUR.

I. *A SS. literis.*
II. *A propria dignitate.*
III. *A multiplici immunitate.*
IV. *A præmio ei decreto.*
V. *Ab immenso virginum choro.*

THEMA.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ & ornaverunt lampades suas, Matth. 25.

AUdivimus, Auditores, virgines dormivisse, quoad veniret sponsus. At ubi sponsus venit, *tunc surrexerunt virgines*, inquit sacer textus, *& ornaverunt lampades suas.* Quid hic mysterii latet? Sponsum esse Christum nihil dubitamus. Hic antequam in terras veniret, dormierunt omnes virgines aut certè dormitaverunt, hoc est, sepulta erat virginitas aut saltem obscura & in paucis hominibus, ita ut ferè miraculum esset. Ast ubi Christus sponsus virgo de virgine processit in hunc mundum, tunc evigilarunt & surrexerunt virgines, votoque vel proposito virginitatis ornaverunt lampades, id est, corpora sua, tunc & privatæ ædes & integra monasteria impleta sunt virginibus, Christi exemplum imitantibus. Unde S. Ambrosius lib. 1. de virginitate ait: *Quis neget hanc vitam* A.

fluxisse de cœlo, quam non facilè inveniemus in terris, nisi postquam DEUS in hæc terreni corporis membra descendit? Et Gregorius Nazianzenus in orat. exhortat. ad virgines. *Olim*, inquit, *cùm lex erat & umbra cæremoniæque temperariæ, tum primatum habebant nuptiæ tanquam adhuc infantes: postquam verò emigravit litera subinductusque est spiritus, & Christus cum processisset ex virgine, in carne passus est, tunc effulsit castimonia dividens mundum.* Ergò ante Christum flos virginitatis peregrinus erat in terra: ast ubi illum de cœlo attulit, factus est communis. Voluit autem DEUS pulcherrimum hunc florem reservare ad tempora gratiæ, quibus non tam providendum erat, quomodo mundus brevi ruiturus impleretur hominibus, quam quomodo cœlum virginibus aliisque Sanctis. Hunc igitur nobilem florem, Auditores, cuperem hoc tempore magis esse communem, quem si bene novissent juvenes, utique multi eum in hortulo suo plantare satagerent. Ergò inspiciamus illum.

B. I. *Commendatur à SS. literis.*

Primò. Commendant virginitatem sacræ literæ veteris & novi testamenti. In veteri per Isaiam inquit Dominus cap. 56. *Dabo eis* (Eunuchis) *in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Eunuchos, intellige spirituales, cœlibes & virgines, de quibus etiam locutus est Dominus Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum. Qui potest capere capiat*, quasi diceret: Excelsa est hæc virtus, quam non omnes capiunt. Eandem commendat multis & suadet tanquam rem conjugio longè præstantiorem Apostolus 1. Cor. 7. Denique S. Joannes Apoc. 14. vidit in spiritu supra montem Sion 144. millia virginum Agno assistentium, & cum eo ambulantium quocunque ibat. Quæ omnia ad commendationem virginitatis dicta esse nemo non videt & nos infra melius videbimus.

C. II. *A propria dignitate.*

Secundò. Commendat status eminentia & dignitas, supra status conjugii & viduitatis. Hoc enim sibi vult visio Joannis, qua cuneum illum virginum vidit supra montem Sion, sequentium Agnum, quocunque iret. Supra montem enim stant.

Primò. *Quia in altissimo virtutum culmine*, ait sanctus Gregorius lib. 5. in lib. Reg. cap. 3. *Posita est virginitas, cum DEO potius in cœlo vivens, quàm hominibus in terra. Virgo enim*, ut ait Apostolus, *cogitat quomodo DEO placeat, nupta quomodo viro.* Unde sanctus Aldhelmus Occidentalium Saxonum Episcopus scribit sub annum Domini 680. tom. 5. Biblioth. SS. Patrum in lib. de laudibus virg. cap. 3. *Cùm tres sint status in Ecclesia, virginitas, cœlibatus & conjugium, ex revelatione Angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, has inter virtutes constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cœlibatus argentum, conjugium æramentum: Virginitas pax, cœlibatus redemptio, Conjugium captivitas: Virginitas divitiæ, Cœlibatus mediocritas, Conjugium paupertas: Virginitas sol, cœlibatus lucerna, Conjugium tenebræ: Virginitas Regina, Cœlibatus Domina, Jugalitas ancilla*; Sic ille. Ad idem spectat, quod scribit Sulpitius in vita sancti Martini dial. 2. cap. 11. *Sanctus Martinus*, ait, *videns pratum, cujus unam partem boves depaverant, secandam porci suffoderant, tertiam illæsam, quæ diversis floribus quasi picta vernabat, dixit: Prima pars speciem gerit conjugii, quæ à pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Secunda, quam porci pecora foderunt, fornicationis fœdam imaginem prætendit. Tertia, quæ nullam sensit injuriam, gloriam Virginitatis ostendit; unde herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus, exuberat, & ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.*

2. Secundò. Quia virginitas supra terram elevata & Angelis cognata est. Eò enim inprimis pertinet id, quod dixit Dominus Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli DEI in cœlo.* Ergò virgines sunt sicut Angeli. Id quod expresè scribunt multi sancti Patres, Cyprianus, Augustin. Bernard. Tertullian. & alii. Imò sanctus Bernardus Epist. 42. Castitatem Angelorum, ait, esse quidem feliciorem, Castitatem tamen Virginum esse fortiorem. Ratio est, quia, ut ait Sophronius inter opera sancti Hieronymi sermon. de Assumpt. *Esse Angelum felicitatis est, esse verò virginem virtutis, dum hoc obtinere nititur ex gratia, quod habet Angelus ex natura.* Hinc virgines præsertim DEO sacræ maximo semper in honore habitæ sunt. Sanctus Ignatius in suis Epistolis salutare eas honorificè consuevit. Et in Epist. ad Heronem: *Virgines serva*, inquit, *ut pretiosa Christi monilia.* Et in Epist. 4. ad Tarsenses: *Eas*, inquit, *quæ in virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi Sacerdotes.* Easdem præ reliquis omnibus Constantinus Magnus in pretio habebat (ut scribit sanctus Athanasius in Apol. ad Constantinum ejus filium) & in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare credebat ideoque virginem chorum tantum non adorabat (ut scribit Eusebius lib. 4. vitæ ejus cap. 28.) unde etiam alimenta eis ex publico dari jussit, teste Theodoreto lib. 1. histor. cap. 11. Helena item mater ejus cum esset Jerosolymis, quas ibi reperit Virgines sacras, ad prandium invitare iisdemque inservire, aquam affundere & cibos apponere consuevit, teste Ruffino lib. 1. cap. 8. Quin etiam gentiles honorem detulerunt virginibus eumque non vulgarem. Vestalibus Romanis Consules, Imperatores & in curru triumphantes de via cedere solebant, ut scribit

bit sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovianum. Etsi illæ casu obviassent alicui, qui ad supplicium duceretur, necari eum non licebat, Plut. in Numa lib. 28. cap. 4.

Tertiò. Quia res ardua & difficilis est, unde eam Christus noluit præcipere, sed proponere tantum velut scopum optimis jaculatoribus: *Qui potest capere, capiat.*

Quemadmodum enim in pagis solet statui pertica seu arbor alta, in cujus summitate pendeat corona vel aliud munusculum adrepentibus propositum, ad juventutis exercitationem: ita etiam virginitatis corolla proposita est à Christo strenuis militibus, ad eam conniti volentibus. Cujus rei typus fuere duæ illæ columnæ aureæ ante vestibulum templi collocatæ, nec aliud in summitate præter lilia sustinentes, 3. Reg. 7. quod non sine labore scilicet ad lilia virginitatis perveniri queat, iisque sustinendis magno robore, & gratiæ præsidio opus sit.

D. III. *A multiplici immunitate.*

Tertiò. Commendat immunitas & exemptio ab oneribus conjugalibus & Evæ triplici maledictione, quod Fulgentius sermon. de laudibus virg. eleganter indicat: *Evæ*, inquit, *dictum est, in doloribus & tristitia paries, & ad virum Conversio tua, & ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subjugant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, & servituti.* Eximunt se vicissim, Mariam quæ sequuntur, virgines nimirum. Quare Apostolus 1. Cor. 7. ait, bonum esse non habere *propter instantem* (id est, incumbentem) *necessitatem*, seu, ut mox explicat, *carnis tribulationem*, quam habent conjugati; cujusmodi sunt onus uteri, partus dolores, educatio liberorum, curæ, timores, zelotypia, rixæ, familiæ apparatus; opum, affinitatum, statuum curandorum & augendorum solicitudo, mariti dominatus, cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitas, & ex his perpetua animi distractio & occupatio, mors denique omnia subvertens. Quare si qua est in conjugio gutta mellis, ea compensatur integro fellis dolio.

1. Primò enim à conceptu subeunt mox fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustiæ, appetentia rerum absurdarum, partus dolores acerrimi, qui multis mortem afferunt, vel alia damna aut incommoda.

2. Secundò. Proles edita continuo mundanda, cibanda, infasciánda, vestienda, reclinanda, in cunis agitanda & cantu mulcenda, ut dormiat, crepitacula ut taceat, ferendi ejus ploratus, toti denique dies ac noctes ei impendendi, ita ut vix templum festivis adire diebus queat mater ad Missam audiendam. Omitto sordes, pedorem, morbos, pericula matrum & infantum, qui sæpe nascuntur miserè cœci, claudi, manci, &c.

3. Tertiò. Proles grandior facta majores parit curas, molestias & dolores. Quantus enim dolor, si contingit eam extingui, si malorum consortio ad flagitia, furta vel homicidia ac demum ad publicam infamiam & dedecora abripi? Quid si rebellem se parentibus exhibeat? Quid si alea & poculis bona illorum dilapidet? Quid si iis inconsultis vel reclamantibus matrimonio se involvat? Ob hæc & alia plura incommoda S. Augustinus secutus S. Ambrosium nulli unquam voluit conjugium suadere, hæcque tria homini Dei servanda monebat, inquit Possidonius in ejus vita cap. 27. Primum, ut uxorem cuiquam nunquam posceret. Secundum, ut militare volentem, adhoc non commendaret. Tertium, ut in sua patria petitus ad convivium non iret; causamque singulorum dabat. Primi, ne dum conjugati inter se jurgantur, eum maledicant per quem conjuncti sunt. Secundi; ne militiæ commendatus malè agens suam culpam suffragatori tribueret. Tertii, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus. Ob eandem causam Thales ille Milesius, unus è septem Sapientibus matrimonium vitabat, junior enim suadenti matrimonium matri nondum esse tempus dixit: major natu cum esset, eidem instanti, non amplius esse tempus respondit, Laert. lib. 1. Solonem verò, qui contra sentiebat, hac arte convicit. Cùm enim essent una, fictum submisit Soloni nuntium, qui diceret filium ejus extinctum esse. Quæ res cum ita Solonem perculisset, ut de potestate mentis exisse videretur, tum Thales: *Hæc me, Solon à nuptiis dehortantur, quæ te hominem fortissimum impingunt.* Rectè etiam alius quidam Philosophus Myrthus rogatus cur uxorem non duceret, respondit: *Si probam duxero, eam cogar relinquere in morte, si improbam, multa ab ipsa patiar, si pauperem, eam alere debeo: si divitem, ejus improperia & jactantiam audire cogar, si turpem, eam odisse debeo, si pulchram, custodire eam semper debeo. Et pessimum omnium est, quod ei libertas mea tradenda est, ipsa tamen gratias mihi non agit.*

E. IV. *A præmio ei decreto.*

Quartò Commendat præmium excellentissimum Virginitati decretum. Id explicant encomia, quæ sequuntur in visione S. Joannis de virginibus. Nam primò erant cum Agno, & habebant nomen Agni & Patris ejus scriptum in frontibus suis, quod indicat fore eas in cœlo conspicuas velut Christi sponsas & amicos intimos & familiarissimos, ut qui etiam nomen ejus sibi commune gerant, quem in vita minimè erubuerunt, sed glorificarunt & portarunt etiam in corpore suo, conformando nimirum corporis sui integritatem cum integritate corporis Christi. Quare licet in terra non fecerint sibi nomen per sobolis progeniem posteris relictam: sortientur tamen ejus loco nomen in cœlo longè melius & majus, cum vocabuntur sponsæ Christi & intimi amici; quod prædictum ab Isaia loco initio citato: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum, &c.*

Si

Si enim Elcana, 1. Reg. 1. Annam uxorem suam sterilem consolari his verbis potuit: *Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filij?* Quanto magis contentæ in cœlo Virgines erunt, cum pro liberis suis, quos habere poterant, sortientur in cœlo sponsum Regem cœlorum?

2. Secundò. Habeant vocem tanquam aquarum multarum, & tonitrui magni, item sicut citharœdorum citharizantium; quod præmium ad hanc vitam spectat, in qua ex peculiari DEI beneficio virgines habent vocem formidabilem hostibus & lenonibus, suavem vero ac gratam DEO & cœlitibus. Primi generis vox erat illa sanctæ Agnetis ad impudentem procum: *Discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum.* Et illa S. Agathæ ad Quinctianum amores ejus ambientem: *Multo præstantior est Christiana humilitas & servitus Regum opibus ac superbia.* Et rursum illa: *Crudelis Tyranne non te pudet amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti?* Quo tempore urbs tota terræmotu contremuit. Et illa S. Cæciliæ ad Valerianum sponsum gentilem: *Ego, Valeriane, in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit, quare ne quid in me committas, quo ira DEI in te concitetur.* An non hæc tonitrua & bombardarum sonitus? Taceo similia in masculis virginibus, Bernardo, Aquinate, Francisco, Vincentio Ferrerio, &c. Quam verò hostibus formidabilis, tam Deo grata est vox Virginum, tanquam citharizantium, quia per carnis suæ edomationem concinnarunt corpus ejusque vires, membra & passiones, veluti chordas, cum spiritu & cæteris virtutibus: quod profectò raram & pulcherrimam facit harmoniam, quando scilicet possunt canere: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

3. Tertiò. Cantabant canticum novum, quod nemo alius poterat dicere? quia ut ait S. Gregor. III. parte pastoral. admon. 23. *Cum Agno in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudent.* Cæteras enim virtutes cum aliis Sanctis communes habent, sed hanc habent peculiarem, cui debetur peculiaris laureola, virginitatis scilicet, ad quam aspirare cæteri Sancti nequeunt, quia & virginitas semel amissa reparari nequit. Hinc ex majorum instituto solis datur virginibus corollas de floribus in capite gestare. Idem hoc videtur sibi velle, quod subditur, Virgines sequi Agnum quocunque ierit. Sequuntur enim illum non ad ea tantum gaudia, quæ aliis Sanctis communia sunt, sed etiam ad gaudia Virginitatis, cùm, ut ait S. Augustinus de Virginit. cap. 27. *In decore Virginitatis incedit, quod cæteri non possunt.* Ob eandem causam vocantur ibidem primitiæ de terra emptæ Deo & Agno, id est, fructus optatissimi & selectissimi, qui per virginitatis votum vel propositum saltem DEO se consecrarunt, ut liberiùs ei serviren.

F. V. *Ab immenso Virginum choro.*

Quintò. Commendat ingens & splendidissimus Virginum exercitus, cujus Dux & Antesignanus est Christus, Agnus inquam ille, quem sequebantur Virgines illæ 144000. ut vidit S. Joannes Apoc. 14. Verum illæ Virgines erunt solummodo tempore Antichristi, ut patet ex illo capite. Longè major ergò Virginum numerus est, si in universum colligatur. Harum primaria est Deipara, quam sequitur Joannes Baptista & Apostoli plerique: post has Virgines quamplurimæ, quæ hortatu Apostolorum votum Virginitatis edidere & tenuere in privatis ædibus, antequam monasteriorum usus esset: uti SS. Praxedis & Pudentiana hortatu S. Petri: Techla & plures alii hortatu S. Pauli, Iphigenia hortatu S. Matthæi: Flavia Domitilla hortatu S. Clemetis, &c. Quibus successere in numero Monachorum & Monialium agmina, præsertim in Ægypto à tempore S. Antonii, & posteà in occidente Ordo S. Benedicti celeberrimus aliique eum secuti per Europam undique diffusi. Neque verò in cælibatu tantum, sed & in matrimonio non pauci extiterunt, qui Josephi & Deiparæ conjugium illibatum & ipsi imitati fuerunt, uti S. Eduardus Rex Angliæ cum conjuge. S. Henricus Imperator cum S. Cunigunde & alii. Neque desunt, qui mori maluerunt Virgines, quàm dispendio Virginitatis etiam per honestum conjugium, vitam conservare; cujusmodi fuit S. Casimirus Dux Lithuaniæ & filius Casimiri Regis Poloniæ, qui cùm in morbum incidisset, medicique dicerent, vitam ei prorogari nisi uxore ducta non posse, respondit: *Eligo virgo mori, non enim novi aliam vitam nisi cœlestem immortalitatem:* ut in ejus vita. Quid memorem porrò eos, qui stupenda alia facere vel pati maluerunt, quam florem virginitatis insidiantibus prodere? Euphasia Virgo sub Diocletiano, ad lupanar ducta, ut lenonem deciperet, veneficam se simulans & pharmacum ei promittens, quo foret invulnerabilis, collo injuncto in se periculum fieri suasit, quò sic obtruncata Virginitatem servaret, uti contigit Baron. anno 309. Ebba Colinghamensis monasterii in Scotia Abbatissa cùm Dani irrupissent, metuens suæ & sororum castitati arrepta novacula nasum sibi, & labrum superius usque ad dentes abscidit, quod exemplum secutæ sorores, horrori fuerunt militibus, Baron. anno 870. Aliæ se in flumen merserunt ne violarentur, uti S. Pelagia cum matre & sororibus, apud sanctum Ambrosium lib. de Virgin.

Atque hæc omnia intelligenda sunt de Virginibus utriusque sexus. Secundò tam de Virginibus, quæ domi, quàm de iis, quæ in monasteriis degunt. Primis enim temporibus Ecclesiæ, cum monasteria nondum essent, domi servabant virgines votum virginitatis, quod adhuc vigebat tempore S. Gregorii Papæ, qui id testatur de tribus sororibus sibi cognatis. Tertio. Non de iis tantum, qui

qui ex voto, sed etiam de iis, qui ex proposito tantum, (absque voto) servant virginitatem, & licet interruptum sit, si tamen manente virginitate resumptum sit saltem in articulo mortis, sufficit ad Corollam Virginitatis obtinendam: Quæ cum ita sint, mirum profectò est, quod tam pauci nunc inveniantur extra monasteria cœlibes & Virgines. Quàm pauci filii & filiæ, servi & ancillæ, qui in ædibus parentum vel Dominorum Virgines consenescant? Et si tales inveniuntur, non tamen id agunt ex proposito, sed quia non occurrit occasio nuptiarum. Quid verò hoc est aliud, quam servire velle gratis, cùm possis grandi mercede? Non ergò Virgines illæ inter fatuas computandæ sunt? sed his insipientiores sunt, quæ cùm nihil possideant, tam audacter nubunt. Stultissimæ verò quæ thesaurum suum produnt & prostituunt. O quanto rectius agerent illi filii & filiæ, servi vel ancillæ, si se cum proposito Virginitatis addicerent tota vita servitiis parentum vel herorum suorum? quanta evitarent mala, quanta lucrarentur bona? Atque has computandas dicerem in numero sapientum, quia non in lampadibus tantum, sed in vasis etiam acceperunt secum oleum, dum suam virginitatem non ad tempus tantùm, sed semper conservare statuerunt, &c. Surgite ergò & evigilate Virgines, ornate lampades vestras.

CONCIO II.

VIRGINUM PRÆSCRIPTA.

I. Exspectent sponsum suum.
II. Ornent lampades suas.
III. Socient se bonis suique similibus.
IV. Fugiant publicum.
V. Silentio assuescant.
VI. Custodiant vas suum.

THEMA.

***Simile est Regnum cœlorum decem virginibus,* Matth. 25.**

A. PRæclara virtus est Virginitas, sed si comitem habeat prudentiam. Virginitas sine prudentia lampas est accensa, qualem habuerunt fatuæ. Virginitas cum prudentia lampas est accensa, qualem habuerunt prudentes. Qui de nocte sint lumine incedit, sæpius impingit: non item, qui secum fert lumen. Patet in his virginibus: Prudentes enim cautè & prudenter ambularunt: Fatuæ incautè & sæpè impegerunt. Utram ergo, O Virgines, partem pro magistra vobis eligitis? fatuas an prudentes, cœcas an videntes? Non arbitror hic deliberandum; quis enim fatuum & cœcum sequi malit, quàm prudentem ac videntem? Quid verò prudentia virginibus agendum dictet, nunc audiamus.

B. I. *Expectent sponsum suum.* Primò. Virgines istæ expectarunt sponsum suum, illi se ornarunt, illi se compserunt? sed prudentes efficaciter & constanter, fatuæ non item. Primum hoc est, & fundamentale Virginum documentum, ut si nubere cogitent, primum suum amorem primo sponso suo reservent, & ubi eum nactæ sunt, illi se uni comant, & placere quærant. Non ergò passim obviis quibusve familiares se exhibeant, aut amorem suum pluribus impendant. Signum enim hoc est lenitatis animi in plura divisi, unde fit, ut quæ pluribus placere volunt, nulli verè placeant. Similes, imò propinquæ sunt meretricibus, quæ modo huic, modo illi adhærent amatori, interim nullum sincerè amant. Vulpes crebris venationibus agitatæ difficilè retibus ita includitur, ut exitum non inveniat, flosculus multorum manibus tritus odorem & decorem facilè deperdit, ita puellæ pluribus procorum amoribus affricatæ, & quasi agitatæ, fidem maritis suis & florem pudicitiæ vix servabunt. Hujusmodi autem ferè sunt illæ, quæ choreas frequentant, & convivia aliique promiscui sexus conventicula. De choreis nil dicere melius possum, quam quod de boletis dicunt medici: Optimi quique nihil valent. Boleti enim ut scribit Plinius lib. 22. cap. 22. temerè mandantur, quia non tantum excrementa sunt terræ, sed etiam à serpentibus facilè venenum attrahunt, cùm spongiosi sint. Eadem ratio suadet fugiendas esse choreas, quia sunt reliquiæ & quasi excrementa Ethnicismi: & præterea quia in choreis nunquam desunt aliqui serpentes, qui virus impudicitiæ afflare aliis soleant, & inveniunt plerumque animos saltantium ad hoc recipiendum dispositos. Idem de fungis scribit Plinius capite sequente: *Familias*, inquit, *nuper interemere & tota convivia; Anneum Serenum perfectum Neronis vigilum, & tribunos & centuriones.* Subditque mox: *Quæ voluptas tanta incipitis cibi:* Lege 32. cap. Exodi & videbis ob choreas multa hominum millia perempta. Et quæ voluptas tam ancipitis ludi? Pro antidoto horum fungorum capiant puellæ exemplum illius Saræ, filiæ Raguelis, quæ in sua ad Deum oratione, inter alia inquit: *Tu scis, Domine, quia nunquam cum ludentibus miscui me*, Tob. 3. Ludum verò choreas intelligit, ut advertit Hugo Cardinalis ibi, & patet Exodi 32. *Surrexerunt ludere*, id est, choreas ducere. *Ludus iste diaboli ludus est*, ut quidam pius dixit apud Cæsarium lib. 4. cap. 11. Quòd si tamen aliquando choreas fugere nequeunt, saltem cautè agant, & bonam intentionem habeant. Sic comedi & boleti absque noxa possunt, si bene cocti & piperati sint.

Quod si aliquæ sponsum sibi elegerunt Christum, servent & huic amorem suum integrum & illibatum. Ipse enim animarum maximus zelator est, nec procum aliquem sponsæ suæ juxta se ferre potest.

C. II. *Ornent lampades suas.*

Secundò. Virgines illæ ornaverunt lampades suas. Sed quomodo ornarunt? Euthymius & Abulensis dicunt, *infundendo oleum & emungendo elychnium*; quod sanè fatuæ non fecerunt, quia oleo tunc caruerunt. Decor ergò Virginum in anima potiùs quàm in corpore situs & procurandus est juxta id Apostoli 1. Corint. 7. *Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Corpore per castitatem, spiritu per inhabitantem Spiritus sancti gratiam. Iis porro, quæ nuptias exspectant, non inhibetur ornatus decens, reprobatur tamen lascivus 1. Pet. 2. *Non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, &c.* Sed interim suadetur magis animæ ornatus. Cæteris verò ad quid ornatus? Si quis non vult vendere, ad quid expandit in foro tentorium? Si non vult venari, cur expandit rete? Si neminem peregrinum vult admittere in hospitium, cur non dejicit à foribus clypeum? Huc pertinet quod S. Hieronymus scribit de sancta Paula, quæ si vidisset Virginem aliquam comptiorem, frontem contrahebat, & vultûs severitate arguebat errantem, dicens munditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam. Sed qua ratione, dicent, ornabimus lampades nostras? Duplicem modum indicavimus, *affundendo oleum & emungendo elychnium.* Primum fit studio bonorum operum, eorum præsertim quæ Virginitati conservandæ inserviunt, uti inprimis oleum amoris Christi, omnibus aliis amoribus supernatans; si enim Christum animæ suæ sponsum ardenter ament, minus amabunt homines quoscunque. Deinde oleum abstinentiæ & jejunii, oleum enim rectè jejunantium signum esse, discimus à Christo. Adhæc oleum humilitatis intus affundendum, non extra allinendum, uti super hodiernum Evangelium docet sanctus Gregorius, cum ait: *Omnes dicuntur Virgines, & tamen intra beatitudinis januam non omnes sunt receptæ, quia earum quædam dum de Virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt,* Certè sanctus Augustinus ad initium lib. 2. de civit. existimat Deum permisisse, ut in Urbis Romæ vastatione Virgines DEO sacræ violarentur à Barbaris, quod de sua integritate se se extulissent inflatiùs. Alterum fit crebra peccatorum expiatione per confessionem & communionem. Hoc enim quasi emunctorio purgatur à fœcibus gratiam offuscantibus anima, & concipit novum ardorem, puritatem & charitatem.

D. III. *Socient se bonis sui similibus.*

Tertiò. Virgines ierunt cum virginibus: nulla de altero sexu mentio: prudentes etiam separarunt se à fatuis sapienti consilio, *Ite potius ad vendentes, &c.* Viderint ergò Virgines, quibus se associent. Securius enim cum suo, quam cum virili sexu ambulant. Quod si cum hoc quoque agendum, citius se expediant: Fugiant autem impuros, quemadmodum apes fumum, cadavera & fœtorem, imò & venereos teste Pierio lib. 26. hierogl. Pro exemplo sibi proponant sanctam Cæciliam, quæ etiam sponsum à se arcuit, quamobrem de ea jure canit Ecclesia: *Cæcilia famula tua quasi apis argumentosa tibi deservit,* quia scilicet miro artificio & animam suam servare, & alienas lucrari noverat. Corpora hominum instar vitrorum sunt, quæ franguntur levi allisu. Et velut poma marcida inficiunt ea, quæ attingunt: ita una persona impudica aliis præsentibus pædorem suum affricat. Aqua, quantumvis limpida, è qua bibit equus, statim sordes contrahit. Ita impudicus quicquid tangit, inficit. Non frustrà S. Joannes grandem illum virginum chorum supra montem vidit longè ab hominibus positum, quia per hoc indicatum est, veras & sapientes virgines à promiscua hominum communione se debere segregare, & cum sui similibus vivere, Apoc. 14.

E. IV. *Fugiant publicum*

Quartò. De nocte obviarunt sponso, quanquam non absque lumine, quod tamen in revertendo non habuerunt fatuæ. Docentur ergò hic Virgines studere solitudini, & si quando in publicum prodeundum est, lumen, id est, testem pudicitiæ adhibere. Hinc virgo hebraicè vocatur *alma*, id est, abscondita, & hoc nomine vocatur Deipara ab Isaia cap. 7. *Ecce virgo concipiet, &c.* Hebr. *haalma*, id est, illa virgo, scilicet Angelis suspicienda. Bene autem abscondita dicitur, quia ab Angelo salutante inventa est in cubiculo. Audi S. Ambrosium lib. 2. in Lucam, ad illud Lucæ 1. *Ingressus ad eam Angelus: Sola,* ait, *in penetralibus quam nemo virorum videret, sola sine comite, sola sine teste, &c.* Eadem per montana cum festinatione ivit ad Elisabetham. De quo idem Ambros. lib. 2. cap. 3. *Discite Virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, &c.* At fortè testem vel comitem hic requiris peregrinanti? sanè si alius non fuit, fuit Christus in ejus utero. Hoc eodem nomine mirè commendat S. Hieronymus Asellam virginem Romanam, quæ in urbe turbida eremum sibi invenerat, suo scilicet in cubiculo, ejusque in angustiis latitudine paradisi fruebatur, epist. 15. ad Marcellam. Inter fatuas verò virgines meritò computamus Dinam illam quæ curiositate ducta, egressa est videre mulieres Sichimorum; ab iis enim intercepta, pudorem suum perdidit, Gen. 34. Scimus quid periculi incurrerit Susanna, cum lavaretur in pomario suo, tametsi satis provida, claudi jusserat fores pomarii, Dan. 13. Nimirum, nusquam tutæ sunt, foras ubi prodeunt. Hinc Apost. 1. Corint. 11. Velo tectas vult esse mulieres. Qui ritus communiter apud alias nationes viget, & viguit olim etiam apud Ethnicas, Romanas, Troja-

Trojanas, Arabes, Lacænas &c. *Judæis fœminis,* inquit Tertull. de corona militis cap. 4. *Tam solemne est velamen capitis, ut inde cognoscantur.* Viget idem mos in Italia & vicinis nationibus. Barbaricis mulieribus serviunt calyptræ supernè coopertæ pileis, quibus faciem penè totam tegunt. Nostrates verò puellæ quia tali velamine carent, meo consilio se cooperiant pileo domus suæ, omnium tutissimo. Quo certè pileo filias suas operire deberent matres occupando eas domesticis exercitiis, & arcendo ab evagationibus non necessariis: Ne alioquin iis contingat, quod scribit Tertullian. lib. de veland. virg. cap. 7. dicens: *Judicabunt nos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo librato contentæ sint dimidia frui luce potius, quàm totam faciem prostituere.*

F. V. *Silentio assuescat.*

Quinto. Sapientes in hac parabola non loquuntur, nisi interrogatæ & prudenter, fatuæ verò non interrogatæ & imprudenter: *Date nobis de oleo vestro.* Discunt inde Virgines silentio assuescere, nec loqui facilè nisi interrogatè & considératè. Ita monet S. Hieronymus epist. ad Demetriadem: *Sit,* inquit, *sermo Virginis prudens, modestus & rarus: nec tam eloquentia pretiosus quàm pudore:* moxque commendat hoc nomine Demetriadem, cum subdit: *Mirantur te tacente tuam verecundiam, te loquente prudentiam.* Quare ad Virgines maximè spectare videtur, quod in vitis Patrum lib. 5. tit. 11. num. 26. dixit Abbas Pastor. *Clavis silentii sit interrogatio.* Et quod sanctus Chrysostomus in Psalm. 50. ait: *Os nostrum perpetuò custodiamus ratione mei tanquam clavem adhibentes.* Hanc utramque clavem, linguæ suæ appensam habuerunt prudentes Virgines. Tales igitur haberi quæ volunt, binas illas claves & ipsæ in lingua gerant.

Cæterùm longè magis cavendi eis sunt sermones impudici, leves & scurriles. Quòd sanè observavit Sara, Raguelis filia, quæ in oratione fatetur: *Neque enim his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Ad idem hortata fuit aliquando Deipara choro SS. Virginum stipata Musam Virginem apud S. Gregor. lib. 4. dial. cap. 17. Ut scilicet nihil ultra leve aut puellare ageret, risu, jocis, ludisque abstineret: sic enim fore, ut ad chorum sanctarum Virginum post triginta dies veniret. Quo ex verbo correcta Musa serios mores induit, & trigesima post die hinc emigravit. Bene dixit Socrates apud Stob. serm. de virtute: *Quemadmodum ex templi janua aperta pulcherrima simulachra perspiciuntur: sic ex ore sapientis simulachra animi.* Quare si ex ore Virginum prodeant verba gravia, modesta, rata, arguunt eas templa esse. Sin verò nugæ, joci, risus; arguunt eas esse geneas aut sphæristeria.

Sextò. Virgines prudentes lumen suum in lampadibus providè servarunt, fatuæ perdiderunt. Monentur hic virgines omni solicitudine servare lumen castimoniæ suæ. Quam cito extinguitur lumen? & quam citò frangitur vas luteum? Verissimè autem cum Apostolo, 2. Corinth. 4. dicere possunt Virgines: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Et quandoquidem testa confracta redintegrari nequit, ita nec perdita Virginitatis gloria. Audi sanctum Hieronymum in epist. ad Demetriadem: *Divitiæ tuæ,* inquit, *Virginitas tua: thesaurus tuus est: thesaurus irrecuperabilis postquam amissus est.* Imò id ipsum indicat Deus Amos 5. cùm ait: *Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.* In quæ verba sanctus Hieronymus ad Eustochium scribit: *Cave, quæso, ne quando de te dicat Deus; Virgo Israel cecidit & non est, qui suscitet eam. Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam, &c.* Hanc ob causam Virgines quamplurimæ mortem potiùs oppetere, quam thesaurum hunc suum tam pretiosum perdere maluerunt. Inter alias Illustris est sancta Digna, quæ capta Aquileja ab Attila, à Barbato ad stuprum rapta, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Nasconi imminens conscendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa. *Sequere me,* inquit, *si vis me potiri,* ac mox in flumen se præcipitavit. O laus in vita Attilæ & alii. Jacobus de Vitriaco Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ refert in præfatione ad vitam S. Mariæ de Orgenes, apud Sur. 23. Junii, sua ætate Virgines complures. Leodiensi Urbe ab hostibus occupata castitatis suæ tuendæ gratia, quæ ad templa confugere non poterant, in flumen & cloacas insiliisse, ut nullum pædorem cum libidinis fœtore, comparandum ostenderent. Una ex illis cum undis dimicans, à duobus militibus in cymbam tracta, cùm insidias eorum adverteret, iterum se in undas dedit tanto impetu, ut navi eversa milites perirent, ipsa incolumis evaserit.

Fatuæ è contra sunt & stultissimæ quidem, quæ pretiosum Virginitatis suæ thesaurum tam malè custodiunt, tamque facilè persuasæ in cloacam abjiciunt; ut enim quinque illæ fatuæ extinctis lucernis suis, perdiderunt viæ ducem, inciderunt in densissimam noctem, omnium sannis & ludibriis dignæ factæ, denique neglexerunt sponsi adventum & exclusæ sunt à nuptiis: ita qui thesaurum illum suum tam vesanè prodigunt, perdunt inprimis lumen animæ suæ, gratiam Dei una cum virtute & merito castitatis, pretiosæ utique margaritæ. Omnium non insanorum judicio insanus fuit ille Theotimus apud sanctum Ambrosium lib. 4. in Lucam cap. 4. qui cum gravi oculorum incommodo laboraret, & amaret uxorem, interdicta sibi à Medico re venerea, impetu libidinis raptus dixit: *Vale amicum lumen!* malens nimirum oculorum suorum lumen amittere quàm libidine carere.

At hoc idem agunt, qui pudicitiam suam prostituunt, lumini enim animæ suæ, gratia DEI unaque incomparabili Virginitatis thesauro æternum Vale dicunt, ut meritò Oseas cap.4. dixerit Fornicationem auferre homini cor, id est mentem & rationem. Deinde incidunt in opprobrium & publicam plerumque infamiam, fiuntque velut vas immundum, de quo Oseæ 8. dicitur: *Devoratus est Israel, factusque est quasi vas immundum:* vult dicere: gloria, decor, fama, vires Israelis devoratæ sunt ab Assyriis. Idem contingit fornicantibus. Devorantur enim à libidine, & fiunt ex vase decoris diaboli matula seu latrina. Et quid tandem mirum: si hujusmodi immunda vasa excluduntur à cœlestibus nuptiis, ad quas nihil coinquinatum admittitur? Quid mirum si audiant *Nescio vos:* Non enim homines, sed matulæ & latrinæ estis. Ad cloacas, ad orcum, ad colluviem omnium fæcium apagite.

CONCIO III.

CUR FATUÆ DICANTUR quinque virgines.

I. *Quia obviant sponso sine oleo.*
II. *Quia dormiunt exspectantes.*
III. *Quia externè solum ornant lampades.*
IV. *Quia oleum sibi donari volunt.*
V. *Quia tardius eunt emere.*
VI. *Quia sine cultu pergunt ad nuptias.*
VII. *Quia ingredi volunt clausâ jam Ianuâ.*

THEMA.

Quinque autem ex iis erant fatuæ. Matth. 25.

A. MUlti sibi imaginantur quasi delicta ex ignorantia nulla sint peccata, unde communiter excusamus peccata nostra per verbum *nesciebam*. Sed hodiernum Evangelium aliud demonstrat. Fatuæ vocantur istæ virgines, quasi nescissent ea, quæ ad salutem sunt necessaria, habendum esse oleum scilicet & sponsum expectandum; Unde si interrogatæ fuissent: Cur vos hîc sine lumine? utique respondissent: nesciebamus nobis defore oleum, ideoque vasis ad iter accipiendum, sponsum tamdiu moraturum: &c. & tamen nihilominùs excluduntur à regno DEI, & audiunt simile verbum; *Nescio vos.* Sic enim 1.Cor.14. ait Apostolus: *si quis ignorat, ignorabitur.* Unde idem ad Eph.5. fideliter monet dicens: *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes.* Est quædam fatuitas cùm nec sciuntur nec sciri possunt, quæ scienda sunt: & hæc culpa caret. Est & alia, quæ affectata dicitur, & alia, quæ crassa, utraque culpabilis. Per hanc nescitur, quod sciri debet & facilè potest. Per illam fingitur ignorantia. Crassa erat fatuitas harum quinque Virginum. Sed unde constat fatuas fuisse, inquies? Audi.

B. I. *Quia obviant sponso sine oleo.*

Primo. Quia pergunt obviam sponso sine ornamento, hoc est sine oleo. Acceperunt quidem fatuæ aliquid olei secum, id nimirum, quod infusum erat in lampadibus; quod inde patet, quia dicunt: *Lampades nostræ extinguuntur;* hinc enim sequitur oleũ habuisse in lampadibus. Sed prudentes acceperunt simul oleum secum in vasis cum lampadibus. Quid hoc igitur? Oleum in vase cordis infusum ab initio habent Christiani, virtutes scilicet infusas, fidem, spem, charitatem, &c. Et hoc quidem sufficit ad parvum iter, nimirum quando homines moriuntur citò in infantia vel pueritia: Sed si longior est peregrinatio in vita, non sufficit: Requiritur prætereà, ut oleum aliud in vasis seorsim gestent, quod affundere priori possint, ne lumen gratiæ extinguatur, id est, requiruntur etiam virtutes acquisitæ in adultis tanquam fomentum gratiæ baptismatis. Nemo dubitat quin infantes baptizari cum cœlesti sponso intrent ad nuptias, si in innocentia moriantur, quia titulo hæreditatis cœlum obtinent, eoque solo. Sed non ita est de adultis, quia duplici titulo, hæreditatis scilicet & mercedis cœlum obtinere debent: unde duplicia vasa gerunt prudentes, quibus oleum gestant. Et meritò quidem hoc, quia cùm longior sit eorum peregrinatio & major futura gloria, plus viatici requirunt, plus meritorum. Fatui igitur sunt, qui cùm adulti sint, solo baptismate aut fide salvari sperant. Sic ab adulto filio exigit pater gratitudinem, observantiam, laborem, prudentiam, industriam; non à puero vel infante. Cùm 1. Reg. 7. terruisset Deus magno fragore Philistæos, & sine pugna fugasset, erexit Samuel lapidem adjutorii & dixit: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus:* quasi diceret: hanc quidem victoriam obtinuimus per merum Dei miraculum, sine armis nostris: Sed ne cogitemus Deum imposterum facturum nobis miracula talia: quin potiùs armis utamur & pugnemus contra hostes. Ita etiam usque ad baptismum auxiliatus est nobis Dominus, id est, sine operibus nostris justificavit nos: Unde lapis adjutorii dici potest baptisterium in Ecclesia lapideum. Sed imposterum DEO cooperari debemus & sine bonis operibus nostris ne speremus deinceps victoriam, id est, justificationem & beatitudinem. Ut ergò fatuæ fuerunt Virgines, quia sufficiens oleum non acceperunt; ita fatui sunt, qui bona opera non parant ad consequendam beatitudinem. Nec satis est habuisse lucernam ardentem, oportet habere conservare usque ad finem vitæ: In cujus rei indicium datur morientibus in manus lucerna seu lumen.

Secundo.

C. II. *Quia dormiunt exspectantes.*

Secundo. Quia dormierunt exspectantes sponsum. Dormitabant quidem prudentes, ut exponit Abulensis hic quæst. 15. peccando scilicet interdum venialiter, quod omnibus etiam perfectis accidit: Dormitant enim, qui subinde excitantur & facile fervorem amissum resumunt. Sed fatuæ *dormierunt*, & sunt illi, qui in peccatis gravioribus & lethalibus securè persistunt, licèt nesciant, quo tempore vel momento venturus sit sponsus. Dormiebat in peccatis voluptatibus suis dives ille, qui ajebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte repetunt animam tuam à te*, Luc. 12. En stultiam! ille promittebat sibi annos plurimos, cum de nocte sequente securus non esset: Unde audit, *repetunt*, id est, jam tollent. Certè & hic media nocte venit sponsus, id est, cùm minimè putabatur venturus, quia *dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*, 1. Thessal. 5. *Si sciret, pater familias*, ait Dominus immediatè ante hoc Evangelium Matth. 24. *quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam.* Cùm ergo sciamus venturum furem, sed nesciamus quando: nunquam dormire debemus.

D. III. *Quia externè solùm ornant lampades.*

Tertio. Quia ornaverunt lampades suas fatuæ externo tantum splendore, nihil solicitæ de interno apparatu, oleo videlicet. Ornaverunt etiam prudentes suas lampades, & rectè, quia Dominus ait: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videat opera vestra bona*, addiderunt verò oleum. Deum fatuæ ornaverunt lampades, oleo vacuas, stultè nimis egerunt: siquidem absque lumine apparatus ille cerni non poterat, utpote media nocte. Ita quidquid hic bonorum operum exercetur, si fiat, absque charitate, non aspicitur apud Deum; unde ait fatuis, *nescio vos*. Ita enim respondit hypocritis illis dicentibus: *Domine, Domine; Nunquam novi vos*, Matth. 7. Imò verò agnoscit illos Deus, sed non pro talibus, quales videri volunt. Fatua reputaretur illa rusticana famula, quæ se ornaret vestibus, nobilium, ut in Gynecæum Principis venire & velut una ex nobilibus haberi posset: quia ex moribus aliisque indiciis mox deprehenderetur esse rustica. Ita fatuæ æmulabantur prudentes, & ornabant similiter lampades suas, sed mox agnitæ sunt ex luminis & olei defectu. Asinus ille Æsopicus pelle leonina indutus per sylvas vagabatur & multas simplices terrebat feras. At non idem vulpem, quæ videns asininas prominere aures; asinum agnovit & risit. Ita hypocritæ leoninum sibi se veritatis & virtutis assumunt pellem, & decipiunt quidem sub hac specie multos homines: sed non idem sapientissimum Deum, qui dicet illis: *Nescio vos*, id est, scio qui sitis, sed non agnosco pro iis, pro quibus vos jactatis.

E. IV. *Quia oleũ sibi donari volunt.*

Quarto. Quia oleum gratis sibi dari voluerunt quod emendum erat. Unde audiunt à prudentibus. *Ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Oleum designat gratiam & charitatem. Ubi notandum gratiam propriè non emi: alioquin gratia non esset, sed eatenus emi, quatenus ad eam suscipiendam nos disponere debemus per contritionem & bona opera, quæ tamen respectu gratiæ, quæ iis comparatur, nihil sunt. Unde Isai. 55. dicitur: *Venite, emite absque argento*, si absque argento, quomodo emitur? si emitur, quomodo absque argento? Nimirum datur aliquid pro gratia, sed minimè æquivalens, quia dantur opera mancipii, non filii; id est, opera nondum per gratiam dignificata. Certe nos eleemosynam non damus nisi precantibus & princeps condonat injuriam non nisi supplicanti & lachrymanti, & tamen hoc non obstante censemur nos eleemosynam, & princeps injuriam donare. Pari jure noluit Deus sine prævia dispositione dare peccatori gratiam, sed voluit, ut conscientiam exactè discutiat, peccata agnoscat, dolorem in se excitet, spondeat emendationem, confiteatur, satisfaciat. Hæc sunt veluti numismata, quibus emitur gratia. Vendentes sunt sacerdotes, qui pro ejusmodi nummis conferunt gratiam in sacramento: ut exponit author imperfecti ibidem.

F. V. *Quia tardius eunt emere.*

Quintò. Quia eunt emere cùm jam clamor fit: *Ecce sponsus venit; exite obviam ei.* Ita agunt, qui subita tacti infirmitate, tunc pœnitere volunt, cùm jam non aut vix possunt. Fit clamor in firmitate, uxor, amici lectum morituri circumstant lamentautes. Curritur ad vendentes, & sæpe incussum, id est, ad sacerdotes; & omnia tumultuariè fiunt, coactè, ex timore, &c. ideoque nullo aut exiguo fructu. Quemadmodum enim cives inconsiderati, qui securè vivunt nihil hostium metuentes, cùm fortè pulsatur campana tumultuaria, omnes ad arma currunt & concurrunt; sed quia imparati sunt alius hastam arripit carentem ferrea cuspide, alius sclopetum destitutum pulvere, globo, igne, aut fera, alius gladium rubiginosum, quem nequit evaginare, atque ita miseri facilè obtruncantur. Ita res habet in proposito. Cùm pulsatur campana pro pro infirmo, ibi curritur, pro sacerdote, acceleratur confessio, communio, extrema unctio, sed obiter omnia & imperfectè fiunt. Deest tempus aut vires animum colligendi, peccata agnoscendi, contritionem excitandi; id est, memoria ad recensenda peccata in confessione, robur satisfaciendi. Num existimatis tartareum hostem his armis expugnari? Epulabatur Balthasar quasi securus esset; interim ab hostibus repentè oppressus est, Daniel. 5. Unde eum illudit Isa. cap. 21. epulantem, dum obsidione cingeretur ab hostibus jam jam capiendus: *Pone mensam*, inquit, *contemplare in specula comedentes & bibentes Surgite principes, arripite clypeum.* (Alii legunt: *parate*; alii: *ungite clypeum*) quasi diceret: Jam parate, ungite arma cum jam est pugnandum. Hoc sensu, ironicè videtur ad discipulos Dominus

dixisse. *Dormite nunc & requiescite, ecce, appropinquavit hora*, Matth. cap. 26. Non ita fecit David, qui tempestivè se armavit; ait enim: *Paratus sum & non sum turbatus*, Psalm. 118. Tales erant etiam Virgines Prudentes, de quibus dicitur: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad Nuptias.* Bene ergò monet Ecclef. cap. 7. *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Tempus mortis non est tempus tuum, sed Dei.

G. VI. *Quia sine cultu pergunt ad nuptias.*

Sexto. Ad nuptias intrare volunt sine debito cultu, dicentes: *Domine, Domine aperi nobis.* Ita nimirum omnees cupiunt salvari & regnare cum Deo beneque mori: sed non omnes curant vivere bene. Balaam ajebat: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia* (id est, Israelitarum.) Num. 23. Sed interim maluit vitam iniquorum & cum iniquis degere, inter quos & cum quibus periit. Ibidem cap. 31. Fatuus foret ille, qui vellet metere in agro, in quo non seminavit: vel piscari in vivario, in quo nihil reposuit piscium. Pari modo insanit, qui in cœlo quærit gloriam, quam sibi non paravit.

H. VII. *Quia ingredi volunt clausa jam janua.*

Septimo. Quia post januam clausam cupiunt ingredi. Profectò rideretur qui post annum Jubilæi veniret Romam pro lucrando Jubilæo, cum clausa jam foret aurea porta: Audiret enim meritò: stulte toto anno patuit tibi porta illa: & quare non venisti, cùm pateret? Porta illa tempus gratiarum est, quamdiu vivimus. In morte clauditur janua. Putavit Origenes Judam ideò se suspendisse, ut post mortem anima nuda curreret Christo & veniam peteret. tract. 35. In Matth. Sed non arbitror ego Judam fuisse tam stultum. Qui non parat sibi gratiam in corpore, non parabit nuda animâ. Sed nonne ait Dominus alibi: *Pulsate & aperietur vobis?* Ille etiam, qui dicebat: *Jam ostium clausum est, &c. Non possum surgere &c.* tamen surrexit & aperuit: Sed respondetur pulsari fores manibus, non voce, hoc est, operibus, non verbis, juxta id Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei.* Atque reprobi post hanc vitam nequeunt amplius pulsare. Magnum enim Chaos est inter ipsos & cœli portam, quemadmodum dixit, Luc. 16. Abraham diviti Epuloni, qui & ipse ex inferis ad eum clamabat, ut guttam aquæ impetraret, sed minimè auditus est. Nimirū in vita clamandum & pulsandum est, non post mortem. Audite ergò filii matrem vestram Ecclesiam Dom. 1. Quadragesimæ monentem in officio. *Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ & invenire non possimus.*

* * *

CONCIO IV.

QUAS CORONAS SANCTA CAtharina meruerit, & quam dissimilis ei Catharina de Bore Lutheri scortum.

I. Aureolam virginitatis meruit.
II. Aureolam martyrii.
III. Aureolam Doctoratus.

THEMA.

Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, Matth. 25.

A.

QUod in scholis fieri solet humaniorum literarum, ut inter ascendentes præmiis donentur, qui inter cæteros excelluere, hoc ipsum etiam fieri in schola Christi solet. Licet enim justi & qui in studio virtutum sedulò se exercuerunt, omnes ascēdant ad æternam beatitudinem, & denarium illum diurnum beatificæ visionis cum operariis illis, seu coronam gloriæ essentialem, sive auream, ut Hebræi vocant, omnes omninò accipiant: aliqui tamen ex illis, qui in certo victoriæ genere singulariter excelluerunt, singularibus afficiuntur præmiis, præterquam quòd cum reliquiis ascendāt; quæ præmia accidentalia sunt & essentialibus superaddita, atque Theologis aureolæ vocantur, id est, accidentales coronulæ essentialibus additæ coronis. Porrò sicut in scholis ex tribus potissimum facultatibus præmia distribuuntur, ex latina, græca, & doctrina Christiana: ita & in cœlis ob triplex excellens victoriæ genus triplex quoque aureola. De carne triumphata datur aureola Virginibus, quæ ex proposito Virginitatem perpetuò servarunt, & carni nunquam subditæ fuerunt: De mundo datur Martyribus, qui propriæ vitæ & corporis sui dispendio fidem & dilectionem suam in Deum testati sunt. De Dæmone Doctoribus, qui non tantùm è cordibus propriis, sed etiam ex aliorum animis Diabolum expellere docēdo & prædicando laborarunt, ut docetur 5. part. quæst. 96. Divi Thomæ. Qua ex doctrina colligimus Beatam Catharinam tria accepisse præmia, seu tres aureolas singulas ex singulis facultatibus. Ex latina lingua, id est, Virginitate, quæ frequentior latinis: Ex græca, id est, Martyrio, quod valde peregrinum est & difficilè: Ex doctrina Christiana denique, quia ipsa Virgo fuit, Martyr fuit, Doctrix fait & in his omnibus magnopere excelluit. Tandē quia in scholis post præmiferos legi etiam solent, qui proximè accesserunt: non possumus præterire Catharinam illam

illamBorniam, quondam monialem, quæ quoniam magni illius Prophteæ Martini Lutheri sponsa fuit, haud dubie ad Catharinam Martyrem proximè accessit, si non antecessit. Si enim Lutherani jactant Lutherum suum Beati Martini æmulum fuisse & similem: Quid superest nisi ut etiam nobis persuadeant Catharinam illam Borniam æmulam fuisse Martyris Catharinæ: & illi apprimè similem? Cæterum ante 14. dies vidimus quanta inter utrumque Martinum intercesserit similitudo, quanta scilicet est inter diem & noctem, lucem & tenebras, nigrum & album. Nunc etiam videbimus quanta inter utramque sit hanc Cathariuam.

B. I. Aureolam Virginitatis meruit.

Primò. B. Catharina nobilis virgo fuit, virgo quoque ad quoad vixit permansit: quodque amplius est, in sæculo, in medio laqueorum, inter plurimos pudicitiæ hostes: & quod caput est, virgo tam tenaciter, tam firmiter Christo desponsata, ut à virginitatis proposito neque amplissimis promissionibus, neque blanditiis, neque minis & pœnis avocari potuerit: Ea siquidem à Maximino Imperatore, qui insano amore illam deperibat, variis modis pertentata (ut scribit Euseb. lib. 18. cap. 27. licet suppresso nomine, quam tamen Catharinam fuisse colligit Baronius anno Domini 307.) ut cupiditati ejus obsequeretur, minimè adduci potuit, sed fuga dilapsa & facultatibus suis omnibus potius se spoliari passa est: Christum enim esse sponsum suum, & decus virginitatis suæ constanter asseruit. Meruit igitur jure optimo Virginitatis præmium. Sed quàm proximè accessit Catharina Bornia? Virgo quidem & ipsa fuit, & quidem Deo sacra, castitatem voverat, in monasterio clausa erat, nullis sæculi laqueis circumdata erat: nihilominus tamen unius Apostatæ Lutheri pessimo exemplo & documento à cive Torgaviense Leonardo Koppen de monasterio abducta, fidem DEO datam turpiter violavit, ac demum Apostatæ Luthero & ipsi quoque votifrago, publicè, inaudito antea miraculo nupsit, & quoad vixit, adhæsit. O egregiam scilicet Virginem, præmio infernali dignam! Quis dubitat inprimis longè gravius esse perverti in monasterio & de sanctorum societate cadere in barathrum, quàm cadere in sæculo? muros transilire ad præcipitium, quam caderere inter præcipitia? S. Bernard. in sermon. de tribus Ordinibus Ecclesiæ ait, ait sæculares natando ad cœlum tendere inter fluctus, & vortices plurimorum periculorum & ideo mirum non esse, si plurimi mergantur. Religiosos verò per pontem securos ire, & quasi extra omne periculum. Quis jam non indignetur ei, qui de firmo ponte temere in flumen decidit, imò præcipitat semetipsum? quis ei commisereatur? quis demersum juvet? Ita cecidir, ita præcipitavit se Monialis illa perversissima de ponte religionis, de sublimi status perfectissimi fastigii quemadmodum & ipse Lutherus. Unde facilè colligimus, quam profundè in inferno sedeat, quæ tam altè cecidit: queamadmodum enim lapis, quò altiùs decidit, eò profundiùs in terram cadit, ita quo altiori & securiori de statu eo profundiorum ingehennæ foveam cecidit Catharina, quemadmodum & Judas, qui de Apostolatu. Quare ô Lutherani, si nec dum scitis, aut scire vultis, quorsum devenerit Doctoris vestri sponsa definitè inquirere, nam propè Judam sedet, uti & sponsus ejus, quia de simili fastigio in simile barathrum lapsa est. Sed quale est Illud, obsecro, quòd Virgo DEO nupta, & sacris ritibus dedicata, fidem frangat, velum abjiciat, homini nubat? vota omnia paupertatis, obedientiæ, castitatis, in quæ ultrò nullo cogente solenniter juravit, irrita faciat? Audiamus, quid ad hæc dicant SS. Patres, S. Cyprian. Martyr lib. 1. cap. 11. ait; *Christus Dominus & Judex noster, cum Virginnm suam suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur?* hæc ille: Si enim Christo injuriam facit, quæcunq; uxor proprio viro suo fidelis non est, qnanto major censenda est iniuria ejusdem Christi, quòd quæ ipsius est sponsa, fidelitatem ipsi non servet? Et cum viri adeo zelent honestatem uxorum, & infideles sibi severissimè puniant, quomodo zelabit Deus sponsarum suarum castitatem, punietque infidelitatem? S. Hier. l. 1. adversus Jovinianum, ait: *Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ* S. Aug. de bono Viduit. c. 9. ait: *Voto a Virginibus vel viduis emisso, jam non solum capessere nuptias, sed etiã si non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: cum in deliciis egerint, in Christo, nubunt; sed nubere volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, & si non nubendo, sed tamen volendo:* hæc Aug. S. Ambr. ad Virgin. lapsam c. 5. ait: *Melius est nubere quam uri. Hoc Apostoli dictum non ad pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spondit Christo & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege connubii adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur:* Hæc ille: S. Basilius de Virginitate negat iterum atque iterum disertis verbis valida esse post professionem matrimonia. *Virginitatem enim*, inquit, *Domino professæ deinde à carnis voluptatibus concitatæ scortationis peccatum nuptiarum nomine velare volunt non ignorantes, opinor etiamsi ignorantiam simulent, quòd quæ præteriit sponsi sui dexteram, neque hujus est sponsa, quem illegitimè reliquit, neque illius, cui se ipsam per affectum vitiosum adjunxit, juxta leges uxor reperiri potest, &c.* Theophylact. in 1. Cor. 7. super id Apostoli: *Et si nupserit virgo, non peccavit*, ait, *Virginem hoc loco dicit non eam, quæ Deo dicata sit, hæc namque si nupserit delinquit haud dubie*

Non item Bornia.

dubie plurimum, utpote, quæ Christo sponso superinducat adulterum, sed quæ nōdum nupserit, adolescentula, &c. Habetis igitur hac de re Patrum sententiam. Hoc tamen scelus adeò non pensi habent Lutherani, ut etiam laudent factum quemadmodum & Lutherus summis laudibus extulit libello publicè edito Leonardum illum, qui novem moniales inter eas & Ketam suam à monasterio Nymicensi abduxit VVittebergam: & detractis velis sæculo transcripsit; sed unus dictorum Patrum plus nobis est, quam mille Lutheri. Sed quid præmii debetur tali Virgini? Sane Ethnici Romani Vestalium virginum stupra acerbissimè plectebant. Narrat author antiquitatum Rom. lib. 2. cap. 79. Si qua earum cum viro rem habuisset, eam vivam in subterraneam foveam, aut quasi cellulam fuisse depositam, juxta eam verò lectulum, lampadem & pauculos cibos positos; postea occlusam & terra obrutam, ut ita sub terra media periret. Cujusmodi Vestales tres defodi jussit Imperat. Domitianus anno Christi 86. ut scribit Euseb. in Chron. & quanto sacratiores sunt Vestales nostræ Vestalibus illis, quę fictæ tantùm Deæ castitatem jurabant? quanto arctiori nexu Christo desponsatæ moniales, quam Vestales: Et quomodo non in mentem venit Luthero & Borniæ terribilis illa, & toto orbe decantata historia de Udone Episc. Magdeburg. conterraneo Saxonum? Hic enim, ut referunt Trithemius in Chron. Hirsaug. Nauclerus generat. 34. & alii, dum noctu sociam lecti haberet monialem Abbatissam audivit vocem: *Cessa de ludo, quia satis lusisti Udo.* Quia verò necdum emendabatur, nocte quadam in templo spectante Canonico quodam Friderico ejus Ecclesiæ, Christus cū plurimis beatis ibidem comparens adduci Udonem & decollari fecit, qui manè facto decollatus est inventus, & pavimentum cruore perfusum, qui lapidi indelebiliter adhæsit. Quomodo non in mentem venit, quòd S. Gregor. lib. 3. dial. cap. 7. scribit; De Andrea Episc. Fundano, cui, quòd monialem alioqui castam, domi suæ retinens, suasu dæmonis aliquando palma blandiusculè in terga percuteret, maximum applausum dæmones fecerunt, uti Judæus quidam vidit & postea Episcopo indicavit, indeque conversus est? Quomodo non in mentem venit supplicium & interitus repentinus Ananiæ & Saphiræ? Actor. 5. Si enim illi infelici morte perierunt, eò quòd partem pretii, quo agrum vendiderant, quem jam Deo per votum paupertatis obtulerunt, ex quadam cupiditate retinuerunt: quâ pœna non erit dignus, qui subtrahit Deo hæreditatem & margaritam castitatis: Quomodo denique non in mentem venit, quod Apost. 1. Corinth. 6. ait: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Loquitur hoc Apost. ad quemcunque Christianum, qui per Baptismi ablutionem sanctificatus, & quodammodo Christi formis factus est. At si Christianus quilibet, cùm fornicatur membra Christi facit membra meretricis, quanto magis is, qui se omninò Christo desponsavit? Nunquanné etiam sciebat, quid lex civilis haç de re statuat. lib. 5. Cod. de Ep. & Cler. quæ ait: *Si quis, non dicam rapere sed vel attentare tantummodo jungendi causa matrimonii sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur?* Et interim ipse non solum monialem sibi junxit, sed insuper septem alias cum ea consilio suo de monasterio abstraxit; & præterea in Epist. ad Stifelium fol. 300. anno 1525. die S. Michael. data scribit: *Hac nocte 13. moniales ex Ditione Ducis Georgii afferri curavi, & rapui Tyranno furenti hoc spolium Christi.*

C. II. *Aureolam martyrii.*

Secundò. B. Catharina Martyr insignis fuit; Detrusa inprimis in obscurum carcerem ibique diuturna inedia macerata, flagellis etiam & scorpionibus cæsa, demum atroci supplicio destinata: sed eo divinitus contrito ad extremum capite plexa est. Corpus ejus ab Angelis in Sinæ monte mirabiliter collocatum. Habuisset sanè Bornia carcerem quoque suum, etsi longè suaviorem, non sua etiam martyrii laude carentem, si in monasterio suo lubenti & constanti perstitisset animo: Sed quoniam claustra illa tam facilè transcendit, & suavia Religionis vincula tam temerè dirupit, colligimus non Christi sed diaboli martyrem fuisse etiam in monasterio, quæ non tam Religionem, quàm seculum spectarit & intra claustri septa coacta tantùm ac velut incarcerata manserit. Nec verò Martyr esse desiit, postquam exuit velamen, sed potiùs tum primùm esse cœpit & in pejorem incidit carcerem, diaboli videl. Quemadmodum enim pisces de sartagine in ignem desilientes, non ardorem fugiunt, sed graviorem incurrunt: ita contigit & Borniæ, quæ ut refert P. Schererius serm. 2. in hoc festo, postquam Luthero nupsit incestuoso matrimonio, aliquoties fletum & ejulatum ad duas tresvè horas continuò protraxit, nec admittere consolationem voluit, ita, ut vel in desperationem inciderit, vel aliter miserè perierit; siquidem apud Lutheranos altissimum est de ejus morte silentium, quod valde est mirabile Prædicantes enim in funeralibus concionibus, & defunctorum laudibus decantandis magnis conatibus quærunt, quos in martyrologium suum reponant. Nimirum Borniam ita ex hac vita discessisse oportet ut absque ignominiæ nota scribi non potuerit. Sed martyrem diaboli obiisse satis inde colligitur, quòd in ejus servitute plusquam Pharaonica perpetuò vixerit. Proverbio nostro dicimus: Ein Fisch ins Wasser / ein Mönch ins Closter: quemadmodum enim pisci extra quam bene esse non potest, sed perpetuis saltibus tandem colliditur: ita monachus aut monialis postquam exuit cucullum. Agitur enim ab ultrice conscientia & requiem non habet. *Sicut qui carcerem habitant,*

Nequaquam ita Bornia.

habitant, inquit S. Chrysost. homil. 22. de nequitię repulsa, *capitis damnationem operientes & mortem, etiam delicus abundè fruantur, vitam agunt modestam & anxiam: sic qui improba conscientia molestantur.* Conscientia enim mille testes. Quomodo bene esse potuisset prodigo illi filio, quando deserta jam paterna domo, & dissipata substantia sua, dimoratus in Regione longinqua cœpit egere, & missus est in villam, ut pasceret porcos? quando siliquas porcorum pro cibo habuit, nec eas sufficientes? & quomodo bene fuisset Borniæ, quæ de familia Patris fugiens adhæsit profugo etiã Luthero, & porcos sensuum suorum turpissimis voluptatibus pavit, & famem perpetuam passa est non panis, sed synceri verbi Dei, & prò eo siliquas porcorum id est, fœdas hæreticas doctrinas acceptare debuit? Ipsa igitur sibi carnifex fuit perdita filia. Sed neque Christus adhæc tacere poterat, cui olim desponsata fuit, quin perpetuis solicitationibus eam insequeretur & repeteret. Si enim vir uxorem à dilapsam magno zelo prosequitur, & undique inquirit nec alteri relinquit, quamvis Princeps esset: quid non faciet Christus sponsæ suæ, quæ tot ei debetur titulis, quique Deus zelotes est? Nemo prudens miratur aut vitio dat, quod Imperator noster Bohemiam armis investarit, ferro & flamma persecutus sit, quia debitam sibi filiam, Bohemiam, quæ ab ipso profuga, alteri jam nupserat, meritò repetiit. Certè sententia illa Sancti Pauli 1. Timoth. 5. quæ ait, *viduas* (post votum castitatis) *nubere volentes habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:* Lutherum sæpè in angustias redegit, ut extricare se non posset, & diceret colloquio sermonum mensalium tit. de diabolo, se propterea à diabolo pene suffocatum fuisse: nec minus contristavit ejus pellicem Catharinam. Quis igitur non meritò eam appellet martyrem? Sed utinam martyrem Christi possemus appellare. Martyrium istud arrha est æternæ damnationis, mercedem non meretur, nisi inferorum. Beata Catharina suum ob martyrium cœlo est adscripta, ab Angelis in monte Sinai mirabiliter sepulta, & ad venerationem toti mundo manifestata. De morte, sepulchro & beatitudine Borniæ martyris nihil indagari potest, nec loqui volunt Lutherani: Nimirum meretrix oblivioni tradita, oblata est inferno, sicut vasa Holofernis templo, in anathema oblivionis.

C. II. Aureolam martyrii.

Nequaquam ita Bornia.

D. III. Aureolam Doctoratus.

Denique B. Catharina Doctrix erat, qui cùm esset, eruditissima, Maximi Imp. Tyrannidem faciem reprehendit & convertere eum conata est. Quinquaginta etiam Philosophos gentiles disputando ad fidem convertit, & in ea instituit, nec non Maximini uxorem & Ducem Porphyrium: quibus etiam ad martyrium auctrix & hortatrix fuit. Quis dubitet Doctricem quoque fuisse Lutheri Catharinam, quæ Doctoris conjux fuit? Sed quid docuerit audiamus. Docuit exemplo suo, si non etiam verbo, innumeras moniales, monasteria ut desererent, vota infringerent & securè nuberent: habuitque discipulas prò nimis multas, quæ nisi magistram præeuntem vidissent, nunquam id attentare ausæ fuissent. Docuit præterea puellas circumvagari, & quidem juvenes, sine ullo scil. periculo, quemadmodum & ipsa post suam abductionem, antequam Luthero nuberet, inter studiosos VVittebergæ diu est vagata (referente Thom. Boz. de sig. Ecclesiast. lib. 12. sig. 56.) ubi dubio procul non prius nubere, quam nuptias celebrare, adeoque à fornicatione nuptias inchoare; si quidem ipsa ante publicam deductionem impio Luthero pudicitiam suam prostituit, & ut Eras. in epist. ad Mauchium Ulmarum scribit, pauculis diebus post decantatum hymenæum nova nupta peperit. O egregiam Doctricem! Sane hoc exẽplo Lutherus & ejus appendix tantum profecêre, ut brevi tota Germañia fornicationibus, adulteriis, sodomiis & imprimis VVittebergã innumeris repleretur sceleribus, studiosi perderentur scortationibus, ut queritur in colloquio mensali de matrimonio. Mulieres & Virgines ante & retrò se denudarent nemine arguente & prohibente: quemadmodum ipsemet lamentatur in quadam epistola ad suam Borniam: quod aliud nil est, quam ignem ædibus supponere, & postea de incendio lamentari. Evangelium Christi Virgines procreavit: Evangelium Lutheri scorta & meretrices: Evangelium Christi monasteria ædificavit: Evangelium Lutheri iterum destruxit. Quid respondit mulier illa sapiens Duci Joab, volenti destruere muros urbis Abelæ, 2. Reg. 30. *Tu quæris subvertere civitatem*, inquit, *& evertere matrem in Israel; quare præcipitas hæreditatem Domini?* O Luthere, ô Bornia, vos, vos, diruistis muros claustrorum & præcipitastis hæreditatem Domini. Sed quod præmium meretur ejusmodi Doctor aut Doctrix? Id expressit Christus Matthæi 18. cùm ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* S. Joannes Apoc. 2. vult ejusmodi Doctores exterminandos esse; reprehendit enim Episcopum Pergami, quòd in suo Episcopatu toleraret Nicolaitas, qui docebant non solum non esse malum fornicari, sed etiam ad salutem necessarium (ut ibi Blasius Vegas) atque ita mittebant scandalum in populum ad instar illius Balaam: Et quid aliud docet doctrina & exemplum Lutheri & ejus pellicis? Scriptum est Exod. 21. *Si quis aperuerit cisternam & foderit & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Quid hac sibi lege vult Deus? nunquid de bobus cura est Deo? Tu ô Luthere, tu Catharina Bornia, aperuistis impudicitiæ cisternam, in quam tot boves & asini, id est, rudes & imperiti homines jam pridem ceciderunt, & cadunt etiamnum. Cisternam, inquam, illam, quæ descri-

Minimè ita Bornia

bitur Apoc. 9. à Joanne, qui vidit stellam de cœlo cecidisse in terram, & aperuisse puteum abyssi: moxque ascendisse fumum putei sicut fumum fornacis magnæ, & obscurasse solem & aërem, & de fumo putei exisse locustas in terram humana facie, capillis mulierum ornatas. Quis hîc non dicat delineatum fuisse Lutherum & ejus Ketam? Ceciderunt stellæ istæ de Religionis fastigio veluti de cœlo in barathrum impudicitiæ, nec non doctrina & exemplo suo aperuerunt puteum abyssi, unde innumeræ prodierunt hæreses, veluti locustarum agmina, Germaniam vastantes, humana quidem & blanda facie, mulierum crinibus ornatæ, hoc est, effœminati & impudicitiæ frena laxantes: fumo item suo solem & aërem, id est, etiam eruditos & religiosos multos obscurantes: Foderat olim hanc cisternam Jovianus hæresiarcha & ipse Monachus, qui ut ait, S. Augustinus de peccat. merit. & remiss. lib. 3. cap. 7. Sanctimonialibus etiam ætate provectioribus nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo, quò earum aliquam ducere vellet uxorem, sed disputando Virgines sanctimoniæ dicatas, nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum. Verum ea cisterna citò obstructa fuit, præsertim à Sancto Hieronymo, qui duos libros cõtra hunc Joviniani errorem scripsit, nec usque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire, paucas tantùm lascivientes seduxit moniales; ipse verò nec habuit nec habere voluit uxorem. At nostro prô dolor! infelici sæculo Lutherus cum sua Bornia foveam hanc infernalem denuo aperuit, & inde ingentia locustarum agmina tanquam ex equo Trojano effudit, plurimosque utriusque sexûs sectatores habuit: (Ille monachos & sacerdotes, hæc moniales Deo desponsatas virgines:) Quia nimirum non doctrinâ solùm sed exẽplo etiam præivit, quod efficacissimum esse solet. Quid igitur superest, nisi ut ambo reddant DEO pretium animarum, quæ in puteum illorum inciderunt? O quot monachi & sacerdotes ardebunt super te Luthere! O quot moniales super de Catharina! quot vagabundæ adolescentulæ, quæ pudicitiam suam prostituunt? quot mali conjuges, qui ante contractum publicum illicitè conveniunt? Et unde vobis pretium tot animarum, quas Deo abstraxistis? Infinitum est, & reddi nequit, licet æternùm ardeatis. Et hæc est pars vestra, præmium & aureola vestra.

Illud obstupescendum est, tam tetro putei illius fumo & fœtore non esse offensam nec offendi Germaniam etiamnum, sed potius doctrinam approbare, exemplum laudibus vehere. O temporâ, ô mores! Quis jam dubitet in hæc tempora vel maximè quadrare illud Esaiæ: *Dilatavit Infernus animam, & aperuit os suum absque ullo termino?* Quid enim nunc difficile erit persuadere hominibus ætatis hujus, si nefandum Apostatæ Monachi cum Apostatrice moniali incestum & sacrilegum concubitum non alio quam castissimi & sanctissimi matrimonii loco habendum censuêre, persuasi ab illis ipsis, qui se tam immani scelere obstrinxerant? Quid superest, nisi ut in Mahometis transeamus disciplinam, egregiè Epicuream & absurdissimas Alcorani ejus nænias & putidissima deliramenta complectamur? Et certe huc tendit ipsissimus totius Lutherani Evangelii scopus. Sed propitius sit nobis Deus, ne in hâc dementiam devolvamur. Rogemus omnes Deum ut tandem oculos cœcorum aperiat hæreticorum, Amen, Amen.

CONCIO V.

ADVENTANTI CHRISTO judici quomodo obviandum.

I. Simus virgines.
II. Accipiamus oleum bonorum operum.
III. Exeamus obviam sponso.
IV. Vigilemus.
V. Ornemus lampades.

THEMA.

Ecce sponsus venit, exite obviam ei, Matth. 25.

Regius Propheta cùm Dominum orâsset: Psal. 24. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi & semitas tuas edoce me*, paulò post ostendit sese exauditum, & facturum esse Dominum, quod ab eo petiit cùm subdit: *Dulcis* (Hebr. *bonus*) *& rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Præstitit hoc Christus in hodierno Evangelio, quando supra montem Oliveti sedens contra templum & Jerusalem, ut docet S. Matth. cap. 24. & Marcus cap. 13. proposuit longo sermone varias parabolas, veluti de fure nocturno, de servo fideli, de decem virginibus, de talentis, de pastore oves segregante, omnes eo tendentes, ut doceret; qua ratione ipsi in illo ipso loco (siquidẽ mons Oliveti imminet valli Josaphat, ubi fiet judicium) occurrere debeamus, ut salvi simus, & cum ipso ad cœlestes nuptias ex eo loco intremus. Videtur enim mihi dicere. Hoc in monte sedebo, cum venero ad judicium, & si mecum vultis ingredi ad meas illas nuptias, sic mihi hôc in loco occurrere debetis, quo modo prudentes Virgines, non quo modo fatuæ. *Bonus* igitur *& rectus Dominus, qui delinquentibus in via*

A.

in via salutis, *legem nobis dedit*, *& vias suas* ostendit. *Bonus* inquam, cùm in monte Oliveti sedit tanquam Doctor noster. *Rectus* cùm sedebit olim tanquam Judex noster. Ergò ne timeamus sessurum ibi Iudicem, audiamus nunc docentem ibi Magistrum.

B. I. *Simus Virgines.*

Primò. Simus Virgines; siquidem per Virgines in hoc Evangelio intelliguntur omnes Christiani. Et Primo quoad fidem, ut fidem habeamus puram & incorruptam nulla infectam hæresi, adeoque Catholicam: quisquis enim ab hac defecit vel in uno fidei articulo, à Christo defecit & Virgo non est, velut omnes Hæretici pravis imbuti & corrupti dogmatibus. Virginitas hæc principium & caput salutis nostræ est ideoque sedulò conservanda, sic enim objectis brachiis ab ictibus caput nostrum tutamur. Et sicuti filiæ Virginitas studiosè custoditur à parentibus: Ita ab Ecclesiæ pastoribus custodienda est in fidelibus fidei integritas: sicut fecit Apostolus 2. Corinth. 11. *Æmulor*, inquit, *vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Cavendi ergò Lenones, Pseudo-Apostoli & hæretici. Quid, putas, de Israelitis actum fuisset, si Dux eorum, columna ignis disparuisset? nunquid non tenebræ per deserti avia eos dispersissent? Quid consilii cepissent Magi, si stella Jerosolyma egressis non denuò apparuisset? nunquid non gaudio, quo stellam videntes affecti sunt, caruissent? Omni ergò custodia fides custodienda.

Secundo. Quoad charitatem, ut Deum super omnia amemus, & nulli creaturæ magis quam ipsi adhæreamus. Hoc enim modo, qui non diligit, animam habet corruptam illecebris vitiorum. Audi Originem homil. 12. in Levit. cap. 2. *Si*, inquit, *susceperis ò homo in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ ingressus fuerit ad animam tuam, & receperis eum & consenseris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundum mentem suam suggerit, meretricatus es eum eo.* Quare sicut sponsa ab alio corrupta, nulla ratione apparere coram sponso suo auderet in die nuptiarum: ita qui fidei vel charitatis intgritate caret, qua mente coram Christo audebit comparere?

C. II. *Accipiamus oleū bonorum operum.*

Secundo. Accipiamus Oleum bonorum operum in vase cordis nostri, quod ad instar lampadis aut vasculi supernè quidem apertum cœlestibus videlicet bonis suscipiendis: infernè verò clausum, terrenis scilicet bonis esse debet. De hoc oleo loquitur Ecclesiasticus cap. 18. dicens: *Ante judicium para justitiam tibi.* Et Dominus cùm hoc ipso cap. 25. Matth. explicans quasi hanc parabolam, asserit requirenda in Judicio bona opera: *Esurivi & dedistis mihi manducare.* Cæterum hoc oleum sit Primo copiosum & indeficiens. Sic enim sapiẽtes non solùm in lampadibus, verum etiam in vasculis oleum acceperunt, ut haberent semper quod affunderent. Et ita etiam Hebræ olim grandem lignorum congeriem comportare quotannis solebant, pro igne perpetuo fovendo in altari, ne pabulum ei deficeret, eumque diem festum habebāt, Xylophoria appellatum, ut scribit Joseph. lib. 2. de bello. cap. 17. Ergo & nos quoque provideamus nobis de abundante pabulo, quo ignis charitatis foveatur semper in altari cordis nostri. Hujusmodi autem pabulum, oleum & lignum sunt Conciones, piæ lectiones, meditatio novissimorum, & vitæ Christi ac sanctorum; frequens sacramentorum usus, amoris divini frequentes actus, aliæque bonæ cogitationes: Quæ ubi comportare cessamus lampades nostræ extinguuntur. Pro grandi itine grande viaticum est parandum, parvum pro exigno. Et tamen plerique mortales pro itinere æternitatis nihil sibi provident; pro brevissimæ vitæ suæ cursu parare sibi opes, honores, voluptates nunquam cessant: & ita sibi potiùs ligna comportant, quibus ardeant in inferno. *Incassum multa portantur*, ait Sanctus Gregorius homil in Evangelia, *cùm juxta est, quo itur.* Ignem illum in altari debebat fovere sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies, Levit. 6. Similiter & nos ut ignem charitatis in nobis conservemus, subjiciamus ei ligna quotidie matutino tempore per orationem, meditationem & deliberationem vitæ bene instituendæ.

Secundo. Sit partim ardens in lampade, partim in vasculo reconditum, ita nimirum, ut partim luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona & glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est; partim sit in occulto, ut ne vanam ex operibus nostris bonis aucupemur gloriam, sed per intentionem semper optemus secretum & soli Deo placere. Atque hoc est oleum haberein vase, quod Apostolus 2. Corinth. 1. ait, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; quando scilicet nitorem gloriæ nostræ intra cor & conscientiam, quasi in vasculo retinens, ut exponit Sanctus Gregorius homil. 12. in Evangel. Fecerunt hoc prudentes, non fecerunt fatuæ, ideoque oleum eas defecit coram sponso, quia quod habebant in lampadibus, in fumum abiit vanæ gloriæ. Et quia gloriam suam non in conscientia sua, sed in ore hominum posuerunt; hinc illa in eas ironia Sapientum: *Ite potius ad vendentes & emite vobis.* Vendentes oleum quinam sunt, nisi adulatores? sic enim Ps. 140. dicitur: *Oleum* (id est, blandimentum) *peccatoris non impinguet caput meum.*

D. III. *Exeamus obviam sponso.*

Tertio. Exeamus obviam Sponso; idque fiet Primo. Si conformemus nos per omnia divinæ voluntati. Qui enim obviam it alicui, quærit ei occurrere in eadem via, & cum eo postea regredi, hoc autem fit, si conformemus voluntatem nostram divinæ. Quod idem in simili parabola Lucæ 12. Dominus expressit, cùm ait: *Vos similes* [estote] *hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei. Venit Dominus*, ait Sanctus Gregorius homil. 13. in Evang. *cùm ad judicium properat: pulsat vero, cùm jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim Judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quæ contempsisse se meminit, Judicem formidat. Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus Judicem sustinet.* Dicat ergo quisque cùm vocatur ad transitum ex hoc sæculo, cùm S. Hilarione: *Egredere anima mea, egredere quid times?* Et cum Christo Domino: *Si non potest hic calix transire, fiat voluntas tua.* Quin & cum Epicteto Philosopho, qui gentilis licet, sententiam hanc plane Christianam edidit lib. 3. dissert. cap. 26. *Appetitum meum obedientem præbui Deo. Vult ille me febricitare? volo & ipse. Vult me aliqua re potiri? volo & ipse. Non vult? nolo. Mori me vult, mori igitur volo. Quis adhuc me prohibere potest contra meam sententiam aut cogere?* Sic sanctum Hieronymum decumbentem vox cœlestis ad gloriam invitavit, cui respondit ille se libenter & cupide venire velle, Marullus, lib. 5. c. 10.

Secundo. Si totis visceribus expediri ab hoc sæculo & Christo jungi cupiamus in altero, sic enim ei quodammodò obviam eximus, quasi moræ impatientes & mundum fastidientes. Jam verò, qui amico exspectato obviam procedunt, semper ipsum cogitant, de ipso crebrò loquuntur, uti mater & uxor Sisaræ Jud. 5. Conscendunt eminentiora loca, ut venientem à longè videant, uti mater Tobiæ, Tob. 11. Hoc ergò & nos faciamus. In hujus rei figuram duo illi Cherubini in tabernaculo Moysis ita facti erãt, ut alas suas extenderent quasi volaturientes, versus Propitiatorium Exod. 25. Sic enim volaturiebat David licet tãtus in mundo Rex: *Quis dabit mihi pennas sicut colũbæ: & volabo & requiescam!* Atque hoc est exire de mundo seu mori mundo, quod omnino est necessarium, si velimus vivere Deo: quia Jacobo teste cap. 4. *Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Talis S. Monica, quæ paulò ante mortem dicebat ad S. Augustinum filium: *Fili quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc & cur hic sim, nescio, jam consumpta spe hujus sæculi.* Augustinus lib. 9. Confess. cap. 10.

E. IV. *Vigilemus*

Quarto. Vigilemus, ita videlicet, ut semper parati simus occurrere sponso nostro cum bonæ conscientiæ lampade, quia nescimus quando venturus sit, & plerumque media nocte, id est, cum minimè existimamus, solet advenire. Nemo ergo se decipiat, aut certum sibi tempus promittat. *Quia dies Domini sicut fur in nocte, ita & veniet; Cum enim dixerint pax & securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus*, inquit Apostolus: 1. Thessal. 5 Et S. Job. cap. 27. *Nocte opprimet eum tempestas*, inquit. Quæ verba Pagninus vertit: *Mox furatus est eum turbo.* Sic furatus est Pharaonem, qui maximo cum exercitu & pompa, nec minore præsumptione & supercilio ingressus est post Hebræas in mare rubrum adhuc divisum dicens: *Persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Sed cùm credebat se maximè securum: *Flavit Spiritus tuus, Domine & operuit eos mare & submersi sunt quasi plumbum, &c.* Exod. 15. Et tunc cùm vidit Pharao revertentes super se aquas, fugere conabatur, dicens: *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Sed qui obtentum? fugientibus Ægyptiis occurrerunt eis aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus, ita videlicet ut nullibi reperirent effugium, non currum, non equum, non Ducem, non tabulam cui innixi possent evadere, Exod. 14. Idem hoc evenit fatuis Virginibus, dum dormire inceperunt. Et enim repente, *media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Sed quid illæ? *tunc surrexerunt:* tunc inquam, quando jam tempus non erat parandi se & ornandi lampades. Dum enim eunt emere oleum, venit sponsus. Sic ergò peccatores, dum componunt se ad somnum, hoc est, dum se nondum morituros existimant, ideoque temere se ingerunt periculo damnationis, dum bonos prosequuntur, & DEUM suis sceleribus impetunt; quando putantt se tutissimos, opprimit eos tempestas morbi lethalis, & cum effugere conantur per pœnitentiam, impediuntur à curribus & equis, id est, mentis anxietatibus & corporis doloribus, ut nequeant sibi prospicere, conteri, confiteri, &c. Non inveniunt vel unum, qui porrigat eis manum; Atque ita demum furatur eos turbo. Sic furatus est, Chrysaorium illum, qui videns in extremis assistentes sibi dæmones specie teterrima filium suum Maximum maximis clamoribus vocare cœpit: *Maxime curre, Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me suscipe.* Accurrit statim Maximus unaque lugens & perstrepens familia, sed nihil afferre poterant auxilii, moriendum fuit desperato, scribit S. Gregor. hom. 12. quæ est in hodiernum Evangelium. Parum aut nihil juvat clamare in aures morituri. Ipsi dum sanæ mentis sunt, sibi priùs consulant frequentando Sacramenta, audiendo sedulò conciones, vigilando in orationibus; & inprimis quotidie examinando con-

conscientiam suam; hoc enim modo optimè vigilabunt, Deoque suo occurrent. Quemadmodum nihil profecisset, qui ad littus maris rubri stans acclamasset Pharaoni: Urge & stimula equos, fortiter apprehende currum, insili in equos, labora & exere ad enatandum vires, &c. Ita parum aut nihil prosunt, qui morientibus demum in aures clamant, si illi priùs sibi non prospexerunt.

F. V. *Ornemus lampades.* Quinto. Ornemus lampades nostras omnis generis virtutibus. Sic enim Virgines prudentes ultra oleum addiderunt lampadibus etiam ornatum, puta tergendo eas & expoliendo, coronando floribus, adornando picturis, &c. Sic Rebecca obviam veniens sponso Isaac, *descendit de Camelo & operuit se pallio, quò honestiùs ei occurreret,* Genes. 24. Sic Pericles Philosophus ad nuptias Pulchri juvenis iturus, præter morem se ornabat. Causam rogatus, dicebat: *Ut pulcher ad pulchrum vadam.* Ergò ut sponso nostro cum debito obviemus ornatu & pulchri ad pulchrum eamus, vicina inprimis morte: Primo, tergamus lampadem cordis nostri ab omni inquinamento per pœnitentiam & veram contritionem. Et si adhuc vitium aliquod vel affectum inordinatum erga creaturam aliquam deprehendamus, eluamus maculam. *Quis credat militem bellicosum;* inquit Vegetius lib. 2. cap. 14. *cujus dissimulatione ferrum & arma situ & rubigine fœdantur:* Miles ergò Christianus tergat arma sua. *Surgite Principes, arripite clypeum,* ait Isaias c. 21. Chaldæus vertit: *Tergite & lucida facite arma.* Secundò. Fidei protestationem edamus, tum ad fidem in nobis corroborandam, tum in exemplum aliorum. Ita præter alios Pater Consalvus Mederius Societ. Jesu Hispanus, moriens S. cereum accendi jussit, tum symbolo Apostolorum prolato: *In hac,* inquit, *fide institutus sum, in hac vixi, in hac morior: testorq; si quid fortè in extremo agone excidat mihi, jam nunc indictum & irritum velle, &c.* Hist. Soc. p. 1. lib. 12. n. 66. Tertiò. Demus omnibus veniam, eamque petamus ab iis, quos offendimus. Itaque *sol non occidat super* odio & *iracundia nostra.* Quarto. Patienter feramus ægritudinis molestias, & in his nobis gratulemur, si sint vehementes. Ita S. Edildrida, cùm in collo gravi torqueretur ulcere, sibi gratulabatur, quòd ibi nunc cruciaretur, ubi olim gestare solita erat ornatum profanum; quare ulcus illud sibi pro auro & gemmis esse dicebat. Beda lib. 4. cap. 19. Eccles. hist. Angl. Ita S. Fulgent. Episcopus in ægritudine orabat: *Domine da mihi modo patientiam & posteà indulgentiam.* Quinto. Addamus alia Pœnitentiæ & humilitatis opera ad exemplum sanctorum & piorum aliquot Christianorum, qui vel cilicio, vel humi in cinere, uti S. Martinus, mori voluerunt. S. Hieron. morte appropinquante deponi se in humum jussit; & contegi cilicio: Similiter S. Francisc. Alii petierunt ut humili loco, sine omni pompa & à mendicis sepelirentur. S. Greg. Thaumaturgus, ne alicujus loci possessor esset, voluit in alieno sepeliri tumulo.

Sexto. DEO soli vacemus in oratione & meditatione, in contemptu mundi & desiderio regni cœlestis. Ita S. August. S. Joan. Anachoreta, S. Elisabetha & alii, aliquot diebus ante obitum excluserunt à se adventantes homines, ut soli DEO liberiùs vacare & paratiores possent occurrere. S. Ambrosius brachiis in Crucis formam latè expansis voluit obire. Similiter S. Ludovicus Galliæ Rex. Jam verò si sponsa sponso suo ut placet, quantum potest se adornat; an non potiùs nos ut immortali placeamus sponso, adornare nos debemus? S. Nonnus Episcopus visa Pelagia superbissimè adornata in urbe Alexandrina, Lachrymarum vim profudit & in se ipso erubuit, quòd se ipse DEO nunquam sic adornasset, sicut illa se mundo. Surius in vita Pelagiæ. Quòd si sponsæ Assueri per annum integrum se præparare debebant, ut Regi adducerentur desponsandæ, ut habetur in lib. Esther. cap. 2. quanto æquius est ut Christo sponso nostro æterno toto nos præparemus vitæ spatio?

CONCIO VI.

TEMPUS BENE EXPENDENDUM.

I. Quia breve.
II. Quia dubium.
III. Quia pretiosum.
IV. Quia irrevocabile.

THEMA.

Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, Matth. 25.

A. REgi Assuero gynecæum fuisse legimus in lib. Esther. cap. 2. in quo Esther virgo erat speciosissima, & Regi inprimis placens, uxor ejus futura, sed antequam in Reginam domum ac thorum assumeretur, præparari prius per aliquot menses ad ornatum debuit, oleo myrrhino inungi, deinde aliis pigmentis. Præcepit etiam ut accelararetur illa præparatio & mundus muliebris, qui ad ornatum ejus pertinebat, ut ita ejus aspectu & consortio cito frui posset. Postquam igitur ita adornata & parata erat Esther. ad Assuerum evocata, placuit ei super omnes mulieres, ab eoque regio diademate coronata, in uxorem est assumpta nuptiali adhibito convivio. Mystico sensu, Assuerus Christum denotat, qui suum hic gynecæum fidelium animarum habet sub cura summi animarum pastoris, Romani

Romani Pontificis. Verùm si qua illarum sponsa Christi fieri & regnare cum eo in cœlis velit, præparari prius in hac vita debet & oleo bonorum operum, ac virtutum pigmentis adornari: quodque amplius est, præcipitur etiam à Christo non differri, sed accelerari hanc præparationem, ut quandocunque ipsi placuerit, sponsam suam evocare & in domum suam cœlestem introducere, cumque ea nuptias celebrare perennes possit. Hoc est, Auditores, quod docemur in hodierno Evangelio, cum audimus: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias:* instructæ nimirum oleo & ornatu lampadum. Cæterum nunc audiamus cur ornatus iste accelerari debeat.

B. I. *Quia breve.*

Primò. Ob temporis brevitatem, quæ indicatur in brevi illo dimidiatæ noctis tempore, quo se ad somnum capessendum composuere virgines. In hunc enim modum, dum nos in hac vita quasi ad somnum componimus & quietem, ea certa spe, quòd velimus dormire tota nocte, hoc est, gaudere multo tempore hujus mundi bonis; tum ecce subitò excitamur à morte & abripimur, cum vix medium speratæ ætatis viximus, & dulcissimam quietem primùm sperabamus. Sic cum Jonas componeret se ad quietem subter hederam, statim diluculo paravit Dominus vermem, qui exedit eam: Unde ille vento calido & urenti expositus mansit, Joan. 4. Hoc expertus est Dives ille qui dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te; & quæ parasti cujus erunt?* Luc. 12. Quàm bene itaq; dixit S. Augustinus. *Quid aliud est vita quàm cursus ad mortem?* Et S. Greg. Nazianz. *A tumulo tumulum peto.* Et Seneca epist. 59. *Mox ut in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus.* Quod si à vita nostra pueritiam & senium, tempus etiam, quod somnio & cibo impendimus, tollamus, quàm parum restabit, quod animæ saluti impendi queat? Quando ergo tàm brevis est vita nostra: an non tanto studiosius incumbere debemus bonis operibus parandis? Falcones Norvegiæ, quia brevissimi sunt ibi dies, magna cum velocitate & aviditate prædantur: ne videlicet à nocte præveniantur. Meritò igitur exprobrat ignaviam Deus hominibus, Jerem. 8. Quod velut equus impetu currant in prælium, nec præparent se ad futurum judicium, ubi etiam subdit: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Quando sartor parum habet panni ad conficiendam vestem, tunc antequam eum scindat, sedulò metitur, per ulnas, nihil temere abjicit, & quibus pôtest extendit modis, ut habeat sufficientem. Similiter ergo quoniam scimus paucos esse dies nostros, ideò sedulò eos metiri, & nihil perdere debemus, sed omnes eorum horas utiliter collocare. Certè Christus in suis sermocinationibus non solebat metiri tempus per annos, menses vel septimanas, sed per dies, horas & momenta. Uti: *De die illa & hora nemo scit: Nondum venit hora mea: Non est vestrum nosse tempora vel momenta,* Et in hodierno Evangelio: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Ad indicandum quòd quòd veluti aurum aut crocum, parcè debeamus ponderare & expendere tempus: singulas nimirum horas, singulis destinare actionibus bonis & honestis: nullam ejus particulam abjicere, sed bene collocare. Quare seipsos fallunt, qui fallendi temporis gratia sectantur inutilia.

C. II. *Quia dubium.*

Secundò. Ob temporis incertitudinem, quæ designatur in hodierno Evangelio, dum dicitur, *Media nocte* (inopinatò scilicet & inexspectatò) *clamor factus est* de adventu sponsi. Quis, quæso media nocte exspectaret adventum sponsi? solet enim sponsus prodire cum sponsa, quando omnibus conspicuus esse potest. Sed non ita venit sponsus ille cœlestis; imò adventurum se dicit uti furem, Luc. 12. & Apoc. 3. Nemo ergò dormire debet, sed perpetuò vigilare ad bene operandum. Si quis enim Rex civitatem tibi vel privilegium aliquod donaret, ita tamen ut priusquam peregrè proficiscatur, literas donationis factæ sigillo regio consignari faceres: nec tamen nominaret tibi horam discessus sui: nonne curreres & festinares, ut quamprimum litteræ scriberentur, & à Rege signarentur? Noverat Christus numerum dierum suorum, & tamen dixit Joan. 9. *Me oportet operari donec dies est, venit nox quando nemo potest operari.* Audimus Ezechiam Regem vita desperata lamentantem: *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me,* Isa. 38. Quando militibus conceditur à Duce prædari in civitate occupata: nemò illorum est, qui non festinantissimè percurrat undique domos, cellas, cubilia, &c. quia metuit ne si moram fecerit, nihil amplius inveniat; aut prædandi libertatem factam Dux inhibeat. Sic faciebat Apostolus ad Philip. 3. scribens: *Ad ea, quæ priora sunt extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brabeum supernæ vocationis.* Et alibi suadet: *Sic currite, ut comprehendatis;* quia nimirum periculum est, ne repente cursus noster inhibeatur. Ita etiam S. Antonius seipsum ad progressum admonens dicere solebat: *Hodie cœpi currere, hodie cœpi Deo servire: hodie forte & finiam.*

D. III. *Quia pretiosum.*

Tertiò. Ob temporis pretiositatem: possumus enim hic parare nobis oleum bonorum operum, quod fit fomentum luminis gloriæ in omnem æternitatem: possumus etiam ornare lampades animarum nostrarum splendidissimis virtutibus, ita ut ipsi Deo placeant. Possumus fieri sponsæ Christi & Reges in cœlo. Nunc anni fertilitatis sunt: succedent steriles, quibus tradere te in servitutem cogeris præfame ut subditi Pharaonis, Gen. 47. Nunc patet horreum Pharaonis, unde emi frumentum potest: *quare ergo negligitis? descendite & emite nobis necessaria ut possimus vivere,* ait Jacob filiis Genes. 42.

Imò

Imò uno temporis instanti, infinita gloriæ merces comparari potest. Unde monet Ecclesiasticus, etiam minimarum partium temporis rationem habendam, c.14. cùm ait; *Non defrauderis à die bono & particula boni diei* (ut aliàs legitur) *non te prætereat.* Idcircò etiam Apostolus emi quasi redimique tempus jubet jactura temporalium bonorum ad Eph. 5. tanquam rem illis longè præstantiorem, si quieti animæ & Dei servitio impendatur. *Videte itaque fratres*, inquit, *quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Hoc verò fit secundum August. serm. 24. de verbis Apostoli, cùm quis illud negotiis sæcularibus subtrahit, ut quiete sua fruatur, & Deo vacare possit. *Quando*, inquit, *aliquis tibi infert litẽ, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus: id enim quod perdis, pretium est temporis, sicut enim das nummos & panem emis, itaq; aliquid amittis & aliquid acquiris: sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus vacandi Deo; hoc est enim tempus redimere.* Sic ille. *Mercatum hanc vitam existima*, ait S. Gregor. Nazianz. in sententiis, *si negotiatus fueris, quæstum facies &c.* Ad has nundinas mittit nos Dominus Matth. 25. *Negotiamini dum venio*, ait. Sed heu pauci ita emunt tempus, plures emunt sibi negotia sæcularia & inutilia vel otium ipsa temporis jactura. Quam multi enim dant Missam vel concionem pro exiguo lucro, itinere, societate, &c. *Ecce nunc tempus*, ait Apost. *acceptabile* & tempus nundinarum est, in quibus levissimo pretio comparare nobis possumus margaritas pretiosas.

E. IV. *Quia irrevocabili.*

Quarto. Ob temporis elapsi jacturam seu irrevocabilitatem, quæ designatur in Evangelio, cum dicitur, *Cùm autem irent emere* (ubinam emerent nundinis jam finitis? *venit sponsus, & quæ paratæ erant intraverunt cùm eo ad nuptias.* Et tum fatuæ exclusæ audiunt: *Nescio vos.* Hoc est quod Angelus Domini juravit per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius*, Apoc. 10. Unde Clemens Octavus Pontifex, cùm apud eum plures de variarum rerum jactura conquerentur, ille temporis jacturam omnium maximè deplorandam ajebat, quòd semel amissum revocari non possit, Coll. ex apophteg. de Principe Henr. Farn. Accedit Seneca ad Lucil. epist. 1. *Turpissima*, inquit, *temporis jactura est, quæ per negligentiam fit; & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Veteres pinxere tempus stans super globum, quia semper rotatur: alas in plantis gerens, quia semper avolat: novaculam in manu gerens, quia omnia conficit: fronte capillatum & retro calvum, quia elapsum revocari nequit, instans solum capi potest. Quàm multi ex inferno, purgatorio, imò & cœlo tempus apprehenderent, si retrò capillatum esset? Idem accidet fortè nobis in articulo mortis. Unde Dominus Luc. 17. ait: *Venient dies, quando desiderabitis videre unum diem filij hominis & non videbitis.*

Ergo *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, inquit Apostolus ad Galat. 6. Similiter Ecclesiastes monet cap. 9. *Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* O quantum affliget damnatos temporis jactura? Quam libenter ferrent pœnas suas ad annorum aliquot milliones, si vel unam temporis horam pœnitentiæ capacem impetrare possent? Quod ergo ibi optaremus, hic dum vivimus, arripiamus.

CONCIO VII.

CUR VOLUERIT DEUS HORAM Mortis nobis esse ignotam, & vitam nunc breviorem quàm olim.

- *I.* *Propter bonum publicum.*
- *II.* *Propter pacem & tranquillitatem.*
- *III.* *Ne bona multa omitterentur.*
- *IV.* *Ad refrænandam peccandi libidinem.*
- *V.* *Ad meritum cumulandum.*
- *VI.* *Cur vita adeo accisa?* 1. *ob destructionem complexionis*, 2. *ob ignorantiam nostram*, 3. *ob intemperantiam*, 4. *ob rebellionem Creaturarum*, 5. *ob DEI arcanam voluntatem.*

THEMA.

Vigilate itaque, quia nescitis neque diem, neque horam, Matth. 25.

A.

VIderi posset alicui sponsus hodierni Evangelii nimis fuisse immitis erga virgines fatuas, dum tardius advenientes exclusit è nuptiis. Cur enim dicere non potuissent: Domine, tu causa es, quod seriùs ad nuptias paratæ veniamus. Tùm quia nimis parum temporis nobis indulsisti, medietatem noctis tantùm ad parandas lampades nostras: quod si plusculum tardasses & distulisses adventum tuum, fortè parassemus: tùm, quia inexspectatò, media nocte præter nuptiarum morem nuptialem instituisti pompam: quòd si nobis certam designasses horam gratissimi adventus tui, paratas nos & vigiles absque dubio invenisses. Posset, inquam aliquis istud cogitare. Sed his non obstantibus, exclusæ sunt fatuæ. Et quid sibi vult hoc? Nimirum insinuat nobis sponsus, tempus vitæ nostræ breve esse, diem esse, horã esse: & hanc ipsam diem interim & horam nobis esse ignotã: ideoq; semper vigilandum, & semper exspectandum suum esse adventum. Sed

Sed hoc ipsum est, dicent aliqui, de quo nos conquerimur: brevitas vitæ nimirum & incertitudo. Hoc est, quod dicit Seneca lib. de brevitate vitæ c. 1. *Major pars mortalium,* inquit, *de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum ævi gignimur, quòd hæc tam velociter tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant, adeò ut exceptis admodum paucis, cæteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur malo, turba tantùm & imprudens vulgus ingemuit, clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maximi Medicorum Hippocratis exclamatio est: Vitam brevem esse, longam artem. Inde Aristoteli cum rerum naturâ exigenti: minimè conveniens sapienti viro lis est: illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena sæcula edurent, homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem terminum stare.* Sic ille. Ergo quid inprimis causæ est, quòd ignotam nobis voluit Deus esse mortis horam?

B. I. *Propter bonum publicum.*

Primò. Propter bonum publicum, ut sic homines non sibi tantùm, sed posteris etiam viverent. Alioquin si scirent homines vitæ suæ terminum, plerique arbores non sererent, vineas non plantarent, domos non ædificarent. Plurimi item omnia absumerent, & posteris nihil de substantia sua reliqui facerent. Inde multi liberi hæreditate privarentur, eò quod eorum parentes sibi tantùm consulerent omniaque absumerent. Imò multi adeò malitiosi forent, ut sua perderent ac destruerent, defoderent, vel in flumina abjicerent, ne posteris remanerent. Sanè reperiuntur nonnulli parentes, qui in odium liberorum dicant se omnia sua bona dilapidaturos, ne quid illis reliqui fit: idque etiam facerent: si scirent horam mortis suæ. Imò si etiamnum reperiuntur, qui quasi præscirent mortis suæ diem, omnia abliguriunt & facto ipso loquuntur, id Isaiæ 32. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur:* quid fieret si hoc cras futurum certò præviderent? Aliqui Epicurei dicere non erubescunt, si in agone suo viderent, vel unum vini vitrum ponè remanere, id pede se eversuros; ne quid post se reliquum foret. Et quid mirum si talibus in inferno negetur gutta aquæ?

C. II. *Propter pacem & tranquillitatem.*

Secundò. Ad pacem & tranquillitatem conservandam. Nam qui scirent se multis annis victuros, iras & inimicitias suas persequerentur, insolescerent, & tyrannicè alios opprimerent.

Contra qui scirent brevi se victuros, animo nimis dejecto semperque tristes, adeoque aliis molesti & onerosi essent, ac veluti Cain profugi circumirent mortem semper timentes servili quodam timore & inutili, sicuti plectendi, quibus dies mortis prædicitur; imò multi in desperationem caderent, & præ horrore mortis, ad eam se disponere non possent, maximè qui natura pavidi sunt, sicque eorum pœnitentia coacta, & parum utilis foret. Modo autem quia semper aliquantula spes vitæ superest, locum non habet nimia illa anxietas: & ex altera parte periculum præsens monet, ut homo disponat domui suæ: sicque intra spem & metum retentus commodius & majori cum fructu præparare se ad mortem potest. Minus itaque prudenter Julius Cæsar cùm interrogaretur, quod genus mortis optimum esset; respondit, *Inopinatum*; id quod etiam obtinuit confossus in senatu viginti tribus vulneribus. Plut. in Apophth. Quia licet mors inopinata & repentina anxietatem adimat, hominem tamen imparatum opprimit.

D. III. *Ne bona multa omitterentur.*

Tertiò. Quia aliàs plurima bona omitterentur. Nam si ægrotans homo sciret, se in ea ægritudine non moriturum, non confiteretur, nec communicaret, Deum & Sanctos non invocaret, vota non faceret. Missas dici, & eleemosynas fieri pro se non curaret, injurias non remitteret, propositum non faceret emendandæ vitæ; sed omnia ista differret ad finem vitæ. At non decet, neque vult Deus, ut solùm in vitæ periodo ipsi serviatur, & bonis operibus studeatur; sed potiùs ut totum in ipsius obsequio consumamus, quia totam ei debemus: & ita plus in cœlo mereamur. Est ergò hæc mortis incertitudo virga quædam, qua Deus nos à torpore ad resipiscentiam & studium bonorum operum veluti ludimoderator excitat, juxta id Psalm. 7. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vasa (id est, instrumenta) mortis.* Utitur autem gladio ad feriendos senes, arcu ad feriendos juvenes. Mortis apparatus & quasi instrumenta sunt, Medicus adveniens & medicinæ præparatæ, Sacerdos item S. Viaticum afferens, imago Crucifixi proposita, aqua lustralis, &c.

E. IV. *Ad refrænandam peccandi libidinem.*

Quartò. Ut refrenaret nos à peccandi libidine & pertinacia, dum mortem semper habere suspectam debemus. Hinc enim monemur, ut semper parati simus ad hospitem illum suscipiendnm, quâdocunque pulsaverit fores nostras, & ne ad momentum quidem in peccato persistamus. Sic enim præsidiarii milites semper excubias agunt, quia nesciūt, quando vel ab hostibus obruantur, vel à suis Ducibus explorentur.

Et tamen amissa munitio recuperari potest, non item vita semel perdita; plus ergò vigilandum ne à morte præoccupemur, quia bis non licet mori. Unde S. Augut. l. de doct. Christ. *Latet ultimus dies,* inquit, *ut observentur omnes.* Itaque omnes dies, horæ & momenta suspecta nobis esse debent: quia nescimus quod eorum interitum nobis machinetur. Si te oporteret successivè septem panes comedere, in quorum uno venenum latere certò tibi constaret, nonne ad singulos trepidares: Et si ordine simili ad septem iturus esses amicos, de quibus dixisset tibi in aurem Propheta quispiam: Horum unus gestat sicam ad te conficiendum, & re ipsa te conficiet; nonne timeres omnes, & disponeres domui tuæ quovis tempore? Quid autem aliud sunt hedomadæ cujusque dies, quam amici quidam

& panes

& panes ordine recurrentes, quorum unus indubiè tibi postremus erit, & mortis spiculum in te vibrabit priùs occultum? Quòd si modò, cùm nesciamus horam mortis tam audaces ad peccandum sumus; quid fieret si sciremus? Exemplo rem ostendam. Accidit fortè ut vir nobilis in alienis ædibus ludo se delectet usque ad multam noctem. Quod videntes famuli ejus, alii somno se dedunt, alii hinc inde vagantur per civitatem. Interim surgit Dominus & domum vult repetere, quærit & vocat famulos; sed nemo illorum comparet, nisi fortè ad extremum infimus illorum, qui pene adhuc somnians facem affert, accendit & Domino suo præfert. Dicite jam, quæso: si scivissent isti famuli certam horam, qua Dominus discessurus esset, nonne multò adhuc audacius somno se dedissent, vel ad alia abiissent? Simili ratione cum modò tam audacter dormiamus in peccatis & semper in pejus proficiamus, quando nec unam horam polliceri nobis possumus; quid quæso ageremus, si horam illam sciremus, quâ Dominus noster venturus est? Hannibal quamdiu Scipionem instare sibi sciebat, arma nunquam exuit, nisi vigilantibus Ducibus. Quanto fortior mors Scipione? semper ergò in armis stemus contra hostem istum, quia semper nobis à tergo est: Thorax æneus, quo semper muniti esse debemus, est Justitia, qua complectitur omnem virtutem.

D. III. *Ne bona multa omitterentur.*

F. V. *Ad meritum cumulandũ.*

Causam Quintam addit S. Chrysost. in 1. Thessal. cap. 5. *Justi enim non tantum mercedis haberent periculis objecti: quia compertum haberent se nunc haud morituros, sed post tot v. g. annos. Nunc verò cùm incertum sit, evadantne periculis, an secus, ne vel sic tamen mortem evadere laborant, perspicua eorum virtus est. Quemadmodũ enim tres pueri eâ de causâ majorem admirationem merentur, quòd cùm non satis novissent, an ex igne essent evasuri, nec ne, neque sic tamen statuam adoraverunt: propterea abitus noster erit tanquam fur in nocte.*

E. IV. *Ad refrænandam peccandi libidinem.*

G. VI. *Cur Vita adeò accisa.*

Deinde quæ causa esse potest, quòd hominis vita adeo accisa sit, cum tamen ante diluvium fuerit tam longæva?

Respondeo Primam causam esse, Destructionem complexionis humanæ, quæ à prima sui creatione optima erat, firma ad conservandam se ipsam, fortis ad resistendum contrariis, necdum tot morbis vitiata. Nunc autem morbis, vitiis & deliciis fracta & debilitata est, addo etiam immatura conjugia, ex quibus oritur & ipsorum conjugum tabes & marcor: & liberorum innata quasi ac perpetua infirmitas. Neque enim fortes creantur nisi fortibus. Isaac anno ætatis 40. Jacob 84. primum iniêre matrimonium. Aqua in ipso fonte optima & vivacissima est; quanto verò per plures canales ducitur, tanto magis maceratur: ita natura humana ab ipso factore DEO optima quidem prodiit: posteà tamen per canales generationum ducta debilitata & fracta est. Vinum eo, quo crevit & emitur loco, purum est & præstans: sed quò longius ab aurigis abducitur, eò fit deterius; quoniam à vectoribus adulteratur magis & magis aquæ admistione. Sic natura humana, in primâ sui creatione sanissima & robustissima fuit: sed in posteros propagata, per incontinentiam & morbos magis & magis vitiata est.

2. *Ob ignorantiam nostram.*

Secunda causa est Ignorantia nostra, quia nescimus nec quærimus sana, sed sapida? Sicut econtra causa longævitatis veterum fuit inter alia etiam scientia Adami & posterorum ejus, qui longè meliùs quàm Medici nostri nôrant vim herbarum, fructuum, metallorum, lapidum; aliarumque rerum, & quæ res haberent vim conservandi & longissimè producendi vitam. Si enim multæ bestiæ nôrunt sua medicamenta quærere: quanto magis scivit hoc Adam à DEO edoctus, & omni scientiâ plenus? ab hoc verò didicerunt idem ejus posteri; Vixit enim Adam usque ad quinquagesimum septimum annum Lamech Patris Noë, qui non longiùs quàm quinque annis diluvio abfuit. Didicerunt inquam & in praxi exercuerunt: non enim ut modò solent homines, delicatis & exquisitis utebantur cibis, sed salutaribus. Modò autem tanta hominum inscitia, ut in morbis præsertim noxia ferè pro salutaribus appetant & sumant: & quod plus est, medicorum & peritorum consiliis non acquiescant.

3. *Ob intemperantiã.*

Tertia. Luxus & intemperantia in cibo & potu. Tametsi enim scimus aliqua esse noxia, veluti nimiam repletionem, ciborum multitudinem, cruditatem, &c. nihilominns tamen dummodò gustui serviant, quærimus & devoramus; Sicut tertia causa longævitatis veterum est, sobrietas, siquidem ante diluvium nec carnibus, (saltem communiter) nec vino utebantur, eratque illis naturalis cibus & potus isque simplex, absque confectione, mixturis & condimentis. Varietas autem, mixtura & condimenta ciborum vitam debilitant atque minuunt, sicut Hippocrates & Plinius docent. Unde Seneca lib. 10. Controvers. ait: *Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc, cur subito moriamur: Mortibus vivimus.* Et Innocentius Papa de vilit. Condit. humanæ ait: *Initium vitæ hominis aqua & panis; guloso autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non bestiæ terræ, non aves cœli, non pisces maris: Sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, capiuntur obesa, quæ studiosè coquuntur, & lautè parantur officio ministrorum; alius contundit & colat, alius confundit & conficit, substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem, revocat appetitum ad irritandam gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad cupiditatem explendam.* Sic ille. Hinc ergò facilè patet, unde vita nobis tam brevis. Et quid multis? patet experientiâ longæviores

viores esse, qui in victu temperatiores sunt: & rusticos duris assuetos & naturalibus cibis robustiores minusque morbis obnoxios, quàm nobiles, & qui opiparè & delicatè nutriuntur. Hoc est quod dixit Ecclesiasticus c.37. *In multis escis erit infirmitas. Et propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Videant nunc illi, *quorum Deus venter est*, ut Apostolus ad Philip.3. ait: quàm iniquum & tyrannicum colant Deum, cui propriam immolant vitam, eamque multis morbis & doloribus obnoxiam: quodque amplius est, non suam tantùm sed liberorum etiam & nepotum ac posterorum suorum, in quos vitiatam suam transfundunt complexionem.

4. *Ob Rebellionem creaturarum.*

Quarta Contrarietas & rebellio creaturarum, cœlestium influxuum, elementorum, bestiarum, nec non hominum quoque: Quo enim magis crescit rebellio hominum erga Deum, eo magis etiam creaturarum rebellio erga hominem: quandoquidem propter Adami rebellionem rebellarunt ei creaturæ. Hinc olim super Regionem illam, in quà primi homines habitabant, fuêre valdè benigni, propitii, atque salutares aspectus Syderum cœlestesque defluxus atque effectus, uti vult Pererius in Genesin; siquidem illi non fiunt secundum motum cœlorum generalem, qui vocatur raptus, sed secundum motum proprium octavæ sphæræ seu firmamenti, qui tardissimus est, & intra centum annos tantum unum gradum conficit. Ex quo conficitur, longè alios tunc fuisse Syderum aspectus, quàm nunc sint aut futuri sint. Deinde terra ipsa longè melior & feracior fuit, necdum salsedine maris per inundationem diluvii obruta & deterior facta (quod fieri per salem constat) hinc fructus & alimenta longè succulentiora & efficaciora progignebat. Rursum tunc maria nondum navigabantur, nec tot omnis generis pericula imminebant hominibus, quæ nunc passim imminent ab hominibus, bestiis, aëris infectione, &c. quia nimirum nec peccata hominum tot tantaq; fuerunt. Unde olim mors suis tantùm armis pugnabat in homines, nunc autem & alienis.

5. *Ob Dei arcanam voluntatem.*

Quinta Dei voluntas & arcana operatio. Tunc enim necessaria erat longævitas, tum ut humanum genus citiùs propagaretur & cresceret; tum ut homines per longam experientiam scientias & artes omnes perdiscerent (siquidem teste Aristotele *tempus est inventor & promotor artium atque scientiarum*) utique primi homines fidem creationis rerum Deique cognitionem, & cultum posterioris etiam temporibus traderent. Modò autem cum nulla talis necessitas urgeat, meritò desiit longævitas antiqua. Econtrà magna erat necessitas abbreviandi vitam sæculis posterioribus: Tum ne homines nimium multiplicarentur, & idcirco se nimium premerent furtis, latrociniis, fame perirent, &c. Tum ut avaritiæ occurreretur, quæ tanto major foret, quanto longior vita. Tum ut fragilitati humanæ consuleretur, quo nimirum per laborum compendium pervenire ad mercedem vitæ æternæ posset.

Unde abbreviatio vitæ humanæ beneficium potiùs DEI quam pœna est. Quemadmodum enim Dei beneficium fuit, quod Adamum justitia originali spoliatum ejecerit è paradiso, ne videlicet comederet de ligno vitæ, & viveret miser in æternum, id est, diuturno tempore, ut vult Divus Thom. 2.2. quæst.164.a.2. Ita beneficium quoque Dei est, quòd tempus hujus exilii nobis acciderit. Quid enim est vita ista, nisi exilium, cursus in stadio & labor diurnus? Quis autem non pro beneficio habeat, si tempus exilii sibi relaxetur, stadium abbrevietur & operæ diurnæ? Magno absque dubio beneficio affectos esse dicemus operarios illos vineæ Matth.20. qui circa undecimam vocati una tantùm hora in vinea laborarunt, nihilominus tamen æqualem cum cæteris, qui pondus diei & æstûs portaverunt, mercedem acceperunt, & insuper in solutione illis prælati sunt. Hi verò nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt. Breve enim tempus labori, peregrinationi & cursui nostro statutum est, eandem tamen cum veteris testamenti Patribus mercedem promereri possumus, quia nunc copiosior datur gratia, efficaciora & plura habemus Christi & Sanctorum exempla, clariorem Dei & divinorum cognitionem, januam cœli jam apertam, quò fit ut priores etiam ad mercedem simus. Itaque verissimè dixit Seneca lib. de brevitate vitæ cap.2. *Quid de rerũ naturâ querimur? Illa se benignè gessit. Vitâ si scias uti, longa est.* Si enim nobis viveremus & non alienis, sat temporis haberemus, & brevi ætate multa explere tempora possemus. Nunc autem hoc ipsum quod habemus modicum temporis, quasi nobis nimium sit, sæpè sæpius perdimus. Unde idem Seneca c.1. ait: *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem vitam sed fecimus: nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplæ & regiæ opes, ubi ad malum Dominũ pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicæ si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt: ita ætas nostra bene disponenti multum patet.* Exemplo est Cain, qui diu vivens tempus omne perdidit: cùm contra Abel consummatus in brevi expleverit tempora multa. Ita S. Catharina 18. annorum plurimum profecit in sapientiâ, fide & virtutibus, plurimos etiam alios Christo lucrifecit. Ad extremum, si expendamus id, quod S. Bern. in Meditatione c.2. ait. Deo gratias agemus ob vitæ accisionem. *Cur tantoperè*, inquit, *vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tantò plus peccamus? Quanto est vita longior, tantò culpa numerosior.* Sic ille. Deo igitur

gratias,

gratias, qui vitam nobis accidit, & mortem occultavit. Tantùm hoc agamus, hoc omnibus votis semper à Deo precemur, ut breviusculum hoc stadium bene decurramus, & perpetuò vigilemus, ne à morte præveniamur.

CONCIO VIII.

QUOMODO DAMNATIS OMNIS janua spei præclusa sit.

I. Ianua justitiæ.
II. Ianua amicitiæ.
III. Ianua misericordiæ.
IV. Ianua meritorum.
V. Ianua intercessionis.
VI. Ianua gratiæ.

THEMA.

Clausa est janua, Matth. 25.

A. REx Babylonis Balthasar, cùm in convivio sedens vidisset tria quædam verba scribi in pariete quasi à manu hominis, videlicet: *Mane, Thecel, Phares: facie commutatus est & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur*, ut scribit Dan. cap. 5. Ita nimirum mali ominis tria illa verba erant, licet nondum à Rege intellecta. Nam *Mane* significabat: numeravit Deus Regnum tuum & complevit illud. *Thecel:* Appensus es in staterâ & inventus es minùs habens: *Phares:* Divisum est Regnum tuum & datum est Medis & Persis. Eâdem nocte interfectus est Balthasar & Darius Medus successit in Regnum.

Scribit in hodierno Evangelio manus hominis, hoc est, S. Matthæi tria item verba longè pejoris ominis, pronunciata à Christo Domino: quæ si nos vel prima fronte expenderemus, minimè mirum foret, si toti immutaremur, & cogitationibus nostris turbaremur, renes nostri dissolverentur, ac genua nostra colliderentur, nobis denique nihil ampliùs in hoc mundi convivio quantumvis delicioso saperet, videlicet: *Clausa est janua.* Quid enim hæc tria verba aliud significant, quàm postquàm Christus peracto judicio cum Sanctis suis cœlum ingressus est; clausam esse cœli portam, & inde in omnem æternitatem exclusos esse reprobos? Quid aliud significant, quàm damnatos æterno carceri mancipatos esse, cujus portæ clausæ erunt, nec aperiri poterunt, quàm diu Deus erit Deus? Quid aliud significant, quàm reproborum omnium Regnum numeratum & completum esse: ipsos verò in staterâ appensos & inventos esse minùs habentes: ac denique à Regno cœlorum perpetuo exclusos? O tristia vocabula! ô aspera verba! ô venenatas voces! Hæc enim illa sunt, quæ conturbabant Regem illum, qui dicebat: *Turbatus sum, & non sum locutus.* Et cur ita? *Cogitavi dies antiquos, & annos, æternos in mente habui. Nunquid in æternum projiciet Deus &c.* Hoc est quod in officio Defunctorum, in personâ reproborum filiorum suorum lamentatur Ecclesia, cùm ait: *Peccantem me quotidie & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: quia in inferno nulla est redemptio.* Unde S. Gregorius in homil. sup. hoc. Evangelio, ait: *O si sapere in cordis palato possis, quid admirationis habet, cùm dicitur, venit spõsus? quid dulcedinis, intraverunt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis, & clausa est janua?* Cæterùm quia varia sunt media aperiẽdi portas, & proverbio dicimus: Der Dieterich thut alle Schlösser auff: aliæ arietibus quatiuntur; ac denique quia non una videtur esse cœli porta, sed plures: Videndum si quam earum aperire vel effringere aliquando damnati possint.

B. I. *Ianua Iustitiæ.* Multæ & celebres civitates, non unam tantùm, sed plures habent portas: Sic haud dubie Cœlum. Tentemus omnes. Et Primò. Tentemus januam Justitiæ, & pulsemus. Primo Christus per sanguinem suum ex rigore Justitiæ aperuit januam Cœli omnibus hominibus? sanguis enim illius plus meruit, quàm demeruerit peccatum. Unde ad Hebr. 9. dicitur: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventâ.* Sed respondetur? *Nescio vos.* Nam respondet S. Bernardus Sermon. 75. in Cant. *Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ, non est, quod sibi ex eo vendicent Dæmones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socij Dæmoniorum*, hæc ille. Et certè si sanguis Christi recens effusus in monte Calvariæ non descendit ad infernum ut docet S. Tho. 3. p. quæst. 52. a. 6. neque postea descendet: Unde & Matthæi 9. ait Dominus: *Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata.* Clavis est sanguis Christi ad reserandam cœli portam: pretium item æquivalens ad emendum Cœlum, sed non data clavis hæc inferis: & finitæ jam sunt nundinæ. Clausa igitur manet janua.

Pulsemus Secundo. Christus obligatur ad servanda promissa. Promisit autem Joan. 6. *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Et Luc. 11. dixit, si etiã mediâ nocte veniat amicus ad amicum petens ab eo panes, & si ille perseveraverit pulsans, fore ut surgat vel propter improbitatem ejus, & det illi quotquot habet necessarios, additque: *Et ego dico vobis: Pulsate & aperietur vobis.* Sed respondetur: *Nescio vos.* Ad primum Resp. Damnatos non posse amplius invenire Christum, ac proinde nec venire ad illum adeoque nec intromitti posse; quia dicit Oseas c. 5. *Vadent ad quærendum Dominum, & non invenient: ablatus est ab eis.* Ad secundum Respondet S. Augustinus in homil. super hodiernum Evangelium:

Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est: Pulsate & aperietur vobis. Sed quomodo: quando tempus est misericordiæ; non quando tempus est judicij. Non enim possunt confundi ista tempora: cum misericordiam & judicium cantet Domino suo Ecclesia. Tempus est misericordiæ, age pœnitentiam. Tempore judicij illam habes agere? Eris in virginibus illis contra quas clausum est ostium. Hæc ille.

C. II. *Cur peccatum pœnâ plectatur æternâ.*

Sed Pulsemus Tertiò. Justumné est ut pro temporali & momentanea sæpe delectatione peccati æternæ infligantur pœnæ? Nonne scriptum est: *pro mensurâ peccati erit & plagarum modus?* Deuter. 25. Et: *quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum?* Apoc. 18. *O juste judex*, inquit S. Augustinus serm. 227. de tempore, in personâ Epulonis; *vel secundum peccata mea compensentur supplicia ista, vel contra spatia annorum meorum, quibus habui bona, mala recipiam, aut certè in duplum vel quadruplum. Cur per tot millia annorum me teneri jubes in flammâ, &c.*

Sed respondet Primo S. Thomas Aquinas 1. 2. quæst. 87. a. 5. Culpam in quovis peccato mortali ex naturâ sua esse infinitam, quia peccati gravitas augetur ex dignitate personæ offensæ. Siquidem nemo nescit Regem offendere longe gravius esse quàm Baronem, & Baronem quàm plebejum. Est autem peccatum mortale injuria in infinitam DEI Majestatem: proinde infinitum meretur supplicium, quia scilicet ex se tantam malitiam continet, ut secundum legem justitiæ æterna castigatio ei debeatur. Confirmatur, quia tanta est peccati lethalis malignitas, ut nullis bonis operibus puræ creaturæ possit ex æquo compensari (propterea enim necessarium fuit DEUM incarnari, ut condigna satisfactio DEO pro peccato exhiberetur) meretur ergò pœnam quovis tempore longiorem.

Secundò. Quia, qui moritur peccati lethalis conscius, nec dolet de admisso, tantundem facit ac si æternùm peccasset, siquidem æternùm peccaturus esset, si æternùm victurus: proindeque voluntatem peccandi non amisit iste, sed potestatem. Sic fures etiam coram patibulo furantur, dum aliis gula frangitur, frustra jacitur rete ante eorum oculos. Certè inventi sunt fures Pragæ sub ipso patibulo pergræcari. Hinc ergò S. Bernardus epist. 262. ad Abbatem Garinum ait: *Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetretur, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset.* Audi S. Gregorium lib. 4. Dial. cap. 44. *Scire velim quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Hoc rectè diceretur, si districtus Judex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergò justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Hæc Greg. Quam rationem S. Thom. l. 3. contra gen. cap. 144. explicans, dicit, ideò peccatum mereri æternum supplicium, quia si temporalem delectationem in peccato & temporale bonum æterno bono præponere non dubitavit, multò magis id fecisset, si delectatio peccati & bonum creatum æternum fuisset. Audi S. Augustinum, qui in libro de pœnitentiâ, ut refertur de pœnitent. distinct. 6. cap. *Nullus*, ait: *Qui impœnitens moritur, omninò moritur, & æternaliter moritur. Qui enim impœnitens finitur, si semper viveret, semper peccaret.* Nimirum sicut ludo dediti & obstinatè pergentes licet sæpe moniti, ut desisterent, totâ nocte luderent, nisi lumen eis extingueretur: sic & peccatores.

Cujus argumentum est, quia mala damnatorum voluntas etiam in inferno durat, teste D. Bernardo de gratia & libero arbitrio. *Nam damnatus nollet omninò puniri*, inquit; *Justum est autem puniri, qui punienda gesserunt. Noluit igitur quod justum est, &c.* Sanè epulo ille Luc. 16. non doluit de peccato suo, sed tantùm de supplicio, cùm clamavit: *Crucior in hac flammâ.* Nec postulabat condonari sibi culpam, sed pœnam tantùm. Hinc etiam Diabolus respuit pœnitentiam.

Tertiò. Quia cùm damnati, perpetui Dei inimici sint, nunquam possunt satisfacere; quantumcunque enim patiantur, nunquam erit accepta Deo illorum passio. Sicut qui censu perpetuo subjecit domum suâ pro mutuo accepto, v. g. mille florenorum; is licet intra viginti annos persolvat totidem florenos, quos accepit mutuos, non tamen idcirco liberabitur à censu, sed nihilominus in perpetuum semper debebit mille florenos, videlicet capitalem summam. Tiberium Cæsarem, narrat Suetonius lib. 3. cap. 6. cuidam pœnæ maturitatem precanti respondisse: *Nondum tecum in gratiam redii.* Quare etsi damnatus quispiam post mille annos in pœnâ exactos, mortis maturitatem rogaret: quid aliud responderet Deus, quam id: *Nondum tecum in gratiam redij.* Et si idem post centum millia & rursum post millionem annorum rogaret: an non semper audiret: *nondum tecum in gratiam redij:* nec redibit in æternum, quia cùm redire voluit, ab eo auditus non est. O tremendum verbum!

D. III. *Ianua amicitiæ.*

Secundò. Pulsemus januam amicitiæ, & dicamus cum hodiernis virginibus: *Domine, Domine, aperi nobis*, q. d. Amici, amici sumus (quomodo respondent, qui noctu veniunt ad excubias) tu Dominus noster, & nos servi & ancillæ tuæ sumus. Dicere aliqui potuerunt: Domine Virgines sumus in fide, quia nunquam à fide tuâ defecimus; aut cum ullâ hæresi scortati sumus.

Alii:

E. IV. *Ianua misericordiæ.*

Alii: Domine servi tui primarii sumus, Sacerdotes, Religiosi, Episcopi, &c. qui tibi in servitio proximè adstitimus, & quasi à secretis & cubiculis fuim⁹. Alii: Domine, nos illi sumus, quos tu in vita maximè dilexisti & honorasti, ac præ cæteris cũulasti dignitatibus, honoribus, divitiis, scientiis, formę venustate, nobilitate &c. Alii dicent: Nos sumus tui secretissimi consiliarii, quibus omnia nota fecisti, & fideliter concredidisti: *Domine, Domine none in nominne tuo prophetavimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Alii denique: Domine nunquid non tu Pater noster es, Creator & Redemptor? nonnę blandiebaris nobis olim? noñe portabas nos in brachiis tuis? nonne edebamus super mensam tuam? nonne pascebas nos lacte Sacramentorum tuorum? Sed clausa est janua. *Amen dico vobis nescio vos.*

Ratio est, quia tunc Christus à Patre suo constituetur mundi Judex, qui nunc est ejus Pater. Quod si is, quem in certa causa tua Advocatum tibi delegisti; insperatò fiat Judex; tunc necessariò respondebit; Charissime, deinceps tibi assistere nequeo, neq; me advocatum tuum exspectes sed Judicem: nec possum priores respectus attendere, atque ita non novi te amplius. Prô quam blandus & suavis fuit primus Christi adventus? *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam,* Matth. 21.

Sed qualis adventus ejus secundus? *Dominus in igne veniet & turbo quadrigæ ejus,* inquit Isaias cap. 66. Et Osee. 13. cap. *Occuram eis, quasi ursa raptis catulis:* ait ipsemet Dominus. Bono adhuc tempore dicebat prodigus ille, Luc. 15. *Vadam ad patrem meum & dicam: Pater peccavi in cœlum & coram te,* ideoque invenit Patrem. Nimirum etsi discesserat in longinquam terram, non tamen extra terram. Atqui ad infernum usque abierunt, non jam patrem inventuri sunt, sed Judicem. Sic Epulo ille Luc. 16. licet de semine Abrahæ esset, (*Pater Abraham dicebat, miserere mei:*) Judicem tamen & ursam invenit, non patrem *Recordare*, inquit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua, &c.* Ecce Judicem.

E. IV. *Ianua misericordiæ.*

Tertiò. Pulsemus, januam Misericordiæ &, dicamus: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicat nunc Israel dicat nunc Aaron, dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in æternam misericordia ejus.* Ergo *Domine, Domine, aperi nobis non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam tuam salvos nos fac.* Sed clausa adhuc est janua. Nemo est, qui audiat pulsum; qui audiat preces; quia ait Jeremias Thren. 3. *Inexorabilis es: opposuisti nubem ne transeat Oratio.* Clausum est cœlum, clausus est infernus. *Si locutus fuisses manè,* ait Joab ad Abner 2. Reg. 2. *recessisset populus persequens.* At verò *post Iudicium non patet precum locus*, ait S. Augustin. serm. 23. de verbis Domini. Sed ubi illa tua æterna misericordia? nonne Domine difficiliùs contines misericordiam, quam justitiam? *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut abscindet misericordiam suam a generatione in generationem? Aut obliviscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas?* Respond. misericordiam impertitam esse Electis. Sed num unam tantùm benedictionem habes? nobis quoque obsecramus ut benedicas. Frustra: *Vivetis in gladio & fratribus vestris servietis*, Gen. 27. Et hoc in scopulo impegit Origenes: quem tamen refellit S. Augustin. & scriptura ipsa clarè ac sine appendice loquens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et, *Ibunt hi in supplicium æternum*, Matth. 25.

F. V. *Ianua meritorũ.*

Quarto. Transeamus ad januam meriti & promittamus quamcuque satisfactionem, & seriam vitæ emendationem, dicamusque Domine, quid faciendo vitam æternam possidebimus? nisi non sufficit servare præcepta decem, servabimus mille. Sed auditur. *Nescio vos.* Imò Domine ibimus comparatum oleum, licet in ardentibus prunis usque ad mõtem Sinai sit eundum, & afferendum oleum S. Catharinæ. Sed adhuc auditur: *Nescio vos.* Si nec istud satis est, jurabimus etiam in Consilia tua & rigidissimam omnium intrabimus Religionem, licet usque ad millenos annos in ea nobis permanendum sit. Adhuc audimus: *Nescio vos.* Addemus ergò inauditam contritionem super delicta nostra, & Oceanum implebimus lachrymis nostris, adeoq; Infernum ipsum, modò concedas ut hunc ignem tandem iis extinguere possimus. Sed respondetur: *Nescio vos.* Quid si faceremus, quod Lucifer aliquando facere paratus erat, ut per columnam ferream acutissimis cultris instructam & hinc ad cœlum usque pertingentem, reperemus usque ad cœlum & inde rursum ad infernum, idque per millies millenos continuaremus annos? An non postea saltem carcerem hunc aperires Domine? Sed nulla Responsio: *clausa est janua.* Siquidem & fatuæ Virgines ibant comparatum oleum, hoc est, desiderabant bene operari, & paratæ erant ad operandum, sed nihil illis profuit, & januam clausam invenerũt. O maledicta janua, quis adeò te occlusit? Cur saltem non moveris ad tantas promissiones, sed respondet Sanctus Ioannes Apoc. 10. *Quia Angelus Domini in judicio juravit per viventem in sæcula sæculorum: quia tempus non erit amplius.* Unde sanctus Damascenus, ait, homini peccatori idem esse mortem, quod casum Lucifero, quia ut is post casum resurgere nequit, sic peccator post mortẽ. Cum Lamachus Centurio militem increparet, illeque diceret se deinceps nihil tale admissurum, respondit Lamachus: *In bello non licet bis peccare.* Ut refert Plutarchus in Lacon: Ad eundem modum peccatori non licet bis mori: semel malè mortuus, semper erit mortuus: semel damnatus semper & in omnem æternitatem damnatus; quia præsens vita

unica est via hominibus, sicut Lucifero primum instans, à Deo ad merendum data; sicut cursoribus designatur meta, quæ sit terminus cursus: ac licet illi, qui priùs pigritantes nihil lucrati sunt, vellent ulterius currere & majores adhibere conatus, non audirentur ampliùs, quia antequam ad metam pervenirent, extendere se ad cursum & viribus ut debebant. Unde August. ait hom. 22. in lib. 80. hom. *Finisti vitam, finisti viam.* Dum in vita ergo sumus, currere debemus quantum possumus.

Unde Apostolus. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et Eccles. c. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Sex diebus & non ampliùs colligebant Israelitæ māna, in septimo, id est, Sabbato non reperiebatur amplius. Propterea debuit hoc die jejunare is, qui priùs nihil collegit: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergò in æstate & non dabitur illi: Ad hæc Dominus interdiu operandum, Joan. 9. expressè monuit. *Venit nox,* inquit, *quando nemo poterit operari.* Proverbio dicitur: *Lunæ radiis non maturescit botrus.* Perpetua in inferno nox est; nunquam ergò maturescent vota infernorum.

G. V. *Ianua intercessionis.*

Quinto. Sed forte janua intercessionis nobis aperietur: O amici Dei, & tu claviger Cœli Petre & tu Regina cœli Maria, vos reliqui Cœlites, qui nihil non potestis impetrare apud Deum, aperite, aperite. Unite vos omnes, juvate parentes vestros, sorores vestras, fratres nostros. Vos omnes Virgines sapientes, date nobis de oleo vestro, fructum meritorum vestrorum nobis participate.

Sed quid respondent? *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes &c.* Et quid respondit Abraham Epuloni petenti ab eo auxilium? *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare,* Luc. 16.

O Chaos metuendum! O rigidissimum interstum, quod adeò etiam Cœlitibus prohibet, ne cum inferis quidquam negotii habeant, aut ad illos abeant. Hæc est illa sartago ferrea super murum ferreum, quàm Dominus jussit Ezechielem ponere inter se & inter Ierusalem & obfirmare faciem suam ad eam, Ezech. 4. Grandis videlicet, & inflexibilis ira Dei, ut exponit S. Hieronymus, quæ non patietur damnatos recurrere ad intercessionem Sanctorum: ita, ut si hoc attentarent, inciderent in sartaginem. Unde Psalm. 31. dicitur: *Pro hac* (Impietate scil. cet peccatoris) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno: Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*

H. VI. *Ianua Gratiæ.*

Sextò. Quòd igitur nulla spes superest portæ aperiendæ & liberationis nostræ: Pulsemus saltem ô socii ad ostiolum gratiæ, ut siquidem hic per omnem æternitatem manendum, saltem obtinere possimus pœnarum qualem qualem sublevationē. Quare ô cœli terræque Domitor, quando patrem te habere non possumus, sed Judicem sustinemus: aperi nobis saltem rimam aliquam consolationis alicujus, ut per illam intueri vel radium lucis alicujus possimus: mitiga saltem pœnas: aufer saltem hoc catenarum intolerabile pondus: mitte aliquem, qui vel extremum digiti intingat in aquam & refrigeret linguas nostras: Verte saltem nos durissimo in hoc lecto, ad latus aliud, ut paulò mollius cubemus. Sed actum est, frustrà est. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit;* ait Ecclesiast. cap. 11. O grave pondus peccati, ô talentum plumbi, quod adeò prosternis hominem & opprimis in inferno (Zachar. 5.) ut moveri loco nequeat in omnem æternitatem! Et qui tandem fit, ut tantum onus peccati in hac vita non sentiamus, imò multorum onera peccatorum tam leviter portemus, quasi plumæ forent? Nunc, nunc opinor apertos nobis esse oculos, & constare, quid sint tria illa Verba, siquidem ex his omnibus patet omnem omninò januam cujuscunque tandem spei præclusam esse inferis.

Sicut enim, qui in flumen lapsus est nave discedente, quocunque extendat manus, non invenit nisi liquidam, & fugitivam aquam, quæ non sublevat mergendum, sed potiùs suffocat: sic evenit damnatis: ita ut omnes creaturæ contra illos conjurasse videantur. In omnibus mundi calamitatibus & miseriis reperire est aliquod refugium, ex quo afflicti interdum respirent, nunc lectio, nunc colloquium, nunc amicorum aspectus & præsentia fallit tempus, quemadmodum & in mundo nulla tam obserata est janua, quæ modo aliquo non aperiri possit: sola illa janua nullis aperitur machinis. O janua crudelis, ô dira obseratio! ô claustrum maledictum! Quis tandem fabricavit maledictas istas seras? O Janua! O Janua! oculi omnium nostrum tot millies millenorum, in te stanti intenti. Et quando tandem te movebis? Hæ & similia in omnem æternitatem volvent animo & revolvent damnati: Et quid putatis cogitaturos cùm claustrum illud primò ingredientur; Itane verò in hoc loco, dicent, tam miserabili æternùm nobis manendum est? Itanè nunquam hinc pedem efferemus? nunquamnè ampliùs videbimus hanc januam aperiri, quamdiu Deus vivit? O quam fideliter id nobis prædictum est? nunc experimus. Quid agimus ergò Christiani quòd ad illam Ianuam, nunquam hic oculos conjicimus? Omne nostrum studium respicit fluxa & caduca bona: omne nostrum tempus impendimus huic mundo: Carcerem verò illum perpetuum tam parum curamus, ac si unius diei vel septimanæ captivitas esset. Quid si nos ex illis futuri essemus, quibus clausa erit janua? Quare qui sibi vult patere ostium cœli, hic apertum quærat: *Hic ostium pœnitentiæ apertum est,* ait S. Ephrem. Serm. 1. de pœnitentia:

nitentia : *festina peccator priusquam occludatur: Ignoras qua hora cœlestis medicus ostium Medicinæ suæ claudi jussurus sit.* Qui timet ne ingruente nocte excludatur ex civitate, currit, clamat, orat ne excludatur. Et quid est excludi per noctē è civitate? quid cubare sub dio una nocte? Eccur igitur non potiùs operam damus, ut ne æterna nobis porta præcludatur.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. *Quæ 10. illæ virgines?*
II. *Quid oleum, lampas, ignis?*
III. *Quid obviam sponso? quid mora sponsi.*
IV. *Quid somnus & dormitatio virginum?*
V. *Quid clamor media nocte? quid ornatus lampadum?*
VI. *Quid postulatio fatuarum?*
VII. *Quid reditus, pulsatio, rejectio insipientum?*

THEMA.

Prudentes vero acceperunt oleum in Vasis suis cùm lampadibus, Matth. 25.

A.

Videntur mihi, Auditores, prudentes imitari Virgines, quicunque verbum Dei sedulò audiunt & retinent in corde suo. Quid enim Verbum Dei præsertim in concione expositum, ni si oleum illuminans seu lucerna ardens? Sic enim David, Psal. 11. ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et iterum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.* Hoc ergò Dei Verbum in vasis & lampadibus suis accipiunt, qui in aure & corde suscipiunt ad dirigendos gressus suos; & hinc sapientes sunt; fatui econtra, qui Verbum Dei spernunt. Cæterum quia in hodierna parabola multa sunt obscura & abdita, lucerna accendenda est, ut ea investigemus.

B. I. *Quæ 10. illæ Virgines?*

Quæstio prima. Quæ sunt illæ decem Virgines: Respondetur esse fideles; quia sicut Virginitas servat corpus incorruptum: ita fides mentem servat inviolatam à perfidia & hæresi. Virgines igitur esse debent, id est, fide integri & incorrupti, nullis prorsus erroribus fidei implicati, qui Christo jungi volunt; imò etiam qui ante tribunal Christi sisti, ut referant mercedem debitam; Reliqui enim judicio non egent, quia *qui non credit, jam judicatus est*, Ioan. 3.

Discitè hinc Primo amorem Christi erga nos talem esse, qualem sponsus ad Virginem sponsam habet. Discite & amare ac desiderare Christum; hoc enim facit sponsa sponso, ad quem se quotidie dictitat venturam.

Discite secundo servare fidem sponso, usque ad diem connubii, & nuptiarum, quæ in cœlo erunt. Hoc enim requirebat Apostolus Corinthiorum paranymphus in Corinthiis, cùm dicebat: *Æmulor vos Dei æmulatione; despondi enim Vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. Atqui *Virginitas mentis eSt integra fides. solida spes, sincera Charitas*, inquit S. Augustinus tract. in Ioan. tom. 9. Adulteratur ergò & meretricatur anima, cùm infidelitati, peccatis & suggestionibus Diaboli consentit.

C. II. *Quid oleũ, lampas, ignis?*

Quæstio secunda. Quid oleum, lampas, ignis? Respond. Lampas animam fidelem significat, fide exornatam. Lampas inferne angusta & clausa, supernè verò ampla & patula est, & talis esse fidelis debet: terrena scilicet modicè, cœlestia toto pectore amare & desiderare; illis cor occludere, istis reserare.

Oleum bona opera denotat, præsertim misericordiæ; quia hæc ignem Charitatis in anima conservant & fovent; Deinde oleum liquoribus aliis supernatat: & bona opera non terrenam sed supernam quærunt mercedem. Denique ut oleum cibos condit & impinguat: ita bona opera animam. Sapientes de hoc oleo copiosè sibi providerunt: fatuæ verò modicè & insufficienter.

1. Ignis Charitatem seu gratiam in anima divinitùs accensam exprimit. Primo, quia ut lucerna sine igne mortua est & inutilis: ita fidelis sine Charitate seu gratia. Hinc in veteri lege præceptum erat Levit. 6. *Ignis in altari semper ardebit.* Ad indicandum, quod nos ignem gratiæ semper in pectore gestare deberemus omniq; cura fovere, ne aliquando extinguatur.

2. Secundo quia ut ignis lucernam & vicina omnia reddit lucida & quodammodo aurea: Sic gratia opera nostra omnia facit quasi cœlestia, quia meritoria vitæ æternæ.

Quòd verò fatuæ post mortem dicunt: Lampades nostræ extinguuntur; vel non explicandum; vel significat extinctæ sunt.

D. III. *Quid obviam sponso? quid mora sponsi.*

Quæstio tertio. Quid obviam ire sponso? quid mora sponsi? Respondetur. Obviam imus sponso, dum quotidie imò omni momento magis & magis accedimus ad mortem, in qua occurret nobis sponsus. Unde Veteres vitæ suæ cursum vocarunt peregrinationem.

Mora sponsi tempus pœnitentiæ & vitæ nobis concessum indicat. Vel, si ad omnes referatur, significat tempus intermedium ab ascensione Christi usque ad ejus adventum in judicio. Cæterum tempus illud nobis concessum videtur nobis esse mora seu tardatio, cùm advertimus peccata nostra aliquamdiu manere impunita; quemadmodum videbatur illi, qui dicebat: *Moram facit Dominus meus*

meus venire; ideoque cœpit percutere conservos suos, manducare & bibere cum ebriosis; reverà tamen mora non est, sed cursus Dei ad Vindictam. Unde Abacuc 2. dicitur: *Veniens veniet & non tardabit.* Quod explicans de Secundo Christi adventu Apostolus ad Hebræos 10. ait: *Adhuc modicum aliquantulum qui venturus est veniet & non tardabit.*

Nobis videtur stare sol, celerrimè interim currit, percurrens singulis horis 1140000. millaria: sic exigua Christi mora, videtur nobis longa, Christo verò est modica; quia *mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna.*

E. IV. *Quid somnius & Dormitatio Virginum.*

Quarta. Quid somnus & dormitatio Virginum? Respondetur. Ad literam significat mortem, quia omnes veluti à somno, ita à morte in Iudicio excitabuntur. Vel dormitatio significat infirmitates, mortem præcedentes; somnus ipsam mortem. Vel dormitatio significat mortem sapientum & justorum, eò quòd mortem ad tempus tantùm sustineant cum spe certa resurrectionis; somnus verò mortem insipientum & malorum, qui nullam spem ad resurrectionem vitæ habent.

Moraliter *sunt quidam* (inquit S. Augustinus in illud Psalm. 131. *Si dedero somnum oculis meis*) *qui non dormiunt sed dormitant: aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, & rursus revolvũtur in eum & quasi dormitantes caput crebrò inclinant. Evigila, excute somnum, dormitando casurus es, &c.* Sic ille: Proinde dormiunt, quia amori temporalium rerum totos sese dedunt. Bonus & prudens Christi servus curat non modò in peccatis non obdormiat, sed etiam ne dormitet. Talis erat David, qui dicebat: *si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem!* q. d. absit ut hoc faciam.

F. V. *Quid clamor media nocte? quid ornatus lampadum.*

Quæstio quinta. Quid clamor media in nocte? quid ornatus lampadum? Respond. Clamor in media nocte significat novissimam tubam, qua tempore omnibus ignoto, vel omnium perditissimo, vel cùm omnia in terra silebunt, utpote extincta & sepulta, convocabimur ad judicium. Clamor autem vocatur tuba illa, quia fortiter personabit in toto orbe; & quia clamores excitabit in hominibus: in Electis quidem clamorem jubilantium, in reprobis verò clamorem ejulantium: Vel clamor etiam erit perturbatio elementorum judicium præcessura, qua totus mundus clamabit contra reprobos.

Ornatus lampadum indicat solicitudinem judicandorum, qui toto mox conatu convertent oculos mentis ad suas conscientias, ut utrum sint paratæ: numerabunt peccata sua, nec non & bona, quæ fecerunt opera bona, eaque discutient.

Vel ornabunt lampades suas, dum animæ resument corpora sua: justæ quidem splendida & rutilantia; reprobæ verò obscura & tenebrosa.

G. VI. *Quid postulatio fatuarum*

Quæstio sexta. Quid postulatio fatuarum: *Date nobis de oleo vestro*? Et quid responsio prudentum: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad Vendentes!* Respond. Postulatio fatuarum significat inania & frustranea impiorum Vota, quibus optabunt sibi multa bona opera, amicos factos de mammona iniquitatis, sanctos conciliatos, &c. ut ita moneamur nos, tempestivè nobis hæc prospicere; siquidem ibi prospiciendi & mendicandi tempus non erit.

Proinde responsio sapientum, irrisio est fatuarum, quæ sibi in tempore non prospexerunt. Ajunt ergò in judicio locum non esse parandi opera, nec alteri sua communicandi, quando suis quisque indiget, & ut 1. Petr. 4. dicitur, *justus vix salvabitur*; quia etiam justus indiget misericordia Dei, qua præcisa in operibus suis nequit gloriari; quid enim habet, quod non acceperit? Unde sanctus Augustinus orans pro anima matris suæ, licet sanctissimæ, ait: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Quod autem ad vendentes mittuntur fatuæ pro coemendo oleo; nobis dicitur, qui dum adhuc possumus, emere jubemur gratiam & opera bona. Vendentes sunt pauperes, qui pro eleemosyna; sunt Saeerdotes, qui pro pœnitentia, sunt sancti, qui pro sui invocatione; Sanctorum vitæ & libri pii, qui pro labore lectionis & meditationis vendunt nobis gratiam. Sanctus Augustinus sermon. 23. de Verbis Domini, & S. Gregorius homil. 12. in Evangelia, putant per vendentes intelligi adulatores. Existimant enim prudentes Virgines designare eos, qui propter Deum operantur? fatuas verò eos, qui propter vanam gloriam. Istis ergò cùm se deceptos viderint, rectè dicitur: *Ite ad Vendentes*, id est, ad eos, qui vobis laudes vendere solebant, adulatores. Quid enim oleum leniens & unguens, nisi verba adulatoria? Hinc psalmista Psalm. 140. dicebat: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

H. VII. *Quid reditus, pulsatio, rejectio insipientum*

Quæstio septima. Quid sibi vult reditus, pulsatio & rejectio fatuarum? Respond. nihil aliud velle quam seram & inanem reproborum pœnitentiam, de qua Sap. 5, legitur: *Videntes turbabuntur timore horribili &c. pœnitentiam agentes & præ angustia Spiritus gementes.* Reditus ergò & instantia illa (*Domine Domine aperi nobis*) fatuarum significat ardentem & naturalem appetitionem beatitudinis remanentem etiam in damnatis, quamvis sine ordine justitiæ. Et licet sciant hoc desiderium impleri non posse, nihilominus tamen in pœnam & tormentum retinebunt in æternum istud desiderium & ardentem beatitudinis sitim, nunquam extinguendam.

Et forsitan hæc fuit, Luc. 16. sitis Epulonis, cùm refrigerari petiit linguam suam vel uno intincto digito. Hoc etiam apud Poetas designavit sitis Tantali mediis in aquis siti æstuantis.

Rejectio

Rejectio fatuarum indicat reprobos à Deo alienos & alieno charactere insignitos esse ideoque à pastore Christo pro ovibus non agnosci. Quàm deforme monstrum, putatis, est peccator, qui à Deo, cujus oculis omnia patent, non agnoscitur? *Vigilate utique*, ait Dominus, *quia nescitis diem neque horam.* Vigilat qui in excubiis est, ne eum mors imparatum inveniat. Et quemadmodum navis onerata accinctaque ad iter, nec aliud quàm secundũ ventum expectans, ut è portu solvat, admonet viatorem, qui in ea navigaturus est, ut vigilans sit & solicitus, nec occasionem navigandi negligat: ita nos, cùm in singulos dies & horas nobis ex hac vita solvendum fit, decet, ut per omnia semper accincti & parati simus.

Nemo dicat hanc parabolam ad se non pertinere, sed ad eos tantùm, qui extremo proximi sunt judicio; quod enim ibi fiet, etiam accidere solet in cujusvis morte. Nam & ibi lampades Impiorum, quæ nunc splendere videntur in oculis hominum, ante judicis oculos obscurabuntur & extinguentur. Ibi quoque erit recursus ad sanctos & alios pios, ut pro morituris deprecentur venientem sponsum. Erit & festinatio ad vendentes, id est, ad Sacerdotes pro remediis animæ. Propterea Dominus Marci 13. ait: *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilitate.*

Iphicrates Atheniensis belli Dux, etiam tempore induciarum excubias agebat, propugnacula extruebat omniaque soliciti Ducis munia obibat; & ob id rogatus, hoc se facere dicebat, ne aliquando ex improviso invaderetur & tunc ad vulgarem illam ignavorum hominum excusationem: *Non putabam*, confugere deberet, Plut. de dictis Reg. Quantò nobis Christianis solertiùs vigilandum & bonis operibus insistendum est, ne aliquando repentina morte præventi, dicamus: *Non putabam.*

IN FESTO
DEDICATIONIS TEMPLI.

Evangelium, Luc. 19.

IN illo tempore ingressus JESUS perambulat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus: Et hic Princeps erat Publicanorum, & ipse dives, & quærebat videre JESUM quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens JESUS vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cùm viderent, omnes murmurabant, dicentes: quòd ad hominem peccatorum divertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait JESUS ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

CONCIONES.

XIV. *Gloria Ecclesiæ Catholicæ.*
XV. *Mysteria.*

CONCIO I.

LAUS ZACHÆI.

I. Desiderium videndi Christum.
II. Obedientia.
III. Simplicitas.
IV. Magnanimitas.
V. Humlitas.
VI. Liberalitas.
VII. Justitia & restitutio.

THEMA.

***Hodie salus domui huic facta est*, Luc. 19.**

A. QUando aliquis Dominus pransus est apud amicum, antequam discedat, relinquit honorarium culinæ seu domesticis. Pransus est in hodierno Evangelio apud Zachæum Dominus; & quia optimè habitus & laude est exceptus, relinquit ejus domui honorarium perquam honorificum, salutem videlicet, cùm ait: *Hodie salus domui huic facta est.* Sed forsitan scire cupit aliquis, quodnam conviviũ illud, quæ epulæ tam magnificam remunerationem promeruerint? Audiamus.

Neminem latet, duo requiri ut cibi fiant boni & sapidi; primùm ut res ipsa, quæ coquitur, in se fit præstans: alterum, cibi confectio sedula & industria. Idem in actibus virtutum requiritur: opera ex se bona esse, & bene fieri debent; alioquin laudem non merentur quemadmodum nec præstantissima altilia sapiunt, si bene non sint cocta. Zachæus noster attulit Christo opera non tantùm in se bona, sed bene etiam facta. Desideravit enim videre Christum, sed ardenter, quia *præcurrens*, ascendit in arborem, ut videret eum. Descendit idem ex arbore ad præceptum CHRISTI, sed promptè: quia *festinans.* Suscepit illum in domum suam, sed amanter: quia *gaudens.* Restitit obtrectantibus sibi Pharisæis, sed fortiter; quia *stans.* Detexit suam culpam, sed ingenuè; quia *defraudavi*, inquit. Tribuit sua pauperibus, sed liberaliter & citò; quia *dimidium bonorum do*, inquit. Restituit aliena, sed statim & cum fœnore; quia, *reddo quadruplum*, ait Hæc sunt condimenta, hic sal, qui tam suavia & opipara præparavit Christo fercula. Videamus singula.

C. I. *Desideriũ videndi Christum* Primum ferculum seu antecœna erant mora, id est, desiderium ardens & efficax videndi Christum; ascendit enim in sycomorum, ut videret eum. Sanè etiam veteribus ut plurimum ex consilio Galeni antecœna erant mora, ut scribit Auctor antiq. Rom. lib. 5, c. 29. quia à jejuno stomacho bene digeruntur, post prandium in corruptionem vertuntur, Bart. Angl. l. 17. c. 100. Verum mora Zachæi sylvestria & de sycomoro erant, quia desiderabat Christum videre tantùm, nondum audire, nondum sequi. Desiderabat ergo Christum videre & quidem ardenter & efficaciter, quia medium excogitavit idoneum ad videndum Christum: præcurrit instar pueri & irrepsit in arborem, nihil curans hominum sannas & irrisiones; metuens tantum ne ab aliis præveniretur & aspectu Christi privaretur. Multi quærunt videre JEsum sedentem præsertim in gloria sua: volunt evadere gehennam: vitare scelera, &c. Sed non efficaciter, quia non adhibent media ad finem consequendum. Tales vidētur fuisse Ægyptii, qui ob tenebras eis immissas non movebantur loco tribus diebus (ut habetur Exod. 10.) nec excusserunt ignem de chalybe aut silice, ut accenso saltem lumine videre possent. Hoc idem faciunt plurimi, qui sedentes in hæresum & peccatorum tenebris, nulla adhibent media, quibus emergant, non legunt libros Catholicos, non conferunt cum Doctis, non consulunt Confessarios, non curant pœnitentiam & bona opera. Non frustra in ostio veteris oraculi, quod *Sanctum Sanctorum* dicebatur, & typus erat cœlestis patriæ, juxta expositionem S. Pauli ad Hebr. 9 tria hæc visenda erant: Olivæ lignum, ex quo confectum erat; Cherubin & palmæ in eodem exsculptæ. Indicabant enim qua ratione & quibus clavibus aperiendum & ingrediendum esset oraculum, scilicet per misericordiam, quam oliva: per innocentiam, quam Cherubim: per victoriam tentationum, quam palma designabat, Qui pisces seriò appetit, retia quærit; qui leporem, canes: ita qui regnum cœlorum quærit, quærat & justitiam ejus, uti dixit Dominus.

D. II. *Obedientia.* Secundum erant avicula. Notum est aviculas ad vocem aucupis descēdere ex arbore in aream, moxque reti contecti capi. Ita prorsus Zachæus ad vocem Christi dicentis: *Zachæe festinans descende*, &c. illico descendit ex arbore & se capiendum præbuit; nec solum Christo domum suam in hospitium, sed & cor in obsequium tradidit. Si dixisset Dominus: Veni & hodie cœna mecum; minus mirum foret, si Zachæus subito paruisset. At vice versa Dominus cum ipso cœnare voluit; & mox humanissime acceptus est. Multi citò & expeditè ascendunt in arborem vanitatis & vitiorum, sed difficulter descendunt. Vocat eos Dominus gratia excitante, quasi sono fistulæ; sed respōdent aliqui, *vellemus*: uti adolescens ille, qui à Christo vocante tristis abiit, Matth. 19. Alii: *nolumus modo*; ut ille, qui dicebat: *Permitte me primum ire & sepelire patrem meum*, Matth. 8. Alii: *Modo, modo* volumus, sed istud *modo* non habet modum, & hoc modicum sæpè it in longum, & dum istæ aviculæ modò volunt, modo nolunt avolare, sæpe intercipiuntur ab aucupe vel acci-

accipitre. Alii dicunt: *Nolumus*; uti invitati illi Matth. 22. Primis dicendum: quia oportet: Mediis: quia hodie oportet.

Postremis verò illud: *Dico vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Aliqui non difficulter descendunt de hæresi ad fidem Catholicam, cum ad Christi mensam invitantur, id est, cum alliciuntur pingui hæreditate, conjugio, munere, dignitate, &c. Sed non item, cùm ad ipsorum mensam Christus se invitat, id est, cum veræ religionis sectandæ gratia jubentur relinquere hæreditatem, domum, dignitatem, patriam, &c.

E. III. *Simplicitas.*

Tertium erat caro cervina. Dicuntur enim cervi fistula pastorali ita permulceri, ut sui quasi obliti pastorem ad se accedentem non fugiant sicque interdum capiantur, Pier. lib. 7. Hierogl. Simillimus cervo Zachæus, qui suavissimo illius fistulæ sonitu: *Zachee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*: Illectus & extra se quodammodo raptus, venientem ad se pastorem Christum gaudens excepit in domum suam, adeoque se & suos omnia ei tradidit. Fecit hac in re, quod olim Ezechias rex Legatis Babyloniæ 4. Reg. 20. in quibus in domum receptis ostendit thesaurum & omnia sua. Sic non solùm domum, sed & cor suum aperuit Zachæus Domino, ostendens ei vulnera animæ & pericula salutis suæ, opes magnas easque ex parte iniquas; ut posset dicere cum Ezechia: *Omnia, quæ sunt in domo mea, vidit, nihil est, quod non monstraverim ei.* Cum Zachæo & Ezechia sapiunt, qui suis Confessariis quasi Christi Legatis conscientiam suam ita aperiunt, ut nihil omnino abscondant; non malè partas opes: non pellicem domi latentem, non libros hæreticos, non odia, nulla denique peccata mortifera. Quis non libenter admitteret me in domum suam, si ei ostenderem foramen in domo, per quod fures ingrediuntur & noctu eam despoliant? vel ignem occultum paulatim serpentem ad incendium? Et tamen quàm multi ita desipiunt, ut hæc sibi ostendi & prodere ipsi nolint?

Quod enim Rex Edom Moysi dixit Num. 20. *Non transibis per me.* Hoc ipsi dicunt Deo ejusque legatis. Verum advertant isti quid Dominus dicat. *Oportet me manere in domo tua.* Oportet, oportet cor reserare Deo, si volumus eum nobis reserare cœlum. Confessarii sunt exploratores illi, Jos. c. 2. quia debent diligenter peccatorum conscientias explorare, & sic ingrediuntur domum mulieris meretricis, id est, conscientiam personæ peccatricis, quam salvant, ut ait ibi Glossa.

F. IV. *Magnanimitas.*

Quartum erat aprugna. Solet enim aper armare se ad pugnam contra venatorem, dentes ad arborem acuere, & venabulo venatoris intrepide occurrere, idque Venatori sæpè excutere, uti scribit Barth. Anglicus libro 18. proprietat. cap. 6. Idem Zachæus fecit. Cùm enim Pharisæi sua obtrectatione insidias ei tenderent, ut vel ipsum à Christo vel Christum ab eo divellerent, *stans*, id est, fortiter in proposito virtutis persistens, opposuit se illis, & ad Christum quasi ad arborem dentes suos exacuens ait: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, q. d. ut videant adversarii, me ipsorum obtrectatione, qua me peccatorem asserunt adeoque indignum tua visitatione, nullo modo dejici à proposito, statuam exemplum publicum conversionis meæ, & dimidium bonorum meorum dabo pauperibus. Noluit Zachæus placere Pharisæis, satis habuit Christo si placeret; docens proinde nos in Dei servitio & virtutum exercitio fortiter procedere, licet mundus obstrepat, reprehendat & contemptui nos habeat. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, inquit Apostolus ad Galat. 1. Neque enim ab hominibus, sed à Deo mercedem expectamus.

G. V. *Humilitas.*

Quintum erat lepus. Hic enim ubi à cane comprehensus animum despondet, ante ipsum prosternitur quasi palmam ei cedens & victum se ostendens: cui proinde parcunt canes & cum eo ludunt, uti ipse vidi, & scribunt Pierius lib. 13. Hierogl. At simili modo Zachæus, qui priùs divitiarum suarum pedibus nixus opinabatur se omnium morsus evasurum, nunc à Christo quasi comprehensus, humiliat se coram ipso & fatetur culpam suam, reum se fraudulentiæ agnoscit, & veniam precatur, quasi dicens cum Saulo, Act. 9. ante Christum prostrato: *Domine quid me vis facere*: Ecce fateor me fraudasse, sed restituo in quadruplum. Video me deprehensum, & imposturas meas tibi esse perspectas, nec posse me vindicem manum tuam effugere; cedo itaque tibi palmam, paratus subire mulctam, & resarcire damna illata, tantummodò parce. Magna animi subjectio & syncera Confessio. Non arguebatur injustitiæ à Christo, sed ultrò, palam & coram aliis reum se fatetur, sine periphrasi: si quid defraudavi, inquit Græcè, ἐσυκοφάντησα, si fui sycophanta, id est, fur & direptor alienorum bonorum.

Gustate ex hoc ferculo vos, qui peccata vestra in Confessione tegitis, palliatis, diminuitis, excusatis, quasi DEum laterent, uti latent Confessarium. Seipsum accuset, qui à Deo excusari vult: revelet suum dedecus, qui id à Deo tegi vult; quia *dixit Dominus*; *Ex Basan convertam*, Psal. 67. Basan Confusionem significat. Hinc incipit conversio, si nos, inquam, confundamus, ingenuè confitendo peccata. Unde Eccles. 4. dicitur: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*; *Est enim confusio adducens peccatum & confessio adducens gloriam & gratiam.*

H. VI. *Liberalitas.*

Sextum erat Agnus. Hic enim cùm lana sensim crescente abundat, tondetur & superfluam hominibus communicat eaque illos vestit. Unde sanctus Martinus videns aliquando tonsam ovem: *Ecce*, ait, *ovis hæc Evangelicum implevit præceptum, dum duas tunicas habens, dedit unam non habenti.*

Sulpitius in ejus vita; Dial. 2. cap. 11. Atqui & Zachæus idem omnino præstitit cùm dixit: *Dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Sine doloris sensu lana ovibus præscinditur; Unde in tonsura patientissimæ sunt: ita & superfluæ opes communicandæ sunt pauperibus, ut inde non doleamus. Oves nisi tonderentur, per æstatem in lana suffocarentur, ita etiam divites nisi per eleemosynas tondeantur, suffocabuntur in suis opibus, quomodo semen illud suffocatum dicitur in spinis divitiarum. Lana ubi ovibus detonsa est, sensim iterum succrescit: ita etiam opes in pauperes collatæ, plerumque cum fœnore resarciuntur. Unde misericordes dicuntur Isa. quinquagesimo octavo, *Fons aquarum, cujus non deficient aquæ.*

Fons enim licet exhauriatur, statim se recolligit, contrà si occludatur, non ideò aquis oppletur usque ad summum: illæ enim furtim aliò se proripiunt. Optarem ex hoc ferculo gustare opulentos. Commodum verò hujus tonsuræ tempus est solennitas Dedicationis, in qua olim Christiani agapas facere consueverant, vocando scilicet pauperes ad convivia, vel distribuendo eis eleemosynam, uti patet ex Epistola sancti Gregorii Pap. ad Petrum Diaconum, in qua ei præcipit erogare pauperibus in die Dedicationis, in auro solidos decem, vini amphoras 30. annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum. Videte liberalitatem antiquorum Christianorum.

I. VII. *Iustitia & restitutio.*

Septimum erat piscis, isque lupus, qui cùm sit prædo piscium, ubi captus est, prædam, quam devoravit, evomit. Idem prorsus videre est in Zachæo, qui priùs in telonio prædas pecuniarias egit, nunc à Christo captus iterum evomuit. juxta illud Job. 20. *Divitias, quas devoravit, evomet.* *Si quid aliquem defraudavi*, inquit, *reddo quadruplum.* Vidit nimirum Zachæus se alienas opes digerere non posse, quia Proverb. 20. dicitur: *Suavis est homini panis mendacii* (id est, divitiæ fraudibus partæ) *& posteà implebitur os ejus calculo.* Ut ergò calculus in homine digeri non potest, sed paulatim auctus tandem eum necat: ita etiam divitiæ malè partæ. Quisquis igitur hujusmodi calculo se gravatum advertit, vomat cum Zachæo, restituendo id quod rapuit. Non est indecorus iste vomitus, sed potiùs decens & laudabilis, quia vitium emendat, & quod curvum est rectificat. Falsum igitur est proverbium illud Germanorum: Stehlen und wiedergeben ist ein Schand; Furari & restituere dedecus esse. Furari enim & furtum retinere dedecus est, sed restituere actus virtutis & decus est. Patet in Zachęo, quem nemo unquam vituperabit, sed potiùs quivis laudabit, quòd aliena restituerit, quemadmodum & Christus ipse fecit, cum huic Zachæi voci mox subjecit: *Hodie salus domui huic facta eò, quod & ipse sit filius Abrahæ.* Vomitum sequitur sanitas: Vomitum Zachæi, quo restituit iniqua, mox secuta est salus. Quare quisquis secutus est Zachæum devorantem, sequatur & vomentem: qui secutus est errantem, sequatur & pœnitentem, ut mentis sanitatem consequatur seu salutem, quæ est hic gratia, ibi gloria.

CONCIO II.

CHRISTIANI CATHOLICI VERI filii Abrahæ.

I. Quoad multitudinem.
II. Quoad diversitatem fidelium.
III. Quoad disciplinæ rigorem.
IV. Quoad vitæ asperitatem.
V. Quoad peregrinationem.
VI. Quoad Religionem.

THEMA.

Salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ, Luc. 19.

CLarum est ex Evangelio, multum gloriatos esse Judæos de Patre suo Abraham: Ita enim Christo occinunt Joan. 8. *Semen Abrahæ sumus.* Et mox: *Pater noster Abraham est.* Sed respondit illis Christus, parum aut nihil esse, filium Abrahæ esse, nisi ejus virtutem & pietatem imitentur: *Si filij Abrahæ estis*, inquit, *opera Abrahæ facite.* Idem paulò ante Christum dixit illis Joannes Baptista Matth. 3. his verbis: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Idem etiam post Christum edixit nobis Apostolus ad Rom. 9. *Nō omnes*, inquit, *qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii.* Ex quibus patet veros filios Abrahæ eos esse censendos, qui secundum spiritum, non secundum carnem tales sunt, quique non tam stirpem, quam virtutem Abrahę sortiti sunt. Et hoc est, quod in Zachæo commendavit Dominus, quem asserit filium Abrahæ, quia non solùm talis natus, sed virtute etiam talis factus est. Quia tales Abrahæ filii sunt, gaudere meritò possunt, quia & Christi filii sunt; Abraham enim Christi & credentium Pater est; Quisquis contra Abrahæ filius non est, Christi non est: Jam verò quod hoc nomine gaudeamus nos Catholici, non item gaudeant Judæi & hæretici nostri temporis Lutherani & Calviniani, facilè ostendemus. A.

B. I. *Quoad multitudinem.*

Primò. Si spectemus numerosissimam Abrahæ sobolem, quam promisit & dedit ei Deus, sicut pulverem terræ, Gen. 13. & sicut stellas cœli, Gen. 15. Hoc autem nec Judæis, nec hæreticis, sed soli Ecclesiæ Catholicæ convenit, quæ per universum orbem ingenti numero diffusa est, quemadmodum nullus

nullus est in orbe locus, ubi non sint & conspiciantur stellæ aliquæ. Quare sicut stellæ, primò sunt innumeræ, uti indicat DEUS Gen.15. cùm ait: *Suspice cœlum & numera stellas, si potes*: Sic etiam Christiani. Deinde sicut eædem per totum firmamentum sunt dispersæ, ut omnes terræ populi suas habeant & videant stellas: Ita & Catholici, (quemadmodum ipsa vox sonat) in omnibus orbis partibus inveniuntur: Et hanc eorum diffusionem videtur indicasse Deus, cùm dixit Abrahæ: *Numera stellas &c. Sic erit Semen tuum*, videlicet in numero & situ. Numerant quidem Astrologi stellas 1022. sed hæ tantum insigniores & notabiliores sunt, præter has enim aliæ minores depreheduntur per dioptram innumerabiles.

Ita etiam numerantur quidem Ecclesiæ particulares per orbem diffusæ; præter eas autem innumeri sunt Christiani occulti in partibus, ubi fidei vexillum erectum non est, v.g. in Turcia, Persia, Barbaria, &c. Jam verò Judæi dispersi quidem sunt hinc inde per orbem, sed juxta priorem tantùm promissionem, sicut pulvis terræ, quia ubique contempti vivunt, & quasi omnium pedibus teruntur: non autem ut stellæ cœli. Hæretici porrò cujusque sectæ innumerabiles non sunt, multò minùs toto orbe diffusi. Audi Lutherum de suo Evangelio, in Coll. de novissimo die fol. 465. sic loquentem: *Quid autem hoc sibi velle putas, quòd nostrum Evangelium in angulis prædicatur? quò pertinere censes, quòd tota Asia & Africa Evangelio carent? Et in Europa, in Græcia, Italia, Ungaria, Hispania, Gallia, Anglia & Polonia nullum Evangelium prædicatur? Pusilla hæc Provincia Saxoniæ novissimum diem nequaquam morabitur*: Sic ille.

Contendunt quidem recentiores Hæretici multos suæ sectæ additos latere passim in orbe; sed hi tamen nulla dioptra investigari possunt. Ausus est etiam Lutherus alibi sibi contrarius scribere adversus Hircū Lipsiensem tom.7. VVitt. Germ. f.147. in hæc verba: *Non ausim quidem affirmare, sed tamen spero me in DEI nomine Doctrinam meam cœpisse & purum Dei verbum docere: sed hujus spei meæ nullum certius signum aut efficacius documentum habeo ac miraculum, quàm quod tam subitò in omnem terram propagata fuerit doctrina mea tantasque turbas ac dissidia commoverit*. Hæc ille. Sed excipe ab hac doctrina Asiam, Africam, Americam & majorem partem Europæ.

C. II. *Quoad diversitatē fidelium.*

Secundò. Si spectemus ejusdem sobolis diversitatem: Etenim non solùm posteri & nepotes, sed filii etiam ejus, alii boni, alii mali fuerunt; bonus utique Isaac, malus verò Ismael. Quam diversitatem indicavit Deus cùm dixit ei Gen.22. *Multiplicabo Semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris*. Quid enim stellæ, nisi bonos cœlo inscriptos ac prædestinatos & cœlestem vitam agentes? quid arenæ, nisi reprobos terræ amatores, in terra scriptos & peccatorum pondere ad infernum tendentes significant? At vero tales non sunt Calvinistæ, siquidem Calvinus vult, quotquot in Ecclesia sunt, prædestinatos esse; nec Anabaptistæ, qui se omnes sanctos & innocentes esse jactitant; neque Lutherani, qui ex persuasione Lutheri credunt neminem quantiscunq; peccatis onustum perire posse, nisi credere nolit, adeoque sese omnes cœli hæredes esse.

Contra Ecclesia Catholica fatetur habere se filios bonos & malos, cœlestes & terrestres; idque docent Christi parabolæ de tritico & zizaniis in eodem agro, Matth.13. De bonis & malis piscibus in eadem sagena, ibidem: De tritico & paleis in eadem area Matth. 3. Et Apostolus clarissimè 2.Timot.2. cùm ait: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia*. Domus hæc Ecclesiam denotat, quia in ea sola invocatur nomen Domini sicut decet (quod immediatè præmisit Apostolus) & 1.Tim.3. Ab eodem Ecclesia vocatur *domus DEI*. Vasa porrò aurea & argentea sunt justi, fictilia verò reprobi. Simili modo in arca Noë animalia munda & immunda inveniebantur.

D. III. *Quoad disciplina rigorem.*

Tertiò. Si spectemus disciplinam Abrahæ, sub qua erant filii ejus. Cùm enim præcepisset ei Deus circumcisionem, statim ipso die arripuit primò Ismaelem filium suum & circumcidit eum, & post hunc vernaculos suos, Gen.17. Idem posteà fecit Isaac filio suo. Et cùm audisset Ismaelem ludere cum Isaac, hoc est, vexare & persequi, vel, ut alii volunt, idololatricis Idolis seducere eum, mox ejecit unà cum matre Ismaelem, Gen.21. Denique ab Abrahæ imperio omnia pendebant, ita ut nec Sara uxor ejus ejicere ancillam vellet absq; jussu mariti: ibidem. Porrò talis disciplina viget in Ecclesia, quia viget in illa præceptorum observantia non divinorum tantùm, sed & humanorum, partim Ecclesiasticorum, quæ Spiritus sanctus Ecclesiæ Præses dictavit ejus pastoribus, ut ad ea servanda fideles obligarent: partim Civilium.

Hanc autem observantiam Ecclesia suis filiis perpetuò inculcat & cōtumaces punit & ejicit, quos de suo gremio & cum Apostolo tradit Sathanæ. Ipsi etiam fideles obedientes sese exhibent, nec quiritantur de præceptorum seu divinorum seu Ecclesiasticorum gravitate, & quod magis mirere, huic obligationi sæpè multum de suo adjiciunt, sæpiùs jejunant, confitentur, communicant & Missam audiunt, quàm præceptum sit: Denique ab ore & imperio summi Patrisfamilias, hoc est, Romani Pontificis toti pendent, ejusque censuras ac præsertim excommunicationem maximoperè timent. Rari sunt, qui interdicto tempore carnibus vescantur, imò in tota Italia & Hispania ac magna parte Belgii vix unum reperias: Rari, qui festa violant, aut statis temporibus non confitentur & communicant; & si

& si qui horum transgressores reperiantur, monentur & mulctantur. Exulat hæc disciplina apud sectarios nostri temporis, qui libertatem spiritus vertunt in libertatem carnis, & contendunt se ab omni Obedientia Decalogi, legum, Principum, Prælatorum, Superiorum, Dominorum: Item ab operibus pœnitentiæ & satisfactionis, à votorum observatione exemptos esse, quæ sanè libertas irrationalis, animalis, carnalis, turpis & contra omne naturæ jus rectamque rationem est. Audi Lutherum in lib. de Christiana libertate: *Christiano*, inquit, *neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.* Et tom. 1. VVittemb. fol. 189. & 190. ait: *Oportet cor humanum legem DEI, atq; adeo Deum ipsum supra modum odisse.* Vox Satanæ non hominis; quid enim magis blasphemum diabolus loqui posset? Non absimilis Calvinus, cujus est hic dialogismus lib. 3. Instit. cap. 19. §. 2. 4. 7. *Conscientia dicente, peccasti, responde; imo peccavi: Ergo Deus puniet & condemnabit? Non. At lex hoc dicit; Sed nihil mihi cum lege: Quare? quia libertatem habeo.* Deinde obedientiæ studium prorsus evertunt, dum asserunt præcepta DEI servari non posse, dumque negant homini liberum arbitrium. Ad hæc si quod operosius mandatum illis injungatur, ilicò obmurmurant & refugiunt, quasi per hoc eorum libertas infringatur. Leges etiam Civiles, cùm impunè possunt, nullo metu prævaricantur, qui se illis judicant in conscientia non obligari: Denique Rebelliones eorum excitatę contra Principes ostendunt eorum observantiam. Taceo quotidiana & manifesta eorum scelera; jurant, peierant, mentiuntur in suum & proximi commodum, mendaciis & calumniis onerant Ecclesiam, vota frangunt; uxoribus fidem non servant, usuras exercent; imagines Sanctorum cum repudient, eas tamen Catholicis pingunt & sculpunt. Jam verò in Ecclesia Christi disciplina esse debet, & scelerum castigatio. Si enim Apostolus ad Hebr. 12. ait: *Quod si extra disciplinam estis* (græcè *absque castigatione*) *ergò adulteri* (id est adulterini) *& non filij estis.*

E. IV. *Quoad vitæ asperitatem.*

Quartò. Si spectemus vitæ duritiem in qua educati sunt Abrahæ filii, nec non labores & vexationes, quibus exercitati ejus posteri, maximè in Ægyptiaca servitute; prædixit enim Deus: *Scito præ-noscens, quod peregrinum futurum sit Semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti & affligent quadringentis annis*, Gen. 15. Ipsi etiam filii Abrahæ Ismael & Isaac nequaquam blandè habiti sunt à Patre, quorum prior è paternis ædibus, cùm esset annorum septendecim, dimissus est, nec alio cum viatico, præterquam uno pane & utre aquæ, Gen. 21. Posterior verò Isaac oneratus fasce lignorum ductus est à Patre tridui itinere ad necem, immolandus Domino, Gen. 22. Reliqui ejus nepotes usque ad exitum de Ægypto ferè pastores fuerunt. Filii igitur Abrahæ sunt, qui non in deliciis & voluptatibus, sed in vitæ austeritate, afflictionibus & laboribus educantur. Tales autem sunt Catholici, qui inprimis per trecentos annos à Christi ascensione usque ad Constantinum Magnum, tanquam oves occisionis, ad Martyrii macellum passim rapiebantur; posteà ubi Tyranni defuerunt, variis mortificationum generibus se ipsos quasi mactarunt in oblationem Deo, per Martyrii desiderium, per patientiam injuriarum, per tolerantiam paupertatis voluntariè assumptæ, per virginitatis studium ac carnis & concupiscentiarum crucifixionem, per opera misericordiæ, per voluntarias corporis castigationes, per sui ipsius victoriam & mortificationem. Quæ vivendi ratio adhuc viget in Ecclesia, & inculcatur nobis jugiter, cùm jejunia præcipiuntur, cùm supplicationes & solemnes comprecationes indicuntur, cùm in vigiliis, Quadragesima, feria sexta & Sabbatho, ludi, choreæ, pergræcationes, clamores, & profana Musicorum instrumenta coercentur; cùm Bacchanalia inhibentur, cùm dolor de peccatis admissis & asperæ satisfactiones pœnitentibus injunguntur, cùm voluntariæ corporis afflictiones, peregrinationes, abstinentiæ, vigiliæ, flagella, cilicia, brachiorum expansio, genuflexiones & humicubationes, Xenodochiorum visitationes, aliæque sexcentæ à Catholicis, præsertim à Congregationibus & Religiosis suscipiuntur. Denique apud Catholicos reperitur studium perfectionis, & abdicationis rerum omnium & mundi voluptatum in tot millibus Religiosis, qui omnibus illis illecebris, quarum caro est appetentissima, conjugio, inquam, epulis, compotationibus, venationibus, ludis, jocosis spectaculis, mollibus lectis, splendidis vestibus, & id genus aliis æternùm valedicunt. Nihil horum cernere est in Acatholicis; quin potiùs exhorrent vel ad vocem pœnitentiæ & mortificationis; Ventri ad libitum serviunt, ludunt, pergræcantur, terrenis commodis inhiant, nil nisi Venerem & Bacchum loquuntur, nullis etiam sacris diebus parcunt, nulla iis jejunia, nisi fortè tempore gravissimæ alicujus cladis, nullæ pœnitentiæ, nullus cœlibatus, nullus consiliis Evangelicis locus. Et quis unquam vidit aliquem ipsorum cum Apostolo castigare carnem suam & in servitutem redigere? quis cilicio macerare? quis flagello tundere, quis lachrymis genas rigare? quis in humum vel genua prosterni? quis multum fortunarum suarum pauperibus elargiri?

F. V. *Quoad peregrinationem.*

Quinto. Si consideremus eorum iter per desertum ad terram promissionis. Quas enim illi gratias & beneficia sortiti sunt à Deo, eas spiritualiter etiam sortita est Ecclesia Catholica. Habuerunt illi columnam ignis per noctem, & nubis per diem: habet Ecclesia Spiritum Sanctum, qui eam protegit tempore persecutionis, & illuminat in fidei difficultatibus; habet enim Summus Pontifex in rebus fidei decernẽdis pastorali suo regimine infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, à Christo sibi promissam. Habuerunt illi aquam de petra & biberunt omnes: habemus

habemus nos doctrinam fidei infallibilem è Petra Sedis Romanæ. Scio Petram illam ex Apostoli 1.Corinth.10. significare Christum; sed scio etiam Petrum ejusque successores à Christo vocatos & constitutos esse Petram, Christi videlicet vicariam & secundariam, à qua biberent posteri, qui ex ipsius Christi ore bibere non potuerunt. Habuerunt illi manna de cœlo, habemus nos SS. Eucharistiam, qua & contenti sumus sub una tantùm specie. Habuerunt illi serpentem hastili affixum, cujus aspectu sanabantur: habemus nos S. Crucem, cujus typus erat serpens ille, ex Domini testimonio nemini non salutarem, qui eam ut decet, aspicit. Obtinuerunt illi de hostibus plurimas victorias miras & miraculosas: obtinuimus & nos nuperis his annis contra hæreticos.

G. VI. *Quoad religionem.* Sextò. Si ipsius Abrahæ religionem ponderemus. Ipse enim est, qui loquente secum DEO, adoravit eum in terram vel genu flexus, vel prostratus Gen. 17. & 18. Ipse passim altaria erexit, & in iis DEO sacrificavit. Ipse Melchisedecho sacerdoti decimas persolvit suarum possessionum. Ipse mundi pompam, vestium & epularum delicias damnavit in Epulone; Paupertatem verò & abjectionem commendavit in Lazaro, Luc.16. Ergò ut alias ejus virtutes taceam, nequaquam cum hæreticis, sed nobiscum sensit. Ipsi enim nec in terram adorare solent; nec altaria erigunt, sed ea potius destruunt; nec sacrificium Deo offerunt, quia nullum habent; nec sacerdotes venerantur aut decimas iis persolvunt, sed cùm possunt, potiùs adimunt; nec Lazari illius mendici, sed Epulonis potiùs vitam commendant & sequuntur; quem proinde etiam nisi resipiscant, sequentur in infernum; quod tamen ipsis adeò non precamur, ut potiùs toto corde, in modico & in magno optemus eos fieri tales quales sumus nos; veros scilicet Abrahæ filios. Sunt enim & ipsi quemadmodum & Judæi ac Gentiles, modo aliquo fratres nostri, ex patre scilicet DEO Conditore nostro, tametsi non ex Matre Ecclesia. Quare rogemus, charissimi, Christum, quod rogavit Abrahamum Epulo, ut mittat illis Lazarum, hoc est, spiritum bonum, qui edoceat illos, quanta inprimis pœna in inferno maneat infideles & hæreticos: & quàm bono ac securo loco, in sinu videlicet Abrahæ & DEI sint Catholici, ut & ipsi ad eos congregentur & nos omnes unanimi voce dicere possimus: *Salus huic domui*, salus huic Nationi facta est, eò quod & ipsi sint filii Abrahæ.

CONCIO III.

INCITAMENTA AD RESTITUENDUM bona aliena.

I. *Præcipit lex naturæ.*
II. *Lex scripturæ.*
III. *Necessitas gratiæ obtinendæ.*
IV. *Periculum hæredibus imminens.*
V. *Mors & gehenna imminens.*
VI. *Grande bonum restitutionis.*

THEMA.

Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, Luc. 19.

A. MAgnetis vis quanta sit in trahendo ferro, nemo est, qui nesciat. Tanta nimirum, ut non modò ipse ferrum ad se trahat, verum etiam integras naves ferreis compactas clavis. Eam tamen etsi mirabilem planè virtutem ab Adamante vinci, testatur S. Augușt. lib.21. de civit. cap.5. adeò, ut si juxta magnetem ponatur, ferrum trahere prohibeat, imò cogat magnetem ut ferrum jam attractum respuat & remittat. Si bene hodiernum Evangelium inspicimus, simile aliquid cernimus. Videmus enim illic hominem, qui multa ad se bona mirabili traxerat violentia: neque ferrum tantùm; sed & argentum & aurum & naves integras ad telonium, Zachæum videlicet, principem publicanorum. Qui tamen, quamprimum Christus in domum ejus venit, & juxta eum stetit, ilicò multò mirabiliùs respuere & remittere cœpit omnia quæ rapuerat. *Domine*, inquit, *ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Nimirum Christus cœlestis ille Adamas fuit, quem Amos c.7. (juxta translationem LXX. & interpretationem S. Hieronymi) prævidit monstratum sibi in manu Dei. *Quid tu vides, Amos?* inquit Deus. Et Amos: *Adamantem ego video.* Et dixit Dominus: *Ecce ego ponam Adamantem in medio populi mei Israel.* Quod impletum est, cùm Salvator natus est in medio terræ. Nimirum quia magnetina erant hominum corda ad concupiscendum, rapiendum & retinendum aliena, idcircò Adamas iste in terra ponendus erat ut restitueremus aliena. Hoc verò quia difficile sit, idcircò omnem movebimus lapidem, ut fiat.

B. I. *Præcipit Lex natura.* Primum. Lex naturæ. Dictat enim natura & urget conscientia restitutionem injustorum bonorum. Quod vel Zachæus docet, qui urgente conscientia ultrò prodidit obligationem istam, & promisit restitutionem, cùm Christus ne verbo quidem mentionem de hac fecerit. Nimirum uti canis allatrat & insequitur fures, donec prædam dimittant, ita facit conscientia perpetuò inclamans: *Redde quod debes.* Unde bene dixit Deus Caino, Gen.4. Si male egerit, statim in foribus peccatum adfore, hoc est, accubiturum & allatraturum eum instar canis (hoc enim sonat Hebræum.) Habent hujus legis igniculum aliquem etiam bruta animantia. Siquidem animalia quantumvis rapacia, reddunt vel dimittunt prædam, cùm objurgantur vocibus inclamantium.

Croco-

Crocodili rapacissimi, sola Tentiritarum voce territi evomunt recentia corpora ad sepulturam, teste Plinio lib. 8. cap. 25. At quoties nos inclamat S. Scriptura, ut aliena non tangamus? *Væ, qui prædaris*, inquit: Et iterum: *Væ, qui multiplicat non sua*. Et in Evangelio: *Redde, quod debes*.

C. II. *Lex scripta.*

Secundum. Lex scripta, Exodi 22. præcipit Dominus: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* Eadem restitutio bonorum depositorum, vel per fraudem & calumniam acquisitorum præcipitur Levit. 6. & quinta insuper pars. Tob. 2. ait Tobias audiens hœdum in domo sua: *Videte ne furtivus sit: reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere.* Similiter Zachæus in hodierno Evangelio id ipsum confirmat, qui juxta prædictam legem quadruplum restituere promittit. Sed cur quadruplum? Fortè quia, qui contra justitiam peccat, quadrupliciter offendit. Nam primo offendit justitiam, faciendo inæqualitatem. Secundo. Offendit proximum, privando eum bono, cujus usu & fructu interim carere debet. Tertio. Quia eundem occasionaliter movet ad indignationem, blasphemias, suspicionem, iracundiam, &c. Quartò. Quia fortè etiam lachrymas multorum vel saltem læsorum provocat. Quod optimè advertit S. Hedvvigis Polonorum Regina, cujus maritus Uladislaus cum aliquando commeatum à Capitulo Ecclesiæ Gnesnensis petiisset nec impetrasset, ideoque more barbarico pignorasset facultates adscriptitiorum Ecclesiæ: reprehendit eum Regina: inde Rex pignora capta reddi jussit. Sed nihilominus suspirans Hedvviges: *Pignora quidem*, inquit, *reddemus agrestibus: Cæterùm lachrymas illorum quis reddet?* Hieronym. Ziegl. de Illustr. German. viris c. 89. Digna vox Regina, quæ meritò à potentibus observari deberet, & à pauperum oppressoribus.

D. III. *Necessitas gratiæ obtinendæ.*

Tertium Necessitas. Quia sine restitutione (quando fieri potest, & non fit) non dimittitur peccatum, & proinde nec cœlum ingredi possibile est; id quod ostendunt loca Scripturæ paulò ante adducta. Quibus accedit Augustinus Epist. ad Macedon. (Refert 14. quæst. 6. *Si res*) dicens: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit & non redditur: pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si, ut dixi, restitui potest.* Ratio est, quia peccatum non remittitur nisi disposito, dispositus autem non est, qui victus avaritia, non reddit vero Domino, quod ipsius est, sed sibi retinet. Ex fabulis scimus, vulpem, quæ esuriens gracili ventre angustum cellæ foramen intravit, & ibidem furtivo cibo ventrem ad ingentem tumorem distendit, cùm egredi amplius non posset, ab alia vulpe fortè illic transeunte audivisse: *Isthic tibi manendum est, dum iterū extenueris, si exitum invenire & liberari velis.* Idem tibi dico, & dicet quilibet Confessarius tuus, si marsupium tuum furtivis nummis distenderis. De talibus enim propriè dixit Christus: *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum DEI*, Luc. 18. Quod si subjunxit, id per DEI potentiam esse possibile, eò intelligendum est, si ejusmodi dives, quod alienum habet, restituat, adeoque uti vulpi illi dictum est, rursum exinaniatur à furtivis bonis. Non desunt huic veritati exempla complura, quæ ostendunt eos, qui non restituerunt bona aliena majoris pretii, damnatos: eos vero, qui minoris pretii res, vel debita contracta, in purgatorio detentos fuisse. Refert Cæsarius lib. 11. cap. 35. Monachum quendam, qui nautæ, à quo per Albim Saxoniæ fluvium transvectus fuerat, promissum naulum, dimidium denarium, reddere neglexerat, post mortem ab ingressu cœli impeditum, eò quòd naulus ille adeò ipsi crevisse videretur, ut mundo major appareret, ideoque sursum tendenti obsisteret: quod ad vitam reductus narravit. Refert Collector speculi, puerum novem annorum, solitum à domesticis mutuare nummos ad emenda pira & nuces: cùm neglexisset aliquos solvere, acerbissimè in purgatorio castigatum matri apparuisse, & culpam aperuisse, petiisseque ab ea ut pro ipso satisfaceret, In spec. M. exempl. tit. *Restitutio.* Et sanè tanta est hæc obligatio, ut propterea aliquando mortui interpellati responderint, quò nimirum res alienæ restituerentur. Scribit Socrates Histor. trip. lib. 1. cap. 10. Spiridioni Tremithuntis Cypriorum Episcopo fuisse filiam Irenen, cui notus quidam depositum aliquod crediderat. Illa sumens depositum sub terra recondidit, ubi cautè credidit custodiri. Contigit interea mori puellam nihil confessam Patri. Venit homo depositum repetens ignorante Spiridione, quid loqueretur. Cumque in tota domo requisisset, nec inveniret, flebat, capillosque vellebat & morti vicinus esse videbatur ille, qui deposuerat. Hæc Spiridio fieri videns, & cursim veniens ad sepulchrum, vocavit nomine puellam. Qua respondente, de causa depositi requisivit, & cùm ab ea didicisset, reversus & inveniens, ubi puella significaverat, reddidit homini, quod petebat. Sic Trip. Similem historiam refert Ado Trever. 7. Idus Aug. de Ephrosyna, quæ Donato Episcop. ex sepulchro respondit, ubi fisci pecuniam Euphrasio marito concreditam abdidisset. Ex quibus intelligi potest, quanti res momenti sit alienorum bonorum restitutio, quando etiam mortuos voluit Deus adhibere hujus rei testes.

E. IV. *Periculum hæredibus imminens.*

Quartum. Periculum, quod imminet liberis & hæredibus: si ejusmodi bona eis relinquantur. Nam si hæredes sciant aut scire nolint, cùm possunt bona illa injusta esse, nec tamen restituant, pari scelere se obstringunt. Itaque ejusmodi parentes liberis suis venenatum panem offerunt, contra id Salvatoris: *Quis ex vobis Patrem petit ovum?*

nunquid

nunquid scorpionem dabit illi? Scorpio facie blanditur, sed cauda pungit & necat: Ita blandulæ quidem sunt iniquæ hæreditates: ad extremum tamen perdunt. Hinc damnatam se asseruit mater B. Mariæ de Oignies, filiæ apparens: *Enutrita*, inquit, *fui & vixi in his, quæ per injusta mercimonia & usuras acquisita fuerunt, & conscia mihi mali ablata non restitui.* Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 64. Hinc decem illi comites Teutonici sibi ad iniquam hæreditatem succedentes in una scala visi sunt torqueri in inferno, apud Petr. Damianum ad Dominic. cap. 8. Epist. 5. Quod exemplum recensuit Hildebrandus Roman. Ecclesiæ Archidiaconus pro concione coram Papa Victore. Cultros acutos eripiunt parentes liberis, cur non potius bona ejusmodi injusta, quibus animæ eorum lethaliter sauciantur?

F. V. *Mors & Gehenna immines.*

Quintum. Mors imminens & gehenna. Veniet brevi tempus, quod injustum possessorem omnimodè spoliabit. Et quis non malit ultrò dare, quam violenter spoliari? *Divitias, quas devoravit, evomet*, inquit quidam, in lib. Job. cap. 20. *& de ventre illius trahet eas Deus.* Mors uncinus ille est, quem vidit Amos cap. 8. ostensum sibi à DEO. Ut enim uncino quatiuntur arbores & spoliantur pomis licet invitæ: Sic injusti possessores, qui instar arborum omnem penè succum circumjacentis terræ ad se trahunt, ut se, & suos ditent, ornent, exaltent, &c. à morte exuentur. Videmus initio Christum ab eodem Amos visum super murum Adamantinum cum Adamante in manu. Quod indicat Christum fore aliquando Adamantem, Adamantinis illis cordibus qui ad restitutionem & divisionem bonorum alienorum à propriis permoveri non possunt. Etenim Adamas etsi malleo frangi nequit, alio tamen Adamante rumpi dicitur. Videant illi ne in morte Adamantem experiantur Christum, qui Adamantini sunt in vita. Expertus est hunc Adamantem Carolus Martellus Rex Franciæ & Caroli Magni avus: qui postquam monasteria multa diripuisset, & bona Ecclesiasticorum sibi usurpasset, decimas etiam, quas ad tempus à sede Apostolica impetrarat contra jusjurandum restituere noluisset, horrendam mortem subiit. De eo siquidem S. Bonifacius ita scribit ad Ethelbaldum Merciorum Regem in Anglia, hominem scelestum, quo eum per exempla ad pœnitentiam revocaret: *Carolus quoque*, inquit, *Princeps Francorum multorum monasteriorum eversor & Ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios cumulator longa torsione & verenda morte consumptus est.* Apud Baron. an. 741. Et volunt aliqui, corpus ejus post aliquot annos in sepulchro non inventum, sed ejus loco magnum tantùm serpentem. Æmilius lib. 2. de rebus gestis Franc.

G. VI. *Grande bonum restitutionis.*

Sextum. Grande bonum, quod restitutionem sequitur; non enim potes tam multa restituere, quin longè plura restituat tibi Deus. Restituit tibi gratiam suam, imò se ipsum: restituit tibi opera mortificata & merita: restituit tibi pacem conscientiæ restituit tibi bonam famam: restituit tibi vitam æternam. Omnia hæc promisit Christus verbo illo, cùm dixit; *Hodie huic domui salus facta est à Deo.* Ut enim ad Zachæi verbum, quo is restitutionem promisit, statim addidit Christus: *Hodie huic domui salus facta est à DEO:* ita dicitur & tibi, postquam te ipsum viceris, & restituere seriò decreveris: huic domui salus facta est. Quare nemo metuat, ne si aliena restituerit, ad pauperiem redigatur, vel famam suam perdat. Si enim Deum recipit, si gratiam, si pacem conscientiæ, si merita sua, si salutem: itanè pauper erit? Deinde turpe est aliena rapere, turpius reddere nolle: contrà gloriosum est & laudabile, reddere; non minùs quàm si aliud damnum datum resarcias. Quis enim unquam vituperavit Zachæum, quòd aliena restituerit? imò, quis non laudat? laudavit certè eum ipse Dominus, cùm mox salutem ei impertiit. Contrà ingens ignominia erit, cùm in die Judicii alienum quid in cassa tua repertum fuerit. An nescimus, quàm confusi sint fratres Josephi, cum in sacco eorum repertus est scyphus Josephi? Gen. 44. Quisquis igitur es, si quid aliquem defraudasti, vel si quid alieni possides, etiamsi absque fraude, redde cui debes.

CONCIO IV.

QUÆNAM DOMUS, SEU FAMILIA sit Beatissima.

I. *In qua Iustitia diligitur.*
II. *In qua honesti amans Dominus.*
III. *In qua omnes faciunt suum officium.*
IV. *In qua diligitur potius Dominus quam timetur.*
V. *In qua aurea mediocritas.*
VI. *In qua sapiens paterfamilias.*

THEMA.

Huic domui salus à Deo facta est, Luc. 19.

A.

NOn parva Zachæo laus est, quòd in Festo Dedicationis legatur ejus historia, & quod de ipsius domo dicitur, applicetur domui Dei. Vult enim hoc ipso Ecclesia nobis insinuare, domum Zachæi sanctam, & domum Dei adeoque templum quoddam factam esse, postquam eam Christus suâ præsentiâ initiavit & DEO consecravit. Hoc sibi volunt verba ejus: *Salus domui huic facta est.* Felix illa domus & familia, de qua hoc idem dici potest, quæque templum quoddam est. Et verò domus Christianorum tales esse deberent, sanctæ, inquam, & DEI domus, in quibus salus habitet; uti domus Aquilæ & Priscillæ, de qua S. Paulus 1. Corinth. 16. scribit: *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla*

Priscilla cum domestica sua Ecclesia apud quos & hospitor. Quæ sanè Ecclesia non fuit nisi familia Aquilæ. Talis ergò si domus Christianorum forent, meritò hoc die solennitatem Dedicationis celebrarent. Quid verò domum & familiam felicem reddat, audiamus.

Plutarchus in convivio septem sapientum refert, Periandrum eorum unum quæstionem proposuisse: Quænam domus esset optima, quænam familia beatissima. Ad hoc, inquit:

B. I. *In qua justitia diligitur.*

Primus Solon respondit: *In qua res neque injustè est parta, neque in ea vel conservanda diffidentiæ, vel in perdenda pœnitentiæ est locus.* Talis enim domus semper in hilaritate absque timore vivit, absque timore & conscientiæ remorsu. Ejusmodi domus erat Tobiæ, qui sonitum furti in domo sua ferre non poterat: cum (tametsi admodum pauper erat) balantem audiret hædum: *Videte*, inquit, *ne furtivus sit: reddite illum Domino suo*, &c. Idem etiam non diffidebat de sua re conservanda, nam dicebat filio: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed habebis multa bona si timueris Deum.* Idem pauperes contribules suos ad convivium adhibere solebat. Talis etiam domus S. Sanctuli, qui in rerum inopia & fame, panem sibi divinitus oblatum, timens ne alienus esset, suis mercenariis apponere nolebat: apud Gregor. lib. 3. Dial. cap. 37. Talis etiam erat domus Zachæi postquam ad Christum est conversus. Nam Christum, licet is seipsum invitaverit, excepit gaudens, nec turbatus est more avarorum, quòd hospitem non invitatum convivio excipere deberet. Nec timuit etiam ne ad extremam redigeretur inopiam & mendicitatem, si bona malè parta restitueret & dimidium suorum daret pauperibus, quomodo nunc usurarii & iniqui exactores timent. Denique injusta bona ab ædibus suis exclusit. Unde meruit audire, *Hodie huic domui salus facta est.* Etenim domus, in qua est aliquid boni injusti, similis est stomacho, qui crudum aliquem & noxium cibum retinet, quem digerere non potest. Hinc ascendunt in caput mali vapores, idque valde affligunt, nec cessat dolor, donec noxius ille cibus per vomitum ejiciatur. Ita domus illa nequaquam læta & secura esse potest, quæ alienum bonum retinet, quia id digerere non potest. Ast ubi id evomuerit per restitutionem, tum demum sana erit, & audiet: *Hodie huic domui salus facta est a DEO.* Retinuit Pharao uxorem alienam, Abrahæ nimirum, in domo sua: sed quanto suo malo? *flagellavit enim Dominus Pharaonem & domum ejus propter illam, quousque eam dimitteret*, Gen. 12. Ita etiam flagellatur, si non aliis plagis, saltem conscientiæ stimulis, qui injusta bona detinet, donec ea restituat.

C. II. *In qua honestiam ans Dominus.*

Secundus Bias dixit: *In qua Dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges.* Foris quidem homines communiter cautè vivunt, & honestè sese habent, quia timent leges, unde & honestiore cum habitu & pallio tecti prodeunt in publicum; sed domi suæ una cum pallio sæpè honestatem quoque exuunt, quia licitum sibi putant agere domi suæ, quod volunt, non quod decet. Ejusmodi domus mortua, amens & miserrima est. Nam quævis familia civitas quædam parvula est, teste Chrysost. hom. 22. In Epist. ad Ephes. Atqui civitatis animam esse leges, dixit Demosthenes apud Maxim. serm. 69. Cicero, mentem; & quod corpus est sine mente, hoc esse civitatem sine legibus, Cic. pro Cluent. Quod ergo mortuus & amens est, hoc est domus, in qua Paterfamilias vivit absque lege, quia familiæ lex est paterfamilias, quod si ipse sit sine legibus, væ domui, quam regit. Erat domus Drusi patens vicinorum aspectibus. Cui faber cùm suggereret se eam incommoditatem sublaturum quinque talentis; respondit: *Decem dabo, si talem reddas domum meam, ut undequaque pateat omnium oculis, quo videant omnes, quomodo domi meæ vivatur*, Stob. serm. 22. Talis etiam dici potest domus fuisse Zachæi, qui ultrò, nemine instigante in domo sua decrevit facere justitiam & reddere ablata, audientibus Pharisæis. Non ita permulti alii, qui foris & in creditorum ædibus solvere promittunt, quæ debent: sed domi suæ abnuunt.

D. III. *In qua omnes faciunt suū officium.*

Tertius Thales: *In qua*, ait, *plurimum otij Domino conceditur.* Signum enim est, in tali domo omnes domesticos facere officium suum, nec facessere curas aut negotium hero. Talis domus erat Putipharis, dum in ea serviret Joseph. Crediderat enim Putiphar omnia sua Josepho, *nec quidquam aliud noverat nisi panem, quo vescebatur*, id est, nullius rei curam gerebat, nihil inquirebat aut cognoscebat, præterquam mensam ut accumberet & frueretur iis, quæ Joseph procurabat, Genes. 39. Felicior ea domus, in qua nemo impeditur ab otio sancto, quo Deo vacet. Et talem arbitror fuisse domum Zachæi; non enim impediebatur à suis, quò minùs iret videre Jesum. Spiritualiter felix est illa domus, in qua Dominus, id est, intellectus plurimùm sancto contemplationis otio vacat: Unde Bernardus serm. 5. de Assumpt. ait: *Felix domus & beata semper, ubi de Maria Martha conqueritur*, id est, ubi studium rerum divinarum, orationis, & contemplationis ita prævalet & dominatur, ut de illa actio externa veluti conqueratur. Infelix verò domus illa, in qua Dominus aut Domina privatur otio, præsertim sancto, ne possint vacare rebus divinis: cujusmodi tamen domus multæ nimis sunt, ubi videlicet uxor impedita à marito aut contra domestici à Dominis & vicissim, ne subinde ascendant in sycomorum contemplationis, orationis, confessionis, peregrinationis, &c. Denique ubi à negotiis & tumultibus sæcularibus impeditur mens à servitio divino, oratione, Missa, concione, confessione, communione.

Quartus

E. IV. *In quo diligitur potius Dominus quam timetur.*

Quartus Cleobulus: *in qua plures sunt, qui diligant, quàm qui metuant Dominum.* Quemadmodum enim molestissimum est, quando auriga perpetuis uti calcaribus & equorum latera tundere debet; è contra verò jucundissimum, cùm equi sponte currunt ad unam aurigæ vocem: ita miserrimum est invitis uti domesticis, qui minis tantum & verberibus adigi debent: pulcherrimum verò habere tales, qui amore ducuntur. Hi enim præterquam, quod molestiam nullam creent Dominis, fideles & constantes sunt, illi verò tempore necessitatis heros suos deserunt. Talis domus erat Naamanis, quem servi ejus vocabant Patrem, & salutari consilio admonebant, malè sibi consulentem, 4. Reg. 4. Talis domus Jacob, qui cùm edixisset convocata omni domo sua: *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini ac mutate vestimenta: Surgite & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, &c.* Dederunt ei omnes Deos alienos, quot habebant, & inaures eorum: at ille infodit ea, Gen. 35. Felix illa domus, in qua Dominus invehitur in vitia suorum, eaq; per pœnitentiam deleri jubet & sepeliri: Similiter in qua domestici tam promptè ac sincerè obediunt, culpas suas fatentur & expiant. Talem etiam credo fuisse domum Zachæi, quæ subitæ ejus conversioni ne verbo quidem contradixit, sed potius mox subscripsit, seque ipsi conformavit.

D. III. *In qua omnes faciunt suũ officium.*

Sed ferè in patribus & matribusfamilias situm est quales servos & ancillas habeant. Quemadmodum enim equi Turcici, ut testatur Augerius Busbequius Epist. 3. Legat: Turc. mansuetissimi sunt, Dominos suos cognoscunt & amant adeò, ut Dominis conspectis vel auditis adhinniant, eos quaquaversum ultrò sequantur, jussi procumbant in genua & sessorem ita recipiant: bacillum aut ensem mordicus humo attollant & Domino porrigant insidenti, &c. quia blandissimè educantur à Turcis, qui frequenti palpo eos sibi conciliant, & quasi liberûm instar omni cum lenitate tractant, nec nisi magna cogat necessitas, fuste castigant, (cum tamen equi nostri refractarii, mordaces & calcitrosi sint; quia nimirum à curatoribus suis truci tantum voce objurgantur & fustibus tunduntur, unde fit ut ad eorum ingressum in stabulum, equi toti cohorrescant, & eos perinde oderint ac metuant) Ita ferè res habet cum domesticis. Rectè itaque monuit Eccl. cap. 4. *Noli esse quasi leo in domo tua.*

F. V. *In qua aurea mediocritas.*

Quintus. Pittacus: *In qua neque requiruntur supervacanea neque desiderantur necessaria.* Non malè & iste; ut enim duo sunt in mari loca periculosa à veteribus celebrata: Scylla & Charybdis, inter quæ summa erat opus navigantibus attentione (nam qui effugiebat primum, incidebat in secundum) ita duo extrema periculosa sunt, divitiæ & paupertas: quæ utraque fugiebat Salomon, dicens Deo: *Duo rogavi te, ne denegis mihi, antequam moriar: mendicitatē & divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria, ne forte saciatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer & perjurem nomen Dei mei,* Prov. 30. Nimirum divitiæ extollunt & mergunt facilè in interitum: Mendicitas ad impatientiam, invidiam, furtum & similia vitia trahit. In hunc sensum explicat Plato lib. 3. de leg. id Hesiod. *Dimidium plus toto.* Nec non & Pittacus apud Laertium, qui ubi sponte se abdicasset magistratu, agri sibi à Mitilenæis relicti dimidium resecuit authore Socrate, dicens, præstabilius esse toto. Idemq; pecuniam à Crœso missam recusavit, respondens, sibi dimidio plus esse, quam vellet. Quid ni dicemus etiam ejusmodi domum fuisse domum Zachæi, qui dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, dimidium sibi retinuit, quasi securius forte intellexisset dimidio victitare quam toto?

G. VI. *In qua sapiens Paterfamilias.*

Sextus Chilon: *Quæ similis est urbi, in qua sapiens Rex imperat.* Communiter enim dicitur: Qualis Rex, talis Grex. Exemplo est domus Salomonis, quam cùm ipse sapientissimè regeret, omnia etiam à famulis sapienter & accuratè fiebant, & cum ingenti cura mensæ Regis necessaria præbebantur tempore suo, omniaque tam pulchro ordine peragebantur ut obstupesceret Regina Saba, uti videre est 3. Reg. 4. & 10. Ex quo & illud boni consequebatur, ut subditi Salomonis eo regnante habitarent absque timore unusquisque sub vite sua & sub ficu sua, 3. Reg. 4. Porrò melius regi familia non potest, quàm si ad Dei cultum & timorem, morumq; integritatem instituatur & instigetur, ut dicit scriptura, Eccl. 12. *Deum time & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo,* quasi diceret, in ea posita est felicitas hominis. Talis familia, quæ auscultat Deo, & servat mandata ejus, benedicitur à Deo & bonis omnibus cumulanda promittitur, uti habetur Levit. 26. cùm ait: *Si in præceptis meis ambulaveritis & mandata mea custodieritis & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum & pomis arbores replebuntur &c.*

Porrò uti Regis est, non mandare tantum, sed præire etiam exemplo; felix illa domus est, quæ talem habet Patremfamilias, qui suis doctrina & exemplo præit in timore Dei, Uti faciebat Centurio, de quo Act. 10. dicitur: *Erat Vir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi & orans Deum semper.* Item Regulus Evangelicus, qui *credidit, & domus ejus tota.* In Josephi somnio Paterfamilias comparatur Soli, Materfamilias Lunæ, filii stellis, Gen. 37. *Vidi Solem & Lunam & stellas undecim adorare me,* id est, Patrem, matrem & fratres meos, quia scilicet Paterfamilias debet in domo lucere velut Sol & cæteros illuminare. Talis Rex & talis Sol in domo sua Zachæus fuit, quia sua conversione totam illustravit & accendit domum suam; qui proinde meritò postea est à sancto Petro factus Episcopus Cæsareæ Palæsti-

Palæstinæ, apud Clem. lib. 1. & 3. Recog. dignus scilicet regere Ecclesiam, qui tam bene rexisset domum suam.

Quamvis igitur hi sapientes responderint sapienter: Veriùs tamen dicemus, eam domum esse felicissimam, in qua hospitatur Christus, qualis fuit domus Zachæi, in quam omnia felicitatis argumenta dicta simul confluxisse videntur. Ergò Auditores, si optimam & felicissimam desideratis domum vestram, invitate ad eam Christum, & Zachæum imitamini.

CONCIO V.

CRUCIS HONOR ET CULTUS ostenditur, defenditur.

I. Quia arca summi sacrificii.
II. Quia scala Christo ad gloriam.
III. Quia instrumentum redemptionis nostræ.
IV. Quia miraculosè servata.
V. Quia repræsentat Christum.
VI. Quia miraculis corusca.
VII. Quia semper in Ecclesia honorata.

THEMA.

***Ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eum*, Luc. 19.**

A. QUoniam nihil est in S. Evangelio, quod suo mysterio careat; quærat fortasse aliquis, quid tandem sibi velit aut significet Sycomorus? S. Augustinus serm. 8. de verbis Apostoli, ait, significare Crucem Christi; siquidem Sycomorus, ficus fatua exponitur; hujusmodi autem arbor Crux est Apostolo testante 1. Cor. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandum, Gentibus autem stultitiam.* Monet verò ibidem Augustinus, ut si Christum videre velimus, arborem hanc conscendamus: *Apprehendat Zachæus Sycomorum*, inquit, *ascendat humilis crucem. Parum est, ascendat; ne de cruce Christi erubescat. In fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, &c.* Et quidem nos, Christiani, à parte Zachæi stamus, Sycomorum haud erubescimus, Crucem veneramur & in ea gloriamur. Sed quid Lutherani & Calvinistæ? Toti nobis adversantur & non minùs, quàm gentiles Crucem pro stultitia habent & pro ficu fatua. Lutherus certè in formula missæ pro Ecclesia VVitteberg. tom. 2. lat. VVittenb. scripsit festa Crucis exterminanda, imò anathematizanda & diris devovenda esse. Et in Concione de exaltat. Crucis, ait: *Optarem ut everterentur omnes cruces, quæ sanguine sudarunt, per quas peregrinationes & aliæ nugæ introductæ sunt & tot errores & abusus exorti. Ad diabolum cum hujusmodi imaginibus; nullius enim boni causa sunt.* Et in lib. de bello contra Turcam: tom. 2. Germ. VVittenb. *Similes essem*, inquit, *viderémque in acie sacerdotem aut vexillum cruce insignitum, vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, quàm si me ipse diabolus fugaret.* Et in concionibus de invent. & exalt. Crucis, asserit se crucem, si qua ejus particula ei suppeteret, in cineres redacturum; item eò projecturum, quò sol radiis suis nunquam accedere posset. Calvinus inter alias erga Crucem hostilitates prohibuit, ne imago Christi Crucifixi è collo gestaretur; libenter paruerunt Calvinistæ, & loco imaginis Christi gestarunt aureas argenteasque imagines Calvini; de quo, cum quidam Calvinum admonerent, respondit: *Si quis hoc spectaculo offenditur, eruat sibi oculos, vel abeat cito & suspendat se.* Guil. Reginal. l. 2. Calvino-Turcismi c. 18. En quantum chaos, Auditores inter nos & vicinos nobis hæreticos! Accurrimus nos ad Crucem: aufugiunt illi à Cruce. Quæ enim nobis gloria & sapientia est, illis ignominia & stultitia est, quia nimirum Zachæi seu humiles esse nesciunt, ideò nec Christum vident, nec videbunt unquam. Sed nos ostendamus cultum S. Crucis.

B. I. *Quia ara summi sacrificii.* Primò. Probatur. Quia fuit ara summi sacrificii, in quo Christus Summus Sacerdos sacrificavit se ipsum, & reconciliavit Patri genus humanum, teste Apostolo ad Heb. 7. Unde Chrysost. hom. de Cruce & latrone? *Vide*, inquit, *Sacramentum: Ecce ipse se offert, ipse Sacrificiũ & Sacerdos fuit; & Crux altare.* Præfigurata autem fuit in altari holocausti, Exo. 27. quod de lignis setim imputribilibus erigi extra castra præcepit Deus, ut in illo quotidie immolaretur agnus. Sic enim in Cruce nunquam corrumpenda immolatus est Christus, qui est agnus occisus ab origine mundi, extra castra, id est extra Jerusalem, ut ait Apostolus ad Hebr. 13.

C. II. *Quia scala Christi ad gloriã.* Secundò. Quia fuit Christo gradus & quodammodò scala ad regnum & exaltationem nominis sui in universo mundo: Siquidem Apostolo atteste ad Philip. 2. *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Unde quoad hoc præfigurata fuit in scala Jacob, Gen. 28. quæ à terra pertingebat usque ad cœlum, cui desuper innixus erat Dominus: Ita enim August. in serm. 79. de temp. *Quid est*, inquit, *in scalam incumbere, nisi in ligno pendere?* Dum ergò in hanc scalam Dominus incubuit, per eam quodammodo ascendit ad summam cœli gloriam & supremum dominatum.

D. III. *Quia instrumentum redemptionis nostræ.* Tertiò. Quia fuit instrumentum Redemptionis nostræ à Tyrannide diaboli, trophæum item Victoriæ Christi erectum contra diabolum. Unde sicut Hebræi gladium Goliathi, quo David interfecit Goliathum, liberavitque simul totum Israeliticum populum

populum de manu Philisthæorum, loco sacro posuerunt veluti rem sacram, 1. Reg. 21. ita multò æquiùs observamus nos & colimus venerandam Crucem, qua velut proprio gladio diabolus peremptus fuit. Unde Macharius Chrysocephalus Archiepiscopus Oratione in Exaltatione Sanctæ Crucis apud Gretser. tom. 2. de Cruce ait: *David pastor ovium simul & Rex instrumentum, quod mortis aliquando causa erat, in præsidium salutis verti posse docuit, illudque intra tabernaculi adyta illatum Deo dedicavit. Christus autem cunctarum rerum Rex verusque pastor omnis naturalis creaturæ, ligno Crucis, quod olim perdendis hominibus Cacodæmoni instrumentum erat, in argumentum salutis transmutavit, ecciso Tyranno & mundo libertate restituta. Quapropter nos etiam gratias agentes exaltamus & exosculamur Crucem, Dei gladium, &c.* sic ille: Est & trophæum victoriæ Christi & liberationis nostræ: siquidem teste Apostolo ad Coloss. 2. Christus *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,* (quia scilicet eo obligabamur ad pœnam ęternam) *tulit de medio, affigens illud Cruci,* id est, cassavit & annullavit in Cruce. An non igitur nobis ratio sufficiens colendi & venerandi Crucem? Narrat Spartianus in Adriano, Adrianum Imperatorem ad conciliandam sibi populi gratiam infinitam penè pecuniarum (scilicet 27. millionum auri) summam, quę fisco debeatur, remisisse privatis debitoribus, eorumque syngraphas in foro Trajani combusisse. Atqui longè majus debitum nobis à Christo remissum, abolitum & combustum est ligno S. Crucis. Quis ergò non adoret venerabile hoc lignum, quo mediante debita nostra nobis insolubilia, deleta & exusta sunt?

E. IV. *Quia miraculosè servata.*

Quartò. Quia usque ad 300. annos inter hostes sibi infensissimos, Judæos & gentiles salva & incolumis latuit; ac primum sub Constantino Imperatore, eo videlicet tempore, quo jam securè honorari à Christianis poterat, mundo patefacta est, non sine divino impulsu multisque miraculis. Nimirum noluit DEus hostibus eam prodere & pretiosam hanc margaritam projicere ante porcos; noluit sumere panem filiorum & mittere canibus. Nobis decreta erat, qui eam debito honore eramus prosecuturi. Sed & cùm à Chosdroe Persarum Rege nobis intercepta fuit, detineri nequivit. Nam inprimis in Persidem delata & ab hostibus abducta, illos ipsos in sui admirationem & venerationem convertit, & aliquos ad Christum traxit, uti Anasthasium martyrem, ut in actis ejus apud Sur. 22. Januarii. Omnis enim Persarum regio ad Sanctæ Crucis adventum insolito quodam pavore inhorruit, & ubique fama increbuit, Deum Christianorum Persis adesse; eo ferè modo, quo olim arca fœderis à Philisthæis capta, tùm etiam ostendit, quam potente vi præsentis Dei armata esset, 1. Reg. 15. Certè post annos quatuordecim, quibus in Perside captiva detenta fuerat recepta est ab Heraclio Imp. & quidem maxima cum Persarum clade, tribus eorum Ducibus, & exercitibus superatis: Chosroe verò ipso fugato & occiso à proprio filio; Nec minori gloria & miraculo reposita est in locum suum, quam priùs inventa fuerat; Siquidem Heraclius cùm eam suis humeris eò, quò Salvator tulerat, referre omni modo conaretur, regio adornatus cultu, nequaqaam potuit; sed in porta insisterre coactus monitu Zachariæ Jerosolymitanorum Antistitis, posuit amictum regium, veluti parum similem Christi paupertati: & plebejo indutus habitu, tum demum absque ullo labore & molestia progredi potuit, Breviar. Rom. Sigebert. in Chron.

F. V. *Quia repræsentat Christum*

Quinto. Quia repræsentat nobis Christum velut imago, vel vicarius aut legatus ejus (non enim ut lignum præcisè veneramur) sicut calumniantur hæretici (sed ut imaginem Crucifixi) estque non solùm ejus contactu sanctificata, sed & pretioso sanguine tincta. Constat enim, legatis & Vicariis ex persona Dominorum maximam accedere dignitatem; Coronæ item; purpuræ, & thono ex persona Regis. Angli vacuam Regis sedem circumstant ac venerantur, velut si Rex in ea sederet: Jure ergò & David de hac Cruce dixit: *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est*, Psalm. 98.

G. VI. *Quia miraculis corusca.*

Sextò. Quia per eam plurima & testatissima miracula patrata sunt, & patrantur in hodiernum; fugantur dæmones & præstigiæ, pelluntur morbi & pericula, sanctificantur creaturæ ad plurimorum varias utilitates; uti alibi dictum. Jam si lapidem vel herbam aliquando tandi pendimus, & in rebus charissimis numeramus ob insolitos quosdam effectus: quare Crucem tot miraculorum orbi toti cognitorum effectricem non suspicienus, & convenienti cultu afficiemus? Ipse Deus tot miraculorum gloria Crucem honoravit; & nos honore debito spoliabimus?

H. VII. *Quia semper in Ecclesia honorata,*

Septimò. Quia perpetuo Ecclesiæ usu semper culta & honorata fuit, non modò prima illa Christi Domini, sed etiam reliquæ ad ejus imitationem factæ, ut videre est apud Tertullianum lib. de Corona militis, Hieronymum in Epist. ad Marcellam; Cyrillum lib. 6. contra Julianum, ubi Apostata cultum Crucis objicit Christianis loco probri: *O miseros, qui Crucis lignum adoratis!* Certè SS. Patres eam passim miris laudibus extollunt, Reges & Imperatores ad honorem ejus, supplicium Crucis sustulerunt, Crucem pro veeillo suo gesserunt, diademati suo imposuarunt, &c. Ecclesia denique tota miris modis honoravit. Quis autem sanæ mentis credat, Ecclesiam totam tanto tempore in tam gravi & Idololatrico (ut volunt) errore derelictam fuisses & latuisse omnes alios quantumvis occulatos Doctores Ecclesiæ, quod posteà viderit Lutherus & Calvinus cum paucis aliis? An non ipse Lutherus hoc argumenjo convictus scripsit in præfat. lib. de

ab roganda Missa privata, tom. 2. lat. VVitteb. *Quoties mihi palpitavit tremulum cor, & reprehendens obiecit eorum fortissimum & unicum argumentum: Tu solus sapis? Totne errãt universi tanta sacula ignoraverunt? Quid si tu erres, & tot tecum eorum trahas damnandos æternaliter?* sic ille, rem acu tangens. Sed audiamus & alteram partem.

I. I. *Aduersariorum obiectio.*

Primò. Objiciunt nobis: Crux attulit Christo dolorem & ignominiam, videtur igitur potiùs detestanda, quam colenda ab ijs, qui amore Christi tanguntur. Respondetur, Crucem non tantùm Christo peperisse dolorem & ignominiam: sed etiã gloriam & exaltationem sui nominis in cœlo & in terra, uti vidimus ex Apostolo, & quidem longè maiorem, quàm fuerit dolor & ignominia, longeque durabiliorem: dolor enim & infamia temporalis fuit, gloria æternum manet. Propter primum gaudebant de Cruce & pasione Christi, hostes ejus: propter secundum gaudemus nos.

II. Secundò. Stultus & impius esset filius, qui coleret patibulum, in quo parens ejus suspensus fuisset: Hoc autem nos facimus: ergò. Respondetur si parens filii non sua culpa, sed aliena crudelitate in patibulo suspensus fuisset, indeque Patri non solùm maxima gloria, sed & honor & virtus efficiendi mirabilia ipsi patibulo, ingens insuper fructus & emolumentum filio partum esset: nequaquam stultum & impium fore talem filium, qui coleret tale lignum; sed pium potiùs & prudentem futurum. Cùm ergò Christus in Cruce non sua, sed aliena crimina expiarit, & per summam injuriam in eam actus fuerit, indeque ipsi sibi gloriam immensam, Cruci vim patrandi tot miracula, nobis vero salutem pepererit: ingrati potiùs & stulti foremus, si crucem non coleremus.

III. Tertiò. Si colendæ sunt omnes Cruces, quia Christus in Cruce pependit; pari ratione colere oportebit omnia sepulchra, & flagella, omnes clavos, spinas, lanceas, arundines, columnas, imò omnes asinos, & labia Judæ, & manum militis percutientis, quia Christus in sepulchro jacuit, flagellis cæsus, clavis confixus, spinis coronatus, lancea perfossus, arundine percussus, columnæ alligatus, & asino vectus & Judæ osculo exceptus, & à servo improbo in domo Annæ percussus fuit. Resp. Honorari à Christianis Christum primò & quæ Christi corpus contigerunt, velut hoc contactu sanctificata & virtute supernaturali imbuta, uti de fimbria Christi, de umbra Petri, & Semicinctiis Pauli testatum habemus in scriptura. 2. Ea, quæ ad prædictorum imitationem & repræsentationem facta & fabricata sunt. Vti Cœnotaphia in memoriam Christi sepulti, Præsepia ad imitationem præsepis Christi fabricata. Columnas item in agris & viis ad imitationem illius columnæ, ad quam flagellatus est Dominus, erectas, quia sic induunt & subeunt rationem imaginis rei sacræ: omnis autem imago rei sacræ religiosè colenda est. Non autem honoramus ea, quatenus illis quomodocunq; similia sunt; sed quatenus ad illorum imitationẽ & repræsentationem expressa & effigiata, adeoque imagines illorum sunt. Ovum enim ovo simile est, sed ejus imago non est, quia de illo expressum non est, ut docet S. Aug. Iam verò Crux prima, in qua pependit Christus, utroque titulo honoranda est, quia Christi contactu sanctificata est, & prætereà Christum crucifixum nobis repræsentat. Cruces verò aliæ, quas pingimus & fabrefacimus, posteriore solùm, quia sunt imagines primæ illius Crucis adeoque Christi crucifixi. Sed non honoramus alia sepulchra, flagella, lanceas, spinas, clavos, &c. quia neutrum titulum habent: neque enim Christum contigerunt, nec imagines illius primi sepulchri, flagelli, clavi, lanceæ, &c. sunt; nisi fortè ad repræsentationem illorum imitatione quadam fiant, quo casu rationem imaginis induunt & haud dubiè coli possunt: Hinc cruces, quæ alio fine fiunt veluti ad fines agrorum discernendos, &c. nequaquam honoramus. Quod attinet ad Asinum, labia Iudæ & manum servi percutientis & alias hujusmodi imagines & reliquias, eas hæreticis colendas & osculandas relinquamus, ut saltem non careant omnibus omnino reliquijs & imaginibus: Siquidem Catholici non patientur facilè se adduci, ut hæc pro reliquiis colant. Præterquam enim quod sciunt ea tantùm colenda, quorum cultus nullam præ se fert absurditatem: sciunt etiam hoc; asinum, cui insedit Dominus, nec fuisse aram, in quo cruentum illud sacrificium pro salute mundi peractum fit: neque scalam, per quam ascenderit ad gloriam suam: nec gladium aut instrumentum, quo dæmonẽ devicerit, & ab eo redemerit: nec servatum aliquo miraculo & ad nos transmissum: nec Christum repræsentare: nec dæmonem fugasse aut alia mira patrasse: nec unquam ab Ecclesia cultum esse. Et si nihil horum congruit asino illi, cui insedit Dominus, quomodo alijs congruet asinis, maximè cum isti non sint imagines illius, sed fratres? Idem respondemus illis, cum ogganiunt, cur Cruci & non asino, laqueo Judæ & Pilati Tribunali festum instituamus. Hoc enim adhuc facere noluimus, ne Calvinistis & Lutheranis tantorum festorum gloriam præriperemus, quibus omnia ista in solidum transcribimus, ut ijs pro libito uti posint. Illud mirum, quod hoc hominum genus adeo delectetur asinis. Etenim Lutherus crebrò asinos eructabat, nec erubuit dicere, Papistam & Asinum esse unum, teste Surio in Coment. pag. 261. Calvinus etiam calumniatur in lib. de Reliquiis, nos caudam asini, cui insedit Christus, pro reliquiis venditasse & populo honorandam proposuisse. Gens etiam Lutherana quoties pingit summum Christi Vicarium forma asinina? Nimirum hoc à gentilibus mutuati sunt, qui teste Tercull.

tull. in Apol. cap. 16. calumniabantur Christianos colere asinum, & picturam proponebant forma asinina, quasi Deum Christianorum. Sed uti illi à Christianis tunc irrisi sunt, ita ridemus nunc hæret cos, quia ut apparet, eundem cum illis spiritum habent. Quod de labiis Judæ, & manu servi alapizantis inspergunt; scire debent fuisse membra hominum sceleratorum, & proinde incapacia omnis sanctificationis:

I. *Quid Lutherus contra Crucem.*

1.

Quæ porrò contra Crucem garrit Lutherus in Concionibus duabus separatim editis de Inventione & Exaltatione Crucis, meræ sunt calumniæ. Queritur ibi Primo: sumptuosa nimis templa Cruci erigi. Sed hoc fecere jam olim Sancta Helena, Constantinus Magn. & alii quorum institutum Deo placitum fuisse, sæpe miraculis ostensum est. Studium hæreticorum nullo adhuc divino indicio approbatum scimus. Queritur Secundò. Pauperes negligi, dum Cruces auro & argento ornantur: Sed videor mihi Judam audire, qui querebatur effundi unguentum in pauperes expendendum, non quia ipsi cura erat de pauperibus, sed quia fur erat. Quid, quæso, expilatores Ecclesiarum hæretici contulere in usum pauperum? Majores nostri, & in pauperes & in templa liberales fuere & tamen abundavere. Queritur Tertiò. Certis quibusdam in locis majorem populi accursum fieri ad S. Crucem, quam in aliis; quasi una altera potentior sit. Sed quid mirum hoc aut novum? An non Gen. 28. testatur Jacob magis religiosum & divino cultui sacrum locum esse illum, in quo Deum scalæ innixum vidit, quam alios? *Quam terribilis locus iste*, inquit, *non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cœli?* Et quid mirum, si Crux Dominica, Christi sanguine imbuta & sanctificata majorem vim obtineat, quàm imagines ejusdem? Queritur Quartò. Præceptum Christi eludi, utpote qui spiritualem tantùm crucem ferre nobis præceperit, non materialem. Sed noverit Lutherus 1. Si nihil agendum est nisi quod DEus expresse præcepit, perperam igitur agunt Lutherani, cùm Eucharistiam suam manè percipiunt, cùm Dies Apostolorum festivos agunt, cùm Dominicam pro Sabbatho celebrant, cùm crucem in templis suis retinent vel memoriæ tantùm causa. Deinde ubi hoc ipsum dogma scriptum est, nihil esse faciendum aut credendum, nisi, quod in Scriptura præceptum aut contentum est? 2. Scire nos quid sit ferre Crucem Christi, nescire tamen, ubi vetitum sit gestare crucem ipsam materialem. Hoc ubi nobis ostenderit, cessabimus à cœpto. Denique nugatur integram domum construi ex particulis S. Crucis, quę hinc inde ostenduntur, si in unum colligerentur. Liberalius Calvinus in lib. de reliquiis asserit particulis illis ferendis ne trecentos quidem homines sufficere aut integram navim. Animosiùs mentiuntur adhuc alii; ne decem quidem naves Batavicas. Sed, quid si his tenebrionibus opponamus unum Sanctum Cyrillum Episcopum Hierosolymorum, testem, ut ita dicam oculatum? Scribit in Catech. 4 Ligno Crucis universus terrarum orbis per partes repletus est. Et Catech. 13. *Per particulas ex hoc loco per universum orbem sparsum est.* Quomodo hoc fieri potuit, nisi per miraculosam Crucis restaurationem? cujus idem ipse testis esse videtur Catech. 10. Quid si addam & Paulinum itidem sanctum & Episcopum? Is. ep. 11. expresśè scribit: *Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentias & intacta permaneat.* An potiùs credere oportebit Luthero & Calvino, quam Cyrillo & Paulino, viris dignitate, sanctitate & antiquitate præcellentibus, quorum ille Crucem curæ suæ commissam habuit: An fortè impossibile erit, quod possibile fuit in multiplicatione panum, Joannis. 6. Et in reparatione arenæ indeficiente in loco, ex quo ascendit in cœlum Christus, quod testatur etiam Sanctus Paulinus loco citato; & Sulpitius lib. 1. Historiæ sacræ.

Quare Auditores, ascendamus cum Zachæo in Sycomorum, ea enim nobis est arbor sapientissima &c.

CONCIO VI.

DE QUADRUPLICI TEMplo mystico.

I. Christus.
II. Deipara.
III. Mundus.
IV. Christianus.

THEMA.

Templum Domini Sanctum est, Dei structura est, Vox Ecclesiæ.

A.

SAnctum jure merito dicimus templum illud, quod Deo consecratum ejusque cultui dicatum est. Et quis non magis Sanctum dicat esse templum illud, quod non solũ Deo dicatum, sed præterea etiam à Deo ipso Architecto ædificatum est? Tale templum Christus est, tale templum Deipara est, tale templum mundus est, tale denique Christianus est; Dei structura est, Dei ædificatio est. Quare nunc templo illo, quod ex lignis & lapidibus compactum est relicto, consideremus templa alia; quæ hoc insigniuntur nomine.

B. I. *Christus.*

Primum est Christus seu humanitas ejus, quemadmodum ipse testatur? *Solvite templum hoc*, &c. Joan. 2. Quod dicebat de templo corporis sui, uti mox

mox exponit Joannes. Templum autem vocatur primo. Quia in Christi humanitate habitavit verbum Dei per unionem hypostaticam, & ut ait Apostolus ad Coloss. 2. *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, id est, non umbraticè, ut olim in propitiatorio: nec phantasticè, ut voluit Manichæus: sed verè, realiter, & substantialiter: nec in anima tantùm, sed etiam in corpore.

2. Secundo. Quia humanitas Christi ad instar alicujus templi exornata fuit omni virtutum genere: & quemadmodum in templo Salomonis nihil cernebatur nisi aureum, vel auro tectum: ita in Christo omnia ejus opera erant aurea, id est, infiniti valoris, omnis generis virtutes in excellentissimo gradu, gratia excellentissima, anima ejus donata visione beatifica.

3. Tertiò. Quia sicut templum, Deo dicatum & ab omni labe purum esse debet; in eo abluuntur peccata; offeruntur preces & sacrificium Deo: sic verè templum Dei corpus est Christi, in quo nostrorum est purificatio peccatorum; verè templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, ut ait S. Ambros. in Psalm. 47. Sanè in Christo & per Christum offerrimus preces nostras, ut scilicet in eo quasi in templo sanctificentur, & gratæ Deo Patri reddantur. Denique in humanitate sua quasi in templo Christus peregit sacerdotium suum, præsertim quando in ea carnem suam Deo immolavit.

4. Quarto. Quia ut in extructione templii Salomonici nec malleus nec serra unquam audita fuit. 3. Reg. 6. ita corpus Christus mira & sola Spiritus S. operatione efformatum fuit in utero virginis: nulla humana accessit opera.

5. Quinto. Quia ut templum Salomonis spoliatum & vastatum fuit ab hostibus: sed postea restauratum & restitutum pristino decori est: ita Christus in passione despoliatus & deformatus fuit: sed in resurrectione sibi restitutus maxima cum gloria.

C. II. *Deipara.* Secundum est Deipara virgo. Vocatur enim ab Ecclesia *Templum Domini sacrarium Spiritus Sancti.* A Chrysostomo in ejus Liturgia: *Animatum Dei templum,* A Cyrllo Alexandrino hom. 6. contra Nestorium, *indissolubile templum,* Templum autem rectè vocatur. Primò, quia in ejus utero virgineo quasi in templo sanctissimo Christus novem mensibus habitavit, dum ex ea carnem assumpsit, & admirabile incarnationis mysterium in eo quasi in templo celebravit.

2. Secundò. Quia instar templi omni virrtutum splendore adornata & dotata fuit, adeoque ab omni labe pura, ut nihil in ea esset, quod oculos divinæ Majestatis offenderet; quemadmodum & in templo nullæ sordes tolerari debent. In fabricam templi Hierosolymitani præparavit David ingentes thesauros, copiam gemmarum, auri & argenti, æris & ferri: cujus rationem dat. 1. Paral. 21. *Opus enim grande est,* inquit; *neque enim homini præparatur habitatio sed Domino Deo.* Quæ ratio etiam ostendit, Deiparam omni gratiarum genere fuisse adimplendam, & Spiritu Sancto cooperante præparandam, ut dignum filii Dei habitaculum effici mereretur. Neque enim homini, sed Deo præparabatur.

3. Tertiò. Quia templum est locus immunitatis & venerationis ac oblationum. Deipara similiter est Asylum miserorum & refugium peccatorum. Unde Anselmus in invocatione Virginis; eam templum misericordiæ vocat cum Augustino serm. 2. de Assumpt. Qui ergò se reum novit, ad templum hoc confugiat. Non enim per violentiam extrahit eum CHRISTUS, qui iratum ipse DEUM Patrem primus in hoc placuit; nec ægrè ferre potest, si ipsum imitemur. Deinde eam summè venerari, ac per eam nostras oblationes Deo offerre decet.

D. III. *Mundus.* 1. Tertium est Mundus. Hunc enim pro templo agnoverunt Primò gentiles, qui vel idcirco mundo ædem rotundam statuerunt, mundumque nominarunt, ut Cato apud Festum in Conjur. civ. ait; Vel nullum omnino templum erexerunt, quòd mundum universum Numinis templum dixerunt, uti Persæ, qui Solem Deorum dicebant maximum. Diogenes apud Plutarch. lib. de tranquil. an. dixit; *Mundus est fanum quoddam sanctissimum & Deo dignum.* Deinde Christiani. Cùm enim objicerent eis gentiles tempore persecutionis, quòd templa non haberent, responderunt Christiana libertate, Dei templum esse universum hoc, quod cernitur, vel quæ lætiores complectitur ambitus, mentem suam. Apud Baron anno 211. Deniq; Baruch etiam; qui cap. 3. ait: *ô Israel, quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus! magnus est & non habet finem: excelsus & immensus. Ibi fuerunt gigantes illi, &c.* quibus verbis non sanè intelligit templum Hierosolymitanum; nec etiam cœlum solum: quia non fuerunt ibi gigantes, & templum suum habuit finem. Ergò hæc Dei domus totus mundus est, quem triplicem depinxere veteres correspondentem tribus partibus templi Hierosolymitani. Primus est sublunaris, constans ex elementis & mixtis, cui respondet atrium templi illius. Secundus est cœlestis, continens firmamentum & alios orbes cœlestes, cui respondet Sanctum. Tertius supramundus, continens cœlum Empyreum: cui respondet sanctum sanctorum. Rectè autem universum templo comparatur ob similitudinem inter utrumque non modicam. Nam in templo mundi tectum est firmamentum, & cœli, qui supra ipsum sunt: Lampades sunt stellæ firmamenti: candelabrum septiceps sunt septem planetæ: tapetia sunt variorum colorum nubes in aëre suspensæ: Parietes sunt montium juga,

juga, quibus incumbere videtur cœlum, si procul eos aspicias: parietum picturæ sunt sylvæ & horti: mare æneum seu lavatoria, baptisterium & aqua Lustralis sunt quasi mare & flumina aspersio aquæ benedictæ, pluviæ: pavimentum, terra: sedilia, aër, aqua, terra, montes, silvæ, specus, regiones, civitates, oppida, pagi; altaria sunt templa cęteris ædificiis communiter altiora: sacerdotes sunt homines: cantores, aviculæ: populus bestiæ aliæ: campanæ sunt tonitrua: preces horariæ & laudes Dei sunt functiones omnium creaturarum; cum enim ad fines suos tendunt, ad quos creatæ sunt, Deum consona voce laudant. Unde David omnes creaturas ad laudem Dei excitat, & veluti ad chorum convocat, ut suo modo omnes canant, Psalm. 150. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis Laudate eum omnes Angeli ejus*, &c. Concio est doctrina quam tradit nobis DEus, per contemplationem creaturarum quibus velut vocibus partim edocet nos Dei naturam & attributa, veluti immensitatem per magnitudinem terræ, maris, montium: pulchritudinem per Solem, Lunam, stellas, flores, gemmas: potentiam per structuram tantę molis cœlorum firmitatem, nubium volatum terræ consistentiam super nihilo &c. Sapientiam per tantam rerum varietatem, subtilitatem, ordinem, compositionem: Providentiam per cœlorum motum: perfectionem per rerum omnium perfectionem, &c. Per hæc enim omnia, invisibilia Dei conspiciuntur, Rom. 1.

D. III. *Mundus.* I.

Cæterum, quia in templo isto sacerdotum, id est, hominum major pars officio suo deest, adeoque mundum istum infinitis sceleribus, spurcitiis carnalibus & spiritualibus per multa sæcula contaminat, idcirco priusquam is renovetur ad statum alterius sæculi, expiandus erit. Quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita tunc fiet per ignem.

E. IV. *Christianus.*

Quartum est unusquisque fidelis, teste Apostolo 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis? &* 2. Corinth. 2. *Vos estis templum Dei vivi.* Ratio Prima est, quam mox subdit Apostolus: *sicut dicit Deus*, inquit, *quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, ipsi erunt mihi populus.* Habitat Deus in justo per gratiam; inambulat in eo, per actus fidei, spei, charitatis, ex memoria in intellectum, ex intellectu in voluntatē; item per contemplationem, cum de Deo & divinis rebus iisque, quæ ad salutem nostram pertinent, meditamur; rursus per sacram Communionem; denique cum nos ambulare facit de virtute in virtutem usque in virum perfectum.

1.

2. Secunda ratio est, quia non absimilis templo est fidelis. Nam corpus nostrum domus vocatur, quæ per mortem destruetur quidem, sed in resurrectione recuperabitur. Unde Apostolus 2. Corinth. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habeamus domum non manu factam, æternam in cœlis.* Anima sacerdos est: cor altare: in quo ignis charitatis semper ardere debet, ut præceptum est à Deo Levit. 6. Os cathedra: lingua concionator: Oculi fenestræ: aures binæ portæ, per quas solas ingreditur in animam verbum Dei, & fides, quæ teste Apostolo est ex auditu: lapides & cæmentum sunt ossa & caro: tectum, cranium: tegulæ capilli.

3. Tertia. Quia simili ferè modo initiatur & profanatur; initiatur & dedicatur Deo in baptismo: postea lustratur & expiatur per alia sacramenta, quomodo per aspersionem aquæ benedictæ lustratur templum diebus Dominicis. Profanatur per peccatum. *Quoties aliquod peccatum*, inquit S. Augustinus serm. 210. de tempore, *aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, & ei, qui in nobis habitat, injurias irrogamus.* Videat unusquisque & introspiciat conscientiam suam: quomodo Ezechiel cap. 8. jubetur fodere parietem templi, & videre abominationes, quæ inibi committebantur: videtq; reptilia, aliaque animalia & idola &c. Forsitan & tu, si conscientiam tuam fodere accurato examine velis, invenies monstra talia. Videbis forsan ementes & vendentes. Arripe igitur flagellum ad exemplum Christi, & ejice turbam illam. Vidit Judas sanctificationem desertam, altare profanatum, portas exustas & in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus; & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & clamaverunt ad cœlum; ut dicitur 1. Machab. 4. Igitur si & tu in corde tuo videas ejusmodi vastitatem, & desolationem, virtutes exustas, gratiam perditam, virgulta vitiorum nata: deplora calamitatem tuam, lachrymis contritionis.

CONCIO VII.

AD QUID ÆDIFICENTUR templa: & cur ornentur.

I. *Ad sacrificandum.*
II. *Ad sacramenta administranda.*
III. *Ad verbum Dei prædicandum.*
IV. *Ad Eucharistiam asservandam.*
V. *Adorandum.*
VI. *Ornantur. 1. Quia palatia Dei. 2. quia divinis privilegiis ornata. 3. quia facit ad devotionem populi. 4. quia sic Ecclesia Catholica exaltatur. 5. quia id fecêre majores nostri semper.*

THEMA.

In Domo tua oportet me manere, Luc. 19.

A. Sanctus Antonius Abbas lamentabilem aliquando visionem & eventûs futuri prævisionem habuit, quam, ut in ejus vita scribit S. Athanasius, cum lachrymis recensuit dicens: *Magnum quoddam & universis sæculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subvertetur, & homines jumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Et facta est vox Domini, dicens: Abominabitur altare meum. Nec mora: visionem sequitur effectus; nam post duos annos sæva Arrianorum irrupit insania.* Hæc apud Athanasium, qui in Epist. ad Catholicos testatur, Arianos consuevisse subvertere templa. Quod prævidit de Arianis Sanctus Antonius. Id heu experimur nunc in hæreticis nostri temporis, Calvinistis & Lutheranis, à quibus templa & altaria miserandum in modum passim prophanata cernimus, nec in horrea modo pleraque commutata, verùm & equorum stabula & in alios usus conversa; quodque etiam dictu horrendum est, neque facilè creditura posteritas videatur, in eo ipso loco, ubi tremendum Deo sacrificium non ita pridem oblatum fuit, furcam erectam videre licuit ab iis, qui Evangelici quàm Catholici dici malunt; uti testatur Stanislaus Hosius Card. in Confess. fidei cap. 90. Quòd si aliqua Catholicorum templa superesse passi sunt, & sua Evangelio tribuerunt, ea tamen omnibus sacris & ornamentis miserè spoliaverunt. Quis igitur hæc audiens vel videns non adnumeret hæreticos nostros mulis illis ab Antonio prævisis, & contra altare calcitrantibus omniaque dissipantibus? Non hi profectò cum Zachæo Christum in domum suam receperunt, sed è domo suâ ejecerunt. Nos igitur, Auditores, ut his mulis obviemus, ostendemus quàm meritò templa Deo ædificemus & ornemus.

Ædificantur.
B.
I.
Ad sacrificandum

Primò. Ædificantur, ut in illis Deo sacrificium offeratur. In institutione sacrificii missæ elegit Christus *cœnaculum grande stratum*. Marci 14. Ejusmodi autem cœnacula sunt templa, quasi tecta ampla dicta secundum Isidor. Decet enim, ut tam tremendum & angelis obstupescendum sacrificium non nisi in magnificâ & ad hoc deputatà æde fiat. Quòd si in veteri lege præcepit Deus pro Sacrificio illo typico construi tabernaculum idque sumptuosissimum Exod. 25. vetuitque sub pœnâ mortis sacrificari extra illud: Levit. 1. Quanto æquius est ut verum & unicum sacrificiū agni immaculati, Christi in ejusmodi offeratur tabernaculo, quod in eum finem splendidè extructum sit? Etenim nos, *Habemus altare*, inquit Apostolus ad Hebr. 13. *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Judæis ideò præcepit Deus ad ostium tabernaculi solummodò sacrificare, non extrà in aliis locis, ob periculum Idololatriæ, ne Judæi cùm gentibus in lucis & montibus idolis immolarent. At paris periculi erat, si sacerdotibus concederetur passim extra templum in ædibus privatis, aut alibi sacrificium offerre; quia id nec cum debitâ majestate, nec absque crebris irreverentiis & sacrilegiis fieret.

C.
II.
Ad sacramenta administrandum

Secundò. Ut in iis Sacramenta administrentur. Sunt enim quasi officinæ præstantissimæ pharmacorum cœlestium, quæ nobis donavit, & confecit sanguine suo Christus. Hæc autem si passim extra Ecclesias in ædibus quibuscunque absque necessitate dispensarentur, procul dubio vilescerent; nec tam commodè omnibus impertiri possent. Habent civitates suas quasdam publicas officinas, in quibus panes & carnes omnibus prostant: domum senatoriam, in quâ negotia civilia pertractentur. Multò autem majoris necessitatis & utilitatis sunt sacra; templo igitur indiget eorum dispensatio. Multi propria domicilia non habent; Ecclesia pandochion est, uti vocatur Lucæ 10. id est, omnium diversorium. Satius etiam est, ut hæc tam nobilia pharmaca quærantur in suâ officinâ quàm ut ipsa nos quærant in nostris domibus.

D.
III.
Ad verbum Dei prædicandum.

Tertiò. Ut in iis Verbum Dei populo prædicetur. Tametsi enim Christus & Apostoli omni loco docuerunt, maximè tamen in templo & Synagogis. Deinde illi adhuc militem colligebant: collecto illo, postquam Christiani creverunt in populum aliquem, mox extructæ sunt Ecclesiæ, in quibus Verbum Dei audiretur. Habet unaquæque Civitas scholas suas publicas: in quibus rudis pueritia & juventus erudiatur. Cur non habet etiam Ecclesia Christi? Schola igitur nostra templum est; ideò fideles in scriptura sæpe vocantur discipuli. Viderint igitur, qui, cùm in Doctrina Evangelica rudes sint, negligunt hanc scholam; quia cùm tempus examinis & ascensûs advenerit, non tantùm non ascendent ad cœlestem gloriam, sed per cribrum decident, & dejicientur in abyssum: quia *si quis ignorat, ignorabitur*, ait Apostolus 1. Cor. 14. id est, reprobabitur, dicente Deo: *Nescio vos.* Talibus ait Sophonias cap. 2. *Convenite, congregamini gens inerudita, antequam fitis sicut flos pertransiens die:* (juxta 70. Imterp.) Cæterum licèt discipuli sint fideles, pueri tamen non sunt qui verberibus, & minis adigi ad scholam debent. Neque etiam Synagogæ, quæ conductionem & Congregationem sonat, filii sumus, sed Ecclesiæ, quæ cætum vocatorum significat. Homines convocantur: pecudes congregantur. Nec facilè se excusabunt, qui dixerint se non indigere hac schola: quia Christiano perpetuò discendum est. Marcus Aurelius Imp. jam senex Sexti Philosophi Auditorium frequentabat, dicens: *Honestum est seni discere.* Philostrat.

Multò

Multò honeſtius eſt Chriſtiano etiam ſeni diſcere quæ ad ſalutem ſpectant.

E. IV. *Ad Euchariſtiam aſſervandam.*

Quartò. Ut in iis SS. Euchariſtia & Sanctorum reliquiæ aſſerventur. Si enim pro arca fœderis aſſervanda voluit Deus ædificari templum à Salomone: cur non magis pro Euchariſtia? Apes, teſte Ariſtotele lib. 10. de animal. naturali inſtinctu ſolent Regi ſuo regiam domum in medio alvearis ædificare, eum ſtipare & comitari cum ſonitu, idque fecere per miraculum SS. Euchariſtiæ apud Cæſarium lib. 9. cap. 8. Capellam ei mira ſtructura cum altari de materia favi extruendo: Quid ni hoc faciant Chriſtiani Regi ſuo Chriſto? Promiſit olim Deus populo Hebræorum, ſe habitaturum in medio eorum, per ſpecialem videlicet protectionem, & idcircò juſſit ſibi ædificari tabernaculum Exod. 25. *Facient mihi ſanctuarium*, inquit *& habitabo in medio eorum.* Sed longè præſtantiori ratione habitat in templis noſtris; nimirum, ut DEUS homo. Si ut Deus, non requirit templum, requirit ſaltem ut homo. Addo etiam Sanctorum reliquias dignas eſſe, quibus aſſervandis honorifica erigantur ædificia; ſiquidem aliquando in ipſa Cœli Regia æternum habitaturæ ſunt. Hinc Julianus Martyr ſibi templum erigi jubet, inſigni apologo utens. coram Eulogio, ut eſt apud Roſvveidum lib. 10. cap. 146. quando Julianus Martyr in ſpecie Juliani Archidiaconi in pavimento jacens & ſurgere juſſus, dicebat: Niſi mihi ipſe manum porrigas & erigas me, ſurgere non poſſum. Intellexit ergò Eulogius erigendum ei templum. Sanctus Cornelius Centurio ſub dio ſepultus, Epiſcopo Scepſæorum apparuit, expoſtulans, quòd tam diu deſertus jaceret & non viſitaretur. Cumque ſumptus non eſſent Epiſcopo ad extruendum ei templum: apparuit idem ſanctus homini cuidam diviti, & deſignavit formam templi ſibi ab eo extruendi. Sur. 13. Septemb.

F. V. *Ad orandum.*

Quintò. Ut in iis Deus oretur. *Tametſi enim & domi quidem*, inquit S. Chryſoſt. hom. 79. ad pop. Antioch. *orari poteſt; ſic autem, ut in Eccleſiâ non poteſt; ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur, &c.* Eſt ergò efficacior oratio, quæ in templo fit. 1. Ob precantium multitudinem & unanimitatem. Unde ibid. Chryſoſtomus ait: *Hic enim majus aliquid eſt, puta unanimitas & conſonantia charitatiſque vinculum & ſacerdotum orationes; propterea namque ſacerdotes præpoſiti ſunt, ut multitudinis orationes, cùm ſint infirmiores, hiſce potentiores adjungentes pariter cum illis in cœlum aſcendant.* Sic ille. Quemadmodum cùm magnus aliquis Dominus admittitur per portam, facilè cum illo inſinuant ſe aliqui, ut ſimul ingrediantur: ita preces imbecillorum facilè & ipſæ cœlum penetrant, ſi inſinuent ſe precibus fortiorum. Hinc jubet David laudare Deum in cythara & Choro; chordis & organo, Pſal. 150. Quia uti plures chordæ & fiſtulæ concinnatæ melius ſonant, quàm una: ita & preces multorum, juxta id Matth. 18. Ubi duo vel tres &c. 2. Quia multa ibi ſunt, quæ devotionem in orantibus excitant, uti loci ipſius conſecratio, ſanctorum, qui ibi vixerunt aut requieſcunt reliquiæ vel monumenta, imagines, miracula, miſſæ ſacrificium, exempla aliorum &c. Hinc ad incunabula Chriſti Bethelehemitica tantoperè anhelabat Sanctus Hieronymus eoque invitabat virgines & matronas: Sanctus Chryſoſtomus ad liminia & catenas Apoſtolorum Petri & Pauli. 3. Ob peculiarem quandam præſentiæ divinæ rationem, qua ibi Deus tanquam in regia & Baſilica ſua invenitur etiam corporali præſentia, & dona ac beneficia ſua liberaliùs ac promptiùs diſpertit. Sic enim de templo Salomonis ait Dominus: *erunt oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit* 2. Par. 6. Item: *erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* 3. Reg. 9. Ibi velut in proprio audientiæ loco expectat preces ſupplicum.

G. *Ornatur.*

Sed & ornantur templa: Ut enim parentes non ſunt contenti liberos ſuſcepiſſe, niſi eoſdem etiam veſtiant & ornent, ne invenuſtiùs incedentes ſibi dedecori ſint: ita pii quique non exiſtimant ſatis, ſi templum obtinuerint, niſi id variis ornamentis multò auguſtius reddant, ne aliquando audire cogantur id Proverb. 24. *per agrum hominis pigri tranſivi & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleverunt urticæ*; aut quid ſimile.

I. *Quia Palatia Dei*

Primò ornantur, Quia palatia & Regiæ ſunt Numinis. Quis neſcit Regum ornamenta eſſe plendidiſſima quæque, quæ haberi poſſunt palatia, veſtimenta, equos, currus, hortos, famulitium &c. Unde Chryſoſtomus hom. 18. in acta Apoſt. ait: *Non eſt res nova, templa habere ornata & altaria Deo conſecrare. Dic, oro; Si rex tibi præcepiſſet domum extruere, ut illic habitet, nonne omnia feciſſes? Nunc igitur regia eſt Chriſti, Eccleſiæ conſtructio; ne ſumptum ſpectes, ſed fructum computa.* Pro gladiatoribus paleſtræ & amphiteatra, pro ſenatoribus Curiæ & capitolia, Lycea pro Philoſophis, palatia pro mortali principe ſine ulla ſumptuum pœnitentia avidiſſimè adornantur; & templum in quo requieſcit Deus, in ſitu & ſqualore jaceat? contentus quidem aliquando fuit Deus ſtabulo Bethlehemitico: ſed jam nos eo contenti eſſe non debemus. Satis ſit vel ſemel Deum in ſtabulo jacuiſſe propter nos. Contemplemur hoc mundi palatium, in gratiam noſtram extructum, quàm id ſplendidum, quàm ornatum? Ibi amæniſſimi horti, diverſis floribus velut gemmis diſtincti: ibi campi hinc rivulis interſecti, inde arboribus inumbrati: ibi cœlum tot rutilantibus facibus lucidum &c. Unde & quorſum hæc tot & tanta ornamenta, niſi à Deo & pro homine ut habeat ſplendidam domum: Cur etiam

 vicem

vicem Deo non rependamus, & pro modulo nostro domum ejus adornemus?

H. II. *Quia divinis privilegiis ornata.*

Secundò. Quia & Deus ea ornavit multis gratiis & privilegiis; sua inprimis præsentia ut diximus; Deinde Angelorum custodia; Tertiò, peccatorum indulgentia. Quartò, Miraculorum gloria. Quintò, singulari protectione, ut contra invasores aliaque pericula illæsa conserventur, &c. Quidni igitur & nos eadem ornare decet? Si cui Civi Imperator Rom. domum eximeret à tributis, aliisque quibuscunque oneribus & subjectionibus, donaretq; aliis gratiis, non dubito, quin ille domum suam ad splendorem magnis exornaret sumptibus. Rursum si quis tibi Princeps donaret gemmam pretiosam, non dubito, quin eam auro includeres & passim ostentares. Hoc igitur nunc faciamus templis nostris.

I. III. *Quia facit ad devotionem populi.*

Tertiò. Quia per hoc devotio populi, & cultus divinus promovetur atque augetur. Cum enim cœlestium bonorum gloriam non nisi per considerationem & commensurationem rerum sublunarium capiamus: quò has splendidiores conspexerimus, eò magis ad supernorum bonorum apprehensionem & admirationem ascendimus. Jam verò templum, quasi cœlum nostrum terrenum est, idque repræsentat: Hinc varia in illo proponuntur oblectamenta. Oculorum: picturæ, vestes & vasa sacra: Aurium, Organa & symphonia: Narium suffitus thuris, &c. Quæ dum mirantur homines, incipiunt cogitare quid in cœlo futurum sit, si hæc in terris sunt. Hinc incitantur ad devotionem, contritionem, amorem virtutum, sanctorum imitationem & templi frequentationē & dicunt cum Davide: *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia*, Psal. 83.

K. IV. *Quia sic Ecclesia Catholica exaltatur*

Quartò. Quia per hoc Ecclesia Catholica exaltatur, & ab hostibus suis suspicitur: Infidelium autem & hæreticorum Synagogæ confunduntur & sordescunt. Ita cum Urbanus Papa sub Alexandro Imperatore pro sacris ministeriis omnia argentea fecisset, divino planè consilio Ecclesiæ Christi gloria effulgebat, sacra interim Gentilium profana obsolescebant, auctoribus ipsismet Impp. Nam Alexander Imperator nunquam ultra 4. aut 5. argenti libras, auri ne guttulam quidem in fanis suis posuit, susurrans illud Persii: In sanctis quid facit aurum? Et Maximinus ejus successor, quod erat in templis auri vel argenti sustulit, auctore Herodiano lib. 7. Baron. anno Domini 233. Hac eadem ratione offenduntur hæretici hujus temporis splendore & ornatu templorum nostrorū, dum vident nihil auri vel argenti, nihil sumptuosi vel pretiosi reperiri in suis templis, sed omnia nuda, lurida, obsoleta, in nostris verò templis maximum splendorem & plurimas divitias. Et quomodo non pudeat eos suimet, dum fateri coguntur, à se vel majoribus suis veluti ab erucis omnem templorum florem & decorem jam olim esse depastum, non aliud superesse, nisi squalorem & pauperiem vesaniæ suæ testem?

L. V. *Quia id fecere majores nostri semper.*

Quintò. Quia id fecerunt & Majores nostri cum potuerunt, maximè post tempora persecutionum, ubi pax Christianis solida est per Constantinum restituta. Audi Euseb. lib. 9. cap. 10. *Aderat cunctis*, inquit, *velut divino munere infusa lætitia, maximè videntibus ea loca, quæ paulo ante impiis Tyrannorum machinis fuerant destructa, redivivа constructione clariora & celsiora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventiculis elevari.* Audi Cyrillum Hierosolymitanum: *Isti, qui non sunt Reges pietatis ergo argento induentes & auro sanctam hanc Ecclesiam, resurrectionis splendidam effecerunt*: apud Boz. de sig. Eccles. tom. 2. lib. 20. cap. 6. D. Hieron. in Epitaph. Nepot. commendat Nepotianum, quod solicitus semper fuisset in vita: *Si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa & consita floribus; quod elegantissimi templi vestibulum arborum ranis & læta quadam viriditate ornavisset.* Ejusdem mentis fuit David vir secundum cor Dei, qui ait: *Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ejusdem ingenii filius ejus Salomon, qui templo à se magnificentissimè extructo noluit quicquam apparere, quod non aurum aut deauratum esset. Addo ipsum Deum, qui tabernaculum sibi fieri præcepit, splendidum, & vasa ejus pretiosa, Exod. 25. Quare si veteris Ecclesiæ, & Majorum nostrorum, si Davidis & Dei filii ac posteri esse volumus, diligamus decorem domûs Dei. Ne simus Judæ socii: dicentis: *Ut quid perditio hæc.*

CONCIO VIII.

TEMPLA CUR CONSECRENTUR.

I. *Ut in iis sacra fiant.*
II. *Ut statum totius Ecclesiæ commonstrent.*
III. *Ut moneant nos baptismi nostri.*
IV. *Ut ibi divina decentius peragantur.*
V. *Ut Dæmones ab illis arceantur.*

THEMA.

Hodie salus huic Domui facta est, Luc. 19.

A.

Nihil novi est, Auditores, si petulans juventus venerandam rideat canitiem. Id enim non solū hisce temporibus fieri, sed & olim factum esse conspicimus. Legimus namque lib. 4. Reg. cap. 2. quando Elisæus Propheta quà canitie, quà sanctitate venerandus ascendit in Bethel, pueros parvos idololatras de civitate egressos, illusisse ei dicen-

dicentes: *Ascende Calve, ascende Calve*; quibus cùm Propheta maledixisset in nomine Domini, egressi sunt duo ursi de saltu & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Et quid aliud, quæso, faciunt parvuli illi & nuper nati Christiani (si tamen Christiani appellari debent) hæretici nostri sæculi, dum Ecclesiæ Catholicæ non minùs antiquitate, quàm sanctimoniâ venerandæ, nusquam non illudunt, ejusque sacra omnia subsannant & irrident? Inter alia sacra sua consuevit S. Ecclesia ascendere in Bethel, id est, in domum Dei (hoc enim significat Bethel) eamque sacris ritibus DEO initiare, consecrare & dedicare. Quem ritum ipsa hausit à venerandâ antiquitate, ut patet ex S. Clemente Epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini, ubi ait Ecclesias & extrui & sacrari debere; ex S. Basilio, qui excusat se, quòd istiusmodi Cæremoniæ exspectatione diu suspendisset populum; ex S. Athanasio, qui Imperatorem ad similem actum invitavit, ex S. Cypriano sermone de Chrism. Augustino, Bernardo, qui cæremonias illas sermonibus suis explicant. Sed quid ad hæc Hæretici nostri? Omnia hæc tam sancta, tam antiqua, & in sanctis literis fundata subsannant & exsibilant, velut histrionica. Ecce tibi pueros; quorum secta vix centum annorum est, canitiem & calviciem Ecclesiæ ridentes. Sed sperandum est pueros istos cum suâ novitiâ Sectâ non diu tolerandos, eorumq; sectam brevi lacerandam & dissipandam. Nos porrò ostendemus rectè ab Ecclesia consecrari templa.

B. I. *Ut in iis sacra fiant.*

Primò. Ut DEO & divinis actionibus sacra fiant, adeoque ab omni profanatione impolluta serventur, & servanda esse sciantur. Debet enim hoc externis quibusdam ritibus manifestari hominibus, quòd videlicet locus hic vel ille Deo & sacris rebus deputatus sit, uti fieri etiam solet in contractibus, nuptiis, coronatione &c. Quoniam ergò dedicatur Christo, ideò ad hoc significandum pingitur signum ejus, id est, Crux, qua tanquam sigillo munitur & obsignatur undique. Et quia non debet esse profana & communis domus, sed sacra & regia (unde Basilica vocatur) ideò inungitur sacro oleo. Hoc enim cùm sit nobilissimus & penetrantissimus liquor, aliis liquoribus supereminens, appositissimum & communissimum est consecrationis symbolum. Quia rursus templum destinatur sacrificiis, orationibus & aliis sacris functionibus, ideò aspergitur aquâ benedictâ, thus adoletur, cerei accenduntur, scribitur in pavimeuto alphabetum Græcum & Latium, quia in illis duabus linguis tantùm fit Missæ Sacrificium. Et quia sacratur ad concionandum & docendam fidem, quæ est fundamentum Justitiæ, ideò describitur in pavimento alphabetum, idque Græcum & Latinum, quia illis linguis utebatur tota fere Ecclesia, quando has cæremonias instituit. Quia etiam in templo non solùm docentur homines, sed etiam moventur & inflammantur ad virtutem & vitæ novitatem, ideo fit mixtio aquæ, cineris, salis & vini. Aqua hominem indicat frigidum & insipidum, cinis pœnitentiam & mortificationem, sal saporem & sapientiam, vinum lætitiam & fervorem novæ vitæ. Quia deniq; diabolus inde ejicitur, Deus invocatur & sancti, ut in eo loco habitent, ideò pulsato ter ostio jubetur abscedere dæmon, vicissim reliquiæ sanctorum introducuntur.

C. II. *Ut statum totius Ecclesiæ cõmonstrẽt.*

Secundò. Ut statum, progressum & sanctificationem Ecclesiæ, quam per Christi Passionem consecuta est, designet. Ecclesia enim materialis spiritualem designat. 1. Ergo proponitur & pingitur Crux tanquam Ecclesiæ Vexillum, sub quo voluit Christus conscribi milites suos Christianos. Ad hæc accenduntur duodecim lumina coram totidem crucibus per Ecclesiam dispositis, ad significandum, quòd duodecim Apostoli hoc vexillum Christi per totum orbem terrarum portaverint; & suâ prædicatione mundum illustrârint. Unde Apost. 1. Corinth. 1. *Prædicamus Christum crucifixum &c.* 2. Pontifex cum clero & populo ter circuit Ecclesiam, templum interim aspergens aquâ benedictâ, & ter Ecclesiæ fores pulsans ad ejiciendum inde adversarium, & fores reserandas: quibus tertiâ demum vice apertis adversarius, qui templum inhabitârat diffugit, & Episcopus dicit: *Pax huic domui.* Quare docemur Christum ejusque Vicarium Pontificem cum suis fidelibus per annos 300. circuisse mundum eumque aspersisse partim aquâ Verbi Dei, partim sanguine martyrum: pulsasse etiam fores mundi illius obcæcati tripliciter: miraculorum ostensione, vitæ innocentiâ & sanctitate, verbi DEI prædicatione constanti & imperterritâ, ut ejiceret inde Idololatriam ejusque authorem dæmonem. Id quod post 300. demum annos sub Constantino Magno potissimùm obtinuit. Tunc enim Christianis licuit ingredi & egredi; tunc pax Ecclesiæ reddita est plenaria; tunc fugata Idololatria. 3. Per totam Ecclesiam ab Oriente versus Occidentem describit in pavimento alphabethum Græcum & Latinum in formam Crucis, ad indicandum quòd transierit Evangelium ab Oriente ad Occidentem, id est, à Judæis ad gentes, & quòd sub Constantino maximè cœperit prædicari Evangelium per universum orbem, ac duabus potissimùm linguis, Græca scilicet & Latina. 4. Miscetur aqua cum vino, sale & cinere, eaque cum hyssopo conspergitur Ecclesia, in signum baptismi, qui sub Constantino potissimùm cœpit totum orbem aspergere. Aqua baptismum & alia Sacramenta, cinis mortem Christi, unde is efficaciam suam habet, denotat: sal & vinum prædicationem Verbi DEI sapientem, qua baptismus promulgatus: hyssopus herba humilis, radicem in petris habens, fidem, per quam applicatur, denotat. Desumptus videtur hic ritus ex Num. 19. ubi dicitur periturum de populo, qui non fuerit aspersus hyssopo & aqua cum cinere vaccæ rufæ mixta. 5. Formantur & liniuntur

chrismate Crucis in parietibus, quia & tunc (sub Constantino) Vexillum Crucis publicè erectum & cultum fuit; nec non inunctum, quoniam ipsa Crux ejusque imitatio facilis, suavis & jucunda facta est cultoribus suis. 6. Reliquiæ in altari conduntur; quia & nunc Sanctorum reliquiæ honorificentiùs condi & coli cœperunt, uti & ipsi Sancti non jam amplius occidi, sed magnifieri.

D. III. *Vt moneant nos baptismi nostri.*

Tertiò. Ut quivis hominum admoneatur templi sui spiritualis, quod est ipse in baptismo Deo consecratus, Deo dedicandi & sanctificandi. Ergo initio Episcopus ter circuit Ecclesiam & ter pulsat ejus fores: sic initio Deus per suos Prædicatores circuit quasi, & movet animum hominis infidelis vel peccatoris ad fidem vel pœnitentiam, investigando ejus conscientiam circa cogitationes, verba & opera, pulsatque eum triplici ictu, ostensione suorum beneficiorum, promissione præmiorum, comminatione pœnarum. His modis stat ad ostium & pulsat quousque homo ejiciat ex se dæmonem seu peccatum.

2. Ingressus Episcopus eodem baculo describit in pavimento cinere conspersо alphabetum: sic Deus per suos præcones in cordibus pœnitentium inscribit rudimenta fidei, faciens eos Catechumenos. Similiter in cor peccatoris jam Christiani inserit meditationem mortis, eaque mediante inscribit ei propositum emendationis; quasi diceret: animadverte, cujus vestigia sunt hæc? uti in simili legimus Dan. 14. Ut ita pœnitens respondeat cum prodigo: Luc. 15. *Surgam & ibo ad Patrem meum, &c.*

3. Aspergit Episcopus templum aqua benedicta & accendit cereos: sic post Catechismum sequitur baptismus, in quo datur ei cereus in manus, ut noverit habendam sibi fidem vivam & ardentem, cum qua velut lampade accensa occurrere possit Christo. Vel si homo sit fidelis, aspersio notat Pœnitentiam & absolutionem sacramentalem, quâ lavatur à sordibus suis peccator; Cerei significant instructionem, quam pœnitenti dat Confessarius, ut intelligat peccatorum gravitatem, & media norit ad ea deinceps vitanda.

4. Cruces in parietibus effigiantur pollice Chrismate tincto; sic baptismum sequi debet Confirmatio. Vel si homo est fidelis & pœnitens, formatur in eo Crux, cùm monetur renuntiare prioris vitæ licentiæ: & tollere crucem suam, abnegando se ipsum voluptatibus & peccatis, & quævis contraria potiùs perpeti, quàm relabi in peccata: quæ tamen Crucis asperitas suam habet unctionem & suavitatem, uti docet S. Bernard. sermon. 1. de Dedicat.

5. Fit mixtio salis, aquæ, vini & cineris: ut indicetur totam vitam hominis consumi debere in mortificandis vitiis & sectanda vitæ novitate. Vel in homine pœnitente significat satisfactionem competentem à Confessario injunctam.

6. Reconduntur in altari reliquiæ (*quæ sunt exempla*, inquit, Innocentius serm. 2. in Dedicatione templi, *nobis ad imitandum relicta*) Hæc in capsa recondimus, cùm ad imitandum ea in memoria retinemus. Quod iisdem verò reliquiis tria thuris etiam grana adjunguntur, significat Sanctorum exempla cum fide Trinitatis debere nos in memoria retinere; nam sine fide impossibile est placere Deo. Tabula superposita charitatem innuit, de qua Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c.* Mensa inungitur, ut charitati misericordia adjungatur, unctio namque misericordiam designat. Sex locis inungitur tabula, in medio, in fronte, & in quatuor angulis: ita sex sunt opera misericordiæ. Post unctionem adoletur incensum, ut fama boni operis effundatur ad proximos, & ita Christi bonus odor simus in omni loco. Vestitur hoc altare, quando bonis operibus cor mundum adornatur & virtutibus; & tunc offertur in eo gratissimum Deo sacrificium. Atque hac ratione sanctificari debet, qui ad sacramentum altaris accedere vult, quam sanctificationem prævia denotari per templi Dei dicationem asserit S. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. ad 2.

E. IV. *Vt dæmones ab illis arceantur.*

Quartò. Ut ibi divina decentiùs & salubriùs peragantur majori videlicet cum reverentia, & populi ac cleri devotione. Ut enim non decet profana in sacris locis fieri & tractari: ita non decet sacra in profanis locis tractari, nisi necessitas compellat. Vnde S. Basilius in contract. reg. q. 310. *Quemadmodum*, inquit, *ratio non admittit, ut commune vas in sancta loca inferatur: ita neque permittit ut sacra in profanis ædibus celebrentur.* Quare sicut Apostolus reprehendit eos, qui in Ecclesia edebant & bibebant, 1. Cor. 11. dicens: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam DEI contemnitis?* ita eosdem etiam reprehendisset, si Dominicam Cœnam in privatis ædibus sumere voluissent. Centurio quamvis adhuc gentilis indignam judicavit domum suam, in quam intraret Christus: (ideo eam vocat tantùm *tectum*) quanto magis id fecisset, si Christus in ea perpetuò habitare voluisset? Oritur etiam hinc in cordibus fidelium major reverentia erga locum sacrum, quem tot sanctis cæremoniis DEO initiatum esse intelligunt. Quis enim vel aulam Principis terreni splendidam ingrediens non priùs tergit pedes, non inibi sibi attendit, mores componit & conspectum Principis omni reverentia præstolatur? Ergò nisi plùs quàm agrestibus moribus simus, id ipsum multò impensiùs in templo faciendum, quod novimus esse DEI aulam.

Quintò. Ut maligni spiritus per hoc à templis longiùs arceantur. Nullum enim dubium est, quin illi multò maximè insidientur locis istis, ubi fideles ad DEI cultum, & animæ suæ salutem pertractandam conveniunt. Illud enim Castellum maximè impugnat hostis, unde maxima damna accipit. Quare

Quare ne in illis infestiores sint Christianis, salubriter benedicuntur. Quod si Magnatum ædes ferè hoc habent privilegium, ut nemo reus ibi à lictoribus capi vel inde abstrahi possit: cur non hoc privilegii habeant ædes sacræ, nt ne mali genii pro libitu grassari in illis queant? Exemplum refert S. Greg. Magn. lib. 3. dial. cap. 30. & aliud. Sigebertus in Chron. ut alibi vidimus.

Porrò DEO placitas esse templorum dedicationes, colligimus ex miraculis, quibus interdum sancti initiarunt templa consuetis Ecclesiæ Cæremoniis, uti S. Petrus templum suo nomini dicatum Londini, apud Bedam lib. 2. hist. Anglor. c. 3. S. Leo Papa IX. Cui Ratispona Norinbergam proficiscenti duo quidam viri illustres Schvvarzeburgicorum Dynastarum gente occurrentes rogavere, uti paululum flecteret iter in latus, ubi in conspectu ædiculam S. Cruci constituerant, & sacellum sacra cæremonia dedicaret. Leo non digressus loco, sed protensa manu signum S. Crucis expressit absensque locum consecravit. Quare Conditores haud contenti instabant, ne gravaretur ipse accedere & aras initiare. Tùm deinde Pontifex; *Ite*, inquit, *& nisi ritè lustratæ ædis signa expressa deprehenderitis, reversi me revocate.* Abiere, domum sacro oleo delibutam offendere, cruces, literas in pulvere scriptas & alia lustrationis peractæ certissima argumenta, nec dubitavere, quin Pontifici Cœlites subministrarent. Ita P. Matth. Rader. in Bavaria sancta vol. 1. in Leone. Quin etiam ipsemet Christus templum S. Dionysii apud Robertum Gaguin. lib. 3. Annal. Franc. & ædem Beatæ Virginis ad Eremum apud Helvetios, ut refert Christoph. Hartman. in Annal. Eremi Helvet. anno 747. Sacris ritibus dedicavit.

CONCIO IX.

OBJECTIONIBUS HÆRETIcorum contra dedicationem Ecclesiæ respondetur.

I. Carpunt dedicationem.
II. Carpunt cæremonias.
III. Carpunt anniversarium dedicationis.
IV. Carpunt populi concursum.
V. Carpunt abusus.

THEMA.

Cùm viderent omnes, murmurabant, Luc. 19.

A. VUlgò dicimus nos Germanni, nullum esse sacellum tam exiguum, cujus Dedicatio semel in anno non celebretur: Kein Kirchle ist so klein/ in dem nicht einmal im Jahr Kirchweyhe sey. Nihilominùs tamen contra hanc consuetudinem arietat Lutherus in libro ad Nobilitatem germanicam, ubi ait: *Ante omnia dedicationes funditùs extirpari deberent, cùm nihil aliud sint, quàm tabernæ, nundinæ, & aleatorum lusorumque scenæ.* Audire mihi videor Pharisæum aliquem in hodierno Evangelio murmurantem contra Christum, quòd diverterit ad Zachæum. Quod enim ibi fecit Dominus, hoc spiritualiter facit Ecclesia adhuc, cùm templum aliquod dedicatur. Ingreditur enim domum, prius profanam, facitque eam domum suam & impertit ei salutem. Cavillatur hoc Lutherus. Sed nos cum Zachæo stamus in sententia nostra. Nec quicquam etiam effecit Lutherus apud suos, imò nec apud se ipsum, ut testantur conciones, quas in Anniversariis Ecclesiarum Dedicationibus habuit, habentque sectatores ejus Prædicantes.

B. I. *Carpunt Dedicationem.*

Murmurant Primò. Contra Dedicationem, quòd templa nostra tanta lætitia & solemnitate dedicentur. Sed ego cum Zachæo stans, Respondeo: Ecce Moyses jussus est à DEO sanctificare tabernaculum & cuncta ejus vasa, Exodi 30. Ecce Salomon, Esdras & Macchabæi, tribus distinctis vicibus templum illud Jerosolymis maxima cum lætitia & solemnitate celebrarunt, uti videre est. 2. Par. 7. Esd. 1. c. 6. 1. Macchab. cap. 4. Quin & gentiles sua templa maxima solemnitate initiasse leguntur apud Tacitum lib. 4. histor. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. Liv. l. 19. Quæ omnia ostendunt templa omnium gentium opinione Deo sacra, & à profanarum rerum numero exempta esse debere, ac proinde ea certis ritibus, & ex naturæ instinctu dedicari. Hoc & Christus indicavit, cùm dixit: *Domus mea domus orationis est. Domus mea*, inquit. Ergò certo aliquo indicio DEO assignari & transcribi debet, ut omnibus sit notum, non esse profanam, sed Dei domum. Idipsum confirmavit Dominus, cùm huic solemnitati interfuit Jerosolymis, Joan. 10. Ubi templum intravit & concionem habuit, in qua Divinitatis suæ Sacramenta pandit. Denique omnes homines ad finem & complementum magnorum & Reipublicæ utilium operum gaudere & congratulari solent. Quidni etiam nos gaudeamus de templi perfectione, quæ tanto fit Reipublicæ bono? quæ ex domo communi fit domus DEI & porta Cœli, ut dicebat Jacob? Gen. 28. Accedit S. Augustinus Sermon. 255. de tempore, scribens in festo Dedicationis: *Justè ac meritò gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus vel unctus lapis est, in quo nobis divina Sacrificia consecrantur.* Neque novum est hoc, sed in Ecclesia semper usitatum, ut patet tempore Evaristi Papæ VI. à Petro an. 112. qui titulos, id est, domos recens divino cultui mancipatas signo Crucis, (quas Ecclesias dicimus) divisit in Urbe Clericis. Baron. eo anno. Quanquam facilè concesserim, parum solemnitatis ante tempora Constantini adhibitum fuisse ad ejusmodi Dedicationes, propter persecutiones.

Postmo-

Postmodum verò maxima cum pompa & lætitia peractas fuisse nemo est, qui dubitet. Templa verò post ejusmodi Consecrationem sancta esse & haberi debere patet Primò ex relatione ad Deum, cujus domicilia esse incipiunt: quæ enim Deo dicantur, sancta sunt, ut videre est Levit. ult. Secundò. Ex precibus & benedictione Episcopali. Tertiò. Ex rebus, quæ in templo sunt & servantur. Ex Dæmonis ejectione, uti ex historiis patet.

C. II. *Carpunt cæremonias.*

Secundò Murmurant contra cæremonias, quibus dedicantur Ecclesiæ. Sed ego contra sto cum Zachæo & dico: Ecce Jacob *erexit lapidem in titulum*, seu altare *fundens oleum desuper*, Genes. 28. Simili ritu Moyses Tabernaculum, altare & omnia ejus vasa oleo sacro consecravit, uti ei præceptum à Deo, Exod. 30. Sic Machab. 4. Machabæi incensum posuerunt super altare & accenderunt lucernas. Salomon templum suum mactatione boum 22. millium, Ovium centum viginti millium dedicavit. Atque ut taceam gravissimorum Conciliorum & Pontificum decreta & testimonia (quibus contradicere insani hominis est) Finis horum rituum pro se ipso loquitur, qui est:

1. Primò ut his cæremoniis notum fiat, templum ejuscemodi DEO & Sacris actionibus mancipari, ac proinde omnibus maximæ venerationi esse debere.

2. Deinde quid velit Deus fieri in templo suo spirituali, id est, anima cujuscunque, uti alibi explicamus.

3. Denique propter fructum multiplicem qui nobis provenit. Excitant enim hæ cæremoniæ reverentiam erga res divinas, quarum usus est in Ecclesiis: reprimunt malignos spiritus, qui in iis potissimùm precantes perturbare conantur: quod exemplo S. Gregorii lib. 3. dial. cap. 30. patuit in quadam Ecclesia, ex qua tempore Dedicationis Diabolus specie porci discurrens inter præsentium pedes exturbatus est. Similiter quando Ecclesia major Coloniæ debebat dedicari, nocte præcedente auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium & conquerentium se à possessis diu sedibus debere expelli, ut scribit Sigebertus ad annum Domini 871. Quemadmodum enim tempore morientis Christi Angeli Præsides templi auditi sunt dicentes: Transeamus ex his sedibus, ut S. Hieron. ex Evangelio Nazareorum clarum facit (quia Angeli non manent, ubi Deus expellitur) ita intrante in ædem consecratam Divina majestate, Tartarei spiritus illicò proturbantur. Ad extremum impetrant nobis majorem gratiam & spiritualia auxilia apud Deum unaque peccata venialia expiant, uti docent Doctores, saltem ex opere operantis. Et certè mirum foret Salomonem exauditum esse in templi sui Dedicatione, & non audiendam esse Ecclesiam, seu Episcopum ejus nomine precantem in nostrorum dedicationibus.

D. III. *Carpunt Anniversarium Dedicationis.*

Tertiò Murmurant contra Anniversarium Dedicationis. Sed dico celebratum fuisse lege perpetua hunc Anniversarium à Machabæis, 1. Macch. 4. & durasse usque ad Christum. Idem institutum servatum est in Ecclesia, & à S. Felice Papa Martyre decreto sancitum seu potiùs confirmatum circa annum 273.

1. Nec immeritò: Primò Ut hujus beneficii, quo Deus inter nos habitare & domum sibi eligere cœpit, nunquam oblivisceremur.

2. Secundò. Ut spiritualis nostræ dedicationis, quæ facta est in baptismo, perpetuò memores essemus, cogitantes quid ante illam fuerimus, quid in ea promiserimus. Unde Rupertus in Genes. cap. 28. ait: *Non poterat fieri ut quisque nostrum diem suæ regenerationis annuatim celebrem ageret: nec rursum emittenda erat absque memoriali celebritate tanta gratiæ jucunditas, quæ singulis nostrûm collata est. Igitur qui diversis temporibus renati sumus, opportunè pro particularibus festis, universalia locorum festa celebramus, in quibus vitalia DEI dona percepimus.* Certè Gentiles Ephori & cum iis Lacedæmoniorum Reges instaurabant quotannis juramenta de servandis Lycurgi legibus, cur non & nos singulis annis recordemur sanctificationis nostræ & promissionis factæ Christo ad servandas ejus leges? Ad hæc si Reges & magni viri celebrant annuatim natales suos, uti fecit Herodes: cur non & nos natalitia nostra secunda, in quibus Reges spirituales facti & inuncti sumus, primis multò feliciora celebremus?

E. IV. *Carpunt populi Cōcursum.*

Quarto. Murmurant contra populi concursum ad nostras Dedicationes. Sed ecce Christus ipse unà cum aliis venit Jerosolymam ad Festum Encæniorum Joan. 10. Deinde quis non laudet potiùs quàm vituperet, quod Christiani ad hujusmodi Festum conveniant ad participandas Indulgentias & attestandum se esse ejusdem fidei & Religionis, cujus sunt illi, apud quos Dedicatio agitur? Ut enim lapides templi inter se uniti & arctissimè copulati unum conficiunt templum: ita Christiani fide & charitate juncti unam constituunt Ecclesiam. Neque hoc novum sed jam olim tempore Constantini Magni consuetum erat teste Eusebio lib. 9. hist. cap. 10. qui sic scribit: *Intereà festivitates à nostris frequentissimè gerebantur cum omni lætitia & exultatione, per urbes & loca singula Ecclesiarum Dedicationibus celebratis. Congregabantur in unū Sacerdotes nec pigebat etiam longè positos convenire, quia nullum longum videbatur spacium charitati. Concurrebant etiam populi ad populos & tanquam verè membra unius corporis Christi, jungi sibi invicem sociarique gaudebant.* Itaque gloriari potiùs nos, quam erubescere debemus de ejusmodi Conventu, quia Christianorum fervorem, pietatem & in fide concordiam ostendit, quæ quidem apud hæreticos minimè invenitur ut mirum non sit, si ad

si ad templum suorum Dedicationes minimè conveniant. Quanquam quid de ipsorum dedicationibus dico, cùm ipsi ante Lutherum nullam omninò habuerint Ecclesiam Lutheranam: omnes verò quotquot habent, Catholicis abstulerint? Habuerunt ante Lutherum templa sua Catholici à tot centenis annis, ab Episcopis his vel illis dedicata: Habuerunt suas Moschæas Turcæ: suas Synagogas Judæi, sed ubinam sua concionabula Lutherani? nusquam. Forsitan in privatis ædibus? aut in terræ rimis? sed ubinam illæ rimæ? ubi illæ domus? Monstrantur adhuc Romæ specus subterraneæ, in quibus latebant Catholici tempore persecutionis; sed ubinam specus Lutheranorum? Cæterùm nostra fuisse templa illa, quæ nunc ipsi inhabitant, ostendunt plurima indicia: Altaria, Sacrarium, Crux in summo templi, Vas aquæ benedictæ, Picturæ, Epitaphia, tabulæ Episcoporum, qui ea consecrarunt, nundinæ, quæ in hisce Conventibus à Mercatoribus institutæ etiamnum apud ipsos celebrantur, nec nisi ex Ecclesiarum dedicationibus extiterunt in præcipuis Germaniæ civitatibus.

F. V. *Carpunt abusus.*

Sed ob hoc ipsum murmurant. Quintò. Quòd tot & tanti abusus fiant in Dedicationibus, ut nihil aliud esse videantur, quàm tabernæ, nundinæ & aleatorum lusorumque scenæ, ut dicebat Lutherus. Sed heus vir bone; nunquamné audisti: Nullum esse templum, juxta quod Diabolus non ædificet Sacellum? Verùm scire oportet convivia sobria ad contestandam publicam lætitiam non esse contraria honestati & sacris literis, uti patet in Dedicatione templi Salomonis, ubi tot millia animalium mactata sunt, 3. Reg. 8. Item Esth. 9. &c. Et viguisse etiam in Dedicationibus, tempore Constantini Magni apud Euseb. loco cit. Quin etiam Dominus in persona patris illius dicebat filio suo: *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus est*, Luc. 15. Abusus verò, aleas, choreas & similia Ecclesia non approbat. Quanquam ipsi hæretici, eliminato cultu divino, qui hoc festo peragi solet, sedulò adhuc retinent ludos, saltationes, convivia, &c. Quin & ad vicinorum & Catholicorum Dedicationes, nulla tacti religione approperant: nec facilè adduci possunt ad suarum synagogarum Encænia celebranda, si hæ mundi illecebræ prorsus tollerentur, & siquidem id fieret, nemo scire posset, quando Dedicatio apud illos fieret.

CONCIO X.

QUANTO HONORE ET VENERATIONE AFFECTA SINT TEMPLA.

I. *A DEO. 1. Protectione, 2. Indulgentiis & gratiis, 3. Miraculis.*

II. *Ab Angelis. 1. custodiendo, 2. inserviendo.*

III. *Ab Ecclesia. 1. Profana arcendo, 2. Excommunicatos excludendo, 3. Immunitatem dando.*

IV. *Ab hominibus. 1. A Iudæis, 2. A gentibus, 3. A Christianis, 4. Ab hominibus, 5. A creaturis ratione destitutis.*

THEMA.

Vidi Civitatem sanctam, Ierusalem novam, descendentem de Cœlo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo,
Apoc. 21.

A.

QUando Rex aut Imperator aliquis puellam sibi desponsavit, tunc quam primum curat ut conjux etiam ipsa coronetur, & convocatis Regni primoribus Regina declaretur, & à subditis imposterum ut talis honoretur: Sic Assuerus Rex, postquam repudiata Vasthi, speciosissimam & virtuosissimam Esther sibi desponsavit, posuit diadema in capite ejus fecitque eam regnare loco Vasthi. Jussit insuper præparari Convivium permagnificum cunctis Principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther, 1. Esth. 2. Ad eundem modum Christus repudiata Synagoga Ecclesiam sibi desponsavit, cujus hoc templum typum gerit. De ea enim canitur hodie in epist. ex Apoc. Joan. *Vidi civitatem sanctam: &c. tanquam sponsam ornatam viro suo.* Quid igitur superest, nisi ut eandem Christus ab omnibus coli & honorari velit? Propterea siquidem eam solemnibus ritibus dedicari, & quasi coronari facit per manus Episcoporum, ut velut sponsa DEI & Regina à Christianis honoretur. Et verò quocunque aspicio, undique video magnis honoribus affici sacras ædes, ut mirum profectò sit, si quis reperiatur, qui hoc idem non faciat; cui ut pudor injiciatur, videndum, qui quibus honoribus cumulent S. Templa.

B. I. *A Deo. 1. Protectione.*

Primò. Honorat illa Deus. Primò quidem non tantùm singulari protectione, sed insuper suapte præsentia & reali existentia in sacra Eucharistia. Mirabatur Salomon DEI dignationem & bonitatem, quod sua protectione inhabitare templum à se ædificatum voluerit: *Ergone credibile est*, inquit, *ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt; quanto magis domus ista, quam ædificavi?* 2. Paral. 6. Quid dixisset, si vidisset DEUM corporaliter præsentem in templis Christianorum? Unde S. Chrysost. hom. 36. in 1. ad Corinth. ait: *Ecclesia est locus angelorum, locus Archangelorum, Regnum DEI, ipsum Cœlum; quod si non credis, aspice ad hanc mensam*, id est, Altare. Quare sicut meritò censetur Christus valde honorasse nuptias in Cana, quia in persona illis adesse

adesse voluit; sic etiam & multo magis honoravit templa, quibus in Eucharistia præsens esse voluit usque ad Consummationem sæculi. Quid enim hoc aliud est, quam è templo facere cœlum? Ubi Deus est, ibi ejus aula & cœlum est.

2. *Indulgentiis & gratiis.* Secundò Prærogativâ Indulgentiarum & gratiarum, quas orantibus in Templo promisit Deus. Si enim promisit orantibus in templo Salomonis, 3. Reg. 9. dicens: *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*; & 2. Paral. 6. *Erunt oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui oraverit in loco isto*: quanto magis templis novæ legis hoc præstabit? Multos novimus sola templi occasione è deterrimis sanctissimos evasisse, & qui corvi templum intrabant, columbas exiisse, quemadmodum publicanus ascendit in templum peccator, descendit justificatus. Indulgentiarum concessione honorat templa mediantibus summo Pontifice & Episcopis (qui eas velut dispensatores ejus è thesauro Christi accipiunt, & templis applicant) atque ita facit ea domus refugii, sicut in veteri lege sex civitates refugii constituit pro reis. Magnum foret Palatii illius decus & ornamentum, cujus ingressus à debitis hominem exsolveret. Talia verò templa sunt, si de peccatorum debitis loquamur.

3. *Miraculis.* Tertiò Miraculis. Cujusmodi pleni sunt libri. Notum id de Beata Virgine ad nives, cum in Augusto mense calidissimo Romæ nix eam partem collis exquilini mirabiliter texit, ubi Beata Virgo templum sibi erigi à Joanne Patricio voluit, sub Liberio Pontifice. Quin quædam templa ipse manu sua Christus consecrare voluit, ut S. Dionysii Parisiis, in cujus rei testimonium leprosum, qui in templo pernoctans vidit, curavit, & lepram faciei abstersam proximo lapidi agglutinavit, nti in hodiernum visitur, ut habet Rob. Ganguin. lib. 3. Annal. Franc. Sic in Eremo Helvetiorum Zu Einsidell/ adhuc monstratur figura manus Christi lapidi impressa ad contestandum, quod ipse templum id consecrarit.

C. II. *Ab Angelis.* 1. *Custodiendo.* Secundò. Sancti Angeli Primò. Custodiendo templa & altaria eaque defendendo contra hostes. Lauretanam ædem suis aliquoties manibus totam per aërem, & verò etiam trans maria portaverunt, Horat. Tursell. histor. Laur. lib. 1. cap. 2. 5. 7. & 8. Et quod in lib. Machabæorum 2. legimus cap. 3. Cùm duo juvenes, (qui erant angeli) apparuêre flagellantes Heliodorum direptorem templi. Id contra Saxones repetitum est: Ut duo cœlestes juvenes templum defenderent ab eorum importunitate, ut refert Ado Viennen. ætat. 6. sub Anno Domini 774. Visus est angelus præ foribus templi Constantinopolitani astare, qui prohiberet ab ingressu milites adversus Joannem Chrysostomum missos. Ut est in ejus vita. Quin etiam altaria consecrata ab Angelis custodiri patet ex prato spirituali Joannis Moschi Evirati, quod scribit ad Sophron. cap. 10. Cùm enim Barnabas Abbas juxta Jordanem, in spelunca sua altare erexisset; visus est in altari angelus ab Anachoreta quodam, qui cùm eum interpellasset: *Quid hic agis?* Respondit Angelus: *Ex quo sanctificata sunt ista à DEO ipso mihi credita sunt.* Quin etiam bestiis in loco sacro damnum inferri non est passus Angelus Michael in monte Gargano, cum sagittam in bovem emissam retorsit in sagittarium, Baron. 8. Maji in Martyrologio.

2. *Inserviendo.* Secundò, Serviendo in templis ad Missæ sacrificium præsertim. S. Chrysostomus hom. 15. In epist. ad Hebr. ait: *Plenæ sunt Ecclesiæ incorporeis virtutibus.* Et hom. 24. in acta Apostolor. inquit: *Nescis quod cum angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis?* Fuit verò Chrysostomus testis oculatus horum, quia S. Nilus Abbas ejus discipulus scribit ad Anasthasium Episcopum de eo, quod ferè semper quoties celebrabat, angelos viderit magno cum silentio & reverentia circumsistentes, & ministros altaris adjuvantes: Nimirum ut apes stipant, & circumdant suum Regem teste Plinio lib. 11. c. 17. sic & angeli Christum. Quid? num solum illum relinquerent?

D. III. *Ab Ecclesiâ.* 1. *Profana arcendo.* Tertiò. Ecclesia. Primò. Quia non tantùm illicita, uti inprimis sanguinis & seminis effusionem, sed etiam aliàs licita, profana tamen prohibet fieri in templis: uti Judicia & arbitria. cap. decet. de immunit. Eccles. in 6. Emptiones & venditiones ex ore Christi Matth. 21. Convivia & Agapes cap. non oportet. dist. 42. Conventus Clericorum ad negotia sæcularia. d. can. decet. Quòd si talia alibi licita, in templis sunt illicita, quantò magis cætera? Unde S. Augustinus tract. 10. in Joan. argumentatur. *Quòd si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus? si vendentes ea, quæ licita sunt, & contra Justitiam non sunt, expulit? &c.* Quid denique templum sanguinis vel seminis effusione polluere? Audiatur Apostolus 1. Cor. 10. *Si quis templum Dei violaverit*, inquit, *disperdet illum Deus* (quod quidem dicit de templo spirituali, homine: argumento tamen ducto à templo materiali.)

2. *Excommunicatos excludendo.* Secundò. Qui aprohibet ab eorum ingressu excommunicatos & interdictos. S. Ambrosius clausit fores templi Theodosio Imper. ob cædem Thessalonicensium Christianorum, donec prostratus ad pavimentum suffusus lachrymis publicam pœnitentiam egisset, ut in Baron. anno 390. Sic Fabianus Papa vetuit Philippum Imper. Ecclesiam ingredi, donec pœnitentiam ageret: ut refert ex Eusebio lib. 6. cap. 27. idem Baron. anno Domini 246. Sic Guilhelmus Episcopus Roschildensis Suenonem Regem Daniæ ab ingressu Ecclesiæ baculo pastorali foribus opposito prohibuit, eò quòd duos viros nobiles in Ecclesiâ trucidari jusserit, donec pœnitens & supplex ad fores templi venit.

Sic

Sic Babylas Episcopus cùm sacrificium in Ecclesia offerret, introspicienti per cancellos Numeriano dicebat: *Non licet tibi cruore & idolorum sacrificiis polluto, tam petulanter in domum Dei ingredi, & divina mysteria contaminatis oculis contemplari.* Niceph. lib. 6. histor. cap. 34. Paruêrunt hac in re etiam mortui sæpè, quemadmodum S. Gottardo Episcopo Hildesheimensi & priùs Abbati inferiori Altach, qui dum in sacrificio Missæ excommunicatos aliquos excedere è templo (juxta ss. canonum institutum) jussisset, & illi remanerent, sepulti quidam, qui simili anathemati subjacuerant, è tumulis templi surgentes exierunt, quos pudore suffusi viventes secuti sunt. Postquam verò Episcopus revocavit mortuos & absolvit, ad suum quisque tumulum rediêre: Matthæus Raderus in Bavariâ sanctâ.

3. Immunitatem donando.

Tertiò. Quia immunitate ea donat: cujus vigore primò, Patratores criminum ad eam confugientes abstrahi non possunt: & quidem jure. Si enim regia Palatia tali privilegio gaudent, cur non Basilicæ & Regiæ Dei? præsertim cùm & ipsæ sacro oleo, non minus quàm Clerici, inunctæ sint? Quòd si etiam apud Ethnicos hoc privilegio gaudebant aræ Deorum, & statuæ Principum & templum Dianæ Ephesinæ: cur non potiùs templa Christianorum? Jojada Pontifex vetuit Athaliam in templo occidi jussitque eam foras educi, 4. Reg. 11. Sic Banaias occisurus Joab, jussit illum è tabernaculo Domini egredi, 3. Reg. 2. S. Chrysostomus Eutropium confugientem ad templum à morte tutatus est. S. Basilius vindicavit viduam altare complexam à Præsidis injuriâ.

E. IV. Ab hominibus. 1. A Iudæis.

Quartò. Homines. Primò Judæi, qui quoties orabant, ad templum faciem convertebant etiam longè distantes. Sic Daniel in Babylone orans in cœnaculo suo solebat aperire fenestras contra Jerusalem, Daniel 6. Deinde Judæis templum ipsum ingredi non licebat: Unde Luc. 1. *Omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi*: Et ideò certum atrium erat populo assignatum. Soli Sacerdotes ingrediebantur templum, reliqui omnes tam nobiles, quàm ignobiles foris in atrijs consistebant. Denique si Montano in lib. de fabricâ templi credimus, nemini licebat in templo sedere, præterquem Regi & Pontifici. Nimirum illi servi erant, nos filij & liberi: ipsi filii Agar servæ, id est, Synagogæ: nos filii Saræ liberæ, id est, Ecclesiæ.

2. A Gentilibus.

Secundò. Gentiles: qui sua quidem templa magis afficiebant honoribus; siquidem ea solenibus ritibus initiabant, & præterea magno cum silentio in iis sub sacrificio versabantur. Unde Seneca teste in lib. de vita beata, Præco in templo clamabat: *Favete linguis: Silentium observate.* Apud Turcas piaculum est canes & similia inquieta & immunda animalia in eorum Meschitas inducere, teste Chauass. de prudentia lib. 1. cap. 9. Quid isti facerent & fecissent, si veri Dei templa habuissent? B. Arsenius visa compta & ornata muliere plorabat, quòd ipse non tantam haberet curam animæ, quantam illa corporis: sic audita Ethnicorum Religione plorare deberemus, quòd nos veri DEI templa non tantum veneramur, quantum illi fana Idolorum. Et verò etiam templa nostra aliquando venerati sunt; ut Antiochus qui 2. lib. Machab. 13. *Honoravit templum & munera posuit:* Similiter Heliodorus hostiam obtulit Deo in eodem 2. Machab. 3. Eôdem misisse munera Cyrum & Darium Artaxerxem ait Esdras, 1. Esdr. cap. 1. & 7. Adhæc Barbari Gothi Romam invadentes Christianis ad templa fugientibus pepercerunt, apud Bredenb. lib. 5. coll.

3. A Christianis.

Tertiò. Christiani & inprimis Reges ac Principes ea donariis, prædiis, privilegiis condecorârunt, ut alibi diximus. Deinde maxima religione coluerunt, uti Constantinus Magnus, qui ad fundamentum Basilicæ Vaticanæ S. Petri construendæ, ligonem accipiens terram primus aperuit, & inde 12. cophinos terræ suppositis humeris in honorem 12. Apostolorum asportavit, & ita gaudens & exultans in carruca sua sedens cum Episcopo ad palatium rediit. Theodosius Minor in Concil. Ephesino, ita loquitur: *DEI templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam Diadema Regiæ Majestatis insigne humiliter deponimus, & sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoq; oblatis ad extimum communeq; atrium mox nos recipimus.* S. Elisabetha similiter diadema deposuit templum ingressura. Chrysostomus in 2. Corinth. cap. 13. hom. 29. ait: *Vestibulum & ingressum templi osculamur.* Prætereà hom. 30. ostendens quomodo suo tempore templa colerentur, ait: *Non vides quomodo hujus templi limen intrantes osculantur? quomodo quidam genuflexi manum basient?* Item olim Ecclesiam intraturi lavabant manus, ut ostendit Corn. de Lapide in 1. Tim. 2. S. Martinus Episcopus nunquam in templo sedere visus est, ut in ejus vita?

F. V. A Creaturis ratione destitutis.

Quintò. Irrationales etiam creaturæ, & inprimis terra, siquidem orante S. Gregorio Thaumaturgo mons, qui ædificationem Ecclesiæ impediebat, tantum de loco suo recessit, quantum ædificationi necessarium erat, apud Euseb. lib. 7. histor. Eccles. cap. 26. Aqua similiter: nam anno Domini 589. Veronæ Athesis amnis ita crevit, ut aqua ad ædem D. Zenonis pervenerit. Et tamen ipso Rege spectante aqua apertis templi janubus ingruens, templum ipsum non iniit; ut alibi diximus, ex Carol. Sigon lib. 1. de Regno Italiæ ad annum 589. Item infideles aliqui in Cheresopa Chonesi Asiæ Regione, fluvium Chrysum in templum aliquod Christianum derivare conabantur, ut ejus alluvio templum subrueretur: cumque ad id alveum ingentem

gentem fodissent, fluvius nulla ratione eò adduci potuit, sed potiùs in contrariam partem erupit longissimè à templo. Ex Metaph. Lipomanus tom. 6. die 5. Septembr.

Quid igitur ad hæc dicemus, nisi id Esa. 23. *Erubesce Sidon, ait mare?* Erubesce ô homo, ait Deus, Angeli, Ecclesia, Judæi, Gentiles, veteres Christiani, Elementa, quod ipsa tantum reverentiæ & honoris exhibeant templis, tu verò tam parum.

CONCIO XI.

QUANTO FRUCTU FREquententur templa.

I. *Zachæus Christum vidit.*
II. *A Christo visus est.*
III. *Exauditus est.*
IV. *Fructus pœnitentiæ legit.*
V. *Salutem consecutus est.*

THEMA.

Ascendit in arborem Sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. Luc. 19.

A. FElix prorsus, nobilis & salutaris arbor Sycomorus illa fuit Zachæo nostro, in quam conscendit: siquidem in ea Dominum vidit: in eâ à Domino visus est oculo dilectionis: in ea exauditus est juxta desiderium suum, ut Dominum cognosceret, quis esset: in ea multos fructus pœnitentiæ invenit, compunctionis & remissionis peccatorum: per eam denique salutem acquisivit, & ex peccatore vir sanctus evasit, quia salus domui ejus facta est. Unde existimo Zachæum, quoties posteà Sycomorum illam præteriens intuebatur, toties illi gratias egisse ac dixisse: O felix arbor, ô nobilis arbor, ô salutaris arbor, quæ mihi Salvatorem ostendisti, quæ me Deo ostendisti, quæ desiderium meum explevisti, quæ conversionem meam procurasti, & fructus pœnitentiæ mihi obtulisti, quæ salutem mihi dedisti. O felix arbor, ô nobilis arbor, ô salutaris arbor! Et quis, ô Christiani, si talem sciremus arborem, quam tanto nostro fructu conscendere possemus, non totis viribus ad eam festinaret, & cum Zachæo præcurrens irreperet? Sanè si in terra Sancta adeoque in media Turcia arbor hæc vel similis adhuc extaret, meritò eam omnes quærere & conscendere deberemus.

Nunquid superest igitur ejusmodi arborum aliqua? Imò verò, & quidem multa millia per totum orbem Christianorum dispersa, & ubique passim obvia. Talia enim sunt Deo dicata templa, in quibus Christus transire quotidie cernitur in missæ Sacrificio, quæ si fervore simili, & quidem frequenter adiremus, non dissimiles fructus inde caperemus: Uti mox videbimus.

B. I. *Christum vidit.* Primò. In Sycomoro Christum vidit Zachæus & cum eo multa alia, quæ priùs nunquam. Vidit enim inanitatem terrestrium bonorum, dum ea mox contemnere & erogare cœpit: vidit præstantiam cœlestium, quæ desideravit; ad eum modum, quo quis altiùs ascendens, quæ supra sunt, majora esse conspicit, quæ in terra sunt minora. Similiter etiam in templo Deum & cœlestia videmus, multò clariùs, quam aliis in locis. Inprimis enim Christum in Eucharistia, velatum licet, aspicimus, cujus aspectu non minùs sanaremur à morsibus serpentum, id est, peccatorum, si devotè eum contemplaremur, quàm Judæi olim aspectu serpentis ænei.

Videmus etiam in templo Christum quoad ejus mysteria vitæ & passionis, tum in sacræ Missæ cæremoniis, tum maximè in concionibus & Evangelii lectione, quis sit, quid fecerit, quid passus sit, &c. quæ contemplationes ingentes afferunt utilitates & illuminant mentes hominum. Templum enim est Academia Christianorum: extra quam parum aut nihil addisces; sicut qui privatim & extra Academiam studet. Inde Beata Virgo & Samuel adeò illuminati, qui in templo educati erant. Certè Zachæus, quamdiu in turba erat Christum non vidit: supra turbam ascendit, & Christum vidit, ut inquit Sanctus Ambrosius, Lucæ 19. Similiter quamdiu in turba sæcularium negotiorum & societatum sumus, Christum vix aut nunquam videmus, licet domi conciones legamus &c. clariùs autem in templo & sub concione intuemur. Sanctus Antonius haud dubiè sæpius antè audierat vel legerat id Evangelii: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c.* Non tamen inde conversus est ad vitæ perfectionem priùs, quam in Ecclesiam ingressus id audisset, ut habetur in ejus officio, Lect. 4. Videmus denique divinorum bonorum præstantiam, cùm enim templi splendorem & ornatum intuemur, Sacerdotum paramenta, ordinem ministerii, majestatem ceremoniarum: cùm audimus Musicæ suavitatem, odorem thuris percipimus, in contemplationem cœlestium bonorum venimus, & despicere terrena incipimus ac cogitare: Si domus Dei terrena tanto splendore decoratur, quid erit in domo ejus cœlesti: Ac propterea templum Salomonis adeò splendidè ædificatum erat, & postea templa Christianorum, ut hinc in cognitionem & amorem cœlestis templi raperemur terrenaque vilipenderemus. Sic enim David posthabita regia sua cedrina, & regiis deliciis dixit Psal. 26. *Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: Vt videam voluptatem Domini & visitem templum ejus.*

Secundò

C. II *A Christo visus est.*

Secundò. In Sycomoro Zachæus à Christo visus est, & quidem oculo dilectionis & gratiæ: qui si in turba mansisset infrà, tali modo visus non fuisset. Non enim legimus alteri è turba similem aspectum à Christo impertitum esse. De Zachæo solo ait Lucas, *Suspiciens Iesus vidit illum.* Similiter qui libenter & frequenter Ecclesiam frequentant, à Deo videri merentur peculiari modo, oculo dilectionis & protectionis scilicet seu oculo paterno, quo prodigus filius à patre, quo lapsus à Christo Petrus, quo vulneratus ille à Samaritano est conspectus. Dum enim in domo Dei libenter & sedulò versamur, domesticos imò filios Dei esse nos ostendimus, quos Deus utique singulari modo diliget, proteget, & pro filiis habebit: Sicut Booz audiens Ruth semper in agro ejus versari & spicas colligere, vocavit eam filiam, & præcepit ut nemo ei molestus esset, & ut semper in agro ejus colligeret, Ruth 2.

Neque enim deterioris conditionis erunt apud Deum templa Christianorum, quàm fuerunt olim templum Salomonis. De illo autem dixit Deus 3. Reg. 9. *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Non utique super lapides & ligna vel etiam aurum & argentum templi, sed super ejus inhabitatores & cultores. Demonstravit hoc aliquando memorabili exemplo, quod ex Sanct. Gregorio refert Car. Sigonius lib. 1. de Regno Italiæ ad annum 359. quo Athesis Veronæ exundans ad fenestras tecto proximas templi D. Zenonis ascendit, Christianis qui intùs erant, aquam quidem ad januam haurientibus: nihil tamen mali passis, siquidem aqua undique templum alluens, minimè ingrediebatur. Nimirum Christus oculo protectionis filios suos ibi congregatos aspiciebat. Quòd si igitur simili modo à Deo videri & protegi volumus, domum ejus libenter & sedulò frequentemus. Hinc olim Christiani solebant primò omnium templum ingredi, cùm civitatem aut locum aliquem intrabant; quemadmodum de Sanct. Nilo testatur Surius, item de sancto Mauro & ejus comitibus. Hoc enim & ipse Christus fecit Matth. 21. cum ingrediens Jerusalem, statim intravit templum, ut pote domum Patris sui. Unde S. Chrysostomus ibidem ait: *Hoc erat primum boni filij ut & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit: Vt tu imitator Christi factus, cùm in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad Ecclesiam curras.*

Præterea & à discipulis Christi visus est Zachæus, & in eorum societatem receptus: ita etiam Angeli & Sancti templorum patroni diligere & protegere ac in suam societatem recipere solent eos, qui libenter templa frequentant. Sunamitis illa 4. Reg. c. 4. videns Elisæum sæpe ad se divertere, ait ad virum suum: *Animadverto quod vir iste Sanctus est, qui transit per nos frequenter; faciamus ergò ei cœnaculum parvum & ponamus ei in eo lectulum & mensam & sellam & candelabrum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi.*

Credite etiam Sanctos, præsertim templorum Patronos idem præstare illis, qui eorum templa crebrò & piè adeunt. Advertunt enim eos pios & Dei amicos esse, ideoque suis orationibus impetrant eis à Deo lectulum, id est, pacem & tranquilitatem; mensam, id est, necessaria ad victum, Sellam, id est, honorem & famam bonam; candelabrum, id est, mentis illustrationem & divinarum rerum suique ipsius cognitionem. Ea ferè omnia expertus est Sanctus Hermannus, de quo R. P. Matthæus Raderus 2. p. Viridariiss. c. 5. hæc scribit: *Hermannus Coloniæ Agrippinæ honestis quidem, sed nullarum propè facultatum parentibus natus, ob animi candorem & ingenii simplicitatem Josephus audiit. Puer ædem sacram paternis laribus cohærentem assiduè terebat, & crustulam vel panis, vel horti fœtus poma, pyra, quæ in obsonium à parentibus accipiebat, cum effigiato puero Iesu à Virginis collo pendente communicabat. Visus est Christus delectari liberalitate pueri, & cum illo comesse, imò verò & lusitare, adeò se majestas suprema ad hominis conditiones demittit; quod ubi mater ex Hermanno sæpiùs audijt, age inquit, fili, quia natum Virginis sæpius convivam habuisti, precare matrem eius, ut & ipsa nobis esurientibus, & omni nunc ope destitutis epulum paret, victumque suppeditet. Rogavit Hermannus & impetravit, jussus matri significare, conditum esse aurum sub lare domestico: Reperit mater, & familiam inde aluit, & Deum matremque Dei debitis gratiis venerata, Hermannum paulò post Steinfeldensi cœnobio, etiam ante annos præscriptos ob pietatem admissum, consecravit. Unde in Frisiam ad capiendum ingenii cultum amandatus in æqualium odia, propter psoram, fœdamque scabiem capitis & impetiginem incidit; sed confugit ille mox ad consuetum sibi asylum, Virginis aram, à quâ tum aspritie squamarum abstersâ, tum sordibus corporis elotis, cum omnium admiratioõe subitam incolumitatem recepit. Tantæ religionis erat, ut non solùm ipse nullum insolens verbum excidere sibi pateretur; sed in Magistris etiam ægrè ferret, si quando pro more gentis inter docendum Deorum nomina, Joves, inquam, aut Hercules aut hoc genus alia monstra Tartari, quæ hodie nonnulla scriptis etiam suis inferunt, proferrent. Vitam in Frisia posuit, animum cœlo transmisit.*

D. III. *Exauditus est.*

Tertiò. In sycomoro Zachæus exauditus est, sicuti optabat. Christum is videre & noscere volebat, vidit & cognovit, adeoque hospitem habuit: qui si in turbâ mansisset, desiderio suo utique fraudatus fuisset, Christum non agnovisset. Similiter qui in templis orare solent, faciliùs à Deo audiun-

diuntur, tam quia ubi propius audientiæ divinæ locus quodammodò est, siquidem templo specialis promissio exauditionis à Deo facta est; 2. Par. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* Moyses Exodi 34. extra templum vidit Deum in transitu, & à tergo tantùm. Isaias contra capite primo suæ prophetiæ, in templo, clarè, sedentem super solium suum. Tum quia in templo meliùs & attentius oratur, quam domi vel extra; & hoc ob multas causas, ut alibi dixi. Qui domi orat, quasi in turba & curarum compressione orat: qui in templo orat, quasi in arbore seorsum orat ac proinde attentius atque utiliùs.

Imò ausim dicere, eos qui libenter & pia intentione frequentant templa, etiam cum non orant, quasi orantes audiri à Deo, siquidem Deus intuetur eorum cor, cùm animo orandi eò accedere soleant, quomodo Anna in templo movens tantum labia, & vocem non efformans, exaudita est, 1. Reg. 1. Sic pauper præ foribus divitis expectans, ubi sæpe solet acquirere Eleemosynam, etiamsi non oret, accipit.

E. IV. *Fructum pœnitentiæ legit.*

Quartò. De Sycomoro fructum pœnitentiæ legit sibi Zachæus, quia ex Christi aspectu & notitia compunctus est, & remissionem peccatorum accepit. Similiter in templo pii frequentatores sæpe colligunt fructus pœnitentiæ ac primo cordis compunctionem & peccatorum remissionem. Hinc S. Chrysost. hom. 51. in Joan. comparat templum pharmacopolio, ubi omnis generis pharmaca asservantur & vænalia proponuntur. Tale enim templum est, ubi contra peccata remedia præscribuntur & applicantnr.

Ex illa officina odorem effers etiamsi nihil emas. Audi Chrysost. hom. cit. *Si unguentario quispiam aut unguentariæ tabernæ assideat, etiam invitus illum accipit odorem; longè magis, qui Ecclesiam frequentat.* Ita ergo semper aliquid devotionis in templo colligis, quamvis æger animo non sis. Multa enim sunt in templo, quæ hominem ad pœnitentiam & pietatem excitare possunt.

Gerson in Serm. de vita Cleric. ait: *Quid aliud videntur prædicare imagines omnes in Ecclesia, ante, quaquaversum supra, subtus & in lateribus, cantus insuper & pulsus: ea quoque, quæ leguntur & fiunt omnia, nisi ut levemus sursum corda & non mentiamur respondentes: Habemus ad Dominum?* Levare autem *sursum corda nequeunt sanè ipsi peccatores sine pœnitentia &c.*

Et paulò infrà: *Cæterum crux & crucifixus nonne loquuntur, ut pænitentiam agamus, tùm talem ipsum Christum ante oculos statuant, quo nullus unquam acerbiùs doluit, non pro suorum, sed pro nostrorum satisfactione peccatorum? Sanctorum rursus sanctarumque imagines idem suadent, ingereates memoriæ nostræ, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei, ut ipsi. Denique tumbarum sculpturæ magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illi sint, quid fuerunt, quid de nobis meruerunt, quid exigunt, &c.* hæc Gerson.

Exemplum habemus in Publicano, qui in templo orans justificatus est. Aliud refert Ruffinus l. 3. in Vitis patrum N. 167. de sancto Paulo discipulo S. Antonii, qui cùm priùs quendam ingredientem in Ecclesiam vidisset nigrum & nebulosum à dæmonibus fræno in os misso trahi & regi, Angelum verò ejus bonum à longe sequentem tristem: postea egredientem vidit clara facie & candido corpore, ac dæmones à longe eum sequentes: Sanctum verò Angelum ejus prope eum, hilarem & gaudentem nimis. Quin etiam per ingressum templi & aquæ lustralis aspersionem peccata Venialia dimitti, scribit S. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. Accedit indulgentia & remissio pœnarum & quidem in die dedicationis 40. dierum. Si tuis debitoribus remitteres 40. Ducatos ea lege, ut certo die ad ædes tuas venirent: nemo illorum hoc beneficium negligeret. Modò id offert nobis Deus in diebus dedicationis. Olim certè pro hac indulgentia currebant homines ad aliquot milliaria: hodie currunt ad choreas, ad ludos, & Epulas dedicationum tempore, non ad indulgentias. Unde si oderit eas Deus, non mirum juxta id Esa. 1. *Neomeniam, & Sabbathum & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri, Lavamini, mundi estote.*

F. V. *Salutem consecutus est.*

Quintò per Sycomorum Zachæus salutem consecutus est. Hanc consequuntur etiam qui libenter frequentant templa: Videtur enim signum aliquod esse prædestinationis, libenter adire templa: quia cum ea repræsentent nobis cœlum, consequens videtur, ut qui cœlum amat, templum amet & contrà. Filius libenter est in domo patris. Unde Christus Luc. 2. ait: *Nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?* q. d. non debebatis dubitare, mihi bene esse in domo patris mei. Similiter concludo: si tu Filius Dei es, libenter eris in domo ejus.

Exemplum de pastore quodam simplici in Chron. Præmonstrat. legitur, qui audiens aliquando in concione, ad regnum cœlorum rectâ eundũ esse, neque declinandum sive ad dexteram sive ad sinistrâ; rectâ semper via pergens ivit, & venit ad templũ quoddam Præmonstratensium, ubi candido omnes habitu videns Monachos, putabat se jam invenisse regnum cœlorum, & qui in eo candidi discurrebant, esse angelos.

Cæterùm cùm nullus alioqui eum vallet, imò tandem ad finem diei exire eum juberent, mirabatur quòd angeli hoc ei præciperent, negavitque se exiturum: sibi hîc bene esse, asserens.

Cumque ibi pernoctasset, veri angeli ad eum venere, cibum afferentes. Qua re ille magis confirmatus pertinacior ibi mansit. Tandem igitur Monachi volentes investigare, quid noctu ageret & unde

& unde viveret, viderunt eum ab Angelis pasci. Unde mox eum in ordinem suum receperunt, paulò post sanctè obiit. Itaque si hos fructus à Sycomoro decerpere desideramus, præcurramus cum Zachæo, & ascendamus in templum sedulò, & libenter.

CONCIO XII.

TEMPLI FABRICA, VASA ET ORnamenta quid mysterii.

I. *Quid templi fabrica?*
II. *Cur orientem versus?*
III. *Quid turris?*
IV. *Quid Gallus supra templum?*
V. *Quid campana?*
VI. *Quid crux supra templum?*
VII. *Quid vestibulum templi?*
VIII. *Quid aqua lustralis ad ingressum?*
IX. *Quid Gazophylacium?*
X. *Quid vexilla?*
XI. *Quid foramen in fornice?*
XII. *Quid suggestus?*
XIII. *Quid Imago crucifixi?*
XIV. *Quid sacrarium?*
XV. *Quid lampas?*
XVI. *Quid Altare?*
XVII. *Quid candelabra?*
XVIII. *Quid cymbala?*
XIX. *Quid thuribulum?*
XX. *Quid Cereus paschalis?*

THEMA.

Fili hominis comede volumen istud, Ezech. 3.

A. PUeris, Auditores, ut rerum nomina legere addiscant, traditur libellus, in quo nomina addiscenda per imagines explicantur, ut faciliùs discantur & & memoriâ teneatur; unde fit ut nomina illa exactissimè discant, & quodammodò devorent. Omnes nos in schola Christi sumus, & quæ ad fidem ac salutem nostram spectant, discere debemus. Verùm, quia multi illiterati sunt instar puerorum, idcircò tradit illis Ecclesia libellum sacrarum Cæremoniarũ, temporum, locorum, aliarumque rerum, ut his quasi imaginibus ad doctrinam Christianam addiscendam & retinendam commodiùs manuducantur.

Hujusmodi liber est in primis Ædes sacra, in qua quot sacra vasa, tot imagines & figuræ sunt doctrinæ Christianæ. De hoc igitur volumine dictum nobis existimemus, quod dixit Ezechieli DEUS: Ezechielis 3. *Fili hominis comede volumen istud*, id est, addisce accuratè & memoria retine. Comedit id Propheta, & factum est in ore ejus dulce quasi mel.

Idem spero futurum, si volumen istud simili modo comederimus. Et sanè turpe foret, si quis Christianus adeò rudis esset, ut hæc prima Fidei elementa non intelligeret. Si enim turpe est Opifici, si nesciat, quis sit usus instrumentorum suæ officinæ: Quomodo non etiam turpe est Christiano, si nesciat quid sibi velint templi utensilia, quod velut officinam suam toties frequentat? Igitur audiamus rudimenta Fidei.

B. I. *Quid templi fabrica.*

Quæritur I. Quid sibi vult hæc domus tam augusta & splendida, omnes totius Urbis domos sublimitate, amplitudine & magnificentia enormiter excedens?

1. Respondetur Primò. Esse domum Dei, sicut enim decet Principem domus longè augustior, quàm sint domus cæteræ, ita & multò magis Deum: Unde vocatur Basilica, id est, Regia: item templum, quasi tectum amplum.

2. Secundò. Significare Ecclesiam Christi, id est, Congregationem omnium fidelium. Hujus fundamentum Christus est. Parietes sunt Ecclesiæ particulares. Lapides sunt singuli fideles. Primò. Quia ut lapides malleo percutiuntur & aptantur ædificio: ita in Ecclesia Christi fideles expoliuntur tusionibus, pressuris: vel cùm catechisantur, baptizantur, & formantur, ut vult S. Augustin. Serm. 256. de Temp. Secundò. Sicut lapides per calcem & sabulum sibi firmissimè connectuntur: ita fideles omnes glutino unius fidei & charitatis. Unde S. Augustinus loco cit. ait: *Veruntamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur.* Tertiò ut fidelis fidelem portet, quemadmodum lapis unus lapides alios. Unde S. Gregor. hom. 13. in Ezech. ait: *In Ecclesia unusquisq; & portat alterum & portatur ab altero.* Fenestræ Fidẽ denotant: Tectum Spem. Quartò Sicut lapis unus positus in sublimi vel Altari alterum in viliori loco positum non despicit, nec illi iste in videt: ita in Ecclesia non despicit superior inferiorem: nec iste illi honorem invidet.

C. II. *Cur orientem versus?*

Quæritur. Secundò. Cur versus Orientem extructa? Respondetur Primò. Quia Oriens, pars Cœli nobilissima est; Inde enim & ad nos surgit motus Cœli, & affert nobis Solem jucundissimum

1. Unde admonemur Primò salutare precibus DEUM cum Sole oriente, & ut Sapiens ait Sap. 16. *Adorare ad Ortum lucis*, adeoque negotia nostra cum Deo inchoare. Ferunt à perdicibus nidos ita construi duplici ostiolo, uno versus Orientem, altro versus Occidentem tendente, ut sic à Sole tam matutino quàm vespertino nidum perlustrante, & ad campum educantur, & ad cubile reducantur. Monet ergò situs templi salutare Deum precibus

precibus vespere & manè. Secundò cum sole exurgente surgere è vitiorum tenebris ad lucem gratię juxta id Apostoli, *Hora est jā nos de somno surgere*, &c. Tertiò in omni actione nostra faciem ad Deum convertere, ad instar Heliotropii vertentis se ad solem.

2. Respondetur Secundo. Quia ad Orientem situs est Paradisus, Genes. 4. Monet ergò Templi situs, nos esse peregrinos & tendere ad Patriam, ex qua ejecti sumus; ut explicat Gregorius Nyssen. lib. 2. de Orat.

3. Respond. Tertio. Quia facie occidentem versus Christus crucifixus est & ascendit in Cœlum, uti indicant vestigia. Ergò ut orantes faciem Christi intueamur, convertimus nos & locum Orationis ad Orientem.

Denique quia versus Orientem sita est terra sancta, in qua vixit & mortuus est pro humano genere Christus. Itaq; juxta Psalm. 131. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Prædixit autem Zacharias cap. 14. *In oriente pedes Domini stabunt.*

D. III. *Quid Turris?* 1. III. Quæritur. Quid sibi vult Turris ad templum erecta? Respondetur Primò. Denotare sacram scripturam, quæ est Ecclesiæ turris, tum quia ad eam veluti ad turrim in nostris tentationibus & periculis confugere debemus: tum quia ex ea veluti ex turri conspexere veteres Patres longinqua, & quæ multis retrò seculis erant futura, & nos inde prospicimus peccatorum pericula & pœnas ea consequentes: remedia peccatorum, & quæ in altero sæculo exspectamus. Porrò in hac turri velut in illa Babylonica hæretici seipsos non intelligunt.

2. Secundò respondetur Denotare Prælatum Ecclesiæ, Pastorem & Prædicatorem, qui ut vita longè debet esse eminentior quàm populus, ita etiam refugium & præsidium ejusdem. Cumprimis verò denotat Sedem Apostolicam, quæ Ecclesiam Christi tuetur, & prævidet omnes hæreses atque debellat; ad quam etiam tutò nos recipimus tempore persecutionis, & in dubiis Fidei. Ibi vigil excubat Summus Pontifex, qui omnes errorum scopulos prospicit.

E. IV. *Quid Gallus supra templum?* IV. Quæritur: Quid Gallus supra turrim significat; Respond. Primò Christum significat vocantem nos ad suam Ecclesiam & ad pœnitentiam, quo modo Petrum negantem Galli voce vocavit. Unde canit Ecclesia: *Gallus jacentes excitat, & somnolentos increpat, gallus negantes arguit.* Et Christus comparat se gallinæ convocanti pullos suos sub alas.

Secundò Significat Concionatoris & Pastoris Officium, uti nimirum suo cantu dormientibus in peccatis obstrepat eosque ad pœnitentiam excitet. Et quemadmodum gallus ille ventis sese opponit: ita prędicator opponit se obtrectatoribus & morum corruptoribus. Denique sicut Gallus antequam canat, se ipsum alis verberat: ita & prædicator alios docturus & ad virtutem excitaturus, se ipsum priùs excitet, corrigat ac stimulet.

F. V. *Quid Campanæ* I. V. Quæritur: Quid Campanæ in turri? Respondetur Primò sonum Evangelii significant, de quo dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ergò Campanæ velut Evangelistæ añuntiant nobis Evangelium, & quid Deus requirat à nobis: veluti cùm per eas vocat nos ad Orationem, Missam, Concionem, sepeliendos proximos: &c. Summus Sacerdos veteris legis parvula gestabat cymbala in podêre, quia sonus legis veteris exiit tantùm ad vicina loca.

2. Secundò. Denotant novissimam tubam, quæ de cœlo resonabit, & terribili clangore aures nostras feriet: *Surgite mortui*, &c. Has ergò quoties audimus, cogitare cum Hieronymo deberemus novissimam illam tubam.

G. VI. *Quid Crux supra templum?* 1. VI. Quæritur Quid supra templum Crux? Respondetur Primò, Ostendit domum illam Christo esse sacram, cujus sigillum gerit; ad arcendas aëreas potestates, & alias quascunque loci profanationes. Unde videtur ea crux dicere Christi nomine, *Domus mea, domus Orationis est.*

2. Secundò Ostendit hoc signum Crucis fore cernendum, in cœlo, id est, sublimi aëre, cùm Dominus ad judicandum venerit.

H. VII. *Quid vestibulum templi?* 1. VII. Quæritur Quid indicat templi vestibulum, seu porticus ante ingressum? quid navis, seu templū? quid chorus seu sanctuarium? Respondetur. Primo Vestibulum esse locum eorum, qui ad Ecclesiam recipi volunt, uti catechumenorum & pœnitentium. Navim locum plebis Christianæ, Chorum locum Clericorum. Hos enim tres Ordines dividi voluit antiquitas.

2. Respondetur Secundò Vestibulum significare incipientes: navim proficientes, chorum perfectos: tres fidelium gradus.

I. VIII. *Quid aqua lustralis ad ingressum* 1. VIII. Quid vult aqua lustralis ad templi aditum? Responderur. Primò monet, ut ad templum & Orationem ingrediamur cum debita animi puritate, ut sic audiri mereamur, & per ejus aspersionem armemur contra Dæmonis tentationes & mentis evagationes: in exeundo verò contra instantia peccandi pericula.

2. Secundò Refricat nobis in memoriam baptismum, per cujus lavacrum olim in Ecclesiam ingressi sumus; ut ita quoties templum ingredimur, votum in baptismo emissum renovemus. Ideo rectè ad introitum templi statuitur, quia per baptismum ingredimur Ecclesiam.

K. IX. *Quid Gazophylacium?* 1. IX. Quid Gazopylacium seu capsa pecuniarum? Respondetur. Primò. Significare depositorium cœleste, in quo securissimè tibi asservatur, quicquid ibi reposueris bonorum operum.

2. Secundò. Significare sinum pauperum, in quo tutò etiam servatur tibi, quidquid in eum conjeceris: Multis seris & repagulis custoditur hoc depositum:

tum: nec verus hîc est vulgi sermo, de re perdita, du hasts in Stock gelegt. Quantò meliùs & securiùs asservasset Epulo opes suas, si eas non in epulas & vestitum byssinum impendisset, sed in sinum Lazari jacentis ante fores deposuisset? Gazophylacium hoc plerumque ad fores Ecclesiæ ponitur, quia & ibidem pauperes excubant.

3. Tertiò. Traditionem Patrum & memorias Sanctorum. Illa enim retinet & conservat dogmata non scripta, hæ verò rerum cœlestium veluti vitæ & passionis Christi thesauros.

L. X. *Quid vexilla.* 1.

X. Quæritur: Quid vexilla? Respondetur. Primò. Denotare Christi victoriam, quam reportavit de Mundo, Morte & Inferno. Qui enim debellavit & occupavit Urbem; figit & erigit in ea vexillum suum. Crux in ejus apice ostendit victoriam per crucem à Christo esse partam.

2. Secundò. Signum Christianorum bellicum, sub quo militare se profitentur & pergere ad terram promissionis obtinendam, quo modo Hebræi cum vexillis suis processerunt per Desertum in Palæstinam. Num. 2.

M. XI. *Quid foramen in fornice?*

XI. Quid sibi vult foramen in medio fornicis supernè apertum. Respondetur. Primò. Repræsentare viam Christi ascendentis in Cœlum. Nam teste Sancto Hieronymo de loc. hebr. ex Actis Apostolorum, cùm in loco ascensionis Christi, circa ejusdem vestigia impressa templum extrueretur, locus desuper imminens vestigiis non potuit claudi aut concamerari. Sed mansit apertus semper, quò nimirum sciremus cœlum per Christi Ascensionem nobis apertum esse viamque patefactam & patentem semper.

2. Secundò. Respondetur, indicare viam cœli arctam & portam ejus angustam.

N. XII. *Quid suggestus.*

XII. Quid Cathedra seu suggestus? Respondetur. Verbum Dei designat, cui insistens & quasi inclusus Concionator ex ea velut ex oraculo depromit Dei responsa, juxta Ecclesiæ interpretationem; non sua figmenta. Operculum suggestus obscuritatem scripturæ notat. Ascenditur ad eum per gradus, quia non est omnium scripturas intelligere & exponere, sed ascendendum ad hoc per gradus, veluti per lectionem assiduam, per humilitatem, per animi puritatem, per Orationem, per vitæ sanctitatem. Nunc Chorum ingrediamur, & Quæritur hic:

O. XIII. *Quid Imago Crucifixi*

XIII. Quid sibi vult Imago Crucifixi in aditu Chori posita? Respondetur: Designare portam & clavem Cœli, per quam solam patefacta est & patet nobis via ad ingressum Sancti Sanctorum seu Cœli. Media est inter Chorum & Navem, quia Christus per Crucem Mediator noster inter Cœlum & terram, inter nos & Deum. Et quod est malus in navi, hoc est Crux in templo. Unde Ambr. serm. 56. ait: Sic Ecclesia sine Cruce stare non potest, ut sine arbore navis infirma est, apud Gretser. de Cruce tom. 1. lib. 2. cap. 10. Sine malo non perveniret navis ad Portum, sed hæreret semper in salo, ita nec Ecclesia sine Cruce ad patriam cœlestem. Denique hic est noster serpens Mosaicus, cujus aspectus sanat omnes vitiorum morsus. Morsus es à superbia? aspice hunc serpentem in Cruce despectum. Ab avaritia? aspice nudum. A Luxuria? aspice cruentum & doloribus plenum. Ab Invidia? aspice largientem latroni paradisum. Ab ira? aspice ignoscentem & pro Amicis orantem. A gula? aspice sitientem & potatum felle. Ab acedia? aspice orantem & clamantem usq; ad ultimum spiritum.

P. XIV. *Quid Sacrarium.*

XIV. Quid Sacrarium? Respondetur, Typum esse Deiparæ, quòd sicut in Sacrario se induit Sacerdos vestibus Sacris & procedit inde in publicum: ita Christus in Utero Mariæ vestivit se carne humana, sacrata, & inde prodiit in mundum. Und meritò vocatur Sacrarium Spiritus Sancti, ab Hieron. l. contra Helvid. Cypriano, serm. de Nativit. Christi, Bernardo serm. 4. de Assumpt.

Q. XV. *Quid Lampas.*

XV. Quid Lampas seu Lucerna ante altare & tabernaculum? Respond. Joannem Baptistam videre te existima, quia Domino teste, Domino erat lucerna lucens & ardens, & præivit ante ipsum in Spiritu & virtute Eliæ sicut lucifer solem; nec non digito demonstravit Christum: Ecce Agnus Dei &c. sicut & hæc lampas ostendit nobis Christum stantem in tabernaculo vel altari: Unde D. Cyrillus putat eundem adumbratum per candelabrum aureum, quod lucebat ante arcam testamenti & Sancta Sanctorum, Exod. vigesimo quinto.

R. XVI. *Quid Altare?* 1.

XVI. Quid Altare denotat? Respondetur Primò Christum, quia uti altare est lapideum, inunctum, summo loco positum, & theca reliquiarum: ita Christus est petra 1. Corinth. 10. inunctus Spiritu Sancto Psalm. 44. Caput totius Ecclesiæ. Coloss. 1. & in ipso abscondita est vita & gloria Sanctorum Coloss. 3.

2. Secundò. Dum in eo sacrificatur, significat Crucem, in qua Christus immolatus est. Unde ab initio lignea erant altaria. Quatuor habet cornua uti & crux.

S. XVII. *Quid Candelabra?* 1.

XVII. Quid candelabra duo super altare? Respondetur Primò Fidem & Doctrinam CHRISTI toti mundo prælucentem eumque illuminantem & dirigentem in omnibus operibus suis denotant.

2. Secundò Doctores Ecclesiæ, qui in altari dignitatum positi sunt, ut alios illuminent. Item legem & prophetas, qui Christum prænunciabant.

T. XVIII. *Quid Cymbala* 1.

XVIII. Quid Cymbala seu tintinnabila? Respondetur. Primò linguas Apostolorum notant, quarum sonus Evangelicus exivit in omnem terram, & Christum annunciavit per universum Orbem.

2. Secundò Voces Elementorum & Cœli, quæ suo modo clamarunt tempore passionis, quando terra mota, petræ scissæ, monumenta aperta & Sol obscuratus fuit.

V. XIX. *Quid Thuribulum?* XIX. Quid Thuribulum? Respondetur Primò Odorem bonæ famæ Sanctitatis & Justitiæ quem sparsit undique Evangelium Christi.

1. 2. Secundò Bonæ Christianorum & maximè Prælatorum famæ fragrantiam, quæ afficere circumstantes debent, juxta id Apostoli 2. Christi bonus odor sumus.

X. XX. *Quid Cereus Paschalis?* XX. Quid cereus paschalis? Respondetur Christum resuscitatum. Nam cereus ille post extincta omnia lumina de benedicto lumine accenditur, & quinque habet foramina, quæ replentur quinque granis thuris, denique extinguitur in die ascensionis post Evangelium: ita Christus post mortem resuscitatus est cum carne gloriosa & quinque vulnerum cicatricibus, quæ tamen non jam confusionis, sed gloriæ typi erant. Denique extinctus cereus manet adhuc suo loco: ita licet Christus quoad visibilem speciem abscesserit à nobis in Ascensione, mansit tamen semper nobiscum per paternam solicitudinem & realem in Eucharistiâ præsentiam. Item sicut è cereo illo accenso accenduntur omnes alii minores cerei & lampades: ita à Christi meritis omnia nostra opera bona meritum & valorem suum accipiunt.

Hoc igitur, Auditores, hoc in libro legite, & velut apes de flore in florem hoc in loco circumvolate indeq; favum mellis, id est, devotæ contemplationis conficite, quæ utiq; in ore vestro fiet dulce quasi mel.

CONCIO XIII.

AMULETA SACRA AB Ecclesia Benedicta ad quid?

I. Aqua lustralis, ejus significatio.
II. Sal, significatio.
III. Cereus paschalis.
IV. Rosa aurea.
V. Campanæ significatio.
VI. Panis, Agnus paschalis, vinum S. Joannis, significatio.
VII. Cineres.
VIII. Agnus Dei, significatio.
IX. Palmæ significatio.
X. Zona.

THEMA.

Vidi civitatem S. Jerusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam Viro suo, Apocal. *21.*

A. Gen. 24. legimus servum Abrahæ, Eliezer, missum ad quærendam sponsam Isaaco, cùm Rebeccam obviam habuisset, indeque jam divinâsset fore hanc sponsam Domini sui, protulit inaures & armillas, & paulò post vasa aurea & argentea, quibus eam utpote Sponsam Domini sui, partim ornaret, partim dotaret. Anima fidelis cujuscunque Sponsa CHRISTI est, cui desponsata in Baptismo, copulanda seu unienda complexu amoris intimi erit in gloria. Interim verò Christus non intermittit Sponsas suas ornare, armare & ditare sacris quibusdam cimeliis, monilibus & periaptis, quibus ipsæ se partim admonere officii sui & fidei Christo datæ, partim munire contra hostes suos, partim etiam adornare possint. Sunt autem hæc, variæ res benedici solitæ, aqua, sal, Agnus Dei, panis, cerei, palmæ, cineres & similia; quæ per servũ suum summum pontificem ejusque cooperatores nobis Christus benedicit & transmittit, ut hîc interim nos solari, munire & ornare possimus, donec ad cœlestes nuptias cum eo celebrandas adducamur cum Rebecca. Hæc igitur est Sponsa illa parata & ornata, quam vidit Joannes Apocal. 21. ut in hodiernâ Epistola lectum fuit, cujus monilia nunc contemplabimur.

B. I. *Aqua lustralis. Ejus significatio.* Primum Monile ad frontem pertinens est aqua lustralis, quæ singulis Dominicis diebus solet benedici & fidelium frontibus aspergi, in memoriam baptismi ab eis suscepti. Quia enim in baptismo Deo & Ecclesiæ magna quædam & semper reminiscenda promisimus per patrinos nostros, ipse verò baptismus, ut memoriam nobis refricet, iterari nequit; idcirco ejus loco aspergimur aquâ benedictâ omnes quotquot in Ecclesia sumus, ut meminerimus, quo lavacro abluti simus, cui fidem dederim⁹, quid spopõderimus in baptismo. Et propterea vas aquæ benedictæ reponi solet ad ostium Ecclesiæ, ut ingredientes ea se aspergant interimque recordentur se per baptismum, velut per ostium ingressos esse in Ecclesiam.

Effectus. Affert præterea hominibus auxilia multa tam corporalia, quàm spiritualia. Spiritualia, quia peccata venialia delet, cùm sit publica fidei ac proinde etiam intentionis fugiendi peccata protestatio. Deinde juvat ad eliminanda phantasmata & mentis evagationes; quam ob causam etiam ad fores Ecclesiæ, quemadmodum Lavatorium Exod. 30. collocatur ut qui ingrediuntur oraturi ea sese muniant. Adhæc dæmones fugat eorumque præstigias

S.Mar-

S. Marcellus Apameæ Episcopus dæmonem impedientem demolitionem templi Jovis Apameni, aqua benedicta fugavit templumque dejecit, ut refert Theodoretus lib. 5. cap. 21. Josephus Comes ex Judæo Christianus cùm instaurare vellet Hadriani templum in honorem Christi egeretque calce & fornaces fieri jussisset, callidi Judæi præstigiis ignem ligare, & dispergere agressi sunt. At Josephus singulas fornaces aqua benedicta aspersit, subitoque preter opinionem omnium dissoluta sunt incantamenta ignisque emersit turbis clamantibus: Unus Deus, qui auxiliatur Christianis. Refert S. Epiphan. lib. 1. tom. 2. in hær. Ebion. Mulier quæ videbatur in equam versa, vi aquæ benedictæ in formam pristinam restituta est. Pallad in histor. Lausi in vita S. Macharii. Corporalia, quæ cõtigerunt, plura sunt, quàm ut enumerari possint. Visa est aqua benedicta sterilitatem repellere, hominum, pecorum, terræ. Ea locustas à frugibus depulit. Stephanus Papa VI, Anno 885. apud Baron. ibid. Ejus beneficio fæcunditas collata fœminis, apud Vinc. Belluac. Valuit contra morbos & auras pestilentes. S. Malachias haustu aquæ benedictæ phreneticum sanavit teste S. Bernard, in ejus vita. S. Fortunatus eadem coxam afflictam sanavit apud Gregor lib. 1. dial. cap. 10. S. Chrysostomus ea febres & dysenterias pepulit, apud Greg. Alexandrin. Episcopum in ejus vita. Eadem convaluit nobilis fœmina apud Bedam l. 5. hist. 4. Valuit contra fulgura & aëris tempestatem Anno 944. In Trans Rhenanis Germaniæ partibus ignei globi per aërem discurrentes lustrali aqua pulsi, apud Frodoard. eod. anno. Subministravit nobis hoc monile S. Mattheus, ut refert S. Clemens Papa l. 8. Constit. Apost. 35. qui etiam formam ejus conficiendæ præscripsit. Ejusdem meminit Alexander Papa I. Sextus à Petro ep. 1. circa annum Christi 83. de consecr. d. 3. c. aquam. Basil. l. de Spir. S. c. 27.

A. — *Antiquitas.* — *B. I. Aqua lustralis. Ejus significatio.*

Secundum Linguæ debitum est sal, qui ideò benedicitur, & aquæ benedictæ miscetur ac sumitur à fidelibus, ut sit memoriale Deitaits Christi in humanã naturam demissæ, deinde ut moneat salẽ sapientiæ & discretionis admiscendum esse nostris operibus & sermonibus. Denique ut meminerimus nos iniquitatum nostrarum fætoribus quos in baptismo deposuimus, deinceps tota vita carere debere.

C. II. Sal, significat.

Nec minora ejus auxilia. Fœmina dæmonis malignitate contracta sale benedicto curata est, apud Ven. Bedam lib. 3. in Luc. c. 8. S. Lioba Abbatissa incẽdium eo restrinxit, apud Sur. tom. 5. S. Barthenius Episcopus vineam sterilem, & à Vermibus exesam atque exsiccatam sale benedicto injecto fertilem reddidit, tom. 1. Surii. S. Bernardus luem pecorum eodem avertit. lib. 4. vitæ, cap. 4. Constituit salem benedici Alexander I. Papa ep. 1. haud dubie ex receptâ jam consuetudine.

Effectus. Antiquitas.

Tertium. Oculis propositum Cereus est, tùm paschalis, qui in Sabbatho S. tum vulgaris, qui in Festo purificationis benedicti solitus. Ille gloriam resurrectionis repræsentat adeoque Christum ipsum resuscitatum, quinque vulnerum cicatricibus (quibus totidem grana Thuris id est, ferventem mediationem & orationem infigimus) insignem. Iste verò eundem Christum, prout erat lumen gentium: nec non Deiparam Virginem, denique Christianum fide vivâ lucentem & charitate præditum, quemadmodum alibi vidimus. Eodem pertinet ignis Sabbatho S. extra Ecclesiam benedici solitus, è silice excussus, à quo omnia alia luminaria accenduntur; designat enim is merita Christi extra urbem passi, ab eoque velut è petra malleis tortorum excussa, à quibus omnia nostra opera meritum & valorem suum mutuant ac desumunt. Cerei S. Blasij inde benedici cœperunt, quòd sanctus ille Martyr in carcere vinctus & à vidua Cereis accensis, fructibus & leguminibus donatus, promisit benedictionem ijs, à quibus deinceps simili modo coleretur, apud Sur. to.

D. III. — *Cereus Paschalis.* — *Vulgaris.* — *S. Blasii.*

Quartum. Naribus conveniens est rosa aurea in Dom. Lætare à Pontifice benedici consueta, quæ, ut exponit Alexander Papa Tertius in epist. ad Francorum Regem, Christum ipsum significat, qui est flos campi. Ruborfloris passionem ejus notat: odor verò resurrectionis gloriam præfigurat. Triplex ejus materia, aurum, muscus, balsamum, tres in Christo substantias, divinitatem, corpus & animam significat. Referri huc possunt herbæ odoriferæ in F. Deiparæ Assumptæ benedici solitæ, quæ nil aliud quam virtutes Deiparæ toto orbe suum spargentes odorem videntur indicare.

E. IV. Rosa aurea. — *Herba.*

Effectum precatur illis Ecclesia, ut ab omnibus hominibus pecoribusque quibus fuerint adhibitæ, omnem putredinem, omnem morbum, pestilentiam ac dolorem aliasque infestationes depellant. Bene autem sperare possumus (tametsi non omninò certi sumus) Ecclesiæ preces in his & similibus à Christo exaudiendas esse, nisi obstet maior utilitas vel peccatum utentium &c.

Effectus.

Quintum. Auribus appensum Campanæ sunt quæ & ipsæ benedicuntur, quia ad munus Spirituale applicantur, ad convocandum scilicet in Ecclesiam populum, ad statas officiorum & orationum horas indicandas, ad funera cum planctu deducenda &c. Significant autem sonum tubæ Evangelicæ, per Apostolos in omnem terram exauditæ; Verbum item prædicationis ab omnibus Christicolis audiendum; Vnde in earum benedictione precatur Ecclesiâ: *Vt quicunque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus Inimici tentationibus liberi, semper fidei Catholicæ documenta sectentur.*

F. V. Campana significatio.

Auxilium subministrant ad repellendas noxias tempestates, maximè, quæ per maleficium excitantur; uti testantur sagæ earumque examinator

Effectus.

Grillandus Anno 1524. cui illarum una fassa est, se ad pulsum angelicæ salutationis, dum à conventiculo nocturno reportaretur, à dæmone perterrito depositam & relictam esse ad ripam juxta spineta, Binsfeld. lib. de Confess. Malef. Deinde ad devotionem in populo excitandam, diebus præsertim festivis, & in exequiis, uti precatur Ecclesia in earum benedictione: *ut cum filii Christianorum clangorem Campanæ audierint, crescat in eis devotionis augmentum.*

G. VI. *Panis, Agnus paschalis, Vinum S. Ioannis. Siguificatio.*

Sextum. Ori competens, est panis, Agnus paschalis, vinum S. Joannis, de quo alibi diximus. Panis benedictus, Græcis Eulogia dictus, à fidelibus sumebatur & pro munere mittebatur in signum unitatis & unanimitatis Christianæ, ut patet ex epistola S. Paulini ad S. Augustinum, ut & ex alia ad Alypium. Erat autem typus S. Eucharistiæ, quæ cùm non semper dignè percipi posset à fidelibus, memoriale saltem ejus Eulogia sumebatur. Agnus paschalis in memoriam Christi innocentissimi agni pro nobis in Paschate occisi benedicitur & sumitur.

Effectus.

Porrò per Eulogias mira sæpè patrata sunt. S. Germanus fœminam morti proximam earum deliberatione sanitati mox restituit, apud Fortunatum in ejus vita to. 3. Surii. S. Pachomius iis dæmonem expulit, ut in eodem tomo Surii. Alii ex infirmitatibus convaluere, plures beneficio illius Panis, uti Dani à torminibus & capitis cruciatu per Elphegum Cantuariensem Archiepiscopum, apud Osbertum in ejus vita, tom. 2. Surii. Pistor quidam in vita S. Austregisili, tom. 3. Surii &c.

H. VII *Cineres.*

Septimum. Vertici decretum, sunt cineres benedicti ad initium Quadragesimæ. Sunt autem mortis & pœnitentiæ Symbola. Mortis, quia in cinerem redigendi omnes: pœnitentiæ, quia veteres Patres pœnitentiam agere soliti in cinere & cilicio. Suscipimus illos in capite, ut moneamur à capite quadragesimæ inchoare pœnitentiam.

I. VIII. *Agnus Dei. Significatio.*

Octavum, Pectoris monile sunt, quos vocamus Agnos Dei; qui à Pontifice tantùm initio Pontificatus ejus & deinde quolibet septennio benedicuntur Sabbatho in Albis. Typi sunt veri Agni Dei, qui tollit peccata mundi: monent præterea nos ut & ipsi Agni simus, puritate & mansuetudine, quemadmodum Agni de cerâ virgine candidissima confecti sunt.

Effectus.

Effectus indicat Urbanus V. Papa in Ep. ad Joannem Imp. Constantinop. Primus est fulmina depellere; Secundus remissionem peccatorum adjuvare & venialia delere. Tertius, parturientes fæminas ad sui & prolis conservationem solari. Quartus, incendia restinguere. Quintus. A naufragio & aquarum periculis liberare. Sextus, à subitanea morte præservare. Septimus, ab insidiis diaboli, id est, conjurationibus, incantationibus & veneficiis, quæ per fœderatos sibi exercet dæmon, præservare. Testis est experientia, talia præsidia per agnos Dei sæpius obtenta fuisse: quod imprimis in historiis Indicis legere est. Scribit Antonius Gabutius l. 6. de vita Pii V. jussisse Pium Pontificem, ut tumescentem in Tiberim ex alveoque summo populi Romani cum terrore parique periculo defluentem unus cereum ejusmodi orbiculum seu Agnum Dei jactaret, quo facto confestim aquæ impetus resedit. Idem Author. l. 2. scribit: Non ex hoc loco omittendum, quod in hoc bello Belgico sub Albano Duce magna omnium admiratione, atque utinam pari hæreticorum ad rectam fidem conversione, divinitus accidisse, graves auctores memoriæ mandarunt. Hispanum militem Catholicum inter alios, quos peremerunt, ab Aurantio captum, arborique alligatum impii milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occidere conati, tantùm abfuit, ut illum confoderent, ut ne creberrimis quidem, ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis, vel minimum lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, eum vestibus exuere cœperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo præsidii reperissent, præter sacrũ Agnum è collo pendentem ex iis, ut conjectura est, quos Pius V. primo sui pontificatus anno de more consecraverat (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam, & Belgium, præsertim militibus pro fide Catholica dimicantibus distribuendos curaverat) hoc illi detracto, primo ictu transverberatus occubuit.

K. IX. *Palma. Significatio.*

Nonum. Manuum quasi armilla, est palmæ ramus, in die palmarum benedici & manu gestari solitus. Significat is victoriam Christi de mundo, peccato, diabolo reportatam; nec non eam quam & nos de iisdem reportare hostibus debemus. Admonemur ergò ramo seu potius folio palmæ (quod gladii similitudinem refert) militiæ cui nos adstrinximus & roboris, quod ad bellandum in S. Confirmatione accepimus; ut nimirum gladium, quo vicit Christus, ipsi arripiamus vibremusque in hostes nostros, *ut quemadmodum*, inquit Dorotheus Abbas doct. 15. hac de re loquens, *ille pro nobis pugnavit & vicit: ita & nos per ipsum victores esse possimus, portemusque pendentia collo* (palmas scilicet & ramos olivarum) *non solum ob victoriam, quâ ille pro nobis vicit, sed etiam ob eam, qua & nos per ipsum vicimus.* Denique ut virentibus bonorum operum ramis, una cum Hebræis Domino obviam eamus. Effectus quos illis precatur à Deo Ecclesia, sunt: Primus, benedictio mentis & corporis in salutis remedium & gratiam obtinendam. Secundus ut quocunque importati fuerint, ibi habitatores omni adversitate fugata, dextera Dei prote-

protegantur: *Valent etiam contra fulmina, fulgura & tempestates, & contra quaslibet Cacodæmonis in perniciem humanam machinationes*, inquit P. Gretserus, lib. 2. de Bened. cap. 42.

L. X. *Zona.*

Decimò. Renibus alligandum, est Zona seu Cingulum. Legimus enim Zonas à viris SS. benedictas, quarum gestatione mulieres vel post sterilitatem fœcundarentur, vel difficili partu laborantes liberarentur; cujusmodi beneficia obtenta fuisse non semel per Zonas, quas benedixit S. Theodorus Sicæorum Archimandrita, scribit Gregorius Presbyter in ejus vita. Benedicuntur etiamnum & donantur à Fratribus S. Francisci, Cingula ab eodem Sancto ad castitatem obtinendam, sive ad tetram libidinem, quæ in renibus Sedem figit, coërcendam. Monet proinde eos, qui tali cingulo gaudent, observandæ castitatis & devotionis ad Franciscum gerendæ.

Pleraque hæc ab antiquis temporibus per summos pontifices & receptas Ecclesiæ consuetudines tradita habemus, ita ut primam eorum originem nequeamus designare; proinde juxta regulam illam S. Augustini: Id, cujus origo nescitur, neque plenariis conciliis introductum est, non nisi ad Apostolicam originem revocetur: jure possumus credere, ab Apostolis inventa & Ecclesiæ ad ornatum, solatium, præsidium provisa esse.

Quare Auditores sacris his amuletis securè & piè utamur; sponsi enim animarum nostrarum, Christi, donaria sunt, per ejus servos nobis oblata. Inprimis verò optandum, ut sint nobis, si non præsidia saltem monialia seu memorialia officii & status nostri, fideique Christo datæ, ut ita sponso nostro arctissimè & fidelissimè adhæreamus, donec ad cœlestes nuptias ab ipso evocemur, &c.

CONCIO XIV.

GLORIA ECCLESIÆ Catholicæ.

I. *Ecclesia signum magnum, 1. velut miraculum, 2. velut vexillum, 3. velut scopus.*

II. *Apparuit in cœlo.*

III. *Mulier dicitur.*

IV. *Amicta sole, 1. tanquam indumento, 2. tanquam munimento. 3. tanquam ornamento.*

V. *Luna sub pedibus, 1. propter ejus stabilitatem, 2. propter ejus generositatem, 3. propter ejus authoritatem.*

VI. *In capite ejus corona stellarum, 12.*

THEMA.

Signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, Apoc. 12.

A.

DUo templa Jerosolymis, eodem in loco ædificata fuisse, docent sacræ litteræ: Alterum à Salomone ante Babylonicam captivitatem; Alterum à Zorobabele post eandem captivitatem. Tertium non ædificandum; & posterius priore nobilius fore prædixit Aggæus cap. 2. dicens de secundo Templo: Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquã primæ. Ratio eodem capite datur; quia scilicet *venit desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum.* Quod quidem factum, cùm Christus in templo oblatus est, docuit & oravit, &c. S. August. lib. 18. de civit. cap. 45. asserit: Primum illud templum Salomonis scilicet significasse synagogam; Secundum verò Zorobabelis, Ecclesiam. Et illam ab hac longè superandam gloriâ. Quod sanè non difficile ostendi potest. Et quidem S. Joannes Apoc. 12. Ecclesiæ gloriam secundum literam depinxit, dicens: *Signum apparuit in cœlo; Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quoniam igitur hodie solemniter celebramus non tam gloriam materialis hujus domus, quàm Ecclesiæ totiùs: meritò de ejus gloria loquemur.

B. I. *Ecclesia signum magnum.*

Primò. Ecclesia est Signum magnum triplici acceptione, quam potissimùm habet in sacris literis, Signum, scilicet pro miraculo, pro vexillo, pro scopo. Primò. Est miraculum, & magnum quidem miraculum, sive ejus incrementum consideres, quo in immensum excrevit, & cum esset primo granum sinapis, major facta est omnibus regnis & extendit ramos suos per universum mundum: sive ejus cultores & propagatores, qui piscatores & rudes ac pauculi erant; sive media, quibus propagata est, quæ non erant hastæ aut bombardæ, sed dogmata tantùm nova, difficilia creditu, terrenis auribus molesta & odiosa: Sive progressum, quem habuit inter innumeras & perpetuas persecutiones gentilium & hæreticorum: Sive denique ejus firmitatem & durationem spectes, qua tot jam sæculis inconcussa perstitit.

1. *Velut miraculum.*

2. *Velut vexillum.*

Secundò. Vexillum est & magnum quidem totique orbi conspicuum, quod erexit in mundo Deus ad congregandos sibi spirituales milites, pugnantes contra spiritualia nequitiæ: quæ sub eo militantes coronam gloriæ merentur. Quod quidem vexillum ingentem edidit stragem in castris diaboli, quia innumerabilem hominum multitudinem ei abstraxit, & ad cœlestia castra adduxit. Quemadmodum

dum prædictum Esa. 11. *Elevabit Signum in nationes & congregabit dispersos Israel.*

3. *Velut scopus.*

Tertiò. Est scopus; in quem omnes Tyranni & Hæresiarchæ persecutionum & hæresium suarum sagittas collimârunt, ut meritò dicere possit in Thren. tertio. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Et quidem scopus est, quem facilè omnes poterant tangere, sed nemo penetrare. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea*, ait Psalm. 128. *etenim non potuerunt mihi.* Causa nimirum est, quia hoc signum est in cœlo, hoc est, in Dei gremio & tutelâ.

C. II. *Apparuit in cœlo.* 1. *Vnde Dom. 6. post Epiph.*

Secundò. Apparuit in cœlo. Primò. Quia Ecclesia de cœlo originem suam habet, è cœlo enim suam prædestinationem, virtutes & merita accipit: de hoc alibi latius. Secundò. Quia ad cœlum tendit, & secundum unam sui partem jam ad cœlum pervenit, secundum alteram adhuc eò pergit; Tertiò. Quia in terris cœlestem vitam agit.

D. III. *Mulier dicitur.* 1. 2. 3.

Tertiò. Mulier dicitur. Primò. Quia ad instar Evæ à Christi dormientis in cruce latere formata est: ut expendit August. lib. de symb. de catech. c. 6. Secundò. Quia per fidem ei desponsata est: ideò passim in sacris literis sponsa ejus vocatur: unde & subesse ac parere fidemque illi servare debet, quemadmodum & Christus velut sponsus eam regit, nutrit, tuetur, &c. Tertiò. Quia à Christo fæcundatur, operante spiritu sancto ut innumeros pariat Christo filios: quam ob causam ab eodem in Canticis Columba vocatur; quia cum summa puritate & innocentiâ summam fæcunditatem conjunctam habet. Columba siquidem fæcundissima est, & in singulis ferè mensibus prolificat.

E. IV. *Amicta sole.* 1. *Tanquam indumento.*

Quartò. Amicta sole, id est, Christo, qui est sol justitiæ Malach. 4. Circumdata Primò. Tanquam indumento quemadmodum ipsa confitetur Esaiæ 61. dicens: *Induit me vestimentis salutis* (alii transferunt: induit me vestimentum Jesum) *Induere autem Christum*, inquit D. Chrysostomus hom. 25. in Epist. ad Roman. *Est undique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem Christum conspicuum esse: homo enim indutus id esse videtur: quod indutus est: appareat itaque in nobis Christus.* Sic ille. Ergò Ecclesia Christo amicta est, quia ejus vivendi normam sequitur & virtutes imitatur, omnia ejus dicta & præcepta recipit, & observare studet: non tantùm ea, quæ blanda & suavia sunt, sed etiam, quæ aspera & austera. Christus vitam cœlibem & castam vixit invitavitque alios ad eandem. Ecclesia cœlibatum & castitatem in pretio habet. Christus factus est obediens usque ad mortem, instituit etiam obedientiam sub prælato voluntariam: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Obedientia in Ecclesia floret, tum generatim erga Magistratum Ecclesiasticum & civilem, tum speciatim erga Superiores suos apud religiosos. Christus observavit & suasit voluntariam paupertatem: eandem observat in Religiosis suis Ecclesia, non tantum Monachis, sed etiam militibus. Christus jejunavit; jejunat & Ecclesia. Christus pernoctavit in orationibus; orationes & laudes nocte dieque assiduè in templis peragit Ecclesia. Christus requirit à nobis bona opera: Ea perpetuò urget Ecclesia. Christus timorem Dei & angustam cæli portam arctamque viam nobis inculcavit; inculcat & Ecclesia: Et ita in cæteris. Ecce, quomodo amicta Christo Ecclesia? Non fert, nec ferre potest hunc amictum hæresis nostri præsertim temporis Lutherana & Calviniana. Cœlibatui & castitati reclamat Lutherus voce illa: Si uxor nolit, veniat ancilla. Et facto ipso, cùm cœlibatum sustulit, uti & Calvinus. Obedientiæ, quia ex utriusque doctrina rebellio subditorum erga Dominos in Germania & Gallia exorta est, Principes imperii & olim & nunc adversus Cæsarem excitati sunt. Saxo olim, nuper Palatinus Paupertati, quoniam nemo unus illorum est, qui spreto mundo & abdicatis opibus voluntariam sequatur. Jejunia irrident Lutherani & Calviniani: pro nocturnis precibus aliisq; sacris exercitiis, stertunt, potitant, ludunt, blasphemant: Audiatur prædicans Andreas Musculus Dom. Prima Adventus: *Cum nobis Lutheranis ita agitur hoc tempore: ut si quis videre velit ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fœneratorum, civitatem aliquam adeat in qua Evangelium purè* (Lutheranè) *prædicatur, catervatim tales ibi reperiet. Nam meridiana luce clarius est, quòd hominum effrænatorum & indomitorum, apud quos omnis virtus & honestas penitus extincta est, & apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures ne quidem apud Ethnicos, Turcas, alios infideles, quàm apud Evangelicos, apud quos omnia diabolo fræna laxata sunt, reperiantur.* Hæc ille de suis.

Insani: non est hoc induere Christum. Audite Apostolum ad Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, & in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum JESUM Christum, &c.* Sed quid mirum? hanc illis vestem ipsimet eorum Doctores induerunt: quidquid asperum Christus docuit & fecit, respuerunt, blanda solum elegerunt illi solū; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* Tacent verò illud: *Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Clamant solùm illud: *Omnis caro salva fiet:* Tacent verò istud: *Quā arcta est via & quam angusta est porta, quæ ducit ad vitā?* Et observant illud: *quod intrat per os, non coinquinat hominem &c.* Nihil dicunt de jejunio Christi & de illo: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* Prædicant DEI misericordiam & cœlum: tacent Justitiam & infernum.

Qua

Qua in re imitantur Patroclum illum, qui, ut scribit Plutarchus, in bellum proditurus, reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam ut prævalidam non attigit. Ad eundem modum sectæ hæreticorum, induunt ea tantùm Christi indumenta, quæ nihil grave aut asperum habent. Observant Christum manducantem, non jejunantem: audiunt extollentem fidem, non audiunt requirentem opera: audiunt pollicentem cœlum, non audiunt minitantem gehennam. Audiunt dicentem: *Qui sitit, veniat ad me & bibat!* Non audiunt dicentem: *qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Matthæi decimo.

2. *Tanquam munimento.*

Secundò. Tanquam munimento, seu thorace æneo, contra hostium insultus. Sic enim Ezech. trigesimo quarto, ait DEUS: *Ero pastor ipsorum & ero prope ipsos sicut tunica prope corpus ipsorum)* sic enim legit Clemens Alexand. libro primo pœdagog. capite nono.) Nec verò periculum est, ut penetretur ea tunica, quia fortissima est. Audi Esaiam cap. vigesimo sexto: *In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: urbs fortitudinis nostræ Syon: Salvator ponetur in ea murus & antemurale.* Non enim contentus est Christus, dedisse Ecclesiæ Rectores & pastores, Angelos item Custodes; vult insuper esse quasi murus & propugnaculum Ecclesiæ, & omnes ictus in eam jactos excipere atque elidere: unde Græcè habetur, περιβεβλημένη τὸν ἥλιον, id est circumamicta sole. Ac ne procul eundum sit, apparuit sanè his annis, quàm prope nobiscum fuerit Dominus, quamque amicierit undiq; Ecclesiam Catholicam in patria nostra.

Quando enim non triumphavit de hæreticis? quid non cladis illis intulit? quid non inferre poterat, si modo voluisset? Convenerunt Principes hæreticorum ut dimicarent contra Ecclesiam, & nullum non moverunt lapidem, ut desiderio suo potirentur: In fœdus & societatem acciverunt exteros Principes, & si non omninò Turcam, ejus tamen Vasallum. Congessere pecunias, instruxere acies & machinas, jam distribuere spolia antequam pugnarent (ita certam sperabant victoriam) unus hanc, alter aliam sibi elegere Episcopalem Sedem: Designatus locus, ubi spolia essent patienda. Summa die Glock ward schon gossen/allein wars noch nicht gehenckt. Accesserunt crebræ orationes quas hebdomatim instituere, &c. Ecce Pseudoprophetas, invocantes suum Baal. Ex altera parte etiam nos aciem instruximus & Deum nostrum pro Ecclesia sua deprecati sumus cum Elia. Utra igitur pars audita est? Certè illi mutum repetere Deum suum, perdere, quæ injustè rapuere: detectæ sunt eorum technæ: cæsi eorum Duces & fugati: perdidere cum alienis sedibus etiam proprias. Sed fortè in diversorio est vester DEUS, inquit Elias, aut in itinere, aut certè dormit: Clamate ergò voce majore ut excitetur. Sed nulla vox: nec respondit illis Deus, nec attendit orantes: quia contra Ecclesiam illius arma gerebant. Aspicite potiùs ad Ecclesiam Catholicam & videbitis DEUM fuisse cum illa: videbitis amictam sole mulierem. Et bene, sole, quia Ecclesia pugnabat pro fide, veritate & justitia: hæretici verò contra hæc omnia, ideoque radiis Ecclesiæ perstricti sunt eorum oculi. Quemadmodum ergò Solis lumen non tolerant feræ noxiæ & lucifugæ; Sic Ecclesiam hæretici. Ejusmodi lumen accensum est illis cùm eorum technæ deprehensæ, typis evulgatæ sunt, unde eorum fraudes, & malitiæ detectæ. Videtur mihi ea re effectum, quod effecit Dominus, cùm scribendo digito in terram confudit accusatores adulteræ, volentes eam lapidare; Joan. 8. ita ut unus post unum exiret & remaneret Jesus cum muliere solus. Qualis verò ea scriptio fuit, quæ Judæos expulit? S. Hieron. lib. 2. contra Pelagin. cap. 6. & gl. interlin. putant scripsisse Dominum peccata accusatorum: quorum intuitu illi confusi se proripuerunt. Sic verè contigit hæreticorum Ducibus, qui cùm Ecclesiam (fortè exigentibus aliquibus ejus peccatis) lapidare vellent, detectis eorum fraudibus, alter post alterum se abdidit & ab eo incepto destitit. Remansit verò cum Ecclesia solus Jesus, quod prædixerat quidam prædicans, ut alibi diximus: Die Catholische haben niemand als unsern lieben HERRN. Mulier ubi sunt, qui te condemnabant?

3. *Tanquam ornamento.*

Tertiò. Tanquam ornamento: quomodo enim non pulcherrimus erit amictus luminis solaris? quid pulchrius & amabilius sole? & hoc est quod Psal. 44. dicitur Christo sponso: Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et ad Ephes. 5. Dicitur Christus exhibuisse sibi Ecclesiam *gloriosam, non habentem maculam aut rugam.* Gloriosa autem cernitur Ecclesia. 1. Primò. Ob purissimam doctrinam ejus & sanctissimas leges, quæ nihil turpe permittunt, multò minùs docent, nihil non rationi & legi DEI conforme. 2. Secundò. Ob virtutum splendorem, qui etsi non in omnibus Ecclesiæ membris, in plurimis tamen cernitur, & fulget inter omnes sectas, Turcarum, Judæorum, Gentilium, hæreticorum. Quæ enim alia secta, quæ ita urgeat studium virtutum & observationem mandatorum ac ipsa? Ubi etiam studium perfectionis ita exercetur, uti in Ecclesiæ Religionibus & ordinibus? 3. Tertiò. Ob eximium Dei cultum, quem aliis omnibus sectis maximum DEO exhibet: ad quem pertinent tot insignes templorum fabricæ, aurea & argentea vasa, pretiosæ vestes, variæ & pulcherrimæ cæremoniæ, solennitates, divinæ laudes & preces, ordinum dignitates, &c.

Quartò.

Quartò. Ob pulcherrimum ordinem & ministeriorum divisionem ac subordinationem, qua totum regit mundum Christianum. Sub Papa immediatè sunt Patriarchæ: sub his Archiepiscopi, sub his Episcopi, sub his Abbates, Præpositi, Decani, Parochi, sub istis inferiores Ordines. Unde Ecclesia dicitur, terribilis ut castrorum acies ordinata; & in hoc imitatur Ecclesiam triumphantem. Nihil ejusmodi ornatus habent nostræ sectæ. Impura sunt eorum dogmata, maximè cum docent Deum authorem esse peccati, cùm tollunt liberum arbitrium, cùm mandata Dei impossibilia dicunt, &c. Nullum virtutum eis exercitium; quia secundum eos bona opera sunt peccata, nihil merentur, magis impediunt; præcepta servare nequeunt, &c. Unde nihil singulare habent cur Judæis, Turcis & gentilibus admirationi sint. Nullus item divinus cultus, sublatum sacrificium, cæremoniæ, altaria, imagines, Sacramentorum frequentatio. Nullus etiam ordo & varietas officiorum: una vivendi ratio, nulla ordinum & statuum diversitas: merum chaos.

F. V. Luna sub ejus pedibus.

I. Propter ejus stabilitatem.

Quintò. Luna sub pedibus ejus. Primò propter ejus immobilitatem: quia enim luna inconstantiæ symbolum est, propter menstruas suas defectiones: Sol verò, quo amicta est Ecclesia, Constantiæ, propter luminis sui perpetuam stabilitatem: ideo lunam habet sub pedibus, id est, mobilitatem pedibus calcat. Omnes quotquot fuerunt hæreses, lunæ fuerunt, derepente ortæ sunt & paulatim excreverunt, sed paulò post iterum imminutæ, post seculum omninò tandem defecerunt: omnes post Ecclesiam exortæ & ante Ecclesiam extinctæ sunt bene itaque S. Hilarius Fides hæreticorum vocavit *bimestres; & trimestres.* An non id videre est in secta Lutherana? Primum jubilæum suum ante paucos annos celebravit: Sed quàm exiguus fuit ante centum annos Lutheranorum numerus? & nunc quomodo decreverit & adhuc quotidie deficiat, quis non videt? An non planè exaruit? Tametsi enim multi sunt, quos Lutheranos vocamus, tamen paucissimi sunt, qui ipsa dogmata Lutheri, ut tradita sunt, integra & inviolata custodiant, sed ad Calvini partes transierunt. Et si nunc Lutherus ab inferis rediret, periculum esset, ne ullum inveniret, qui se recognosceret. Sed nec ipse sua dogmata cognosceret: ita nepotes, ac posteri ejus in aliam formam Lutheranum Evangelium redegerunt. Idipsum eveniet Calvinismo & quæcunque sectæ imposterum orientur. Sola Ecclesia Romana mobilitati subiecta non est, sed stabit usque ad finem mundi. Sæpe capta & eversa fuit Roma, sæpe Dominos mutavit; nunc eam Principes pagani, nunc Imperatores Christiani, nunc Reges Ariani tenuerunt, ejus tamen fides nunquam mota est, Cecidit sedes Augusti, sedes tamen Petri suo loco stetit. Interrumpi potuit Series Imperatorum Romanorum: sed Petri successorum Pontificum non potuit interrumpi. Tametsi verò Ecclesia in aliquibus orbis partibus Eclipsim & obscurationem aliquam pati potest à luna hæreseos, non ideò tamen non lucebit in alijs partibus, imò cùm in uno loco deficit, in alio splendere incipit, uti modo in India, Iaponia, China, Peru, &c. Dum Germaniæ splendorem subtrahit. Clamant hæretici: Non erant in Ecclesia temporibus Apostolorum tot templa, tot aurea vasa, tot ceremoniæ, tot festa, tot ordines & monasteria, tot episcopatus, &c. Quomodo igitur non mutatur Ecclesia Catholica? Sed aliud est crescere Ecclesiam, aliud decrescere & deficere. Crescere debuit in his & similibus Ecclesia. Nũ enim quia in Septẽbri vix herba est in agris, ideo in Julio messis non erit? Et quia puer in primis annis edentulus & imberbis est, ideo in virili ætate dentibus & barba carere debet? Crevit igitur Ecclesia & multùm crevit sapientia, scientia, ornatu, ordine, cultu uti & numero: Non ideò tamen eadem Ecclesia non est aut propterea aliquando deficiet.

2. Propter ejus generositatem.

Secundò. Propter ejus generositatem, qua sublunaria bona omnia spernit & per contemptum calcat, fastum mundi, superbas opes, regum coronas, delicias & voluptates & præ illis Deo placere eligit ac bona sua in cœlo quærit & expectat. Sic exponit S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 7. quem alii sequuntur: *In lunâ*, inquit, *quæ menstruis supplementionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta igitur Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi Sole vestitur: quia verò cuncta temporalia despicit, Lunam sub pedibus premit.* Sic ille.

Favet huic expositioni vetus nobilium Romanorum mos, qui in signum nobilitatis gestabant lunas in calceis teste Plutarch. in qq. Roman. 76. Ejusmodi verò lunam non in calceis gerit, sed sub pedibus premit Ecclesia, quia renuit terrena, quæ offert mundus, bona: cœlestia desiderat, & cum Davide ait: *Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram?* Psal. 72. Non vult ditari Ecclesia à mundo: usque adeò excelsi animi est; quemadmodum & Abraham noluit ditari à Rege Sodomorum Gen. 14. quia exspectabat pro mercede Deum. Et hoc partim affectu facit Ecclesia, in iis scilicet membris suis, quæ bonis suis quidem se non abdicant, in iis tamen summum bonum suum non reponunt: partim etiam effectu, in tot millibus viris & mulieribus, qui spreto mundo, spreta libertate, spretis nuptiis, spretis parentibus & amicis, spretis honoribus, coronis & opibus Religiones intrant, paupertatem, humilitatem, obedientiam, castitatem amplectuntur. Quæ res exigua non est. Conferte Christiana tempora cum antiquo Philosophorum tempore: si tunc gentiles vel unum hominem vidissent opes & honores cõtemnere, totus mundus admira-

admirabatur: ita ut unius Epicteti lucernam tribus millibus drachmarum, ob ejus vitæ admirationem venditam fuisse Lucianus tradat. At Christianis temporibus doctrinâ Evangelii coruscante quot millia id fecerunt, non virorum tantum, sed & mulierum, juvenum, senum, nobilium, divitum? Non habent etiam hæreticorum Synagogæ heroicum illum animum, quo spretis mundi bonis sectentur perfectionem Evangelicam, non habent Eunuchos, qui seipsos castrent propter Regnum Dei, qui Patrem & Matrem propter Christum relinquant: habet verò Ecclesia & quidem ingenti numero, qui non tantùm verbis sed factis etiam ostendunt fieri posse, quæ ipsi fieri posse negant. In uno Florentiæ oppido non ignoto, non pauciora quam 60. virginum numerantur monasteria, & in plerisque ducentæ aut trecentæ vel etiam plures virgines Deo sacræ Angelicam vitam ducunt. 3. Propter ejus authoritatem. Quemadmodum enim Ecclesia soli, sic regna sæcularia lunæ sunt simillima, uti scribit Innocent. III. Papa ad Imperatorem Constantinop. uti habetur lib. 1. Decretal. 33. c. *solidæ*; siquidem ista & innovantur & deficiunt. Lunam ergò sub pedibus habet Ecclesia, quia subjectos sibi Imperatores & Reges habet, qui volentes & lubentes ad pedes ejus accidunt ejusq; gubernationi se promptissimè submittunt, & gloriæ loco ducũt Ecclesiæ famulari. Qua de re Esaias cap. 60. dicit: *Gens & Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Et iterum: *Et venient ad te curvi filij eorum; qui humiliarunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, &c.* Et iterum: *Ponam te in superbiam sæculorum: Et suges lac gentium & mamilla Regum lactaberis.* Quid gloriosius dici poterat? quasi diceret, certabunt Reges, ut servire tibi possint, & inde superbient: insuper etiam maximis donariis & privilegiis te afficient. Cujus rei exemplum patet in Constantino Magno, qui magno sibi honori duxit, quod ad extructionem templi S. Petri primus 12. corbes humeris suis efferre de fundamento posset: Item quod ante januã templi S. Petri, ad pedes piscatoris, ut ipse vocabat, sepeliri posset. Quin etiam Imperatores omnes confirmationem à Pontifice petere habent: Et cum Imperator Romæ adest, Pontifici manus lavanti aquam fundit, primum ferculum apponit, equum ascensuro stapediã tenet, & equum ad aliquot passus ducit. Denique in necessitate transfert imperia, sicut fecit Stephanus Papa III. transferendo imperium à Græcis ad Carolum Magnum & Francos.

3. Propter ejus authoritatem.

G. VI. *In capite ejus corona stellarum 12.*

Sextò. In capite ejus corona stellarum duodecim: Stellæ istæ primo sunt duodecim Apostoli, deinde eorum successores & sectatores, omnes viri sancti (siquidem duodenarius numerus universitatis est) qui caput Ecclesiæ, id est, Christum coronant, & quodammodo in universo orbe Regem cõstituunt. De illis enim dicitur Dan. 12. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Illustrant verò illi Ecclesiam & Christum triplici splendore. Primò. Sanctitatis eximiæ. Secundò. Sapientiæ profundæ. Tertiò. Miraculorum. Quemadmodum enim in Deo maximè eminet bonitas, sapientia, potentia, sic viros sanctos ut sibi simillimos reddidit. Inprimis quanta sanctitate luxerint in Ecclesia Apostoli, Episcopi & Doctores, Anachoretæ & Monachi innumeri, quis est, qui nesciat? Quinam fuere nostri primi Apostoli & Præcones sacri? nonne Bonifacius, Rupertus, VVilibaldus, Kilianus, Vigilius, Corbinianus, Udalricus, VVolffgangus, &c. Quinam omnes alii sancti, qui passim in Martyrologiis reponuntur? nonne omnes sanctissimæ vitæ fuere? & nonne omnes Catholici? monstretur vel unus hæreticus. Et verò fulget etiamnum Ecclesia talibus Sanctis. Nuper simul quinque in album Sanctorum sunt relati post diuturnum & exactissimum examen & gravissima testimonia sanctitatis: nimirum S. Ignatius Lojola, S. Franciscus Xaverius, S. Philippus Nereus, S. Isidorus Pastor, S. Teresia. Utinam ejusmodi certamen cum Prædicantibus inire liceret, quale habuit cum Judæo Christianus; cùm enim contenderet plures esse sanctos legis suæ veteris, quam nostræ novæ & pacisci vellet, ut quoties quis sanctum ex suis recenseret, toties alteri crinem è barba velleret: Ratum habuit Christianus. Et mox Judæus, Abraham, inquit, & crinem ei extrahit; Christianus, Petrus, subdit, & similiter crinem Judæo evellit: Judæus Isaac, Christianus Paulus, &c. Christianus verò tandem moræ impatiens barbam Judæi totam apprehendit & simul evellit dicendo, *S. Ursula cum undecim millibus virginibus.* Scio, inquam, omnes Prædicantium barbas extrahendas fore, cum mihi nec pilum eripere possent. Sapientia fulserunt mirabili, ut videre est in eorum libris, qui plusquam humano ingenio scripti apparent: ut opera S. Aug. Chrysostomi, cui S. Paulus multa dictasse creditur. Hieron. Gregorii in cujus capite sæpè columba sedere visa est: S. Bernardi, qui merito Theodidactus dicitur, & apparet in scriptis suis. S. Thomæ Aquinatis, qui cum ad summam Theologię cognitionem pervenisset, fratri suo Reginaldo dicebat, se quidquid sciret non tam studio, aut labore, quam divinitus traditum accepisse. Carent etiam hoc splendore sectæ nostræ præsertim, qui ferè rudissimos cudunt libros: Et si fortè quem doctiorem Apostatam nanciscuntur, quasi pro Deo habent; Sidera errantia sunt, & tamen eos vulgus pro stella polari habet & sequitur.

Apost. &c fulserunt sanctitate.

2. Sapientia.

Tertiò. Luxere miraculis innumeris vivi & mortui: qualibus plenæ sunt vitæ eorum: quæ tanto numero, tot circumstantiis à tam probatis authoribus conscripta, quis nisi insanus neget? Legat quis vitas Apostolorum vel Germaniæ tantum, S. Udalrici, S. VVilibaldi, S. Corbiniani, S. VVolffgangi, &c. Quanta illic miracula? Nihil simile edidere hæresiarchæ, non attulerunt literas testimoniales suæ missionis à Deo. Eccur igitur cœca Germania eos recipit? Gigantuli sunt infirmi,

3. Miracula.

qui nec unum pulicem quidem ad vitam reducere potuerunt.

CONCIO XV.

MYSTERIA.

THEMA.

Ingressus perambulabat Iericho, Luc.19.

A.

SAnè videmus, Auditores, vel in hodierno Evangelio, multos quidem vocatos: paucos verò electos esse. Videte urbem Jericho. Misit olim Josue ad eam duos exploratores suos occupaturus terram promissam. Qui suscepti in domum Rahab meretricis, ab eaque de insidiis Regis liberati, salutem ejus domui promisere & dedere; quando paulo post urbs tota ab Hebræis devastata, sola domus Rahab incolumis servata est, Jos.2. & 6. Rursum in hodierno Evangelio ubi Christus verus Josue, Hierosolymam iturus & mundum totum passione sua sibi subjecturus, perambulavit eandem Jericho, unica Zachæi Principis Publicanorum domus salutem consecuta est; quia nimirum solus ipse Christum suscepit, cæteris obmurmurantibus, ideoque à Christo posthabitis. Quodque magis mirandum, ibi domus meretricis, hic domus Publicani servata est & coram Deo gratiam invenit. Unde verissimũ esse cernimus, quod Dominus Matth.21. ad Principes Sacerdotum & Seniores populi dixit: *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Porrò nunc videamus, quæ mysteria & arcana in hod. Evangelio recondita sint.

B. I. *Cur Christus Iericho pertransiit.*

Primò. Cur Christus perambulavit civitatem Jericho? Resp. Primo ad literam, quia per eam transire habuit in Ierusalem. In via enim quæ à Iordane Ierosolymam ducit, sita est hæc civitas; ideò Christus è Regione, quæ trans Iordanem erat, rediens per illam habuit iter. Rectè autem Christus secundus Adam de Iericho ascendit in Ierusalem, id est, de statu peccati ad statum gratiæ & gloriæ, quia primus Adam descenderat de Ierusalem ad Iericho, id est de paradiso in exilium, de statu gratiæ & felicitatis in statum peccati & miseriæ: juxta parabolam illam Lucæ 10. Adam de Ierusalem nos abduxit, Christus nos reduxit.

Secundò. Mysticè, quia Iericho mundi typus est. Primò enim Iericho lunam significat: Mundus autem lunæ instar mutabilis & inconstans est: modò prosperitatem affert, modò adversitatem: modò blanditur, modò adversatur.

2. Secundò, quia uti muri Iericho per Sacerdotum tubas olim dejecti fuerunt, Iosf.6. ita mundus per Apostolorum prædicationem devictus & Christo subjugatus est. Unde ait Dominus: *Confidite, ego vici mundum*, Ioan.16. Perambulavit ergò (Græcè, *pertransiit*) Christus Iericho, ut doceret nos mundum hunc instar peregrinorum solummodo transire; nec sedem in eo figere, sed per unam portam intrare, & per alteram exire; quod fit cum in mundum hunc ingressi, statim cogitare incipimus de egressu: & ad eum omnes nostras componimus actiones, & convertimus cogitationes: cum de eo nihil concupiscimus, cùm omnia aspicimus velut aliena, & brevi transitura, &c. Scimus quid evenerit illi Achan, qui de subversa Iericho, contra præceptum Iosue (quo omnia urbis spolia anathemati subjecta & rapi prohibita) furatus est regulam auream, pallium & ducentos siclos. Lapidibus enim obrutus est, & omnia, quæ ipsius erant, igni tradita, Iosf.7. Præcipit etiam nobis Christus per Apostolum suum Ioannem, 1.Ioan.2. *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo sunt.*

Non desunt tamen Achanes, qui furantur Regulam, dum spretâ Dei voluntate, quæ aurea nostrarum actionum regula est, mundo potiùs ejusque legibus se accommodant, aut etiam proprio capiti: furantur pallium, qui omnia sua scelera tegere & palliare nôrunt: furantur argentum, qui pecuniis inhiant, easque præter fas corradunt. Ab his igitur abstinendum, nisi quis anathema & execrationem DEI incurrere ignique æterno tradi velit.

C. II. *Quomodo restaurata Iericho.*

Secundò. Quomodo restaurata est Jericho contra illam severissimam imprecationem Iosue: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus?* Iosf.6. Resp. ex 3.Reg.16. instauratam ab Hiel de Bethel tempore Achab Regis; sive ut placeret impio Regi, quomodo aulici aliqui in gratiam principum suorum nihil non facere audent; sive quia *nitimur in vetitum semper cupimusque negata.* Nôrant Adam & Eva formidandum illud: *Morte morieris*? Genes.2. nihilo tamen minus rapuerunt fructum vetitum. Norunt testamentorum executores testatorum imprecationes; non desunt tamen, qui eas contemptui habeant. Nôrunt fures & latrones patibula & rotas in omnium oculis defixas; sibi tamen ab iis non cavent. Nôrunt perjuri & fœdifragi, quas sibi sunt imprecati diras; eas tamen non horrent in se accersere. Denique nos omnes novimus gehennam gravibus decretam peccatis; quàm pauci tamen ab iis sibi cavent? Existi-

Existimavit forsan Hiel imprecatiouem Iosue vanam & inanem esse, ab ira & crudelitate, non à Deo profectum; sed reipsâ expertus est verissimam fuisse: *In Abiram enim primitivo suo fundavit eam* (Iericho) *& in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini*, 3. Reg. 16. hoc est, *quando fundamenta*, ait Rupertus cap. 20. in Iosue: *Hierichuntis jecit, statim mortuus est filius ejus primogenitus, & deinceps inter ædificandum paulatim secundum ordinem Nativitatis decentibus filiis omnibus, ubi (quod novissimum erat) posuit portas ejus, mortuus est filius ejus novissimus, mirâ ambitione pertinaciam fulciente, ut ambiendo conditoris nomen, totum cum affectu perderet genitoris honorem.*

Ita ergò eveniet suo tempore omnibus prævaricatoribus, quod comminatur eis scriptura sacra, supplicium. Mysticè reædificant urbem Iericho Maledictam Primò. Hæresiarchæ, qui cum è Bethel seu domo Dei, quæ est Ecclesia Christi, exierint, damnata jam dudum & anathemati subjecta dogmata revocant & docent, uti Lutherus, Zvvinglius, Beza, Calvinus, similes.

Deinde peccatores omnes, qui postquam in baptismo renuntiarunt diabolo & pompis ejus, quas debellavit Christus, iterum diabolo & mundo serviunt.

D. III. *Quis Zachæus.*

Tertiò. Quis fuit Zachæus, gentilisne an Iudæus? Resp. Gentilem fuisse sentiunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus, Beda, Chrysologus. Iudæum recentiores. Euthymius, Lyranus, Iansenius, Cajetanus; quod videtur probabilius, tum quia nomen ejus, Zachæi, Hebræum est, & mundum seu purum significat, tum quia ab obtrectatoribus non carpitur ut Ethnicus, sed ut peccator; tum quia in restituendo quadruplo Iudæorum legem agnoscit, Exod. 22. tum quia à Christo vocatur filius Abrahæ, tam scil. quoad carnem, quàm quoad spiritum & fidem vivam, qualis fuit Abrahæ fides.

Hinc ergò elucet virtus Zachæi, qui suorum contribulium obtrectationes nihil veritus Christo se addixit, non curans quid propereà à civibus suis passurus esset. Nimirum mascula virtus in parvo enituit corpusculo. Non ergò contemnendi sunt, qui pusilli sunt statura. *Ne spernas hominem in visu suo*, ait Ecclesi. cap. 11. *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus ejus.* Talis erat Zachæus.

E. IV. *Quid Sycomorus.*

Quartò. Quid Sycomorus? Resp. esse arborem fructu similem ficui, foliis autem moro. Cæterum fructus ingratos habet, qui non maturescunt, nisi ferro radantur, nec nisi in egestate à pauperibus colliguntur, ideoque velut hortis indignæ, in publicis tantùm viis cernebantur. Non malè etiam alii ficum fatuam appellant, à σύκη, id est, ficus: & μωρὸς, id est, fatuus. Erat ergò hæc arbor in publica via, proinde idonea Zachæo ad videndum Christum transeuntem.

Mysticè Sycomorus designat crucem Christi, quæ gentibus est stultitia, quæque à mundo repudiatur, quòd fructus parum ei gratos ferat: interim tamen specula est ad videndum Christum apta: Quare qui staturâ pusilli sunt, ita ut inter mundi strepitus Deo servire nequeant, in crucem illam ascendant, sive ingrediendo Religionem, sive ad tempus includendo se ad facienda spiritualia exercitia, sive certo diei tempore subducendo se à sæculi curis, & vacando orationi & meditationi.

F. V. *Quare Christus seipsum invitavit.*

Quintò. Quare Christus seipsum invitavit ad Zachæum? Sanctus Ambrosius lib. 8. in Lucam. Primò. *Sciebat enim*, inquit, *uberem hospitii sui esse mercedem.* Cùm seipsum invitat Princeps opulentus ad pauperum Monachorum prandium, nequaquam temere agit: Solet enim communiter prandium suum afferre tam Monachis quam sibi. Quis hunc non libenter susciperet? Summa ergò gratia est posse Deo dare: quia summam affert remunerationem.

Secundò. *Et si nondum vocem invitantis audierat, jam viderat affectum*, inquit S. Ambrosius. Magno se beneficio cumulandum existimabat Zachæus, si videre saltem Christum posset; hospitem eum sperare non poterat, indignum se eo reputans. Vidit hanc mentem Christus, ideoque eam remunerat ampliore gratia & hospitem se præbet. Sic & latroni pœnitenti, qui sui tantum memoriam ab eo expetierat, donavit paradisum. Quare quo indigniorem quisque se agnoscit gratia cœlesti; eo fit capacior ac dignior: quo magis se quis deprimit, eo magis extollitur.

Tertiò. Vidit suam præsentiam & diversionem necessariam esse Zachæo, quemadmodum adventus Medici necessarius est ægro desperatè laboranti: periisset domus Zachæi, si Christum hospitem non habuisset. Hinc ergò dixit Dominus: *In domo tua oportet me manere*, (non propter me, sed propter te intellige.) Quare cum videmus aliquem de salute periclitari, succurrere ei docemur, licet non vocati, licet fortè etiam ingrati & molesti simus.

G. VI. *Quid & quantum dimisit Zachæus.*

Sextò. Zachæus quid & quantum dimisit? Resp. communiter Beda, Augustinus, Chrysologus, Euthymius, dimisisse eum omnia sua. Nam dimidium dedit pauperibus: è dimidio reliquo quadruplum restituit, quibus debuit. Unde admodum credibile est nihil ei reliquum fuisse, vel si quid fuit, etiam pauperibus donatum esse. Fitque id credibilius ex eo, quod Episcopus posteà creatus sit à S. Petro, ut scribit S. Clemens. lib. 1. Recognit. Et l. 3. Signum ergò est Zachæum amplexum esse perfectionem Evangelicam. Quæstum porrò suum in hoc non tam dimisit, quam mutavit. Venabatur priùs pecunias, posteà verò animas. Spoliabat priùs homines, dum vectigalia emungebat: spoliavit posteà dæmones, dum mancipia ejus abstraxit, & Christo mancipavit.

H. VII. *Cur quadruplum restituit?*

Q. Septima. Cur restituere voluit in quadruplum? Resp. ut se legi Moysis accommodaret, quæ dicit: *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno restituet, & quatuor oves pro unâ ove.* Exod. 32. Et 2. Reg. 12. *Ovem reddet in quadruplum.* Voluit nimirum Deus, & in pœnam furis & in emolumentum Domini, cui res ablata est, quadruplum restitui. Et quia bos ablatus non solum majus furtum est furto ovis, sed prætereà etiam hero damnosius ob agriculturam: ideò graviùs punitum. Mysticè Bovem furatur, qui Doctorem vel Magistrum pervertit: Ovem, qui discipulum vel Auditorem.

Viderint porrò hîc qui ne ut simplum quidem restituant, adigi possunt, quomodo coram Christo Judice aliquando staturi sint.

I. VIII. *An solus crediderit Zachæus.*

Q. Octava. Solusnè Zachæus credidit in Christum: an simul tota ejus domus? Resp. ex sententia Euthymii & Cajetani, videri totam domum simul cum eo credidisse; tum quia ait Dominus: *Hodie huic domui salus facta est*; tum quia patremfamilias facilè sequitur familia, uti patet Joan. 4. in domo Reguli Actor. 16. in domo Custodis carceris & domo Lydiæ. Act. 18. in domo Crispi, quibuscum tota credidit familia. Quare fœlix censenda est ea domus, cui bonus præest paterfamilias. Ab hoc enim capite in cætera membra facilè derivatur virtus, pietas, honestas morum &c.

K. IX. *Zachæus cur filius Abrahæ?*

Q. Nona. Cur Zachæus vocatur Abrahæ filius? Resp. quia fidem & opera ejus imitatus erat. Videamus similitudinem. Abraham desiderabat videre diem Domini; Zachæus cupiebat Jesum videre, quis esset. Abraham vidit, & gavisus est: Zachæus vidit eundem, & excepit gaudens. Abraham suscepit Deum in hospitium cum Angelis: Zachæus suscepit eum cum discipulis. Abraham festinans cucurrit, & paravit convivium: Zachæus quoque festinans, descendit & excepit Christum convivio. Abrahæ dedit Deus benedictionem filii pro servitio exhibito: Zachæo impertiit Christus salutem pro obsequio hospitali. Jactabant cæteri Judæi inanem suam prosapiam ex Abraham oriundam, fidem interim & mores Abrahæ nequaquam præ se ferebant. Unde ad illos Dominus Joan. 8. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Zachæus verò inanis tituli corticem aliis relinquit, ipse nucleum comedit, omnibus sapientior. Viderit ergò nostrum unusquisque, ne & ipse nomen Christiani frustra gerat. *Christianus est*, inquit S. Augustinus, l. de vitâ Christiana cap. 14. *qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est*, 1. Joan. 2. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omninò non movetur injuriâ, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mærentibus mæret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus domus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat, cujus donum panis cunctis offertur, à quo nemo sentit injuriam, qui Deo diu noctuque deservit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur, qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo & Angelis ejus gloriosus appareat, qui in corde nihil videtur habere simulatum vel fictum, cujus simplex & immaculata est anima, cujus conscientia fidelis & pura est, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius quàm terrena desiderat, qui humana spernit, ut possit habere divina.* Hæc ille; quæ si in cujuspiam domo reperiantur, næ is est filius Abrahæ verissimus, & domui ejus salus à Deo facta est, quam & mihi & vobis Auditores, impertiat is, qui est unica salus & spes nostra

CHRISTUS JESUS,

Amen.

AD DEI DEIPARÆQUE GLORIAM.

INDEX

INDEX MATERIARVM QVÆ IN HOC TOMO DE SANCTIS TRACTANTUR.

Benedi-

2 Volun-

Christus.

Ense-

Paren-

4 Vir-

FINIS.

H.

in festo

H.

in festo

R. P.
Matthiæ Fabri
Opus
Tripartitum.